PRO SACRA MONARCHIA ECCLESIAE CATHOLICAE APOSTOLICAE ET...

Nicolas 1574-1623 Coeffeteau, Claude Mellan, ...

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
13
21 F
20

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
H

13-20, i, 23

28.2.6. 28 - 24
A - A
5 - 5

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PRO SACRA

MONARCHIA

ECCLESIÆ CATHOLICÆ

APOSTOLICÆ ET ROMANÆ

Aduerſus Rempublicam

MARCI ANTONII DE DOMINIS

quondàm Archiepiſcopi Spalatenſis.

LIBRI QVATVOR APOLOGETICI, QVATVOR EIVS PRIORIBVS LIBRIS OPPOSITI.

Authore Fr. NICOLAO COEFFETEAV, ex ordine Prædicatorum, Theologo Pariſienſi, Regi Chriſtianiſſimo à publicis & ſanctioribus Conſilijs, Maſſilienſique Epiſcopo deſignato.

LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, viâ Iacobæâ ſub Ciconijs.

M. DC. XXIII.

Cum Priuilegio Regis Chriſtianiſſimi, & Doctorum Approbatione.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO
AC BEATISSIMO
PATRI D. N.
GREGORIO XV.
PONTIFICI MAXIMO.

EATISSIME PATER,

CVM multa à Deo Opt. Max. Eccleſiæ Catholicæ ſapientiſsimè ſint prouiſa, quibus eius ſalus contineretur, tùm nihil præclarius aut præſtantius quàm quòd Pontificem Maximum cuius prudentiſsimis conſilijs regeretur, & authoritate confirmaretur, Cuſtodem & Gubernatorem illi impoſuerit, ac eo fine præfecerit, VT CONSTITVTO CAPITE OMNIS SCHISMATVM AMPVTARETVR AC TOLLERETVR OCCASIO. Hac namque ratione eſt ab eo effectum, vt cùm ſpectabilis huius Capitis poteſtas, quam penes S.tem T. iam eſſe voluit

Digitized by Google

ſummus ille rerum humanarum Arbiter quaquàuerſum ſe fundat, nec alijs quàm curſus Solis, regionibus aut terminis cohibeatur; qui toto terrarum orbe ad Orientem, ad Occidentem, ad Septentrionem, ad Meridiem ſint Orthodoxi, & pacatis rebus, habeant, in quo acquieſcant, & turbatis in quem intueantur, quemque inſtar Cynoſuræ, aut potius Elices magnæ obſeruent, cuius ſydere recreati & fulgore colluſtrati, fluctibus ſe eripiant, Syrtes & ſcopulos ſuperent, ac tandem omni periculo defuncti, in portum integrâ naue perueniant & appellant.

Neque verò minoris ſapientiæ fuit ſacrum illud imperium ijs præſidijs circumdediſſe ac munijſſe, quibus potentiſsimâ Chriſti oratione firmatis, nullus vel ferocior vel callidior hoſtis, perniciem arceſſere aut exitium inferre poſſet. Siquidem nominis Chriſtiani afflictor ac perditor Diabolus, omnes machinas admouet & cuniculos inſtruit, vt hoc Religionis noſtræ & ſacrorum firmamentum ac vinculum, tùm apertâ vi, tùm dolis ſubruat, diſſoluat, & funditus euertat; ac licet toties victus & depulſus, ferro abſiſtere nequit, ſed vires quotidie reparat, nouas acies educit, nihilque non molitur, vt exterminato Duce, reliquum exercitum Domini, vno eodemque vulnere conficiat & perdat. Scilicet poſt Lutheros, Caluinos, Zuinglios, & ſimiles Reipublicæ Chriſtianæ flammas ac peſtes, de ipſo ſinu Eccleſiæ ſatellites ſubornat & ſubmittit, qui illis Portentis ac Furijs veluti ſuccenturiati, prælium redintegrent, ac etiam ſpe victoriæ acriùs impugnent. In

horum

horum numero, depoſitâ iam audaciâ, fuiſſe ſe & agnoſcit & mœret Marcus Antonius de Dominis, olim Archiepiſcopus Spalatenſis, poſtmodùm deſertor, nunc Eccleſiæ caſtris, TVO, Pater Beatiſsime, BENEFICIO redditus & reſtitutus. Is namque diuturniore mentis alienatione vexatus, furoreque cœcus, ſanctiſsimi Ordinis ſacramento peſſundato, ac eiuratâ fide Catholicâ, in Eccleſiam pro quâ totum ſanguinem profundere, mortemque oppetere teneretur, ſtylum & arma conuertit, ac ſanctiſsimis inſtitutis, potiſsimùm verò Pontificiæ dignitati, bellum nefarium indixit. Sed cùm eum conſcientia remorderet, videretque perniciem quam Eccleſiæ machinatus eſſet, in ſe conuerſam; exhorruit, ac ſeipſum penitiùs intuitus, erratum ſuum aduertit, IN REGIONE SE ESSE DISSIMILITVDINIS, cum Auguſtino inter Manichæos agente agnouit, indoluit & erubuit, pedemque referre, littus Schiſmate infame, & pollutas hæreſi terras fugere ac deſerere conſtituit, ſimulque ad Paternam domum parentis indulgentiam ſuâ pœnitentiâ prouocaturus, & iuſtas iras gemitibus leniturus, oculos reflexit. Cùm autem adhuc longè abeſſet, vidit eum pijſsimus Pater, & accurrens inſilijt in collum eius, oſcula fixit, erroríq; & malis, conſpectâ turpi ſpecie quâ dementiſsimus filius ſe ſuo ſcelere ac leuitate deformaſſet, illacrymauit & ingemuit. O te felicem, Marce Antoni! Fuit Romanæ peſtis id nomen, ſed omen, tuæ mentis emẽdatione, ſuperi auerterunt. O te inquam, felicem ac fortunatum! qui in eum incideris Pontificem, cui clementiæ monumentis nominis ſui

Luc. 15.

Digitized by Google

memoriam conſecrare, ac ex vnis humanitatis exemplis gloriam colligere & comparare ſit conſtitutum. Quamquam verò multis ſimulationum inuolucris tegitur, & tanquam velo obtenditur hominum natura; nec fictam nec fucatam, ſed ſeriam & ſynceram omninò eſſe tuam reſipiſcentiam vt credamus, vel ex eo adducimur, quòd Romam, impiorum Crucem, reſpexeris, totumque te Magni Gregorij XV. quem perindulgentem Patrem, fidei & integritatis plenum noſſes, bonitati te permiſeris. Verùm vt quod res eſt liberè dicamus, nec alij in poſterum fallantur, omni te ſupplicio dignum, impio facinore præbueras, ſubiectis Catholicorum tectis, pernicioſiſsimi incendij facibus; hoc eſt furioſiſsimis tuis in lucem editis de REPVBLICA ECCLESIASTICA Commentarijs, quibus auitos ritus omnes, priſcamque Religionem & diſciplinam violandam, ac funditùs tollendam ſuſcepiſſes. Certè Romanis legibus, acrioribus ſupplicijs ciuis pernicioſus quàm acerbiſsimus hoſtis coercetur. Sed tantus tamque pius Pontifex, nullo odio, quo aliorum æſtimatione debebat, permotus, miſericordiam, quæ hominum iudicio nulla tibi debebatur, vltrò impendit; teque errorem deprecantem tantâ eſt charitate complexus, vt fratribus qui in ordine ſteterunt, parentemque ſanctiſsimum ſemper religioſiſsimè obſeruarunt, bilem mouere, eorumque indignationem concire ac concitare potuerit. Hauſit ſcilicet prudentiſsimum & humaniſſimum cõſilium, ex cognominis ſui Gregorij Magni, quem mirâ ſimilitudine exſcripſiſſe videtur,

adeò

adeò eum nobis refert & exprimit toto hoc Pontificatu, viuamq; eius effigiem reddit, pijs & eruditis commentarijs. Ita enim ſummus ille vir de hoc rerum genere philoſophatur, MAIVS DE PECCATORE CONVERSO, QVÀM DE STANTE IVSTO GAVDIVM EST IN COELO: QVIA ET DVX PLVS IN PRÆLIO MILITEM DILIGIT, QVI POST FVGAM REVERSVS FORTITER HOSTEM PETIT, QVÀM ILLVM QVI NVNQVAM TERGA PRÆBVIT, ET NVNQVAM ALIQVID FORTITER GESSIT. SIC AGRICOLA ILLAM AMPLIVS TERRAM AMAT, QVÆ POST SPINAS, VBERES FRVGES PROFERT, QVÀM QVÆ NVNQVAM SPINAS HABVIT, ET NVNQVAM FERTILEM MESSEM PRODVXIT. Quibus rationibus permotus & exemplis adductus cœli diſcipulus, in pœnitentiâ peccatoris ſibi cum Angelis quoque lætandum duxit, ac ad ſanctiſsimos pedes deiectum, ſuâ indulgentiâ erexit, & piatum, anathemate ſoluit, & crimine purgauit; adeóque, magnâ orbis terrarum admiratione iudicem exuit, vt ageret Patrem. Neque verò ij ſumus qui liuoris aut inuidiæ ſtimulis vrgeamur, quí-ue factam reſipiſcenti gratiam ægrè feramus, aut ob Patris indulgentiam indignemur. AN SCILICET OCVLVS NOSTER NEQVAM EST, QVOD ILLE BONVS SIT? An verò ſcopulos in corde geſtamus, vt iſta etiam nos compellantis dulciſsimi Genitoris ſurda aure præterierimus, LÆTARI ET GAVDERE OPORTEBAT, QVOD FRATER HIC TVVS MORTVVS ERAT, ET RE-

Gregor. Hom. 34.

Luc. 15.

Math. 20.

Luc. 15.

VIXIT, PERIERATQVE ET INVENTVS EST? Deus meliora. Potius macte istâ pietate Pontifex Optime! Nullâ re magis homines ad Numen accedunt, quàm salute hominibus dandâ! Nullâ nullâ ex virtutibus tuis quàm plurimis nec gratior nec admirabilior, misericordiâ. Præiuisti tuâ benignitate, exemplumque nobis proposuisti ad imitandum, quo inducti, animum hunc incitatum ad vlciscendum impiam scriptionem, iam reuocamus, ac vltrò reflectimus. Est fateor nonnunquam satis aculeata nostra in eum Oratio; sed Parabatam ac Desertorem adhuc frementem audaciâ, anhelantẽ scelus, pestem Orthodoxæ Religioni nefariè molientem, totis viribus totoque conatu Pontifices Sanctissimos aggredientem & lacessentem, adeóque ipsum Pontificatum inter Scopulos *, quibus illisa Ecclesiæ nauis dissoluatur, atque tandem demergatur reponentem, pupugimus & vexauimus; Atque quidem hos aculeos iustus dolor elicuit. Iam verò quando vnà cum errore furorem deposuit, omni eum officio colere ac demereri, obseruare ac diligere, omne denique obsequium præstare sumus paratissimi. Reducem ergò eum ac ex Fati aut potius ex Orci faucibus ereptum, & Romanis oris atq; fidei redditum, gratulamur. Tantum remereatur ac reponat, gratiamque quam accepit nunquam è memoriâ elabi patiatur. Interim sacris pedibus aduoluti opus quod S.tis T. iussu exegimus, Beatissime Pater, TIBI, CHRISTI IN TERRIS VICARIO, IN ÆTERNI OBSEQVII MONVMENTVM DAMVS, DICAMVS, CONSECRAMVS,

* *Libello Italico cui titulum fecit Scogli del Naufragio Christiano.*

Digitized by Go

CRAMVS, ac S. T. cenſuræ, quam nullius quantumuis eruditi ſcripta effugere poſsint, nos totos permittimus ac ſubijcimus : In optimâ fœlicitatis parte poſituri, ſi quid hoc pro aris ſuſcepto labore fuerimus moliti, quod B. T. gratum ſit & acceptum. Faxit Deus Opt. Max. vt Te diù terræ incolumem habeant, ac innocentiſsimo atque clementiſsimo Pontificatu perfruantur. Fundit hæc vota Eccleſiæ charitate ductus,

SANCTITATIS TVÆ,

Obſequentiſſimus filius ac humillimus
ſeruus NIC. MASSILIENSIS E.
DESIGNATVS.

Digitized by Google

APPROBATIO.

LIbrum hunc cui titulus præfixus eſt, *Pro ſacra Monarchia Eccleſia Catholica, Apoſtolica, & Romana: Authore Reuerendiſſimo in Chriſto P. N.* COEFFETEAV, *ex ordine Predicatorum, Theologo Pariſienſi, Maſſilienſi Epiſcopo deſignato, Regi Chriſtianiſſimo à publicis, & ſanctioribus Conſilijs, &c. Aduerſus Rempublicam Marci Antonij de Dominis*, legimus, decurrimus, & diligenter examinauimus. Quem, vt præter ſummam dicendi facundiam, mira omnis generis doctrinæ varietate refertum, ad confutandas quæ noſtro ſæculo repullulant hæreſes aptiſſimum; ad ſupremam ſummi Pontificis authoritatem, & ſacram Eccleſiæ Monarchiam contra impugnantes propugnandam, perquam vtilem & neceſſarium comperimus, dignum qui prælo mandaretur iudicauimus. Sic teſtamur infrà ſcripti in ſacra facultate Pariſienſi Doctores Theologi. Datum Pariſ. ſub manuali noſtræ ſyngraphæ hac die 22. Februarij 1623.

F. ÆG. DE AMORE,
Prior Prædicatorum.

F. MAVRICIVS BRACHET,
Doctor Regens.

PRIVILEGIVM REGIS CHRISTIANISSIMI.

LVDOVICVS DEI GRATIA FRANCORVM ET NAVARRÆORVM REX. Dilectis fidelibus noſtris Conſiliarijs, & alijs iuſtitiam exercentibus in noſtris Curijs Parlamentorum Pariſienſis, Rhotomagenſis, Tholoſani, Burdegalenſis, Diuionenſis, Gratianopolitani, Aquenſis, & Rhedonenſis; Seneſcallis, Præfectis eorum locorum, Vicegerentibus, & omnibus alijs iudicibus ac Magiſtratibus quibus libuerit, Salutem. Hactenus Reuerendiſſimo in Chriſto P. N. COEFFETEAV, ex ordine Prædicatorum Theologo Pariſienſi, & noſtro Oratori ordinario, multorum operum curam ſuſcipiendi præcepimus, quorum nonnulla fuêre prælo commiſſa, alia verò nec ſine beneplacito noſtro in re ſimili neceſſario ſuperſunt committenda. Nos ipſi Nicolao in vim præſentium manu noſtra ſubſcriptarum permiſimus, ac permittimus, vt tales quales velit, Bibliopolas, vel Typographos eligat, quibus libros omnes hactenus ab eo editos, & in poſterum edendos tali forma, charactere, volumine, vel ſine, aut cum accretione, & toties quoties ſibi placuerit, excudendi, vendendi, ac diſtribuendi intra decennium à prima die editionis computandum, facultatem faciat. Inhibentes propterea vniuerſis & ſingulis tum Bibliopolis, tum Typographis intra regni noſtri, aut locorum noſtræ ditioni ſubiectorum limites commanentibus; ne quis cuiuſcunque conditionis

Digitized by Goo

& qualitatis ille ſit, prædictos libros imitari, transformare, excudere, vel alio excudendos dare, aut etiam alibi impreſſos vendere, & diſtrahere clam vel palam, ſine ſpeciali dicti Nicolai, aut eorum priuilegio gaudentium, licentia præſumat, ſub pœna mille ducentarum librarum partim fiſco noſtro, partim ſupplicanti irremiſſibiliter applicandarum; ac inſuper damnorum omnium & impenſarum factarum cum librorum perperam ita excuſorum amiſſione. Mandantes idcirco dilectis noſtris Iudicibus, Magiſtratibus, Apparitoribus, & omnibus iuſtitiæ miniſtris, quatenus ad præſentium, vel ſimplicis exemplaris fideliſſimè cum his collati, quandocunque ab eodem Nicolao, ſeu pro eo cauſam agentibus fuerint requiſiti, pœnas prædictas contra quoſcunque inobedientes irremiſſibiliter exequantur. Nonobſtantibus oppoſitionibus, appellationibus, clamoribus de Haro, Cartulis Nortmannicis, in ius vocationibus, cæteriſque contrarijs quibus per præſentes renunciauimus & renunciamus. Volumus autem, quia multis in locis ijſdem præſentibus opus eſſet; quod earum tranſumptis, & in ipſo opere impreſſis ſigillo noſtro munitis, vel manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis eadem prorſus fides adhibeatur, quæ ipſis præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ & oſtenſæ: Volumus inſuper, ſi ſimplex exemplar initio aut in fine horum librorum apponatur, præſentium inſtar ſignificationis legitimæ effectum ſortiatur, ne quis poſſit ignorantiam profiteri; quia ſic nobis viſum eſt. Datum Pariſijs die 15. Februarij, anno Domini 1615. Regni noſtri quinto.

Sic ſignatum LVDOVICVS.

Et inferiùs per Regem DE LOMENIE.

PRædictus R. P. N. COEFFETEAV *nunc Maſſilienſis Epiſcopus deſignatus,* SEBASTIANVM CRAMOISY, *Bibliopolam Pariſienſem iuratum delegit, vt omnia opera ab eo compoſita & componenda excudat, vendat, excudenda, vendendaque quouis modo & ratione curet, & pro temporis ſupradicti mora, priuilegio, quod illi pro toto nec parte dictus N.* COEFFETEAV *ceſſit ac tranſtulit, gaudeat. Actum prima die Iunij* 1615.

Hæc prima editio perfecta fuit 1. Iulij. 1623.

Digitized by Google

INDEX CAPITVM ET ORDO

RERVM QVÆ IN HAC PRIMA PARTE IN duos diuiſa Libros, tractantur & diſcutiuntur.

Liber primus continet duodecim capita.

IN I. *Agitur de Eccleſiæ Capite, Vicarij capitis titulo & Chriſti influxu in Eccleſiam.*
In II. *De Apoſtolis, & præcipuis eorum muneribus.*
In III. *De ſumma poteſtate, quæ eſt penes Petrum, ex inſtitutione regiminis.*
In IV. *De Chriſti Vicario.*
In V. *De vero Primatu Petri.*
In VI. *De ſenſu horum verborum*, Tu es Petrus.
In VII. *Expenditur locus ille*, Tibi dabo claues.
In VIII. *Expenduntur verba*, Paſce oues meas.
In IX. *De prærogatiuis Petri & noui nominis impoſitione.*
In X. *De teſtimonijs Patrum pro Primatu Petri.*
In XI. *Explicatur diligenter locus* Reges Gentium dominantur.
In XII. *De Monarchia Eccleſiaſtica.*

Capita libri ſecundi ſunt etiam duodecim.

In I. *Inter Miniſtros Chriſti vnum ſupremum eſſe, oſtenditur.*
In II. *Tractatur de Epiſcoporum creatione & conſecratione.*
In III. *De diſcrimine inter Epiſcopum & Presbyterum.*
In IV. *De Sacramento Ordinis.*
In V. *De poteſtate Epiſcoporum.*
In VI. *Refellitur æqualitas quam ponit Spalatenſis tùm inter Apoſtolos tùm inter Epiſcopos.*
In VII. *De amplitudine poteſtatis Epiſcopalis reſpectu locorum.*
In VIII. *De erectione nouorum Epiſcopatuum.*
In IX. *De Canonicis, Parochis, & Chorepiſcopis.*
In X. *De Cœlibatu ſacrorum Miniſtrorum.*
In XI. *De lege continentiæ ſacris ordinibus annexa.*
In XII. *De ſtatu Monachorum, ac de voto ſimplici & ſolemni.*

Digitized by Google

D Du Monstier
pinxit
C I Mellan. fe

PRÆFATIO.

AVDIO magnum Regem Puritanis, hoc eſt impuriſſima ſectæ hominibus, grauiter infenſum, quòd Regni ſui Antiſtites acerbiùs vexarent, & ferociùs infectarentur, ſeriò pronunciaſſe illos qui Epiſcoporum ordinem tam diris odiis proſequerentur, atque etiam de medio ſublatum cuperent, vnâ eadémque operâ id moliri, vt conuulſo terrarum ſtatu nulli quoque in toto orbe ſupereſſent Reges. *Sapienter id quidem, & pro acri tanti Principis ingenio: Verùmenimuerò ſi quod verum eſt fateri licet, potuit poſitis tàntiſper odiis aliquantò pleniùs, adeóquo propiùs ad rem pronunciari,* eos qui ſummi Pontificis ſupremam in Eccleſia auctoritatem conuellerent, perdèndis quoque Regibus ac euertendis Sceptris viam munire. *Ad hunc enim modum inter duo ſumma Capita, vnum Eccleſiaſticum, alterum Politicum, inſtituta comparatione res meliùs cohærere videntur, atque oratio ipſa citra omnem diſſimulationem aut circuitionem ſeſe in animos inſinuans dat ſe in lucem apertiùs, pleniorémque ſui fidem facit. Et quidem ſi omiſſis prioribus illis ſanctioribus atque mitioribus ſeculis, quibus homines fidem rectúmque colebant, in iis acquieſcamus in quibus in Sedem Apoſtolicam hæreticorum odia exarſerunt, deprehendemus omnes omnino Hæreſiarchas, qui Pontifici bellum nefarium indixerunt, in Principes quoque & Monarchas ſtylum & ferrum conuertiſſe, magnarúmque cladium regnis auctores fuiſſe. Exemplo nobis primum ſit Vuicleſus Angliæ cothurnus, ac egregius ſui dogmatis diſſimulator. Is irarum in Pontificem æſtro percitus, horrenda multa in eum euomuit, atque per ſummum ſcelus tanquam merum Antichriſtum ac Eccleſiæ tyrannum, de Sede deturbandum impudenti ore pronuntiauit. Numquid igitur clementiorem ſe aut mitiorem in Reges prodidit? Certè extat eius ſceleratum dogma, quo admiſſo actum eſt de rerum Dominis Regibus*; Nullus, *inquit*, eſt Dominus, dum eſt in peccato mortali. *Item & hoc aliud non melioris farinæ*; Vbi leges

In collatione apud ædes regias dictas Hamptoncourt.

Walſingham ad annum 1385. in Richardo II.

†

humanæ nòn fundantur in Scriptura ſacra, ſubditi non tenentur obedire. *Afflauit peſtilens dogma inſulæ incolas, & miras in toto regno excitauit tragœdias. Vbi enim ille concitatæ multitudinis temeritatem ſacroſanctarum Scripturarum auctoritate armaſſet, protinus exceſſit reuerentia animis, atque inſana concio tumultuantis plebis non ſolùm in Epiſcopos, quos illi trucidare luſus fuit, ſed in Regem ipſum & regni Proceres vim parauit, & arma miniſtrante furore viſæ faces & ſaxa volare, adeo vt Rex ipſe periculum capitis adierit, dum exorientem ſeditionem reſtinguere conatur. Non ſunt hæc à nobis conficta, ſed à fideliſſimis Hiſtoriæ ſcriptoribus literarum monumentis conſignata, qui ipſum Vviclefum* organum diabolicum, hoſtem Eccleſiæ, vulgi confuſionem, hæreticorum idôlum, hypocritarum ſimulachrum, ſchiſmatis inſtauratorem, mendacij promptuarium, adulationis ſentinam, *indigetant ac deſcribunt. E ſchola Vviclefi tanquam ex equo Troiano prodierunt Hieronymus de Praga & Ioannes Hus, qui primùm exagitato Pontifice, & magnos ipſi motus in regno Bohemiæ exciuerunt. Neque verò ſumptum in Concilio Conſtantienſi de ſceleratis ſupplicium excitatum incendium reſtinxit. Nam quos illi in errorem induxerant parentes ſuos imitati, ducemque nacti Ioannem Ziſca famoſum latronem Venceſlao Bohemiæ Regi turbas excitarunt, quibus oppreſſus præ animi dolore diem clauſit extremum. Cúmque Imperator Sigiſmundus defuncti Regis frater regnum ſibi tanquam iuſto hæredi debitum occupare conaretur, magna bellorum moles extitit, & hæretici ſenſim quadraginta millium hominum collecto exercitu bellum ei intulerunt, ac ſacra, templa, bonaque omnia violarunt, prophanarunt, expilarunt.*

Idē Walſ. in hypodigmate Neuſtriæ ad an. 1381.

Ruſtici & communes homines manus infimæ inſurrexerunt contra Regem & Proceres, & peremerūt plurimos furiosè. Vide Antiquitates Britānicas ad annum 1381.

Walſingham in hypodigmate Neuſtriæ.

Hußitas excepit Martinus Lutherus, fax & peſtis Germaniæ. Is primùm adeo ſe dirum hoſtem Pontifici præbuit, vt ſumma impudentia ſcelerata hæc verba cartis inſcribere auſus ſit homo perfrictæ frontis: Viuens Papatus hoſtis ero, exuſtus bis hoſtis ero. *Quicquid enim irarum perditiſſimus nebulo in ipſo conuiuiorum & calicum æſtu conceperat, id totum in Pontificis caput effundendum ſibi duxerat. Inde illa mendaciorum portenta,* Papatus eſt robuſta venatio Romani Epiſcopi. Papatus eſt principis ſatanæ peſtilentiſſima abominatio quæ ſub cælo fuit, aut futura eſt. *Numquid igitur qui tam inclemēter Pontificem excepit, abſtinuit à Regibus vexandis? Minimè verò. Vnus in potentiſſimum Anglia Regem Henricum VIII. ſcriptus Libellus, totus δοκησισοφίας, tot improbis ſcommatibus refertus eſt & confarcinatus, vt agrè diuinare poſſis belluáne loquatur an homo. Præterquàm enim quòd eum Angliæ Pharaonem indigetat, hæc in eum conuiciorum plauſtra exonerat.* Neſcias, *inquit*, an ipſa mania ſic inſanire poſſit, aut ipſa ſtoliditas tam ſtolida ſit, quàm eſt caput hoc Henrici noſtri; fortè vt verum faciat prouerbium, Aut Regem aut

Luth. Lib. aduerſus Henricum VIII. edito, Tom. II. operum.

Lutherus aduerſus Regem Angliæ.

Digitized by Goog

fatuum naſci oportuit. *Ne cui verò dubium foret vnde tam magnos ſpiritus in potentiſſimum Principem ſibi ſumpſiſſet imbellis homuncio, id quoque luculenter teſtatum voluit.* Si, *inquit*, idolum Romanæ abominationis propter Chriſtum conculcaui, quod ſeſe in locum Dei ſtatuerat, Magiſtrúmque Regum & totius mundi fecerat, quis eſt iſte Henricus nouus Thomiſta, diſcipulus duntaxat tam ignaui monſtri, vt virulentas eius blaſphemias honorem? *Vt iam intelligas ab exagitatione Pontificis ad infeſtationem Regum gradum ſibi feciſſe hunc perduellem. Sed cum aduerſus externum Regem vltra iurgium non proceſſiſſet, multò impotentiùs contra Cæſarem Dominum ſuum debacchatus eſt. Nec contentus violaſſe maieſtatem, Edicta pedibus conculcaſſe, ſuſceptam aduerſus Turcas expeditionem, in Mahometis credo gratiam, & damnaſſe, & pro viribus retardaſſe, Principibus ſuæ perſuaſionis auctor fuit, vt in ipſum arma mouerent; eóque rem perduxit flagitioſus homo, vt vno eodemque fermè tempore & à Catholica Eccleſia, & ab Imperatore vniuerſa deficeret Germania.*

Succeſſit Luthero Caluinus procella Galliæ, turbo pacis atque otij Europæ, qui præceptoris ſui veſtigia premens primum ſibi vexandum Pontificem duxit, vt gradu per ſcelera facto, & Regum quoque ipſe ſolia concuteret, atque patriæ ſuæ perniciem machinaretur. Sanguinariam ergo ille condidit ſectam, quæ florentibus Gallia rebus criſtas erigere haud auſa, tandem per teneram Franciſci II. & Caroli IX. ætatem graſſandi occaſionem nacta, Chriſtianiſſimum regnum bellis ciuilibus attriuit. Vbi enim in florentiſſimo regno illa deſæuiit tempeſtas, æquata ſolo templa, euerſa altaria, effoſſa ſepulcra, trucidati Dei ſacerdotes, ſtuprata ſacræ virgines, ſupplicia Catholicis illata, ſtrages editæ, & Rex ipſe Carolus IX. non ſolùm inſidiis appetitus, ſed & aperta vi oppugnatus eſt. Lecti ſcilicet milites, vrbes ademptæ, exercitus in aciem educti, ac poſtremò cum Regis copiis apertis campis ad Druidum vrbem, ad fanum Dionyſij, ad Moncontursium, ad Iarnacum (quatuor hæc prælia lepidè noſtri quatuor Reformationis generales Synodos vocánt) pugnatum eſt, nimirum ſub obtentu Religionis, quæ tantum potuerit ſuadere malorum. Sed non ſe continuit intra fines Galliæ hæc lues, peruaſit & ipſos diuiſos toto orbe Britannos, nec minores tragœdias quàm in reliquis Europæ angulis apud illos excitauit. Omitto lubens factas in Philippum & Mariam coniugem legitimam regni hæredem coniurationes, ſed ſuperat omnem & credulitatem & crudelitatem, quod in ſe necdum in lucem editum admiſſum volens nolens conqueritur magnus Rex. Pertæſi enim Caluiniſtæ Imperij charißimæ parentis Mariæ, quæ regium partum ſuis temporibus regni habenas moderaturum aluo geſtaret, illam vnà cum tantæ ſpei pignore de medio tollere ſtatuerunt, ac niſi prudens Regina eorum conatus ſumma ſolertiâ fruſtrata eſſet, de vtriuſque vita actum erat, adeoque ſereniſſimum Iacobum nondum natum per-

emiſſent profligati & perditi ſiccarij. Impij facinoris memoriam clementißimus Princeps abolitam voluit, & ne vel verbo vel ſcripto retaliatæ iniuriæ argui poſſet, aut etiam læſæ reformatorum æſtimationis inſimulari, è libris ſuis eradendam duxit. Verùm cùm non ſuam, ſed omnium Regum cauſam hic agi cerneret, poſteritatem ſcire voluit quo animo in Principes eſſent iſti reformatores, ductoque penicillo ita ad viuum eos expreßit, ac ſuis coloribus depinxit, vt nullas Apelles potuerit melius hanc tabulã ornaſſe. Hic, *inquit de reformatione in Scotia facta agens,* è miniſterio homines nonnulli præcipites, ignei, audaces, in hac humanarum diuinarumq; rerum confuſione tam gratioſi ad plebem facti ſunt, vt deguſtata dominationis dulcedine cœperint Democraticam Reipublicæ formam ſibi ſomniare, & primò auiæ, deinde matris meæ ſubuerſione elati (& nimium ſanè blandiebatur iis ſucceſſus) poſtremò pupillari mea ætate ad Democratiæ ſuæ ſtabilimentum diu abuſi, iam poteſtatem Tribunitiam ſpe certa deuorauerant; vt in populari Republica cùm plebem quò vellent facilè circumducerent, omnium negotiorum momenta ſoli temperarent. Itaque nulla in mea pupillari ætate vel poſt ſeditio cõtigit, quin hos homines ſui furoris & amentiæ patronos ſeditioſi facere conati ſint. Crebræ aduerſus me in tribunitiis concionibus calumniæ ſpargebãtur, non quòd crimen aliquod deſignaſſem, ſed QVIA REX ERAM, quod omni crimine peius habebatur. Ac quoniam hanc odij cauſam palam profiteri pudor erat, ſollicitè in vitam meam moreſque inquirebant, minima quæque errata augentes in immenſum, rumoribus etiam falſis ad calumniam arreptis. Et quanquam omninò videri volebant culpam ab officio, & vitium ab homine diſtinguere, larua tamen incautis decidebat, & conſilia quæ tanto ſtudio tegebant ſuo prodebant indicio: nempe omnes Reges & Principes Eccleſiæ libertati eſſe inimicos, & iugum Chriſti non ferre æquanimiter. Hac doctrinæ ſalubritate ſuos illi greges paſcebant. *Neſcio an hanc infamiæ labem à ſummi iudicij Principe impreſſam ſuſtinere poßit arrogantißima Miniſtrorum factio. Certè eam eluere aut abſtergere nulla poterit vetuſtas, ſed nati natorum, & qui naſcentur ab illis, conſpecto hoc à regia manu ad ſempiternam ignominiam inuſto ſtigmate, continere ſe non poterunt, quin illud Scripturæ vſurpent & occinant,* Diuinatio eſt in labiis Regis, in iudicio non errabit os eius.

Baſilic. don. lib. 1.

Prouerb. 16.

Hæc cùm apud me repeto, ſubit mirari, vnde tanta ſtoliditas, vnde tantus ſtupor animorum, vt qui ſe obſeruantißimos & amantißimos Regum prædicant, nullos iam maiori charitate complectantur quàm qui ſe Pontificis acerrimos hoſtes profiteantur, & ſacroſanctam poteſtatem virulentis conuiciis inceſſant. Neque verò mirus hic furor ſolos improbos inuaſit, ſed etiam eos qui inter bonos, ſi Superis placet, cenſeri volunt, molliores ſcilicet Catholicos, qui ſocietate ſceleris ſe im-

plicantes, Pontificum quoque maſtiges & ipſi ſuſpiciunt, colunt, ac demereri ſtudent, cùm tamen tam præclaro regiæ vocis teſtimonio ab his peſtibus non minus mali impendeat Regibus quàm Pontificibus, quorum vt imperium detrectant, ita Regum iugum excutere moliuntur, vt ea demum libertate frui poſſint, qua ſe à Chriſto donatos fanatici homines gloriantur. Id ſcilicet ſpectandum fuit Anglis, cùm Marcum Antonium de Dominis hominem ſine fide, ſine ſede, ſine lare, ſine numine, ore, lingua, manu, omni vita inquinatum, Deo hominibuſque inuiſum, ſinu ſuo exciperent; ac cogitandum tam dirum ac acerbum Pontificiæ dignitatis hoſtem, impotentibus conſiliis inſtructum, non minores iras coquere aduerſum Reges, aut ſaltem vel imprudentem par eis cum Pontifice exitium moliri. Planè verum eſſe quod ſcripſit eximius fidei Catholicæ propugnator, ipſi nos docuerunt. Cæca enim malitia eſt, & incircumſpecta animi prauitas, vt quæ non intelligat ipſam ſuas contra manus acuere, veluti ſi quis ſerpentem manu apprehendat vt alteri iniiciat, quod fieri non poteſt quin ipſe priùs mordeatur: aut ſi quis ignem manu ſumat vt hoſtem lædat, interim non animaduertat ſeipſum comburi. Ita ipſa malitia contra ſui vſurpatores militat, eoſque qui ipſam tenent magis quàm illos, in quos noxam parant, conſauciat. *Si quidem dum vlciſcendi ſe de Pontifice libidini plus æquo indulgent, ad impendentes regnis & Regibus tempeſtates oculos claudunt, & Monarchiæ hoſtem non efficiunt, ſed natum ſuis opibus iuuant, honoribus augent, ac in theatrum inducunt, vt hiſtrionica quadam licentia occentet, impotenter in Pontificem inuehatur, & inſtitutam à Chriſto poteſtatem homo extorris & ſuo ſcelere profugus proſcindat & dilaceret? Quæ, malum! eſt iſta dementia, eo te ſcelere imbuere & inuoluere, ex quo ad te non alius ſit rediturus fructus, quàm vt in id, quod te auerſari ſimules, imprudens incurras? Sed quod maximè dolendum eſt, patet ei Regiæ ianua, communicatur panis, ſtipendia numerantur, ſpeſq; adduntur ingentes, quæ hominem ſtultum magis infatuēt, quæq; veluti ſtimuli quidā exulceratum iam animum, & inimicitiarum in Pontificem odio inflammatum acriùs pungant, vrgeant, exaſperent, & exacerbent. Sæculo Tiberij cùm incederet deterrimo cuique licentia impunè probra & inuidiam in bonos excitandi arrepta imagine Cæſaris, libertique etiam ac ſerui patrono vel domino cùm voces, cum manus intentarent, vltrò metuerentur, non tulit magnus Senator, ſed de peſtilentiſſimo more grauiter diſſeruit.* Principes quidem inſtar Deorum eſſe, ſed neque à Diis niſi iuſtas ſupplicum preces audiri, neque quemquam in Capitolium, aliaue vrbis templa perfugere, vt eo ſubſidio ad flagitia vteretur. Abolitas leges & funditus verſas, vbi in foro, in lumine Curiæ probra ſibi & minæ intenderentur, neque ipſe auderet ius experiri ob effigiem Imperatoris oppoſitam. *Quàm igitur meliori iure apud æquiſſimum Regem conqueri, ac factam Pon-*

Athanaſius in Crucem & Paſſionē Domini.

Τυραὶς γὰρ ἡ ἐχθρὰ, καὶ ἀσεβέστατον τὸ πνεῦμα. καὶ ἑαυτὰς μὲν χρηταὶ ἀκόλουθοι ἡγοῦνται. εἰσὶ γὰρ οἱ τὸ ὄφιν λαβεῖν ὁπλόμενοι, ἢ θῆλυν [καὶ] ἐπίτηδες ἁλῶναι, πάντως ἂν τὸν ἰδιάζοντα. ἢ ἐὰν πῦρ τις λάβῃ χρατῶν, ἢ θῆλυν τὸν ἐχθρὸν ἀδικῆσαι, ἀγνοῶν ὅτι πάντως αὐτὸς κατακαήσεται, οὕτως ἡ ἐχθρὰ καὶ τῷ χρωμένῳ αὐτῇ χρατοῦσα, ἢ μᾶλλον ἀδικεῖ τὸν χρώμενον, ἢ πρός τινα ἄλλον αὐτῷ ἀντιτάσσεται θέλουσα.

tifici & Eccleſia iniuriam poſſumus expoſtulare? En enim Marcus Antonius parabata & deſertor arrepta magni Regis imagine, hoc eſt regij nominis auctoritate veluti vmbone protectus, per ſummum ſcelus audet Imperatorem ac Patronum ſuum Pontificem Maximum laceſſere, traducere, ac omnis generis ludibriis dehoneſtare. Velit enim nolit Marcus Antonius de Dominis Pontificis Beneficiarius eſt, & ipſe ſanctioris dignitatis fulgor, quo ſe maximè oſtentat vt ſimpliciorum perſtringat oculos, à Pauli V. aut certè à deceſſoris ſui Clementis liberalitate & munificentia radios ducit, & lucem mutuatur. Reddat igitur beneficium quod accepit, aut deſinat eſſe in patronum contumelioſus. Ponat has infulas, & vt Epiſcopum exuit, exuat quoque & omnem iſtum Pontificium amictum, qui deſertorem non ornat, ſed infamat, & bonorum omnium exponit ludibrio. Quid infulas & Pontificium amictum dico? Ecce, Marce Antoni, pia parens Eccleſia à te tanquam ab ingrato & conſcelerato filio, qui caſtiſſimam virginem probri inſimulare, & veluti meretricem ac vile ſcortum traducere auſus ſis, veſtimentum Chriſti, & ipſum Chriſtiani nominis decus iure ſuo repoſcit, ac vt munus ſuum repetit. Audi illam ſanctiſſimi Hieronymi te verbis compellantem. Si te, *inquit*, Angelus aliquis aut Apoſtolus rebaptizauit, non infringo quod ſequeris. Si verò in ſinu meo natus, ſi vberum meorum lacte nutritus aduerſum me gladium leuas, redde quod dedi, & eſto ſi potes aliter Chriſtianus. Meretrix ſum (*id ſcilicet quanquam falſiſſimum peruicacia tua concedo*) ſed tamen mater tua ſum. Non ſeruo vnius thori caſtitatem, talis eram quando conceptus es. *Sed vt vt illa noſque ſurdis occinamus, impetrare à nobis non poteris vt te pro Epiſcopo colamus. Imò ne tu, Marce Antoni etiam mentionem facis Epiſcopatus tui? aut te fuiſſe in Romana Eccleſia Epiſcopum dicere audes? Quid? tu in veſte, in amictu, Epiſcopatum eſſe putas? Animo eſſe Epiſcopum oportet, fide, grauitate, innocentia, vigilantia, cura, toto denique munere Epiſcopatus, omni officio. Magnum nomen, magna ſpecies, magna dignitas Epiſcopi: non capiunt anguſtia pectoris tui, non recipit leuitas iſta, non egeſtas animi, non infirmitas ingenij ſuſtinet, non inſolentia exilij tantam perſonam, tam grauem, tam ſeueram. Obſeruaſtine pie Lector poſitam in veſtibulo Operis ſuperbam imaginem Epiſcopum referentem? Certè non magis eſt Epiſcopus quàm pictus homo eſt homo. Perſeuerat quidam in eo caracter, quem nulla perfidia aboleuerit, ſed vt in deſertore qui à caſtris magni Imperatoris defecerit perſeuerat, & ad ludibrium manet. Cum igitur in eam tabellam intueor, barbam, vt aiebat ille, me videre fateor, ſed Philoſophum me videre nego. Cerno pileum in morem Romanum formatum, cerno lineum ſuperlicium, & (ſi crucem Tartari miniſtris formidandam, & annulum illibatæ fidei, quam non ſeruat, ſymbolum excipias) reliqua Pontificij amictus ornamenta conſpicio. At Chriſti*

Hieron. ad-uerſ. Lucifer.

Antistitem, qui norit animam ponere pro ouibus, non aduerto, nec vlla eius effigies in oculos incurrit, Sed velut hostia consumpta, sola pellis supereſt animalis quod olim aliquando fuerat indicium; *Ita hic Episcopi præter inane nomen habet nihil. Ea enim est conatus, quibus patefactis nullam sibi in posterum non modo dignitatis, sed nec æstimationis quidem partem reliquit. Quis namq; eum pro Episcopo iam habeat, qui in* Pontificem Maximum Episcoporum Episcopum *adeò furiosè debacchatur, qui vt de nouo Iuda Dioscoro conqueritur magna Synodus Calcedonensis,* Et contra ipsum, cui vineæ custodia à Saluatore commissa est, extendit insaniam. *Qui in sanctissimum Paulum V. insurgit, sacramque potestatem probrosis ludibriis proscindit ac diuexat? Quis iam eum pro Episcopo habeat, qui omne odium nefariis sensibus impiorum inclusum in Vicarium Christi profundit? Qui illum, quem, si in eo aliquis sensus esset humanitatis, tanquam optimum parentem colere debebat, contumeliis onerat? Quis iam pro Episcopo eum habeat, qui immemor dignitatis suæ, damnata auita religione Caluinianus, Zuinglianus, & Sacramentarius audit? qui orco sepultas hæreses excitat, ac mordicus defendit? qui in infamem illam suam Rempublicam inexpiabiles religiones inducit? Detraxistis Angli veteri fabulæ fidem, nec iam per vos nobis licet assentiri differentibus insulam vestram lupos non habere. Alit enim, fouet, imò in vlnis complectitur Lupum quàm maximum istum Marcum Antonium de Dominis, qui caulas Domini insana rabie infestat. Imposuit ille vobis, & callido artificio subegit, scilicet ne dentium pertimescere tis aculeos, lanarum obtendit mollitiem, ouemque se simulans rapacissimum lupum in oras vestras inuexit. Flagrantibus inter Iudæos & Samaritanos odiis,* Siquis apud Hierosolymitas aut illiciti cibi sumpti, aut violati Sabbati, aut similis criminis reus ageretur, ad Sicimitas confugiebat, calumniam se passum dictitans. *Ita ille, sanctissimis Ecclesiæ institutis fœdè proculcatis, quòd multorum criminum sibi conscius esset animus, vela dedit retrorsum, insulam vestram Romano nomini & Catholico dogmati inimicam respexit, atque ratus* nullibi faciliùs profici quàm in castris rebellium, vbi illic ipsum esse promereri est, *ad eam tanquam ad tutum transfugarum nostrorum portum & asylum confugit, hoc turpitudini suæ velum obtendens, & excusationem prætexens quòd calumnias à nostris passus esset. Egregiam verò causam dementissimi consilij & facti! Egregiam rationem deserti gregis, cui exitium à lupis ipse lupus timere se simularet. Turpis est Gubernator qui leuiores ob istas causas fluctuantia vela deseruit. Et tamen hoc quoque somnium est Marci Antonij, quem de miseræ, fœdæ, ac turpis fugæ suæ causis differentem delirare diceres, ac quid loquatur nescire, adeò ineptè eas fingit ac refingit. Namque cùm reo modum verborum tenere sit impossibile, multa ad se excusandum ad-*

Synesius Epist. 135. Καὶ τῷ δεσπότῃ τῶν ἱερέων διαπεφευγέναι τὸ δίκτυον λείπεται, γράσεται τὰ πάλαι πατρῷα ζώων.

Patres Concilij Calcedonēsis Epist. ad Leonem. Καὶ κατ' ἀκρίβειαν τῶν ἐμπίπλαντων τὸν τυραννικὸν πυρὸν τῶν σωμάτων ὀπτήρων τῶν μαθητῶν ἐξέστησαν.

Ioseph. Antiq. Iudaic. lib. XI. cap. VIII. sub finem. Εἰ τὸ αἴτιον ἴσχε παρὰ τῶν ὑπερβαλλόντως καινοτομίας, ἢ ἐκ τῶν ἐκκλησιαστικῶν, ἢ παρ' ἄλλου τινὸς ἁμαρτήματος παρὰ τῶν Σικιμιτῶν ἐπιλαμβάνων ἀδίκως ἐκπολιόρκει.

Tertull. de Præscriptione aduersus hæreticos.

Digitized by Google

fert, qua eum magis irretiant, & faſtum, ambitionem, auaritiam, iram, improbum odium, & nefandas cupidines amplius ac amplius prodant, & in ſolem efferant. Sed nolim hanc camarinam mouere, ne homini ſuperbo ſimul & procaci aliena gloriæ obtrectanti in aſſerenda ac tuenda propria fama negocium faceſſam, à quo ſe facilè expedire non queat. Vtinam verò ſeſe flectat, & ad ſanctiores illos Epiſcopos maiores ſuos reſpiciat! Vtinam inſtar prodigi in ſe reuerſus pœnas Apoſtatarum vel tantiſper meditetur, & excutiat, vt eorum penſato exitu, hanc infamem labem ſeria pœnitentiâ aliquando abſtergat & aboleat. Occurrunt paſſim in Hiſtoria Eccleſiaſtica, cuius ille ſe minimè rudem profitetur. Occurrit & in Euangelio horrendus proditoris caſus, qui nodum infelicis lethi trabe nectens ab alta laqueo vitam finiuit, &
Act. 1. v. 18. medius crepuit, *vt documento eſſet infelicibus Apoſtatis & deſertoribus, quis eos finis maneret. Tete miror, Marce Antoni, quorum facta imitere, eorum exitus non perhorreſcere. Sed lubet à laceſſendo homine abſtinere. Neque enim volentes pugnamus, ſed vltrò prouocati repugnamus. Atque ſi quid excidit quod acerbius in eum dictum à nobis videri poſſit, id iuſto noſtro dolori & hominis impudentiæ deputandum. Mitiori enim ſumus ingenio, quàm vt in aliis inceſſendis nobis placeamus. Atqui & ipſæ apes dulcioris ſucci artifices mella ſua & fauos pungentibus aculeis propugnare ac defendere ſolent. His omiſſis inuolemus & inuadamus in arcem cauſæ, & Scripturarum ac veneranda antiquitatis auctoritate freti, oſtendamus à furenti hoſte tela inaniter iactata, & in ventos emiſſa. Congeſſit quidem ille omnia Lutheri, Caluini, Martyris, Zuinglij, Pleſſei argumenta, vt veritatem opprimeret & obrueret; Sed facilè concidet tota illa argumentorum moles, atque vno Sole Eccleſiæ omnes propoſitionum eius riuulos ſiccabimus, palámque faciemus tam eum quàm reliquos Eccleſiæ aduerſarios in ſolidiſſimam rupem incurriſſe, & vitreis illis ſuis machinis nihil illam laſiſſe aut commouiſſe.* Hæc ſanè eſt illa Petra, (*Petri Sedem, quam ſibi & occulta fraude opprimendam, & aperta vi oppugnandam ſuſceperunt, intelligo*) quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ. *In hunc ſcopulum impactus infringet ſeſe ac diſſoluet Marcus Antonius.*

DISCVSSIO

Digitized by Goog

DISCVSSIO
PRIMI CAPITIS
LIBRI PRIMI.

CONSPECTVS CAPITIS I.

Dignitas ſummi ac præcipui Capitis Eccleſiæ Chriſto vindicata. Vicarij Capitis titulus Petro Petríque ſucceſſoribus Romanis Pontificibus aſſertus: Authoritate Patrum tum Græcorum, tum Latinorum firmatus. Diluuntur obiectiones Spalatenſ.

Chriſtum in viuis agentem, atque in cœlis regnantem, ac ſempiternum Sacerdotium obeuntem ſucceſſorem non admittere Vicarium habere. Eius in Eccleſiam influxus explicatus. Verè fuiſſe Caput Eccleſiæ cùm in terris degeret pluribus oſtenditur.

QVI de Republica Eccleſiaſtica, ſicut de purè humanis, philoſophantur, mihi videntur non parum à recto tramite aberrare; non modo quia in eo requirunt veram iuriſdictionem, hoc eſt vim coactiuam, & ſubiectionem externam, vbi tamen omnis gloria eius ab intus; & præcipuum Eccleſiæ proprium regimen fide, ſpe & charitate, aliiſque internis Spiritus donis penè totum abſoluitur, vt poſtea lib. 5. docebo; ſed multò magis quia putant vt in humanis abſente Rege, & Reip. gubernatore, ſicut etiam eo ex humanis ſublato, alium eſſe eidem ſubrogandum, qui abſentis ſeu demortui vices omnino ſuppleat, eadem regiminis forma prorſus retenta. Nos verò Chriſtum dicimus neque inter abſentes, neque inter mortuos reputandum. Ecce enim (inquit ipſe) Ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſæculi, ille nimirum qui etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute Dei, Chriſtus enim reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur. SPALAT. Num. 1. Pſal. 44. Matth. 28. 2. Cor. 13. Rom. 6.

HISTORIARVM monimentis proditum eſt Tarquinio Rege, Romæ in fundamentis templi quod ille moliretur, ac de manubiis Gabiorum erigeret, fortè fortuna repertum humanum caput quo ſpectato, *non dubitauerint cuncti Monſtrum pulcherrimum, imperij ſedem, capútque terrarum promittere.* Facit ipſa nobiliſſimi portenti ſpecies quæ Romanorum animos in ſummam ſpem erexit, vt facilè mihi perſuadeam pulcherrimam fore, nec lectoribus iniucundam quam de *Capite Eccleſiæ* initio huius Operis inſtituimus diſputationem; Siquidem tota verſatur in tuendo adeóque ornando Petro, cuius opera, ſingulari verò Chriſti beneficio, id eſt Roma conſequuta vt nouo potentiæ fulgore colluſtrata, atque totius orbis Chriſtiani caput effecta, *latiùs* vt Flor. lib. 1. cap. 7.

Digitized by Google

Serm. de SS. Petro & Paulo.

quidam magnus Leo loquitur, *præsideret religione diuina quam dominatione terrena.*

Antequam autem aggrediar ad ea quæ hac de re sunt à defertore disputata, operæpretium fuerit, quædam annotasse quæ sunt sapientissimè & diligentissimè à Patribus obseruata. Magnorum igitur Patrum doctrina est Christum sapientiam Patris ea esse in homines charitate vt vni sibi proprios titulos, & in his ipsum Dei admirabile nomen mortalibus seruis communicare non dedignetur. Egregiè Basilius homilia de Pœnitentia,[a] *Dignitates suas Iesus largitur aliis. Largitur autem eas, nec illis spoliatur, sed nihilominus habet ea quæ dat: Lux est. Vos estis lux mundi, inquit. Sacerdos est, & facit sacerdotes. Ouis est & dicit, Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum: Petra est, & Petram facit. Quæ sua sunt largitur seruis suis.* Similia habet Hieronymus ad caput sextum Matthæi; cùm enim incidisset in illa verba, *Tu es Petrus & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam:* vt omnem scrupulum communicati Apostolo nominis *Petræ* quod proprium videretur esse Christi eximeret, hoc commentario locum illustrandum duxit. *Sicut*, inquit, *ipse lumen Apostolis donauit vt lumen mundi appellarentur, cæteráque ex domino sortiti sunt vocabula, ita & Simoni qui credebat in Petram Christum Petri largitus est nomen, & secundum metaphoram Petræ, rectè dicitur ei, ædificabo Ecclesiam meam super te.* Cyrillus vtrumque imitatus eadem tradidit ad illa verba Esaiæ,[b] *Semen tuum Gentes hæreditario possidebit, & ciuitates vastatas inhabitabis. Plurimorum*, inquit, *virorum sanctorum & bonorum mater ac nutrix Ecclesia gentium fuit ac multos principes atque præfectos populorum peperit: adeò vt multis gentibus dominaretur, eò quòd illibatum mystagogiæ sermonem tradere potuit, & artificio pascendi non caruit. Quibus etiam ipse Seruator vt qui laudatam & probatam vitam traduxerant, sortem promittit & in omne tempus futurum imperium populorum. Etenim in talentorum distributione, his qui duplicatum attulerunt quod datum erat, Supra decem ciuitates eris, inquit. Alteri; Eris supra quinque ciuitates. Semen ergo tuum hæreditario possidebit gentes. Conuenire potest hoc vt iam dixi præfectis Ecclesiarum; qui etiam præ magno gaudio dicunt: Subiecit populos nobis & gentes pedibus nostris. Elegit nobis hæreditatem suam. Sors enim est quæ soli & verè quadrat Christo, maximè præesse, ac præcipere vniuersis. Propterea nemini præcepit dicere Rabbi: Vnus enim est, inquit, præceptor vester, Christus. Sed quemadmodum cùm ipse lux sit vera, lucem vocauit sanctos Apostolos, & vt ipse natura & solus verè filius, nobis in ipsum credentibus potestatem dedit patrem vocandi Deum, vtpote qui dignitate ac iure filij locupletamur; sic etiam ipse cùm sit vniuersorum præceptor & sortitò habeat orbem terrarum, hoc dedit sanctis, eos coronans sua gloria, quia ipsius cooperarij & extiterint & ingenui ac germani populorum moderatores, multos lucrati fuerint, adductis his per fidem qui creaturam supra ipsum coluerunt, & viam vitæ præstantissimam non cognouerunt.* Ad hanc amussim si suam scriptionem exegisset Marcus Antonius, nequaquam impietatis arcessendos nos duxisset, quod tum Petro tum etiam Petri successoribus *capitis Ecclesiæ* dignitatem tribuamus, sed piissimorum ac doctissimorum Patrum exemplo adductus Domini liberalitatem quoque deniratus fuisset, qui pro infinita illa sua bonitate, & in homines propen-

[a] Basil. hom. 28. de Pœnitent. Χαρίζεται ἑαυτοῦ τὰ ἰδιώματα, ἀλλ' οὐκ ἀφαιρεῖται. ὑμεῖς ἐστὲ τὸ φῶς τοῦ κόσμου. ἰσχυρὸς ἐστι. παντὶ ἐφίεται. ἀφίεται ἐστι. ἰδοὺ ἀποστέλλω ὑμᾶς ὡς πρόβατα ἐν μέσῳ λύκων. πέτρα ἐστί. πέτραν πιστοῦ, ᾧ τὰ ἴδια χαρίζεται, τοῖς δούλοις.

[b] Cyrill. comment. in Esaiam lib. 5. tom. 2. c. 54. ex Vatic. Cod. Ἀλλ' ὥσπερ φῶς ὑπάρχων ἀληθινὸν τοὺς ἁγίους ἀποστόλους, καὶ ὥσπερ αὐτὸς φύσει υἱός, καὶ μόνος ἀληθῶς υἱὸς δίδωκεν ἡμῖν ἐξουσίαν τοῖς πιστεύουσιν εἰς αὐτὸν πατέρα καλεῖν τὸν θεόν, οὕτω καὶ αὐτὸς ὑπάρχων τῶν ὅλων δεσπότης καὶ καθηγητὴς τῶν ὑπ' οὐρανὸν, δίδωκε τοῖς ἁγίοις τὸ χρῆμα δόξῃ τῇ ἰδίᾳ στεφανῶν αὐτούς, ὅτι συνεργάται γεγόνασιν αὐτῷ, καὶ γόνιμοι λαῶν καλλιώνες καὶ ῥᾳδιουργοὶ πολλοὺς ἀφωμοιωμένους αὐτῷ διὰ πίστεως τῆς τῷ κόσμῳ περὶ αὐτὸν κηρυττομένης, καὶ τὸν ἐξωρισμένον ζωὴν ἐν ἀλλοτρίᾳ γῇ ἐπιγνόντας.

ſo affectu, ex immenſo titulorum ſuorum pelago hunc & ſimiles in mortales ſeruos ſuos deriuarit. Nam vt perſequitur eleganter Baſilius, *Argumentum hoc eſt opulenti, habere videlicet, & alij dare.* Fatemur igitur vnum eſſe caput, vt loquitur Auguſtinus, *primum & maximum* Chriſtum à quo ſeu fonte vnico vis omnis oriatur, qua inſtituitur, fouetur & regitur Eccleſia. Sed & in partem honoris aſcitum Petrum & aſpectabilis Eccleſiæ corpori caput impoſitum, vt eam vim quam à Chriſto accepiſſet in eius membra refunderet authoritate vetuſtiſſimorum Patrum, tum Græcorum tum Latinorum freti, conſtanter defendimus, ac inter pietatis noſtræ dogmata reponimus. Antequam verò hanc Catholicorum ſententiam vberius excutiamus, atque ſuis præſidiis muniamus, ſunt quædam in hac Patrum notatione aduertenda. Et primùm quidem ſic ſuas largiri dignitates Chriſtum vt nihil ei depereat, [a] *Largitur*, inquit Baſilius, *eas, nec illis ſpoliatur, ſed nihilominus habet ea quæ dat.* Et rurſus eodem loco, [b] *Qui apud nos diuites ſunt vbi ſua largiuntur aliis, quæ habent, imminuuntur. Diuites enim non ſumus. Nam aliena poſſidemus. Chriſtus verò ita diues eſt, vt quantum aliis elargitur, tantum nihilo ſecius ipſe diues permanet. Eſt enim inſtar fontis perpetuò fluentis. Quantumcumque hauſeris, non tamen riuus illius minuitur.* Quamquam igitur Petrum aut eius ſucceſſorem Pontificem Eccleſiæ caput indigitamus, nulli in mentem venerit per nos excidiſſe ſua dignitate Chriſtum, ſed apud ſe quiſque ſtatuat ſic illam ſuam dignitatem largiri vt eam non amittat, ſed illibatam tueatur. Igitur valdè præſidenter aduerſarius à ſanctis Patribus comprobatam doctrinam calumniæ ſubiicit, & nos quod Vicarium iſtud caput in aſpectabili Eccleſiæ Monarchia colamus ac obſeruemus pudendi illius erroris poſtulat, qui Chriſtum *aut inter abſentes aut inter mortuos cogitat. Stolidam excantant deliria mẽtem.* [c] Agnoſcimus vocem capitis noſtri, [d] *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Sed & perpetuò obuerſatur animis noſtris dictum Auguſtini, [e] *ſecundum maieſtatem, ſecundum prouidentiam, ſecundum ineffabilem & inuiſibilem gratiam impletur quod ab eo dictum eſt, Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi.* Neque verò de *præſentia* ſolùm *diuinitatis* dictum accipimus, ſed etiam de *præſentia humanitatis*, non quod quà homo eſt aſpectabili modo & corpore cum Eccleſia ſemper futurum ſe ſit pollicitus; *Me enim*, inquit, *non ſemper habebitis vobiſcum*, quod *de præſentia corporali & familiari conuictu* intelligendum doctiſſimè monet Hieronymus, ſed quod auxilium & fauorem, quem non ſolùm quà Deus, ſed etiam quà homo Eccleſiæ præſtiturus eſſet præſentiam appellarit. Agnoſcimus ac veneramur illa Apoſtoli verba; *Etſi crucifixus eſt ex infirmitate, ſed viuit ex virtute.* Item illa, *Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur.* Ex his enim diſcimus non deſpondere animum in grauiſſimis quibus vrgemur caſibus, quippe qui viuum ac ſpirans caput in cœlis habere nos intelligamus, cuius in mediis his fluctibus opera nunquam nobis ſit defutura. *Introiuit enim in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis.* Sed hæc non magis faciunt ad euertendam ſpectabilis in Eccleſia capitis dignitatem, quàm ad ſubruendos reliquos miniſtrorum ordines, qui magno Regi, immortali & inuiſibili in terris famulantur. Nam vt verbis vtar Auguſtini; *Omnis iſta compages vni eidemque Chriſto innititur & incumbit.* Sed erit de his vt de Monarchia, & de Eccleſiæ in ferendis legibus poteſtate aliàs dicendi locus. Obſeruandum ſecundò in doctrina Patrum ſuperius tradita, ſeruos Chriſti quibus ſuas dignitates largitur, non ex æquo cum

Τοῦτο γὰρ ἔστι πλουτεῖν, τὸ ἔχειν καὶ χορηγεῖν ἑτέροις.

[a] Χαρίζεται ἀπόντος τοῦ ἰσοστασίου τῇ ἀξιώματι, καὶ οὐκ ἀποστερούμενος, ἀλλ' ἔχων ἃ δίδωσι.

[b] Et rurſus: Οἱ παρ' ἡμῖν πλούσιοι χαριζόμενοι, λαμβάνουσιν ἃ ἔχουσιν. οὐ γὰρ πλούσιοι. ἀλλ' ἔστιν ὁ κτησάμενος. ὁ δὲ οὕτως πλουτῶν ὅσα ἂν χαρίζηται, τοσοῦτον μᾶλλον πλούσιος ἀπ' ἄπαντος πηγὲ ἀείναος. ὅσον γὰρ λάβῃς, οὐκ ἀπομειοῦται τὸ ῥεῦμα.

[c] Solnuntur obiectiones.

[d] Matth. 28.

[e] Aug. tract. 50. in Ioan.

[f] Hieron. ad cap. 26. Matth.

1. Cor. 13. Rom. 6.

Hebr. 9.

Digitized by Google

illo eas participare. Quare Basilius postquam Petrum à Christo Petram nuncupatum & Ecclesiæ fundamentum renunciatum ex Euangelio probasset, subiiciendum existimauit, *Licet enim & ipse Petra esset, non tamen Petra erat vt Christus, vt Petrus petra erat. Nam Christus verè est immobilis Petra; Petrus verò propter Petram.* Hocipsum etiam sapienter aduertit Augustinus, *Vt noueritis*, inquit, *quia fundamentum Christus & primum & maximum: fundamentum, inquit Apostolus, nemo potest ponere præter id quod positum est Christus Iesus. Quomodo ergo fundamenta Prophetæ & Apostoli; & quomodo fundamentum Christus Iesus quo vlterius nihil est? Quomodo putamus nisi quemadmodum aperte dicitur Sanctus Sanctorum, sic figuratè fundamentum fundamentorum: Si ergo sacramenta cogites, Christus Sanctus Sanctorum: si gregem subditum cogites, Christus pastor pastorum; Si fabricam cogites, Christus fundamentum fundamentorum.* His rationibus adducti haud ægrè fatemur cùm vocabula *Capitis, Fundamenti*, adde etiam *Rectoris Ecclesiæ Catholicæ*, & similia Petro aut Petri successoribus mortalibus creaturis tribuuntur, analogicè vt loquuntur in scholis de illis enunciari, vt longè alio sensu accipi debeant, quàm cùm de Christo mediatore Dei & hominum efferuntur. Siue enim diuinitatis maiestas, siue assumpti hominis gloria attendatur, Christus Creator est & Dominus, Petrus etiam in amplissimis illis honoribus quibus eum Christus abundè cumulauit non superat creaturam, nec exuit seruum in familia Christi. Est itaque Christus *caput Ecclesiæ primum & maximum*, neque vt istud in animum induceremus, importuno monitore indigebamus. Nam præterquam quod sacris Euangelicis & Apostolicis scripturis est id abundè confirmatu, Ecce tibi Princeps scholæ Sanctus Thomas omnia ista comprobat atque ordine recensет: primò, *Christus*, inquit, *est caput Ecclesiæ iuxta illud ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam: 2. Christus est caput hominum, non solùm quantum ad animas, sed etiam quantum ad corpora, quia iuxta Apostolum, Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ: 3. Christus est caput omnino omnium hominum, quia vocatur Saluator omnium hominum & maximè fidelium, & quia ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantùm, sed etiam pro totius mundi, quod ad Capitis dignitatem maximè pertinet: 4. Christus est caput Angelorum iuxta illud Apostoli. Qui est caput omnis principatus & potestatis, qua ratione etiam ad reliquos Angelorum ordines se fundit eius potestas. Christus nactus est hanc potestatem & capitis dignitatem ex vi vnionis hypostaticæ, vt non sit alia gratia capitis, alia personalis: 5. esse caput Ecclesiæ est proprium Christo iuxta illud; caput Ecclesiæ est ex quo corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei, quod soli Christo conuenit.* En claram & apertam de Christo Ecclesiæ Capite doctrinam, vt serò aduentarit aduersarius nos ad ista ab aliis occupata edocturus. Solem scilicet adiuuat facibus, & rem per se euidentissimam conatur argumentationibus probare. Quid igitur, Num quia Christus caput est Ecclesiæ, nullus præterea alius hoc nomine insigniri potest? Nunquid citra sacrilegium & impietatem non poterit tribui Petro aut eius successoribus Pontificibus? Audi magnum Doctorem. *Respondeo dicendum quod Caput in alia membra influit dupliciter, vno modo, quodam intrinseco influxu, prout scilicet virtus motiua & sensitiua à Capite deriuatur ad cætera membra: Alio modo secundum quandam exteriorem gubernationem, prout scilicet secundum visum & alios sensus qui in Capite radicantur, dirigitur homo in exterioribus actibus; interior autem influxus gratiæ non*

est

[a] Basil. ibid. Εἰ γὰρ καὶ πέτρα, οὐχ ὡς Χριστὸς πέτρα. ὡς Πέτρος πέτρα. Χριστὸς γὰρ ἀπ' αὐτοῦ πέτρα ἀσάλευτος. Πέτρος δὲ διὰ τὴν πέτραν.

[b] August. in Psal. 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis.*

D. Thom. 3. p. q. 8. per totum. Ephes. 1. Philip. 3. 1. Tim. 4. Coloss. 2. Coloss. 1.

q. 8. art. 6. in Corp. art.

Digitized by Google

eſt ab aliquo niſi à ſolo Chriſto, cuius humanitas ex quo eſt diuinitati coniuncta, habet virtutem iuſtificandi, ſed influxus in membra Eccleſiæ quantum ad exteriorem gubernationem poteſt aliis conuenire; Et ſecundum hoc aliqui alij poſſunt etiam dici Capita Eccleſiæ ſecundum illud Amos, Optimates Capita populorum; Differenter Amos 6. *tamen à Chriſto* (en Chriſto ſuus aſſertus honos) *primò quidem quantum ad hoc quod Chriſtus eſt Caput omnium eorum qui ad Eccleſiam pertinent, ſecundum omnem locum & tempus & ſtatum: Alij autem homines dicuntur Capita ſecundum quædam ſpecialia loca, ſicut Epiſcopi ſuarum Eccleſiarum, vel etiam ſecundum determinatum tempus, ſicut Papa eſt Caput totius Eccleſiæ ſcilicet tempore ſui Pontificatus, & ſecundum determinatum ſtatum, prout ſcilicet ſunt in ſtatu viatoris. Alio modo quia Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ propriâ virtute & authoritate* (en rurſus aſſertus Chriſto ſuus honos:) *Alij verò dicuntur Capita in quantùm vicem gerunt Chriſti, ſecundum illud, Nam & ego quod donaui, ſi quid donaui propter* [a] *vos in perſona Chriſti:* & ſecundum illud: *Pro Chriſto legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos.* Hæc tam clara ſunt vt videantur Solis quodam radio delineata; Si non capit aduerſarius ſtupidus eſt, ſi non probat inſanus. Age verò oſtendamus Patres tum Græcos tum Latinos Petro ac Petri ſucceſſoribus honorem Capitis Eccleſiæ vltrò detuliſſe, nec ab ea voce cùm de illis ageretur abhorruiſſe: Et primùm quidē de Petro quo tota illa machina nititur nobis inſtituendus eſt ſermo. Certè quod eodē recidit CAPVT APOSTOLORVM, CAPVT FIDEI eum paſſim indigitant Patres. Ordiamur à Græcis. Chryſoſtomus vt lachrymarum vim in abſtergendis criminibus ex facto Petri, qui diluendo ſuo peccato non cruorem ſed lachrymas adhibuiſſet probaturus. [a] *Columna illa Eccleſiæ*, inquit, *illa fidei baſis, illud Apoſtolici chori* CAPVT, *Petrus, an non ſemel & iterum & tertiò Dominum abiurauit? An verò propterea cruorem effudit, ac non potius lachrymarum fontes? Lachrymas fudit ac plorauit; & peccatum ſuum abſterſit.* Cyrillus.[b] *Cùm*, inquit, *Saluator à Diſcipulis quæreret, Vos autem quem me eſſe dicitis, Petrus vt princeps* CAPVTQVE *cæterorum primus exclamauit, Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Scio Græca, quorum nobis copiam fecit eruditiſſimus Pater Fronto Duceus Societatis Ieſu nobilis alumnus, non ΤΟ κεφαλὴ Caput, ſed ΤΟ ἡγεμονικὸν quod præfectum & Principem ſignificat habere. At quis neſciat præfectum & principem, Caput eſſe? Audi [c] Pacatum Theodoſium his verbis compellantem. *Dux aliquis euehitur? exigit diſciplina caſtrorum; Præfectus attollitur? imponendum eſt Prouinciæ caput.* Non eſt igitur ab authore Græco diuerſus interpres Latinus. Philippus Celeſtini in magno Epheſino Concilio Legatus quamquam homo Latinus, ad Græcos tamen verba faciens. *Non ignorat veſtra Beatitudo, totius Fidei, vel etiam Apoſtolorum* CAPVT *eſſe beatum Apoſtolum Petrum.*

De hoc loco ita cenſet [e] Caſaubonus, *Sine cauſa ad hos titulos exclamant quidam viri boni* (Ironicūs dictum accipe) *quaſi aliquid Tyrannicum ſaperent, ſiue illi Petro attribuantur, ſiue Romano Pontifici: ſed non ita eſt.* Excipiunt tamen aduerſarij *eſſe quidem ea verba in Synodo dicta, ſed non eſſe à Synodo dicta aut decreta.* At quis, hunc Legatum tam inuerecundi oris fuiſſe exiſtimet, vt ea ausus ſit in eximio illo conſeſſu dicere quæ bonis omnibus bilem mouerent? Quid ad illa verba, *Non ignorat veſtra beatitudo totius fidei vel etiam Apoſtolorum Caput eſſe beatum Apoſtolum Petrum*, non fuit qui pro Chriſto vocem mitteret, & impudens ac ſceleſtum os obtunderet? Apage iſtas nugas. Silentium

[a] 2. Cor. 5. Chryſoſt. homil. 2. in Pſal. 50. Ὁ τῶν ἀκλησίας, ἡ κρηπὶς ἡ πίστεως, ἡ κεφαλὴ τῶ χορῶ τῶν Ἀποστόλων Πέτρος, ἀπερράγη τοτε ἡ χειρὸν ἡ ἀπιστίᾳ ἡ δίς ἡ τρὶς, &c.

[b] Cyril. li. 12. in Ioan. cap. 64. ἀπαρνησάμενος ἡμᾶς ἡ μᾶλλον ἡμῶν λέγοντος τῶ Χριστῶ, ὑμεῖς δὲ τίνα με λέγετε, ἀποκριθεὶς εἷς ἐκ πολλῶν ἐκείνος μὲν ἦν ὁ χορυφαῖος ἡ τῶν ἀλλαχοῦ σπουδαίος, καὶ σοφὸς, σὺ δὲ ὁ Χριστὸς υἱὸς τῶ θεῶ τῶ ζῶντος.

[c] Pacat. in Paneg. Theodoſ. dict.

[d] Concil. Epheſ. part. 2. Act. 2. Οὐ ἀγνοεῖ ὑμῶν ἡ μακαριότης, ὅτι ὁ ἅγιος ὁλος ὁ πίστεως, ὁ ἡ τῶν ἀποστόλων, ὁ κορυφαῖος Πέτρος ὁ ἀπόστολος.

[e] Caſaub. exercit. 15. ad Annal. Baron.

Digitized by Google

Greg. Nazianz. orat. 13. Καὶ γὰρ τὸ σιωπᾶν, συγκατάθεσιν εἶναι δοκεῖ, καὶ σιγὴ παρρησία.

igitur Episcoporum tacita quædam comprobatio est eorum quæ à Legato dicta sunt in Synodo; *Nam* vt verbis Nazianzeni vtar, *Silentium parœmia quoque consensum esse docet.* Cùm itaque quiescunt probant, cùm patiuntur decernunt, cùm tacent clamant. Accersamus iam Latinos. Audi igitur Optatum egregium Catholicæ fidei aduersus Donatistas propugnatorem. Assumit ille quinque esse ornamenta siue dotes Ecclesiæ vt vocat; Et primam vult esse Cathedræ vnitatem, de qua in hunc modum loquitur: *Videndum est, qui & vbi prior*

Optat. Mileuit. lib. 2. cont. Parmen.

Cathedra sederit, si ignoras, disce; si nosti, erubesce. Ignorantia tibi ascribi non potest. Restat ergo vt noueris. Scientem errare, peccatum est: nam ignorantibus non-nunquam solet ignosci. Igitur negare non potes, scire te in vrbe Româ Petro primò Cathedram Episcopalem esse collatam: in qua sederit omnium Apostolorum Caput Petrus, vnde & Cephas appellatus est. Idem alio libro de Petri negatione agens. *Potuit vtique Caput Apostolorum sic se gubernare, vt nihil incurreret quod doleret.* Non expendo doctrinam quam vtroque loco tradit Optatus; Erit aliàs de ea re nobis cum aduersario disputatio: De significato quoque vocis Cephas, videro alio loco. Hic tantùm vrgeo Capitis titulum Petro à sanctissimo Patre tributum. Hieronymus eius æqualis eam quoque Capitis dignitatem in Petro agnoscit. *Propterea*, inquit, *inter duodecim vnus eligitur*, de Petro loquitur, *vt Capite constituto schismatis tollatur occasio.* Author commentariorum in Psalmos qui Hieronimi nomine præferuntur (quamquam etiam ipsius Hieronimi esse hoc opus contendit Marianus Victorius Episcopus Amerinus) ad illa verba, *Non est qui faciat bonum, Neque*, inquit, *Petrus qui Caput Ecclesiæ est, quia & ipse negauit.* Expendo alibi quod priore loco dicit, *Ex æquo super Apostolos Ecclesiæ fortitudinem soli dari.* Sed huius nostri instituti ratio solùm postulat, vt ostendamus non abhorruisse Patres à titulo Capitis, cùm de Petro agerent, atque nullo scrupulo illum magno Apostolo tribuisse. Augustinus non secùs ac Hieronimus Petro hanc Capitis dignitatem concedit. Retexens argumentum Vrbici qui eum propositis difficillimis quæstionibus vexarat. *Petrus*, inquit, *etiam Caput Apostolorum, Cœli Ianitor & Ecclesiæ fundamentum, extincto Simone, qui fuerat Diaboli non nisi ieiunio vincendi figura, idipsum Romanos edocuit, &c.* Extat inter opera Augustini liber quæstionum veteris & noui Testamenti, quem & si non esse Augustini eruditi quique agnoscunt, fatentur tamen esse vetusti authoris, ac fortasse Augustino antiquioris. Author igitur harum quæst. quisquis tandem ille fuit, sic de Petro loquitur. *Sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur. Ipsum enim constituit Caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici.* Magnum Leonem etsi eum in causa sua minimè audiendum contendant aduersarij, testem citare non verebimur; nam præterquam quod eximia fuit vir pietate & doctrina, aliorum ipse premit vestigia, nec quicquam affert quod non sit ab aliis Patribus & occupatum & traditum. Leo igitur ille suo splendore & totius Ecclesiæ commendatione magnus, Episcopos Viennensis Prouinciæ sic alloquitur. *Huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret; vt ab ipso quasi* QVODAM CAPITE *dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se mysterij diuini intelligeret esse qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.* Vides Marce Antoni Patribus sanctissimis tum Græcis tum Latinis agnitam & probatam Capitis Chri-

Hieron. lib. 1. con. Iouin. 1.

Præfatione in tom. 7. oper. Hier.

Augustin. epist. 86.

August. quæst. vet. & nou. test. q. 75.

Leo ep. 87. ad Episcopos Prouinciæ Viennen. epist. 1.

sto

ſto ſcilicet ſubordinati dignitatem, eámque Petro communicatam: Videamus verò de Petri ſucceſſore, an in eum quoque hic titulus conueniat. Primus occurrit Baſilius Orientis oculus & præclarum Eccleſiæ lumen. Is in mediis Orientis turbis, quæ valdè eum angerent, & perplexum haberent ad Pontificem & Occidentis Epiſcopos ſcribens, atque vt ita dicam ſtylum alternans, ac modò Pontificem, modò reliquos Antiſtites compellans ita loquitur: [a] *Siue caput vos ipſos vniuerſalis Eccleſiæ reputatis, non poteſt pedibus dicere caput; non eſt mihi opus vobis: ſiue in reliquum vos Eccleſiaſticorum membrorum ordinem locatis, non poteſtis nobis dicere, qui in eodem vobis cum corpore conſtituti ſumus, non eſtis nobis neceſſarij.* Succedat Baſilio Gregorius Nazianzenus. Is in breui homilia, de Creatione Epiſcopi Doarorum, cùm vt mentionem faceret Pontificis locus poſtularet, ſic excuſat ſeſe; [b] *Non venimus*, inquit, *in magni illius Paſtoris contemptum & ignominiam, qui ſplendidæ ciuitati præſidet. Honorabilem ſcimus*, CAPVT *agnoſcimus, ſanctum vocamus, tametſi iniuria affecti: Tantùm indulgentem & humanum patrem Filiis ſe præbeat, totique Eccleſiæ ſedulò proſpiciat.* Præteruolarant hunc locum, adeoque præclariſſimæ vocis teſtimonium nobis eripuerant interpretes loco Nazianzeni ad Baſilium Cæſareæ Cappadociæ Metropolitam deflexo, aut potius detorto, ſed è caſtris aduerſariorum illum nobis reſtituit, ac planè aſſeruit [c] Caſaubonus. *In breui homilia Epiſcopi Doarorum*, inquit ille, *extant hæc verba de Papa*; Ac certè eò ducunt illa Nazianzeni. *Non venimus in magni illius paſtoris contemptum & ignominiam, qui ſplendidæ ciuitati præſidet*, Romam enim intelligit quam alibi [d] *mundi præſidem vocat.* Neque verò erat quod Baſilio ſe excuſaret, cuius potiùs cauſam ageret, negotiúmque promoueret; Cùm enim hoſtes Baſilij Doarenſem Eccleſiam quæ ſub eius præfectura eſſet, ſibi vendicaſſent, Gregorij & patris eius ſtudio ac opera, eſt Baſilio illa reſtituta, eius cura Enlalio quem Epiſcopum renunciaſſent commiſſa. Quæ autem ſequuntur nulla ratione ad Baſilium referri poſſunt. [e] *Honorabilem ſcimus, Caput agnoſcimus, ſanctum vocamus, tametſi iniuria affecti.* Nam præterquam quod vt diximus non erat cur ſe excuſaret Baſilio, cuius ille gloriæ ſtuderet, ac etiam tùm famularetur, erumpit hic veluti vis quædam doloris aduerſus Pontificem concepti propter ſe & Baſilium neglectos, & vt magni viri interpretabantur, contemptos: Ac vt iſta non peruincant; Certè illa, *Tantùm indulgentem & humanum patrem filiis ſe præbeat, totique Eccleſiæ ſedulò proſpiciat*, in Baſilium non conueniunt, cuius præfectura angustis Archiepiſcopatus ſui limitibus eſſet arctata. Et hæc quidem adeò certa Caſaubono viſa ſunt, vt æquum & bonum ab eo impetrauerimus, locúmque de Pontifice Romano iudicarit intelligendum. Proferamus iam non ſingularem aliquem teſtem, ſed ſupra quingentos Patres qui Romanũ Pontificem CAPVT CONCILII Oecumenici, adeóque totius Eccleſiæ agnoſcunt, & ſeriò venerantur. Ii ſunt Concilij Chalcedonenſis Patres clariſſima orbis Chriſtiani lumina & collumna. Hi igitur epiſtola ad magnum Leonem, cuius authoritate ſua placita firmari cuperent, inſtituto de ſuo cœtu ſermone, enumeratíſque qui affuiſſent quingentis viginti Epiſcopis, ὧν σὺ, inquiunt, ὡς κεφαλὴ μελῶν ἡγεμόνευες. *Quibus tu ſicut membris caput præeras in his qui tuum tenebant ordinem beneuolentiam præferens.* Hæc non verba ſed fulmina ſunt, quæ refractariorum animos proterant. Ad finem quoque Epiſtolæ ſic loquuntur. *Rogamus igitur & tuis decretis noſtrum honora iudicium; & ſicut nos Capiti ἡμᾶς τῇ κεφαλῇ, in bonis adie-*

[a] Baſil. ep. 77. Εἴτε κεφαλὴν ἑαυτὸν ἡ καθόλου ἐκκλησίας λογίζεσθε, οὐ δύναται τὸ κεφαλὴ εἰπεῖν τοῖς ποσί, χρείαν ὑμῶν οὐκ ἴσχω· εἴτε ἐν ἄλλῃ τάξει τῶν ἐκκλησιαστικῶν μελῶν ἑαυτὸν τάττετε, οὐ δύνασθε λέγειν τοῖς ἐν τῷ αὐτῷ σώματι τετιμῆσθαι ἡμᾶς.

[b] Gregor. Naz. orat. 30. Οὐκ ἐλθόντες ἐπ' ἀτιμίᾳ τοῦ μεγάλα τετιμῆσθαι, τῷ δ' ἀληθεῖ θεραπευτῇ δυναστεύοντι πόλεως. τίμιον ἴσμεν, καὶ μεγάλην ἀποκαθῆσθαι, μᾶλλον δὲ καλοῦμεν καὶ ἀδικούμενοι· μᾶλλον ἴσως φιλότιμος, ἢ πάσης ἀφεστὼς ἐκκλησίας.

[c] Caſaub. exerc. 15. c. 16.

[d] In Car. de vita ſua.

[e] Carm. de vita ſua.

Concilium Chalcedonenſe ſexcentorũ triginta Epiſcoporũ, vel vt habet Epiſtola Synodi ad Leonem, quingentorũ viginti. Relatio Concil. Chalced.

cimus conſonantiam, ſic & ſummitas tua (οὕτω καὶ ἡ κορυφὴ) *filiis quod decet adimpleat.* Ecce κεφαλὴ, ecce κορυφὴ à magno Concilio agnoſcitur Romanus Pontifex. Extat inter fragmenta Hilarij Epiſtola Concilij Sardicenſis ad Iulium Pontificem Romanum, in qua ducenti octoginta Epiſcopi eundem titulum Papæ aſſerunt. *Hoc*, inquiunt, *optimum & valdè congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad Caput, id eſt ad Petri Apoſtoli ſedem de ſingulis quibuſque Prouinciis Domini referant Sacerdotes.* Exemplo Patrum adductus Imperator Iuſtinianus quanquàm aliàs parum æquus Romanæ ſedi, ſic in eandem ſententiam pronunciat. *Nec enim patimur quicquam*, inquit, *quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum & indubitatum ſit quod mouetur, vt non etiam veſtræ innoteſcat ſanctitati, quæ Caput eſt omnium Sanctarum Eccleſiarum. Per omnia enim* (vt dictum eſt) *properamus honorem & authoritatem creſcere veſtræ Sedis.* Ita Archimandritæ & Monachi ſecundæ Syriæ Epiſtola ad Hormiſdam PP. *Deprecamur Beatiſſime*, inquiunt, *ſupplicantes & rogantes vt exurgatis cum feruore & zelo, & condoleatis iuſtè pro corpore laniato; nam Caput eſtis omnium, & vindicetis fidem contemptam, Canones conculcatos, Patres blaſphematos, & talem Synodum anathemate impetitam. Vobis à Deo data eſt poteſtas & authoritas ligare & ſoluere.* Theodorus Studita magni nominis vir Epiſtola ad Leonem tertium, omnium Capitum, (Patriarchas intelligit, ampliſſimarum diœceſeon præſules,) Caput Pontificem appellat. [a] *Factus eſt*, inquit, *ô diuiniſſimum omnium Capitum* CAPVT *iuxta Ieremiam Prophetam, cœtus reuera prænaricatorum & Concilium adulterantium.* Ac denique in Concilio Florentino faſces ſubmiſerunt Græci, ac Pontificem pro capite Eccleſiæ ſunt venerati in Oecumenicæ Synodi verba conſentientes. [b] *Diffinimus Sanctam Apoſtolicam ſedem & Romanum Pontificem in vniuerſum orbem tenere Primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe beati Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiúſque Eccleſiæ Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem ac Doctorem exiſtere; & ipſi in beato Petro paſcendi, regendi ac gubernandi vniuerſalem Eccleſiam, à Domino noſtro Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe.* Habemus igitur ex doctrina Patrũ, tùm Petrum tùm Petri ſucceſſorem Romanum Pontificem Caput eſſe Eccleſiæ, cui ſcilicet Chriſtus, Primum & maximum Caput prouinciam demandarit dirigendæ ac moderandæ Eccleſiæ. Nunc reſpondendum ad obiectiones aduerſarij. Sic itaque ille.

Epiſt. Cõc. Sardicen. ex fragmẽtis Hilarij & Creſconiana collectione.

Iuſtini. Imper. epiſt. ad Ioan. Pap. Cod. de ſum. Trin. & fid. Cathol.

Archimandritæ & Monachi 2. Syriæ ep. ad Hormiſdã.

[a] Ep. Theodori Studitæ ad Leonem 3. Pap. quæ eſt 33. lib. 1. Vide Bar. tom. 9. ann. 809.

Γίγνου τοίνυν ὦ θειότατε τῆς ὅλων κεφαλῆς καὶ τῶν ἀρχιερέων Ἱερεμίου σύνοδος &c.

[b] Definitio Synodi Florent. in fin.

Οἰζύσθω τῶν ἁγίων ἀποστόλων τὸ φρόνημα, καὶ τὴν Ῥωμαίων ἀρχιερέα εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην τὸ ἀρχιποίμενον κατέχειν, αὐτόν τε τὸν Ῥωμαίων ἀρχιερέα διάδοχον εἶναι τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων, καὶ τοῦτον τῆς ἐκκλησίας κεφαλὴν, καὶ πάντων τῶν Χριστιανῶν τὸν πατέρα καὶ διδάσκαλον ὑπάρχειν, καὶ αὐτῷ ἐν τῷ μακαρίῳ Πέτρῳ τὴν παντοίαν, καὶ διοίκησιν, καὶ κυβέρνησιν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ὑπὸ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ πλήρως ἐξουσίαν παραδέδοσθαι, καθ' ὃν τρόπον καὶ ἐν τοῖς οἰκουμενικοῖς συνόδοις, καὶ ἐν τοῖς ἱεροῖς κανόσι ὑπελαμβάνεται.

SPALAT. Num. 2. Rom. 12.

Adhuc igitur viuit Chriſtus, & adhuc regnat in Eccleſia; in qua ſi non regnaret etiam poſt Aſcenſionem non diceret Paulus; Multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra. Nullum ergo, inquit, *aliud caput agnoſcebat Paulus niſi Chriſtum, & inter membra Chriſti non ſecùs includit etiam Petrum quàm ſe & alios Apoſtolos ac fideles: Singuli autem inquit alter alterius membra, & non dicit Chriſti membra, ſed alter alterius vt meliùs ſignificaret æquè omnibus conuenire vt ſint membra ad inuicem, & neminem eorum aliam habere relationem ad alios, niſi membri, ſeu vt ita dicam commembri, & hoc vt excluderetur ab vnoquoque eorum ratio, & relatio veri capitis quæcunque. Igitur Petrus non modò erat membrum, comparatus ad verum Caput, quod erat Chriſtus;*

ſed

Digitized by Google

ſed etiam membri parem rationem comparatus ad alios Apoſtolos & fideles, cum ipſis, ſi Pauli dictis fidem adhibemus, obtinebat. Addit Apoſtolum non dicere, *Singuli Chriſti membra, ſed alter alterius membra.* Sequitur ergo inquit, *Petrum ad Apoſtolos & fideles, non ſolùm membri, ſed commembri parem rationem habere.* Sed hæc ſunt futilitatis plena. Viuit ſanè Chriſtus & in Eccleſia regnat, adeóque eam regit tum adminiculo Vicarij Capitis, tum opera reliquorum miniſtrorum; ſed quod attinet ad locum Pauli, viſibilia illa miniſteria non tollit, & verè nodum in ſcirpo quærit aduerſarius. Apoſtolus enim, vt rectè obſeruat Chryſoſtomus, loquutus de donis fidei & gratiæ quæ initio naſcentis Eccleſiæ opera Spiritus Sancti fidelibus communicarentur, ſermonem eò flectit vt oſtendat huiuſmodi chariſmata, non ex æquo ab omnibus participari, ac inde anſam arripit commonefaciendi Romanos, vt intra menſuram & fines doni ſibi collati, hoc eſt gratiæ, officij etiam & talenti ſibi commiſſi ſe contineant, nec præſtitutos à Deo limites excedant aut prætergrediantur. Atqui eſt ſuperius à nobis demonſtratum quod attinet ad internum influxum gratiæ, à quo hæc chariſmata pendere ipſe non negauerit Spalatenſis ſolum Chriſtum verè caput eſſe. Itaque hoc ſenſu verum eſt omnes omnino fideles, etiam Petrum & Petri ſucceſſorem Pontificem, eſſe *huius corporis membra*, ac proinde *commembra, non Caput*: Namque vt verè omnino Baſilius ſcribit, dicitur Chriſtus ἡ μία καὶ μόνη ἀληθῶς κεφαλὴ, fons ſcilicet & origo gratiarum omnium & ſpiritualium chariſmatum. Sed ſi ſpectetur exterior gubernatio, de qua hîc minimè loquitur Apoſtolus, proculdubio non eſt par ratio omnium fidelium, & Petri aut etiam Pontificis; nam reliqui fideles reguntur, Petrus verò regit, Pontifex regit. Et meminiſſe oportuit Marcum Antonium hoc eodem loco docuiſſe Paulum, *non omnia membra eundem actum habere.* Vnde etiam alibi alios Præpoſitos agnoſcit, quibus teneantur fideles auſcultare. *Obedite*, inquit Apoſtolus, *Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Hoc ſenſu vocantur illi capita populorum, maximè verò qui Eccleſiæ Catholicæ habenas moderatur, Pontifex.

Chryſoſtomus ad illũ locum.

Baſil. in Aſceticis.

Hebræor. 13.

Imò, inquit aduerſarius, *hoc ipſum regimen ſuper Eccleſiam, videtur Chriſto Domino à Patre donatum poſt ipſius Glorificationem, & in cœlos Aſcenſionem, teſte eodem Paulo; & quæ ſit ſupereminens magnitudo virtutis eius in nos qui credimus ſecundum operationem potentiæ virtutis eius, quam operatus eſt in Chriſto, ſuſcitans illum à mortuis, & conſtituens ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem Principatum & poteſtatem & virtutem, dominationem, & omne nomen quod nominatur non ſolùm in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro: & omnia ſubiecit ſub pedibus eius, qui omnia in omnibus adimpletur. Vides igitur*, inquit, *poſtquam conſtitutus eſt ad dexteram in cœleſtibus, præpoſitum eſſe à Deo Patre Caput ſupra omnem Eccleſiam? Quis ergo quærat ſucceſſorem aut ſubſtitutum, vbi ipſemet regnaturus in ſolio Eccleſiæ etiam* HVIVS SÆCVLI *collocatur? Sed & actuale Regimen Eccleſiæ Chriſtum reipſa exercere per ſeipſum teſtatur idem Apoſtolus dicens: Et ipſe eſt caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus ipſe primatum tenens. Hoc verò regimen totum eſſe ſpirituale, nec egere corporali præſentia, ſed influxu internæ gratiæ ipſum peragi, ſatis declarat idem Paulus ſubdens: Quia in ipſo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia, in ipſum pacificans per ſanguinem Crucis eius, ſiue quæ in terris, ſiue quæ in cœlis ſunt. Et alibi. Diuiſiones verò gratiarum ſunt,*

SPALAT. Num. 3.

Epheſ. 1.

Coloſſ. 1.

Ibidem.

2. Cor. 12.

Digitized by Google

idem autem Spiritus, & diuiſiones miniſtrationum ſunt, idem autem Dominus, & diuiſiones operationum ſunt, idem autem Deus qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ; alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum; alteri fides in eodem ſpiritu; alij gratia ſanitatum in vno Spiritu: alij operatio virtutum; alij Prophetia; alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum; alij interpretatio ſermonum. Hæc autem omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens ſingulis prout vult. Quis ergo, inquit, *quærat ſucceſſorem aut ſubſtitutum vbi ipſemet regnaturus in ſolio Eccleſiæ etiam huius ſæculi collocatur?* Hic multa ſunt quæ virgula cenſoria opus habeant. Primum enim falſum falſiſſimum eſt Chriſtum cœpiſſe eſſe caput Eccleſiæ poſt ſui in cœlum aſcenſus triumphum; nam etſi verum eſt Chriſti gloriam magis ac magis propalatam poſt triumphantem illum in cœlos regreſſum, quod ſcilicet ante non eſſet nominis illius tantus fulgor, nec ita paſſim ab omnibus celebraretur aut coleretur: tamen nonniſi poſt adeptos hos honores fuiſſe Caput Eccleſiæ, tam falſum eſt quàm falſum eſt antequam ſederet ad dexteram Patris non fuiſſe Chriſtum Domini & verum Meſſiam. Hæc enim duo ſi benè aduertis, Marce Antoni, *Chriſtus* & *Caput Eccleſiæ*, ita cohærent, vt ſeparari aut auelli à ſe inuicem non poſſint; Siquidem filius Dei *vnctus eſt oleo lætitiæ præ conſortibus ſuis*, vt *eſſet primogenitus in multis fratribus*, & ab eis pro Capite coleretur. Quare cùm ante illum ſuum in cœlum aſcenſum Meſſiam ſe & vnctum Domini oſtenderit, impleuerítque illud Prophetæ, *Spiritus Domini ſuper me, eo quod vnxerit me ad prædicandum miſit me, &c.* Proculdubiò etiá ſe caput præbuit, & probauit Eccleſiæ quam ipſe per ſe collegiſſet, collectam optimis inſtitutis & legibus temperaſſet, ac etiam ſanctiſſimis Sacramentis ornaſſet. Quæcunque igitur de glorificatione Chriſti poſt mortem & in cœlos aſcenſum afferuntur, tum ex ſancto Paulo, tum ex aliis ad externum fulgorem referenda veniunt, quod ſcilicet per illam ſuam ſummam humilitatem, & acerbos paſſionis dolores, à Patre conſecutus ſit, *vt in nomine* IESV *omne genu flecteretur, cœleſtium, terreſtrium & infernorum, & vt omnis lingua confiteretur, quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui antea vermis & non homo habitus eſſet, in gloria ſit Dei Patris*, non autem eò torqueri debent, vt intelligatur cœpiſſe tunc haberi Caput Eccleſiæ, cùm eam dignitatem iam multos annos vel ex edicto poſſediſſet. Cùm enim ſummus ille parens Deus introduceret primogenitum in orbem terrarum, dixit; *Et adorent eum omnes Angeli eius*, quod nimirum illo ipſo momento, quod aſcenſus in cœlum tempus longe anteuertiſſe nemini dubium eſt, ipſum Eccleſiæ tum triumphantis, tum militantis Caput declaraſſet, vt non obſcurè nobis innuit, ac ſignificat Paulus. Cùm, inquit, *introduceret*. Quod autem attinet ad ea verba eiuſdem Apoſtoli, *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit Caput ſupra omnem Eccleſiam quæ eſt corpus ipſius, & plenitudo eius qui omnia in omnibus adimpletur*: quibus rurſus & Petrum & Pontificem impetit ac vexat Spalaten. præterquam quod loquitur Apoſtolus de Capite iuxta rationem interioris influxus, prout ſcilicet fons eſt & origo omnium cœleſtium donorum, quæ ab eo in membra, hoc eſt fideles omnes deriuantur, iuxta illud Dauidis ab eodem Apoſtolo hoc loco vſurpatum, *Aſcendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus*; agit de eo capite cui poteſtas in æuum ſit ſupra homines & ſupra Angelos, *Supra omnem principatum*, inquit, *& poteſtatem, & vir-*

Pſal. 44.

Luc. 4.

Philip. 2.

Pſal. 21.

Hebr. 1.

Heb. 1.

Pſal. 67.

Digitized by Goog

& virtutem & dominationem. Adeóque ſupra omnem Eccleſiam tum militantem, tum triumphantem. Atqui ſuperius oſtendimus ex ſancto Thoma hoc ſenſu ſolum Chriſtum *Caput Eccleſiæ* haberi poſſe, cùm Pontifex nonniſi in militantem Eccleſiam imperium exerceat ſub Chriſto, & id quoque ſolum ad exiguum tempus, cùm vltra arctiſſimos vitæ iſtius terminos non porrigatur, nec ſeſe fundat eius poteſtas. Quod autem addit deſertor, *nos ſucceſſorem aut ſubſtitutum*, vt ille loquitur, *quærere Chriſto, qui tamen iuxta Apoſtolum eſt Caput corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis, vt ſit in omnibus primatum tenens*, purum putumque eſt mendacium, Chriſtus vt non moritur, ita ſucceſſore opus non habet, Miniſtrorum tamen & Vicariorum opera vtitur, propterea quod etſi regnet in cœlis, influátque in Eccleſiam non ſolùm dona gratiæ, ſed etiam quæcunque ad exterius regimen pertinent, tamen quia corpore abſens à nobis eſt, idque inuiſibiliter præſtat, vtitur opera tum reliquorum Miniſtrorum, tum maximè Vicarij Capitis, vt ſcilicet ſingula in Eccleſia cohæreant, & ad tractabilem ſtatum quadrent, vtque viſibile corpus viſibili nectatur capiti, & ſui generis nitatur principio tota illa ſpectabilis membrorum compages. Neque verò hoc dignitati Chriſti officit, aut primatui incommodat, iuxta quem *ipſe eſt principium & primogenitus ex mortuis*, cùm tum caput ipſum ſpectabile, tum reliquum corpus ab ipſo pendeat, & vim & vigorem mutuetur. Vrget tamen aduerſarius, *Totum illud regimen eſſe ſpirituale, ac propterea non egere corporali præſentia, ſed influxu internæ gratiæ peragi*; Sed hoc quoque falſum eſt: Etſi enim maximè per eum internum fluxum gratiæ, obeat Chriſtus vices primi & maximi Capitis, non deeſt tamen exteriori directioni, cui fulciendæ Caput ſpectabile voluerit eſſe neceſſarium. Et credo ad hanc exteriorem directionem reſpiciebat Apoſtolus, cùm mulieres moneret vt viris ſuis obſequerentur. *Mulieres*, inquit, *viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut Domino, quoniam vir Caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus eſt Caput Eccleſiæ.* Námque vir Caput eſt mulieris per externam gubernationem, & mulier ad nutum & imperium viri ſui ſuas actiones dirigere omnino tenetur, cùm eius Dominus ſit; quod exemplo Saræ quæ Abrahamum Dominum ſuum nuncupare ſolita eſſet probat Apoſtolus. Sed & extat oraculum diuinum & lex diuina, quâ iubetur ſub viri eſſe poteſtate. *Sub viri*, inquit, *poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* quod pluribus locis repetunt tum Petrus tum Paulus ſuis in Epiſtolis. Imo cenſet Iſidorus non omnino malus author ſponſas propterea flammeo obnubi, vt ſe nouerint ſemper maritis ſuis ſubditas eſſe. Itaque cùm Chriſtus eo ſenſu caput ſit Eccleſiæ, quo vir caput eſt mulieris, planum fit non ſolùm hunc titulum ſibi vendicare, quod interius in illam influat, verùm etiam quod exterius dirigat ac moderetur. Ceterùm valde bardum eum eſſe oporteat, qui nomen *Capitis* cum Præſidibus, Præfectis, Regibus aut reliquis populorum gubernatoribus in ſcripturis tribuitur, alio torqueat quàm ad exteriorem iſtam directionem. Dicat enim nobis aduerſarius, cùm Samuel aſſereret *Saülem Caput factum in tribubus Iſraël*, cùm Eſaias Raſin *Caput Damaſci* & *Caput Samariæ* filium Romeliæ indigitaret, nonne ad huiuſmodi gubernationem reſpiciebant, non verò ad illum interiorem gratiarum influxum? Etſi igitur Chriſtus iure optimo Caput Eccleſiæ cenſeatur, quod interiore illo influxu afflare & moderari Eccleſiam non deſiſtat, habet tamen præterea ſuas partes, eáſque primarias in dirigendo, corpore eiuſdem Eccleſiæ per exteriorem illam gubernationem. Quanquam

Num. 3.

Ibidem.

Epheſ. 5. ver. 22.

Geneſ. 18. v. 21.

Iſidor. li. 2. de Off. Eccleſ. cap. 19.

1. Reg. 15. v. 17. Eſa. 7.

Digitized by Google

itaque prioris officij vices per se obeat in cœlis, tamen quod attinet ad exteriorem gubernationem vtitur opera Vicarij capitis, cuius summam in Ecclesia sua voluerit esse potestatem, propter eas rationes quas statim sumus explicaturi. Non euertunt ista, sed potius firmant quæ ex Apostolo affert de-

Col.1.

Corint.12. fertor, *quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare omnia in ipsum pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt, & diuisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus & diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus qui operatur omnia in omnibus, &c.* Priore enim loco reddit rationem Apostolus, cur Christus in om-

August. in Ench. cap.1. nibus primas teneat, nimirum quod in ipso *inhabitet omnis plenitudo*, & quod sanguine suo litauerit, *pacémque profundam*, vt loquitur Augustinus, tum in cœlo tum in terra stabiliuerit homine Deo & Angelis reconciliato; Et hoc quidem sensu vt solus mediator est, ita solus est caput Ecclesiæ, *quam acquisiuit Sanguine suo*. Posteriore verò loco hoc ipsum docet quod nos docemus, nempe Christum non solùm per spiritum suum interiore influxu moderari Ecclesiam, sed etiam exteriore directione iuuare: Quid enim aliud sunt illæ *ministrationum diuisiones*, nisi radij quidam aut potius aspirationes exterioris illius afflatus? Et quidem spiritus radix fons & scaturigo illorum donorum ac charismatum, ac propterea *à causa efficiente* rectè spiritalia vocantur, sed exterius se fundunt, & aspectabili Ecclesiæ ministerio perficiuntur: quare quemadmodum Episcoporum hîc officia & Presbyterorum ac Diaconorum munia delineata ab interpretibus prædicantur, ita statuendum est ad ea ipsa *charismata* referri debere visibilis Ecclesiæ Capitis dignitatem, quam à Spiritu sancto profectam nemo vnquam pius dubitauit. Sic enim operatur Deus omnia in omnibus, vt causis secundis vim suam & operationem non adimat, imò se eis attemperet,

Num. 4. & in opus incumbentes adiuuet. Miror hæc primùm non aduertisse Marcum Antonium, cùm id quoque planum faciat qui sequitur apud eum Pauli locus.

1.Cor.12. *Sicut enim*, inquit Paulus, *corpus vnum est & membra habet multa, omnia autem membra corporis cùm sint multa, vnum tamen corpus sunt, ita & Christus.* Nam Apostolus, vt rectè aduertit Augustinus, docet Christum non solùm esse Caput, verùm etiam corpus Ecclesiæ, quod scilicet in omnia membra Ecclesiæ influat,

August. li.1. de pec. mer. c.31. omnia sustentet, & in omnibus operetur. Linguam namque doctoris mouet, manui ministri baptizantis moderatur, ac simili ratione Caput sibi subiectum in munere suo exequendo dirigit & gubernat. Hæc clara sunt, sed longè clariora sunt quæ sequuntur; Nam inquit Apostolus, *Et corpus non est vnum membrum, sed multa; si dixerit pes, quoniam non sum manus, non sum de corpore, num ideo non est de corpore, &c. Non potest autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo, aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij.* Non enim de nihilo est quod nostri obseruant, hîc nomen aut rationem Capitis, de qua agit Paulus in Christum conuenire non posse, quippe qui suis pollens opibus nil indigus nostri, toti Ecclesiæ corpori, adeóque membris omnibus dicere possit. *Opera vestra non indigeo, non estis mihi necessaria.* Quærendum itaque est aliud Caput, quod ipso etiam in fastigio dignitatis reliquis membris dicere non possit, *Opera vestra non indigeo*, ac proinde Vicarium caput admittendum, in quod hæc quadrare queant. Mordet tamen & impugnat hoc interpretamentum

Num.4. Spalatens. adque illud euertendum obseruandum monet, *Paulum in his suis similitudinibus nomen Capitis sumere materialiter, prout caput est vna pars materialis*

rialis corporalis. Nam, inquit, *ſicut manus, crus, pes, &c. ſunt partes & membra vnius corporis, ita caput quoque eſt vna pars & vnum membrum totius integri corporis. Quando itaque,* perſequitur aduerſarius, *ait Paulus caput non poſſe dicere pedibus, non eſtis mihi neceſſarij, intelligit caput vt eſt commembrum in eodem corpore cum pedibus, non autem vt eſt ſuo influxu, ſuáque virtute totius corporis rectiuum.* Hac diſtinctiuncula de *Capite materialiter & formaliter* ſpectato totum hoc negotium confeciſſe ſibi videtur, eámque peracutam putat: ſed reuera nihil vel cogitari poteſt, vel fingi obtuſius aut hebetius, aut etiam quod magis pugnet cũ mente Apoſtoli. Apoſtolus enim caput confert cum pedibus tanquam nobiliſſimum membrum cum ignobiliſſimo. *Quid enim,* inquit Chryſoſtomus, *eſt pede vilius, aut quid capite honeſtius ac præſtantius & magis neceſſarium? Hoc enim eſt maximum inter homines nempè caput, ſed tamen non eſt ſufficiens, neque poteſt ipſum omnia efficere, nam ſi eſſet ſuperuacaneè nobis adiecti eſſent pedes.* Et confirmari poteſt, quia etiam oculũ cum manu confert, indicans in corpore Eccleſiæ eſſe quoque quædam membra quæ his humanis membris proportione reſpondeant, quæque inter ſe non ſecus ac humana membra mutuis inter ſe officiis copulentur, atque ita vt in humano quidem corpore fruſtra oculus cerneret, ea quæ eſſent agenda niſi manus ea poſſet perficere; ſic nec caput poſſet corpus mouere & circumagere, niſi pedes eſſent obſequentes, ſuóque munere fungerentur. Spectat ergo Apoſtolus hæc membra vt ita dicam in ratione nobiliorum & ignobiliorum partium, & his quidem (manibus & pedibus) obſequij neceſſitatem imponit, illis verò (capiti & oculo) imperij gloriam attribuit: Atqui mi Spalaten. caput materialiter ſpectatũ, nec imperat pedi, nec eum dignitate antecuertit, ſed ſolùm formaliter ſpectatum, & quà influit in pedem ei iure optimo antefertur. Concidit ergo illa malè compacta & ſubnixa diſtinctio, neque ex ea aliud conſecutus eſt aduerſarius, quàm vt ſe imperitum Philoſophiæ proderet. Contra verò ſtat inconcuſſa & immobilis noſtrorum Theologorum ſententia, qui iuxta mentem Apoſtoli, caput hic ſpectant quà influit in corpus ipſumque regit & moderatur. Et ſanè non eſt nouella iſta eorum interpretatio, ſed magnum Baſilium habet authorem. Ille enim ad Pontificem ſcribens ea metaphora vtitur pereleganter. *Siue Caput vos ipſos vniuerſalis Eccleſiæ reputatis, non poteſt pedibus dicere caput, non eſt mihi opus vobis, &c.* Dicat igitur aduerſarius. Baſilius ne hic caput materialiter an verò formaliter ſpectat? An non opem implorat Pontificis? An non & eum & occidentis Epiſcopos hortatur, & per Deum immortalem obteſtatur, vt labanti Orientali Eccleſiæ manus præbeant auxiliatrices? At credo pertinet iſtud ad capitis influxum, nec materialiter ſpectatum iſta præſtat.

Chryſ. in 1. Epiſt. ad Corint. c. 12. orat. 31. Τί γὰρ ποδὸς εὐτελέστερον, ἢ τί κεφαλῆς τιμιώτερον, καὶ ἀναγκαιότερον. τῦτο μὲν γὰρ ἐν ἀνθρώποις, ἡ κεφαλή. ἀλλ' ὅμως ἐν ἔστιν ἀσπάσασθαι, οὐδὲ τὸ πάντα ἀυτὸ δύνασθαι· ἀλλ' ἀνίσον. ἀπὸ τῦτο ἰδῶ, ὅσα ἡμῖν αἱ πόδες παρέχονται.

Sed inſtat ille: *Caput quod pedibus indiget eſt membrum non formaliter Caput. Caput enim formaliter vt caput nihil operis accipit à pedibus, ſeu à quocunque membro, ſed omnia membra ipſum regit, fouet & adiuuat ſuorum ſpirituum animalium influxu.* Et hic quoque ſuam inſcitiam prodit; nam cũ ex eo influxus afflatu ac veluti aſpiratione dignitas capitis conſurgat ac efflorescat, quomodo ei neceſſaria non ſunt membra in quæ illam demittat? vt vel ſaltem eo nomine neceſſaria iure optimo capiti cenſeantur, quod non niſi in his moderandis imperij vim oſtentare poſſit. Proportione quadam etiam ipſa capita populorum Principes, Reges, Pontifices, opus proculdubio habent ſubditis, in quos imperium

Baſil. ep. 77. Εἶτα κεφαλὴν ἑαυτὸν ἡ ἑσπερίου ἐκκλησίας λογίζεσθε, οὐ δύνασθαι τὴν κεφαλὴν εἰπεῖν τοῖς ποσὶ, χρείαν ὑμῶν οὐκ ἔχω.

SPALAT. Num. 4. in med.

exerceant. *Quibus tandem imperabimus, ſi omnes ad vnum mori coegerimus?* dicebat ille Tyranni, ſed non tyrannidis amicus, quod ſcilicet otioſum crederet principatum cui nulli eſſent qui parerent aut obtemperarent? Sapienter omnino author commentarij Ambroſio falſo aſcripti ad illa verba. *Non poteſt dicere caput pedibus, non eſtis mihi neceſſarij; Quid eſt*, inquit, *maior gradu & dignitate, non poteſt ſine illo eſſe qui humilis eſt, quia eſt quod humilis poteſt, ſublimis non poteſt, quia ferrum poteſt quod non poteſt aurum, ac per hoc honorem capiti faciunt pedes.* Viderit igitur Marcus Antonius quàm benè ei conueniat cum Paulo & Pauli interpretibus. Certè de eorum ſententia benè noſtri locum Apoſtoli de Capite formaliter ſpectato ſunt interpretati, nec inſulsè, nec inſipienter inde colligunt dari in Eccleſia caput viſibile. Victus tamen ſibi ſuperbos triumphos canit, funeribus ſcilicet vertendos.

Comment. Ambroſ. aſcrip. ad c. 12. 1. Cor.

Spalat. Num. 4.

Valeant ergo, inquit, *qui ex hoc Pauli loco colligunt in Eccleſia debere dari Caput viſibile, ſed formaliter ſumptum, hoc eſt regens & influens præter Chriſtum* (dixiſſe debuit ſub Chriſto) *cùm Chriſtus optimè poſsit dicere pedibus, mihi non eſtis neceſſarij; vnde colligunt caput hoc loco, non poſſe ſignificare Chriſtum. Ego verò*, attende hominis arrogantiam & inſipientiam, *dixi caput hoc loco ſignificare membrum, quale eſt quiſque in Eccleſia quicunque ille ſit, etiam Apoſtolus non Caput formaliter.* Atque vt cum ratione inſanire videri poſſit poſt hos fumos adducto Pauli loco. *Nunc autem poſuit Deus membra, vnumquodque eorum in corpore ſicut voluit*, perbellem hanc addidit ratiunculam. *Certè*, inquit, *nullus etiam Apoſtolorum poteſt eſſe caput; quia corpus hoc biceps non eſt, & expreſsè Paulus Chriſtum ſolum agnouit Caput, quod actu munera Capitis Eccleſiæ obeat, etiam in cælo ad dexteram Patris collocatus.* Itaque armis nos Philoſophorum oppugnat, nititur enim argumentũ hoc eorum axiomate, *Vnius corporis vnum eſt caput.* Sed reſpondemus breuiter pro more Scholarum, vnius corporis vnum quidem eſſe Caput phyſicum & naturale, at nihil prohibere præterea plura eſſe eius œconomica aut etiam politica capita; Verbi gratia, mulier habet caput phyſicum, nec enim ſuis Anglis perſuaſerit mulieres ἀκεφαλὰς eſſe, at præterea *vir Caput eſt mulieris*, vt totius familiæ, cuius ſinguli ſua habent capita phyſica, Caput eſt paterfamilias; ſic Prorex Hiberniæ Caput eſt illius Regni; & tamen non negauerit Spalaten. Sereniſſimum Iacobum præcipuum & primum Caput eſſe Hiberniæ. Ad eundem igitur modum Eccleſia plura habet Capita, ſed illa ita ſubordinata, vt monſtri nihil pariant. Eſt Chriſtus ſummum Caput, eſt Pontifex ei ſubordinatum Caput, influit ille interius exteriúſque, hic tantum exterius. Ille dona gratiæ largitur, totámque molem regiminis ſua virtute fulcit ac ſuſtentat, hic eius vices exequitur, ac eius nomine Eccleſiam moderatur.

1. Cor. 12.

Spalat. Num. 5.

Confugit iam ad Patres aduerſarius, & primùm profert Auguſtinum qui, *Locis pluribus*, inquit ille, *docet & aſſerit totum Chriſtum eſſe Caput & corpus ſeu membra, id eſt Eccleſiam, neque extra Chriſtum cognoſcit Caput vllum, ſed omnia membra; ita epiſtola 50. ad finem enarratione 2. in Pſalmum 30. & in Pſalm. 56. 62. 100. 131. 132. 138. 139. 142. Tract. 21. 28. 108. in Euangelium Ioannis, & in Epiſtola Ioannis tractatu 10. Sermon. 49. de verbis Domini, & Sermon. 40. de tempore, & ſæpè alibi. Vnicum aut alterum afſero locum: Quæſtio, inquit, certè inter nos verſatur, vbi ſit Eccleſia, vtrum apud nos, an apud illos Donatiſtas. Quæ vtique vna eſt, quam maiores noſtri*

Auguſt. lib. de vnit. Eccleſ. c. 2.

Digitized by Goog

noſtri Catholicam nominarunt: vt ex ipſo nomine oſtenderent, quia per totum eſt. Secundum totum enim κατ' ὅλον Græcè dicitur. Hæc autem Eccleſia corpus Chriſti eſt, ſicut Apoſtolus dicit; Pro corpore eius quæ eſt Eccleſia. Vnde vtique manifeſtum eſt, eum qui non eſt in membris Chriſti, Chriſtianam ſalutem habere non poſſe. Membra verò Chriſti per vnitatis claritatem ſibi copulantur, & per eandem capiti ſuo cohærent, quod eſt Chriſtus Ieſus. Totum igitur quod annunciatur de Chriſto, Caput & corpus eſt. Caput eſt ipſe vnigenitus Ieſus Chriſtus filius Dei viui, ipſe Saluator corporis qui mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. Corpus eius Eccleſia de qua dicitur, vt exhiberet ſibi gloriоſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi. Et poſteà. Totus, inquit, *Chriſtus caput & corpus eſt. Caput vnigenitus Dei filius, & corpus eius Eccleſia, ſponſus & ſponſa, duo in carne vna. Quicunque de ipſo capite ab Scripturis ſanctis diſſentiunt, etiamſi in omnibus locis inueniantur, in quibus Eccleſia deſignata eſt, non ſunt in Eccleſia. Et rurſus quicunque de ipſo capite Scripturis ſanctis conſentiunt, & vnitati Eccleſiæ non communicant, non ſunt in Eccleſia; quia de Chriſti corpore quod eſt Eccleſia, ab ipſius Chriſti teſtificatione diſſentiunt.* Coloſſ. 1. Rom. 4. Epheſ. 5. Auguſt. ibidem cap. 4.

Atqui ſupra oſtendimus Auguſtinum tribuiſſe nomen Capitis Petro: Retexens enim argumentum Vrbici, *Petrus,* inquit, *Caput Apoſtolorum Ianitor cæli.* Itaque locis à Spalatenſi citatis proculdubio loquitur, *de primo & maximo Capite,* quod vnicum agnoſcit, ſcilicet Chriſtum, ſed loco à nobis adducto, & aliis paſſim quæ poſtea afferentur, viſibile & Vicarium Caput ſtatuit, cuius partes ſunt regere Eccleſiam, quod etiam ille mille locis tum Petro tum Petri ſucceſſoribus Pontificibus nullo ſcrupulo tribuit. Quorſum autem agens aduerſus Donatiſtas vnius Chriſti meminerit, nec de Vicario capite quidquam dixerit, explicabo infra.

Auguſtino addit aduerſarius Gregorium pulcherrimè, vt illi videtur, diſſerentem. *Pulcherrimè Gregorius,* inquit, *Chriſtus itaque cum tota ſua Eccleſia, ſiue quæ adhuc verſatur in terris, ſiue quæ cum eo iam regnat in cœlis, vna perſona eſt. Et ſicut eſt vna anima quæ diuerſa corporis membra viuificat, ita totam ſimul Eccleſiam vnus Spiritus ſanctus vegetat & illuſtrat. Sicut namque Chriſtus qui eſt Caput Eccleſiæ de Spiritu ſancto conceptus eſt, ſic ſancta Eccleſia quæ corpus eius eſt eodem Spiritu ſancto repletur vt viuat, eius virtute firmatur, vt in vnius fidei & charitatis compage ſubſiſtat: vnde dicit Apoſtolus: Ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum & conſtructum creſcit in augmentum Dei. Illud eſt corpus extra quod non viuificat Spiritus. Vnde dicit Beatus Auguſtinus, Si vis viuere de Spiritu Dei, eſto in corpore Chriſti. De hoc ſpiritu non viuit Hæreticus, non viuit Schiſmaticus, non viuit excommunicatus, non enim ſunt de corpore: Eccleſia autem Spiritum viuificantem habet, quia capiti ſuo Chriſto inſeparabiliter adhæret. Scriptum eſt enim, qui adhæret Domino, vnus Spiritus eſt cum eo. Itaque Chriſtus à Gregorio agnitus eſt Caput Eccleſiæ actu viuens, & corpus ſuum, quod eſt Eccleſia viuificans, regens & gubernans. Abhorret verò plurimùm idem Gregorius, ſi aliquo pacto dicatur Eccleſia habere in terris vllum caput præter Chriſtum, ne Apoſtolum quidem. Conſiderabat enim quàm grauiter ſanctus Paulus commoueretur, dum ſchiſma Corinthiorum reprehendebat. Quia nimirum dilacerationem corporis Dominici per quam membra eius aliis quodammodo ſe capitibus ſociabant, perhorreſcebat. Sic ergo, inquit de Paulo, ille membra Dominici corporis, certis extra Chriſtum quaſi capitibus, & ipſis quidem Apoſtolis, ſubiici particulari-*

SPALAT. Num. 6. Gregor. in Pſ. 5. pœn. init. Coloſſ. 2. Greg. lib. 4. Epiſt. 38.

Digitized by Google

ter euitauit. Miror Gregorium tantum Pontificiæ dignitatis aſſertorem ac vindicem, teſtem in hac cauſa contra Pontifices adductum, *Is*, inquit Spalatenſis, *agnoſcit Chriſtum Caput Eccleſiæ actu viuens, & corpus ſuum quod eſt Eccleſia, viuificans, regens & gubernans.* Sed quis de Theoremate Gregorij niſi impius dubitare poſſit? Ergo nullum Vicarium Caput agnoſcit? Dubito an aliquid ſuperſit frontis aut certè purioris ſanguinis iis qui hoc argumentum ex Gregorio contexunt, cùm vix vlla ſit pagina operum à Gregorio editorum, qua non hanc Pontificis dignitatem inſinuet & oſtentet. Accipe duo loca quæ inſtar omnium eſſe poſſint. Epiſtola ad Ioannem defenſorem condemnationem Stephani Epiſcopi, *ab Epiſcopis*, vt loquitur, *alieni Concilij* contra formam Iuris *factam* pro authoritate Capitis Eccleſiæ ingratam & irritam habere ſe ſignificans, *Contra hæc*, inquit, *ſi dictum fuerit quod nec Metropolitam habuit, nec Patriarcham; Dicendum eſt quia à ſede Apoſtolica (quæ omnium Eccleſiarum Caput eſt) cauſa audienda ac dirimenda fuerit, &c.* Epiſtola ad Ioannem Epiſcoporum Panormitanum. *Illud autem*, inquit, *admonuerunt, vt Apoſtolicæ ſedis reuerentia, nullius præſumptione turbetur: Tunc enim ſtatus membrorum integer manet,* SI CAPVT FIDEI *nulla pulſet iniuria.* Audis ne Marce Antoni, Sedem Apoſtolicam caput Eccleſiæ Caput fidei à Gregorio nuncupari? Truncus ſis niſi iſtud de Pontifice, non de ſede lignea intellexeris.

Greg. li. 11. ind. 6. Ep. 54.

Vide Greg. in 5. Pſal. Pœnitentialem ad illum verſum, *Tota die exprobrabam mihi, &c.*

Agnoſcit ergo Gregorius viſibile Caput Eccleſiæ Chriſto ſubordinatum, cui ſit demandata cura omnium per orbem Eccleſiarum. Quod attinet ad eum locum in quo aſſerit, *Paulum Apoſtolum cùm audiret quoſdam dicere, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ, hanc dilacerationem corporis Dominici, per quam membra eius, aliis quodammodò ſe capitibus ſociabant, vehementiſſimè perhorreſcentem exclamaſſe, Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt? &c.* quia eo loci impugnat ac retundit audaciam Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui ſe *Oecumenicum & vniuerſalem Epiſcopum* inaniter iactaret, erit de eo aliàs nobis ſermo. Nunc ſufficiat obſeruaſſe damnare Gregorium eos qui ſtudio partium ſic alteri à Chriſto Capiti adhærerent, vt in eo ſpretis reliquis ſuæ ſalutis anchoram ponerent, quaſi ſolus is in cuius verba iurarant in precio aliquo habendus eſſet. Namque eo ducunt verba Apoſtoli: *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Cæterùm non damnat eos qui vinculum pacis ſeruantes Eccleſiæ Capiti viſibili à Chriſto omnibus ſuis præpoſito parerent. Hoc enim ille faciendum mille locis monet. Ac quidem ea ipſa Epiſtola dignitatem capitis non obſcurè Petro aſſerit, & Apoſtolos omnes Eccleſiarum capita indigitat. *Certè*, inquit, *Petrus primum membrum Sanctæ vniuerſalis Eccleſiæ eſt: Paulus, Andreas, Ioannes quid aliud quàm ſingularium ſunt plebium capita? Et tamen ſub vno capite membra ſunt Eccleſiæ.* Si benè coniicio per *primum membrum* Eccleſiæ, Caput intelligitur princeps membrorum, quò & ipſa orationis ſeries ducit. Nam poſt ea verba ſubiecit, *Paulus, Andreas, Ioannes quid aliud ſunt quàm ſingularium plebium capita?* Ergo & de quodam capite primariò loquutum eum oportuit, nempè de ſpectabili & Vicario capite, cuius ſub nomine *primi membri* titulum tribuerit Petro. Quod enim cum Chriſto primo & maximo capite ei conferendus eſſet Petrus, maluit *primi membri* titulo inſignire, vt vel hoc exemplo Principis Apoſtolorum, qui nunquam ſe vniuerſalem Epiſcopum vocari paſſus eſſet, infringeret Ioannis Conſtantinopolitani Patriarchæ audaciam, & laſciuientem eum in circum rationis reduceret ac reuocaret.

Sed

Sed importuniſſimus aduerſarius rurſum nos Apoſtoli armis oppugnat. Vt enim probet nullum aliud eſſe Caput Eccleſiæ quàm Chriſtum. *Hoc ipſum eſt,* inquit, *quod Paulus egregiè alio loco docuit, dicens: Veritatem autem facientes in charitate creſcamus, in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem iunctturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem, in menſuram vniuſcuiuſque membri augmentum corporis facit, in ædificationem ſui in charitate. Explicat,* inquit, *influxum illum viuum, quo Chriſtus etiam in cœlis exiſtens, tanquam viuum actuale Caput, tribuit Eccleſiæ ſuæ vegetationem. Quem Pauli locum tractans Chryſoſtomus ait: Quemadmodum Spiritus ille ſenſibilis, qui ex cerebro per neruos, in corpus deſcendit, non ſimpliciter in omnibus omnia tradit; ſed iuxta cuiuſque membri analogiam, plus illi quod plus, & minus ei quod minus capere poteſt. Iſtud enim radix eſt & principale, nempe corpus conſeruandum: Ita & Chriſtus: Ipſius enim prouidentia, chariſmatúmque ſubminiſtratio, vniuſcuiuſque membri animarum videlicet earum, quæ velut membra quædam illi adaptatæ ſunt iuxta menſuram & analogiam incrementum facit.* Sed hæc ſtultiſſimè dicuntur, & ſunt plena futilitatis. Apoſtolus enim, quod rectè annotauit Theodoretus, innuit quemadmodum in ſumma veluti arce corporis collocatum caput, omnibus omnino corporis membris præſtat, vt benè cohæreant, & vi cerebri quod fons eſt & ſcaturigo, ex qua ſentiendi facultas in omnes ſenſus diſtributa promatur & defluat, actiones ſuppeditat. Haud aliter Chriſtum Dominum qui eſt Eccleſiæ Caput, cùm dona Spiritus ſancti impertiri, tum membra huius corporis in vnam iuncturam atque compagem connectere adminiculo charitatis, cui vis inſit diſſita & diſiuncta copulandi. Atqui hæc ad influxum illum interiorem, quem ab vno Chriſto manare diximus pertinent, non verò tollunt influxum exterioris gubernationis, in cuius conſortium vocat Vicarium caput, modo à nobis ſuperius explicato.

SPALAT. Num. 7. Epheſ. 4.

Chryſoſt. hom. 11. in Epiſt. ad Epheſ.

Theodor. ad illum locum.

Sed quid reſponſurus eſt Spalatenſis Ambroſio, qui hæc in Petrum magno orationis ſplendore torqueat, *Petrus,* inquit, *pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum Petra dicitur, ſicut ait Dominus, Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim dicitur eo quod primus in fidei nationibus fundamentum poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis Chriſtiani compagem molémque contineat. Magnifica verba,* inquit Caſaubonus, *quia ſi propriè loqui volumus continere compagem Eccleſiæ virtutis eſt, non deuotionis.* Hoc ergo ſapientiſſimi Patris dictum vt molliret Caſaubonus diſtinctione vſus eſt, quam caſtigatam vltro amplectimur. *Chriſtus,* inquit, *hoc facit non Petrus* (atqui aduertere eum oportuit, cauſam primam ſecundis agendi vim non adimere) *nam rectè dictum modo Petrum deuotione dumtaxat* (addendum fuit fidei firmitate ac Vicarij capitis dignitate) *eſſe Petram, at Chriſtum virtute; ſed quia ad iaciendа Eccleſiæ fundamenta Chriſtus Petro vſus eſt tanquam excellenti præ multis inſtrumento, mirum non eſt tribui inſtrumento quod Chriſto, verè efficienti cauſæ proprium.* Potuit rem abſoluiſſe duorum aut trium verborum adiectione, ſupererat enim tantum addendum hæc tribui Petro *tanquam Vicario ac Legato Chriſti,* à Domino ſuo his honoribus aucto. Ac ne mirentur aduerſarij toties à nobis illam *de capite primario & ſecundario* diſtinctionem adhiberi, & inculcari ſummum Theologum Nazianzenum, ecce proferimus eius authorem. Sic enim ille de piiſſima ſorore Gorgonia viro coniuncta: *Non enim,* inquit, *quia*

Ambroſ. ſerm. 11. *Videtur eſſe Maximini, ſed à Caſaubono tribuitur Ambroſio, inter cuius opera habetur.* Caſaub. exercit. 15. pag. 416. Et exerc. 13. pag. 268.

Greg. Naz. orat. in Gorg. ſoro.

Οὐ γὰρ ἅπαξ σαρκὶ συνέζευκτο, διὰ τοῦτο ἀπ' αὐτῆς ἐχωρίσθη τῇ πνεύματος, οὐδ' ἐπ' ἀμφοῖν ἴσον ἦν ἀδελφὸν, διὰ τοῦτο πρώτου τοῦ κεφαλαίου ἠγνόησεν.

carni copulata erat, idcirco à ſpiritu diſiuncta eſt, nec quia Caput virum habebat, idcirco primum caput ignorauit. Vides vt diſtinctio noſtra ei probetur.

Num. 8.

Vrget iam Spalatenſis Auguſtini locum, in quo inquit, *Influxum actualem Capitis Chriſti explicat per vnguentum*, contenditque Auguſtinum vnctionem de qua loquitur intellexiſſe, *æquè in omnes Apoſtolos deſcendiſſe à Capite Chriſto, tanquam in Barbam, & non prius in Petrum quàm in alios*: Sed primùm illud *æquè in omnes Apoſtolos* commentum eſt malè ſani capitis, de quo ne quidem per ſomnium cogitarit Auguſtinus. Inſpiciatur locus qui ita habet: *Quis*, inquit Auguſtinus, *eſt Sacerdos, niſi ille qui cùm in mundo non inueniret mundum quod offerret, ſeipſum obtulit? in capite ipſius vnguentum, quia totus Chriſtus cum Eccleſia, ſed à Capite venit vnguentum. Caput noſtrum Chriſtus, eſt crucifixum, ſepultum, ſuſcitatum, aſcendit in cœlum, & venit Spiritus ſanctus à Capite, quod ad Barbam, Barba ſignificat fortes, Barba ſignificat iuuenes, ſtrenuos, impigros, alacres, ideo quando tales deſcribimus, Barbatus eſt homo, dicimus. Ergo illud primum vnguentum deſcendit in Apoſtolos, deſcendit in illos qui primos impetus ſæculi ſuſtinuerunt, deſcendit ergo in illos Spiritus ſanctus, &c.* Aſſerit itaque Auguſtinus deſcendiſſe in Apoſtolos Spiritum ſanctum, ſed *ex æquo* deſcendiſſe non dicit: Imo illos qui primos ſæculi impetus ſuſtinuerint, in hoc numero ponit, quos tamen ex æquo cum Apoſtolis vnguentum illud participaſſe ægrè probabit Spalatenſis. Haud tamen negamus ex æquo deſcendiſſe in Apoſtolos, ſi gratia Apoſtolatus ſpectetur, ſed inficiamur ſi regiminis Eccleſiaſtici poteſtatis & ordinis ratio habeatur: hoc eſt fatemur Apoſtolos parem cum Petro conſequutos gratiam ad obeunda munia Apoſtolica, ad fundandas in omnibus oris Eccleſias, ad Euangelium propalandum, ad adducendas oues in ouile Chriſti; ſed addimus præterea Petro ſuper quem velut ſupra firmam Petram ædificata eſt Eccleſia præ cæteris ſingulare quoddam & eximium donum cœlitus à Spiritu ſancto collatum fuiſſe, quo eam quam nactus eſſet ſpartam vberius exornaret.

Auguſt. in Pſal. 131.

SPALAT. Num. 9.

Sed pro indubitato aſſumit Spalatenſis. *Nullum aliud Caput in Eccleſia agnouiſſe Auguſtinum, præter Chriſtum, & Apoſtolos omnes, incluſo etiam Petro, non niſi membra Chriſti fuiſſe, prout membrum contra diſtinguitur à capite*, vtque probet, eum ſic inducit loquentem, *Sed quoniam per hoc quod mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, factus eſt Caput Eccleſiæ, illi Apoſtoli, membra ſunt eius; ideo ait quod ſequitur, & pro eis ego ſanctifico meipſum. Quid eſt enim, & pro eis ſanctifico meipſum? Niſi eos in me ipſo ſanctifico, cùm & ipſi ſint ego: quoniam de quibus hoc ait, vt dixi membra ſunt eius, & vnus eſt Chriſtus Caput & corpus, &c. Igitur Petrus*, inquit Spalatenſis, *& ipſe eſt Corpus, ſeu membrum ſub capite; Quod clarius idem alibi expreſſit.* Verum eſt, ſi de primo & maximo Capite, quod per influxum gratiæ vniuerſam regit & moderatur Eccleſiam, intelligatur, ſi de capite ſubordinato, de capite regiminis & gubernationis agatur, falſum falſiſſimum, vt antè monuimus ex Auguſtino. Addo iam rationem fuiſſe Auguſtino hanc vnius Capitis Chriſti dignitatem vbique in ſcriptis ſuis propugnandi: Nam cum Donatiſtis illi res fuit, peruicaciſſimis & inſolentiſſimis hæreticis, qui Miniſtris Eccleſiæ titulos, vni Chriſto proprios, etiam illum *Mediatoris* aſſererent. Igitur vt obſtinatos animos frangeret, contendit & Apoſtolos & ipſum Petrum membra fuiſſe Eccleſiæ, ac tam illos quàm hunc à Chriſto habuiſſe ſuæ ſanctitatis & miniſterij dignitatem: quo ſenſu dixit Chriſtum

Auguſt. tract. 108. in Ioan.

ſtum & *Caput & Corpus eſſe*, quia nimirum nihil occurrit in Eccleſia, quod illeſua gratia non informet, cuique ſanctitatem non addat, quanquam pro modulo eorum qui ſubſeruiunt, influxum illum attemperet, quia ſcilicet, *non omnia membra eundem actum habent*, vt notat Apoſtolus.

Sed expendamus locum de Paſtoribus, qui magis ad rem facere videtur: *Ipſum*, inquit, *Petrum, cui commendauit oues ſuas, quaſi alteri, vnum ſecum facere volebat, vt ſic ei oues commendaret, vt eſſet ille Caput, ille figuram corporis portaret, id eſt Eccleſiæ & tanquam ſponſus & ſponſa eſſent duo in carne vna. Quibus verbis*, inquit Spalatenſis, *illud potiſſimum contendit Auguſtinus, Chriſtum noluiſſe ab ſe Capitis officium abdicare, aut Petro committere: ideoque maluiſſe Petrum per amorem quodammodo ſibi vnire: quàm ſe aut Primatum ſuum in Petrum transferre.* Exiſtimat igitur illud potiſſimùm contendiſſe Auguſtinum *Chriſtum noluiſſe ſe Capitis officio abdicare, aut Petro committere, ideoque maluiſſe Petrum per amorem quodammodo ſibi vnire, quàm ſe aut Primatum ſuum in Petrum transferre.* Diceres in ſententia Orthodoxorũ Chriſtum depoſuiſſe Imperium, magiſtratu ſe abdicaſſe, ac faſces ſubmiſiſſe & tradidiſſe Petro. At hæc falſa, & non niſi per ſummum ſcelus & inexpiabilem calumniam eis tribui poſſunt, adeóque ſi ſtudio partium non laboraſſet aduerſarius, hoc eos crimine liberaſſet. Dicimus igitur non ſolùm Chriſtum ſtatu illo florentiſſimo non excidiſſe, collatis Petro capitis inſignibus, hoc eſt regni cœlorum traditis clauibus, ſed quo ſenſu caput ſit, nemini fas eſſe, ne Petro quidem ſummis honoribus aucto cum eo de Capitis dignitate contendere. Quare omnibus omnino vſurpandum illud Dauidis ſapienter monet Auguſtinus in illo de Paſtoribus libro, *Domine quis ſimilis tibi?* Cæterùm & hoc inculcat, ad ſanciendam vnitatem ouium curam *vni Petro* commendatam. *Et in Petro*, inquit, *vnitatem commendauit. Multi erant Apoſtoli, & vni dicitur, Paſce oues meas.* Vides pie lector Auguſtinum ſingulariter demandatam curam totius Eccleſiæ Petro agnouiſſe. Quod verò addit ſic ei commendaſſe oues Chriſtum, *vt eſſet ille* (Chriſtus) *Caput, ille* (Petrus) *figuram corporis portaret*, alibi egregiè explicat. *Quædam*, inquit, *dicuntur quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videntur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam propter* PRIMATVM *quem in Diſcipulis habuit.* Itaque cùm Petro oues commendaret Chriſtus, figuram corporis portabat Petrus, *propter Primatum quo inter Apoſtolos à Chriſto donabatur.* Spectat ergo Auguſtinus Petrum vna cum Eccleſia cuius Caput eſt, aſſeritque Caput hoc Vicarium cum membris vnum Eccleſiæ corpus componere, (namque corpus viuens & ſpirans quale eſt Eccleſia Caput ſuum neceſſariò habet) ac comparatione Chriſti totam Eccleſiam ſic acceptam ſponſæ rationem habere, cuius Chriſtus *ſponſus ſit vt ſint duo in carne vna.* Non eſt igitur cur à ſe ſtare Auguſtinum clamet aduerſarius qui vel eum non intellexerit, vel inuitum & reluctantem nefario conatu in ſuam ſententiam abſtraxerit. Vt igitur vno quaſi faſce complectamur quæ ſunt à nobis fuſiùs diſputata, Caput primum & maximum Eccleſiæ agnoſcimus Chriſtum, cui tota corporis moles innitatur, & à quo omnis in eam fiat defluxus gratiæ & reliquorum ſpiritalium chariſmatum, Petrum etiam ſupremæ illius poteſtatis Vicarium veneramur, cui exterioris regiminis & gubernationis cura magno Eccleſiæ bono ſapienter à Chriſto ſit demandata.

Auguſt. lib. de Paſtor. cap. 13.

Auguſt. de Paſtor. c. 8.

Pſal. 82.

Auguſt. in Pſal. 108.

Vellicat tamen Spalatenſis ſummi magiſtri diſtinctionem, de capitis inter-

SPALAT. Num. 10. no gratiæ & externo gubernationis influxu, & Cardinalem à Turrecremata exagitat, quod in illa acquieſcendum ſibi putarit. *Præter*, inquit, *influxum internum ponit cum Aquinate Thoma alium externum externæ gubernationis; ei ſimilem quo Caput externis ſenſibus, præſertim viſu dirigit hominem in actibus exterioribus. Hîc tamen Turrecremata non conſiderauit, neque viſum, neque auditum, neque vllum ſenſum eorum qui in capite radicantur dici poſſe ipſum Caput, Oculus enim, aures, &c. ſunt membra non in Capite; ſed à capite contra diſtinguuntur, & caput vt caput nullum aliud habet officium niſi interno influxu regere & gubernare totum corpus. Quod verò oculi dirigant manus & pedes extrinſecè, nihil ad caput formaliter ſumptum. Sunt officia membrorum inter ſe cohærentium & mutuò inſeruientium, &c.* Plumbea verba plumbeum argumentum. Vrget, *Nullum ſenſum eorum qui in capite ſuas habeat radices caput poſſe dici.* Quis igitur iſtud vnquam aſſeruit? An hoc aſſumpſit, aut Aquinas, aut Cardinalis à Turrecremata? Audi Marce Antoni, Caput dicimus *totum illud quod collo veluti fulcro ſuſtentatur.* Itaque oculi, aures, nares, &c. partes ſunt Capitis, cui propterea deſeruiunt, & ſuam operam impendunt, in regendo corpore. *Senſus interpretes ac nuncij rerum*, inquit magnus eloquentiæ parens, *in capite tanquam in arce mirificè ad vſus neceſſarios & facti & collocati ſunt; nam oculi tanquam ſpeculatores altiſſimum locum obtinent ex quo plurima conſpicientes fungantur ſuo munere.* Itaque fulgor ille oculorum, quo totus homo illuſtratur, & in rebus moliendis adiuuatur beneficium eſt Capitis. Addimus Caput in ipſo corporis faſtigio à natura collocatum, quod in eo totum animantium regimen reſideat. Habet igitur omnes ſenſus tum internos tum externos, ſuæ poteſtatis ſatellites & miniſtros, quorum opera intuendo & dirigendo corpore vtatur. Proinde eſt oculus membrum, eſt auris membrum, & vtrumque quidem à Capite diſtinctum, at non ſimpliciter ſicut pars à parte, ſed ſicut à toto pars ipſa ſeorſum, & per ſe ſpectata diſcriminatur. Quis autem ſanæ mentis negauerit quoduis totum partium ſuarum adminiculo ſuas exercere ac depromere actiones? Hoc certe eſt lippis & tonſoribus notum. Quanquam verò caput comparatione totius corporis in partibus admirandæ fabricæ ponatur, per ſe tamen ſpectatum & ipſum quoddam totum eſt ſuis partibus conſtans. Quod autem addit aduerſarius, *Caput nullum aliud habere officium, niſi interno influxu regere & gubernare totum corpus*, tam eſt à puriori Philoſophia alienum, vt mirer excidiſſe viro haud planè iſtarum rerum rudi. Conſtans eſt enim ſententia Philoſophorum in capite vigere omnes tum internos tum externos ſenſus, vt ſit fons & ſcaturigo, ex qua interius exteriúſque in totum corpus ſenſus & motus deriuetur. Ab eo ſcilicet initium capiunt nerui per quos ſenſus & motus non ſolùm interius, ſed & exterius in omnia membra diſtribuatur. Meritò itaque magnus Aquinas iuxta capitis Phyſici affectiones, duplicem influxum capiti Eccleſiæ in membra tribuit; vnum internum, gratiæ ſcilicet, & hunc ita proprium Chriſto, vt citra impietatem nulli mortalium tribui poſſit: Alterum exterioris gubernationis qui meritò Optimatibus populorum, Regibus & Magiſtratibus concedatur: Quo ſenſu Saül à Propheta Samuele *Caput in tribubus Iſraël*, Raſin quoque Rex Syriæ *Caput Damaſci* ab Eſaia, & Phaces filius Romeliæ Rex Iſraël *Caput Samariæ* indigitantur. Atqui hoc vnum eſt ineluctabile argumentum aduerſum Marcum Antonium de Dominis. Patres omnes tum Græci tum Latini Petro & Petri ſucceſſoribus Pontificibus Romanis titulum Capitis tribuunt, Scriptura

Turrec. lib. 2. de Eccl. cap. 13. ad 4.

1. Reg. 15. Eſa. 7. Ibidem.

Reges

Reges & Optimates, capita populorum vocat,& Paulus asserit virum caput esse mulieris: Atqui nec Petrus aut Pontifex in Ecclesiam, neque Princeps in subiectos sibi populos, neque vir in mulierem agit vllo interno influxu,sed quotquot Capitis dignitate insigniuntur, tantum dirigunt exterius & gubernant sibi supposita membra: ergo confugiendum est ad eum influxum exterioris gubernationis & regiminis quem ponit sanctus Thomas,ac proinde seipsum non Cardinalem à Turrecremata incogitantiæ accusare debuit aduersarius,qui hæc Philosophis trita aduertere non potuerit. Et certè quidem vbicunque in Scriptura Principes & Reges capita vocantur, non eis interior aliquis gratiæ influxus ascribitur, sed proculdubio de sola externa directione illis locis agitur. Ac vt te conueniam Marce Antoni, censesne serenissimum magnæ Britanniæ Regem, regni sui adeóque Ecclesiæ Anglicanæ caput esse? Censes sanè, atque vt scenæ seruias, & stipem colligas etiam hoc postremum excusas. Hæc enim sunt tua verba. *In quolibet regno Rex potest meritò in bono sensu Catholico dici esse Caput Ecclesiæ, id est supremus gubernator Ecclesiæ totius regni sui.* Peto igitur abs te, Serenissimus Rex regítne, aut Ecclesiam, aut Britannos aliquo interno influxu gratiæ, an verò solùm exterius moderatur? Tu ne adeò impius in Christum,vt internum influxum qui vni illi summo hominum & Angelorum Capiti debeatur, Magno Regi, tamen mortali, ascribas, ac non potius intra cancellos exterioris gubernationis pro grauitate & potestate Imperij quod Episcopus nactus eras eum cohibeas? Est itaque admittenda tibi sancti Doctoris distinctio de duplici influxu Capitis, altero interno gratiæ, altero exterioris gubernationis. Lib.1.cap. 12. Num. 43.

Sed alios nodos nectit. *Videat*, inquit, *Turrecremata, quomodo caput hoc visibile posßit res fidei toti Ecclesiæ credendas diiudicare ac proponere, si ipse non nisi ad externam gubernationem, caput hoc visibile datum esse censet & explicat. Atqui quicunque homo in Ecclesia est, vt visibilis, membrum non caput est.* Atqui nequam (non enim aliud nomen occurrit explicandis his fraudibus) esse oporteat hunc disputatorem. Diceres non solùm Turrecrematam, verùm etiam omnes omnino Catholicos sentire penes Pontificem esse potestatem condendi articulos fidei, quod tamen vt impium reiicit sanctus doctor, quibus omnes Scholastici assentiuntur; Si enim de explicatione articulorum fidei, si de sententia Pontificis qua sanciat hoc vel illud à Scriptura pro articulo fidei proponi agatur, quis tam cœcus aut hebes est, vt non videat hæc ad exteriorem directionem pertinere? Et certè ipsi scripturarum interpretes duce Spiritu sancto,aliquando eos sensus eruunt, quos pro loci authoritate comprobant & firmant Pontifices: Sic Concilium Nicænum consubstantialitatem filij asseruit; Sic Concilium Constantinopolitanum diuinitatem Spiritus sancti à calumniis Macedoni vindicauit. Neque tamen vnquam alicui sano venerit in mentem,has præstantissimas Synodos de his edixisse alio iure quàm exterioris gubernationis. SPALAT. Num. 10. in fin.

Iam aliam viam ingreditur Spalaten. *Hanc eandem*, inquit, *capitis Christi perpetuitatem & perseuerantiam,ita vt nunquam cessauerit Ecclesiam suam in terris per seipsum regere, facile est ostendere ex ipsius Sacerdotio, iuxta doctrinam Pauli qui egregiè probat Christum Dominum æternum esse Sacerdotem; eiúsque Sacerdotium sicut à nullo alio acceptum ita mansurum in æternitate, iuxta illud, Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Et in eo ponit discrimen inter Sacerdotium Christi & Sacerdotium Leuiticum; quod hoc morte interrumpatur: illud verò maneat in æternum: Et alij quidem, inquit, nempe ex genere* SPALAT. Num. 11. Hebr.7. Psal. 109. Hebr.7.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Leui, plures facti ſunt Sacerdotes; idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem CHRISTVS IESVS, eo quod maneat *in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium. Quorſum igitur contendimus Chriſto dare Vicarium vel ſucceſſorem in terris? Cur ſummum hic Pontificem quærimus, ſi Chriſtus ſacerdos & Pontifex noſter ſempiternum habet ſacerdotium & pontificatum ſempiternum?*

Hebr. 7. *Vnde & ſaluare in perpetuum poteſt, accedens per ſemetipſum ad Deum ſemper viuens, ad interpellandum pro nobis, & Aaroni quidem, inquit Athanaſius, ſucceſſores dati ſunt; & omnino legale Sacerdotium mortis & temporis progreſſu alios atque alios Pontifices accepit: Dominus autem ſine tranſitione & ſine ſucceſſore, ſacerdotium obtinens, fidus, firmúſque Pontifex factus eſt in perpetuum perſeuerando. Chryſoſtomus quoque; Propterea ergo, inquit, ſaluat, quoniam non moritur, quia ſemper viuit, & non habet ſucceſſorem. Si verò non habet ſucceſſorem, poteſt etiam omnibus adeſſe; Et paulo antè dixerat; Vnus eſt Pontifex Chriſtus, quia vnus non eſſet, niſi eſſet immortalis; ſicut enim multi Sacerdotes ſunt, quia mortales ſunt; ſic vnus, quia immortalis eſt.* Athan. ſer. 3. cont. Arian. Chryſoſt. hom. 13. in Epiſt. ad Heb. Hæc Spalaten. Itaque vt probet *Chriſtum etiam in cœlis exiſtentem, nunquam ceſſare aut ceſſaſſe Eccleſiam ſuam per ſeipſum regere,* ad ipſius Sacerdotium confugit, quod iuxta doctrinam Pauli in æternum durat. Potuit autem hoc ſe onere leuaſſe, & huic labori tanquam parum neceſſariò peperciſſe. Quis enim noſtrûm vnquam contendit Chriſto tanquam morte ſepulto, aut etiam abſenti ſucceſſorem eſſe ſufficiendum, aut vt ille loquitur

Heb. 7. ſubſtituendum? Agnoſcimus diuinam Pauli vocem. *Et alij quidem* (nempè ex genere Leui) *plures facti ſunt ſacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem Chriſtus Ieſus, eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium,* neque commentariis ad eam illuſtrandam opus fuit. Planus eſt ſenſus, quem Athanaſius & Chryſoſtomus à Spalatenſi inducti tradiderunt; etſi enim Chriſtus mortuus eſt, glorioſum tamen de morte triumphum tulit, ac ſtatim ad vitam reſurrexit glorioſam & immortalem; quare ſucceſſore non indiget, nec ei ſuccenturiantur Pontifices noſtri. Succeſſit quidam olim in lege Eleazarus Aaroni, Eleazaro alius ex præſcripto legis, ſed Petrus non ſucceſſit Chriſto in Pontificatus dignitate. Et quidem Eleazarus ſic Aaronis vita functi, locum occupauit, vt parem cum eo nactus ſit dignitatem, & planè pari gradu fuerit. Petrus autem non ſucceſſit nunquam interituro, nec parem cum Chriſto conſecutus eſt dignitatem, ſed Vicarius & miniſter conſtitutus eſt perpetuò viuentis, ac in æuum regnantis ſeruatoris noſtri. Atqui longè differunt ſucceſſor & Vicarius. Imperatori etiã in caſtris aut in Imperio agenti Legatus dari ſolet, qui eum moleſtia & labore imperandi leuet, ſed ſucceſſor nonniſi poſt mortem aut abdicationem quæritur; quare cùm Chriſtus iuxta Apoſtolum *iam non moriatur,* ſucceſſorem non patitur, ſed Vicarium ac legatum Eccleſiæ præficit, non quidem quod multiplici illo miniſterio obrui ſe ſentiat, ſed quod etſi etiamnum Eccleſiæ ſuæ præſtantiori ac nobiliori modo quàm cùm in terris ageret, præſit, eámque moderetur, ſe tamen ſpectabilem non præbeat. Pergamus.

SPALAT. Num. 12. *An fortaſſe timendum,* proſequitur Spalaten. *ne Chriſtus in cœlis poſitus non poſſit ſupplere muneri in regenda Eccleſia terreſtri? Cùm totum ipſius regimen ab eo vt à capite diuinis influxibus abſoluatur? Nonne ſatis eſt ſi habeat Miniſtros in terris, quorum opera miniſteriali vtatur in regimine ſpirituali, ſeruata ſibi Capitis, Regis & Domini dignitate & prærogatiua? Ego ſanè nullum diſcrimen video, cur potuerit Chriſtus dum præſens corpore erat in terris, ſolo Miniſtrorum vſu Regiam*

exer-

Digitized by Goog

exercere curam in Eccleſia, nullo alio ſibi adiecto Vicario, nullo viſibili capite, nullo ſubſtituto: nunc verò idem prorſus præſtare non poſſit. Retinet igitur & Capitis & Regis & Domini dignitatem, nomen & officium; & per ſeruos ac miniſtros officialeſque ſuos Apoſtolos, Diſcipulos & Epiſcopos ac Sacerdotes, nihil prorſus variata forma regiminis nihilo ſecius Remp. Eccleſiaſticam, hoc eſt ſpiritualem, adminiſtrat, quàm ſi inter mortales vt prius corpore præſens moraretur. Saluator Dominus, benè inquit Clemens, imo Petrus apud Clementem, *gubernator Eccleſiæ ſuæ diligatur ab omnibus; & ipſius ſolius præceptis ac iuſsis credat & obediat omnis Eccleſia.* Clem. Epiſt. 1.

Eodem ſemper relabitur, nec hoc ſuum de ſucceſſore Chriſti commentum delere poteſt. Eſt igitur illi cum monſtro quod ipſe ſibi finxit depugnandum. Nos dicimus non admittere Chriſtum ſucceſſorem, ſed in ſpectabili Eccleſiæ gubernatione Vicarium Caput ſibi delegiſſe, quod ipſum quoque ſpectabile eſſet. Non igitur, vt aduerſario ſatisfaciamus, timemus, *ne Chriſtus*, vt quidem ille loquitur, *in cœlis poſitus, non poſſit ſupplere muneri in regenda Eccleſia terreſtri.* Sed quomodo aduerſarius alios admittit miniſtros, *quorum opera ac adminiculo vtatur Chriſtus in regimine ſpirituali ſeruata ſibi Capitis, Regis ac Domini dignitate ac prærogatiua*, Ita freti authoritate Euangelij ei nos paſcendos committimus, cui dictum ſit à Chriſto; *Paſce oues meas, paſce agnos meos*; Hunc enim *amoris ſui Vicarium* reliquiſſe Chriſtum nos docuit Ambroſius, aut potius ipſe Chriſtus, qui ter illum eodem ſermonis tenore, *Petre amas me*, compellandum duxit; cùm ei Eccleſiæ ſuæ gubernacula tractanda eſſet daturus. Igitur etiam hac parte iuxta Petri apud Clementem conſilium Chriſti præceptis ac iuſſis obtemperamus. Ioan. 21. Amb. ad c. 24. Luc.

Non contentus aduerſarius eripuiſſe faſces Petro, eodem rixus principio & fundamento omnes omnino Sacerdotes dignitate ſibi à Chriſto conceſſa ſpoliare nititur. *Et quia ipſe Chriſtus*, inquit, *adhuc viuit verus & proprius Eccleſiæ Pontifex & Sacerdos, cuius ſacerdotium vidimus eſſe ſempiternum, ideò Sacerdotes omnes mortales in Eccleſia Chriſti, quicunque illi ſint, non tam dicuntur propriè ſacrificium offerre, quod verè & propriè ſolus Chriſtus obtulit, quam ſacrificij illius maximi memoriam celebrare; Hoc facite in meam commemorationem. Quid ergo nos, ait Chryſoſtomus, nonne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius. Et vna eſt hæc hoſtia non multæ. Quomodo vna eſt non multæ? quia ſemel oblata eſt in Sancto Sanctorum: Hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius; idipſum ſemper offerimus. Et paulo poſt, Pontifex noſter ille, qui hoſtiam mundantem nos obtulit; ipſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem quod facimus in commemorationem, quidem facimus eius quod factum eſt: hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud ſacrificium ſicut Pontifex; ſed idipſum ſemper facimus; magis autem recordationem ſacrificij operamur. Et Auguſtinus. Hebræi, inquit, de victimis pecorũ quas offerebant Deo multis & variis modis, ſicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit: Vnde iam Chriſtiani peracti eius ſacrificij memoriam celebrant, ſacroſancta oblatione & participatione Corporis & ſanguinis Domini. Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus: Chriſtus eſt, inquit, ſummus Sacerdos, immutabile habens ſacerdotium, quod neque à tempore cœpit, neque ſucceſſorem alium habens ſacerdotij. Sicut igitur, inquit, nemo ſuccedit Pontifici Chriſto in Eccleſia, quia ipſemet per-* SPALAT. Num. 13. Luc. 22. Chryſoſt. hom. 17. in epiſt. ad Heb. Auguſt li. 2. Cont. Fauſt. c. 18. Cyrill Hieroſ. Catech. 10.

Digitized by Google

ſeuerat; ita neque quiſquam verè & propriè, vt docent Auguſtinus & Chryſoſtomus, ſacrificat; ſed memoriam ſolam repræſentat. Nulla ergo ſucceſſoris, nulla veri Vicarij, nulla ſummi Pontificis, loco Chriſti, neceßitas in Eccleſia. Non eſt hîc de Sacrificio agendi locus, ſed egregiè impudentem eum eſſe oportet, qui negarit Chryſoſtomi & Auguſtini iudicio eſſe in Eccleſia proprij nominis & rationis ſacrificium & Sacerdotes. Chryſoſtomus ſex libros edidit de Sacerdotio, de quibus Suidas ſic pronunciauit de authore proloquutus. [a] *Hic multa ſcripſiſſe fertur, in quibus excellunt ſermones de Sacerdotio, tum ſublimitate & elocutione, tum lenitate & elegantia verborum.* Tertio igitur libro orſus de ſacerdotij dignitate & præſtantia dicere. [b] *Non mortalem quemquam, non Angelum, nec Archangelum, non aliam quamuis creatam potentiam, ſed ipſum Paracletum ordinem ſacerdotalem diſpoſuiſſe,* magna eloquentia docet. Poſtèa verò oſtendit planè terribilia *& viuifica* eſſe, quæ ſacerdotis manu & opera perficiantur in Eccleſia. Nam cernere eſt ait, [c] *Dominum immolatum, & illic ſitum Sacerdotem ſacrificio incumbentem.* Addit carnem & ſanguinem Domini quibus alimur ad vitam æternam per ſacroſanctas illas manus fieri. [d] *Omnia autem hæc haud aliter quàm per ſacroſanctas illas manus perficiuntur, manus inquam ſacerdotum,* inquit Chryſoſtomus. Sed & aliis operibus nihil tam crebrò inculcat, quàm ſacrificij & Sacerdotij propriè dicti inſtitutionem. Auguſtinum verò quomodo ſuæ impietatis teſtem habuerit, qui mille locis ſacerdotum & ſacrificij Chriſtianorum dignitatem commendarit? qui docuerit in Euchariſtia corpus & ſanguinem Chriſti [e] VERVM, VNICVM, *intimum, ſingulariſſimum Eccleſiæ ſacrificium nunquam martyribus litandum,* etſi in memoriam eorum offerendum agnouerit & prædicauerit. Excutiamus iam loca quibus probat Spalatenſis iudicio Chryſoſtomi & Auguſtini, *noſtros ſacerdotes non propriè ſacrificare, ſed dumtaxat memoriam repræſentare.* Affert locum ex commentariis Chryſoſtomi in epiſtolam ad Hebræos. [f] *Quid ergo nos,* inquit Chryſoſtomus, *nonne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius, vt vna eſt hæc hoſtia, non multæ, quia ſemel oblata eſt in Sancto Sanctorum, hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius, idipſum ſemper offerimus.* Chryſoſtomum non intellexit Spalatenſis. Aſſerit quidem ille ſacrificium Euchariſtiæ exemplar eſſe ſacrificij in cruce peracti, ſed eſſe dumtaxat repræſentationem ſacrificij non dixit. Hæc autem ſi neſcit Spalaten. toto cœlo differunt; nihil enim prohibet ſacrificium in commemoratione mortis Chriſti poſitum, veri nominis Sacrificij rationem retinere, quod nimirum huiuſmodi commemoratio vt finis ei ſit præſtituta, ad eſſentiam verò eius non pertineat; namque nos docent Philoſophi cauſam quam vocant finalem non pertinere ad eſſentiam rei, ſed cuius rei gratia exiſtat ſignificare: Sic vt exemplo rem faciam manifeſtam. Cùm Romani deuictis exteris gentibus in Capitolio hoſtias immolarent, erat quidem illud propriè ſacrificium in mactatione victimarum poſitum, ſed ſi finem ſpectes omnino ob partam victoriam litabatur; quare ex parte finis erat quædam gratiarum actio quæ memoriam debellatorum hoſtium refricaret, ſed ex parte materiæ, adeóque formæ quæ duæ cauſæ phyſicè eſſentiam rei componunt, erat verum ſacrificium mactatis à Victimario ſecundum morem Romanum hoſtiis quibus litare mos eſſet; Sic vt ad noſtra deſcendamus, erat in lege ſacrificium laudis, erat & gratiarum actionis, quorum ſi eſſentiam attendas, proculdubio immolatione & occiſione

[a] Suidas in dictione Ἰωάννης. Οὗτος πολλὰ συγγράμματα λιπὼν, ἐφ' οἷς ἐπαινούμενος ὑπερβάλλεται λόγῳ, τῷ τε ὕψει, καὶ τῇ φράσει, καὶ τῇ λοιπῇ, καὶ τῷ κάλλει τῶν ἐννοιῶν.

[b] Chryſ. de Sacerd. l. 3. Οὐ γὰρ ἄνθρωπον, οὐκ ἄγγελον, οὐκ ἀρχάγγελον, οὐκ ἄλλην τινὰ κτιστὴν δύναμιν· ἀλλ' αὐτὸν ὁ παράκλητον τοῦτον διετάξατο τὸν ἀκολουθίαν.

[c] Τὸν κείμενον τεθυμένον, καὶ κείμενον, καὶ τὸν ἱερέα ἱστάμενον τῇ θυσίᾳ.

[d] πάντα δ' ἄνευ τούτων οὐδὲν μᾶλλον ἢ διὰ τῶν ἁγίων ἐκείνων ἐπιτελεῖται χειρῶν τῶν τοῦ ἱερέως λέγω.

[e] Lib. 2. cõt. lit. Parm. cap. 13. Et l. 1. de Baptiſ. cont. Donatiſ. c. 1.

[f] Chryſoſt. hom. 17. in ep. ad Heb.

Digitized by Google

occiſione animalium ad id deſtinatorum peragebantur: Nihilominus ratione finis vtrique præſtituti illud *Iudis* dicebatur, quod celebrandis diuinæ maieſtatis laudibus deputaretur, hoc verò *gratiarum actionis* & *Euchariſticum* quod agendis Deo gratiis de acceptis beneficiis inſeruiret. Pari ratione ſi ſacrificij noſtri eſſentiam expendas, poſita illa eſt *in oblatione Corporis & ſanguinis Domini*, ſi finem ſpectes, *in commemoratione ſacrificij* cruenti in cruce peracti poſitus eſt. Hunc enim finem ei præſtituit Chriſtus his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, ac propterea *annonciationem mortis Chriſti* vocat Apoſtolus; Huic fini proximè coniuncta eſt gratiarum actio, à qua *Euchariſtiæ* nomen accepit, ſiquidem hoc ſummo religionis cultu Deo litamus, ac gratias habemus, pro eo ſummo beneficio, quo nos Chriſtus deuinxit tradito in mortem corpore ſuo ſanctiſſimo & precioſiſſimo ſanguine pro nobis effuſo. Cùm ergo Chryſoſtomus ſacrificium noſtrum exemplar eſſe ſacrificij ſemel peracti aſſerit, ponit nobis ob oculos inſtitutæ Euchariſtiæ finem; ſed cùm eſſentiam explicat, idem nos ſacrificium quod obtulit Chriſtus litare conſtanter defendit. *Quid igitur, quid verò nos*, inquit, *nonne quotidie offerimus?* En quæſtionem de eſſentia ſacrificij ad quam ita reſpondet, προσφέρομεν μέν, ἀλλ' ἀνάμνησιν ποιούμεθα τοῦ θανάτου αὐτοῦ. Duo itaque dicit Chryſoſtomus, & nos offerre, & huic noſtræ oblationi commemorationem mortis Chriſti eſſe præſtitutam. Primum eſſentiam ſacrificij prodit, ſecundum finem indicat. Sed viſne authoritate Chryſoſtomi te totum obruam? Audi magnum Doctorem. *Quoniam multis in locis offertur*, inquit, *multine ſunt Chriſti? Nequaquam, ſed vnus vbique Chriſtus, qui & hic eſt plenus, & illic plenus, vnum corpus. Quomodo ergo multis in locis oblatus vnum eſt corpus, & non multa corpora; ita etiam vnum eſt ſacrificium. Pontifex noſter ille eſt qui illam obtulit hoſtiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus quæ tunc fuit oblata, quæ non poteſt conſumi. Hoc fit in recordationem eius quod tunc factum eſt. Hoc enim facite, inquit, in mei recordationem. Non aliam hoſtiam ſicut Pontifex, ſed eandem ſemper facimus, vel potius hoſtiæ ſeu ſacrificij facimus recordationem.* Neſcio an apertius poſſit inter finem & eſſentiam ſacrificij diſtingui. Quod ergò poſtea addit Chryſoſtomus, μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας, rationem ſacrificij non minuit, ſed finem explicat inſtitutæ Euchariſtiæ, quod nimirum cùm finem oblationi præſtitueret Chriſtus, τοῦτο ποιεῖτε, φησι, εἰς ἐμὴν ἀνάμνησιν. Itaque non corrigit quod antea dixerat Euchariſtiam eſſe ſacrificium, ſed quo ſenſu accipiendum ſit quod ſubiecerat vnum idémque eſſe ſacrificium quod noſtri Sacerdotes offerunt, & quod obtuliſſet in cruce Chriſtus, aperit ac declarat. Atque oſtendit ex duplici capite hanc ſuam ſententiam de identitate ſacrificij veram eſſe. Primùm quia eadem numero vtrobique eſt hoſtia, & idem numero Chriſtus. Secundùm quia Sacrificium Euchariſtiæ repræſentatione idem eſt cum ſacrificio crucis, cum ea quæ in diuina λειτουργία aguntur, imaginem referant eius quod in cruce actum eſt. Sed quod huiuſmodi repræſentatio à re repræſentata hoc eſt à morte in cruce obita differat, addit, μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα; quod ad commemorationem mortis, non ad diſcrimen hoſtiæ referendum. Vno verbo oſtendit eſſe idem numero ſacrificium quod eadem hoſtia & idem omnino Chriſtus vtrobique offeratur, ſed diuerſum eſſe ſpecie, quia diuerſus eſt ritus & forma ſacrificij, quod illud prius cruento modo, hoc verò poſterius incruento offeratur. Sed de his plura ſuo loco. Auguſtinum verò non

1. Cor. 11.

Chryſoſt. ad Hebr. c. 9. hom. 17. Ἐπειδὴ πολλαχοῦ φερόμεθα, πολλοὶ Χριστοί; μηδαμῶς. ἀλλ' εἷς πανταχοῦ ὁ Χριστός, ἐξ οὗπερ καὶ ἡμεῖς πλείους ὄντες, καὶ ἑνὸς πλήρους, ἓν σῶμα. ὥσπερ οὖν πολλαχοῦ προσφερόμενος ἓν ἦν σῶμα οὐχὶ πολλὰ σώματα, οὕτω καὶ μία θυσία, &c.

Ad appendicem.

Digitized by Google

erat quod teſtem adhiberet, nam is clarè ſeipſum explicat, hæc enim eius ſunt verba. *Hebræi*, inquit, *in victimis pecorum quas offerebant Deo multis & variis modis, ſicut re tanta dignum erat Prophetiam celebrabant futuræ victimæ quam Chriſtus obtulit: Vnde iam Chriſtiani peracti eius ſacrificij memoriam*, (en finem) *celebrant, ſacroſancta oblatione* (en veri ſacrificij rationem & eſſentiam) *& participatione corporis & ſanguinis Domini.* Igitur quemadmodum Auguſtinus non negat ſacrificia Hebræorum, etſi celebrandæ Prophetiæ futuræ victimæ deputata veri nominis ſacrificia fuiſſe, ita non inficiatur inſtitutam in memoriam paſſionis Chriſti Euchariſtiam nomen veri, proprij, adeóque, vt ille loquitur, *ſingulariſſimi ſacrificij Chriſtianorum* rationem ſibi vendicare; cùm enim *memoriam peracti ſacrificij crucis* dicit, finem exprimit, cùm *ſacroſancta oblatione corporis & ſanguinis Domini* perfici docet, eſſentiam ſacrificij innuit, & apertiſſimis verbis declarat. Hoc niſi cœcus fuiſſet, vidiſſet Spalatenſis. Quod attinet ad Cyrillum Hieroſolymitanum, commentario non indiget. *Chriſtus*, inquit, *eſt ſummus Sacerdos, immutabile habens Sacerdotium, quod neque à tempore cœpit, neque ſucceſſorem alium habens Sacerdotij.* Quanquam enim quod ait Sacerdotium Chriſti non cœpiſſe in tempore, durius dictum videri poſſit, cùm nonniſi in carne illud geſſerit, tamen quia ad diuinam hypoſtaſim, & ad *Verbum* quod *erat in principio* refert, nihil mutandum: Et credo ad prædeſtinationem æternam reſpexit qua eſt iuxta ordinem Melchiſedech, ante ſecula condita deſignatum in æternum Sacerdos à Patre. Quod verò Chriſtum non habere ſucceſſorem dicit, vltro amplectimur, ſed non habere ſui ſacrificij miniſtros, cùm ſit ipſe inuiſibilis Sacerdos, conſtanter negamus & inficiamur. Vellem hunc ipſum Cyrillum Catecheſi myſtagogica quinta conſuluiſſet Spalaten. nam ab eo didiciſſet eſſe in Eccleſia veri nominis ſacrificium, quod tum pro ſuperſtitibus, tum pro vita functis fidelibus iugiter offeratur. Sed non eſt huius loci iſta expendere.

Cyrill. Hieroſ. Catech. 10. Χριστὸς δὲ ὁ ἀρχιερεὺς, ἀπαράβατον ἔχων τὸ ἱερατεῖον, οὐκ ἀπὸ χρόνου ἐξάρχου ἢ ἱερατείας, οὔτε διάδοχον ἔχων τὴν ἀρχιερωσύνην.

Ab Ambroſio omnium qui vnquam fuerunt acerrimo noſtræ ſententiæ propugnatore petit præſidium aduerſarius, ſed eum de via deducit. *Non latuit*, inquit, *Ambroſium hoc Chriſti iuge Sacerdotium, quod nullum in terris admitteret ſucceſſorem, nullum verum Vicarium, ſed ſolos & plures eiuſdem ordinis & officij miniſtros. Aſcende ergo, inquit, homo in cœlum, & videbis illa quorum vmbra hic erat vel imago. Videbis verum & æternum atque perpetuum Sacerdotem, cuius hîc imagines videbas Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Matthæum, Thomam. Non ergo, inquit, Ambroſio plus Petrus, quàm ſola imago Pontificis Chriſti, tantumdem quantum quilibet aliorum Apoſtolorum. Chriſtus enim Sacerdos perpetuus in ſuo regimine continuè perſeuerat; propterea verò & Eccleſia ipſius, ſub ipſo ſuo capite, tanquam Reſpublica ſub vnico ſuo vero Rege & Monarcha, ab eodem recta perpetuò & gubernata, veram perfectiſſimæ ſimplicis Monarchiæ formam retinet; Adeò vt ſiquidem Monarchia ſimplex inter alias Reipublicæ formas ſimpliciter excellit, vt docent Philoſophi, & noſtrates Theologi, meritò Reſpublica Eccleſiaſtica ſimpliciter & abſolutè Monarchico perfectiſſimo regimini ſubeſſe ſit dicenda.*

Spalat. Num. 14. Ambroſ enar. in Pſal. 38.

Omnes verecundiæ fines mihi tranſiliiſſe videtur egregius hic diſputator, adeo benè & gnauiter eſt impudens. *Non latuit Ambroſium*, inquit, *Chriſtum æternum habere Sacerdotium, adeoque ſucceſſore opus non habere*; Quî verò hoc doctiſſimum virum latuiſſet, quódne imperitiſſimos quidem homines fugit? At

quis

quis vnquam Ambroſio, animoſius pugnauit pro aris, hoc eſt pro veti nominis ſacrificio, & veris altaris miniſtris Sacerdotibus? Audiamus hoc ipſo loco qui à Spalatenſi affertur diſſerentem. *Iam*, inquit, *diſceſſit vmbra mortis & caliginis Iudæorum: dies appropinquauit Eccleſiæ, videmus nunc per imaginem bona, & tenemus imaginis bona. Vidimus principem Sacerdotum ad nos venientem, vidimus & audiuimus offerentem pro nobis ſanguinem ſuum: Sequamur vt poſſumus Sacerdotes, vt offeramus pro populo ſacrificium* (audiſne veterator?) *etſi infirmi, meritò tamen honorabiles ſacrificio, quia etſi nunc non videtur Chriſtus offerre, tamen ipſe Chriſtus in terris* (nota in terris) *quando Chriſti corpus offertur, imò ipſe offerre in nobis manifeſtatur, cuius ſermo ſanctificat ſacrificium quod offertur.* Neſcio an ipſe ſanctiſſimus Pontifex qui Cathedram Petri tenet, fidem ſuam & de ſacrificij veritate ſententiam apertioribus ac clarioribus verbis prodere aut explicare queat, quàm quibus vſus eſt Ambroſius; Vel ergo eum non legit, vel non intellexit aduerſarius. Nec enim quod ille putat imaginem pro picturæ vmbris & coloribus ſolida rerum exiſtentia deſtitutis accepit, ſed pro ea imagine ad cuius ſimilitudinem factus eſt homo; id eſt *imaginem Dei*, vt ipſe interpretatur, intelligit. Lubet hîc locum integrum aſcribere, vt veritati ſuos triumphos aſſeramus. Ita ergo Ambroſius ad illum locum, *In imagine pertranſibit homo. In qua imagine*, inquit, *ambulat homo? In ea vtique ambulat, ad cuius ſimilitudinem factus eſt, id eſt ad imaginem Dei. Imago autem Dei Chriſtus, qui ſplendor gloriæ & imago ſubſtantiæ eius. Chriſtus ergo imago Dei venit ad terras, vt iam non in vmbra ambularemus, ſed in imagine. In imagine autem ambulat, qui ſequitur Euangelium. Ideo Diſcipulo ſuo dicit, Vade retro poſt me, vt me ſequaris. Ideo errauit populus Iudæorum, quia in vmbra ambulauit. Ideo non errat populus Chriſtianus, quia in imagine ambulat, habens ſolem ſibi Iuſtitiæ refulgentem, Bona imago non ceris, pictura fucata radiantis, ſed plenitudine diuinitatis expreſſa. In qua imagine & pater ſimul videtur & filius, quia per vtrumque eorum vnitas operationis effulget; Etſi iam reſurrexerit Chriſtus, tamen in Euangelio nobis adhuc eius imago monſtratur. Lego quod Lazarum ſuſcitauerit, & patris opus & filij credo; Filius vocauit, pater audiuit, Lazarus ambulauit. Lego quia eum dæmones fatebantur & patrem, qui Dei filium precabantur: Fatebantur & ipſum, quia per ipſum eiiciebantur. Scriptum eſt enim; Quod ſi in Belzebub eiicio dæmonia, filij veſtri in quo eiiciunt? Primùm igitur membra præceſſit, ſecuta eſt imago, erit veritas. Vmbra igitur*, inquit, *præceſſit, ſecuta eſt imago, erit veritas, vmbra in lege, imago verò in Euangelio, veritas in cæleſtibus.* Sed quod attinet ad Petrum, Paulum, &c. *quos in imagine hîc pertranſiſſe* cenſet, *Eos dum viuerent in corpore mortis & corruptionis deformitate Chriſtum expreßiſſe non in luce qualis eſt in cælo, ſed in velamine*, & ſub Symbolorum inuolucris, quomodo in myſteriis Eccleſiæ oſtenditur, apertiſſimis verbis docet. *Aſcende*, inquit, *homo in cœlum, videbis non ex parte, non in ænigmate, ſed in conſummatione, non in velamine, ſed in luce. Videbis verum lumen æternum, atque perpetuum Sacerdotem, cuius hic imagines videbas Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Matthæum, Thomam. Videbis perfectum hominem iam non imagine, ſed in veritate. Qualis enim cæleſtis, tales & cæleſtes vtique, vt ipſi iam in gloria vel decore, iam in reſurrectionis gratia, non in corpore mortis & corruptionis deformitate.* Itaque doctus & cordatus lector hîc duo facilè aduerterit. Primum Ambroſium inſtituta compa-

Amb. in Pſal. 38.

ratione inter Christum & Petrum, Paulum, &c. in eo constituisse rationem discriminis, quod Christus sit æternus Sacerdos supra omnem corruptionem in cœlis positus, Petrus verò Paulus in hac vita ad tempus sint consecuti sui ministerij dignitatem, quod essent in corpore mortis & corruptionis deformitate quam iam exuerint decorati gloria & honore. Secundò nomine imaginis vsum eo sensu quo vtitur Apostolus de veteri lege & Euangelio differens. *Vmbram*, inquit, *habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem*, quo loco Apostolus per imaginem intelligit veritatem rerum siue res ipsas, aut ipsam rerum substantiam, vt rectè expressit Syrus interpres, quam vmbris veteris legis opponit. Hoc etiam sensu Gregorius Nazianzenus Pascha Christianorum *typum & imaginem* vult esse Paschatis cælestis, vt *Iudaicum typus fuit nostri*, quod nimirum sub obscuris integumentis & Symbolis corpus Christi à nobis edatur, contra verò ipsum reuelata facie & sublato velamine & impedimento illo Symbolorum in cœlis visuri simus. Quo sensu etiam dixit Chrysostomus, *Christum aliter in cælo videre Deum, quàm viderit in terris positus. Non solum enim*, inquit, *sicut hic per symbola sed ipsum Deum illic videt.* In eundem sensum Ambrosius ipse. *Hîc*, inquit, *vmbra, hîc imago, illic veritas, vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cælestibus: Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert se ipse quasi Sacerdos vt peccata nostra dimittat. Hîc in imagine, ibi in veritate, vbi apud Patrem quasi Aduocatus interuenit. Hîc ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus, illic facie ad faciem, vbi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est.* Vides Ambrosium vmbram tribuere legi, Euangelio imaginem, & veritatem cœlis, vt iam intelligas oppositum eum imaginem non solidæ rerum existentiæ, quippe qui eam ab vmbris recedere dixerit, sed perspicuitati rerum, quam veritatem ipse vocat nonnisi in cœlis patefaciendam. Neque enim nomen imaginis perpetuò simplicem similitudinem significat, sed etiam solidam & expressam rerum veritatem. Sic namque Adam dicitur genuisse liberos *ad similitudinem atque imaginem suam*, Græcè κατὰ τὴν ἰδέαν αὐτοῦ, καὶ κατὰ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ. Et Christus in Epistola ad Colossenses vocatur εἰκὼν τοῦ θεοῦ. Itaque vt finem aliquando faciamus, Ambrosius docet in imagine egisse Petrum, Paulum, Mathæum, & reliquos omnino Apostolos, non quod reuera Sacerdotes non fuerint, aut sacrificium proprij nominis & rationis non obtulerint, sed quod, vt ait Apostolus, *hic per fidem non per speciem* ambuletur, & mortalis homo necdum ipsam speciem, id est naturam & pulchritudinem Dei apertè contempletur. Vnde necessariò sequitur quæ hîc ab hominibus visibilibus celebrantur ministeriis *in imagine* esse, comparatione eorum quæ in cœlis diducto & distracto velo apertè incurrunt in oculos beatorum. Hæc autem veritatem non tollunt, sed solùm rerum perspicuitatem detrahunt.

Hebr. 10. v. 1.

Greg. Naz. orat. 2. de Pasch.

Chrysost. hom. 17. in epist. ad Hebr. ἀκαλυπ.

Ambros. li. 2. de Offic. cap. 48.

Gen. 5.

Col. 1.

Aggreditur iam aduersarius ad ea refellenda quæ inuicti Christi Athleta Cardinalis Bellarminus pro Monarchiæ defensione affert, & Caluini Patronum agit pseudo-Episcopus. Dixerat Bellarminus Caluinum eò se recepisse quo se iam hic noster recipit, atque scripsisse, *Licet Monarchia sit præstantissimum & optimum regimen, non propterea sequi debere Ecclesiam ab vno aliquo homine gubernari, cùm constet eius Regem & Monarcham esse Chri-*

SPALAT. Num. 15. Bellarm. l. 2. de Rom. Pont. c. 9.

Christum, addiderátque posse hoc facilè refelli, *quod etsi Christus vnus sit, ac proprius Ecclesiæ Catholicæ Rex & Monarcha, eámque spiritualiter ac inuisibiliter regat, & moderetur, tamen eget Ecclesia quæ corporalis & visibilis est, vno aliquo visibili summo iudice, à quo lites de religione exortæ componantur; quique omnes inferiores præfectos in officio & vnitate contineat. Alioquin non solùm summus Pontifex, sed etiam Episcopi, Pastores, Doctores ac Ministri omnes* 1. Petr. 2. *superuacanei essent. Christus enim pastor est & Episcopus animarum nostrarum.* Math. 17. *Ipse est vnicus Magister quem audire iubet Pater cælestis; Ipse est qui baptizat in* Ioan. 1. *Spiritu sancto. Quemadmodum igitur*, inquit Bellarminus, *Episcopi, Doctores, cæterique Ministri superuacanei non sunt, tametsi quod ipsi vt Ministri faciunt Christus principaliter faciat; Sic etiam non est è medio tollendus is qui totius Ecclesiæ curam vt summus Oeconomus gerit, quamuis eandem curam Christus principaliter gerat.* Hanc igitur summi viri eruditissimam disputationem labefactare nititur aduersarius, atque *se quidem reliquorum ministrorum quos instituit Christus necessitatem admittere dicit, quod oporteret prædicari Euangelium ore materiali, linguis & verbis humanis per totum mundum, quod baptizandi essent credentes aqua materiali, lotione corporali, iuxta illud, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. At vnius alicuius Vicarij necessitatem inde non haberi, atque gratis dici, egere Ecclesiam vno aliquo visibili summo Iudice, qui lites Ecclesiæ componat.* Sed reuera gratis hæc à se dicta prodit, cùm nulla probatione vtatur ad Bellarminum refellendum; Pollicetur tamen se Caluini causam acturum aliis locis. Itaque bellum eò transfert, quò cùm ventum fuerit, aciem conferemus, etsi opus fuerit magno viro, subueniemus.

Anticipato iam prælio quærit à Bellarmino, *quomodo in rebus fidei & internis postea sit facturus supremum Iudicem Papam, cui nunc solam externam tribuat gubernationem?* Quid? igitur harum controuersiarum adeo rudis est, vt existimet litium Ecclesiasticarum diremptionem quæ à summo Iudice fiat, rem esse interioris influxus? Atqui, dicet, de fide pronunciat: Pronunciat quidem, sed interiores eius actus quorum non est penes eum potestas, nisi suadendo non attingit, sed totus in eo versatur vt sinceram eius exteriorem professionem inducat, quam propterea pro ea qua pollet authoritate edicit. Atqui si hoc est in rebus interioribus versari, quomodo *Iudicia Ecclesiastica* (quorum certè pleráque ad fidem pertinent) *si qua sunt interdum necessaria ab Episcopis & Synodis, adeoque ab ipsa Ecclesia vniuersali terminari* ipse asserit? Parum cohærentia loquitur.

SPALAT. Num. 16. in fin.

Eodem nu. ante fin.

Vellicat modò similitudinem ab Angelorum ordinibus desumptam, qua vsus est Cardinalis Bellarminus, vt ostenderet aliquos esse debere in Ecclesia militante qui rerum habenas moderarentur, quando triumphans suos habet Principes quorum fulgorem & Imperij dignitatem non obscurat, sed potius illustrat præsentia Christi. Et quia argumentum est à coniectura ductum, probabile scilicet non ἀποδεικτικόν, aut demonstratiuum, eo se attineri negat. Fatemur verò argumentum esse probabile; sed rudis sit ac paulò iniquior, qui vt in Mathematicis hic nisi euidentissimis demonstrationibus non acquiescat. Enimuero Ecclesiam hanc militantem in terris instar triumphantis habere, ordinem & seriem imitari, ac pro modulo adumbrare persuasum nobis erat, in eáque perseueraturi eramus opinione, nisi nouus hic *magister in Israël* nos

SPALAT. Num. 17. Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 9. & prius Ioa. Echius de primatu Petri l. 2. cap. 26.

pulum in mille ſectas diuidere. Declinat hoc telum aduerſarius, reſpondétque,

Cypr.lib.3. epiſt.13. *Id fieri non poſſe, quia cùm primùm miniſter aliquis in deuia gregem abripit, Eccleſia ipſa & reliquus bonorum miniſtrorum cœtus eum aut ab errore retrahit, aut ab Eccleſia præſcindit, & à corpore ſacræ Reipublicæ proiicit Chriſto Domino per ſpiritum ſuum huiuſmodi negotium, tanquam vero principe & Rege peragente.* Sed quid fiet ſi ipſi Epiſcopi authores deprehendantur Schiſmatis? quis in viam reuocabit? An inferiores Sacerdotes, & infimæ plebis homines, quibus nulla eſt in ſuos Antiſtites poteſtas? Ponat ſibi ob oculos Spalaten. dirum illud Antio-

Hier. tom. 2. epiſt. 57. ad Damaſc. Pap. chenorum Antiſtitum diſſidium, *quo vetuſto oriens inter ſe populi furore colliſus indiſciſſam Domini tunicam & deſuper textam minutatim per fruſta olim diſcerpſit*, vt conqueritur Hieronymus. Paulinus, Vitalis, Meletius magno orientis malo pro Epiſcopatu conſequendo turbas ciebant, & habebant ſuarum partium ſtudioſos nimium multos. Quid ergo viro pio in oriente agenti præſtandum fuit? Quis quærendus qui ſchiſma ſopiret, aut qui ſaltem quid agendum, aut quid ſequendum in his turbis moneret? Hieronymum audi virum ſapientiſſimum, *Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum, quicunque tecum non colligit*, (Damaſum Pontificem alloquitur) *ſpargit, hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Non à reliquo presbyterorum cœtu, non à cæteris fidelibus, ſed à Damaſo, à ſummo Pontifice præſidium petit; *Quanquam*, inquit, *tui me terreat magnitudo*, vides Romanæ poteſtatis faſtigium à Hieronymo celebratum, *inuitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ouis flagito. Faceſſat inuidia Romani culminis, recedat ambitio, cum ſucceſſore piſcatoris, cum Diſcipulo crucis loquor.* Quàm igitur à priſcorum Patrum iudicio & pietate longè recedit deſertor? Sed erit poſtea locus de his fuſius agendi.

Spalat. Num. 22. Nouam iam & inexpiabilem doctrinam inducit in Eccleſiam Spalatenſis, negat Eccleſiam ab ipſo Chriſto fundatam & conditam. *Non eſt difficile*, inquit, *in doctrina Catholica defendere Eccleſiam veram Primitiuam, poſt Chriſti aſcenſum propriè ſuum ortum habuiſſe.* Imò ne Lutheranis

Cent. 1. lib. 1. ca. 7. pag. 268. 269. 270. quidem idipſum perſuaſeris. Audi tuos Centuriatores: *Etſi verè Chriſtus eſſet ſummus Sacerdos, tamen titulum ſibi arrogare noluit, ſed res ipſas ad Pontificem pertinentes exequitur. Primò tradit cœleſtem doctrinam illuſtrius quàm vllo vnquam ſæculo factum erat, adminiſtrat claues regni cœlorum. Math. 9. Quæſtiones perplexas & obſcuras tam Apoſtolis quàm aduerſariis ſoluit. Secundò orat pro toto mundo, Ioan. 17. Tertiò ſacrificium præſtat pro toto mundo. Alios quoque ad iuuandum miniſterium docendi è reliquo cœtu adſciſcit, nempe duodenos Apoſtolos & ſeptuaginta quos ante ſe binos ablegat.* Atqui ni fallor *inſtituere miniſtros Eccleſiæ, nouum ſacrificium celebrare ac tradere, adminiſtrare claues regni cœlorum, cœleſtem doctrinam docere*, Eccleſiam fundare & ædificare eſt. Adde ſequentia: Chriſtus in terris agens inſtituit noua Sacramenta, condidit nouum teſtamentum, quibus duobus niti totam Machinam Eccleſiæ vos Eccleſiæ hoſtes defenditis; Sanciuit leges Euangelicas, & inſuper his omnibus pondus & vim addidit, cùm expanſis in cruce brachiis dixit, *Conſummatum eſt*, nouiſſimè verò cùm in procinctu res eſſet, & ſe in cœlum recipere vellet, dixit Apoſtolis. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Maioríne igitur molis erat Eccleſiam condere?

Ioan. 20. Paſtorem etiam & Rectorem ouibus datum fortaſſe requiris, *Paſce oues meas,*

paſce

pasce agnos meos, dicit Dominus Simoni Petro. Certè Ecclesiam & fundasse & condidisse Christum cum mortali carne circumamictus populos ad pœnitentiam hortaretur, & eis clauium regni cælestis ministros præficeret, constantissimè docent antiqui Patres; nec veretur Augustinus Ecclesiam vocare, quæ Christum præsentem habuerit. *Secundum præsentiam maiestatis*, inquit, *semper habemus Christum; secundum præsentiam carnis, rectè dictum est Discipulis, Me autem non semper habebitis. Habuit enim illum Ecclesia secundum præsentiam carnis paucis diebus, modò fide tenet, oculis non videt.* Imò contendit Ambrosius omnino à Christo initium ducere debuisse, non ab homine, sic enim ad illa verba, *Anno quinto decimo Imperij Tiberij Cæsaris, factum est verbum Domini super Ioannem, &c. Congregaturus*, inquit, *Ecclesiam Dei filius ante operatur in seruulo. Et ideò bene posuit sanctus Lucas factum esse Verbum Domini super Ioannem Zachariæ filium in deserto: vt Ecclesia non ab homine cœperit, sed à Verbo.* Sed aliis testibus opus non est. Ipse Marcus Antonius testimonium fert in caput suum, & proprio se iugulat gladio; nam homo mirè inconstans scribit, *Facilè admittimus necessitatem ministrorum quibus vti voluit Christus, etiam dum ipse mortalis in sua Ecclesia versabatur.* Rursus. *Dicimus Apostolos omnes immediatè à Christo assumptos esse, vt essent operarij & ministri ipsius viuentis adhuc & regnantis & in fundanda Ecclesia coadiutores.* Quid potest dici apertius? Non igitur doctrinam Sanderi profligauit, sed suam sententiam ipse euertit, ac funditus sustulit.

Ambr. li. 2. comm. in Luc. ad Cap. 3. Num. 16. Num. 19.

Nititur tamen labantem fulcire testimonio Scripturarum, quia scilicet filio dictum est à Patre. *Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ; Nimirum*, inquit, *postquam, Astiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduersus Dominum & aduersus Christum eius.* Et alibi scriptum, *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Exaltatus*, inquit, *namque est Christus vt Caput Ecclesiæ, postquam de torrente Passionis bibit.* Et, *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit semen longæuum, hoc est suam Ecclesiam; Prius tamen vidimus eum, & non erat aspectus, virum dolorum. Et verè languores nostros ipse tulit, & vulneratus est propter iniquitates nostras, & oblatus est quia ipse voluit. Et sicut ouis ad occisionem dictus est; & abscissus de terra viuentium; & tunc tandem longæuum ei semen est concessum, non prius. Et nonne passim dicitur à nostris, Ecclesiam de latere Christi fluxisse, hoc est post Passionem Christi fuisse inchoatam.* At hæc miseram causam nil iuuant; Ostendunt enim Christum id morte sua consecutum, vt ei iuxta Prophetarum vaticinia *curuaretur omne genu*, sed ante redditum Deo spiritum, & ante ascensum eius in cœlum non fuisse Ecclesiam ab ipso fundatam, minimè euincunt. Ad fulgorem Euangelij, non ad primam Ecclesiæ fundationem ista pertinent. Imò si verum fateri volumus, inuexit in Ecclesiam iam fundatam hoc *semen longæuum*, id est populorum multitudinem tantæ propaginis author Deus, & termini terræ eidem iam conditæ & constitutæ obuenerunt: Non enim confestim aut ab initio prædicationis Apostolorum regna paruerunt Christo, sed successu temporis illam suam hæreditatem adeptus est. Meminisse ergo oportet *excisi de monte lapidis*, qui cùm initio exigua mole esset, tandem creuerit *in montem maximum, & impleuerit terram*: Nimirum initio Ecclesia Christi grex pusillus erat, (Caluinistæ hunc locum ad suam paucitatem defendendam aliquando detorserunt) sed interea grex erat, ouileque

Psal. 2. Psal. 109. Isa. 53. Ibidem. Daniel 3.

Leui, plures facti sunt Sacerdotes; idcirco quod morte prohiberentur permanere; hic autem CHRISTVS IESVS, eo quod maneat *in æternum, sempiternum habet Sacerdotium. Quorsum igitur contendimus Christo dare Vicarium vel successorem in terris? Cur summum hic Pontificem quærimus, si Christus sacerdos & Pontifex noster sempiternum habet sacerdotium & pontificatum sempiternum?*

Hebr. 7. *Vnde & saluare in perpetuum potest, accedens per semetipsum ad Deum semper viuens, ad interpellandum pro nobis,*

Athan. ser. 3. cont. Arian. *& Aaroni quidem, inquit Athanasius successores dati sunt; & omnino legale Sacerdotium mortis & temporis progressu alios atque alios Pontifices accepit: Dominus autem sine transitione & sine successore, sacerdotium obtinens, fidus, firmúsque Pontifex factus est in perpetuum perseuerando.*

Chrysost. hom. 13. in Epist. ad Heb. *Chrysostomus quoque; Propterea ergo, inquit, saluat, quoniam non moritur, quia semper viuit, & non habet successorem. Si verò non habet successorem, potest etiam omnibus adesse; Et paulo antè dixerat; Vnus est Pontifex Christus, quia vnus non esset, nisi esset immortalis; sicut enim multi Sacerdotes sunt, quia mortales sunt; sic vnus, quia immortalis est.* Hæc Spalaten. Itaque vt probet *Christum etiam in cœlis existentem, nunquam cessare aut cessasse Ecclesiam suam per seipsum regere,* ad ipsius Sacerdotium confugit, quod iuxta doctrinam Pauli in æternum durat. Potuit autem hoc se onere leuasse, & huic labori tanquam parum necessario pepercisse. Quis enim nostrûm vnquam contendit Christo tanquam morte sepulto, aut etiam absenti successorem esse sufficiendum, aut vt ille loquitur

Heb. 7. substituendum? Agnoscimus diuinam Pauli vocem. *Et alij quidem* (nempè ex genere Leui) *plures facti sunt sacerdotes, idcirco quod morte prohiberentur permanere, hic autem Christus Iesus, eo quod maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium,* neque commentariis ad eam illustrandam opus fuit. Planus est sensus, quem Athanasius & Chrysostomus à Spalatensi inducti tradiderunt; etsi enim Christus mortuus est, glorioſum tamen de morte triumphum tulit, ac statim ad vitam resurrexit glorioſam & immortalem; quare successore non indiget, nec ei succenturiantur Pontifices nostri. Successit quidam olim in lege Eleazarus Aaroni, Eleazaro alius ex præscripto legis, sed Petrus non successit Christo in Pontificatus dignitate. Et quidem Eleazarus sic Aaronis vita functi, locum occupauit, vt parem cum eo nactus sit dignitatem, & planè pari gradu fuerit. Petrus autem non successit nunquam interituro, nec parem cum Christo consecutus est dignitatem, sed Vicarius & minister constitutus est perpetuò viuentis, ac in æuum regnantis seruatoris nostri. Atqui longè differunt successor & Vicarius. Imperatori etiá in castris aut in Imperio agenti Legatus dari solet, qui eum molestia & labore imperandi leuet, sed successor nonnisi post mortem aut abdicationem quæritur; quare cùm Christus iuxta Apostolum *iam non moriatur,* successorem non patitur, sed Vicarium ac legatum Ecclesiæ præficit, non quidem quod multiplici illo ministerio obrui se sentiat, sed quod etsi etiamnum Ecclesiæ suæ præstantiori ac nobiliori modo quàm cùm in terris ageret, præsit, eámque moderetur, se tamen spectabilem non præbeat. Pergamus.

SPALAT. Num. 12. *An fortasse timendum,* prosequitur Spalaten. *ne Christus in cœlis positus non possit supplere muneri in regenda Ecclesia terrestri? Cùm totum ipsius regimen ab eo vt à capite diuinis influxibus absoluatur? Nonne satis est si habeat Ministros in terris, quorum opera ministeriali vtatur in regimine spirituali, seruata sibi Capitis, Regis & Domini dignitate & prærogatiua? Ego sanè nullum discrimen video, cur potuerit Christus dum præsens corpore erat in terris, solo Ministrorum vsu Regiam exer-*

exercere curam in Eccleſia, nullo alio ſibi adiecto Vicario, nullo viſibili capite, nullo ſubſtituto: nunc verò idem prorſus præſtare non poſſit. Retinet igitur & Capitis & Regis & Domini dignitatem, nomen & officium; & per ſeruos ac miniſtros officialeſque ſuos Apoſtolos, Diſcipulos & Epiſcopos ac Sacerdotes, nihil prorſus variata forma regiminis nihilo ſecius Remp. Eccleſiaſticam, hoc eſt ſpiritualem, adminiſtrat, quàm ſi inter mortales vt prius corpore præſens moraretur. Saluator Dominus, benè inquit Clemens, imo Petrus apud Clementem, *gubernator Eccleſiæ ſuæ diligatur ab omnibus; & ipſius ſolius præceptis ac iuſſis, credat & obediat omnis Eccleſia.* Clem. Epiſt. 1.

Eodem ſemper relabitur, nec hoc ſuum de ſucceſſore Chriſti commentum delere poteſt. Eſt igitur illi cum monſtro quod ipſe ſibi finxit depugnandum. Nos dicimus non admittere Chriſtum ſucceſſorem, ſed in ſpectabili Eccleſiæ gubernatione Vicarium Caput ſibi delegiſſe, quod ipſum quoque ſpectabile eſſet. Non igitur, vt aduerſario ſatisfaciamus, timemus, *ne Chriſtus*, vt quidem ille loquitur, *in cœlis poſitus, non poſſit ſupplere muneri in regenda Eccleſia terreſtri.* Sed quomodo aduerſarius alios admittit miniſtros, *quorum opera ac adminiculo vtatur Chriſtus in regimine ſpirituali ſeruata ſibi Capitis, Regis ac Domini dignitate ac prærogatiua*, Ita freti authoritate Euangelij ei nos paſcendos committimus, cui dictum ſit à Chriſto; *Paſce oues meas, paſce agnos meos*; Hunc enim *amoris ſui Vicarium* reliquiſſe Chriſtum nos docuit Ambroſius, aut potius ipſe Chriſtus, qui ter illum eodem ſermonis tenore, *Petre amas me*, compellandum duxit; cùm ei Eccleſiæ ſuæ gubernacula tractanda eſſet daturus. Igitur etiam hac parte iuxta Petri apud Clementem conſilium Chriſti præceptis ac iuſſis obtemperamus. Ioan. 21. Amb. ad c. 24. Luc.

Non contentus aduerſarius eripuiſſe faſces Petro, eodem mixus principio & fundamento omnes omnino Sacerdotes dignitate ſibi à Chriſto conceſſa ſpoliare nititur. *Et quia ipſe Chriſtus*, inquit, *adhuc viuit verus & proprius Eccleſiæ Pontifex & Sacerdos, cuius ſacerdotium vidimus eſſe ſempiternum, iacò Sacerdotes omnes mortales in Eccleſia Chriſti, quicunque illi ſint, non tam dicuntur propriè ſacrificium offerre, quod verè & propriè ſolus Chriſtus obtulit, quam ſacrificij illius maximi memoriam celebrare; Hoc facite in meam commemorationem. Quid ergo nos, ait Chryſoſtomus, nonne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius. Et vna eſt hæc hoſtia non multæ. Quomodo vna eſt non multæ? quia ſemel oblata eſt in Sancto Sanctorum: Hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius; idipſum ſemper offerimus. Et paulo poſt, Pontifex noſter ille, qui hoſtiam mundantem nos obtulit; ipſam offerimus & nunc, quæ tunc oblata quidem conſumi non poteſt. Hoc autem quod facimus in commemorationem, quidem facimus eius quod factum eſt: hoc enim facite, inquit, in meam commemorationem. Non aliud ſacrificium ſicut Pontifex; ſed idipſum ſemper facimus; magu autem recordationem ſacrificij operamur. Et Auguſtinus. Hebræi, inquit, de victimis pecorũ quas offerebant Deo multis & variis modu, ſicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit: Vnde iam Chriſtiani peracti eius ſacrificij memoriam celebrant, ſacroſancta oblatione & participatione Corporis & ſanguinis Domini. Cyrillus Hieroſolymorum Epiſcopus: Chriſtus eſt, inquit, ſummus Sacerdos, immutabile habens ſacerdotium, quod neque à tempore cœpit, neque ſucceſſorem alium habens ſacerdotij. Sicut igitur, inquit, nemo ſuccedit Pontifici Chriſto in Eccleſia, quia ipſemet per-* SPALAT. Num. 13. Luc. 22. Chryſoſt. hom. 17. in epiſt. ad Heb. Auguſt. li. 2. Cont. Fauſt. c. 18. Cyrill Hieroſ. Catech. 10.

Digitized by Google

ſeuerat; ita neque quiſquam verè & propriè, vt docent Auguſtinus & Chryſoſtomus, ſacrificat; ſed memoriam ſolam repræſentat. Nulla ergo ſucceſſoris, nulla veri Vicarij, nulla ſummi Pontificis, loco Chriſti, neceßitas in Eccleſia. Non eſt hîc de Sacrificio agendi locus, ſed egregiè impudentem eum eſſe oporteat, qui negarit Chryſoſtomi & Auguſtini iudicio eſſe in Eccleſia proprij nominis & rationis ſacrificium & Sacerdotes. Chryſoſtomus ſex libros edidit de Sacerdotio, de quibus Suidas ſic pronunciauit de authore proloquutus. [a] *Hic multa ſcripſiſſe fertur, in quibus excellunt ſermones de Sacerdotio, tum ſublimitate & elocutione, tum lenitate & elegantia verborum.* Tertio igitur libro orſus de ſacerdotij dignitate & præſtantia dicere. [b] *Non mortalem quemquam, non Angelum, nec Archangelum, non aliam quamuis creatam potentiam, ſed ipſum Paracletum ordinem ſacerdotalem diſpoſuiſſe,* magna eloquentia docet. Poſteà verò oſtendit planè terribilia & *vinifica* eſſe, quæ ſacerdotis manu & opera perficiantur in Eccleſia. Nam cernere eſt ait, [c] *Dominum immolatum, & illic ſitum Sacerdotem ſacrificio incumbentem.* Addit carnem & ſanguinem Domini quibus alimur ad vitam æternam per ſacroſanctas illas manus fieri. [d] *Omnia autem hæc haud aliter quàm per ſacroſanctas illas manus perficiuntur, manus inquam ſacerdotum,* inquit Chryſoſtomus. Sed & aliis operibus nihil tam crebrò inculcat, quàm ſacrificij & Sacerdotij propriè dicti inſtitutionem. Auguſtinum verò quomodo ſuæ impietatis teſtem habuerit, qui mille locis ſacerdotum & ſacrificij Chriſtianorum dignitatem commendarit? qui docuerit in Euchariſtia corpus & ſanguinem Chriſti [e] VERVM, VNICVM, *intimum, ſingulariſſimum Eccleſiæ ſacrificium nunquam martyribus litandum*, etſi in memoriam eorum offerendum agnouerit & prædicauerit. Excutiamus iam loca quibus probat Spalatenſis iudicio Chryſoſtomi & Auguſtini, *noſtros ſacerdotes non propriè ſacrificare, ſed dumtaxat memoriam repræſentare.* Affert locum ex commentariis Chryſoſtomi in epiſtolam ad Hebræos. [f] *Quid ergo nos,* inquit Chryſoſtomus, *nonne per ſingulos dies offerimus? Offerimus quidem, ſed ad recordationem facientes mortis eius, vt vna eſt hæc hoſtia, non multæ, quia ſemel oblata eſt in Sancto Sanctorum, hoc autem ſacrificium exemplar eſt illius, idipſum ſemper offerimus.* Chryſoſtomum non intellexit Spalatenſis. Aſſerit quidem ille ſacrificium Euchariſtiæ exemplar eſſe ſacrificij in cruce peracti, ſed eſſe dumtaxat repræſentationem ſacrificij non dixit. Hæc autem ſi neſcit Spalaten. toto cœlo differunt; nihil enim prohibet ſacrificium in commemoratione mortis Chriſti poſitum, veri nominis Sacrificij rationem retinere, quod nimirum huiuſmodi commemoratio vt finis ei ſit præſtituta, ad eſſentiam verò eius non pertineat; namque nos docent Philoſophi cauſam quam vocant finalem non pertinere ad eſſentiam rei, ſed cuius rei gratia exiſtat ſignificare: Sic vt exemplo rem faciam manifeſtam. Cùm Romani deuictis exteris gentibus in Capitolio hoſtias immolarent, erat quidem illud propriè ſacrificium in mactatione victimarum poſitum, ſed ſi finem ſpectes omnino ob partam victoriam litabatur; quare ex parte finis erat quædam gratiarum actio quæ memoriam debellatorum hoſtium refricaret, ſed ex parte materiæ, adeóque formæ quæ duæ cauſæ phyſicè eſſentiam rei componunt, erat verum ſacrificium mactatis à Victimario ſecundum morem Romanum hoſtiis quibus litare mos eſſet; Sic vt ad noſtra deſcendamus, erat in lege ſacrificium laudis, erat & gratiarum actionis, quorum ſi eſſentiam attendas, proculdubio immolatione & occiſione

[a] Suidas in dictione Ιωάννης. Οὗτος πολλὰ συγγράμματα λέγεται καταλιπεῖν, ἐν οἷς καὶ περὶ ἱερωσύνης βιβλία ἕξ· ἃ δὴ καὶ τῇ φράσει, καὶ τῇ λοιπῇ, καὶ τῇ περὶ τῶν ὑποθέσεων.

[b] Chryſ. de Sacerd. l. 3. Οὐ γὰρ ἄνθρωπον, οὐκ ἄγγελον, οὐκ ἀρχάγγελον, οὐκ ἄλλην τινὰ κτιστὴν δύναμιν· ἀλλ' αὐτὸν τὸν παράκλητον τοῦτον διετάξατο τὸν ἱερατικόν.

[c] Τὸν κείμενον τεθυμένον, καὶ παρόντα, καὶ τὸν ἱερέα ἱστάμενον τῷ θύματι.

[d] πάντα δὲ ταῦτα δι' ἐτέρου μηδενὸς οὕτως μάνου καὶ δικαίου ἐκείνου ἐπιτελεῖται χειρῶν· τῶν τοῦ ἱερέως λέγω.

[e] Lib. 2. cōt. lit. Parm. cap. 13. Et l. 1. de Baptiſ. cont. Donatiſ. c. 1.

[f] Chryſoſt. hom. 17. in ep. ad Heb.

Digitized by Google

occisione animalium ad id destinatorum peragebantur: Nihilominus ratione finis vtrique præstituti illud *laudis* dicebatur, quod celebrandis diuinæ maiestatis laudibus deputaretur, hoc verò *gratiarum actionis* & *Eucharisticum* quod agendis Deo gratiis de acceptis beneficiis inseruiret. Pari ratione si sacrificij nostri essentiam expendas, posita illa est *in oblatione Corporis & sanguinis Domini*, si finem spectes, *in commemoratione sacrificij* cruenti in cruce peracti positus est. Hunc enim finem ei præstituit Christus his verbis: *Hoc facite in meam commemorationem*, ac propterea *annonciationem mortis Christi* vocat Apostolus; Huic fini proximè coniuncta est gratiarum actio, à qua *Eucharistiæ* nomen accepit, siquidem hoc summo religionis cultu Deo litamus, ac gratias habemus, pro eo summo beneficio, quo nos Christus deuinxit tradito in mortem corpore suo sanctissimo & pretiosissimo sanguine pro nobis effuso. Cùm ergo Chrysostomus sacrificium nostrum exemplar esse sacrificij semel peracti asserit, ponit nobis ob oculos institutæ Eucharistiæ finem; sed cùm essentiam explicat, idem nos sacrificium quod obtulit Christus litare constanter defendit. *Quid igitur, quid verò nos*, inquit, *nonne quotidie offerimus?* En quæstionem de essentia sacrificij ad quam ita respondet, προσφέρομεν μὲν, ἀλλ' ἀνάμνησιν ποιούμεθα τοῦ θανάτου αὐτοῦ. Duo itaque dicit Chrysostomus, & nos offerre, & huic nostræ oblationi commemorationem mortis Christi esse præstitutam. Primum essentiam sacrificij prodit, secundum finem indicat. Sed visne authoritate Chrysostomi te totum obruam? Audi magnum Doctorem. *Quoniam multis in locis offertur*, inquit, *multine sunt Christi? Nequaquam, sed vnus vbique Christus, qui & hic est plenus, & illic plenus, vnum corpus. Quomodo ergo multis in locis oblatus vnum est corpus, & non multa corpora; ita etiam vnum est sacrificium. Pontifex noster ille est qui illam obtulit hostiam, quæ nos mundat. Illam nunc quoque offerimus quæ tunc fuit oblata, quæ non potest consumi. Hoc fit in recordationem eius quod tunc factum est. Hoc enim facite, inquit, in mei recordationem. Non aliam hostiam sicut Pontifex, sed eandem semper facimus, vel potius hostiæ seu sacrificij facimus recordationem.* Nescio an apertius possit inter finem & essentiam sacrificij distingui. Quod ergò postea addit Chrysostomus, μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα θυσίας, rationem sacrificij non minuit, sed finem explicat institutæ Eucharistiæ, quod nimirum cùm finem oblationi præstitueret Christus, τοῦτο ποιεῖτε, φησι, εἰς ἐμὴν ἀνάμνησιν. Itaque non corrigit quod antea dixerat Eucharistiam esse sacrificium, sed quo sensu accipiendum sit quod subiecerat vnum idémque esse sacrificium quod nostri Sacerdotes offerunt, & quod obtulisset in cruce Christus, aperit ac declarat. Atque ostendit ex duplici capite hanc suam sententiam de identitate sacrificij veram esse. Primùm quia eadem numero vtrobique est hostia, & idem numero Christus. Secundùm quia Sacrificium Eucharistiæ repræsentatione idem est cum sacrificio crucis, cum ea quæ in diuina λειτουργία aguntur, imaginem referant eius quod in cruce actum est. Sed quod huiusmodi repræsentatio à re repræsentata hoc est à morte in cruce obita differat, addit, μᾶλλον δὲ ἀνάμνησιν ἐργαζόμεθα; quod ad commemorationem mortis, non ad discrimen hostiæ referendum. Vno verbo ostendit esse idem numero sacrificium quod eadem hostia & idem omnino Christus vtrobique offeratur, sed diuersum esse specie, quia diuersus est ritus & forma sacrificij, quod illud prius cruento modo, hoc verò posterius incruento offeratur. Sed de his plura suo loco. Augustinum verò non

1. Cor. 11.

Chrysost. ad Hebr. c. 9. hom. 17. Ἐπειδὴ πολλαχοῦ φερόμεθα, πολλαὶ χειρὶ μυριάμεις· ἀλλ' εἷς παντοχοῦ ὁ Χριστός, ἡ ὁλοκλήρως οὗτος, καὶ ἐνταῦθα πλήρης, ἡ σῶμα. ὥσπερ οὖν πολλαχοῦ προφερόμενος τὸ σῶμα οὐχὶ πολλοὺς λέγει σώματα, οὕτω καὶ μίαν θυσίαν, &c.

Ad appendicem.

erat quod teſtem adhiberet, nam is clarè ſeipſum explicat, hæc enim eius ſunt verba. *Hebræi*, inquit, *in victimis pecorum quas offerebant Deo multis & variis modis, ſicut re tanta dignum erat Prophetiam celebrabant futuræ victimæ quam Chriſtus obtulit: Vnde iam Chriſtiani peracti eius ſacrificij memoriam,* (en finem) *celebrant, ſacroſancta oblatione* (en veri ſacrificij rationem & eſſentiam) *& participatione corporis & ſanguinis Domini.* Igitur quemadmodum Auguſtinus non negat ſacrificia Hebræorum, etſi celebrandæ Prophetiæ futuræ victimæ deputata veri nominis ſacrificia fuiſſe, ita non inficiatur inſtitutam in memoriam paſſionis Chriſti Euchariſtiam nomen veri, proprij, adeóque, vt ille loquitur, *ſingulariſſimi ſacrificij Chriſtianorum* rationem ſibi vendicare; cùm enim *memoriam peracti ſacrificij crucis* dicit, finem exprimit, cùm *ſacroſancta oblatione corporis & ſanguinis Domini* perfici docet, eſſentiam ſacrificij innuit, & apertiſſimis verbis declarat. Hoc niſi cœcus fuiſſet, vidiſſet Spalatenſis. Quod attinet ad Cyrillum Hieroſolymitanum, commentario non indiget. *Chriſtus*, inquit, *eſt ſummus Sacerdos, immutabile habens Sacerdotium, quod neque à tempore cœpit, neque ſucceſſorem alium habens Sacerdotij.* Quanquam enim quod ait Sacerdotium Chriſti non cœpiſſe in tempore, durius dictum videri poſſit, cùm nonniſi in carne illud geſſerit, tamen quia ad diuinam hypoſtaſim, & ad *Verbum* quod *erat in principio* refert, nihil mutandum: Et credo ad prædeſtinationem æternam reſpexit qua eſt iuxta ordinem Melchiſedech, ante ſecula condita deſignatum in æternum Sacerdos à Patre. Quod verò Chriſtum non habere ſucceſſorem dicit, vltro amplectimur, ſed non habere ſui ſacrificij miniſtros, cùm ſit ipſe inuiſibilis Sacerdos, conſtanter negamus & inficiamur. Vellem hunc ipſum Cyrillum Catecheſi myſtagogica quinta conſuluiſſet Spalaten. nam ab eo didiciſſet eſſe in Eccleſia veri nominis ſacrificium, quod tum pro ſuperſtitibus, tum pro vita functis fidelibus iugiter offeratur. Sed non eſt huius loci iſta expendere.

Cyrill. Hieroſ. Catech. 10. Χριστὸς Ἀρχιερεὺς, ἀπερίτμητον ἔχων τὴν ἱερωσύνην, οὐκ ἀπὸ χρόνου ἀρξάμενος ἢ ἐκτομῆς, οὐδὲ διαδοχὴν ἵνα ἐν ἔχῃ τῶν ἀρχιερατικῶν.

Ab Ambroſio omnium qui vnquam fuerunt acerrimo noſtræ ſententiæ propugnatore petit præſidium aduerſarius, ſed eum de via deducit. *Non latuit*, inquit, *Ambroſium hoc Chriſti iuge Sacerdotium, quod nullum in terris admitteret ſucceſſorem, nullum verum Vicarium, ſed ſolos & plures eiuſdem ordinis & officij miniſtros. Aſcende ergo, inquit, homo in cœlum, & videbis illa quorum vmbra hic erat vel imago. Videbis verum & æternum atque perpetuum Sacerdotem, cuius hîc imagines videbas Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Matthæum, Thomam. Non ergo, inquit, Ambroſio plus Petrus, quàm ſola imago Pontificis Chriſti, tantumdem quantum quilibet aliorum Apoſtolorum. Chriſtus enim Sacerdos perpetuus in ſuo regimine continuè perſeuerat; propterea verò & Eccleſia ipſius, ſub ipſo ſuo capite, tanquam Reſpublica ſub vnico ſuo vero Rege & Monarcha, ab eodem recta perpetuò & gubernata, veram perfectiſſimæ ſimplicis Monarchiæ formam retinet; Adeò vt ſiquidem Monarchia ſimplex inter alias Reipublicæ formas ſimpliciter excellit, vt docent Philoſophi, & noſtrates Theologi, meritò Reſpublica Eccleſiaſtica ſimpliciter & abſolutè Monarchico perfectiſſimo regimini ſubeſſe ſit dicenda.*

Spalat. Num. 14. Ambroſ. enar. in Pſal. 38.

Omnes verecundiæ fines mihi tranſiliiſſe videtur egregius hic diſputator, adeo benè & gnauiter eſt impudens. *Non latuit Ambroſium*, inquit, *Chriſtum æternum habere Sacerdotium, adeoque ſucceſſore opus non habere*; Quî verò hoc doctiſſimum virum latuiſſet, quódne imperitiſſimos quidem homines fugit? At quis

quis vnquam Ambrosio, animosius pugnauit pro aris, hoc est pro veri nominis sacrificio, & veris altaris ministris Sacerdotibus? Audiamus hoc ipso loco qui à Spalatensi affertur dissentientem. *Iam*, inquit, *discessit vmbra mortis & caliginis Iudæorum: dies appropinquauit Ecclesiæ, videmus nunc per imaginem bona, & tenemus imaginis bona. Vidimus principem Sacerdotum ad nos venientem, vidimus & audiuimus offerentem pro nobis sanguinem suum: Sequamur vt possumus Sacerdotes, vt offeramus pro populo sacrificium* (audisne veterator?) *etsi infirmi, meritò tamen honorabiles sacrificio, quia etsi nunc non videtur Christus offerre, tamen ipse Christus in terris* (nota in terris) *quando Christi corpus offertur, imò ipse offerre in nobis manifestatur, cuius sermo sanctificat sacrificium quod offertur.* Nescio an ipse sanctissimus Pontifex qui Cathedram Petri tenet, fidem suam & de sacrificij veritate sententiam apertioribus ac clarioribus verbis prodere aut explicare queat, quàm quibus vsus est Ambrosius; Vel ergo eum non legit, vel non intellexit aduersarius. Nec enim quod ille putat imaginem pro picturæ vmbris & coloribus solida rerum existentia destitutis accepit, sed pro ea imagine ad cuius similitudinem factus est homo; id est *imaginem Dei*, vt ipse interpretatur, intelligit. Lubet hîc locum integrum ascribere, vt veritati suos triumphos asseramus. Ita ergo Ambrosius ad illum locum, *In imagine pertransibit homo. In qua imagine*, inquit, *ambulat homo? In ea vtique ambulat, ad cuius similitudinem factus est, id est ad imaginem Dei. Imago autem Dei Christus, qui splendor gloriæ & imago substantiæ eius. Christus ergo imago Dei venit ad terras, vt iam non in vmbra ambularemus, sed in imagine. In imagine autem ambulat, qui sequitur Euangelium. Ideo Discipulo suo dicit, Vade retro post me, vt me sequaris. Ideo errauit populus Iudæorum, quia in vmbra ambulauit. Ideo non errat populus Christianus, quia in imagine ambulat, habens solem sibi Iustitiæ refulgentem, Bona imago non ceris, pictura fucata radiantis, sed plenitudine diuinitatis expressa. In qua imagine & pater simul videtur & filius, quia per vtrumque eorum vnitas operationis effulget; Etsi iam resurrexerit Christus, tamen in Euangelio nobis adhuc eius imago monstratur. Lego quod Lazarum suscitauerit, & patris opus & filij credo; Filius vocauit, pater audiuit, Lazarus ambulauit. Lego quia eum dæmones fatebantur & patrem, qui Dei filium precabantur: Fatebantur & ipsum, quia per ipsum eiiciebantur. Scriptum est enim; Quod si in Belzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Primùm igitur membra præcessit, secuta est imago, erit veritas. Vmbra igitur*, inquit, *præcessit, secuta est imago, erit veritas, vmbra in lege, imago verò in Euangelio, veritas in cœlestibus.* Sed quod attinet ad Petrum, Paulum, &c. *quos in imagine hîc pertransisse* censet, *Eos dum viuerent in corpore mortis & corruptionis deformitate Christum expressisse non in luce qualis est in cælo, sed in velamine*, & sub Symbolorum inuolucris, quomodo in mysteriis Ecclesiæ ostenditur, apertissimis verbis docet. *Ascende*, inquit, *homo in cœlum, videbis non ex parte, non in ænigmate, sed in consummatione, non in velamine, sed in luce. Videbis verum lumen æternum, atque perpetuum Sacerdotem, cuius hic imagines videbas Petrum, Paulum, Ioannem, Iacobum, Matthæum, Thomam. Videbis perfectum hominem iam non imagine, sed in veritate. Qualis enim cœlestis, tales & cœlestes vtique, vt ipsi iam in gloria vel decore, iam in resurrectionis gratia, non in corpore mortis & corruptionis deformitate.* Itaque doctus & cordatus lector hîc duo facilè aduerterit. Primum Ambrosium instituta compa-

Amb. in Ptal. 38.

ratione inter Christum & Petrum, Paulum, &c. in eo constituisse rationem discriminis, quod Christus sit æternus Sacerdos supra omnem corruptionem in cœlis positus, Petrus verò Paulus in hac vita ad tempus sint consecuti sui ministerij dignitatem, quod essent in corpore mortis & corruptionis deformitate quam iam exuerint decorati gloria & honore. Secundò nomine imaginis vsum eo sensu quo vtitur Apostolus de veteri lege & Euangelio differens. *Vmbram*, inquit, *habens lex futurorum bonorum, non ipsam rerum imaginem*, quo loco Apostolus per imaginem intelligit veritatem rerum siue res ipsas, aut ipsam rerum substantiam, vt rectè expressit Syrus interpres, quam vmbris veteris legis opponit. Hoc etiam sensu Gregorius Nazianzenus Pascha Christianorum *typum & imaginem* vult esse Paschatis cælestis, vt *Iudaicum typus fuit nostri*, quod nimirum sub obscuris integumentis & Symbolis corpus Christi à nobis edatur, contra verò ipsum reuelata facie & sublato velamine & impedimento illo Symbolorum in cœlis visuri simus. Quo sensu etiam dixit Chrysostomus, *Christum aliter in cælo videre Deum, quàm viderit in terris positus. Non solum enim*, inquit, *sicut hic per symbola sed ipsum Deum illic videt.* In eundem sensum Ambrosius ipse. *Hîc*, inquit, *vmbra, hîc imago, illic veritas, vmbra in lege, imago in Euangelio, veritas in cælestibus: Ante agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, & offert se ipse quasi Sacerdos vt peccata nostra dimittat. Hîc in imagine, ibi in veritate, vbi apud Patrem quasi Aduocatus interuenit. Hîc ergo in imagine ambulamus, in imagine videmus, illic facie ad faciem, vbi plena perfectio, quia perfectio omnis in veritate est.* Vides Ambrosium vmbram tribuere legi, Euangelio imaginem, & veritatem cœlis, vt iam intelligas oppositum eum imaginem non solidæ rerum existentiæ, quippe qui eam ab vmbris recedere dixerit, sed perspicuitati rerum, quam veritatem ipse vocat nonnisi in cœlis patefaciendam. Neque enim nomen imaginis perpetuò simplicem similitudinem significat, sed etiam solidam & expressam rerum veritatem. Sic namque Adam dicitur genuisse liberos *ad similitudinem atque imaginem suam*, Græcè κατὰ τὴν ἰδέαν αὐτοῦ, καὶ κατὰ τὴν εἰκόνα αὐτοῦ. Et Christus in Epistola ad Colossenses vocatur εἰκὼν τοῦ θεοῦ. Itaque vt finem aliquando faciamus, Ambrosius docet in imagine egisse Petrum, Paulum, Mathæum, & reliquos omnino Apostolos, non quod reuera Sacerdotes non fuerint, aut sacrificium proprij nominis & rationis non obtulerint, sed quod, vt ait Apostolus, *hic per fidem non per speciem* ambuletur, & mortalis homo necdum ipsam speciem, id est naturam & pulchritudinem Dei apertè contempletur. Vnde necessariò sequitur quæ hîc ab hominibus visibilibus celebrantur ministeriis *in imagine* esse, comparatione eorum quæ in cœlis diducto & distracto velo apertè incurrunt in oculos beatorum. Hæc autem veritatem non tollunt, sed solùm rerum perspicuitatem detrahunt.

Hebr. 10. v. 1.

Greg. Naz. orat. 2. de Pasch.

Chrysost. hom. 17. in epist. ad Hebr.

Ambros. li. 1. de Offic. cap. 48.

Gen. 5. Col. 1.

Aggreditur iam aduersarius ad ea refellenda quæ inuictus Christi Athleta Cardinalis Bellarminus pro Monarchiæ defensione affert, & Caluini Patronum agit pseudo-Episcopus. Dixerat Bellarminus Caluinum eò se recepisse quo se iam hic noster recipit, atque scripsisse, *Licet Monarchia sit præstantissimum & optimum regimen, non propterea sequi debere Ecclesiam ab vno aliquo homine gubernari, cùm constet eius Regem & Monarcham esse Chri-*

SPALAT. Num. 15. Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 9.

Christum, addiderátque posse hoc facilè refelli, *quod etsi Christus vnus sit, ac proprius Ecclesiæ Catholicæ Rex & Monarcha, eámque spiritualiter ac inuisibiliter regat, & moderetur, tamen eget Ecclesia quæ corporalis & visibilis est, vno aliquo visibili summo iudice, à quo lites de religione exortæ componantur; quique omnes inferiores præfectos in officio & vnitate contineat. Alioquin non solùm summus Pontifex, sed etiam Episcopi, Pastores, Doctores ac Ministri omnes superuacanei essent. Christus enim pastor est & Episcopus animarum nostrarum. Ipse est vnicus Magister quem audire iubet Pater cœlestis; Ipse est qui baptizat in Spiritu sancto. Quemadmodum igitur*, inquit Bellarminus, *Episcopi, Doctores, cæterique Ministri superuacanei non sunt, tametsi quod ipsi vt Ministri faciunt Christus principaliter faciat; Sic etiam non est è medio tollendus is qui totius Ecclesiæ curam vt summus Oeconomus gerit, quamuis eandem curam Christus principaliter gerat.* Hanc igitur summi viri eruditissimam disputationem labefactare nititur aduersarius, atque *se quidem reliquorum ministrorum quos instituit Christus necessitatem admittere dicit, quod oporteret prædicari Euangelium ore materiali, linguis & verbis humanis per totum mundum, quod baptizandi essent credentes aqua materiali, lotione corporali, iuxta illud, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, In nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. At vnius alicuius Vicarij necessitatem inde non haberi, atque gratis dici, egere Ecclesiam vno aliquo visibili summo Iudice, qui lites Ecclesiæ componat.* Sed reuera gratis hæc à se dicta prodit, cùm nulla probatione vtatur ad Bellarminum refellendum; Pollicetur tamen se Caluini causam acturum aliis locis. Itaque bellum eò transfert, quò cùm ventum fuerit, aciem conferemus, etsi opus fuerit magno viro, subueniemus.

1. Petr. 2. Math. 17. Ioan. 1.

Anticipato iam prælio quærit à Bellarmino, *quomodo in rebus fidei & internis postea sit facturus supremum Iudicem Papam, cui nunc solam externam tribuat gubernationem?* Quid? igitur harum controuersiarum adeo rudis est, vt existimet litium Ecclesiasticarum diremptionem quæ à summo Iudice fiat, rem esse interioris influxus? Atqui, dicet, de fide pronunciat: Pronunciat quidem, sed interiores eius actus quorum non est penes eum potestas, nisi suadendo non attingit, sed totus in eo versatur vt sinceram eius exteriorem professionem inducat, quam propterea pro ea qua pollet authoritate edicit. Atqui si hoc est in rebus interioribus versari, quomodo *Iudicia Ecclesiastica* (quòrum certè pleráque ad fidem pertinent) *si qua sunt interdum necessaria ab Episcopis & Synodis, adeoque ab ipsa Ecclesia vniuersali terminari* ipse asserit? Parum cohærentia loquitur.

SPALAT. Num. 16. in fin.

Eodem nu. ante fin.

Vellicat modò similitudinem ab Angelorum ordinibus desumptam, qua vsus est Cardinalis Bellarminus, vt ostenderet aliquos esse debere in Ecclesia militante qui rerum habenas moderarentur, quando triumphans suos habet Principes quorum fulgorem & Imperij dignitatem non obscurat, sed potius illustrat præsentia Christi. Et quia argumentum est à coniectura ductum, probabile scilicet non ἀποδεικτικόν, aut demonstratiuum, eo se attineri negat. Fatemur verò argumentum esse probabile; sed rudis sit ac paulò iniquior, qui vt in Mathematicis hic nisi euidentissimis demonstrationibus non acquiescat. Enimuero Ecclesiam hanc militantem in tertis instar triumphantis habere, ordinem & seriem imitari, ac pro modulo adumbrare persuasum nobis erat, in eáque perseueraturi eramus opinione, nisi nouus hic *magister in Israël* nos

SPALAT. Num. 17. Bellarm. l. 1 de Rom. Pont. c. 9. & prius Ioa. Echius de primatu Petri l. 2. cap. 26.

dedocuiſſet, & hoc errore liberaſſet. Cæterùm eſſe in Angelis Principes quos reliqui ſuſpiciant ac venerentur, author eſt etiam Hieronymus. *Puto*, inquit, *& Angelos cæteráſque virtutes habere principes ſui generis in cæleſtibus, quos Patres gaudeant appellare. Archangelus enim niſi Angelorum dici non poteſt, & Dominatio, & Principatus, & Poteſtas, niſi inferiores ſubiectos habeant, non vocantur.*

Hieron. ad cap. 3. ad Epheſ.

Alium iam parem ſibi quærit gladiator, & Sanderum Angliæ decus laceſſit ac prouocat ad pugnam. Scripſerat ille, *Formam regiminis Eccleſiaſtici eandem debere perſeuerare in Eccleſia, quam Chriſtus in gubernanda ſua Eccleſia primitiua, dum ageret in terris tenuiſſet, adeoque cùm initiò Chriſtus ipſe tanquam ſpectabilis & viſibilis Monarcha ei præfuiſſet, exiſtimandum eſſe non excidiſſe illo florentiſſimo ſtatu poſt receptum eum in cælum tantopere dilectam Eccleſiam: Proindéque cum relictis terris in cælum ſe contulerit Chriſtus, de Capite viſibili ei prouidiſſe, cui vices ſuas hac in parte, id eſt in exteriori regimine commiſerit ac demandarit.* Firmarat hanc ſuam ſententiam *exemplo reliquorum miniſtrorum nempè Epiſcoporum, qui ſucceſſerint in locum Apoſtolorum & Presbyterorum, qui iam nullo reclamante vices impleant diſcipulorum*, Obiecerátque *niſi his admiſſis variatum iri ordinem & gubernandi formam quam Chriſtus tenuerit in terris agens.* Rhetoricatum Sanderum *& hoc argumentum magis oratoriè quàm Theologicè tractaſſe*, occlamat aduerſarius, profiterúrque, *ſe maluiſſe ab eo audire, quomodo, quando, & vbi Chriſtus hanc ſubſtitutionem fecerit alicuius, puta Petri, vt viſibile & vnicum Caput ipſius loco viſibiliter præeſſet Eccleſiæ.* Igitur ne eſt auribus aut etiam luminibus orbatus? Adeat illum libro ſexto de viſibili Monarchia Eccleſiæ, & toto libro tonantem magis ac fulgurantem quàm differentem, audiat, videat, obſeruet. Sed & nos ſuo loco ſumus illi in hac quæſtione facturi ſatis. Interim obſeruet pius lector magnam iniuriam facere aduerſarium Sandero, qui eum quæſiſſe Chriſto ſucceſſorem mentiatur: Sic enim eum inducit loquentem ac ratiocinantem. *Habet Eccleſia Epiſcopos qui ſuccedunt Apoſtolis, habet Presbyteros qui ſuccedunt Diſcipulis, cur non habebit vnum qui ſuccedat Chriſto?* Atqui Sanderus non ſic loquitur, neque de ſucceſſore ſufficiendo, cùm de Chriſto loqueretur vnquam cogitauit. Dixit *Equidem quemadmodum Chriſtus Epiſcopos qui ſuccederent Apoſtolis, & Presbyteros qui ſuccederent ſeptuaginta Diſcipulis inſtituit: ſic eo in cælum aſcendente alium Eccleſiæ paſtorem, qui ab eo inſtitueretur expectandum fuiſſe, qui vice ac nomine Chriſti, & Epiſcopos ſibi inſtar Apoſtolorum tanquam fratres adiungeret, & Presbyteros inſtar Diſcipulorum Domini certis Eccleſiis præficeret.* Dixit & *Lutheranos dare Epiſcopos & presbyteros inſtar Apoſtolorum & Diſcipulorum, nec dare aliquem ſummum Pontificem inſtar ipſius Chriſti*, ſed de ſucceſſore Chriſti ne Gry quidem: Quare Sycophantam agit quiſquis id ei imponit, de quo ne per ſomnium quidem cogitarit. Nam, vt ſuperius monui, Vicarium habet Chriſtus, ſucceſſorem habere non poteſt, quod ſucceſſor in locum demortui aut certè abdicati cum pari poteſtate tranſeat; Vicarius verò nomine Principis, etiamnum viui ac ſpirantis ſuam obeat Prouinciam, & commiſſo ſibi munere defungatur. Atqui nec inter mortuos agit Chriſtus, nec officio ſe abdicauit, cùm ſit *Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Succeſſorem itaque non habet, habet autem Vicarium, cui ab eo dictum agnoſcimus, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos.*

Spalat. Num. 18. Sander. de viſib. Monarch. lib. 5. cap. 1.

Pſal. 109.

Ioan. vlt.

Perſtat tamen in ſententia aduerſarius, & Sanderi ac ſequaciũ, hoc eſt omniũ Orthodoxorũ, *rationes facile concidere*, ait, *detecto non exiguo errore quo tenentur, dum putant*, inquit ille, *& immerito volunt Eccleſiam poſt Chriſti diſceſſum, ſeu gubernationem eius nõ eſſe eandem quæ fuit primitiua, Chriſto in terris degente, ſed aliã tamen ei ſimilem; Nam*, inquit Spalat. *ſicut Eccleſia eadem prorſus eſt, non alia ſimilis, ita gubernatio eadem perſeuerat, non alia ſimilis. Nam idem Chriſtus viuus adhuc & corpore dumtaxat non ſpiritu abſens, per plures miniſtros & operarios regit & adminiſtrat corporalibus functionibus Eccleſiaſticam hanc Rempublicam, neque corporalis ipſius præſentia aut abſentia gubernationem variat aut mutat.* Rem illuſtrat, imò obſcurat exemplo. *Sicut*, inquit, *ſi Rex terrenus peregrè proficiſcens is eſſet qui poſſet nihilominus momento quolibet, ſecreta aliqua via ſuis miniſtris & gubernatoribus animo & conſiliis adeſſe; eoſque ſingulis momentis inſtruere, & per illos totam Regni gubernationem exercere, perinde ac ſi corpore præſens eſſet, eo ſanè caſu nullo Prorege indigeret, ſed ipſe ſuum Regnum nihilo ſecius gubernaret; & ipſius ſola abſentia corporalis, ne minimam quidem gubernationis induceret varietatem: Ita ſit in Eccleſia, Apoſtoli enim ſicut exiſtente in terris mortali Chriſto, operariorum munus exercuerunt, ita multò magis poſt Chriſti aſcenſum in cœlum, in eodem munere perſeuerauerunt, & ſibi ſimiliter alios ſocios aſciuerunt, & poſt ſe reliquerunt, qui ſunt nunc etiam potiſſimum Epiſcopi, in eodem opere, Apoſtolorum ſucceſſores, Chriſti verò officiales, Miniſtri & ſerui viuentis adhuc & regnantis: Solo tamen corpore non item animo, neque internis monitis & conſiliis abſentis, qui ſpiritu ſuo perpetuò præſens, Paſtores omnes ipſe vnus moderatur, vt verus Princeps; quem omnes ſuum ſuperiorem agnoſcunt.* Atqui hoc merum eſt effugium, nec ſatisfacit argumento, cuius vis in eo poſita eſt, vt quemadmodum Chriſto per ſe Eccleſiam gubernante, illa Caput ſpectabile habuit, ita etiam poſt receptum eum in cœlum habeat ſuum viſibile Caput, cuius opera tenorem & formam prioris regiminis retinere cenſeri meritò poſſit. Non enim citra mutationem regiminis ab aſpectabili capite ad inuiſibilem Principem traduci potuerit eius imperium. Et exemplum ipſum Marci Antonij licet plenum fuci, tamen nullius momenti eſt aut ponderis, cùm mutationem regiminis velit, nolit, inuehat ac inducat. Nam eo caſu quem fingit admiſſo, atque priore forma obtinente, qua rex ipſe per ſe ſua munia obiret ac præſens ius diceret, eſſet caput ſpectabile, ac de eius mente neminem dubitare contingeret, cui præſto non eſſet ipſum conſulere, quod nimirum per externam vocem & directionem gubernaret, tum miniſtros tum ſubiectos ſibi populos. Poſteriore verò forma inuecta his duobus nudaretur regnum. Nam neque ſpectabile haberet Caput ſed inuiſibile, quod per internam inſpirationem regeret ſubditos; neque ſi aliqua ſuboriretur de eius voluntate dubitatio, poſſent illum populi conuenire, & ex eius ore clarè ipſius ſententiam audire. Hæc longè diuerſa ſunt, & quod maximè attendendum eſt in hac controuerſia, ipſe præſens omnes dubitandi occaſiones facilè amputaret, quia per ſe ediceret, ſed eo abſente poſſet alicui in mentem venire falsò iactare miniſtros regni illam internam regis inſpirationem, eáque ad ſuos priuatos affectus & ſubditorum perniciem abuti, quod certè probat diuerſum tunc futurum regendi modum, adeóque diuerſam regiminis formam.

SPALAT. Num. 21.

Obiecerat Sanderus contra multorum Principatum *Schiſmati eum aperire feneſtram, quod poſſent multi illi Paſtores, quibus credita eſſet ſumma rerum po-* Num. 21. in fin.

pulum in mille ſectas diuidere. Declinat hoc telum aduerſarius, reſpondétque,

Cypr. lib. 3. epiſt. 13. *Id fieri non poſſe, quia cùm primùm miniſter aliquis in dexia gregem abripit, Eccleſia ipſa & reliquus bonorum miniſtrorum cœtus eum aut ab errore retrahit, aut ab Eccleſia præſcindit, & à corpore ſacræ Reipublicæ proiicit Chriſto Domino per ſpiritum ſuum huiuſmodi negotium, tanquam vero principe & Rege peragente.* Sed quid fiet ſi ipſi Epiſcopi authores deprehendantur Schiſmatis? quis in viam reuocabit? An inferiores Sacerdotes, & infimæ plebis homines, quibus nulla eſt in ſuos Antiſtites poteſtas? Ponat ſibi ob oculos Spalaten. dirum illud Antio-

Hier. tom. 2. epiſt. 57. ad Damaſc. Pap. chenorum Antiſtitum diſſidium, *quo vetuſto oriens inter ſe populi furore colliſus indiſciſſam Domini tunicam & deſuper textam minutatim per fruſta olim diſcerpſit*, vt conqueritur Hieronymus. Paulinus, Vitalis, Meletius magno orientis malo pro Epiſcopatu conſequendo turbas ciebant, & habebant ſuarum partium ſtudioſos nimium multos. Quid ergo viro pio in oriente agenti præſtandum fuit? Quis quærendus qui ſchiſma ſopiret, aut qui ſaltem quid agendum, aut quid ſequendum in his turbis moneret? Hieronymum audi virum ſapientiſſimum, *Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum, quicunque tecum non colligit*, (Damaſum Pontificem alloquitur) *ſpargit, hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Non à reliquo presbyterorum cœtu, non à cæteris fidelibus, ſed à Damaſo, à ſummo Pontifice præſidium petit; *Quanquam*, inquit, *tui me terreat magnitudo*, vides Romanæ poteſtatis faſtigium à Hieronymo celebratum, *inuitat tamen humanitas. A Sacerdote victimam ſalutis, à paſtore præſidium ouis flagito. Faceſſat inuidia Romani culminis, recedat ambitio, cum ſucceſſore piſcatoris, cum Diſcipulo crucis loquor.* Quàm igitur à priſcorum Patrum iudicio & pietate longè recedit deſertor? Sed erit poſtea locus de his fuſius agendi.

Spalat. Num. 22. Nouam iam & inexpiabilem doctrinam inducit in Eccleſiam Spalatenſis, negat Eccleſiam ab ipſo Chriſto fundatam & conditam. *Non eſt difficile*, inquit, *in doctrina Catholica defendere Eccleſiam veram Primitiuam, poſt Chriſti aſcenſum propriè ſuum ortum habuiſſe.* Imò ne Lutheranis

Cent. 1. lib. 1. ca. 7. pag. 268. 269. 270. quidem idipſum perſuaſeris. Audi tuos Centuriatores: *Etſi verè Chriſtus eſſet ſummus Sacerdos, tamen titulum ſibi arrogare noluit, ſed res ipſas ad Pontificem pertinentes exequitur. Primò tradit cœleſtem doctrinam illuſtrius quàm vllo vnquam ſæculo factum erat, adminiſtrat claues regni cœlorum. Math. 9. Quæſtiones perplexas & obſcuras tam Apoſtolis quàm aduerſariis ſoluit. Secundò orat pro toto mundo, Ioan. 17. Tertiò ſacrificium præſtat pro toto mundo. Alios quoque ad iuuandum miniſterium docendi è reliquo cœtu adſciſcit, nempe duodenos Apoſtolos & ſeptuaginta quos ante ſe binos ablegat.* Atqui ni fallor *inſtituere miniſtros Eccleſiæ, nouum ſacrificium celebrare ac tradere, adminiſtrare claues regni cœlorum, cœleſtem doctrinam docere*, Eccleſiam fundare & ædificare eſt. Adde ſequentia: Chriſtus in terris agens inſtituit noua Sacramenta, condidit nouum teſtamentum, quibus duobus niti totam Machinam Eccleſiæ vos Eccleſiæ hoſtes defenditis; Sanciuit leges Euangelicas, & inſuper his omnibus pondus & vim addidit, cùm expanſis in cruce brachiis dixit, *Conſummatum eſt*, nouiſſimè verò cùm in procinctu res eſſet, & ſe in cœlum recipere vellet, dixit Apoſtolis. *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quo-*

Ioan. 20. *rum retinueritis, retenta ſunt.* Maioriſne igitur molis erat Eccleſiam condere? Paſtorem etiam & Rectorem ouibus datum fortaſſe requiris, *Paſce oues meas,*

paſce

paſce agnos meos, dicit Dominus Simoni Petro. Certè Eccleſiam & fundaſſe & condidiſſe Chriſtum cum mortali carne circumamictus populos ad pœnitentiam hortaretur, & eis clauium regni cælestis miniſtros præficeret, conſtantiſſimè docent antiqui Patres; nec veretur Auguſtinus Eccleſiam vocare, quæ Chriſtum præſentem habuerit. *Secundum præſentiam maieſtatis*, inquit, *ſemper habemus Chriſtum; ſecundum præſentiam carnis, rectè dictum eſt Diſcipulis, Me autem non ſemper habebitis. Habuit enim illum Eccleſia ſecundum præſentiam carnis paucis diebus, modò fide tenet, oculis non videt.* Imò contendit Ambroſius omnino à Chriſto initium ducere debuiſſe, non ab homine, ſic enim ad illa verba, *Anno quinto decimo Imperij Tiberij Cæſaris, factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem, &c. Congregaturus*, inquit, *Eccleſiam Dei filius ante operatur in ſeruulo. Et ideò bene poſuit ſanctus Lucas factum eſſe Verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto: vt Eccleſia non ab homine cœperit, ſed à Verbo.* Sed aliis teſtibus opus non eſt. Ipſe Marcus Antonius teſtimonium fert in caput ſuum, & proprio ſe iugulat gladio; nam homo mirè inconſtans ſcribit, *Facilè admittimus neceſsitatem miniſtrorum quibus vti voluit Chriſtus, etiam dum ipſe mortalis in ſua Eccleſia verſabatur.* Rurſus. *Dicimus Apoſtolos omnes immediatè à Chriſto aſſumptos eſſe, vt eſſent operarij & miniſtri ipſius viuentis adhuc & regnantis & in fundanda Eccleſia coadiutores.* Quid poteſt dici apertius? Non igitur doctrinam Sanderi profligauit, ſed ſuam ſententiam ipſe euertit, ac funditus ſuſtulit.

Ambr. li. 2. comm. in Luc. ad Cap. 3.

Num. 16.

Num. 19.

Nititur tamen labantem fulcire teſtimonio Scripturarum, quia ſcilicet filio dictum eſt à Patre. *Poſtula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ; Nimirum*, inquit, *poſtquam, Aſtiterunt Reges terræ, & Principes conuenerunt in vnum aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius.* Et alibi ſcriptum, *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Exaltatus*, inquit, *namque eſt Chriſtus vt Caput Eccleſiæ, poſtquam de torrente Paſſionis bibit.* Et, *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit ſemen longæuum, hoc eſt ſuam Eccleſiam; Prius tamen vidimus eum, & non erat aſpectus, virum dolorum. Et verè languores noſtros ipſe tulit, & vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, & oblatus eſt quia ipſe voluit. Et ſicut ouis ad occiſionem dictus eſt; & abſciſſus de terra viuentium; & tunc tandem longæuum ei ſemen eſt conceſſum, non prius. Et nonne paſſim dicitur à noſtris, Eccleſiam de latere Chriſti fluxiſſe, hoc eſt poſt Paſſionem Chriſti fuiſſe inchoatam.* At hæc miſeram cauſam nil iuuant; Oſtendunt enim Chriſtum id morte ſua conſecutum, vt ei iuxta Prophetarum vaticinia *curuaretur omne genu*, ſed ante redditum Deo ſpiritum, & ante aſcenſum eius in cœlum non fuiſſe Eccleſiam ab ipſo fundatam, minimè euincunt. Ad fulgorem Euangelij, non ad primam Eccleſiæ fundationem iſta pertinent. Imò ſi verum fateri volumus, inuexit in Eccleſiam iam fundatam hoc *ſemen longæuum*, id eſt populorum multitudinem tantæ propaginis author Deus, & termini terræ eidem iam conditæ & conſtitutæ obuenerunt: Non enim confeſtim aut ab initio prædicationis Apoſtolorum regna paruerunt Chriſto, ſed ſucceſſu temporis illam ſuam hæreditatem adeptus eſt. Meminiſſe ergo oportet *excisi de monte lapidis*, qui cùm initio exigua mole eſſet, tandem creuerit *in montem maximum, & impleuerit terram*: Nimirum initio Eccleſia Chriſti grex puſillus erat, (Caluiniſtæ hunc locum ad ſuam paucitatem defendendam aliquando detorſerunt) ſed interea grex erat, ouileque

Pſal. 2.

Pſal. 109.

Iſa. 53.

Ibidem.

Daniel 3.

Digitized by Google

iam ſuum habebat Chriſtus, cui paſtoris inſtar præeſſet, quod ipſe ſatis innuit
Ioan. 10. his verbis; *Alias oues habeo quæ non ſunt de hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus Paſtor.* Cogitandum itaque fuit aduerſario aliud eſſe Eccleſiam fundari & ædificari, aliud augeri & propagari. Fundata eſt & ædificata ante Chriſti aſcenſum in cœlum, quando ei conſtituti miniſtri, Sacramenta data & leges ad Euangelium proximè pertinentes ſancitæ ſunt. Aucta & propagata eſt poſt aſcenſum Chriſti in cœlum, quando per orbem diffuſa eſt, & gentes quæ Deum non nouerant, opera Apoſtolorum in ouile Chriſti adductæ, & admiſſæ ſunt. Hoc poſterius innuunt verba illa, *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Et illa Eſaiæ, *Pro eo quod laborauit anima eius, videbit ſemen longæuum.*
Eſa. 53. Nam ſequitur in Propheta, *Ideo diſpertiam ei plurimos, & fortium diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit animam ſuam in mortem, & cum ſceleratis reputatus eſt.* Hunc autem ſuæ mortis fructum nonniſi Eccleſia iam condita & conſtituta conſecutum & adeptum fuiſſe, tam eſt omnibus notum, vt ſit putidum & otioſum in eo probando operam ponere. Clarum eſt enim ipſam Eccleſiam omnibus ſuis numeris abſolutam, ac Sacramentis & miniſtrorum officiis plenè inſtructam ſinu ſuo venientem ad ſe multitudinem populorum excepiſſe. Expendatur locus Eſaiæ, *Surge, illuminare Hieruſalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini ſuper te orta eſt: Ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in ſplendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide omnes iſti congregati ſunt, venerunt tibi, &c. Dicitur hoc*, inquit Hieronymus, *ad Eccleſiam quæ primùm per Apoſtolos congregata eſt in Sion:* Ergo iam erat Eccleſia cùm ei filij de longe venirent. Imò nonniſi ſæculo Conſtantini & Principum Chriſtianorum impleta fuiſſe huiuſmodi oracula doctiſſimè aduertit idem Hieronymus.
Hier. lib. 7. in 1. Eſa. ad cap. 60. *Hoc*, inquit, *vel carnaliter*, id eſt iuxta hiſtoriæ ſeriem, *vel ſpiritaliter*, id eſt iuxta quemdam reconditiorem ſenſum quem myſticum vocant intelligitur; *Si carnaliter, videmus Cæſares Romanos Chriſti iugo colla ſubmittere, ædificare Eccleſias expenſis publicis, & aduerſus perſecutiones gentium atque inſidias hæreticorum leges ſcita condere.* Quid igitur? Ante Conſtantinũ & Cæſares Romanos factos Chriſtianos non erat Eccleſia? Ait Propheta. *Et aperientur portæ tuæ iugiter, die ac nocte non claudentur, vt afferatur ad te fortitudo gentium, & Reges eius educantur.* Certè magnam iam illam fuiſſe *domum Dei*, de qua Apoſtolus ad Timotheum, eámque iam ædificatam & conditam fuiſſe cùm hæc
1. Tim. 3. ei dicerentur; *Iſtæ aperiendæ gentibus & gentium Regibus portæ* mihi ſatis innuere videntur. Locus ergo ille Dauidis, & alter Eſaiæ, de propagatione, non de fundatione aut ædificatione Eccleſiæ intelligendi veniunt.

Propius rem contingit quod obiicit Marcus Antonius paſſim dici à Theologis *Eccleſiam de latere Chriſti fluxiſſe*, id eſt, *poſt paßionem Chriſti fuiſſe inchoatam*, vt ille exiſtimat. Sed neque hæc ratio eſt vllius momenti; Eodem enim ſenſu aſſeritur à Theologis Eccleſiam de latere Chriſti fluxiſſe, quo defenditur inde quoque Sacramenta fluxiſſe, ac vim ſuam hauſiſſe. Sumptum eſt
Aug. tract. 120. ad 20. cap. Ioan. ex Auguſtino ad illa verba, *Vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua. Vigilanti verbo*, inquit Auguſtinus, *Euangeliſta vſus eſt, vt non diceret, latus eius percußit aut vulnerauit, aut quid aliud, ſed aperuit; vt illic quodammodo vitæ oſtium panderetur, vnde Sacramenta Eccleſiæ manauerunt, ſine quibus ad vitam quæ verè vita eſt, non intratur. Ille ſanguis in remißio-*

nem

nem fuſus eſt peccatorum, aqua illa ſalutare temperat poculum. Hæc & lauacrum præſtat & potum. Hoc prænunciabat quod de Noë in latere arcæ oſtium facere iuſſus eſt, qua intrarent animalia quæ non erant in diluuio peritura, quibus præfigurabatur Eccleſia. Propter hoc prima mulier facta eſt de latere viri dormientis, & appellata eſt vita, matérque virorum. Magnum quippe ſignificauit bonum ante malum præuaricationis malum. Hic ſecundus Adam inclinato capite in cruce dormiuit, vt inde formaretur ei coniux, quod de latere dormientis effluxit, omnes vnde mortui reuiuiſcunt. Quid iſto ſanguine iucundius? Quid vulnere ſalubrius? Vides Marce Antoni ex ſententia Auguſtini, non ſolùm Eccleſiam, ſed Sacramenta quoque fluxiſſe, ex aperto latere Chriſti dormientis, & hoc ipſum docent paſſim alij Patres. Peto igitur abs te num cenſeas Euchariſtiam & baptiſmum, quæ duo Sacramenta potiſſimùm hoc myſterio adumbrantur, nonniſi poſt paſſionem Chriſti in Eccleſia extitiſſe? Negaturúſne es Apoſtolos baptizaſſe etiam ante paſſum Chriſtum, quod mille locis aſſerit Auguſtinus, & Euangelium indicat? Saltem inficiari non potes Euchariſtiam à Chriſto necdum paſſo eſſe inſtitutam. Eodem ergo ſenſu fluxit Eccleſia ex latere Chriſti quo fluxere Sacramenta. Quomodo inquies? Symbolicῶs & meritoriè, vt loquuntur in Scholis; Symbolicῶs quidem, quia ſanguis & aqua quæ ex hoc latere emanarunt, teſſeræ & Symbola fuere atque ſigna Euchariſtiæ & Baptiſmi, quæ præcipua ſunt Eccleſiæ Sacramenta. *Hæc aqua*, inquit Auguſtinus, *ſalutare temperat poculum, hæc aqua & lauacrum præſtat & potum.* Quibus verbis vtrumque innuit Sacramentum: Meritoriè verò, quia vt docent veteres Patres & ipſi Claſſici Doctores, omnia Sacramenta vim ſuam à paſſione Chriſti hauriunt, cùm nonniſi eius ope & beneficio remiſſioni peccatorum ſubſeruire etiá vt inſtrumenta poſſint. Quemadmodum igitur Sacramenta ante apertum latus Chriſti iam erant inſtituta, ita vigebat Eccleſia.

Sed vrget Pſeudoantiſtes dictum à Chriſto, *Ædificabo Eccleſiam meam*, idque *præſtitiſſe Chriſtum per Apoſtolos poſt Aſcenſionem* contendit. Primùm reſponderi poteſt & optimè hanc futuram ædificationem Eccleſiæ intelligendam de viſibilis capitis adaptatione, quæ interitum & reſurrectionem Chriſti conſecuta ſit, & ſuum effectum ſortita, cùm dixit Chriſtus Petro, *Paſce oues meas, paſce agnos meos.* Hunc enim eſſe ſenſum verborum Chriſti ex ipſo textu ritè colligitur, *Tu es Petrus*, inquit, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, quod perinde eſt ac ſi diceret, *Cœlum repetiturus & hoc ſpectabile corpus ſyderibus in proximo illaturus, commiſſurus ſum tibi vices meas, tibi vni paſcendarum mearum ouium ſum potiſſimam curam demandaturus.* Secundò reſponderi poteſt, & etiàm quam optimè, hanc ædificationem de qua loquitur Chriſtus, non eſſe noui operis quod nondum eſſet auſpicatus molitionem, ſed iam inchoati propagationem. Meminiſſe enim oportet Chriſtum non vnico momento, ſed quodam tractu atque mora temporis Eccleſiæ ſuæ ſtructuram abſoluiſſe. Primùm elegit Diſcipulos, Baptiſmum poſtea inuexit, multa alia edixit, & nouiſſimè Euchariſtiæ auguſtiſſimum Sacramentum inſtituit. Eius celebrandi poteſtatem Apoſtolis & Sacerdotibus fecit, ac demùm totum ritum Chriſtianæ religionis in cruce, ſuo ſanguine ſanciuit & conſecrauit. Poſt reſurrectionem Arbitros & Iudices peccatorum fecit Apoſtolos, conceſſa illis poteſtate retinendorum aut remittendorum prout res ferrent, & ipſa hominum conſcientia exigere videretur: Vna eadémque manu Petrum in Eccleſiæ

SPALAT. Num. 23. Matth. 16.

Digitized by Google

ſolium induxit, eíque pascendarum ouium curam commiſit, addità ſummi Paſtoris dignitate. Reliqua per Apoſtolos præſtitit, qui & ipſi non niſi ſenſim ac ſucceſſu temporis miniſterium ſuum impleuerunt, & populos in ouile Chriſti pertraxerunt. Igitur vt rem totam abſoluamus, ante paſſionem Chriſtus Eccleſiæ ſuæ fundamenta iecit, iiſque ea ſuperſtruxit quæ verum ei Eccleſiæ nomen aſſererent, propter rationes à nobis allatas. Etſi autem erat prioribus illis temporibus *puſillus Grex*, Grex tamen vt diximus erat, cuius amore Pater cœleſtis caperetur, ac pietate delectaretur. *Nolite timere puſillus grex*, inquit Chriſtus, *quia complacuit Patri veſtro dare vobis regnum.* Poſtea opera & induſtria Apoſtolorum, quos in totum mundum allegauit Spiritus ſanctus, magna facta eſt Sacro fidelium numero acceſſio, & Eccleſia ipſa plena fulgoris ab Oriente in Occidentem diffuſa, inſtar ſolis cuiuſdam vbiuis gentium & terrarum ſe ſpectandam præbuit. Neque verò in hoc quaſi orbis theatro poſita alia fuit, quàm quæ in angulo Iudææ ſuperſtite Chriſto veluti delituerat. Infantia iſta fuit, illa vt ita dicam virilitas: quemadmodum igitur non alius eſt homo qui antea puer in virum euaſerit, ſed dumtaxat ætatum gradu à ſeipſo differt, ita planè tenerior illa Eccleſia à Chriſto fundata, diuerſa non eſt ab illa quaſi robuſtiore & grandiore quæ poſtea connitentibus Apoſtolis, & rem eodem promouente Chriſto vniuerſum occupauerit orbem. Itaque quemadmodum illa ſpectabile Caput habuit, quemadmodum eam præſens (de præſentia corporali eſt nobis ſermo) moderatus eſt tanti operis Rector & Architectus Chriſtus; ita par eſt credere & huic relictum ſpectabile aliquod caput, cuius adminiculo eadem moderaminis & regiminis forma perſeueraret: Incubuiſſe autem Chriſtum Petro, in quem Imperij onus reclinaret pluribus in ſequentibus contra Marcum Antonium ſumus probaturi. Sufficit hîc oſtendiſſe Sanderum iis nixum in explicanda Catholica doctrina argumentis, quæ ſuis oppugnationibus conuellere non potuerit vanus diſputator.

Luc. 12. v. 32.

Proiicit tamen ampullas & ſeſquipedalia verba. *Illud*, inquit, *vel maximè ab Hieromonarchis noſtris erat nobis exponendum, quanam in re Chriſtus in terris degens fuerit in illa Eccleſia Caput viſibile: & quænam ſint officia talis Capitis, pro quibus adimplendis Eccleſia poſt diſceſſum Chriſti corporalem egeat vnico capite viſibili.* Ad poſtremam dilemmatis partem quam maximè vrget, reſpondent Sacræ Monarchiæ defenſores Hieronymus & Optatus; Hieronymus, *propterea inter duodecim vnus eligitur vt Capite conſtituto Schiſmatis tollatur occaſio.* Optatus, *Bono vnitatis B. Petrus cui ſatis erat ſi poſtquam negauit ſolam veniam conſequeretur, & præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claues Regni cœlorum communicandus cæteris accepit.* Hæc ne irrequietum animum ſedant? Hæc ne typhum illum extinguunt? Accipe & iſtud eiuſdem Optati. *Negare non potes ſcire te in vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederet omnium Apoſtolorum Caput Petrus, vnde & Cephas appellatus eſt, in quo vna cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent, vt iam Schiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret.* Ergo tollendis Schiſmatibus & firmandæ vnitati ac paci Eccleſiæ conſeruandæ, neceſſarium fuit ſpectabile Caput de quo quærit aduerſarius. Cùm præſens ageret Chriſtus contentiones Diſcipulorum ſedabat, nunc corpore abſens tamen ſpiritu ac diuinitate & inuiſibili gratia præſens hoc per Vicarium ſuum exequitur Pontificem,

SPALAT. Num. 24.

Hier. lib. 1. cont. Iouin.

Optat. li 7. cont. Donatiſt.

Idem lib. 2.

Ego

Ego clamito (ſcribit Hieronymus Damaſo) *Si quis Cathedræ Petri iungitur meus eſt Meletius, Vitalis atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere ſi hoc vnus aſſereret; nunc aut duo mentiuntur aut omnes. Idcircò obteſtor beatitudinem tuam per crucem Domini per neceſſarium fidei noſtræ decus, per paſſionem Chriſti, vt qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito. Ita in ſolio cùm duodecim iudicaturus ſedeas; ita te alius ſenem cum Petro cingat; ita municipatum cœli cum Paulo conſequaris; vt mihi literis tuis, apud quem in Syria debeam communicare ſignifices, noli deſpicere animam, pro qua Chriſtus mortuus eſt.* Hieron. Damaſo ep. 58.

Refragatur aduerſarius. *Ego verò*, inquit, *in Chriſti viſibili regimine ordinario hæc tantum obſeruo Sacramenta viſibilia inſtituere; Miniſtros vocare & mittere, euangelizare, Miniſtros ſuos errantes corripere & increpare, Legem explicare, eámque à corruptelis vindicare.* Addit, *Hæc omnia officia ſaltem quæ in Eccleſia reſtent, æquè à Chriſto eſſe Apoſtolis commiſſa.* Videtur verò ſui oblitus. Hîc enim Capitis munus tribuit Chriſto mortali, diuerſum ab interno influxu: atqui dixerat hoc vno ſolo niti capitis dignitatem quam in Eccleſia obtinuerit Chriſtus. Vult ne ſua verba, *Chriſtus nullum Capitis viſibilis vnquam munus in Eccleſia ſua exercuit*, inquit. Agnoſcat & iſta & videat quàm inſtar hæreticorum omnium à regulis ſuis variet, *Ego ſanè*, ait, *in Chriſti viſibili regimine ordinario hæc tantum obſeruo, Sacramenta viſibilia inſtituere, &c. Alterius generis officia à Capite Chriſto vt viſibilis erat prodeuntia, ego certè non reperio.* Ita ædificat & diruit. Chriſtus in terris agens fuit viſibile Caput Eccleſiæ, quia viſibilia Sacramenta inſtituit, Miniſtros miſit, legem explicauit. Non fuit quia nullum viſibilis capitis munus exercuit. Moneo etiam poſt doctiſſimum Becanum eum non rectè enumeraſſe omnia officia Chriſti Capitis; Namque non ſolùm explicauit & illuſtrauit legem Moſaicam, ſed etiam nouas leges ille dixit, quæ ad legem Moſaïcam nihil pertinerent, vt eſt illa, *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poterit introire in regnum cœlorum.* Et illa, *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Quod autem ſubiicit omnia munia Capitis à ſe enumerata *ex æquo participata ab Apoſtolis*; hoc vt concederemus, nihil tamen officeret Primatui Petri; Exciperemus enim quatenus hæc ad Apoſtolatus dignitatem pertinerent, ex quo fuiſſe ab Apoſtolis participata, ſed vt ad ipſam regiminis rationem referrentur, poſtulaſſe legem à Chriſto poſitam, vt nonniſi in vnitate quæ vno Petro niteretur, vſurparentur. Atqui cùm gratis iſtud dixerit, nunc non refellimus, abundè de hac re aliàs contra eum diſputaturi.

Matth. 28. & Luc. 22. Matth. 28. & Ioan. 20. Iſa. 61. & Luc. 4. Matth. 16. & Luc. 22. Matth. 5. 6. & 7.

Num. 24.

Digitized by Google

DISCVSSIO
SECVNDI CAPITIS
LIBRI PRIMI.

CONSPECTVS CAPITIS II.

Apoſtolos miniſtros fuiſſe Chriſti. Quæ præcipua eorum fuerint munia. Error Spalatenſis in explicatione vocis Oeconomi; Reges quoque Oeconomos & miniſtros audire.

Chriſtum ipſum ſpecie miniſtrantis fuiſſe. Præditos eſſe iuriſdictionis authoritate Chriſti miniſtros. Soluuntur argumenta.

SPALAT. Num. 1. Ioan. 4. Ioan. 1. Ioan. 8.9. 12. Iſa. 9. Luc. 1. Ioan. 4. Luc. 10.

REDEMPTOR *generis humani Chriſtus homo-Deus, miſſus à Patre vt perficeret opus eius; quod opus erat conuerſio hominum ad fidem per Euangelij prædicationem, quo illuminarentur mentes hominum; erat enim Chriſtus ad hoc lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; Ego ſum, inquit, lux mundi, illa lux quæ, iuxta vaticinium, habitantibus in regione vmbræ mortis, erat oritura; nempè ad illuminandos eos qui in tenebris, & vmbra mortis, ſedebant ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Ipſe, inquam, Ieſus Dei Filius, ſocios habere voluit & miniſtros; quorum opera ad eiuſdem Euangelij prædicationem vteretur: ipſiſque idem opus committeret, quod ipſe iniunctum habuit à Patre ad perficiendum. Ad hoc igitur Diſcipulos cœpit vocare & congregare. Dicebátque eis, ego miſi vos metere. Et, Rogate Dominum meſſis, vt mittat operarios in meſſem ſuam. Quid verò ſignificat hæc meſſis metaphora, niſi colligere homines in horrea Dei, quæ eſt ſancta Chriſti Eccleſia, per fidem, & Euangelij perceptionem, &c.*

DEMETRIVM filium ob purpuram regióſque faſces turgentem, ac erga ſubditos violentius & immodeſtius ſe gerentem Antigonus Pater humaniſſimis ac ſapientiſſimis verbis caſtigatum in gyrum rationis reuocare tentauit. *An neſcis*, inquit, *regnum ſplendidam eſſe ſeruitutem?* Innuens ſcilicet diadema quanquam nobilem ornatum, cuiuſdam veluti ſeruitutis publicæ inſigne eſſe. Sed quod ille de regno dixit quàm melius in Eccleſiæ adminiſtrationes quadrat, quas ſeruitutis nomen ferre ac retinere iuſſerit Scriptura? *Audiamus edictum*, clamat Bernardus, *qui maior eſt veſtrum, inquit Chriſtus, fiat ſicut iunior, & qui præceſſor eſt, ſicut qui miniſtrat. Forma Apoſtolica hæc eſt, dominatio interdicitur, indicitur miniſtratio.* Certè Paulus non alio loco ſe ſuoſque Collegas Apoſtolos habere vult, quàm miniſtrorum Chriſti, in quibus ſola fides ſpectetur. *Sic*, inquit, *nos exiſtimet homo vt miniſtros Chriſti, ὡς ὑπηρέτας Χριστοῦ*, quæ vox famulos ſignificat. Quanquam igitur vanus eſt ac verboſus Spalatenſis, atque inſigniter abutitur otio ſuo & Scripturis ſacris, toto tamen

Bern. lib. 2. de Conſiderat. c. 6.

1. Cor. 4.

hoc

hoc capite propemodum vera dicit. Contendit *Apoſtolos miniſtrorum impleſſe vices*, ſed lucem ſoli infert, & hoc vltro confitentibus non erat pluribus probandum aut confirmandum. Officia eorum ſic perſtringit, vt primùm ſtatuat *incubuiſſe illis Prouinciam, & onus promulgandi Euangelij, & ad hoc onus implendum potiſſimum miſſos eſſe à Chriſto.* Non repugnamus. Apoſtoli nomen à Græco vocabulo ἀποστέλλω deductum agnoſcimus, eo verò inſignitos fuiſſe duodecim, quod à Filio Dei tanquam ſeduli operarij in regiones quæ iam eſſent *albæ ad meſſem* allegarentur, nos docet Euangelium. *Sicut tu me miſiſti in mundum*, dicebat Chriſtus optimo Patri, *ita ego miſi eos.* Ioan. 4. Ioan. 17. *Quos*, inquit Auguſtinus, *miſit niſi Apoſtolos ſuos? Nam & ipſum nomen Apoſtolorum quoniam Græcum eſt, nihil niſi miſſos ſignificat in Latino. Miſit ergo Deus filium ſuum non in carne peccati, ſed in ſimilitudine carnis peccati, & miſit filius eius eos quos natos in carne peccati ſanctificauit à labe peccati.* Aug. tract. 68. in Ioa. Et certè quod non nemo aduertit cùm primùm Chriſtus Diſcipulos ad promulgandum Euangelium miſit, quaſi ex Diſcipulis magiſtros creans *Apoſtolos* nominauit. Quare omnino verè ſcripſit aduerſarius *Ieſum Dei filium ſocios eos habere voluiſſe & miniſtros, quorum opera ad Euangelij prædicationem vteretur.* Ac præterea *habuiſſe Chriſtum maximum quidem Diſcipulorum numerum, ſed hos potiſſimum duodecim elegiſſe, quibus cum familiarius conuerſaretur, & quaſi ex conſuetudine conuiueret.* Benedictus Iuſtinianus initio Comment. in Epiſt. ad Rom. de Apoſt. vocat. c. 1. Nam Marcus id diſertè docet, *Aſcendens*, inquit, *in montem, vocauit ad ſe quos voluit ipſe, & venerunt ad eum. Et fecit vt eſſent duodecim cum illo, & vt mitteret eos prædicare, & dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & eiiciendi dæmonia, & impoſuit Simoni nomen Petrus, &c.* Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6. Num. 3. Græca aliquanto melius ſonant quàm Latina, Καὶ ἐποίησεν δώδεκα, ἵνα ὦσι μετ' αὐτοῦ, καὶ ἵνα ἀποστέλλῃ αὐτοὺς κηρύσσειν, καὶ ἔχειν ἐξουσίαν θεραπεύειν τὰς νόσους, καὶ ἐκβάλλειν τὰ δαιμόνια, καὶ ἐπέθηκε τῷ Σίμωνι ὄνομα Πέτρον. Marc. c. 3. Quibus verbis Euangeliſta & feciſſe duodecim, & cur fecerit duas explicat cauſas, vna eſt, *vt eſſent*, inquit, *duodecim cum illo*, id eſt vt ipſi tanquam familiares & domeſtici ſemper adeſſent. *Altera*, inquit, *vt mitteret eos prædicare.* Itaque duo fuere veluti propria Apoſtolorum munera, primum Chriſto adeſſe, tanquam laboris ſocios & vitæ ac miraculorum teſtes; Cum illo denique haud tanquam hoſpites, ſed veluti contubernales & domeſticos habitare ac conuiuere. Spalat. Num. 4. Vnde Tertullianus eleganter ſcribit, *adlegiſſe lateri ſuo Chriſtum deſtinatos nationibus magiſtros.* Tertul. de præſc. c. 20. Hinc rurſus non malè colligit, *Apoſtolos fuiſſe ad id conſilio & ſapientia Chriſti congregatos & ſelectos, vt teſtes eſſent Reſurrectionis Chriſti.* Spalat. Num. 5. Hoc namque innuit Sanctus Petrus, cùm de ſufficiendo Iudæ proditori quopiam ſucceſſore ad Apoſtolicum ſenatum refert, *Oportet*, inquit, *teſtem Reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis.* Act. 1. 11. Ipſe etiam Chriſtus migraturus ad Patrem. *Eritis*, ait, *mihi teſtes in Hieruſalem, & in omni Iudæa à Samaria, & vſque ad vltimum terræ.* Act. 1. 8. Hoc tam illuſtri nomine meritò gloriabatur Petrus, *Præcepit nobis prædicare populo & teſtificari, quia ipſe eſt Iudex viuorum & mortuorum.* Act. 10 42. Paulus quoque, *Nil enim vereor, nec facio animam precioſiorem quàm me, dummodo conſumem curſum meum, & miniſterium verbi quod accepi à Domino Ieſu, teſtificari Euangelium gratiæ Dei.* Act. 10. 14. Rectè igitur ſentit Tertullianus à Spalatenſi teſtis citatus Apoſtolos à Chriſto aſſumptos, vt *teſtes omnium geſtorum Chriſti eſſent.* Num. 5. Rectè quoque ſcripſit Paulinus Nolanus ei Comes addi- Paul. in ep. 11.

Digitized by Google

tus, *Quia*, inquit, *Apoſtoli in orbem terrarum mittendi forent ad omnium gentium informationem, non auribus tantùm, ſed & oculis prædicandam fidem capere debebant, vt quod firmius didiciſſent conſtantius edocerent.* Hæc enim omnia firmantur teſtimonio Petri, qui de ſe ſuiſque collegis pronunciat, *Teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui bibimus & manducauimus cum illo.* Act. 10. 41. Poſtremò rectè fecit aduerſarius, qui conuictum illum familiarem cum Chriſto, quo maximè nititur illa Reſurrectionis probatio in Paulo ſarcitum aſſeruit *Per ſpecialem Chriſti reuelationem, & ſtupendam illam glorioſæ carnis ſuæ manifeſtationem*, qua fretus non veretur dicere, *Non ſum liber, non ſum Apoſtolus, nonne Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum vidi?* Quare hæc diligentiori diſcuſſione non egent, vt nec quod tum ipſius Pauli, tum reliquorum Apoſtolorum præcipuum munus fuiſſe prædicationem verbi ex loco Pauli probarit, *Non miſit me Chriſtus baptizare, ſed euangelizare.* Rectè quoque docet *Apoſtolos, vt in hoc munus incumberent expeditius, diaconos renunciaſſe, qui menſarum & viduarum curam in ſe reciperent. Non eſt iuſtum*, inquiunt Apoſtoli, *nos relinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis.* Nec dum verò venena profundit. Oratione enim non admodum acri contendit Apoſtolatum *miniſterium eſſe, ac miniſterium quidem verbi*, quod nos vltrò concedimus. *Nos autem*, inquiunt Apoſtoli poſt renunciatos diaconos, *miniſterio verbi intenti erimus*, & ipſe Paulus non plus ſibi ſumit, quàm vt miniſter ſit Chriſti & habeatur. *Miniſtri ſunt Chriſti*, inquit, *& ego.* In his ſi acquieuiſſet Spalatenſis, non erat nobis iuſta ratio cum eo expoſtulandi. Sed iam aconita miſcet. *Putáſne*, inquit, *œconomos Patrum familias & domus Magiſtros habere vllum verum dominium, An verò eſſe potius conſeruos cum aliis ſeruis, & horum opus, putáſne ſit herile, & imperioſum?* hoc ſcilicet vrget vt *nudum miniſterium* tribuat Apoſtolis, adeoque ipſi Petro ac eos omnes poteſtate ſpoliet quàm acceperunt à Chriſto. Tu ne igitur Marce Antoni œconomo & diſpenſatori, adeóque *fideli ſeruo, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*, omnem adimis poteſtatem in reliquos ſeruos? Tu ne ius omne imperandi abrogas? Certè huius nominis & dignitatis *œconomus* plenam in Heri domo nactus poteſtatem, omnia regit, omnia moderatur, diſtribuit, ordinat, quin & donat & debita relaxat, poſtquam probo miniſtro placere iſta Domino ſuo conſtat, aut gloriam eius illuſtriorem reddere. Hoc vnum ſcilicet ab eo exigitur, vt cum fide atque integritate ſuo munere defungatur. *Hîc iam quæritur*, inquit Apoſtolus, *inter diſpenſatores vt quis fidelis inueniatur.* Haud propterea tamen dixerim, aut Apoſtolis aut Petro relictum herile imperium, aut ſuperbum dominatum in Eccleſiam, *Non dominantes in cleris*, inquit ipſe Petrus, ſed diſpenſationem cum ſuauiori quadam ac longè mitiori poteſtate quam Reges gentium ſibi tribuant, adeò vt comparatione Chriſti non niſi famulorum loco haberi poſſint rationem etiam bene vel malè geſti imperij ſupremo Monarchæ reddituri. Interea vim nominis *Oeconomi* non eſt aſſequutus Spalatenſis, non enim nudum miniſterium, ſed poteſtatem & authoritatem imperij adminiſtrationi adiunctam non rarò ſignificat, ac præ ſe fert.

Num. 6. Num. 7. 1. Cor. 9. 1. Num. 8. & 9. Num. 9. Num. 10. Matth. 24. 4. Luc. 12. 42. Ephes. 4. 1. Pet. c. 5. Bernard. de Conſider. ad Eugen. lib. 2. c. 6. ſuprà.

Certè Ariſtoteles de Principe agens, οἰκονόμος, inquit, ἀλλ' οὐ τύραννος ἔσται δόξει. *Diſpenſator ſeu Oeconomus*, ait, *non tyrannus videbitur eſſe*; Neque tamen propte-

Ariſt. in politicis.

propterea principem sua authoritate nudat. Illud etiam eiusdem Aristotelis communi omnium rectè philosophantium calculo est comprobatum, hoc inter legitimum Principem & Tyrannum potissimùm interesse, quod bonus Princeps populi sibi crediti commodum & vtilitatem quærat, & quibus potest modis procuret, contra verò tyrannus ad seipsum & priuatas suas rationes omnia imperij iura referat. Imo ipsum nomen *ministri*, quod tantoperè vrget Spalatensis, in regem quadrat, qui *minister Dei* à Paulo indigitatur, θεοῦ γὰρ διάκονός ϭτι, *Dei enim minister est*, inquit Paulus. Ac rursum de omnibus omninò potestatibus à Deo præstitutis, λειτουργοί γὰρ θεοῦ εἰσιν εἰς αὐτὸ τοῦτο προσκαρτεροῦντες. *Nam ministri Dei sunt in hoc ipsum seruientes. Ideo*, inquit, *tributa præstatis, ministri enim Dei sunt* λειτουργοί. Sint ergo Apostoli, sit Petrus, sit Pontifex, sint Episcopi dispensatores, œconomi, & ministri Christi, haud propterea excidunt potestate sibi à Deo tributa, aliàs Christum ipsum omni authoritate orbatum in seruorum numerum cogeremus, cùm eum ministrum Circuncisionis descripserit Paulus, λέγω δὲ Ἰησοῦν Χριϛὸν διάκονον γεγενῆϭθαι περιτομῆς. *Dico autem Iesum Christum ministrum fuisse Circuncisionis*, quod nimirum per se Iudæis prædicauerit. Sed & Christus ipse hoc vltrò de se profitetur: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, &c.* οὐ γὰρ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου οὐκ ἦλθε διακονηθῆναι, ἀλλὰ διακονῆσαι, &c. Itaque œconomi, dispensatoris & Ministri vocabulum, verum imperium non euertit, sed officij & pietatis in subditos pastores in Ecclesiasticarum rerum fastigio positos commonefacit, illudque Christi subinde ob oculos ponit. *Quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Hæc scilicet eo fine dicuntur, vt longè sint à fastu & typho sæculi, vt loquuntur Patres Concilij Carthaginensis, qui in Ecclesia Christi primas tenent. Olim cùm Mitridatem quemdam in Armeniam Regem illi genti à se datum deducendum curaret Claudius, *quanquam Princeps vecors, præcepta* tamen *addidit*, inquit Tacitus, *vt non dominationem & seruos, sed Rectorem & ciues cogitaret, &c.* Quantò igitur æquius fuerit Christi ministros meminisse se *Sacerdotes*, vt loquitur Hieronymus, *non Dominos esse?* Certè qui clauum imperij Ecclesiastici, & gubernacula tractat summus Pontifex, SE SERVORVM DEI SERVVM magna nominis & dignitatis suæ commendatione nuncupat. Quod ergo scripsere antiquiores Patres, quos profert aduersarius, non debere Episcopos *maiestatis dominium sibi vendicare*, *Apostolatum rem esse plenam laboris*, *obsequio addictam, ab omni ambitione dominandi longè remotam*, *seruos Christi non debere de primatu in Ecclesia contendere*, *imò non posse citra perpetuæ salutis iacturam*; *Præfecturam sæculo Apostolorum non honorem*, *sed curam subditorum fuisse*, planè verum est, & in eam rem accommodatum, vt meminerunt Episcopi eius quod est sapienter à Hieronymo inculcatum, *Regem præesse nolentibus*, *Episcopum volentibus*, *illum terrore subiicere*, *hunc seruituti donari, illum custodire corpora ad mortem*, *hunc animas seruare ad vitam.* Hoc scilicet præ se ferunt tituli à Spalatensi ex Optato, Chrysostomo, Authore operis imperfecti, Cyrillo & Augustino selecti, vt ostenderet hos Patres non nisi ministrorum loco habuisse Episcopos. Certè superbus sit & valdè arrogans, qui titulum Ministri Christi aspernetur ac fastidiat, vt dignitatis honorem in Ecclesia ostentet. Atqui si quod res est fateri volumus diuina hæc

Rom. 13.

Rom. 15. 8.

Matth 20.

Annal. l. 12.

Epist. 2. tom. 1.

Ad obiect. pat. à Spal. induct. Num. 11.

Optat. li. 5. cont. Parm.

Chrys. ser. de Pentech.

Num. 12.

Author. op. imp. hom. 35. apud Chrys.

Num. 13.

Hier. ep. 3.

A Num. 11. ad 19.

modeſtia authoritatem miniſtrorum non labefactat, ſed magis commendat & ornat.

SPALAT. Num. 13. Homil. 35. apud Chryſoſt. Inſtat tamen Spalatenſis, & vrget teſtimonium Chryſoſtomi quem ſignificaſſe ait, *Miniſterium verbi in ſolo Chriſto fuiſſe dignitatem & poteſtatem, in Apoſtolis verò non niſi purum & nudum miniſterium.* Additque in ſequentibus, *maximam eſſe differentiam inter miniſterium Chriſti & Apoſtolorum.* Num. 19. *Benè*, inquit, *dicit Chriſtus, Ego ſum tanquam qui miniſtrat, verè enim non miniſtrabat, vt verus miniſter tantùm, ſed ad ſpeciem & humilitatem: vnde & ſe meritò Dominum ab Apoſtolis vocari apertè eſt profeſſus.* Ioan. 13. *Vos vocatis me Magiſter & Domine & benè dicitis; ſum etenim. Apoſtoli verò erant verè & propriè miniſtri.* Hæc Spalatenſis. Fatemur verò magnum diſcrimen intercedere inter Chriſtum & Apoſtolos, ac reliquos Eccleſiæ miniſtros. Chriſtus enim Dei filius tanquam iuſtus regni heres, ita gubernacula Eccleſiæ ſuæ, imò totius mundi tractat, vt à nullo pendeat, ſed pro libito de omnibus ſtatuat, nemini factorum rationem redditurus. Apoc. 17. Quare vt eſt in Apocalypſi ſcriptum gerit in femore, *Rex Regum & Dominus dominantium*, Apoſtoli verò & reliqui miniſtri alienam perſonam ſuſtinent, Domini vices gerunt, ſuo priuato nomine nil moliuntur, vno verbo delegatam habent prouinciam, ſed planè veri nominis poteſtate ornatam. Hoc ſenſu etiam dixit Chriſtus ſe *in medio diſcipulorum inſtar eſſe miniſtrantis*, cùm tamen *Dominus* quoque audiret.

Cæterum illud *quaſi qui miniſtrat*, vim & rationem miniſterij non infringit, ſed aſſumpti hominis œconomiam ſubindicat, iuxta quam verè miniſtraſſe nullus negauerit, qui ex Apoſtolo *formam ſerui* induiſſe cum meminerit. Clariſſima ſunt illa verba ſuperiùs à nobis allata, *Filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare.* Cùm igitur forma ſerui ac illa miniſtrantis facies ſummæ poteſtati nihil detraxerit, quàm ineptè ex vocabulo *Miniſtri* argumentantur, qui ſpecie nominis omnem Paſtoribus Eccleſiæ poteſtatem adimere tentant? Et quidem cùm Apoſtolos mitteret ad promulgandum Euangelium, *Sicut miſit me*, ait, *Pater, & ego mitto vos.* Hoc eſt vt interpretantur Chryſoſtomus, & Theophylactus ſuum illis munus atque officium reliquit, ac ſuos veluti Vicarios Eccleſiæ adminiſtrandæ præfecit. Chryſoſtomi quem perpetuò ſequitur ac imitatur Theophylactus, verba ſunt ad illud, [a] *Sicut miſit me, &c. Quare hoc dicit?* inquit, *Eorum animos erigit, & ſuam proponit authoritatem; ſiquidem ſuum eis relicturus erat miniſterium: & cùm nondum rogaſſet Patrem, ſua eis authoritate poteſtatem præbet. Inſufflauit enim & dixit: Accipite Spiritum ſanctum. Quorumcunque remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Quemadmodum enim rex præfectos mittens, vt in carcerem reos intrudant, & vt liberent, poteſtatem præbet; ita Ieſus Diſcipulos dimittens hac munit authoritate.* Quare etiam apud Lucam alloquens Diſcipulos dicit, [b] *Qui vos audit me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit.* Non ergo eſt quod Spalatenſis opponat miniſterium Chriſti miniſterio Apoſtolorum, ſed potius eſt ei ex miniſterio

[a] Chryſ. in c. 20. Ioan. homil. 86. (δύσασα) ἀντῶν ἐπαίρει ἑαυτῶν ἡ ψυχὴ, καὶ δείκνυσι πολὺ τὸ ἀξίωμα αὐτῶν· μέλλων γὰρ αὐτοῖς τὸ ἄρχειν ἐπιτρέπειν, οὐκ ἐπιτρέπει ἀπλῶς, ἀλλ' ἐνδεικνὺς δίδωσι αὐτοῖς τὴν δύναμιν. ἐπεύσατο γὰρ ἐμφυσήσας λέγει· λάβετε πνεῦμα ἅγιον. οὓς ἀφῆτε τὰς ἁμαρτίας ἀφίενται. καὶ οὓς κρατῆτε κεκράτηνται). ὥσπερ γὰρ πεμπόμενος ὑπὸ βασιλέως ἔρχεται ἀπὸ τόπου εἰς τόπον [καὶ] ἐξουσίαν εἰς δεσμοφύλακα ἐμβαλεῖν ἢ ἀφεῖναι δίδωσι· οὕτω καὶ τότε ἀπέπεμπεν, ταύτην ἐφιεὶς τῇ δυνάμει.

[b] Luc. 10.

Christi, cui proportione quadam illud Apostolorum respondeat, ratio inuestiganda ministerij Apostolorum, vt quemadmodum Christus cum eximia ac plena potestate illud est exequutus, ita quibus exercendum post se reliquit in eos potestatis suæ iura singulari charitate transfuderit. Ministri Christi sunt? non reluctor; at à Christo eximia quadam potestate donatos fuisse tam est clarum in Scripturis & Patribus, vt cuiusdam insolentissimæ insaniæ esse videatur id negasse. Quid? Nonne Christi minister fuit Paulus? Nullamne igitur potestatem habuit in fideles? Quâ re igitur fretus Corinthiis dixit, *Vultis in virga veniam ad vos, an in charitate & spiritu mansuetudinis?* Quærit vtrum malint seueritatem supplicij, an lenitatem & mansuetudinem experiri. Ergo vt lenitatis & mansuetudinis, ita quoque seueritatis ac supplicij penes ipsum erat ius & arbitrium, vt vel ex eo appareat olim Apostolos vlciscendi ac puniendi scelera potestatem habuisse. Sed rem totam eleganter explicat Chrysostomus atque quid sit illud ἐν ῥάβδῳ, *in virga*, egregiè interpretatur ἐν τῷ ἐξουσίαν πᾶσαν, habentis verba esse docet, *Quid est*, inquit, *in virga, in castigatione & supplicio; Hoc est de medio tollam & execem. Quod quidem Petrus fecit in Sapphira: quod ipse in Elyma Mago. Non enim iam hoc dicit, tanquam seipsum cum illis conferens, sed cum authoritate.* Illa igitur Pauli verba *in virga*, eximiam quandam authoritatem ac potestatem præ se ferunt, qua de posteriore Epistola hunc in modum scribit. *Prædixi & prædico, vt præsens & nunc absens iis qui ante peccauerunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero non parcam.* Vellem autem expendisset sequentia verba Spalatensis. *Ideo*, inquit, *hæc absens scribo, vt non præsens durius agam secundum potestatem quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in destructionem.* Annon enim hæc eximiam ac singularem illam authoritatem firmant, de qua altero Capite dixerat. *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam?* Ergo vt Ilia Codro frangantur fatendum est concessam fuisse Apostolis supremam quandam authoritatem, qua non modò possent Euangelium promulgare, ministrare Sacramenta, miracula edere, & id genus alia præstare; sed etiam leges dicere, & pœnis ac suppliciis contumaces frænare ac coërcere. Id ostenderem pluribus, sed importunitate aduersarij qui sæpè eodem reuoluitur futurum est, vt hæc ipsa disputatio iterum recurrat. Nunc igitur satis fuerit annotasse eos ipsos Patres, qui ministros fuisse Apostolos disputant, summam in illis authoritatem agnouisse. Certè Augustinum quem inducit de ministrorum authoritate differentem contra Donatistas, qui nimium eis tribuerent, & ex eorum sanctitate ac probitate vim & efficacitatem Sacramentorum pendere statuerent, iniquè torquet ad omnem ministrorum euertendam potestatem. Si quidam Principes orbis terrarum, tum Apostolos, tum Episcopos facit ad illa verba Dauidis: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram.* Sic enim Ecclesiam alloquens, *Quid est*, inquit, *pro Patribus tuis nati sunt tibi filij? Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis filij nati sunt tibi, constituti sunt Episcopi: Hodie enim Episcopi qui sunt per totum mundum vnde nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos genuit, & ipsa illos constituit in sedibus Patrum. Non ergo te putas desertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia*

1. Cor.

Chrysost. hom. 14. in 1. Cor. & 4. Τί ὅτι ἐν ῥάβδῳ; ἐν κολάσει, ἐν τιμωρίᾳ. τοῦτό ἐστι, φησὶ, σπεύσω; ὅπερ ἐπὶ τῆς Σαπφείρας ἐποίησε καὶ ἐπὶ Ἐλύμα τοῦ μάγου. οὐ γὰρ λοιπὸν, ὡς παραβαλλόμενος ἐκείνοις ταῦτα λέγει, ἀλλ' ἐξουσιαστικῶς.

1. Cor. Versu 10. 1. Cor. 10. 6.

Num. 14.

August. in Psal. 44.

non vides illos per quos nata es; de plebe tua ibi creuit paternitas. Pro patribus tuis nati sunt tibi filij. Constitues eos principes super omnem terram. Vide templum regis quàm latè diffusum est: vt nouerint virgines quæ non adducuntur in templum Regis, non se ad istas nuptias pertinere. Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos super omnem terram. Hæc est Catholica Ecclesia. Filij eius constituti sunt principes super omnem terram, filij eius constituti sunt pro Patribus. Agnoscant qui præcisi sunt, veniant ad vnitatem adducantur in templum Regis. Templum suum Deus vbique collocauit, fundamenta Prophetarum & Apostolorum vbique firmauit. Filios genuit Ecclesia, constituit eos pro Patribus sus Principes super omnem terram. Pulchrè in hanc sententiam Epiphanius, *Manet*, inquit, *quippe sedes illius*, (Christi) *& regni eius non erit finis, atque in Dauidis solio considet: propterea quod Dauidis regnum transtulit, idque ipsum vna cum Pontificatu seruis suis indulsit, hoc est Catholicæ Ecclesiæ Pontificibus.* Hæc ne oculis aspicis æquis mi Antoni?

Epiphanius hær. 29. Μένει γὰρ αὐτοῦ ὁ θρόνος, καὶ ἡ βασιλεία αὐτοῦ οὐκ ἔσται τέλος, καὶ κάθηται ἐπὶ τοῦ θρόνου Δαυίδ. τὸ βασιλεῖον τοῦ Δαυὶδ μετεποίησε, καὶ χαρισάμενος τοῖς ἰδίοις δούλοις, ἅμα τῇ ἀρχιερωσύνῃ, τούτοις τοῖς ἀρχιερεῦσι τῆς καθολικῆς Ἐκκλησίας.

Concidit ergo tota illa moles argumentorum à Spalatensi contra Episcoporum potestatem inductorum, & cum semper eo relabatur vt ministros eos fuisse contendat hilum non proficit, cùm illi probandum restet in ordine ministrorum nullum posse esse caput, cui vices suas familiæ Dominus commisisse credi possit? Hoc si probauerit Euangelium euerterit, à quo edoceamur esse *fidelem & prudentem seruum, quem familiæ suæ imposuerit*, cuique vices suas cum amplissima potestate demandarit Christus his verbis, *Pasce oues meas, Pasce agnos meos*? Hunc ministrum expressit Bernardus libris de consideratione ad Eugenium; *Sic*, inquit, *te existimet homo, vt Ministrum Christi, & quod absque præiudicio sanctitatis cuiuspiam dixerim*, SVMMVM PLANE MINISTERIVM. Huius potestatem indagandam cùm suscepisset, de ea sic pronunciauit, *Quis es? Sacerdos magnus, summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, tu heres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, authoritate Moyses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ sunt. Sunt quidem & alij cœli Ianitores, & gregum pastores; sed tu tantò glorioſius, quantò & differentius vtrumque præ cæteris nomen hereditasti.*

Bernard. de consider. lib. 2. c. 7.

Idem c. 8.

SPALAT. Num. 20. & seq. Ioan. 21. Num. 25.

De istis postea acturum se minatur. Audiemus illum igitur iterum, de his differentem, sed quæso à solitis illis suis nugis abstineat. Vexat & fatigat robustiores illa mole malè instructorum argumentorum, sed nihil exquisitionis doctrinæ profert, quod vel tantillum impiam causam iuuet. Claudit hoc Caput Encomio Apostolorum ex Augustino mutuato. Atqui *non est speciosa laus in ore peccatoris*, & maluissent olim terræ, nunc iam Cœli Principes Apostoli, eorum fuisset fidem, patientiam, humilitatem, obedientiam imitatus, quam his eos laudibus ornasset. Non erat verò quod pro Coronide splendidum mendacium adderet, *non agnouisse Augustinum potestatem vllam iurisdictionis in Apostolis*, quos tamen *Principes Ecclesiæ à Deo constitutos*, disertis verbis, vt ostendimus, vocat. Nam otiosum illis Principum titulum non tribuisse, vel ex eo patet quod libris suis de Ciuitate Dei locum Ioannis, *Et vidi sedes, & sederunt super eas, & iudicium illis datum est*, non ad extremum illud iudicium, sed ad huius temporis iudicia, quæ per Episcopos exerceantur, referre non vereatur doctissimus

Apoc. Ioan. 4.

Aug. li. 20. de Ciuit. Dei, c. 9.

Anti-

Digitized by Google

Antiſtes, *Non hoc putandum eſt*, inquit, *de vltimo iudicio dici, ſed ſedes præpoſitorum, & ipſi præpoſiti intelligendi ſunt, per quos Eccleſia nunc gubernatur, iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quàm id quod dictum eſt, Quæ ligaueritis in terra ligata erunt in cælo, & quæ ſolueritis in terra, ſoluta erunt in cælo. Vnde Apoſtolus, Quid mihi*, inquit, *eſt de his qui foris ſunt iudicare? Nonne de his quæ intus ſunt vos iudicatis?* Sunt hæc ipſa Solis luce clariora ac illuſtriora: ſed Matth. 18. 1. Cor. 5.

Quid miſerum Thamirem picta tabella iuuat?

DISCVSSIO
TERTII CAPITIS
LIBRI PRIMI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Eccleſiam præcipua quadam ratione Petro commendatam à Chriſto: Magnificentius cum Petro egiſſe Chriſtum quàm cum reliquis Apoſtolis, qui proinde in adminiſtranda Eccleſia, & eius gubernaculis tractandis æquales aut pares ei non fuerint: Cyprianus explicatus ac Catholicis aſſertus: Similiter Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, Chryſoſtomus, Leo Magnus, Caietanus, Baronius & Bellarminus defenſi: Illuſtris locus Auguſtini, quo maximè gloriatur Spalatenſis Orthodoxis vindicatus.

QVAM formam regiminis Chriſtus Dominus in Eccleſia, per homines mortales ipſius Miniſtros exercendi ordinauerit, quærebamus: Apoſtolis porro commiſſam fuiſſe Eccleſiam, nemo puto negabit; Si quidem dictum eſt ipſis à Chriſto; *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Et, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. ſenſerunt hoc Patres. Auguſtinus modum à fidelibus in ſumenda Euchariſtia ſeruandum ait ab Apoſtolis fuiſſe præſcribendum: Et ideo, inquit, non præcepit (Chriſtus) quo deinceps ordine ſumeretur; vt Apoſtolis per quos Eccleſias depoſiturus erat, ſeruaret hunc locum.*] *Et Hieronymus, Apoſtolos ait, eſſe à Chriſto conſtitutos Principes Eccleſiarum. Quo titulo paſſim inſigniuntur etiam in noſtris Eccleſiis.* SPALAT. Num. 1. Ioan. 20. Matth. 28. Auguſt. ep. 118. Hier. in Iſa. c. 1. item in præf. in ep. ad Gal. In hym. Apo.

Fatetur hoc ipſum Nicolaus Papa primus; quamuis ſingularum (ait) Eccleſiarum, quæ propter diuerſitatem terrarum multæ eſſe dicuntur, (cùm vna ſit & vni- SPALAT. Num. 2.

Nicol. ep. 42. tom. 3. epist. decretal. Rom. Pont. Cant. 2. Psal. 12. 1. Petr. 2. Heb. 7. Psal. 44. 1. Cor. 12. Caietan. in Comment. in 1. Corin.

ea sponso suo, sicut ipse in Canticis Canticorum dicit: Vna est columba mea. Et per Psalmistam: Erue de manu canis vnicam meam) Pastor, & Episcopus, ac Pontifex Dominus noster Iesus Christus, qui hanc creauit & redemit, existat, ita vt ille veraciter, ac principaliter ista sit omnia, iuxta quod fidelibus per primum Apostolum dicitur: Conuersi estis nunc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum: Et iuxta quod egregius prædicator de eo loquens; Talis, inquit, decebat, vt nobis esset Pontifex; Subiturus tamen ad cœlos hanc Apostolis commendauit; ac per eos, tanquam hæreditario iure, successoribus eorum, nobis scilicet, quos Pastores, & Episcopos, ac Pontifices super ipsam constituit, eius prouidentiæ curam indulsit: quatenus pro patribus nati filij; & pro eis constituti Principes, in omnem terram imitatores eorum essemus, sicut & ipsius Christi.] *Hæc Nicolaus. Caietanus acerrimus Monarchiæ Romanæ propugnator, negare id non potuit: Explicans enim ea verba Apostoli; Posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos: Suprema, inquit, membra Apostolos explicat: ad eos enim spectat vniuersale Ecclesiæ regimen; non solùm verbo & actione, sed etiam Scriptura.*]

QVANQVAM importuna illa & parum erudita dissertatione de Ministris Ecclesiæ ab aduersario superiori capite inducta, nihil possit fingi frigidius, mirè tamen sibi in illa placet, ac rursum eam nobis obtrudit, scilicet *Sisyphi* instar *versat saxum sudans nitendo, neque proficit hilum.* Ne tamen nihil dixisse videri possit, quædam vt suam sententiam fulciat hoc capite addit, quæ sunt à nobis expendenda & excutienda diligentius: Magno igitur conatu magnas nugas dicturus Apostolos, quos Principes Ecclesiæ à Christo constitutos non erat quod vltro cum Hieronymo, Augustino, Nicolao I. & Caietano confitentibus probaret, pares omnino fuisse, nec plus tributum Petro quàm reliquis assumit. Hoc verò postremùm si probauerit, nobilem tulerit palmam; sed quàm imbellè pugnat? Æquè, inquit, *omnibus & singulis datam fuisse à Christo potestatem Apostolis, facile est ostendere. Primùm enim, inquit, æque eruditur omnes à Christo, quando eos primum rudes elegit, æquè omnes format & perficit ad munus Apostolatus, & non magis vnum quàm alios instituit.* Non sumus tam acuti, vt vim huius argumenti peruideamus. Demus omnibus & singulis Apostolis instituendis, ac rerum diuinarum scientia informandis parem nauasse operam Christum, quod fortasse verũ non est, cùm Paulum raptum in tertium cœlum ad ea edoctum, *quæ non liceret homini loqui*, ex Scriptura constet, quod de reliquis Apostolis non asseueratur: Hinc tamen non rectè colligitur pares omnino in administranda Ecclesia fuisse, neque enim, ni fallor, scientia pares, sed per authoritate pares sunt. Namque pondus illud regiminis eximia illa rerum scientia non nititur, ac sententia Theologorum Iurisdictio à maiori doctrina non pendet, sed ab instituentis & gubernacula tradentis authoritate, aut obiecto etiam, vt loquuntur, concessæ potestatis. Viderunt præterea viri docti imperiorum administrationem & gubernationem artem quandam esse à priuata scientia diuersam qua qui imbuti non essent, eos ad rerum habenas regendas planè ineptos iudicarent. Assero igitur vni Petro dictum, *Pasce oues meas, Pasce agnos meos.* Vnumque edoctum à Christo quonam modo vniuersæ Ecclesiæ imperium

Num. 3. 1. Cor. 14. Axioma Theologorum. Ioan. 20.

Digitized by Google

imperium eſſet à peritiſſimo Vicario adminiſtrandum. Reliquis ea eſt indita rerum diuinarum & humanarum cognitio, quæ fundandis Eccleſiis, populis inſtituendis, legibus ſanciendis, Scripturis ſacris propalandis ſufficeret. Itaque eminentior illa imperandi ratio credita eis non eſt, ſed hac parte aliquanto magnificentius egit Chriſtus cum Petro, quàm cum ſuis collegis iiſque cum inſtruxit chariſmatibus, quæ non modò ad munus Apoſtolatus exequendum, ſed etiam ad vniuerſam religionem titulo & dignitate Capitis moderandam forent neceſſaria. Itaque vt ſimpliciter dicam, verum eſt quod inſinuat Spalatenſis, *Chriſtum commendaſſe Eccleſiam ſuam ſingulis Apoſtolis*: Sed falſum eſt quod rurſus aſſumit *omnibus ex æquo commendaſſe*, & malè ex paritate doctrinæ paritatem iuriſdictionis colligit. Sed inſtat, *Poſt Aſcenſionem æquè omnes Apoſtoli à Spiritu ſancto recti, inflammati, edocti & roborati ſunt, neque ſemel tantùm, ſed bis, &c.* Nec hoc argumentum priore neruoſius eſt, ac rurſus dubio & planè fragili nititur fundamento. Etſi enim eodem Spiritu afflatos omnes Apoſtolos doceant Scripturæ ac Scripturis conſentientes Ignatius, Tertullianus & Irenæus, illud tamen, quod tantopere iactitat aduerſarius, *æquè*, non habent. Audiamus Scripturas. *Cùm complerentur dies Pentecoſtes, &c. repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cæperunt loqui* Iterum verò, *Et cùm oraſſent motus eſt locus in quo erant congregati, & repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & loquebantur verbum Dei cum fiducia.* Audio repletos omnes Spiritu ſancto, at *æquè repletos* non audio. Hoc ſcilicet aduerſarij commentum eſt nugaciſſimum. Patres quoque ſcribunt. Ignatius quidem, vt ille exiſtimat, *Quemadmodum & pſeudo-Prophetæ & pſeudo-Apoſtoli vnum & eundem Spiritum malum, fallacem & populi ſeductorem acceperunt; ſic & Prophetæ & Apoſtoli vnum & eundem Spiritum ſanctum bonum, eximium, verum & doctorem rectum acceperunt à Deo per Ieſum Chriſtum.* Tertullianus. *Apoſtolos Domini habemus authores, qui nec ipſi quicquam ex ſuo arbitrio quod inducerent, elegerunt; ſed acceptam à Chriſto diſciplinam fideliter nationibus adſignauerunt.* Irenæus, *Etenim ſi recondita myſteria ſciſſent Apoſtoli, quæ ſeorſim & latenter à reliquis perfectos docebant; his vel maximè traderent ea quibus etiam ipſas Eccleſias committebant*; Innuunt verò hi Patres conſecutos omnes Apoſtolos eundem Spiritum ſanctum, at eius *ex æquo* participes fuiſſe omnino non dicunt, ſed rurſus illud, *æque*, maleſani cerebri commentum eſt. Sapienter verò Apoſtolus iſtud pronunciat, διαιρέσεις hoc eſt *diſcrimina, Diuiſiones gratiarum ſunt, idem autem Spiritus. Diuiſiones miniſtrariorum ſunt, idem autem Dominus, &c.* Idem igitur Spiritus ſanctus docens Apoſtolos potuit illum ſuum afflatum ita attemperaſſe, vt pro ratione muneris cui quemque deſtinaſſet, eum cæleſtibus ſuis Chariſmatibus impertiret, neque tamen pares omnes faceret in regenda Eccleſia. Etſi verò Iudas *ſortem miniſterij Apoſtolici ſortitus ſit*, quod Apoſtolorum Coryphæus in Actis Apoſtolicis ſignificat, parem tamen omninò cum reliquis gratiam conſecutum fuiſſe ægrè perſuaſerit aduerſarius; ſunt enim pleráque quæ contrarium ſuadere videantur, de quibus tamen non eſt hic dicendi locus; hoc tantùm addimus haud ſemper omnibus etiam in eiuſdem miniſterij partem vocatis parem à liberrimo largitore Deo gratiam conferri, *Vnicuique noſtrum*, inquit Paulus, *data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti.* Olim quidem cùm Moïſem Dominus onere regendi contumacis populi quo maximè grauaretur leuare vellet congregari ſeptuaginta viros ad

SPALAT. Num. 3.

Act. 2. Act. 4.

Num. eodem. Ignat. ep 6. quæ eſt ad Philadel.

Tertul. de præſcript. adu. hæret.

Iren. l. 3 c. 3. adu. hær.

1. Cor. 12.

Ad finem num. 3. Act. 1.

Epheſ. 4. 7.

Digitized by Google

oſtium tabernaculi fœderis iuſſit vt eos Moiſi adlegeret, tumque dixit ei. *Auferam de Spiritu tuo, tradámque eis vt ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graueris.* Hîc eodem igitur Spiritu afflantur ſeptuaginta, quo Moïſes, imo portionem fuiſſe Spiritus Moïſis quæ in illos diuiſa ſit, non obſcurè ſignificat Scriptura. Nunquid igitur quia eodem ſpiritu afflati, pares aut ſanctitate aut poteſtate cum Moyſe fuerunt? Numquid non in hoc Optimatum conſeſſu penes Moſem ſumma imperij Iudaïci fuit? Non ergo idem Spiritus eadem chariſmata inducit, ſed vt dicebamus & gratiarum & miniſtrationum diſcrimina quædam ſunt à ſuaui illa prouidentia temperata. His poſitis facilis eſt explicatio eorum, quæ tum ex Synodo Conſtantinopolitana, tum ex Hilario & Hieronymo adducuntur. Docent enim hi Patres abundè cumulatos Apoſtolos Spiritus ſancti gratia, *eos totos lucidos fuiſſe, eis affuiſſe Spiritum ſanctum, & vna cum eis verſatum in India, Romæ, in Illyria, in Achaïa, &c.* Sed nulli eorum vnquam venit in mentem eius æqualitatis quam ſibi fingit aduerſarius, & certè vt iuriſdictio non nititur peritia rerum aut ſcientia, ita nec ſanctitate vitæ, quanquam hæc duo poteſtates maximè ornant. Sed iam preſſius agit, & maioribus nos tormentis oppugnat dirus hoſtis, qui & ipſos Patres nulla conſcientia & impio ſcelere truncat. *Expreſſam*, inquit, *æqualitatem poteſtatis inter Apoſtolos agnouit ſemper antiquitas. Audiamus Cyprianum. Loquitur Dominus ad Petrum, ait Cyprianus. Ego tibi dico, quia tu es Petrus, &c. Tibi dabo claues regni cœlorum. Et idem, ait, poſt Reſurrectionem ſuam dicit, Paſce oues meas, & quamuis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat & dicat, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, Accipite Spiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata remittentur illi, ſi cui tenueritis tenebuntur, tamen vt vnitatem manifeſtaret vnitatis eiuſdem, originem ab vno incipientem ſua authoritate depoſuit. Hoc erant vtique cæteri Apoſtoli, quid fuit Petrus pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur vt Eccleſia vna monſtretur.* Hæc Spalatenſis. Ac primum quod *æqualitatem inter Apoſtolos ſtatuiſſe antiquiores Patres* præfidentiſſimè aſſerit ſplendidum eſſe mendacium, quæ ſunt à nobis in prioris Capitis diſcuſſione diſputata oſtendunt. Quod verò attinet ad Cyprianum, etſi hîc calamos inflat vehementius Spalatenſis, totumque eſſe ſuum clamitat, non verebor tamen aſſerere, pugnantia cum Cypriani mente dicere, qui eam æqualitatem inter Apoſtolos inducere moliuntur. At inquit eius verba ſunt, *Hoc erant vtique cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis.* Fatemur eſſe verba Cypriani, cuius mentem non ſit aſſequutus aduerſarius. Loquitur enim de *intrinſeca & eſſentiali poteſtate Apoſtolatus*, qua pares fuiſſe nemo vnquam Catholicus eſt inficiatus, non *de poteſtate extrinſeca & accidentaria*, quæ in ordine ac diſpoſitione regiminis poſita ſit, qua inferiores fuiſſe Petro, Patres omnes conſtantiſſimè cum Cypriano docent. Hoc eſt quod noſtri dicunt omnes Apoſtolos habuiſſe parem poteſtatem quod attinet *ad amplitudinem rerum gerendarum*, ſed non quod attinet *ad authoritatem in ordine & modo gerendi.* Id enim ſic explicant, Pleniſſimam ſinguli Apoſtoli habebant, & ſuprema poteſtatem reſpectu aliorum omnium Chriſtianorum, non autem inter ſe, quia videlicet Petrus ſic caput erat omnium Chriſtianorum, vt etiam ipſorum Apoſtolorum caput eſſet non contra. Hæc tamen *quia ſe non intelligere fingit* aduerſarius, dicam apertius. Ad Apoſtolatum dignè & ex officio exercendum

Num. 11.

Num. 4. & 5.

Conc. Cõſtantin. 2. Collat. 8.

Henr. in Pſal. 138.

Hier. ep. 148. ad Marcellã.

Spalat. Num. 6.

Cypr. tractatu 3. de ſimpl. prælat. ſiue de vnit. Eccl.

Matth. 16.

Ioan. 20.

Spalat. Num. 7.

Stapleton. tom. 1. li. 6. Cont. 2. c. 7. de Primario Iudicij Eccleſiaſtici ſubiecto.

Card. Bellarm. de Rom. Põt. lib. 1. c. 12.

Card. Perron. Repl. ad reſpons. Reg. p. 534. Num. 7.

duo

Digitized by Google

duo neceſſaria fuere. Primùm vt qui tanto munere fungerentur, eam poteſtatem à Chriſto nacti eſſent. Deinde vt non niſi Eccleſiæ vnitate ſeruata, quæ eſſent ſui muneris exequerentur. Itaque duo in tanto munere obeundo ſpectanda erant, authoritas ſcilicet & vnitas, authoritas quod qui non eſſent à Chriſto eo honore impertiti, & tamen munere fungerentur, pſeudo-Apoſtolorum loco haberentur, & ſacrilegi ac vſurpatores alieni officij cenſerentur, iuxta illud, *Nullus aſſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo vt Aaron*; Vnitas verò vt ſcilicet non niſi vnitate Eccleſiæ ſeruata eò defungerentur, ſecus pro ſchiſmaticis haberentur, etiamſi eos authoritas non deficeret. Huius ſententiæ propugnatorem habes Optatum, *Negare non potes*, inquit, *ſcire te in vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum Caput Petrus, vnde & Cephas appellatus eſt; in qua vna Cathedra vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent: vt iam Schiſmaticus & peccator eſſet, qui contra generalem Cathedram, alteram collocaret.* Hanc vnitatem cùm ſtatuiſſet Chriſtus ſeruandam in Eccleſia, primum eius fundamentum poſuit in Petro, à quo originem & exordium illa duceret, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*: & demum quod ad ſtabiliendum & fulciendum hoc vnitatis veluti initium & Caput eximia quadam auctoritate opus eſſet, quæ ſchiſmata aut auerteret, aut tolleret de Eccleſia, præter communem illam omnibus Apoſtolis eſſentialem authoritatem, facta eſt perſonæ Petri quem huic muneri obeundo deſtinaſſet Chriſtus, dignitatis ac poteſtatis acceſſio, vt nimirum omnes omnino fideles, adeóque ipſos Apoſtolos in officio contineret, ac ne quis audacior Eccleſiæ vnitatem ſcinderet, prohiberet. Non quod periculum eſſet ne Apoſtoli à Chriſto inſtituti, à Spiritu ſancto plenè informati ſcinderent populos, ſed quod in eorum politia extare voluerit Chriſtus imaginem, & ideam regiminis in Eccleſiam poſt eorum obitum inducendi. Iam redeo ad Cyprianum, & dico cùm pares poteſtate faceret & honore Apoſtolos, illum loquutum de ipſa interna & eſſentiali tanti muneris dignitate quæ in eo poſita ſit, vt ſeruata vnitate, quanquam orbis terrarum Prouincias inter ſe partiti eſſent, quas obirent & luſtrarent, fas tamen eſſet omnibus ac ſingulis vbiuis gentium Apoſtolico munere defungi, & non ſolùm Euangelium promulgare, Sacramenta miniſtrare, à peccatis abſoluere, Spiritum ſanctum impertiri, miracula edere, libros ſacros ſcribere; ſed etiam leges condere, ius dicere, Epiſcopos creare, populos piis ac in conſcientia obligantibus inſtitutis imbuere & informare. At nego de accidentaria illa poteſtate, quam ſeruandæ & retinendæ vnitati ipſe neceſſariam duxerit eum intellexiſſe. Ac certè, ſi quis alius huius vnitatis propugnator & defenſor acerrimus eſt Cyprianus, qui huius eiuſdem vnitatis veluti centrum, fontem ac radicem faciat Petrum. Expendamus locum non iam truncum & mutilum, qualem nobis illum exhibuit Spalatenſis, ſed integrum & ſanum qualem edidit Cyprianus. *Loquitur Dominus ad Petrum, Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues regni Cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in Cælis. Et eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit; Paſce oues meas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt Reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat & dicat, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata remittentur,*

Hebr. 5.

Optat. Mileuit. lib. 2. aduerſus Parmenianum.

Matth. 16.

Cyprian. tract 3 de ſimplicit. prælatorũ.

Clementis, quos nihil morátur aduerſarij, dicta non expendo, quod non aliud præ ſe ferant, quàm quod habet Cyprianus. At erat quod Hieronymum non perturbatorem, ſed interpretem Cyprianæ ſententiæ aſciſceret. Nam poſtquam argumentum in Iouinianum retorſiſſet his verbis, *At dicus ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licet id ipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cunctis claues regni Cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur*, ſtatim ſubiecit: *tametſi propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Itaque illud, *ex æquo*, non euertit dignitatem capitis rem iudicio Hieronymi ad tollendum ſchiſma neceſſariam: Et tamen veretur aduerſarius, *ne quis inconſtantiæ arguat Hieronymum, qui tam paucis lineis, ſi hæc vera ſunt pugnantia dixerit.* Apage iſtas nugas. Ex æquo ſolidatur fortitudo Eccleſiæ ſuper omnes Apoſtolos, ſi de intrinſeca illa ratione Apoſtolatus quàm in fundandis Eccleſiis, prædicando Euangelio, ſtatuendis legibus, ſoluendis peccatis, Scripturis ſacris concinnandis, miraculis patrandis, & ſimilibus, poſitam eſſe ſuperiùs docuimus. At ſi accidentaria illa altera poteſtas, ſi euertendi ſchiſmatis & vnitatis ſeruandæ ratio habeatur, inter duodecim vnus Petrus eligitur, vt *capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Pares igitur Apoſtoli Petro in omnibus, quæ ad munus Apoſtolicum propriè & per ſe pertinent. Haud pares in cauendo & extirpando ſchiſmate, quod vnius capitis proprium munus eſſe agnoſcit Hieronymus. Non deſinit tamen eſſe contumax aduerſarius, *Profectò*, inquit, *ſi Hieronymus Primatum verum & proprium iuriſdictionis in Petro agnouiſſet, nunquam ſubdidiſſet ea verba quæ paulò pòſt ſubdidit dicens, Petrus Apoſtolus eſt, & Ioannes Apoſtolus, maritus & virgo, ſed Petrus Apoſtolus tantùm, Ioannes & Apoſtolus & Euangeliſta & Propheta, non enim*, inquit, *tacuiſſet in hac comparatione tantam eius præeminentiam.* Vellet credo de primatu quodam honoris loquutum Hieronymum, & ita eum nobis gratis daret. Sed lubet quærere num in euertendo aut etiam ſarciendo ſchiſmate aliqua eximia poteſtate opus non ſit, quæ diſſidentes ac ab ordine diſcedentes ſchiſmaticos in ordinem cogat? An qui ea inſtructus non fuerit turbas Eccleſiæ ſedare poterit in illa magna animorum contentione & contumacia? Vidit hoc ipſe Hieronymus, qui ad extirpandum ſchiſma orientis, Damaſi authoritatem neceſſariam duxit, eam aduocauit, & ad ſucceſſorem Petri in illis turbis ſe recepit. Quod autem ait, *tacuiſſe Hieronymum prærogatiuam Capitis, cùm Petrum cum Ioanne conferret*, hominis eſt obſtinatiſſimè errare volentis. Exegerat iam & abſoluerat eam de Capite diſputationem, & hoc argumentum qua poterat dexteritate & ſolertia verſarat, vt virginitati quam propugnandam aduerſus nefarium hoſtem ſuſceperat, Ioannis commendatione patrocinaretur. Cumque non haberet quod defenderet, in prærogatiua Capitis tributa Petro, & Ioanni negata reſponderat, quod Ioannes non eſſet electus, ſcilicet Caput inter duodecim, electus autem eſſet Petrus, id ætati delatum quod Petrus ſenior eſſet, *ne adhuc adoleſcens & penè puer progreſſæ ætatis hominibus*, attende, *præferretur*. Ne autem manus dediſſe videretur ac decus virginitatis malè defendiſſe, alium callem inſiſtendum ſibi putauit, & nouo veluti collecto exercitu, ac reparatis viribus Iouiniano noua virginis Ioannis ornamenta opponit, quibus Petrum antecellat. Sed hæc Primatum Petri tam firmis præſidiis munitum non euer-

SPALAT. Num. 9.

Hier. lib. 1. adu. Iouin.

Num. 10.

SPALAT. Num. 10.

Ibidem ad finem numeri.

tunt, cùm Prophetæ aut Euangeliſtæ encomium Ioannem quidem ornet maximè, ſed ad ſplendorem & dignitatem capitis non pertineat. Neque enim aut Euangeliſtam, aut Prophetam, neceſſe eſt eſſe Pontificem Eccleſiæ.

SPALAT. Num. 11. Antæi inſtar ſolo afflictus, etiamnum reſurgit ac vires reparat. *Alibi etiam*, inquit, *Hieronymus æqualitatem hanc inter Apoſtolos poſuit, quando dixit,* Hieron. l. 1. in Iouinian. *Ioannes & Iacobus quia plus cæteris petierunt non impetrauerunt, & tamen non eſt dignitas eorum imminuta, quia reliquis Apoſtolis pares fuerunt. Excipiat*, ait, *hic mihi aliquis Petrum, certè Hieronymus non excepit.* Atqui hæc aſſertio eſt hominis ſplendidè mentiri cupientis. Excepit ſanè, cùm eum inter duodecim electum cui capitis dignitas tribueretur docuit. Aſſerit quidem non *imminutam Ioannis & Iacobi dignitatem, quod repulſam paſſi eſſent à Chriſto, ſed manſiſſe pares Apoſtolis.* Atqui hoc nos non conturbat, quippe quibus ſit exploratum de dignitate Apoſtolatus in ſe, non in ſerie & ordine regiminis originem Num. 11. ab vnitate ducente ſpectata, eum differuiſſe. Iam frontem poſuiſſe, ac omnem pudorem abieciſſe mihi videtur Spalatenſis, quippe qui ad Petri primatum euertendum auſus ſit ab Epiſtola Hieronymi ad Damaſum ſcripta præſidium ducere. Hieron. Damaſc. ep. 57. Scripſit Hieronymus: *Quoniam vetuſto oriens inter ſe populorum furore colliſus indiſciſſam Domini tunicam & deſuper textam, minutatim per fruſta diſcerpit; & Chriſti vineam exterminant vulpes; vt inter lacus contritos qui aquam non habent, difficile, vbi fons ſignatus, & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi; ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam, cenſui conſulendam, inde nunc meæ animæ poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi, &c. apud vos ſolos incorrupta Patrum ſeruatur hæreditas. Quanquam tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. Ego nullum primum* (imò *præmium*) *niſi Chriſtum ſequens, beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior? ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque tecum non colligit, ſpargit.* Poteſt ne aliquid apertius dici, aut etiam excogitari ad vindicandam & aſſerendam Petro authoritatem, & poteſtatis prærogatiuam quam propugnamus: & tamen prolato hoc teſtimonio, audet homo ineptiſſimus Hieronymum in conſortium criminis vocare, & ſui erroris facere patronum. SPALAT. Num. 11. *Damaſum Pontificem alloquens*, inquit Spalatenſis, *ait, qui Apoſtolos ſequeris honore, ſequaris & merito, quia nimirum Petri cuius ſucceſſorem facit Damaſum* (& hoc te monuiſſe debuit, vt eum inter Apoſtolos diſcrimen poſuiſſe agnoſceres) *& aliorum Apoſtolorum idem honor & dignitas æqualis erat.* O miras argutias! quaſi verò non poſſit idem heres eſſe Principis Apoſtolorum, & ipſorum Apoſtolorum. Cui maius tribuitur, non poſſit minus concedi? Imò heredem fecit Apoſtolorum, quod pro Petri herede habuerit, quoniam teſte eodem Hieronymo omnium Apoſtolorum Hieron. ad cap. 16. Matth. perſonam Petrus in terris ſuſtinuit. Certè quemadmodum in capite omnium membrorum vigent ſenſus, ita in Petro veluti recolliguntur omnia Apoſtolorum ornamenta, vti iam qui Petri heres ſit, omnium illorum heres haberi poſſit. Cæterùm Hieronymus illis verbis, *vt qui Apoſtolos ſequeris honore, ſequaris & merito*, ad parilitatem aut imparilitatem tum honoris, tum meriti nulla ratione reſpexit, ſed Damaſum adhortatus eſt, vt quemadmodum honorem Apoſtolorum conſequutus eſſet, ita ſe heredem præ-

beret

beret & pietatis. Quid igitur non potuerit pietatem imitari Apoſtolorum, niſi omnes inter ſe dignitate fuerint pares? Pudet harum ineptiarum. Iam Auguſtinum accerſit, & vt æqualitatem illam ſuam fulciat, tam præclari Doctoris teſtimonio abutitur, atque multa affert quibus nititur oſtendere pares eum feciſſe Apoſtolos. Vrget verò ea loca in quibus aſſerit Petrum geſſiſſe figuram Eccleſiæ, & Apoſtolorum ſuſtinuiſſe perſonam. Primus locus eſt, *Non enim ſine cauſa*, inquit Auguſtinus, *inter omnes Apoſtolos huius Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus. Huic enim Eccleſiæ claues regni Cœlorum datæ ſunt, cùm Petro datæ ſunt, & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me.* Sequitur in Auguſtino, *Nam quod in typo vnitatis Petro Dominus dedit poteſtatem, vt id ſolueretur in terris quod ille ſoluiſſet, manifeſtum eſt quod illa vnitas etiam vna columba perfecta ſit.* Et item illud, *Petrus quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam figurauit, &c.* Ex his ergo & ſimilibus colligit quæ Petro tribuantur non eſſe illius propria, ſed omnibus omnino Apoſtolis quos ille repræſentarit eſſe communicata. Atqui longe abeſt à mente Auguſtini. Non enim Petrum *figuram geſſiſſe Eccleſiæ, aut eius nomine accepiſſe claues* aſſerit, quod exiſtimet nullo diſcrimine Petri, & reliquorum claues à Chriſto Petro communicatas, ſed duas omnino ob alias cauſas. Primùm enim Petrus ſententia Auguſtini *claues accepit nomine Eccleſiæ*, quod fas ei non fuerit earum vſum alio referre, quàm ad commodum & vtilitatem Eccleſiæ, cui promouendæ eſſent à Chriſto deſtinatæ, adeo vt munus ipſum clauium *formaliter* & præcisè, vt loquuntur in Scholis, ſit collatum Petro, tamen eo fine vt Eccleſiæ vſibus accommodarentur; ideóque ſi *finem muneris* ſpectes propter Eccleſiam, ſunt quidem illi collatæ; ſed ſi munus ipſum attendas, procul dubio Petro datæ à quo in Apoſtolos & reliquam Eccleſiam transfunderentur. Deinde *figuram* ille geſſit *Eccleſiæ*, non tanquam vnus ex cæteris, vel fortuitò ad id aſſumptus, ſed tanquam princeps, qui ipſam Eccleſiam nobiliſſimè repræſentarit. Hoc tam clarè explicat Auguſtinus, vt ſubeat mirari quî fieri potuerit, vt non aduerterit Spalatenſis. Hæc enim magni Doctoris ſunt verba; *Quædam dicuntur quæ ad Apoſtolum Petrum pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam,* PROPTER PRIMATVM *quem in Diſcipulis habuit, ſicuti eſt, Tibi dabo claues regni Cœlorum, & ſi qua huiuſmodi, &c.* Item & hæc, *Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui principatum gerebat, figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet natura vnus homo erat, gratia vnus Chriſtianus, abundantiore gratia* (aduerte abundantiore gratia) *vnus idemque primus Apoſtolus.* Tu igitur pie lector, cùm audis Petrum perſonam Eccleſiæ ſuſtinuiſſe, atque hac ratione claues accepiſſe, intellige ipſum propter eminentiorem dignitatem qua eum ornarit Chriſtus, huiuſmodi perſonam ſuſtinuiſſe, & claues accepiſſe, ita vt illi *formaliter* datæ ſint; ſed ſi finem ſpectes, haud in ſuos vſus, ſed in vſus Eccleſiæ. Veriſſimè enim à magno viro eſt pronunciatum, *eſſe non modò eius qui ſociis & ciuibus, ſed etiam qui ſeruis, qui mutis pecudibus præſit eorum quibus præſit commodis vtilitatique ſeruire*: quanto igitur æquius eſt iſta præſtare Pontificem Eccleſiæ qui illis præſit, quos cruore ſuo ablutos à ſeruitute vindicatos, & in libertatem aſſertos fratrum loco habuerit, Chri-

Num. 12. & 13. Auguſt. de agon. Chriſti, cap. 30.

Idem l. 3. de bapt. contr. Donat. c. 7. Idem tract. 50. in Ioan.

Aug. in Pſ. 108. enarrat. 1.

Tract. 124. in Ioan.

ſtus ſummus omnium princeps? Hac igitur ratione aſſerimus Petrum perſonam ſuſtinuiſſe Eccleſiæ, eius figuram geſſiſſe, ac eius nomine à Chriſto omnem omnino iuriſdictionem & authoritatem conſecutum fuiſſe: ſed & eadem ratione regem populi, magiſtratum ciuitatis, patrem familias domus, Epiſcopum Diœceſeos figuram gerere, & perſonam ſuſtinere aſſeueramus, quod videlicet Rex ius gladij & ferendarum legum poteſtatem, magiſtratus, pater familias, & Epiſcopus ſuas omnes prærogatiuas nomine ſubditorum accipiant, & in eam rationem toto ſtudio incumbere teneantur, vt eos quos ſuæ fidei poteſtatíque Deus optimus maximus commiſerit ac crediderit, diligant, & omni ratione tueantur, vtque eſſe quàm beatiſſimos velint. Itaque iſta omnia, *Petrum nomine Eccleſiæ accepiſſe claues, Eccleſiam accepiſſe in Petro, & Petrum geſtaſſe quadam generalitate figuram Eccleſiæ, ac eius perſonam ſuſtinuiſſe, Pro vnitate vnum reſpondiſſe*: non ſolùm parilitatem non inducunt inter Apoſtolos, ſed etiam principatum Petri confirmant, de quo rurſus Auguſtinus, *Petrus à Petro cognominatus beatus, Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principátum tenens, &c.* Vides vt hæc duo coniunxerit, & figuram geſſiſſe Eccleſiæ, & Principatum obtinuiſſe. Hac eadem ratione cùm Pontificem Romanum Petri iuſtum heredem agnoſceret, & Eccleſiam Romanam pro ſede Petri haberet audacter pronunciauit. *In Eccleſia Romana ſemper viguiſſe Apoſtolicæ Cathedræ principatum.* Itaque Auguſtinus totus à Catholicis ſtat, vt noſtri probè oſtendunt. Addo tamen maioris lucis gratia Auguſtinum procul dubio duobus modis Petrum ſpectaſſe; primùm quidem quà vnum certum quemdam hominem à Chriſto ſummis honoribus auctum, adeóque chori Apoſtolici atque totius Eccleſiæ Coryphæum delectum; ſecundùm verò quà fontem Eccleſiaſticæ poteſtatis ab eo in ſucceſſores deriuandæ ac transfundendæ. Igitur cùm Petrum primo ſenſu ſpectat ad eum propriè ac per ſe illa verba, *Tibi dabo claues regni Cœlorum, Paſce oues meas*, pertinere nullus dubitat; at cum poſteriore ratione eum conſiderat, iam ad totam Eccleſiam, in quam poteſtatem conceſſam Petro continuata Pontificum ſerie ac ſucceſſione, transfuderit Chriſtus pertinere, celſiore quodam ac illuſtriore ſenſu veſtigato docet. Hoc enim eſt quod *illuſtrem ſenſum* vocat; ſcilicet haud quaquam in Petro, cuius eſſent vitæ anguſtiores termini deſiiſſe, ſed præterea ad ſucceſſores tranſiiſſe illum poteſtatis fulgorem, cuius luce in æuum tota perfunderetur ac colluſtraretur Eccleſia. Vtrumque ſenſum expreſſit eximius Pater aduerſum Manichæos, *Multa ſunt*, inquit, *quæ in Eccleſiæ gremio me iuſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata: Tenet ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oues ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendauit vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum.* Hîc enim Auguſtinus Petro paſcendas oues à Domino commiſſas agnoſcit, ac demum ad ſucceſſores tranſiiſſe hanc curam oſtendit, vt propterea *figuram geſſiſſe Eccleſiæ* cenſendus ſit, quod demandatam ſibi poteſtatem in heredes transfuderit. Hanc eſſe mentem Auguſtini illa euincunt contra Donatiſtas, *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certiùs & verè ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meã, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi*

Serm. 13. de verb. Domini ſecundum Luc.

Auguſt. ep. 162.

Matth. 16. Ioan. vlt.

Tomo 6. Cont. Ep. Manich. quæ vocant fundam.

Tom. 2. ep. 165. ad libr. cuiuſdam Donatiſtæ.

Clementi Anacletus, &c. Itaque Auguſtinus dicit, & traditam Petrò poteſtatem, & illi figuram Eccleſiæ gerenti traditam, vt nimirum eam ad ſuos tranſmitteret ſucceſſores. Non igitur poteſt aduerſarius ab Auguſtino, vt necà Hieronymo præſidium ducere.

Rurſum tamen Auguſtinum in nos quod ille ſomniat, arietantem inducit, *Quid*, inquit, *aliud ſpectabat Auguſtinus, quàm æqualitatem hanc inter Apoſtolos, quando dicebat; Sed fortè Apoſtoli ſancti, primi ſummi arietes, gregis paſtores, membra paſtoris fortè ipſi non habebant peccata. Et alibi, Denique fratres, vt cito agnoſcatis, ipſi Apoſtoli didicerunt orare quod oramus, ipſis data eſt regula poſtulandi à Iuriſperito Cœleſti, ſic orate, inquit, & cùm quædam promiſiſſet poſuit, & hoc vt dicerent arietes, noſtri duces ouium, & præcipua membra Paſtoris & Congregatoris vnius gregis.* Ambroſium addit. *Sic etiam inquit Ambroſius, ſiue alius quiſpiam quiſquis ſit ille, Primogenita gregis ſunt Apoſtoli quos primos genuit Eccleſia, & ex quibus Eccleſia nata eſt. Si igitur*, inquit, *omnes Apoſtoli ſunt, & ſummi arietes, & Domini ouium, & Primogenita gregis, quomodo non æquales?* At certè aut nil videmus, aut planè cœcutit Spalatenſis, qui non aduerterit hîc non conferri Apoſtolos cum Apoſtolis, ſed cum ipſo grege, cuius comparatione procul dubio & arietes, & primogenita, & duces gregis, & membra paſtoris, & à nobis non inuitis celebrantur & deprædicantur; ſed inter ſummos comparatione inferiorum poteſt admitti vnus ſupremus Princeps, qui hos moderetur, vt illi reliquos. Certè conſtans eſt ſententia Auguſtini, & omnium Patrum, quibus ſe aſſenſorem præbet aduerſarius, *omnes Epiſcopos ſummos eſſe Sacerdotes*, adeóque ſummos Eccleſiæ Principes; atqui inter Epiſcopos inæqualitatem ſummam eſſe vbique fatetur. Ad Bonifacium namque Pontificem Romanum ſic loquitur, *Neque dedignaris qui non alta ſapis, quamuis altius præſideas eſſe amicus humilium.* Ac rurſus, *Cùm*, inquit, *communis ſit omnibus qui fungimur officio Epiſcopatus, quamuis ipſe in eo præemineas celſiore faſtigio* (aduerte celſius faſtigium Epiſcopatus in Romano Pontifice) *ſpecula Paſtoralis.* Sic ad Innocentium vna cum Patribus Mileuitani Concilij, *quia te Dominus gratiæ ſuæ præcipuo munere in ſede Apoſtolica collocauit, &c.* Vides igitur inter ſummos arietes vnum ſupremum, celſiore faſtigio conſpicuum, altius præſidentem, ac præcipua quadam potentia effulgentem. Fuerint igitur eximia charitate, pietate, zelo, ac omni ſanctitate ornati Apoſtoli, *Stella*, tamen, *differt à ſtella in claritate*, & his omnibus prælucet ſol aliquis. Fuerint & omnes Paſtores, atqui paſtorem vnum ſe excitaturum pollicetur Deus, quod quanquam refertur ad Chriſtum, tamen oſtendit poſſe paſtoribus omnibus aliquem vnum antecellere. Fuerint & omnes membra paſtoris, at non omnia membra dignitate paria ſunt, aut magnitudine, aut etiam honore, *quæ putamus ignobiliora eſſe corporis*, inquit Apoſtolus, *his honorem abundantiorem circundamus.* Viderit igitur Spalatenſis, quàm pro ſe faciat Auguſtinus. Ambroſius citatus, etſi nil nos lædit, tamen Pſeudo-Ambroſius eſt, non ille Ambroſius Mediolani decus. *Primogenita gregis* vocat Apoſtolos, ſed non negat inter hos primogenitos excellere Petrum, & ipſe Spalatenſis ſui oblitus Petrum eſſe *primogenitum Apoſtolorum*, atque ea ratione primum locum ei deberi alio loco aſſerit. Sint ergo Apoſtoli, *Primogeniti* gregis, Petrus verò *Primogenitus Apoſtolorum*, num propterea aduerſario triumphus decernendus?

SPALAT. Num. 14. Aug. l. 50. hom. 43.

Item in Pſ. 142.

Ambroſ. in Apoc. c. 6.

Tomo 7. Conc. Inter Epiſt. Pel. ad Bonif. lib. 1. cap. 1.

Tom. 2. ep. 101.

1. Cor. 15.

Ezech. 34.

1. Cor. 12.

cap. 5. num. 13. & 17.

Non vrgeo quod contra eum hic Pſeudo-Ambroſius pugnat, quippe qui ſcripſerit *Eccleſiam genuiſſe Apoſtolos*, quam tamen Apoſtolis longe poſteriorem facit. Id inſcitum dogma ſuperius eſt à nobis abundè confutatum & profligatum.

SPALAT. Num. 14. Chryſoſt. in ep. ad Gala. c. 4.

Confugit ad alios Patres qui Paulum Petro parem faciant, *Chryſoſtomus*, inquit, *etiam conſiderans officium Pauli in inuiſendo Petro ait: Quid hoc animo poſsit eſſe modeſtius? poſt tanta taliáque benefacta, cùm nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce, ſed honore par eſſet illi, nihil enim hic dicam amplius, tamen aſcendit velut ad maiorem ac ſeniorem.* Ambroſius. *Vna gratia fulgebat in his quos ſpiritus vnus elegerat, nec Paulus inferior Petro, quamuis ille Eccleſiæ fundamentum, & hic ſapiens Architectus ſciens veſtigia credentium fundare populorum. Nec Paulus indignus Apoſtolorum Collegio; cum primo quoque facilè conferendus, & nulli ſecundus, nam qui ſe imparem neſcit, facit æqualem.* Leo Magnus, *Quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra prouexit, vt eos in corpore, cui caput eſt Chriſtus quaſi geminum conſtitueret lumen oculorum, de quorum meritis atque virtutibus, quæ omnem loquendi ſuperant facultatem, nihil diuerſum, nihil debemus ſentire diſcretum, quia illos & electio pares, & labor ſimiles, & finis fecit æquales.* Erit aliàs locus hæc diligentiùs excutiendi, namque eadem ſæpius repetit, & ad nauſeam vſque inculcat. Nunc breuiſſimè dico, poſſe Paulum conferri cum Petro duplici reſpectu, ſcilicet vel ratione priuatæ ſanctitatis, laboris pro Eccleſia ſuſcepti, zeli adeóque officij & gradus Apoſtolici, & hoc reſpectu Paulum Petro parem facere non dubitamus. Rectè enim Leo dicit, *de eorum meritis atque virtutibus nihil nos debere ſentire diſcretum*, vel ratione iuriſdictionis & poteſtatis, ſicque Paulum primas concedere Petro aſſeueramus. Et quanquam addiderit Leo, *electionem pares, laborem ſimiles finem feciſſe eos æquales*, aliquid tamen elargiemur aduerſario in fauorem Pauli, quo ipſi Petro aliqua ratione antecelluiſſe videri poſſit, ſapientia enim quam ipſe Petrus commendat ac celebrat ita excelluit, vt Maximus antiſtes Taurinenſis eleganter omnino Petro *clauem quidem potentiæ*, Paulo verò, *clauem ſapientiæ tribuerit & aſſeruerit.* Hoc ſenſu Chryſoſtomus, Ambroſius, Theophylactus, Leo Magnus, de cuius mente ſe dubitare, non erat quod fingeret Spalatenſis, Paulum nedum parem, ſed etiam ſuperiorem Petro facere potuerunt.

Lo ſer. 1. in natal. Petri & Pauli.

Serm. vlt. de SS. Petro & Paulo.

Redit ad vniuerſos Apoſtolos Victorem Carthaginenſem, Didymum quoque cœcum adducit, qui eis omnibus *datum Principatum Sacerdotij*, illis verbis, *euntes docete omnes gentes, &c.* authores ſint: Atqui iſta nos non turbant, qui in eadem confeſſione ſimus. Vnum aduerſario reſtat probandum, in quo diſputationis cardo appenditur, nimirum inter hos Sacerdotij Principes non extitiſſe aliquem ſummum, qui Eccleſiam pro ratione Capitis moderaretur. Nos ſupra contrarium oſtendimus.

SPALAT. Num. 16. 17. 18. 19. 20. 21. & reliquis.

Cæterùm Scholaſticorum & hodiernarum controuerſiarum tractatores doctiſſimos ſibi prætereundos non duxit, & vt hoſtium dignitate inclareſceret vexandos Illuſtriſſimos Cardinales Caietanum, Bellarminum & Baroniũ ſumpſit. Quid vexandos? Imò veluti parta victoria impoſito clariſſimis viris iugo, cathenis oneratos, manibus quaſi poſt terga reuinctis in caſtra ſua captiuos trahere conatur, quanquã in eos omnes inſultat, ſine acumine, ſine authoritate, ſine lepôre. Et quidem quod attinet ad Caietanum, fatemur vltra hominem Scholaſticis diſciplinis natũ, atq; ad miraculum imbutum in tractandis grauioribus iſtis diſputa-

diſputationibus, haud æquaſſe ſummam illam gloriam quam in illo puluere & vmbratilibus pugnis omnium eruditorũ calculo eſt conſequutus, ſubtilius agit quam patiatur grauitas harum quæſtionum, quæ vna eſt ratio cur à noſtris plerumque deferatur. Tanti momenti tamen non ſunt quæ à Marco Antonio ei obiiciuntur, vt difficile ſit ab importuni hominis criminationibus eum vindicaſſe. Aſſerit *Caietanum à ſe ſtare, quod omnes Apoſtolos pares Petro agnouerit, qua Apoſtoli ſunt, etſi inferiores qua oues Chriſti fecerit; Si enim*, inquit, *in quantum Apoſtoli, ſint omnes Petro æquales, proculdubio etiam poteſtate in Eccleſia pares fuerunt.* Addit etiam Caietanum *plus ſibi concedere Apoſtolos*, nimirum, *à Chriſto immediatè, & nullo interuentu Petri ſuam authoritatem nactos à Chriſto.* Num. 17. Itaque magnos excitat plauſus, ſibique triumphum canit, perinde ac ſi quiſquam noſtrûm negauiſſet vnquam Apoſtolos à Chriſto, non à Petro Apoſtolatus dignitatem conſecutos. Imo verò ſuprà diximus tanti muneris parem fuiſſe in omnibus honorem, hoc vno excepto, quod *ad tollendas ſchiſmatis occaſiones* lib. 1. aduer. Iouin. iuxta Hieronymi ſententiam vnum caput Petrum à Chriſto electum agnoſcere tenerentur, nec iuxta Optatum *aliam ſibi Cathedram facere præſumerent*, quæ Optatus. vnitatem Eccleſiæ vno Petro iuxta Cyprianum nixam ſcinderet & conuelleret. Cyprianus. ſupra. Vide igitur quàm etiam Caietano ipſo liberaliores ſimus. Largimur illi non ſolùm eam æqualitatem, pro qua acriter quidem, ſed otiosè eſt ab eo pugnatum, & omnem omnino officiorum omnium quæ in Apoſtolatu animo percipi poſſint æqualitatem, iis ſolis exceptis, quæ vt obuiam iretur ſchiſmati, ſunt ſapienter à Chriſto prouiſa. Ea autem ſunt quæ ad dignitatem capitis ſpectant, citra cuius opem cõſiſtere non poſſe aſpectabilem Eccleſiæ fabricã, viderit prudentiſſimus tanti operis architectus, ac propterea de eo ſufficiẽdo cogitarit. Tam multæ enim Eccleſiæ toto orbe ſatæ & ſparſæ ac montibus, inſulis, maris & continentis longiſſimis ſpatiis diſcretæ, vix ac ne vix quidem in vnam fidei profeſſionẽ ſublato capite, & Summo Paſtore qui eis legem ponat, & cuius reuerentia teneantur, aut coaluerint, aut perſeuerarint. Quare ne quid detrimenti eorũ caperet fides, eſt eis de huiuſmodi capite ſapientiſſimè prouiſum. Itaque non tam Apoſtolis à quibus nil timeretur, quàm reliquis fidelibus eſt conſultũ, ſed eam formam regiminis illorum ſæculo extare voluit Chriſtus, quæ inſecuturis temporibus præſcriberet, vt etiam Apoſtoli dignitate Apoſtolatus pares, Petro tamen primas concederent in tractandis gubernaculis Eccleſiæ, & ab eo vnitatis originẽ ducerent. Hæc non ſolùm Caietanus, ſed etiam Baronius & Bellarminus flos & robur exercitus Domini, vltro aduerſario ſunt conceſſuri. Atqui ſemper eodem reuoluitur, & quod pares in Apoſtolatu habeat Apoſtolos, pares omnino fuiſſe contendit, quod ineptiſſimum eſſe argumentandi genus omnes Dialectici vident. Nam vt paucis contraham quæ à me ſunt ſuprà vberiùs explicata; fuit par dignitas in omnibus Apoſtolis, quod attinet ad omnia munia intrinſecè ad Apoſtolũ ſpectantia; ſed quod attinet ad retinendam & tuendã vnitatis authoritatem par non fuit, cùm eam à capite eximia quadam poteſtate ad ſeditioſorum continendos animos, & impios conatus reprimendos maximè pendere, nemo ſit tam ſtultus qui non cogitet, aut tam cœcus qui non videat. Verè itaque omnino Cardinalis Bellarminus cenſet duodecim fuiſſe æquè à Chriſto Apoſtolos renuntiatos, quod etiã tres Euangeliſtæ affirmant, & nos ſuprà docuimus: quandoquidem & Paulus ipſe quanquam extra hanc ordinem vocatus, ſeà Chriſto Apoſtolum conſtitutum eſſe magno conatu probat, negátque ſe *quicquam ab Apoſtolis accepiſſe, ne à Petro* In ep. ad Galat. c. 2.

Digitized by Google

quidem. Neque tamen propterea inficiandum eſt alicuius Apoſtolatum ex accidenti cæteris præſtantiorẽ,& eſſe, & iure optimo appellari poſſe. Namque,quod ipſe Spalatenſis non diffitetur,Pauli Apoſtolatus, vel hoc potiſſimũ cæteris præſtat & antecellit, quod à Chriſto immortali gloria donato fuerit in Collegium Apoſtolorum cooptatus. Alia verò ex parte Petri Apoſtolatus cunctis eſt multiplici ratione præferendus. Quod ſcilicet authoritas adminiſtrandi vniuerſam Eccleſiam cæteris Apoſtolis,veluti extra ordinem & ex priuilegio conceſſa ſit, non quà Epiſcopi aut paſtores eſſent,ſed quà Apoſtoli. Petrus autem ordinarius omnium mortalium Paſtor & Pontifex renunciatus ſit. Eadem verò ratione titulo Vicarij Chriſti præcipuo quodam, iure quod infra ſumus,probaturi in vniuerſa Eccleſia eſt inſignitus. Alij quaſi delegati, aut etiam Legati cenſendi ſunt,& non niſi ampla quadam latéque patenti ſignificatione Chriſti Vicarij nuncupantur, cúmque reliqui inter ſe omnino pares eſſent, neque alius in alium authoritatem vllam haberet,vnus Petrus præerat vniuerſis, & in omnes ſuam poterat exercere

Ioan. 21. poteſtatem,quod ei à Chriſto dictũ eſſet,*Paſce oues meas,Paſce agnos meos.* Nam vt benè Chryſoſtomus in eum locum obſeruauit, & ab eo hauſit Caietanus, *ab*

Chryſoſt. ad illum locum. *ouium grege & numero neutiquam Apoſtoli excludebantur.* Hoc ſcilicet ſibi voluit Cardinalis Bellarminus,cùm referente Spalatenſi ex Caietano,*ſummam poteſtatis*

Num. 20. in fine. *Eccleſiaſticæ datam Petro, vt ordinario Paſtori,cui perpetuò ſuccederetur, aliis verò*

Bellarm. l. 1. de Rom. Pont. c. 1. Et l. 4. c. 23. & Caiet. li. de auth. Pap. & Conc. c. 3. *tanquam delegatis quibus non ſuccederetur,* aſſereret. Sed cùm Bellarminus duo dixerit, nempè *pares fuiſſe Apoſtolos,*quod attinet *ad eſſentiam Apoſtolatus,*& Petrum in moderanda Eccleſia *Paſtorem fuiſſe ordinarium*, illos verò *delegatos* de poſteriori nil ſollicitus,prius arripit aduerſarius,*Ego ſanè*, inquit, *accipio æqualitatem hanc tanquam ex Euangeliis ſacris Scripturis & Patribus celeberrimis notiſſimam,differentiã verò illam de delegatione, aut ſucceßione, aut non ſucceßione, neque in Scripturis poſitam, neque agnitam à Patribus facilè tantiſper omitto.* At mi Antoni rectè tibi inſuſurrarim in aurem illud Iuriſconſulti, *ſi diuidas, perdes.* Æquales fuiſſe Apoſtolos docet Bellarminus, Paſtorem ordinarium ſummum fuiſſe Petrum ex Chriſti verbis,*Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, probat. Non fuiſſe pares Apoſtolos, ex eo oſtendit, quod nulli eorum id dictum ſit, ſenſu quo Petro dictum eſt, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos.* Quorſum igitur hæc

Spalat. Num. 22. diſiungis? *At*, inquit, *videat Bellarminus, ne non pugnantia ſint iſta, Apoſtolos, ſecluſo etiam Petro, eſſe Capita, Rectores & Paſtores, cum ſumma atque ampliſſima poteſtate; imò cum plenitudine poteſtatis. Deinde habere ſupra ſe Caput Petrum, & ab illo pendere. Si quis Epiſcopus non Romanus, ſe caput nunc diceret Eccleſiæ,cum ſumma & ampliſſima poteſtate,& cum plenitudine etiam poteſtatis; ita tamen vt Romanum Pontificem caput ſuum eſſe diceret, & ab illo ſe pendere profitetur. Poſſet autem per Bellar. meritò hæc dicere (nam Apoſtolorum locũ tenere Epiſcopi paſſim dicuntur) neſcio quam libẽter Romæ audiretur; Certè niſi fallor aut irrideretur vt ſtultus,& pugnantia loquẽs,aut ſummorũ Inquiſitorum poteſtati traderetur,forte vt hæreticus.* Sunt hæc futilitatis ac ſummæ leuitatis plena. Ergone Apoſtolis in plenitudinẽ poteſtatis ſucceſſerunt Epiſcopi? Ergone quemadmodum ſententia Bellarmini Petro æquales ſunt Apoſtoli in regimine Eccleſiæ, ita Epiſcopi de eius mente pares ſunt Pontifici in ea adminiſtranda? Vaticinatur, non ſcriò ſcribit. Sed linquamus tantiſper Bellarminum, Apoſtoli tanta authoritate fuerunt, vt eis licuerit libros canonicos ſcribere, noua dogmata Eccleſiæ proponere,diuerſorum populorum Eccleſias regere,&c. Hæc ne igitur etiam

cenſet

cenſet eſſe Epiſcopum propriæ: malè itaque inter Epiſcopos & Apoſtolos eſt ab eo inſtituta comparatio, cùm certum ſit in ſolo regimine priuatarum Eccleſiarum Epiſcopos in Apoſtolorum locum ſuccedere: ſed quia hæc in alium locum reiicit, vberius hîc non ſunt explicanda.

Rurſus ſibi conſentientem inducit Cardinalem Bellarminum Spalatenſis, quod nimirum interpretatus locum Cypriani ſuperiùs diſcuſſum dixerit, *Apoſtolos in Apoſtolica dignitate fuiſſe pares, & habuiſſe in populos Chriſtianos eandem auctoritatem, ſed non fuiſſe pares inter ſe. Hæc, inquit, mihi videtur manifeſta contradictio.* Nam addit Spalatenſis, *vel comparantur inter ſe ratione Apoſtolatus, ſicut in ratione Apoſtolatus conſiderantur in ordine ad populos Chriſtianos, vel aliquâ alia ratione, non alia neque enim affertur, neque ſi afferatur, erit ad rem, vt quod verbi gratia vnus ſenior ſit, alter iunior, vnus promptior, alter tardior, vnus nobilior, alter vilior, hæc enim & innumerabiles ſimiles priuatæ conditiones non faciunt, vt verè & propriè vnus alteri ſubdatur. Relinquitur itaque vt etiam inter ſe ratione Apoſtolatus conferantur. Si igitur ratione Apoſtolatus comparati ad populos, omnes prorſus ſunt in poteſtate æquales, cur eidem Apoſtolatui ſingulorum nil addendo, nihil detrahendo etiamne inter ſe non erunt pares? Fateor equidem me hîc nullam varietatem percipere.* Eum fortaſſe de mente deiecit exilij tædium & ſpretæ iniuria formæ; *Non percipere ſe vllum in his diſcrimen*, ait. At Bellarminus non vno loco eum docuit Apoſtolos poſſe inter ſe conferri, non iam quod attinet ad munia Apoſtolatus, quæ illis ſunt communia, ſed quod attinet ad poteſtatem ſeruandæ Eccleſiaſticæ vnitatis ac depellendi Schiſmatis, quam in Petro iure optimo excellentiori quodammodo effulſiſſe aſſerit, nixus his verbis: *Tues Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Item; *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*; adeoque conferendos eos cenſet, non ſolùm in Apoſtolatu, non ſolùm in ætatibus, non ſolùm in nobilitate, quæ aduerſarij leuiſſimæ ſunt coniecturæ; ſed in ipſo regiminis officio, in quo cùm Petrus capitis rationem ſortitus ſit, non verò Apoſtoli; impares omnino hac in parte fuiſſe, eſt ſolis luce clarius ab eo demonſtratum. Hoc ſcilicet & ipſe docuit Echius, cuius teſtimonio abutitur aduerſarius. Hoc voluerunt ſancti Patres Cyprianus & Hieronymus, quorum mentem ſupra ſumus interpretati. At ſtupenti ſimilis rurſus ait, *Hoc mirabile eſt vt poteſtas ſit eadem, & nihilominus alia ſit poteſtas Apoſtolatus, alia regiminis communis paſtoralis, qui poteſt hæc diſtinguere diſtinguat.* Atqui diſtinxiſſe Hieronymum rectè aduertiſſet, ſi non Leberide cœcior fuiſſet: *Dicis ſuper Petrum fundatur Eccleſia*, (reſpondet ille Iouiniano) *licet idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant; & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur*, (ecce parem Apoſtolatus dignitatem) *tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt Capite conſtituto* (en tibi caput regiminis) *Schiſmatis tollatur occaſio.* Hæc cum Hieronymo & vidiſſet & diſtinxiſſet, *ſi mens læua non fuiſſet.* Pares enim primùm facit Apoſtolos, in his quæ ad Apoſtolatus dignitatem pertineant; ac poſita illa æqualitate, caput tamen inducit Petrum, cui ſumma poteſtas demandata ſit, non alio fine quàm vt ſartam tectamque à Schiſmate ſeruaret Eccleſiam, quod citra vberioris authoritatis opem fieri non potuiſſe, rectè ille aduertit, atque nomine Capitis explicauit. Illam verò aduerſarij ſtupiditatem miror, quæ eum non paſſa ſit animo præcipere, inter pares potuiſſe vnum deligi, qui poſtea reliquis

SPALAT. Num. 23. Bellarm. de Rom. Pōt. lib. 1. c. 12.

Ibidem Num. 23. Echius l. 1. de prim. c. 24. Ibidem ad finem numeri. Hier. lib. 1. contr. Iouinian.

Digitized by Google

præficeretur. Certè antequam vnus aliquis de numero Cardinalium Pontifex renuncietur, ſunt ei reliqui Cardinales dignitate pares; ſed poſtquam omnium electione eſt in ſolium Petri euectus, authoritate iam ei pares non ſunt, ſed omnes faſces ſubmittunt, ac capitis loco habent & venerantur. Hoc ille factum cogitet in Apoſtolorum collegio; Erant pari præditi honoris & poteſtatis conſortio, ſed quod ex vſu Eccleſiæ eſſet aliquem deligi, cuius authoritate vnitas Eccleſiæ aduerſus Schiſmata firmaretur, Petrus fidei Petra inconcuſſa, à Chriſto CAPVT omnium dictus eſt, & renunciatus. Itaque parilitas poteſtatis in Apoſtolatus munere, haud quaquam parilitatem in modo & forma regiminis inducit. Leo Magnus quem tamen ſolum ex antiquis huius diſcriminis propugnatorem imperitè & valdè ignoranter facit, magna facundia iſta explicat; *Inter Beatiſſimos Apoſtolos*, inquit, *in ſimilitudine honoris fuit quædam diſcretio poteſtatis, & cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt cæteris præemineret*; Aduerſarius tamen in inuidiam trahit, & ambitus inſimulat, *Quidni*, inquit Leo Romanus Epiſcopus, *in propriæ dignitatis & ſedis authoritatem animum inclinet, vbi liberum videatur opinari? Propterea*, inquit, *omnium Romanorum Pontificum, in hoc genere dicta ſuſpecta poſſunt haberi.*

Leo ep. 58. ad finem.

Addit Spalatenſis teſtimonia Patrum, *qui reis in propria cauſa teſtificandi ius ademerunt.* Itaque pro reis habet ſummos illos Pontifices. Iracundè ſatis, & id quidem valdè intemperanter. Tanta ne igitur impudentia fuerunt homines ſanctiſſimi, vt vniuerſo orbi illudentes teſtimonium pro ſuæ ſedis amplificandis honoribus dixerint aduerſus Chriſtum, & aduerſus Apoſtolos, & per verba legis, legem impugnarint? Certè quod attinet ad Leonem, contumeliosè eum vexat Spalatenſis, quem adhibita ratione pij Cæſares innocentem hac in parte pronunciarunt. Sic enim illi in cauſa Leonis. *Cùm ſedis Apoſtolicæ primatum ſancti Petri meritum, qui princeps eſt Epiſcopalis coronæ*, inquiunt Sacerrimi Imperatores Theodoſius & Valentinianus, *& Romanæ dignitas ciuitatis, ſacræ etiam Synodi firmarit authoritas, ne quid præter authoritatem ſedis iſtius illicitum præſumptio obtemperare nitatur. Tunc enim demum Eccleſiarum pax vbique ſeruabitur, ſi Rectorem ſuum agnoſcat vniuerſitas.* Hoc tam præclarum & quo augultius nullum eſſe poſſit teſtimonium, is ne qui beneficio Regum vitam trahat, reiicere auſit? Non paraſitantur credo Leoni, magni Imperatores, qui præterquam quod ipſi eam *diſcretionem poteſtatis* inter Epiſcopos & Pontificem quam propugnat Leo inducunt, præterea *meritum Petri*, hoc eſt dignitatem à Chriſto ob confeſſionis meritum Petro collatam ſublimioris illius poteſtatis fontem faciunt & cauſam. Non ergo nimio ſtudio augendi Pontificum honores, ac ſuæ poteſtatis extollendæ, ſed pio quodam ac ſincero veritatis affectu, hæc dixiſſe Leonem æquum eſt eum credere, nec repugnare, niſi & in Pontificem & in Imperatores velit eſſe contumelioſus. Tamen mitis laniſta cùm factum bonum non probet ad Leonem, & pios Pontifices excuſandos, addit *zelum quendam ſincerioris fidei, quo arderent & vrerentur in cauſa fuiſſe, vt Cathedram ſuam magnificè laudarent, quo nimirum*, inquit, *ſincera tam fide, addita ſedis authoritate, tot vndique pullulantes hæreſes poſſent facilius comprimere.* Itaque inuolabant in patrimonium aliorum Epiſcoporum, ſuas res collegarum diſpendio augebant, Pomœrium vrbis cum orbis iniuria proferebant, vt his artibus religionis gloriam promouerent, Vbi ergo illud Apoſtoli, *Non ſunt facienda mala vt eueniant bona?*

SPALAT. Num. 24. Cypr. li. 4. ep. 9. Athan. orat. cont. ar.

Theodoſij A. legum Nouell. tit. 24.

Ad finem num. 23.

Rom. 3.

Et

Et ſanè hæc aduerſarij in eos pietas valdè impia eſt & crudelis: tamen ſibi etiam de Leone blanditur, *nec eum ſibi aduerſari exiſtimat.* Scilicet illum non mouent illa verba, *Cùm omnium eſſet par electio, vni tamen datum eſt vt cæteris præmineret*, ſed aliò refert quàm ad legitimum Petri Primatum. Bono igitur animo ſit, vna enim cum Leone ab eo ſtat orbis terrarum. Iſta eius leuitas & inſolentia qua tanquam manu iniecta ſibi nullo iudicio magnum illud Patrum agmen vindicat an ſanis ſit ſenſibus dubitare facit. Tantorum Patrum fultus præſidio, nauci non facit huius æui lumina Bellarminum, Caietanum, Baronium; potiſſimum verò Baronium, quo nihil ſanctius aut doctius noſtra vidit ætas, homo propudioſus, ac præ ſummo viro non ſolùm in reliquis diſciplinis, ſed etiam in ſcientiarum regina Theologia planè infans, ita peſſundat, vt ſuo iudicio in *Theologorum albo poni non poſſit*! Itaque veluti per contemptum profert quæ ſunt ab eo pro Primatu Petri aſſerendo diſputata. Sed quàm rudis, quàm impolitus, quàm barbarus eſt in homine diſertiſſimo vexando? *Vidiſti, puto, lector,* inquit, *Baronium feruidiſſimum Monarchiæ pugilem diſtinguere in Petro aliqua communia, & alia peculiaria; ex quibus & ſaluat æqualitatem Petri cum Apoſtolis à Scripturis & Patribus aſſeueratam, & Petri primatum tuetur. Eius ego,* addit, *verba non grauabor afferre, quæ ſic habent. Sicut enim quæ cæteris Apoſtolis æquè ac Petro contulit, & communia omnibus eſſe voluit, euidenter expreſſit, nimirum cùm dixit de his quæ ad ſacrificium pertinent, Hoc facite in meam commemorationem, & quæ ad verbi prædicationem, quæque ad baptiſmum, Euntes docete omnes gentes baptizantes eos, Quæque inſuper ad remiſſionem peccatorum ſpectarent, Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæcunque ſolueritis ſuper terram erunt ſoluta & in cælo; vel cùm dixit, Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum rètinueritis retenta ſunt; ſiue cùm aperuit illis ſenſum vt intelligerent Scripturas; Ita etiam quæ peculiaria voluit eſſe Petri, apertè ſignificauit: ſiue cùm dixit, Tu vocaberis Cephas; vel cùm ait, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Aut cùm ſubdit, Et tibi dabo claues regni Cælorum. Ac denique cum eodem perficiens atque implens, ait, Paſce agnos meos, Paſce oues meas. Ex his igitur videas Dominum noſtrum, certo quodam diſcrimine adhibito, quæ communia eſſent omnibus Apoſtolis, & quæ Petro tantummodo contuliſſet, egregiè diſtinxiſſe, vt non mireris ſi eadem adhibita diſtinctione Patres dixerint, aliquando omnes Apoſtolos pari fuiſſe præditos poteſtate; aliquando verò Petrum cæterorum caput & Principem. Hæc Baronius.* Quid igitur Mirmillo Illiricianus de Magno athleta ſtatuit? Certè, inquit, *in Theologicis parum aut propemodum nihil mihi ſatisfacit; Neque enim hæc tanti momenti erant adeò ieiunè attingenda, ſed fuſius ſingula ex Scripturis & Patribus probanda, & ab oppoſitionibus vindicanda inueniſſet, proculdubio illa eadem quæ ipſe peculiaria Petri aſſerit fuiſſe, ad mentem multorum Sanctorum Patrum, nihil ſecius cum omnibus Apoſtolis communia, quod ego in ſequentibus apertiſſimè oſtendam.* Sed primùm iniquiorem ſe præbet illuſtriſſimo Cardinali. Potuítne igitur vir ſummus in elaborandis prolixiſſimis Annalibus, & temporum ac rerum longa ſerie ducenda, ac hiſtoria Eccleſiaſtica tota texenda occupatiſſimus, hæc Theologica non leui aut ſuſpenſa manu, ſed quaſi ex profeſſo rem agens vberius pertractaſſe? Demùm verò nec aliquid profert quod Baronium lædat. Vrget Auguſtinum illius diſtinctionem totam labefactare, *Dicto illo,* inquit,

SPALAT. Num. 25. Leo ep. 88. ad finem.

SPALAT. Num. 26.

Baronius tom. 1. an. 34. nu. 202.

Luc. 22. Matth. 28. Matth. 18. Ioan. 20. Luc. 24. Ioan. 1. Matth. 16. Ioan. 21.

SPALAT. Num. 27. Aug in Pſ. 108.

prorſus mirabili dum ait. Sicut enim quædam dicuntur quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam propter Primatum, quem in Diſcipulis habuit, ſicuti eſt, Tibi dabo claues regni Cælorum, & ſiqua eiuſmodi. Atqui eſt ſuperius à nobis demonſtratum, nihil illuſtrius potuiſſe vnquam dici pro Petri Primatu firmando. Profectò quid per *illuſtrem intellectum* ſibi voluerit Auguſtinus, non videtur aſſecutus. Putat enim de fulgore dignitatis cogitaſſe eum, cùm illuſtrem intellectum ſe perſequi ſignificaret. *Quid*, inquit, *eſt illuſtrius quàm Petrum eſſe ſucceſſorem, & ſolum verum & proprium Chriſti Vicarium in terris, cum abſoluta in totam Eccleſiam Monarchia? At tamen*, inquit, *ab hoc ſenſu cauendum monet Auguſtinus.* Atqui hoc eſt vaticinari. Per illuſtrem enim intellectum quem à Petro non remouere, ſed explicare voluerit, *ſenſum myſticum*, intellexit Auguſtinus, cum prætermiſſo litterali qui obſcurior videretur, & multò illuſtriorem & nobiliorem, addo & faciliorem, eliciendum & excutiendum duxiſſet. Itaque Auguſtinus non negat *propriè Petro collatas claues*, ſed addit cogitandum cùm verba, *Tibi dabo claues regni Cælorum*, & ſimilia ad illum dicerentur, perſonã ſuſtinuiſſe Eccleſiæ, cuius ei procurationem ex voto demandaſſet Chriſtus. Fundamentum autem huius illuſtrioris intellectus facit *Primatum quem in Diſcipulis habuit*, quia ſcilicet vt ſuprà dicebamus Principes, Magiſtratus, Patres familiæ, adeoque Epiſcopi regnorũ, ciuitatum, familiarũ atque diœceſiũ perſonam ſuſtinẽt, & quæ diuinitus conſequuntur, ſubditorum bono & commodo cõſequuntur; quippe qui ad eorum vſus ſe omniáque ſua referre teneantur. Quare cùm Petrus & *Primatum in diſcipulis* habuerit, & in vſus Eccleſiæ claues acceperit, ad poſteros quoque tranſmiſerit, eius dicitur perſonã ſuſtinuiſſe in figura, & eius nomine claues accepiſſe. Hic eſt ille illuſtrior ſenſus, quem rimatur Auguſtinus, tantum abeſt, vt de expugnanda Monarchia quã animo præcepiſſent Pontifices Romani cogitarit. Interim tamen Spalat. *hoc vnum tanti patris dictũ*, quod nequidem intellexit, *ſolum ſufficientiſſimum eſſe ad omnem monarchiæ ſubſtructionem facilè demoliendam, & omnino exſufflandam*, pronuntiat; Additque *ſe eo vſurum ſæpiſſimè in ſequentibus tanquam ſtella polari inter nauigandum.* Itaque vt eũ de hoc præſidio deiiciamus, lubet locum diligentiore trutina examinare, ac quàm pro Catholicis faciat oſtẽdere. Quid igitur per *illuſtrem intellectum* ſibi voluerit Auguſtinus, eſt nobis vberius tractandum. Hoc enim quia non aſſequitur Spalatenſis, toto hoc loco ariolatur. *Videbat*, inquit, *id ſapientiſſimus Auguſtinus Pontifices Romanos ſibi nimiũ*

SPALAT. Num. 28. *applaudere, & ex peculiaribus hiſce datis & pollicitis Petro poſſe illos aliquam ſuæ amplitudinis anſam arripere, & fortaſſe præuidebat etiam hinc tandem in apertã, ſed indebitam, Eccleſiæ Monarchiam erupturos, antidotũ ſingulare voluit apponere, & Eccleſiam totam monere, ne vllo vnquam tempore Petri Primatum verum admitteret, illud præſtando, nihil illuſtre debere intelligi in perſona Petri: quicquid ei dicatur aut promittatur à Chriſto, niſi referatur ad totam Eccleſiam: Quod nos melius aliis locis adhuc declarabimus. Quid verò illuſtrius quàm Petrum eſſe ſucceſſorem, & ſolum verum & propriũ Chriſti Vicarium in terris, cum abſoluta in totam Eccleſiam Monarchia? Et tamen ab hoc ſenſu cauendum eſſe docet Auguſtinus. Quod vnicum tanti Patris dictum ſolum ſufficientiſſimum eſt, ad omnem Monarchiæ ſubſtructionem facilè demoliendã, & omnino exſufflandam; quo nobis ſæpiſſimè in ſequentibus tanquã ſtella polari inter nauigandum, erit vtendũ.* Sed nõ video quid

quid ſit deſipere, niſi hoc deſipere eſt. Per *illuſtrem* enim *intellectum* Auguſtinus *ſenſum myſticũ* omnino intelligit, qui tamen litteralem, vt vocant, & proprium non euertat. Propoſitum ſiquidem illi fuit explicare, quo ſenſu in Iudã conuenirent, quæ Pſalmo illo quẽ enarrandã ſumpſiſſet, dicerentur. Quod autem videret plura eſſe quæ minus in proditorem iuxta litteræ ſeriem quadrarent, *ad ſenſum quemdam altiorem*, vt ille vocat, confugiendum ſibi duxit. Hoc ipſe innuit, *Si*, inquit, *de illo vno homine omnia quæ hic in malo dicta ſunt intelligere conemur, expoſitionis ratio non omni modo aut vix valebit occurrere.* Senſus autem ille altior quem ſibi perſequendum duxit, *non ſuperficie hiſtoriæ*, vt ipſe loquitur, *ſed altitudine Prophetiæ*: is eſt quem ipſe inſinuat, quo nimirum ingratis Iudæis quorum Iudas perſonam ſuſtinuerit, verba prophetiæ tribuuntur. Hoc rurſus docet Auguſtinus, *Sic enim*, inquit, *de tali genere hominum malorum, id eſt inimicorum Chriſti, ingratorúmque Iudæorum, omnia mihi videntur poſſe clarius aperiri.* Id autem firmat exemplo eorum, quæ cum Petro propriè dicantur, ad Eccleſiam tamen altiore quodam ſenſu, myſtico ſcilicet & allegorico, referuntur. *Sicut enim*, inquit, *quædam dicuntur quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam, propter Primatum quem in Diſcipulis habuit, ſicuti eſt, Tibi dabo claues regni Cœlorum, & ſi qua huiuſmodi; Ita Iudas perſonam quodammodo ſuſtinet inimicorum Chriſti Iudæorum, qui & tunc oderant Chriſtum, & nunc per ſucceſſionem perſeuerante genere ipſius impietatis oderunt. De quibus hominibus, & de quo populo poſſunt non inconuenienter intelligi, non ſolùm ea quæ apertiùs de ipſius in hoc Pſalmo legimus, verùm etiam illa quæ propriè de ipſo Iuda dicuntur expreſſiùs.* Itaque vt ſibi conſtet diuinus vir, reſque ipſæ omnino cohæreant, quemadmodum quæ de ipſo Iuda propriè dicuntur, ita illuſtri ſuo ſenſu ad totum illum ingratum Iudæorum populum referri debere cenſet, Vt tamen hiſtoriam ſartam tectámque eſſe velit, & in Iuda verè adimpleta ea omnia exiſtimet: Ita cùm in altero ſimilitudinis membro iuxta eundem illuſtrem intellectum ad Eccleſiam refert, quæ Petro propriè dicta videantur: proculdubio hiſtoricum & litteralem ſenſum non eleuat, nec deſtruit; ſed eo poſito altiorem quemdam & diuinionem venatur. Igitur verus & proprius hiſtoricus & litteralis ſenſus eorum verborum, is eſt qui ipſi perſonæ Petri datas claues aſſumit, ſed illuſtris intellectus, hoc eſt myſticus & allegoricus is eſt, qui iſta ad Eccleſiam refert & reuocat, haud tamen ſecluſa perſona Petri. Sicut illuſtris intellectus prophetiæ Dauidis, quam enarrandam ſuſceperat Auguſtinus, is eſt qui ad ingratum populum Iudæorum, cuius perſonam ſuſtinuiſſe agnoſcitur Iudas, illum refert, quanquam ad litteram de Iuda tanquam de diro hoſte Chriſti omnino vaticinatum Prophetam non ambigitur: quandoquidem quod ipſe Auguſtinus obſeruauit in ſortitione & ſuffectione Matthiæ in locum Iudæ, verba huius prophetiæ, *Epiſcopatum eius accipiat alter* à Petro in Iudam ſint vſurpata. Videndum igitur qua ratione dictum ſit ab Auguſtino illuſtrem habere intellectum, quæ propriè ad Petrum pertinere videantur, cùm ad Eccleſiam referuntur. Sententia eſt Philoſophorum, res omnes fine ſibi præſtituto illuſtrari ac nobilitari, vt illuſtriores & nobiliores habeantur, quibus ſit illuſtrior & nobilior finis propoſitus. Hæc explicatione non indigent. Itaque cùm Auguſtinus in rebus optimis, ac maximè illuſtribus poneret procurationem Eccleſiæ, pro qua

Auguſt. in Pſal. 108.

Act. 1.

ſanguinem fuderit Dei filius, eo quoque retulit prærogatiuas Petri, atque declaratione tanti tamque præſtantis finis eius dignitatem illuſtrauit. Fundamentum autem huius illuſtrioris quem vocat intellectus, vt dicebamus, facit *Primatum quem in Diſcipulis habuit*, quia ſcilicet Principes, Magiſtratus, Patres familias, adeóque Epiſcopi regnorum, ciuitatum, familiarum, atque Diœceſeon perſonam ſuſtinent, & quæ diuinitùs conſequuntur, ſubditorum bono & commodo conſequuntur; quippe qui ad eorum vſus ſe omniáque ſua referant. Quare cùm Petrus & *Primatum in Diſcipulis habuerit*, & in vſus Eccleſiæ claues acceperit, eius *perſonam ſuſtinuiſſe in figura* dicitur, & eius nomine *claues* accepiſſe, cùm etiam ad ſucceſſores ſuos toto decurſu ſeculorum in Eccleſia regnaturos eam poteſtatem transfuderit, & tranſmiſerit. Deſinat ergo vaticinari aduerſarius, atque inter nauigandum Auguſtini hac veluti Cynoſura vtatur, *Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum, totius Eccleſiæ gerebat figurata generalitate perſonam.* Si *propter Primatum*, ergo falſum falſiſſimum, quod ariolabatur, Auguſtinum totam Eccleſiam monere voluiſſe, *ne vllo vnquam tempore Petri Primatum verum admitteret.* Quæ autem inſerit aut interiicit de primatu ætatis & vocationis, adeo ſunt futilia, vt confutatione non indigeant; ſunt tamen etiam alio loco à nobis excutienda & refellenda.

SPALAT. Num. 29. 30.31.32. Iam paſſis velis inuehitur in Caietanum ſubtilius philoſophantem de eo ordine, quem ſeruarit Chriſtus in inſtituendis Apoſtolis, *Petrum*, vt ait ille, *præueniendo, à quo tamen via ordinaria eſſent poteſtatem accepturi, niſi ex ſpeciali gratia anteuertiſſet Chriſtus Petrum, atque per ſe omnibus Apoſtolis traditam ſibi à Patre poteſtatem communicaſſet*; ſed quia nos alium callem inſiſtimus, & hæc Scholis agitanda ac differenda relinquimus, non eſt quod in tuendo Caietano operam ponamus. Hoc tamen virum illum doctiſſimum veriſſimè, nedum ſubtiliſſimè dixiſſe aſſeueramus, *nihil præiudicare, aut officere dignitati Petri, quod ab eo non ſint Apoſtoli inſtituti, aut in terrarum orbem miſſi, quod à Chriſto extra ordinem hæc fieri oportuerit*, vt ſcilicet primi Eccleſiarum fundatores non ab homine, ſed à Deo inſtituti, in Domino (quod ſæpiſſimè facit Paulus) gloriari poſſent, atque adeo maiorem de ſe opinionem apud populos excitare. Cæterùm hæc durare non debuerunt, ſed mortuis Apoſtolis defecerunt, & ad vnum ſpectabile caput Pontificem, eſt ex inſtitutione Chriſti res reuocata. Hoc ſibi voluit Bellarminus, quem rurſus exagi-

Num. 33. tat Spalatenſis, cùm doceret *Poteſtatem ſummam in Petro fuiſſe cum ſucceſſione, in aliis verò Apoſtolis fuiſſe item ſummam, ſed ſine ſucceßione.* At inſtat Spalatenſis, etiam hoc diſcrimine admiſſo, pares omnino manere Apoſtolos; *Nam*, inquit, *dum reipſa Apoſtoli noſcuntur in poteſtate Petro æquales, certè ſubditi eidem eſſe non poſſunt, quicquid ſit de iſta ſucceßione. Sint enim, ait, duo fratres in locupleti hereditate æquales, quorum alter prolem habeat & ſucceßionem, alter minimè: Profectò erunt adhuc inter ſe in eadem hereditate pares, neque propterea qui prolem non habeat, neque ſperat, ſit alteri ſubditus illam habenti.* Atqui ſemper eodem relabitur Spalatenſis, ex eo enim quod pares in Apoſtolatu concedimus, Apoſtolos omnino pares eſſe contendit, nec aduertit ſubeſſe diſcrimen inter Petrum & reliquos ex alio Capite, nempè ex inſtitutione regiminis, cuius ſummam penes Petrum eſſe voluerit poteſtatem Chriſtus. Dico igitur ad ſubiectum exemplum, prolem nihil facere ad dignitatem vtriuſuis fratrum, niſi ex alio capite illam

illam nactus sit alter, sed si ea lege pater filiis hereditatē ex æquo partitus fuisset, vt verbi gratia minor ætate Primogenito subesset, eique summam rerum gerendarum permitteret, proculdubio hæc successioni lex & conditio imposita primogenitum superiorem faceret. Atqui Petro, vt postea sumus probaturi, tanquam primogenito inter Apostolos dictum est; *Pasce oues meas*, in quarum numero certè sunt Apostoli. Ampliorem igitur collegis suis sortitus est honorem, & excellentiorem consecutus est potestatem. Frustra est itaque Spalatensis in illa sua æqualitate Apostolatus propugnanda, quippe qua posita nihil dignitati Petri detrahatur, cùm ex alio Capite Collegis suis antecelluisse eum, sit sat superque probatum, nimirum ex authoritate regiminis, cuius eum Principem voluerit esse Christus ad schismata arcenda. Perstat tamen in sententia obstinatissimus aduersarius, & postremo huius Capitis argumento assumit, quod omnium sæculorum testimonio reuincitur, ac falsum esse ostenditur, nimirum *per plura prima sæcula Christi Ecclesiam formam Apostolicam regiminis seruantem, constantérque retinentem, nunquam ne vmbram quidem Monarchiæ admisisse, sed omnium Episcoporum potissimum iudicio, & sanè inter se parium consilio peracto fuisse.* Sed quia hoc gratis dicit, & nulla authoritate probat, ac tantùm *in sequentibus libris de iis acturum se* quasi minatur, hoc loco in eo refellendo non immorabimur, aliàs hanc causam contra eum acturi: monuerim tamen tam à veritate alienum esse, quod ille dicit de ignorata monarchici regiminis forma in Ecclesia, vt nullo sæculo, nulla ætate, nullo loco licuerit Episcopis, πᾶσι τὸ γνώμῃ τῇ Ῥώμης τὰς ἐκκλησίας χρηνίζειν, *absque sententia Episcopi Romani decreta Ecclesiis sancire.* Hæc sanè vel vmbram habuerint Monarchiæ. Certè Augustini sententia est, *In Ecclesia Romana semper viguisse* CATHEDRÆ APOSTOLICÆ PRINCIPATVM. Nimirum *Cathedra vna est Romæ Petro collata*, vt pluribus aduersus Parmenianum disputat Optatus; Ac propterea Tertullianus etiam totus hæreticus volens nolens, Pontificem Romanum, Petri successorem, EPISCOPVM EPISCOPORVM deprædicat. Annon ista meram Monarchiam (spiritalem intelligo) spirant? Ad calcem capitis fatetur se non parum turbatum illo dicto Gregorij, *Certè Petrus Apostolus primum membrum sanctæ & vniuersalis Ecclesiæ est, Paulus, Andreas, Ioannes; quid aliud quàm singularium sunt plebium capita?* Liberum est illi, si modo veritati dare manus velit, cum magno Pontifice transigere.

SPALAT. Num. 34.

Soc. lib. 2. c. 8.

Aug. ep. 162.

Optat. li. 2.

Tertull. de Pudicit.

Greg. ep. 38. li. 4. indict. 13.

DISCVSSIO
QVARTI CAPITIS
LIBRI PRIMI.
DE CHRISTI VICARIO.

CONSPECTVS CAPITIS.

Titulum Vicarij Christi eminentiori quadam præ reliquis Apostolis ratione in Petrum conuenire: Improbè Spiritũ sanctum Vicarium censeri Christi: Refelluntur rationes Spalatensis: Error Tertulliani explosus: Augustini locus explicatus: Item alius Ambrosii: Equidem & reliquos Apostolos Christi fuisse Vicarios, sed haud pari cum Petro dignitate, aut authoritate.

SPALAT. Num. 1. *MONARCHICI nostri Romani, Petrum solum à Christo Domino in terris Vicarium relictum, & toti Ecclesiæ vicaria plena potestate præfectum fuisse, constanter asseuerant. Sed æqualitas quam in præcedenti Capite probauimus, & perfecta paritas inter Petrum & alios Apostolos, officium hoc Vicarij Christi in solo Petro non benè collocari, satis manifestat. Melius adhuc in sequentibus ostendemus nullum esse in Euangelio, aut sacris Scripturis, locum, in quo Petro soli vniuersalis hæc vicaria cura Ecclesiæ demandatur, sed eam æquè omnes in omnes Apostolos transfisse. Nunc videamus hoc tantùm, an soli Petro in Ecclesia, Apostolorum tempore, conuenerit Christi Vicarij officium & nomen; & quid in hoc senserit vetus Ecclesia. Ideo paucis hoc caput absoluemus; quandoquidem de commissione Vicariatus, præsertim per claues & pasturam, alius sit Capitibus huius libri, nimirum 6. 7. & 8. fusiùs agendum.*

QVANQVAM visibilem & spectabilem Ecclesiæ Monarchiam, quæ Petri Primatu niteretur, non solùm labefactasse se, sed funditùs sustulisse prioribus capitibus sit gloriatus Spalatensis, ferram tamen per eandem lineam reciprocat, ac immodicum & importunum se præbet in eodem hoc argumento versando. Quemadmodum igitur omnino pares superiori Capite fecit Apostolos, etiam ilto haud magis in Petrum, quàm in reliquos Vicarij Christi titulum quadrare contendit, aut vt veriùs dicam, tum Petrum, tum Collegas summo illo honore spoliat, ac tanto munere nudat. *In primis*, inquit, *si de vero & proprio Vicario loquamur, qui perfectissimè Christi vices post eius in Cœlum ascensum, plenè gesserit, gerátque in terris & gesturus sit vsque ad consummationem sæculi, quis dubitat esse Spiritum sanctum Paracletum? Hunc enim non Petrum, non hominem aliquem singularem, se missurum sui loco spopondit dicens, Expedit vobis vt ego vadam: si enim*

Num. 1.

SPALAT. Num. 2.

non

non abiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos. Ioan. 16. *Et non relinquam vos orphanos; Paracletus autem Spiritus sanctus quem mittet* Ioan. 14. *Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, &c. Ideò Tertullianus commemorans* Tertull. de *varios fidei nostræ articulos, vnum dicit esse, credere Iesum Christum in Cœlos* præscript. *ereptum, sedere ad dextram Patris, misisséque vicariam vim Spiritus sancti. Et posteà; Age nunc, inquit, omnes errauerint, deceptus sit, & Apostolus de testimonio reddendo quibusdam. Nullam respexit Spiritus sanctus, vti eam in veritate duceret, ad hoc missus à Christo, ad hoc postulatus de Patre vt esset Doctor veritatis, neglexerit officium Dei villicus, Christi Vicarius, sinens Ecclesias aliter interim intelligere, aliter credere, quàm quod ipse per Apostolos prædicabat. Et alibi: Cùm propterea, inquit, Paracletum miserit Dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia semel capere non poterat, paulatim dirigeretur & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur ab Vicario Domini Spiritu sancto.* Idem de Virg. Veland. Atqui sunt hæc viro Theologo prorsus indigna; meritóque Theologiæ Principes nostri Parisienses de impio illo aduersarij dogmate ita censuerunt. *Hæc propositio est erronea, & periculosa, atque hæresim Macedonij expressè redolens in verbo Vicarij propriè sumpti.* Censura Acad. Parisiens. Vicarius enim apud Iurisconsultos, Oratores, & Poëtas, vsurpatur pro seruo serui maioris in familia vices gerente; vnde est illud Martialis,

Esse sat est seruum Vicarius esse nolo.

Itaque si vicariam operam Christo impenderit Spiritus sanctus, proculdubio eo est longè inferior, vt est semper Vicarius Domino, quem Ordinarium illi vocant. Rectè igitur eam opinionem quæ Vicarium eum faceret ad errorem Macedonij accedere nostri Parisienses pronunciarunt; si quidem Macedonius elato vir ingenio & turgido cum Semiarianissimum esset antea professus parum ducens aliena inuenta sequi, nisi sectæ alicuius Principatú obtineret; nouam hæresim exorsus in Spiritum sanctum furere ausus est, eumque contendebat nihil ad Patris ac filij diuinitatem & gloriam pertinere. Coïerunt igitur Constantinopoli centum quinquaginta Patres, quibus damnato Macedonio studium fuit Spiritui sancto suam asserere gloriam & diuinitatem. Quare Patre aut filio nihilo inferiorem iuxta Scripturas pronuntiauere, nimirum, *vna his tribus natura est Deus*, vt eis coram disseruit Nazianzenus. Extincto igitur Macedonio non erat quod eius cineres excitaret Spalatensis, quod tamen facit Spiritui sancto imprudenter satis Christi Vicario, contra Orthodoxorum sententiam constituto. Rationes à Scriptura, & Theologia petitas, quibus eum oppugnauerit, ac impium dogma funditus euerterit doctissimus Becanus, lubens omitto; quod cuique in promptu sit eum consulere. Sed lubet expendere quæ firmandæ suæ sententiæ aggerit aduersarius. Vrget primùm illud, *Paracletus Spiritus sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, ac voluisse videtur his verbis, *in nomine meo*, significatum, *suppositum Spiritum sanctum Vicarium Christo.* Et quidem non ægrè admiserim ad hoc missum Spiritum sanctum, vt interno afflatu, quæ à Christo dicta essent instillaret clarius in animos Discipulorum; sed Vicarium egisse, propterea non dixerim, quod in illustrandis Apostolorum mentibus parem cum eo operam & Pater & Filius impenderint. Sunt enim, si benè meminit aduersarius, *opera Trinitatis ad extra indiuisa & indiscriminata*; secus etiam ipse filius Vicarij Patris titulo insigniendus foret, quod nimirum ipse dixerit, *Ego veni in*

Censura Parisiens. ad c. 4. l. 1. num. 2.

Greg. Naz. orat. 10 præsentia 150. episc. Constantinop. habita. φύσει Θεὸς ἡ τριὰς ὁμοούσιος.

Ioan. 14. 26.

nomine Patris, quod tamen cum imprudenti Caluino excidiſſet, durum & impium pronunciatum conati ſunt mollire Caluiniani, vtque magiſtrum excuſarent *de humanitate*, non *de diuinitate* loquutum Caluinum, perſuadere nobis voluerunt, quod ſcilicet nomine Vicarij gloriam diuinitatis infringi diffiteri non poſſent. Idem igitur aduerſarius de Spiritu ſancto in animum inducere non grauetur, quem tamen nos ipſi miſſum in nomine Chriſti agnoſcimus, tum quod augendæ gloriæ nominis Chriſti ſtuduerit; iuxta illud, *Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis*, tum etiam quod ob meritum Chriſti, eam Prouinciam vltro ſubierit, vt doctiores interpretes aduertunt. Et certè mirum eſt in magno illo numero interpretum nemini veniſſe in mentem huius Epitheti, *Vicarij Chriſti*, in quo triumphos ſuos ponit aduerſarius. At Tertullianum profert, non optimum ſanè hac parte interpretem. *Is*, ait Spalatenſis, *inter fidei noſtræ articulos recenſet miſiſſe Chriſtum vim vicariam Spiritus ſancti, Et poſteà: Neglexerit officium Spiritus ſanctus, Dei villicus, Chriſti Vicarius, ſinens aliter intelligere, &c.* Atqui meminiſſe eum oportuit, primùm durius de Trinitate loquutum Tertullianum, quod, Hæreticorum partibus nimium addictus, pluribus probat Rhenanus, vt mirum non ſit homini Afro quædam excidiſſe quæ excuſatione opus habeant, quale eſt illud Vicario affine ac germanum, *de villico*, quo nomine etiam inſigniuit Spiritum ſanctum: *Villicus* enim propriè, teſte Hieronymo, *villæ gubernator eſt*, nomine ſcilicet Domini. Demum non debuit aduerſarium præteriiſſe illud Hilarij de Tertulliano, *Conſequens error detraxit ſcriptis probabilibus authoritatem.* Potiſſimùm verò cauendus eſt in iis quæ ad Spiritum ſanctum pertinent, cùm abreptus in Montani errorem de Paracleto ea docuerit quæ ſint prorſus à Catholica ſententia aliena: Quare illum hæreticis relinquit ſanctus Pacianus, *Tertullianus*, inquit, *poſt hæreſim veſter eſt.* Miror itaque Spalatenſem etiam de hoc fonte hauſiſſe illud, quod poſtremò vrget, ex libro de velandis virginibus, *Cùm propterea Paracletum miſerit Dominus, vt quoniam humana mediocritas omnia ſemel capere non poterat, paulatim dirigeretur, & ordinaretur, & ad perfectum perduceretur diſciplina ab Vicario Domini Spiritu ſancto.* Planè enim montanizat eò loci Tertullianus. Hoc cùm per ſe videre non poſſet homo parum in his verſatus, erat quod doctiſſimum interpretem Pamelium conſuleret, qui errantem in viam reduxiſſet. Sic enim ad illa verba, *Cùm propterea Paracletum miſerit Dominus, &c. Pertinent hæc*, inquit, *& ſequentia ad finem huius capitis vſque, ad hæreſim Tertulliani ac Montaniſtarum, qui Montanum Paracletum faciebant.* Vides itaque vt ſtudio oppugnandi Catholicos, in caſtra tranſierit veterum hæreticorum, Spalatenſis.

Ioan. 16.

Rhenan. admonit. ad lect. de quibuſdam dogmatibus Tertul.

Hieronym. ad Alga.

Hilarius.

Pac. lib. de Pœnitent.

Tertul. l. de velandis virg. c. 1. montanizat.

Pamel. ann. 6. ad lib. de velandis virginib.

Auguſtinum iam teſtem ſubornat; ſed ipſe, ſiue, *Quicunque ille author eſt*, cuius teſtimonio abutitur, contra illum vocem mittit; hæc enim illius ſunt verba de miſſione Spiritus ſancti, *vt ſecuri eſſent Apoſtoli, quia poſt Aſcenſionem Domini, non minorem, aut degenerem ad tuitionem habituri eſſent Paſtorem, aut Regem, &c.* Si enim Chriſto non minorem Paſtorem, aut Regem erant habituri, cùm Vicarius minor ſit, & inferior Domino, proculdubio Spiritus ſanctus, nihilo Chriſto inferior, eius Vicarius dici non poteſt. Sed te pie lector, ſiſto, attende hominis impudentiam: Prolato in medium hoc teſtimonio in nos non ſine ſtomacho inuehitur; *Sed*, inquit, *noſtri monarchici volunt hunc Paſtorem & Regem ſeu Proregem fuiſſe Petrum.* Ergone Antoni,

Author. quæſt. vet. & nou teſt. q. 93.

idem

dem tibi eſt Prorex; *ac non miror, nec degener Paſtor aut Rex?* Credo mentem tibi eripuit ſceleris recordatio. Nos igitur magnum illum Paſtorem, nec Chriſto inferiorem ſuſcipimus Spiritum ſanctum, qui Eccleſiam excellētiſſimo quodam modo, ſed eo inuiſibili & interno dirigat, doceat, & inſtituat. Petrū verò Chriſti vicarium *Ordinario*, hoc eſt domino ſuo longe inferiorem, qui ei in aſpectabili monarchia Eccleſiæ operam ſuam vicariam commiſerit. Quod ſi tanti eſt apud Spalatenſem hic author, quorſum ei Petrum caput Eccleſiæ prædicanti aurem non accommodat, & fidem non habet? *Sicut*, inquit, *in Saluatore erant omnes cauſæ magiſterij, ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur: ipſum enim conſtituit eſſe caput eorum, vt Paſtor eſſet gregis dominici.* Et ibidem, *Manifeſtum eſt in Petro omnes cōtineri. Rogās enim pro Petro, pro omnibus rogaſſe dignoſcitur, ſemper enim in præpoſito populus aut corripitur, aut laudatur.* At totos nos obruit prolixo ſincerioris Auguſtini teſtimonio. *Omittamus alia*, inquit Auguſtinus, *& noui ſſima verba eius in terris audiamus; vbi videamus quam fidem de Eccleſia reliquit Apoſtolis, quale teſtamentum quodammodo fecerit, non vitam finiturus, ſed ſine fine victurus; non mittendus in ſepulchrum, ſed aſcenſurus in cœlum. Surgens enim à mortuis, poſteaquam apparuit diſcipulis ſuis, intuendus oculis manibúſque tractādus, Oportebat, inquit, impleri quæ ſcripta ſunt in lege, & Prophetis, & Pſalmis de me. Tunc aperuit illis ſenſum vt intelligerent ſcripturas, & dixit eis; Quoniam ſic ſcriptū eſt, & ſic Oportebat pati Chriſtum, & reſurgere tertio die, & prædicari in nomine eius pœnitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Hieruſalem. Itemque in monte Oliueti; Poſtquam nihil vlterius in terris poſitus dixit, ſed quod maximè fuerat neceſſarium, hoc commendauit extremum,* (nēpe prædicationem in omnes gentes) *multi quippe erant futuri per vniuerſas partes terræ vendicaturi ſibi nomen Eccleſiæ, & contra vniuerſam domum quæ per vniuerſam terram cantat canticum nouum, de quo ſcriptum eſt, Cantate Domino canticum nouum, cantate Domino omnis terra; de ſuarum quiſque ruinarum angulis latraturi, aliud namque Apoſtoli audire cupiebant, & quod illis maximè fuerat neceſſarium non quærebant; Dic nobis, inquiunt, ſi in tempore hoc præſentaberis, & quando reſtitues Regnum Iſraël? At ille, Non eſt veſtrūm noſſe tempora vel momēta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, ſed accipietis virtutem ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos, & eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in totam Iudæam, & Samariam, & vſque ad terminos terræ. His dictis nubes ſuſcepit eum, nihil vlterius verbis addidit. Hoc tantò tenacius, quantò poſterius audientium mentibus fixit. Hanc ſponſam ſuis amicis ſponſus abiens commendauit. Hanc ergo de ſancta Eccleſia diſcipulis dereliquit. Huic fidei Donatiſtæ reſiſtitis, vt pro fide quam Dominus Chriſtus reliquit Apoſtolis vos perſecutionem ferre contenditis, huic hominis filio qui Eccleſiam ſuam incipientem ab Hieruſalem, & per omnes gentes fructificantem atque creſcentem tanta diligentia commendauit, mira cæcitatis impudentia contradicitis, &c.* Hæc Auguſtinus. Ex quo iſta colligit aduerſarius. *In confirmationem noſtrorum dictorum imprimis apparet*, inquit, *quodnam præcipuum munus quod officium Chriſtus Apoſtolis ſuis commiſerit, nempe prædicationem Euangelij, & teſtificationem vitæ, doctrinæ & Reſurrectionis eius in totum mundum ab Hieruſalem incipiendo. Apparet ſecundò interprete, & teſte Auguſtino omnes Apoſtolos & ſingulos curam accepiſſe totius mundi indifferenter, abſque vlla limitatione aut coarctatione poteſtatis, aut iuriſdictionis, & non Petrū ſolum. Habemus tertiò Eccleſiam Chriſti ſponſam æquè Apoſtolis omnibus tanquam amicis, & vicariis à Chriſto in ſuo diſceſſu commendatam; & non magis vni quàm aliis.*

Author quæſt.

Spalat. Num. 3.

Aug. lib. 2. contr. 2. Gaud. Ep. c. 12.

Luc. 24.

Act. 1.

Pſal. 95.

Act. 1.

Spalat. Num. 4.

Conſtat quartò Petro nihil amplius præ cæteris, Chriſtum authoritatis contuliſſe; ſi quidem in hoc diſceſſu quando eis regimen Eccleſiæ commendauit, nihil peculiare Petro dixit; nihil alios de Petri vicariatu monuit, ſed æquè omnes ſuos vicarios inſtituit. Patet denique Auguſtinum in Petro nullum Primatũ authoritatiuum agnouiſſe; imò ne ſuſpicatum quidem fuiſſe. Nam hoc tam opportuno loco, in quo de teſtamento Chriſti loquebatur, non ſiluiſſet, ſi quid peculiare & tam inſigne quàm erat vicariatus Chriſti abſolutus Petro relictum cenſuiſſet. Sed haud bona fide nobiſcum agit, & peſſimè Patres interpretatur, fatemur præcipuum munus Apoſtolorum fuiſſe *prædicationem Euangelij*, quæ ferè omnia complectatur munia Apoſtolica. Aſſentimur hoc munere fuiſſe pares omnes Apoſtolos, ſed addimus regimen Eccleſiæ haud ſola prædicatione verbi conſtare, atque iuriſdictione etiam opus habuiſſe, quæ arcendis & depellendis ſchiſmatibus par eſſet. Hanc in Petro ſummam fuiſſe prædicamus. Quid vrget? *Auguſtinus*, inquit, *fidem facit Eccleſiam Chriſti ſponſam æquè Apoſtolis omnibus tanquam amicis & Vicariis à Chriſto commendatam, &c.*

Quouſque tandem perget abuti patientia noſtra, aut potius ſanctiſſima authoritate veterum Patrum? Aſſerit quidem Auguſtinus Chriſtum ſponſum Eccleſiæ, in limine ſui in cœlum reditus, ſponſam ſuam amicis Apoſtolis commendaſſe, nihilque vlterius addidiſſe, (ſcilicet erat ab eo de reliquis antea prouiſum, & quod attinet ad hunc locum, Vicarium ſuum inſtituerat Petrum illis verbis, *Paſce oues meas.*) Poſtquam dixiſſet hæc verba, *Eritis mihi teſtes in Hieruſalem, & in totam Iudæam, & Samariam, & vſque ad terminos terræ.* Sed nuſquam Auguſtinus aſſerit *æquè*, hoc eſt pari poteſtate omnibus eam commendaſſe: quod toties falſarius & deprauator Patrum in ſuas Cartas inducit. Allegatos autem in totius mundi oras cum plenitudine poteſtatis ac iuriſdictionis quis negat? Sed fuit ea extraordinaria & initiis Eccleſiæ accommodata poteſtas, in alios minimè transfundenda; ac præterea vnius capitis authoritate nitebatur, quod Apoſtoli retinendæ vnitatis cauſa à Chriſto ſibi impoſitum agnoſcerent, vt aliis locis probamus. Agnouiſſe autem Auguſtinum Primatum Petri non poteſtate nudatum, ſed ſumma authoritate inſtructum, eſt iam à nobis oſtenſum, atque vberius eſt poſtea demonſtrandum. Sed nondum eſt ineptiarum finis. *Ambroſius*, inquit, *non aliter ſentit, dum Apoſtolos omnes æquè, & non ſolum Petrum Chriſtum in terris repræſentaſſe affirmat, & ex hoc illas Chriſti imagines vocat. Aſcende ergo, inquit, homo in cœlum, & videbis illa quorum vmbra hic erat & imago. Videbis non ex parte, non in ænigmate, ſed in conſummatione, non in velamine, ſed in luce; videbis verum illũ & æternum atque perpetuum ſacerdotem; cuius hic imagines videbas Petrum Paulum, Ioannem, Iacobũ, Matthæum, Thomam.* Tollat ſuum illud *æquè* & ſincerũ nobis exhibeat Ambroſium, à partibus noſtris ſtat Magnus Antiſtes. Sed an ſanus eſt, aut ſobrius ſcribit, qui ex eo quod *imagines Chriſti* omnes Apoſtolos vocarit Ambroſius, collegerit eos *ex æquo* cum repræſentaſſe? Ergo Chriſti qui omni imagine ſit maior, multiformes ille non putat extare poſſe imagines? Eſt mi Antoni multiformis earum ſpecies, & in numeroſa illa multitudine vnam altera præſtantius ac expreſſius Chriſtum referre poſſe, nullus niſi Thamiris negauerit. Fuerint itaque omnes Apoſtoli *imagines Chriſti*, nihil tamen prohibuerit Petrum excellentiorem quandam eius ſpeciem, cùm in terris ageret oculis obiecisse. Itaque vt ad rem veniamus, & Spalatenſi ſatisfaciamus. Fatemur etiam Vicarios fuiſſe reliquos Apoſtolos, ſed Petro pares in eo munere fuiſſe negamus.

Ad Cap. 5. SPALAT. Num. 5.
Ambroſ. in Pſ. 38.
2. Cor. 3.
Heb. 7.

Prius

Prius asseruerunt omnes Patres ab eo testes adducti: Posterius ne quidem per somnium cogitarunt. Et quidem cùm rursum Ambrosium, quanquam non sit author Commentariorum in Epistolas Pauli qui eius nomine præferuntur, inducit differentem, *Apostolos fuisse Christi Vicarios*, quod nos fatemur, eum vera præsidia deficiunt. Neque enim vel syllabam vel apicem profert, ex quo suum illud *æquè* coagmentari possit. Certè ipse author Commentariorum Ambrosio ascriptorum, Andrea fratre sepositò, Petro Primatum vindicat. *Prior*, inquit, *secutus est Andreas Saluatorem quàm Petrus, & tamen Primatum non accepit Andreas, sed Petrus.* Idem author Pontificem Romanum successorem Petri, Rectorem facit vniuersæ Ecclesiæ. *Cùm totus mundus*, inquit, *Dei sit Ecclesia, tamen eius domus dicitur, cuius hodie Rector est Damasus.* Verus Ambrosius lumen infert doctrinæ Catholicorum; ad illa enim verba, *Petre amas me*, sic commentatur, *Dominus*, inquit, *non dubitabat, qui interrogabat non vt disceret, sed vt doceret, quem, eleuandus in cœlum, amoris sui nobis velut Vicarium relinquebat.* Ac post pauca de Petro, *quia solus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.* Quoquo igitur modo hic locus intelligatur apparet Apostolos, quibus omnibus antefertur Petrus, non esse ex æquo cum Petro *Vicarios* Christi. Persequitur aduersarius. *Et sanè Paulus Apostolus de se, & aliis Apostolis loquens: sibi & illis, Legati nomen & officium tribuit; Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Et, Pro quo (Euãgelio) fungor in catena. Quis verò ignorat legatum suum principalem repræsentare; ab eo immediatè mitti, & vices ipsius, vbi ille abest supplere? Sed audi Chrysostomum hoc vicariatus in legatione munus in Apostolis explicantem: Vidisti*, inquit, *quomodo officium suum affert (Paulus) induens Christum qui legationem hanc iniunxit, imò non Christum solùm, sed & Patrem? Quod enim dicit hunc sensum habet: Misit filium Pater exhortari, & legatione fungi apud humanum genus pro se: quoniam autem ille occisus abijt, nos legationem suscepimus; & pro illo, & Patre exhortamur vos. In tantum honorat humanum genus, quod & filium impendit quamuis sciret occidendum; & Apostolos nos propter vos fecit, & ita meritò dicebat omnia propter vos: Igitur pro Christo legatione fungimur, hoc est illius loco; nam nos quæ illius officij sunt suscepimus. Quid plus de Petro dici posset secundum monarchicos? Nonne & Paulus dicit, & Chrysostomus egregiè interpretatur, Apostolis omnibus Christi in terris vices fuisse commissas.* Verba dat nobis, & sine mente sonos. Paulum profert asserentem omnes Apostolos *legatione functos pro Christo*, & Chrysostomum inducit hanc rationem afferentem, quod scilicet *susceperint quæ essent officij Christi.* Quid tum? Ergone omnium legatorum est par potestas? Chrysostomus dicit Christum à Patre missum vt legatione fungeretur, ipse itaque etiam in numero legatorum. An verò propterea ei pares Apostolos fecerit, quod fuerint quoque & ipsi legatione functi? Neminem fugit legatorum non vnam esse rationem, cùm enim liberum sit Principi eorum munia definire, ac circunscribere pro ratione tum personarum, tum negotiorum, aut amplificat, aut contrahit dignitatem, & gloriam Legati. Itaque alius quidem maiore potestate alius minori præditus legatione fungitur. Ac id quoque videre fuit in Apostolis, cùm enim omnes Christus in mundum legatos miserit, quò scilicet verendum Christi numen, & nomen portarent coram gentibus, Regibus & Principibus, Petrum, eximia quadam honoris amplificatione, ornauit dignitate capitis, qua reliquos non impertiuit, & si ipsi cum magna dignitatis, & potestatis amplitudine Legati essent renunciati, ac in orbem

SPALAT. Num. 5.

Auth. Cõmen. Amb. ascript. ad cap 12. 1. Ad Cor.

In 1. ad Timoth. c. 3. Ambros. li. 10. Commen. in cap. 24. Euang. Luc.

SPALAT. Num. 6. 2. Cor. 5. Ephes. 6.

Chrysost. hom. 11. in epist. 2. ad Cor.

terrarum dimissi. Habemus igitur Spiritum sanctum propriè, non esse Vicarium Christi, quippe qui sit ei atque Patri omnino æqualis, Petrum longe inferioris dignitatis, quàm fuerit Christus Deus & homo, primum ac potissimum eius esse in terris Vicarium; quippe cui vni dictum sit, *Pasce oues meas, Pasce agnos meos.* Ioan.20. Postremò omnes Apostolos dici quoquè posse Vicarios Christi, quod scilicet vicariam operam ei impenderint in prædicatione Euangelij, testificatione Resurrectionis, & reliquis officiis quæ proximè & intrinsecè ad Apostolatum pertinerent, quò tamen non pertinet dignitas capitis, quæ potius ad vnitatis Ecclesiasticæ conseruationem spectat, ne quid eam turbent schismata quibus arcendis, & depellendis sit accommodata. Neque verò hîc confugimus ad subtiliorem illam Caietani distinctionem, quam insectatur Spalatensis. Esto enim, vt bene monet sanctus Thomas, *authoritas omnibus Apostolis data fuerit*, vt ille loquitur, *executiua, authoritas verò soli Petro data præceptiua*; Nihilominus tamen Apostolos Christi fuisse Vicarios haud ægrè fatemur: solummodo id discriminis intercedere contendimus, quod est in Euangelio à Christo declaratum, quodque in eò positum sit, quod præter communem Apostolatus dignitatem, sit Petrus præ cæteris ea authoritate instructus, qua obuiam iretur schismati, & vnitas Ecclesiastica, ab eo vno incipiens, sarta tectáque seruaretur. Reliqua suo loco explicabuntur. SPALAT. Num.7.

DISCVSSIO
QVINTI CAPITIS
LIBRI PRIMI.
DE VERO PRIMATV PETRI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Spalatensis in explicando Primatu Petri fraudes: Quo sensu Petrus & Paulus, principes Apostolorum dicti: Petrus princeps ratione summæ potestatis, Paulus intuitu reconditioris doctrinæ: Malè Spalatensis existimat Primatum Petri anteuertisse omnem promissionem Christi: Locus Matthæi 10. explicatus: Inæqualitatem inter Apostolos admittit Spalatensis: Eius de Primatu ætatis, vocationis, & charitatis, nugæ, ordine explosæ.

SPALAT. Num.1. Dionys. Areop. in lib. de Eccl. Hier. PETRVM titulo principis Apostolorum insigniri, vel antiquissima Ecclesiastica scripta testantur. Dionysius Areopagita, vbi agit de Episcoporum consecratione, Matthiæ exemplum electionis contemplans, ait: *Atque etiam ipse discipulorum facilè princeps (loquitur de Petro) cum decem condiscipulis paribus & Pontificibus, cùm ad supplendum, perficiendumque condiscipulorum duodecim numerum, in Pontifico honore venisset, Deo electionem timidè, religioseque permisit.* Euseb. li.2. hist.c.13. Eusebius, *Sub ipso Claudij imperio, benigna & propitia Dei totius vniuersitatis Rectoris erga humanum genus prouidentia, fortem ac præ-*

ac præpotentem, & reliquorum Apoſtolorum omnium propter virtutes amplitudinem, facilè principem Petrum, Romam verſus ad eiuſmodi peſtiferam vitæ humanæ corruptelam (Simonis Magi) delendam, quaſi manu deduxit. Optatus Mileuitanus, *ait; Igitur negare non potes (compellat Parmenianum) ſcire te in vrbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus. Item; Potuit vtique caput Apoſtolorum ita ſe gubernare, vt nihil incurreret quod doleret. Origenes ſummum verticem Apoſtolorum Petrum vocat. Cyrillus Hieroſolymitanus: Nemo, inquit, deſperet de ſua ſalute: Petrus princeps Apoſtolorum excellentiſsimus, coram ancilla ter negauit Dominum; ſed ad ſe reuerſus fleuit amarè: Item, Omnibus autem tacentibus ſupra vires enim humanas hæc erat doctrina, Petrus princeps Apoſtolorum & ſupremus Eccleſiæ præco, non comminiſcens ſibi, neque ratione humana perſuaſus, ſed à Deo Patre in mente illuminatus, dicit ad ipſum, Tu es Chriſtus, &c. Item, In eadem Spiritus ſancti virtute, & princeps Apoſtolorum, & regni cælorum Clauiger Petrus paralyticum Ænæam curauit. Gregorius Nyſſenus: Dominus, inquit, ait ad principem Apoſtolorum, Tu es Petrus, &c. Hieronymus eundem Petrum, non ſemel titulo principis Apoſtolorum decorat. Chryſoſtomus & verticem, & præcipuum Apoſtolorum ſæpius vocat Petrum. Theodoretus; Antiochenſium, inquit, magna ciuitas. Magni illius Petri thronum obtinet, qui & beati Marci magiſter fuit, & Apoſtolorum chori primus & princeps. Cyrillus Alexandrinus, ait; vt princeps caputque cæterorum, primus exclamat; Tu es Chriſtus filij Dei viui, &c. Septima Synodus generalis: Præcipit enim, inquit, & Petrus Apoſtolorum ſummus, paſcite qui in vobis eſt gregem, &c. Concilium Aquenſe, Per beatum Petrum, ait, Apoſtolorum principem in Occidentis partibus fundatam Eccleſiam, &c. de recentioribus nihil dico, qui iiſdem titulis principis & capitis, verticis, primi, ſummi, &c. Petrum paſsim inſigniunt.*

Opt. lib. 2. cont. Parmenian.
Idem lib. 7.
Orig. hom. 2. in diuerſ.
Cyril. Hier. Cath. 2.
Idem Catech. 11.
Ibidem.
Nyſſ. in delectis teſti. vet. teſt.
Hier. de viris illuſt. in Petro & li. 1. aduerſus Pelag.
Chryſ. homil. 55. & 85. in Matt. & lib. 2. de Sacerdot.
Theod. ep. 86. apud Baron. tom. 5. ann. 439. num. 43.
Cyril. in Io. lib. 12. c. 64.
Conc. Aqu. lib. 1. c. 12.

DIONYSIVM Siciliæ profligatiſſimum, & perditiſſimum tyrannum, iam imitatur noſter Spalatenſis. Is Dionyſius cùm à Peloponneſo Claſſem appuliſſet in Siciliam, & in fanum veniſſet Iouis Olympij, aureum ei detraxit amiculum grandi pondere, quo Iouem ornarat ex manubiis Carthaginenſium tyrannus Gelo; atque in eo cauillatus eſt, *æſtate graue eſſe aureum amiculum, hyeme frigidum,* eíque laneum pallium iniecit, cùm id eſſe aptum ad omne anni tempus diceret. Haud diſſimili arte & fraude Spalatenſis, Petro ſummis illis ornamentis, quibus eum cohoneſtarat Chriſtus, detractis, hoc eſt præcipua illa authoritate, qua donatum eum docet Euangelium, & Patres confirmant, labefactata ac funditùs ſublata illum iam ornat prærogatiuis confictis, & ad hæreſim accommodatis. Scilicet homo acutus cùm ſubodoratus eſſet, ac benè planéque percepiſſet ſe imponere orbi non poſſe, aut in Schola Chriſti eruditis perſuadere Petrum, cuius tot enumerarentur in Euangelio dotes, non alio loco, nec alia dignitate vnquam fuiſſe quàm reliquos Apoſtolos, nouos & ſuo iudicio non incommodos honores commentus eſt, quibus vitata infami ſacrilegij labe, ſimplicioribus ac incautioribus fucum faceret. Itaque pro aureo amiculo laneum pallium Petro iniicit, & in re maximè ſacra etiam cauillis ludit, contenditque Petro *non eximium illum iuriſdictionis, & authoritatis primatum,* qui à Catholicis defenditur, ſed

primatum *quemdam vocationis, aut etiam amoris in Christum feruentioris* esse illi concedendum ac tribuendum. Hæc sunt à nobis ordine refellenda. Primùm igitur quod negare non posset Dionysium, Eusebium, Optatum, Origenem, Cyrillum Hierosolymitanum, Gregorium Nyssenum, Hieronymum, Chrysostomum, Theodoretum, Cyrillum Alexandrinum, Concilium septimum, Concilium Aquense, quorum ille non indiligenter locos collegit, Petro mirificos *principis, capitis, verticis*, atque *primi Apostolorum* titulos tribuisse, vt his excogitato commento se expediret, eas omnes prærogatiuas ad *ætatem prouexiorem* & *vocationem*, deinde ad *eximias eius virtutes, charitatem*, potissimùm & *ardentissimum in Christum amorem* reuocandas duxit. Atqui facilè probauerimus flexisse eum, ac aliò quàm ipsi vellent detorsisse sanctissimos Patres; sed obiectiones vani hominis sunt primùm à nobis refellendæ & oppugnandæ. Primùm igitur hîc obiicit aduersarius verum Pauli primatum. *Hic sanè titulus*, inquit, *principis Apostolorum, si Monarcham inter ipsos, & verum cum iurisdictione primatem ac superiorem denotaret, soli Petro tantus honos non esset deferendus: Nam & Paulum non rarò eodem titulo prænotatum obseruamus. Hieronymus enim Petrum & Paulum, simul principes Apostolorum vocat, ita & Moses Barcephas Syrus lib. de paradiso cap. 11. Et Romani Pontifices etiam antiquiores in suis Decretalibus epistolis, sæpè Petrum & Paulum pariter principes vocant Apostolorum. Ita Nicolaus primus, & Ioannes octauus, & alij dicunt se authoritate principem Apostolorum Petri & Pauli aliquid agere. Qua ratione igitur princeps inter Apostolos Paulus fuit, eadem & Petrus. Sed certè Paulus princeps non fuit dominio, neque iurisdictione, sed quia abundantius omnibus laborauit. Ita ob aliquam similem personalem excellentiam, & Petrus principis Apostolorum titulo decoratur. Atque hæc ipsa coniunctio Pauli cum Petro, sub eodem titulo principum Apostolorum apud modernos est peruia. Petro tamen sicuti frequentissimè tribuuntur tituli principis Apostolorum, primi, capitis, verticis, primatis, &c. ita peculiares indagandæ sunt rationes eiusmodi titulorum.* Hæc leuiora sunt, quàm vt prolixa refutatione indigeant. Petrum & Paulum principes Apostolorum vocarunt Hieronymus, Moses Barcephas Syrus, Nicolaus primus, Ioannes octauus, & alij; *In diuerso genere*, fatemur, *in eodem*, negamus. Hoc discrimen de quo plura aliàs, ipsi sanctissimi Patres nos docuerunt. Maximum qui Gennadio teste ante ferè mille ducentos annos Ecclesiam Taurinensem, summa vir pietate & doctrina rexit, fat fuerit hîc testem citasse. Is igitur cùm Christianæ fidei, ac Ecclesiarum omnium principes nuncupasset, quo sensu accipiendum esset statim significandum duxit. Cùm, inquit, *omnes beatissimi Apostoli parem gratiam apud Dominum sanctitatis obtineant, nescio quo tamen pacto Petrus & Paulus videntur præ cæteris peculiari quadam in Saluatore fidei virtute præcellere, quod quidem Petro* (attende discrimen) *sicut bono dispensatori clauem regni cœlestis dedit, Paulo tanquam idoneo doctori magisterium Ecclesiasticæ institutionis iniunxit, scilicet vt quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietem, vt quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cœlorum. Clauem enim quodammodo à Christo scientiæ, & Paulus accepit. Ambo igitur claues à Domino acceperunt, scilicet* SCIENTIÆ *iste, ille* POTENTIÆ, *diuitias immortalitatis ille dispensat, scientiæ thesauros iste largitur.* Qua ratione Leo magnus cùm vtrumque summis laudibus ornasset, tamen Cathedræ Petri tribuit, quod ad tantum fastigium assurrexisset Roma, & ca-

Num. 7. 18. & 19.

Spalat. Num. 2. Hier. lib. 1. Comment. in ep. ad Galat. in Pro.

Nicol. I. ep. 7. Ioan. VIII. ep. 45. 75. 77.

1. Cor. 15.

Lib. de Parad. cap. 11.

Ep. 7. ep. 45. 75. 77.

Hom. 1. & 3. in natal. Petr. & Pau. Hom. 3.

put

put orbis Christiani haberetur. *Isti*, inquit, *sunt qui te* (Romam alloquitur) *ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens sancta, populus electus, ciuitas Sacerdotalis, & regia potestas per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione diuina quàm dominatione terrena.* Quare etiam Petrum absoluta potestate Apostolici ordinis principem eo loci facit, *Beatissimus Petrus*, inquit, *princeps Apostolici ordinis ad arcem Romani destinatur imperij.* Itaque vides Petro suum constare primatum, etiamsi Paulus princeps & ipse Apostolorum dicatur. Est enim princeps Petrus *iurisdictionis authoritate*, est idem Paulus *merito doctrinæ.* Leo 1. serm. in nat. Apo. Petr. & Pau.

Quod attinet ad locum Hieronymi, si eum benè expendisset, aduertisset Spalatensis, ex eodem loco haberi, nedum sanctissimo Patri, aut reliquis solùm Christiana fide imbutis de primatu Petri constitisse, verùm etiam hanc ipsam opinionem apud impios & sceleratos, Idololatras ac Apostatas obtinuisse: Namque Porphyrium Christiani nominis hostem inducit, *Procacitatis notam Paulo inurere volentem*, quod *Petrum reprehendere*, procul dubio inferior superiorem ausus esset. *Bataneotes & sceleratus ille Porphyrius*, inquit, *Petrum à Paulo obiecit esse reprehensum, volens & illi* (*Petro*) *maculam erroris inurere, & huic* (*Paulo*) *procacitatis.* Addit autem in Commentario pleroſque asseruisse Cepham, cui Paulus in faciem restiterit Apostolum Petrum non fuisse, sed alium de Septuaginta discipulis isto vocabulo nuncupatum. *Ne*, inquit, *locus daretur Porphyrio blasphemanti, si aut Petrus errasse, aut Paulus protaciter Apostolorum principem confutasse crederetur.* Quanquam igitur hunc alterum Cepham non agnoscat Hieronymus, tamen Petrum etiam cum Paulo redarguente collatum, de communi fidelium sententia *principem* facit *Apostolorum.* Quod autem Nicolaum I. & Ioannem VIII. inducit suæ sententiæ authores, id summæ stultitiæ deputandum omnino videtur. Qui enim eorum scripta etiam oscitantius legerit, facilè aduerterit pro summo primatu Petri totis viribus ac neruis eos contendisse. Hoc scilicet nomine à reliquis Ecclesiæ pestibus ambitus, & malis artibus affectati honoris arcessuntur. Certè Nicolaus I. epistolis suis ad Michaëlem Constantinopolitanum Imperatorem Photio fauentem, adeò accuratè ista est persequutus, vt Scenæ fabulas componere iure optimo videri possit Spalatensis, qui de eius sententia Petro authoritate parem facere moliatur Paulum. Etsi enim *tanquam duo lumina magna cœli in Ecclesia Romana constitutos*, ambos prædicat, *qui totum orbem splendore fulgoris sui illustrarint*, tamen cùm præcisè de authoritate amplissima, & dignitate suæ sedis illi sermo est, ad Petrum huius fastigij principem confugit. *Principatum itaque diuinæ potestatis, inquit, quem omnium conditor electis suis Apostolis largitus est, super solidam fidem Apostolorum principis* (*Petri videlicet*) *soliditatem constituens eius egregiam, imò primam sedem deliberauit. Nam voce dominica ei dictum fuerat, Tu es Petrus, &c.* Ac rursus, *Non Nicena, non denique vlla Synodus, quidquam Romanæ contulit Ecclesiæ priuilegium, quæ in Petro nouerat, eum totius iura potestatis pleniter meruisse, & cunctorum Christianorum regimen accepisse.* Sic ea ipsa epistola quam citat Spalatensis, Ignatium sanctissimum Patriarcham Constantinopolitanum vinculo excommunicationis soluens, quod eum anathemate innodassent eius sedis adulter Photius, ac reliqui schismatici Episcopi, id se pri- Hieron. in Proœm. in ep. ad Galat. Idem ad cap. 2. ep. Ep. 1. ad Imperat. Michaëlem to. 3. Conc. Idem ep. 8. Epist. 7.

mùm authoritate Chriſti, demum poteſtate, diuina voce *in beatiſſimo Petro* ſibi collata, facere præfatur ac proteſtatur. Verba eius ſunt, *Fratrem & conſacerdotem noſtrum Ignatium Patriarcham, omni vinculo anathematis ab eo remoto per poteſtatem diuina voce in beatiſſimo Petro collatam, &c. priſtino honori, priſtinæ dignitati & ſedi, priſtino gradui, & Patriarchio, ac priſtinis & Pontificalibus inſulis, atque officiis reſtituimus, ſtatuimus, & confirmamus.* Ipſe etiam Ioannes VIII. qui mille locis Petrum & Paulum principes Apoſtolorum nuncupat, cùm de ſedis Apoſtolicæ authoritate preſſius agit, *ſedem* vocat *Petri*, qui à Petra nomen ſit conſecutus, atque adeò ipſum Petrum, *ſpecialem principem Apoſtolorum* facit. Sic enim ad Epiſcopos Manaducenſem & Equilenſem, qui Gradenſi Archiepiſcopo obſequium non exhibuiſſent. *Quàm ingrati*, inquit, *& inhumani fueritis erga Reuerendum fratrem noſtrum Eccleſiæ Gradenſis Antiſtitem, in hoc maximè datur intelligi, in quo ille pro legibus paternis incolatum arripiens, nullum veſtrum, comitem ſuæ peregrinationis habere promeruit: præſertim cùm ad limina ſit Apoſtolorum profectus, ſedemque adierit, vbi ſemper Catholicis ſubuenitur, & vbi plurimi Sanctorum iniuriam paſſi Petram, à qua Petrus nomen ſortitus eſt, refugium inuenerunt.* Cæterùm valdè ſtolidum oportuit eſſe Spalatenſem, qui non aduerterit Eccleſiæ Romanæ Pontifices, haud minùs Pauli quàm Petri ſemper ſtudioſos fuiſſe, quod ſcilicet ad vtrumque quanquam diuerſa ratione ſuæ dignitatis originem referrent: Etſi enim Petrum ſummi & ſanctiſſimi magiſtratus caput, & veluti fontem agnoſcunt, iuſtam tamen ſibi eſſe cauſam ornandi Pauli ſemper exiſtimarunt, quod ſocium ſe laborum, & in Eccleſia Romana fundanda Collegam Petro præbuiſſet, atque non ſecus ac ille totum ſanguinem nouellæ illi, & eximiæ plantationi irrigandæ profudiſſet. *Fœlix Eccleſia*, inquit Tertullianus, *cui totum ſanguinem cum doctrina profuderunt beati Apoſtoli Petrus & Paulus.* Et Tertulliano aliquanto antiquior Irenæus; *Quoniam valdè longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem vſque ad nos, indicantes, Confundimus omnes eos qui quoquomodo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam præterquam oportet colligunt.* Vides Marce Antoni fundatam à glorioſiſſimis Petro & Paulo Romanam Eccleſiam: Qua ratione Pontifices Romani, cùm in vtrumque eorum ſuam referrent originem, illos diſiungendos non putarunt, ſed ferè ſimilibus honoribus coluerunt; Tamen hoc diſcrimine, quod Paulum principem doctrinæ facerent, Petrum verò caput ſupremæ poteſtatis, quippe cui vni à Chriſto dictum ſit, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, Et illud; *Paſce oues meas, Paſce agnos meos.* Sed nimium multa in re non dubia loquor. Hoc igitur vnum dico, & Petrum & Paulum *principes Apoſtolorum* meritò ſemper audiiſſe, *Petrum* quidem *propter primatus honorem* quo excelluerit; Paulum verò tum *propter reconditiorem quandam ſapientiam*, quâ à Deo ornatus fuerit, tum etiam propter *longè operoſiorem operam* quam Eccleſiis in quibus inſtituendis, *plus ſe omnibus laboraſſe* non inaniter gloriatur in epiſtolis, viuens impenderit. Hoc ſenſu Romanam Eccleſiam alloquens, ita de

Nicol. 1. ep. 7.

Ep. 18. B. Ioan. Pap. VIII.

Tertul. de præſcript.

Iren. lib. 3. contr. hæreſ. c. 3.

vtroque

Digitized by Google

vtroque pronunciat ſanctiſſimus & eloquentiſſimus Leo. *Iſti ſunt viri per quos tibi Euangelium Chriſti Roma reſplenduit, & quæ eras magiſtra erroris, facta es diſcipula veritatis. Iſti ſunt Patres tui verique paſtores, qui te regnis cæleſtibus inſerendam multo melius, multóque fælicius condiderunt, quàm illi quorum ſtudio prima mœnium tuorum fundamenta locata ſunt; ex quibus is, qui tibi nomen dedit, fraterna te cæde fœdauit: Iſti ſunt, qui te ad hanc gloriam prouexerunt, vt gens ſancta, populus electus, ciuitas Sacerdotalis, & regia, per ſacram beati Petri ſedem caput orbis effecta latius præſideres religione diuina, quàm dominatione terrena.* Vide ni fallor tanquam Patres, & paſtores Romanæ Eccleſiæ laudatos Petrum & Paulum à magno Pontifice, qui tamen ad Cathedræ Petri faſtigium ſuæ dignitatis originem conſtantiſſimè ſemper retulerit. His ergo duobus Apoſtolorum Principibus, tanquam firmiſſimis columnis nixa Eccleſia Romana, vtrumque illorum laudibus in cœlum vehit, ſed Petro *principatum iuriſdictionis* aſſerit, Paulo verò *primatum ſcientiæ* aſcribit, vt in diſpari genere citra primatus Petri labefactionem, aut euerſionem Apoſtolorum Principes meritò cenſeantur. Atque illud eruditè notauit Becanus, magnam differentiam eſſe inter Petrum & Paulum, primò *quia Petrus duplici titulo vocatur princeps Apoſtolorum, tum propter eminentiam poteſtatis ſeu præfecturæ, tum propter eminentiam laboris, & coniunctim cum Paulo vocatur princeps, at Paulus ſeorſim nunquam.*

Leo Serm. 1. in nat. Petr. & Paul.

Becan. p. 95.

Itaque, vt totam hanc diſputationem contrahamus, cùm Petrus ſeparatim princeps Apoſtolorum vocatur, nedum reliquorum, ſed etiam ipſius Pauli princeps ſignificatur, quod haud ſecus quàm reliqui ſit in numero ouium, quas paſcendas ſuſceperit Petrus: Cùm autem ſimul Petrus & Paulus principes vocantur, ad labores ſuſceptos, ad operam ſupra reliquos egregiè nauatam, ſe extendit oratio. In veſtigandis autem Petri prærogatiuis fœdè labitur Spalatenſis, quippe qui exiſtimarit primatum Petri anteuertiſſe omnem Chriſti promiſſionem, adeóque illa verba. *Tu es Petrus, Paſce oues meas, Facilè*, inquit, *oſtendo Petrum iam primatum, aliquem inter Apoſtolos habuiſſe, antequam à Chriſto ipſi illa dicerentur. Matthæus enim priuſquam illa contigiſſent, recenſet nomina duodecim Apoſtolorum hoc pacto. Duodecim autem Apoſtolorum nomina ſunt hæc, primus Simon, qui dicitur Petrus & Andreas, frater eius Iacobus, &c. In hoc autem (ait, vt & benè Turrecremata) quod primum Apoſtolorum Petrum nominat, & eum in capite Apoſtolorum ponit, manifeſtè ipſum habuiſſe primatum Apoſtolicæ dignitatis oſtendit. Nam & mihi certum videtur eo loci poni ab Euangeliſta nomen,* PRIMVM, *non quidem tantum numeraliter ratione ordinis, ſecutus enim fuiſſet ſecundus, tertius, &c. quod non fecit, vt benè obſeruat idem Turrecremata & Sanderus: Significaſſet enim eodem modo, tertium ſubdi ſecundo, quo ſecundus primo, & ſic de cæteris, quod non eſt verum; ſed primus dicitur inter omnes Petrus ratione alicuius dignitatis, & præeminentiæ quam haberet inter diſcipulos ipſe ſolus, etiam antequam ei dictum fuiſſet: Tu es Petrus, & Tibi dabo claues.* Pugnantia dicit; Admittit enim primatum, quem vrgent Turrecremata, & Sanderus ex illis verbis, *primus Apoſtolorum Simon Petrus* haberi, atqui primatum huiuſmodi ſententia Cardinalis à Turrecremata & Sanderi, non eſt conſecutus Petrus, niſi beneficio & interuentu promiſſionis, aut etiam inſtitutionis Chriſti,

SPALAT. Num. 3.

Matth. 16.

Matth. 10.

Turrecre. l. 2. de Eccl. c. 5.

Turrecre. ibi. Sander. lib. 6. de viſi mon. c. 4.

Matth. 16.

quæ ordinem ab Euangeliſta poſitum ſit ſequuta; itaque fallitur maximè in eo, adeóque ineptè ante hunc recenſitum ordinem ponit initium primatus Petri. Et certè non ſolùm non obtinuiſſe faſtigium illud honoris, ac dignitatis Petrum initio ſuæ vocationis, ſed nequidem ſtatim poſt illa verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam* eum fuiſſe conſequutum, tum illud ſuadet, quod tanquam de re futura, nec confeſtim ad finem perducenda, ſit loquutus Chriſtus, tum quod veteres Patres idipſum grauiſſimè doceant. Ita Hieronymus verſans illum locum Matthæi, *Vade retro me Satana. Prudens Lector*, inquit, *inquirat quomodo poſt tantam beatitudinem, Beatus es Simon Barjona. Et; Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum. Et quod ligaueris vel ſolueris ſuper terram, erit ligatum, vel ſolutum in cælo, nunc audiat, Vade retro me Satana, ſcandalum mihi es. Aut quæ ſit tam repentina conuerſio, vt poſt tanta præmia Satanas appelletur. Sed ſi conſideret qui hoc quærit, Petro illam benedictionem & beatitudinem ac poteſtatem, & ædificationem ſuper eum Eccleſiæ in futuro promiſſam.* (Videſne Marce Antoni tuam ſententiam à doctiſſimo viro iugulatam) *non in præſenti datam intelliget: Ædificabo, inquit, ſuper te Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam, & dabo tibi claues regni cælorum: omnia de futuro. Quæ ſi ſtatim dediſſet ei, nunquam in eo prauæ confeſſionis error inueniſſet locum.* Hæc lumen interpretationis non requirunt, ſed per ſe apertiſſimè oſtendunt non ſolùm non obtinuiſſe Petrum initio vocationis, ſed nequidem ſtatim à confeſſione quam edidit, vt loquitur Hieronymus illam poteſtatem, de qua nobis ſit ſermo. Obiicit Spalatenſis. *Non ergo rectè colligere Catholicos ex Matth. 10. cap. primatum Petri.* Reſpondeo rectè colligere. Eſt enim locus aptiſſimus ad eum probandum, quod cùm ſubodoratus eſſet Beza, neſcio quid de falſaria manu commentus eſt. Sic enim ad illa verba, *Primus Simon, qui dicitur Petrus. Quid*, inquit, *ſi hoc vocabulum (primus) ab aliquo additum eſt, qui primatum Petri vellet ſtabilire! nihil enim ſequitur quod cohæreat.* Atqui Spalatenſis mirè inter ſe cohærere ac quadrare vniuerſa prædicat, digladientur igitur inter ſe. Nos illud ſtatuimus ab Euangeliſta, non à falſario aliquo iniecta ea verba: Namque ipſe Beza reperiſſe ſe ita ſcriptum in omnibus exemplaribus, & Theophylacto Romano, quanquam ægrè, tamen fatetur. Addimus Euangeliſtam in recenſendis Apoſtolorum nominibus *dignitatis ordinem* tenuiſſe, adeóque non primatum, aliquem *ordinis inter pares*, quemadmodum ſomniauit Beza, ſed *gradus ſupra inferiores*, quemadmodum ſanctiſſimi Patres prædicant manifeſtiſſimè declaraſſe. Hoc autem, inquies, quî fieri potuerit, cùm nondum eſſet ad hoc dignitatis faſtigium euectus Petrus. Reſpondeo duabus rationibus, primùm quia cùm hæc in chartas referret Matthæus, erat ille primatus omnibus ſuis muneribus inſtructus, atque iam plenè obtinuerat in Eccleſia, vt probabile ſit Matthæum recenſuiſſe Apoſtolorum nomina, iuxta ſeriem & ordinem à Chriſto antequam remeaſſet in cœlum, impoſitum. Deinde vt iſtud non fateamur, nemo negauerit eo ipſo tempore in quod incidit celebrior illa vocatio Apoſtolorum, Petro iam promiſſionem factam fuiſſe immutationis nominis, vt qui antea Simon diceretur, poſtea Petrus vocandus eſſet. Nam Ioannes

Hieron. ad cap. 16. Matth.

Beza ad illum locum.

refert

refert in ipſo limine prioris vocationis Petri, Chriſtum intuitum in Petrum dixiſſe ei, *Tu es Simon filius Iona, Tu vocaberis Cephas, quod ſonat ſi interpreteris Petrus.* Cùm igitur hæc de mutando nomine pollicitatio velut quædam proluſio eſſet ad futurum Primatum Petri, quam iam animo concepiſſet ac deſtinaſſet Chriſtus, meritò Euangeliſta primum inter Apoſtolos recenſuit, meritò etiam nos ex eodem loco argumentamur fuiſſe Petrum inter Apoſtolos omninò primum, hoc eſt non ſolius ordinis, ſed & dignitatis & poteſtatis Primatum conſecutum fuiſſe. Sed vt primatum Petri, præclaram de Chriſto editam confeſſionem anteuertiſſe probet, ad patres confugit. *Profitetur*, inquit, *hoc Ambroſius, cùm ait vos autem quem me eſſe dicitis? Statim loci non immemor ſui Petrus primatum egit, primatum confeſſionis vtique, non honoris; primatum fidei, non ordinis. Iam igitur Petrus, teſte Ambroſio, loci primatum gerebat, antequam diceret, Tu es Chriſtus, &c. & audiret, Tu es Petrus, &c. Quod adhuc clarius cernitur in præcedentibus illis eiuſdem Ambroſ. eodem loco, dictis: Denique ait cùm interrogaſſet Dominus, quid homines de filio hominis exiſtimarent, cùm diceretur vulgi ſententia Petrus tacebat: Taces ergo Simon? & reſpondentibus aliis adhuc taces, cùm ipſe ſis primus?* Sed in Ambroſio prorſus nil videt: ſi quidē ſummus vir, in illo primatu confeſſionis, quem cum primatu honoris confert non acquieſcit, ſed eo ad ampliſſimum & auguſtiſſimum quendam alium primatum viam ſibi muniſſe Petrum contendit. Sequitur enim, *Hic eſt ergo Petrus qui reſpondit præceteris Apoſtolis, imò pro cæteris,* (en priorem Primatum confeſſionis) *& ideò fundamentum dicitur,* en posteriorem & quidem illum in quo cum Ambroſio acquieſcunt Orthodoxi, quique eſt confeſſionē Petri cōſecutus.

Ioan. 1. 42.

Spalat. Num. 4. Ambr. de Incarn. cap. 4.

Pergit Spalatenſis, *Agnouit hoc etiam Auguſtinus quando dixit: Sicut enim quædam dicuntur quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cum referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam; propter primatum quem in Diſcipulis habuit; ſicuti eſt, Tibi dabo claues, &c. Et alibi. Hoc agit Eccleſia ſpe beata in hac vita ærumnoſa, cuius Eccleſiæ Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatus ſui primatum, gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, Natura vnus homo erat; gratia vnus Chriſtianus; abundantiore gratiâ vnus idémque primus Apoſtolus: Sed quando ei dictum eſt, Tibi dabo claues, &c. vniuerſam ſignificabat Eccleſiam. Vidéſne*, inquit Spalatenſis, *ſecundum Auguſtinum, propterea Petro datas eſſe claues, & ad illas accipiendas, tanquam figuram Eccleſiæ aſſumptum; quia iam habebat primatum inter Apoſtolos? Et obſerua eum dixiſſe, propter primatum quem in Diſcipulis habuit, non (dixit) in Diſcipulos. Quomodò ergo in confeſſione ſeu promiſſione clauium, de primatu dicetur tunc primùm inueſtitus, ſi propterea illi ſoli, & non aliis claues dantur, aut promittuntur, quia ipſe ſolus inter alios omnes Apoſtolos iam primatum obtinebat. Idem ſupra videmus in Cyrillo dicente; vt princeps capútque cæterorum, primus exclamauit, Tu es Chriſtus, &c. Petrus itaque primus eſt, & princeps, & caput, etiam ante confeſſionem. Neceſſitate igitur compellimur primatum indagare Petri qui ei competebat, antequam aut Petra ædificandæ Eccleſiæ factus fuerit; aut claues acceperit; aut curam paſtoralem.* Sed rurſus eximios Patres non intellexit. Quod attinet ad Auguſtinum, expendimus ſuprà teſtimonia, quibus denuò his abutitur aduerſarius. Oſtendimúſque quo ſenſu Petrum *in Perſona Eccleſiæ* claues accepiſſe dixerit. Sed quæ ſunt huius loci propria non

Spalat. Num. 5. Aug. in Pſ. 108.

Aug. tract. 124 in Ioan.

ſunt à nobis prætereunda. Exiſtimat igitur Auguſtinum cenſuiſſe Petro datas eſſe claues, *Quia iam habebat primatum inter Apoſtolos*, & eodem flectit locum Cyrilli. Sed immaniter errat. Non enim tantorum Patrum mens eſt, vt vult aduerſarius, Petrum actu, quemadmodum loquuntur in Scholis, Primatum tunc iam nactum fuiſſe, ſed ſola deſignatione quæ tum temporis in mente reſideret Chriſti, nec niſi obſcurè ſe in animum inſinuaret collegarum. Quod verò vrget ſententia Auguſtini Petrum *non in Diſcipulos*, ſed *in Diſcipulis* Primatum habuiſſe friuolum eſt; ſi quidem *Primatum in diſcipulis*, non *in diſcipulos* habuiſſe, ab Auguſtino dicitur, quod quanquam authoritate ac dignitate eis anteiret, longè tamen ab herili & deſpotico dominatu abeſſet, maximè verò præſente Chriſto, penes quem vnum ſumma imperij in diſcipulos eſſet. Solent certè Patres omnem Principatum & dominatum, qui in Eccleſia obtineat modeſtiſſimis verbis efferre. Neque propterea vim eius aut vigorem eneruant, ſed Pontifices ſui officij commonent; ne ſcilicet Tyrannorum inſtar in ſubditos graſſentur. Hæc alibi à nobis vberius tractantur. Videtur autem neſcio quis radius veritatis affulſiſſe Spalatenſi, quandoquidem hoc numero *inæqualitatem inter Apoſtolos* admittit, vt iam nil nos mouere debeant argumenta ex pari conſortio honoris & dignitatis deſumpta. *Certè*, inquit, *inæqualitas aliqua inter Apoſtolos, & maioritas quodammodo & minoritas interdum obſeruata reperitur!* Concidit itaque illa ab eo tantopere prædicata omnimoda inter eos æqualitas! Sed ſententiam ſuam, imò noſtram fulcit ineluctabilibus argumentis. *Nam*, inquit, *& Paulus abundantius cæteris ſe laboraſſe pro Chriſto teſtatur; Et comparat ſe cum magnis Apoſtolis: magnus autem non eſt, niſi cum reſpectu ad paruum. Magnos fortaſſe intelligit vndecim, reſpectu aliorum diſcipulorum ad Apoſtolatum vltra illos duodecim aſſumptorum, aut magnos vocat Petrum, Iacobum & Ioannem, qui videbantur columnæ eſſe, & de quibus aſſerit quod videbantur eſſe aliquid: quibus verbis certè innuitur aliqua differentia inter illos, inter quos maiores & minores fuiſſe planè fatetur idem Paulus, dum ait; Nihil enim minus fui ab iis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli, tametſi nihil ſum.* Hæc veriſſimè ſunt à Spalatenſi dicta, ſed non diu perſeuerat in hac bonorum interuallorum luce, deiiciunt eum de mente ac conſilio, hæreſeon quibus vrgetur ſtimuli ac ſcelerum recordatio. Itaque id efficere molitur, vt concidat ab eo iactata hæc inæqualitas. *De hac*, inquit, *quacumque inæqualitate audiamus Chryſoſtomum, dum præponit probitatem ſignis, verbis illis differentem; Petro quoque non dixit, ſi me amas ſigna fac, ſed paſce oues meas; Cumque ipſum cæteris præponeret, cum Iacobo ſimul atque Ioanne propter ſigna forſan proponebat. Ab omnibus certè pariter leproſi mundabantur, mortui ſuſcitabantur, omnibus enim æqualiter poteſtas fuit conceſſa. Vnde igitur tres illi anteponebantur? Et alibi; Haud æquè idem Beatis omnibus in Dei regno honos habebitur; Siquidem neque Diſcipulos Chriſti inter ſe pares omnes fuiſſe conſtat: tres enim erant qui cæteris præſtarent, quos inter diſtare etiam videbatur; quippe cum Deo vel minima quæque acriori ſunt curæ: Aſtrum enim ab aſtro differt gloria: Tametſi Diſcipuli omnes pro Apoſtolis haberentur, vniuerſique ſint ſuper ſedes duodecim conſeſſuri; palámque ſit & ſua ſingulos reliquiſſe, cum Chriſto & vitam duxiſſe ſingulos: qui tamen cùm eſſet orandi gratia ſeceſſurus, tres ſecum ſumpſit, alioquin hos inter neminem præſtare aſſerit, cùm dicit: Sedere enim ad dexteram meam aut ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus à Patre paratum eſt.*

SPALAT. Num. 6.

1. Cor. 15.

2. Cor 11.

Gal. 2.

2. Cor. 12.

Chryſoſt. hom. 47. in c. 13. Matth.

Chryſ. ſer. de præmiis ſanct.

1. Cor. 15.

Luc. 22.

eſt. Item & Petrum reliquis præfert dicens, Petre, amas me plus his? Ioannes autem præter cæteros ab eo colebatur. Ac tandem paulò inſolentiùs concludit, *Conſiderent Monarchici, & videant an Patres iſti agnouerint maximum illum & abſolutum Petri Principatum, qui in his comparationibus, nullam prorſus tanti principatus rationem habuerint, aut fecerint mentionem; vbi tamen prælationes ex quocunque capite poterant, inter Apoſtolos quærebantur. Obſeruarunt nihilominus differentias aliquas quæ nonnullas inæqualitates inter Apoſtolos conſtituerent, vt conſtat ex dictis, non tamen vllæ erant ex parte poteſtatis & iuriſdictionis, ſed ex quibuſdam perſonalibus prærogatiuis & virtutibus, abſque vlla tamen inter ipſos vera & propria ſubiectione, ex quibus perſonalibus prærogatiuis, ſeu præeminentiis inuenio ego, Petrum Primatum aliquem, citra tamen Principatum poteſtatiuum & iuriſdictionalem eſſe conſecutum, nimirum ex ætate ordine vocationis, amoris feruore & propriis virtutibus, vnde factum eſt vt aliquo modo primas inter Apoſtolos retineret.* Spalat. Num. 7.

Diceres pro Tribunali ſedere ac decernere hunc Pſeudo-Epiſcopum. Vult igitur Primatum Petri in eo poſitum eſſe *quod ætate, vocatione, & amoris in Chriſtum feruore*, primas teneat inter omnes Apoſtolos. Quanquam autem ſunt hæc ita vitiosè ſtructa, vt ſponte ſua ruant & concidant, tamen ne præoccupatus animus lectoris ei aſſentiatur, quàm improbè ſanctos Patres in ſuam ſententiam trahat, nobis demonſtrandum eſt. Primùm igitur ſtatuo Patres omnes, qui modò hanc diſputationem ſeriò attigerint, conſtantiſſimè aſſeueraſſe, Petrum à Chriſto in ſpiritualium rerum adminiſtratione impoſitum Eccleſiæ ſummum Principem, qui ea authoritate vigeret quæ depellendis, & reſtinguendis diſſentionibus, & ſeditionibus, ſi quæ in Eccleſia mouerentur, (quod tamen ille futurum præuiderat) par eſſe poſſet, nec cùm hæc ſcriberent vlli in mentem veniſſe vnquam ad illos motus ſedandos, & vnitatem corporis Chriſti ſartam tectámque ſeruandam ſufficere potuiſſe eum *Primatum* quem Spalatenſis excogitauerit, *ætatis*, *vocationis*, aut etiam *Charitatis eximiæ*. Et quidem iis quæ diſſertatione prima ſunt à nobis diſputata de dignitate Capitis, id abundè eſt probatum. Nam Patres inter duodecim Apoſtolos Chriſtum elegiſſe Petrum aſſerunt, *vt Capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.* Spalat. Num. 8. Hieron. lib. 1. cont. Iouin.

Hic autem quis non videat vim quandam ampliorem, & maiorem quàm ſit aut ætatis aut vocationis, aut etiam priuatæ virtutis in hoc ſummo capite ineſſe debere. Tu ne igitur, Marce Antoni, ætatem grandiorem huic muneri ſufficere potuiſſe credis? Fuit certè credo quondam cani Capitis reuerentia maxima; Fragrat & bonus odor in vocatione Chriſti; Habent ſuas laudes charitatis ſanctiſſimi ardores; Sed non in hos de quibus loquimur vſus quæſitas opes oſtentas. Non hæc frænandis improbis & contumacibus mentibus ſufficiunt, quæ veluti fræno excuſſo vix ac ne vix quidem in ordinem cogi poſſint. Capite quòd omnes illi Patres viderunt opus fuit, cuius vi ac poteſtate ingenti, tanquam potentiſſimo fræno, ſuperbæ mentes coercerentur, & ipſi perduelles, eo furoris vt vnitatem ſcinderent progreſſi, mulctarentur, ac Eccleſiaſticis pœnis, vt eſt illa ab communis Eccleſiæ communione reſectio & amputatio, cuius viuidum exemplum nobis dedit Victoris Sæculum, plecterentur. Sed, inquit Spalatenſis, *In his comparationibus nullam prorſus tanti principatus rationem habuerunt, aut fecerunt mentionem; vbi tamen prælationes, ex quocunque Capite poterant, inter Apoſtolos quærebantur.* Reſpondeo primùm neque etiam debuiſſe: ſiquidem cùm in compara-

tionibus id demum ſeruandum ſit, vt in eodem genere fiant, cùm Patres conferendos duxiſſent Apoſtolos quà Apoſtolos, certè in his quæ ad Apoſtolatum intrinſecè pertinerent, nec extra hoc genus vagarentur conferre, ac contendere omninò debuerunt. Quare cùm extra Apoſtolatum ſit dignitas capitis, neque cum eo niſi ex accidenti ſit coniuncta, eam præterierunt. Addo verò non ſolùm ſexcentis aliis locis, eam docuiſſe, illuſtraſſe ac propugnaſſe; ſed etiam iis ipſis quibus eos inter ſe conferrent, ſummæ dignitatis Petri non rarò meminiſſe, ac planè inſinuaſſe. Sic Nazianzenus cùm ſuſcepta de ordinis bono diſſertatione comparationi locum daret, Petri prærogatiuam præcipuam non diſſimulauit. [a] *Vides*, inquit, *quemadmodum ex Chriſti diſcipulis, magnis vtique omnibus & excelſis, atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Eccleſiæ fundamenta in fidem ſuam accipiat, ille impenſius ametur, & ſupra pectus Ieſu requieſcat, ac reliqui diſcipuli eos ſibi præferri æquo animo ferant.* Sic Chryſoſtomus quem tanta pompa in hanc ſcenam inducit Spalatenſis, cum quoque eam comparationem admitteret oratio, ſiquidem de præfecturis agebatur, idipſum non tacuit. Petrum enim cum Iacobo conferens, [b] *Quod ſiquis*, inquit, *percontaretur, quomodo igitur Iacobus* (in tantis ſcilicet prærogatiuis Petri de quibus ſupra egerat) *ſedem Hieroſolymis acceperit: reſponderem tunc Petrum totius orbis magiſtrum præpoſuiſſe.* Ac rurſus, [c] *Cùm magna Chriſtus Petro communicaſſet, orbis terrarum curam demandaſſet, martyrium prædixiſſet, & maiorem erga eum dilectionem teſtatus eſſet, cùm vellet Petrus Ioannem ſocium & collegam, inquit: Hic autem quid?* Sed linquamus iſta, atque in ipſam arcem diſputationis inuadamus. Prima quæſtio nobis eſt de ætate Petri. Prouectiore enim ac grandiore ætate fuiſſe inter Apoſtolos contendit Spalatenſis, nos eum arioläri credimus; & quidem res eſt valdè incerta, cùm vel ipſo teſte, Epiphanius grauis author, in cuius ſententiam manibus pedibúſque iere [d] Baronius, Lorinus, Becanus, egregij ſanè & hiſtorici & Theologi, Andream Petro antiquiorem faciat. Contrà alij, plures numerant annos Petri quàm Andreæ, adeóque rem de qua Scriptura nuſquam pronunciarit, in incerto relinquunt. Cæterùm qui Petrum ætate prouectiorem faciunt, haud tamen Primatum Petri in eius ætate ponunt, ſed in eximio quodam principatu & authoritate quam vt dicerent ætati datam, tamen ætatis munus eſſe non proinde cenſerent. Hoc ipſo ſenſu plerique Orthodoxi affirmant Romam, quòd caput eſſet imperij, conſecutam, vt Eccleſiæ quoque caput conſtitueretur. Quòd eò non ducit, vt dignitatem Eccleſiæ Romanæ poteſtati imperij acceptam habeamus; ſed volunt illi amplitudinem imperij & vrbis ſplendorem, conditionem fuiſſe, vt loquuntur in Scholis, materialem, adeóque remotam cui illa electio inniteretur, cùm tamen formalem & præciſam rationem dignitatis Eccleſiæ Romanæ non à potentia ſæculari, ſed à ſede Petri qui religionis & fidei caput eſſet pendere, omnibus Orthodoxis ſit conſtiturum. Demus igitur, in ſubiecta materia, ætatem Petri conditionem eiuſmodi fuiſſe, vt ſcilicet Canities Petri ſanctiſſimum magiſtratum ornaret, proinde non conſequitur *ætatis* hanc eſſe prærogatiuam, ſed *authoritatis* Petro communicatæ, quæ ætati addita ſit.

Sed vrget Spalatenſis Patrum teſtimonia. *Accipiamus*, inquit, *dictum Hieronymi, dum quærens quare Chriſtus aſſumpſerit Petrum, vt eſſet ille vnus cui in typum tantum vnitatis vt Schiſmaticis tolleretur occaſio, præfectura traderetur, & non potiùs Ioannem quem adeo diligebat, reſpondet hoc pacto, Ætati delatum eſt,*

quia

[a] Greg. Naz. orat. 26. de mod. in diſput. ſeruanda. Ὁρᾷς τὴν Χριστοῦ μαθητῶν πάντων ὄντων ὑψηλῶν, καὶ ἐκλογῆς ἀξίων; ἀλλ' ὅμως πέτρα καλεῖται, καὶ τῷ θεμελίῳ τῆς ἐκκλησίας πιστεύει, ὁ καὶ ἀγαπᾶται πλέον, καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος τοῦ Ἰησοῦ ἀναπαύεται, καὶ φείσεται οὐ λοιπὸν τῷ προτιμωμένῳ.

[b] Chryſ. hom. 87. in Ioan. Εἰ δὲ λέγοι τις, πῶς οὖν ὁ Ἰάκωβος τὸν θρόνον ἔλαβε τῶν Ἱεροσολύμων ἐκείνου ζῶντος αὐτοῦ εἴπωμεν, ὅτι Πέτρου [οὐ θρόνου, ἀλλὰ] τῆς οἰκουμένης ἐχειροτόνει διδάσκαλον.

[c] Ἐπεὶ οὖν μεγάλα αὐτῷ προεῖπε καὶ τῆς οἰκουμένης ἐπιτρέψας, καὶ τὸ μαρτύριον προαναφώνησε, καὶ ἀγάπᾳ ἐμπρέπουσα πλείονα τῶν ἄλλων, βουλόμενος καὶ τοῦτον λαβεῖν κοινωνὸν, φησὶν οὗτος ἢ τί;

[d] Bar. tom. 1. ann. 31. n. 23. & 51. Serr. tract. de Apoſt. Lorin. in c. 1. act. Bec. lib. 2. de Rep. Eccl. cap. 2.

SPALAT. Num. 8. Hier. lib. 1. cont. Iou.

Digitized by Google

quia Petrus ſenior erat; ne adhuc adoleſcens ac penè puer progreſſæ iam ætatis hominibus præferretur. Fateor neminem vnquam vidi, qui maiori authoritate nihil diceret. Et certè ſi benè expendatur locus Hieronymi, omnino pro nobis facit. Is cùm ſtudio virginitatis amplificandæ in eo totus eſſet, vt Ioannem celibem Petro olim coniugato anteferret, magna, vt ita dicam, verborum pompa, dotes Ioannis explicandas ſuſcepit. Cumque premeretur argumento Iouiniani, qui Petrum Ioanni in ſummo Eccleſiæ magiſtratu eſſe prælatum contenderet, neque contra quid opponeret, haberet, excepit quidem *tollendo ſchiſmati Petrum Eccleſiæ caput conſtitutum*, non Ioannem, ſed hanc ei prærogatiuam ſupra Ioannem conciliaſſe prouectiorem ætatem. *Cur*, inquit, *Ioannes non electus eſt virgo? ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens ac penè puer progreſſæ ætatis hominibus præferretur.* Itaque ſi Ioannem Petro prætermiſſo elegiſſet Chriſtus, fuiſſet ille proculdubio cæteris antelatus. Qua verò in re? In capitis certè dignitate, de qua eſſet inter eos controuerſum. Cæterùm quod exiſtimat Spalatenſis, ex eo quod Ioanni prælatus fuerit ratione ætatis Petrus, rectè colligi Petrum quoque reliquis ætate maiorem fuiſſe, tam eſt ſtultè dictum, vt communi ſenſu carere videri poſſit qui hoc effutierit. Ioannes quod penè puer eſſet, nec adoleſcentiam exceſſiſſet, non eſt habitus par tuendæ ac ſuſtinendæ dignitati Capitis, quod illud honoris faſtigium grauitatem ſenilem depoſceret, Ergo ſimili ratione Iacobus, aut quiuis alius de numero Apoſtolorum quanquam ætate prouectus, par non fuit per ætatem tanto muneri? An hæ præſtigiæ ſunt quibus ſimplicioribus illudatur? Erat certè Iacobus, erat Andreas ea ætate quam depoſceret ea dignitas, ſed qui omnia nutu gubernat *pro beneplacito ſuæ voluntatis*, Petrum ſibi eligendum duxit, non certè quà ſeniorem, (erant enim tam multi quos prætereundos ſibi duxit,) ſed quà ſibi ob æternas & principales illas ſuæ electionis cauſas ſibi acceptum. Itaque non rugæ, non cani authoritatem Petro aſſeruerunt, ſed ipſa Chriſti inſtitutio quà vna detracta ac ſublata funditus interire Primatum Petri neceſſe ſit. Hoc igitur vult Hieronymus Ioannem quanquam iuuenili ſpecie ſenili eſſet prudentia, quod tamen adoleſcentiæ terminos non exceſſiſſet, atque ea ætas grauitati magiſtratus aliquid detractura videretur, non fuiſſe à Chriſto electum qui gubernacula Eccleſiæ tractaret, ſed Petrum his admotum quod virenti ſenectute quæ eum magiſtratum ornaret, efflореſcens, aptior ad tanti faſtigij dignitatem ſuſtinendam omnino videretur: Ergo canis & ætati iam additam agnoſcimus, vt hæc ab illis non pendeat, ſed aliundè afferatur. Caſſianus Hieronymo ſuccenturiatus cauſam Spalatenſis non iuuat. Tametſi enim aſſerat Petrum ætate prouectiorem fuiſſe, ætati tamen amplitudinem honoris & dignitatis non aſcribit, ſed Principatum Petri rem facit ab ætate ſeiunctam. Neque verò hominem Principatus Petri tam apertum, & tam vehementem propugnatorem accerſiſſet Spalatenſis, ſi in eo prudentiæ ſenſus vllus fuiſſet. Sic enim loquitur, *Interrogemus*, inquit, *ſummum illum & inter diſcipulos diſcipulum, & inter Magiſtros Magiſtrum, qui Romanæ Eccleſiæ gubernaculum regens, ſicut fidei habuit, ita & Sacerdotij Principatum. Dic nobis ergo, dic nobis quæſumus Princeps Apoſtolorũ Petre, dic quemadmodum credere Eccleſiæ Deum debeant: æquum eſt enim vt doceas nos, doctus à Domino; & aperias nobis ianuam, cuius clauem accepiſti. Exclude omnes ſuffodientes cæleſtem domum: & eos qui per adulterinas cauernas & illicitos intrare aditus moliuntur, auerte; quia certum eſt quod nullus oſtium*

Caſſianus lib. 3. de Incarn. Dom. cap. 12.

Digitized by Google

regni intrare poterit, niſi cui clauis à te in Eccleſia collocata reſerarit. Dic ergo quemadmodum credere Ieſum Chriſtum, & confiteri communem Dominum debeamus. Reſpondebis vtique abſque dubio: quid me conſulis qualiter Dominus confitendus ſit? quum habeas qualiter ſim ego ipſe confeſſus. Lege Euangelium, & non requires perſonam meam, cùm habeas confeßionem meam: immò illic habes perſonam meam, vbi confeßionem meam: quia cum perſona mea authoritatem ſine confeßione non habeat, authoritas eſt perſonæ meæ ipſa confeßio. Dic ergo Euangeliſta, dic nobis confeßionem, dic ſummi fidem Apoſtoli: hominem ne tantum confeſſus ſit Ieſum, an Deum: carnem in eo tantùm eſſe dixerit, an Dei filium prædicarit? Interroganti ergo Domino Ieſu Chriſto, quem eum crederent, quem confiterentur eſſe diſcipuli, reſpondet primus Apoſtolorum Petrus, vnus vtique pro omnibus: idem enim vnius habuit reſponſio, quod habeat omnium fides. Sed primum decuit reſpondere: vt idem eſſet ordo reſponſionis qui erat honoris: & ipſe antecederet confeßione, qui antecedebat ætate. Hæc poſtrema verba, quæ in ſpeciem ſuo dogmati fauere viderentur, arripuit Spalatenſis: ſed priora quæ ſuam ſententiam euerterent, verſutus homo egregiè diſſimulauit. Ad Chryſoſtomum iam confugit, rurſus infeliciſſimè vt enim Petrum Andrea maiorem natu crediderit, quam eſſe multorum Patrum ſententiam non inficiamur, ac propterea primogenitum vocarit, in eo tamen Primatus Petri opes poſitas eſſe non exiſtimauit. Verba eius ſunt, cùm de Didrachmis loqueretur, quæ vir eloquentiſſimus vectigal fuiſſe primogenitorum, contendit; quanquam alij meo iudicio aliquanto probabilius, ad penſitationem à Deo inſtitutam in vſum tabernaculi aut templi referunt. ἐπεὶ οὖν πρωτότοκος ἦν ὁ Χριστός; ἐδόκει δὲ τῶν μαθητῶν πρῶτος εἶναι ὁ Πέτρος αὐτῷ προσέρχεται. Latinus interpres ſic reddidit, *Cumque ita primogenitus eſſet Chriſtus, Petrus quoque diſcipulorum primus eſſe videretur ipſum adeunt*. Hæc ad ætatem non pertinent: Pertinere verò videntur illa eiuſdem Patris, *Pro me verò*, inquit, *& te quoniam & Petrus primogenitus erat.* Atqui ſi nodum in ſcirpo quod toties facit Spalatenſis quærendum duceremus, an non ei perpendendum relinqueremus, num Chriſtus quo cum Petrũ conferт Primogenitus fuerit ſolùm ætatis prærogatiua, aut etiam ſplendore dignitatis? Quicquid ſit de ea re Chryſoſtomus ſolùm ætatis decus non ſpectauit, ſed dignitatem quoque Petri quam ſcilicet animo præcepiſſet Chriſtus: Sic enim ad illa verba, *Da eis pro me & te. Vidiſti*, inquit, *honoris excellentiam, vide nunc quanta philoſophia vtitur Petrus. Hunc enim locum Marcus qui Petri diſcipulus fuit, ideò non ſcripſiſſe videtur, quoniam ingens hinc honor magiſtro deferebatur: ſed negationem quidem ille quoque diligentiſſimè ſcripſit: hæc verò quæ ad magiſtri laudem pertinent ipſo forſan deprecante, ne magnifica de eo diceret, omnino ſiluit.* Hîc multa ſunt obſeruatu digniſſima; Primum facundiſſimum Patrem in maximis honoribus Petri reponere, quod ei à Chriſto ſit dictum, *da eis pro me & te*, ἴδες, inquit, τὸ ὑπερβάλλον τῆς τιμῆς. Addit ab his recenſendis abſtinuiſſe Marcum Petri diſcipulum, *ne magnifica de eo diceret*, quod magiſtri modeſtiæ deputat: At quæſo quæ illa eximia laus ac præſtantiſſimus honos fuit, ſi id totum ſibi prouectior ætas vindicat? An τὸ ὑπερβάλλον honoris præſtantiam, de qua Chryſoſtomus, ætatis beneficium cenſet aduerſarius? Addit Chryſoſtomus, humanũ quid paſſos diſcipulos, ac veluti inuidiæ ſtimulis concitatos occaſione honoris Petro delati, quæſiiſſe à Chriſto; *Quis putas maior eſt in regno cœlorum? Humanum quid*, inquit, *paſſi diſcipuli ſunt, quod Euangeliſta quoque*

Chryſoſt. hom. 59. in cap. Matth. 19. τοῦτο γὰρ ἐφαίνετο Μάρκος ὁ τοσοῦτος μαθητὴς τοῦ Πέτρου, διὰ τοῦτο οὐκ ἔγραψεν, ἐπειδὴ πολλὴν ἐδήλου τὴν εἰς αὐτὸν τιμήν· ἀλλὰ καὶ ὁ διδάσκαλος ἴσως αὐτὸς ἐβούλετο, τὰ δὲ τοιαῦτα παραιτεῖσθαι τοῦ μεγάλα περὶ αὐτοῦ λέγειν. Τίς οὖν μείζων ἐστὶν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν

quoque ſignificauit, dicens: In illa hora, quando ſcilicet cæteris omnibus Petrum prætulit. Nam cùm ex Iacobo & Ioanne alter primogenitus eſſet, nihil tamen tale pro ipſis feciſſe videtur: Veriti autem turbationem profiteri ſuam, non apertè, quare Petrum ipſis præponeret, ſed confuſe, Quis ergo maior eſt, interrogarunt. Quando tres illos præferri conſpexerunt, nihil tale paßiſunt: cùm verò ad vnum delatus honor eſt, tunc nimirum doluerunt: quamus non ex hac re ſolùm, ſed ex aliis quoque multis inflammati fuerunt: Tum quia dixit illi, Dabo tibi claues regni Cœlorum, tum quia, Beatus es Simon BarIona: tum etiam hîc, Da eis pro me & te: tum denique quia liberius eum multo Chriſto colloqui conſpiciebant. An hæc quoque ad ætatem grandiorem pertinent? Atqui ait Spalatenſis; *Alio loco Petrum Paulo facit antiquiorem. Cùm nihil* (Paulus) *opus haberet Petro, inquit Chryſoſtomus, nec illius egeret voce, ſed honore par eſſet illi, nihil enim hic dicam amplius, tamen aſcendit velut ad maiorem ac ſeniorem.* Reſpondeo Chryſoſtomum hæc duo connectere μείζονα καὶ πρεσβύτερον, vt igitur aduerſario litem non mouerim de vocabulo πρεσβύτερον, cuius diuerſas acceptiones non ignorat, quis neſciat tum Græcis tum Latinis ſæpiſſimè vſurpari *μείζονα maiorem*, pro eo qui dignitate, & authoritate maior ſit? Certè Chryſoſtomus ſeriò expendit, quod dicit Paulus aſcēdiſſe ſe Hieroſolymam, vt videret Petrum, [a] *Non dixit*, inquit, ἰδεῖν, *id eſt, vt cernerem Petrum: ſed* ἱστορῆσαι, *id eſt, vt viderem, quomodo loqui ſolent, qui magnas ac ſplendidas vrbes inuiſunt cognoſcendi gratia, adeò iudicabat operæ pretium, multoque ſtudio dignum tantummodo videre virum.* Exiſtimauit igitur Chryſoſtomus Paulum coluiſſe Petrum alia quadam maiori ratione, quàm quod ſenior eſſet: ſed de Chryſoſtomo plura in ſequentibus. De Primatu vocationis iam nobis agendum, atque ea ſecunda quæſtio diſputanda occurrit. Triumphantis verò non dimicantis more incedit Spalatenſis. *De ordine vocationis*, inquit, *neminem habemus, qui ſe nobis opponat, omnes enim facilè concedunt ad Apoſtolatum primum omnium Petrum fuiſſe à Chriſto vocatum.* Hîc rurſus mihi monendus eſt pius lector, Spalatenſem magno conatu nihil vel nugas dicere; vt enim daremus Petrū primò vocatum à Chriſto, quid inde haberet? An hinc rectè colligeret; ergo ſola vocatione fuiſſe Petrum primum? Non potuerit igitur Chriſtus quem primùm vocaſſet, ad ſupremum regni ſui, & Eccleſiæ faſtigium euexiſſe, ac ſumma dignitate & authoritate ornaſſe! O mirifica argumenta! Cæterùm quod attinet ad ſeriem vocationis Apoſtolorum, etſi res ſit perobſcura, exiſtimamus tamen hunc ordinem ſeruaſſe Chriſtum. Primùm cum præconio Ioannis, qui illum Agnum mundi peccata tollentem indice monſtraſſet, Philippus & Andreas mirificè excitati eſſent, adque ipſum Chriſtum Andreas germanū ſuum Petrum adduxiſſet, Philippus verò Nathanaelem, eos cum nonnullis aliis familiares auditores habuit, ſed tamen nec dum diſcipuli eſſe Chriſti cœperant, cùm nondum omnia deſeruiſſent; quare tum de his, tum de reliquis qui ſub illa initia Chriſto ſe adiungerēt, dixit Auguſtinus, Non ſic illum ſequutos quaſi illi inhærerent, [b] *Nam*, inquit, *manifeſtum eſt quando illi inhærent, quia de naui eos vocauit, &c.* In hac igitur prima vocatione, ſi tamen vocationem facimus, proculdubio Andreas præceſſit Petrum; quippe cui author fuerit conueniendi Chriſtum. Poſtea verò nonnullos illorum ita ad ſe pertraxit, vt illi planè adhærerent, ac cum eo perſeuerarent noctu diuque. Hæc illa eſt vocatio, quam de naui factam dicebat Auguſtinus; quòd ſcilicet de naui eos vocauerit Chriſtus dicens, [c] *Venite poſt me, faciam vos*

οὐρανῶν ἵστασθαι τὸν αὐξάνοντα αὐτὸν μᾶλλον τῶν μαθητῶν. διὸ καὶ ὁ εὐαγγελιστὴς ὑποσημαίνει τοῦτο λέγων. ὅτι ἐν ἐκείνῃ τῇ ὥρᾳ. ὅτε πάντων αὐτὸν ἐθαύμαζον. καὶ γὰρ καὶ Ἰακώβου καὶ Ἰωάννου διάφορος ἦν, ἀλλ' οὐδὲν τοιοῦτον ὑφ' ἑνὸς ἐπαινούμενον. εἶτα ἀθροίζει τὸ πάθος ὁμολογοῦσι δὲ ὑπὲρ ὑπερβολῆς, φανερῶς μὲν οὐ λέγουσι, πάντως ἔχουσι τὸν Πέτρον ἡμῶν πρεσβύτερον καὶ εἰ μείζων ἡμῶν ἐστὶν ὁ ἐκεῖνος. ἠθροίσθησαν γὰρ. ἀθροίζουσι καὶ ἑαυτούς, τίς ἆρα μείζων ἐστὶν ἢ ἔστι μὴ γὰρ τὸν τυχόντα εἶδον ἀφικόμενοι, οὐδὲν τοιοῦτον ὑπέδυν. ἐπεισδύ δ' εἰς τὸ ἴσα πεῖσαι τοῦ τῆς τιμῆς, τὸ ἄλλο πᾶν. οὐ τοῦτο δὲ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἔτι πολλὰ συναγαγόντες τὸ πάθος ἀπῆλθαν. καὶ γὰρ εἶπεν αὐτῷ μὴ δύνασθαι τοὺς πολλοὺς. καὶ μακάριος ὁ Σίμων βαριωνᾶ. καὶ ἐπαῦσε, δὸς αὐτοῖς ἀντ' ἐμοῦ καὶ σοῦ. καὶ τὰ ἄλλα δὲ παῤῥησίαν αὐτῷ πολλὴν ἐρῶντες παρεκάλουν.

[a] Chryſoſt. in ep. ad Galat. c. 1. Καὶ τὰ εἶπεν ἰδεῖν Πέτρον, ἀλλ' ἱστορῆσαι Πέτρον, ὡς ἂν εἰ πόλεως μεγάλης, καὶ λαμπρᾶς ἐπισημοτάτης. [b] Tract. 7. in Ioan. [c] Matth. 4.

nutus, ac propenſiones animaduertit, ac qui ſit primo loco dignus intelligit. Quare Petrum Diſcipulorum ſuorum Principem elegit, vti perſpicuè declaratum eſt. Egregius locus; inquit doctiſſimus & facundiſſimus Epiphanij interpres Patauius, *ex quo liquet Petrum Andreæ ac cæteris Apoſtolis, non ætatis, aut vocationis ordine, ſed principatus & dignitatis anteponi.* Non exiſtimat itaque Epiphanius Chriſtũ, cùm ducem & coryphæum Apoſtolorum faceret Petrum ad ordinem exterioris vocationis, ſed ad ſinceriores motus cordis, quos tamen ille excitaſſet reſpexiſſe; ac propterea hoc honore beaſſe. *Atqui*, inquit Spalatenſis, *alio loco dicit; Ipſe Dominus conſtituit Petrum primum Apoſtolorum.* Agnoſco lubens, nam hoc eſt quod dicimus, & pro quo tanquam pro aris & focis depugnamus. Neque verò Epiphanio Petrus tantummodo πρῶτος τῶν Ἀποστόλων, primus Apoſtolorum, ſed etiam ὁ κορυφαιότατος, princeps dicitur. Proferamus verò locum integrum. [a] *Templum Dei vocantur homines ſancti, qui ſancto Dei Spiritui domicilium in ſeipſis præbent*: VTI PRINCEPS APOSTOLORVM *teſtatur: qui fœlix à Domino prædicari meruit, eo quod Pater ipſi reuelaſſet. Huic igitur germanum ſuum filium Pater indicat; & beatus idcirco dicitur. At ille ipſe rurſum* [c] *ſpiritum ſanctum patefecit. Sic enim ei, qui* INTER APOSTOLOS PRIMVS ESSET, *conſentaneum erat, ſolidæ inquam illi petræ*; SVPRA QVAM EST ECCLESIA DEI FVNDATA, *& portæ inferi non prævalebunt illi. Quarum portarum nomine hæreſes, & hæreſeon conditores intelliguntur. Omnibus quippe modis in eo ſtabilita fides eſt, qui cœli claues accepit; qui & in terra ſoluit, & ligat in cœlo. In eo ſi quidem ſubtiliores quælibet fidei quæſtiones reperiuntur.* Quid ad hæc addi poſſit planè non video. Quis igitur vel per ſomnium vnquam cogitauerit perinde eſſe Chriſtum Petrum conſtituiſſe Apoſtolorum primum, & Chriſtum ante omnes alios Petrum vocaſſe ad Apoſtolatus honorem? An non ſibi ſomnia fingit aduerſarius? Abutitur rurſum teſtimonio Cypriani, [b] *Cyprianus*, ait, *Petrum dicit eſſe primum quem Dominus elegit.* Ita certè Cyprianus ad Quirinum, *Petrus quem primum Dominus elegit.* Sed primatum Petri hîc rurſus agnoſco, non qui ſit in ordine vocationis poſitus, ſed qui vocationem huiuſmodi ſit cum aliquo authoritatis fulgore conſecutus. Supra enim oſtendimus Cyprianum ſenſiſſe, *Eccleſiam Domini voce ſupra Petrum fundatam*, quare eò referenda ſunt quæcunque de primatu Petri ex tanti Patris ſcriptis eruuntur. Sed cur non interpretemur *Petrum primum*, hoc eſt vt primus eſſet, *Dominum elegiſſe*? Eſt enim iſte tenor verborum Cypriani, quod nimirum præ duodecim hunc elegerit vt eſſet primus. Certè hunc eſſe planum ac germanum ſenſum Cypriani, facilè ex ſuperioribus liquet, cùm euicerimus totum in id incubuiſſe Cyprianum, vt oſtenderet his verbis, *Tu es Petrus, &c. Paſce oues*, Chriſtum vnitatis Eccleſiaſticæ centrũ, originem & exordium Petrum cóſtituiſſe. Atqui non memini me legere, ob primatum vocationis, dicta iſta omnia Petro, ſed omniũ Patrum vna vox eſt Chriſtum, cùm hæc diceret fidem quandam eximiam Petri, hoc eſt mirificam illam confeſſionem, *Tu es Chriſtus* remuneratum fuiſſe. Clementem Romanum etſi nihili faciat, tamen teſtem profert, eúmque inducit ita loquentem, *Petrus qui fuit primitiæ electionis Domini primus Apoſtolorum.* Sed vereor ne hic Clemens non magis impiæ patrocinetur cauſæ, quàm reliqui Patres ab eo citati. Petrum

τῷ Πέτρου τῷ χρίσματι τῆς ἐκλογῆς. ὅτι μὲν γὰρ πάλιν, ὅτι ἡ πρώτη αὐτῷ ἀποστολὴ γέγονεν, ἀπὸ τῆς Πέτρου γέγραπται. ὅτι δὲ γὰρ καὶ αὐτὸς ἀφωρίσθη τῷ ἰδίῳ ἀδελφῷ, καὶ ὅτι, καὶ κατὰ τοῦτο, ὅτι θεὸς ἦν εἰλὸς τὴν κλῆσιν τῶν χαρδιῶν, καὶ γνώστην τὸν ἐν ἁγίοις, ἄξιος τοῦ πλήθους, ᾧ ἐξέλεξατο ὁ Πάτερ αὐχαρὸν εἶναι τῶν μαθητῶν, ὡς πάντα σαφῶς ἀποδείκνυσι.

[a] Epiphan. in Ancor.

Νεὸς θεοῦ κληθήσεται, καὶ οἱ ἄγιοι ἄνθρωποι καταικοῦντες ἑαυτοῖς τὸ ἅγιον τοῦ θεοῦ πνεῦμα. καθὼς μαρτυρεῖ ὁ κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων, ὁ καταξιωθεὶς μακαρισθῆναι ὑπὸ κυρίου, ὅτι ὁ πατὴρ ἐπεκάλυψε. τοῦτον ὁ πατὴρ ἀποκαλύπτει ἐν τῷ ἀληθινὸν αὐτῷ, καὶ μακαρίζει, ὁ αὐτὸς πάλιν ἀποκαλύπτει τὸ ἅγιον αὐτῷ πνεῦμα. ἵνα τί οὖν πρῶτον τῶν ἀποστόλων τὸν Πέτρον φησὶν, ἐφ' ᾧ ὁ Ἐκκλησία τοῦ θεοῦ οἰκοδόμηται, καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. πύλαι ᾅδου αἱ αἱρέσεις, καὶ αἱ αἱρεσιάρχαι. ἐν πάσῃ γὰρ πίστει ἐν αὐτῷ ἐστιν ὑποδοχὴ πίστεως, ἐν τῷ λεγόντι σὺ εἶ ὁ χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος. ἐν τούτῳ γὰρ ὅλη πίστις τὰ ζητούμενα λαμβάνομεν τῆς πίστεως ὑπεισιόντα.

[b] Cyprian. ad Quirinum ſeu Quinctinum, ſeu Quintum.

vocat *primitias electionis Domini*, ſed de electione quæ aliorum anteuerterit vocationem non loquitur, imò ſe de ea electione loqui qua ſit impoſitus Eccleſiæ princeps innuere ipſe videtur; hæc enim eius ſunt verba quæ ſuo more detruncat aduerſarius; *Simon Petrus qui veræ fidei meritò & integræ prædicationis obtentu* FVNDAMENTVM ECCLESIÆ *definitus eſt, qua de cauſa etiã Domini ore cognominatus eſt Petrus, qui fuit primitiæ electionis Domini Apoſtolorum primus, cui & primo Deus Pater & filium reuelauit, & competenter beatitudinem contulit, qui & vocatus & electus eſt, & conuiua Domini, & comes effectus tanquã bonus & probatiſſimus diſcipulus, qui obſcuram mundi plagam occidentis veluti potentior illuminare præceptus eſt, &c.* Clemens ep. ad Iacob. frat. Domini initio.

Videt cordatus lector, vt hæc à legitimo Clemente eſſent, aduerſario haud quaquã fauere, ſed nobis. Potentiorem enim agnoſcit Petrum, & ad confeſſionem, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, eius dignitatem refert; quare ne ſomnians quidem de antegreſſa vocatione locutus eſt, ſed eam electionem intellexit, qua Petra, hoc eſt fundamentum Eccleſiæ participato nomine Chriſti declaratus eſt. Quod igitur eum vocauerit *primitias electionis Domini, quodque primum eum fecerit Apoſtolorum*, ad *authoritatis prærogatiuam*, non ad *vocationis primatum* referendum omnino videtur; ſed nolim diutiùs in apocryphis immorari, quæ aliquantò prudentiùs in obſcuro deliteſcere paſſus fuiſſet. *Epiſtolæ quinque Clementis quæ nunc extant*, inquit illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus, *non carent ſcrupulo, nam conſtat Iacobum ad quem ſcribuntur duæ epiſtolæ*, (harum prior eſt quam citat aduerſarius,) *obiiſſe multo ante Sanctum Petrum, & tamen in iis ſignificatur Iacobi mors ſancto Petro.* Lib. de Eccleſiaſt. ſcript. in Clemente Roma.

Aduocat iam Hilarium medius fidius fideliorem teſtem, *Petrus*, inquit Hilarius, *primus credidit, & Apoſtolatus eſt princeps. Proculdubio*, ait aduerſarius, *quia primus adhæſit Chriſto, & in eum credidit.* At illud *proculdubio* mihi valdè ſuſpectum eſt, & reor mendacio firmando iuramentum adhibuiſſe hominem fraudibus natum. Quod enim Hilarius primũ credidiſſe aſſerit ſanctũ Petrum, vel ipſo interprete, non ad quamcunque fidei profeſſionem referri debet, ſed ad eximium illũ fidei actum, quo Chriſtũ filium Dei profeſſus eſt, *Beatus eſt*, inquit Hilarius, *qui vltra humanum oculos intendiſſe & vidiſſe laudatus eſt, non id quod ex carne & ſanguine erat contuens, ſed Dei filium cæleſtis Patris reuelatione conſpiciens, dignuſque iudicatus eſt, qui quod in Chriſto Dei eſſet primus agnoſceret.* Hilar. in Matth. Can. 8.

Vides non diſſeruiſſe eum de ea fidei profeſsione quam exegerit ante collegarum ſuorum vocationẽ, (erant enim omnes renunciati Apoſtoli, atque tum Chriſto adherebãt) ſed de ea laudatiſsima confeſsione quam primus omniũ edidit, vt magiſtro ſuo ſatisfaceret, qui ab aliis quæſiiſſet, quem eum dicerent eſſe homines? *O in nuncupatione noui nominis fælix Eccleſiæ fundamentum*, exclamat Hilarius, *dignáque ædificatione illius Petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudicata authoritas ſit in cælo, &c.* Hilar. in Matth. Can. 16.

Itaque nil habet præſidij in Hilario, ſed ipſe Hilarius vanum illud commentũ de primatu vocationis euertit, noſtrum verò dogma de primatu authoritatis, qui ſit Petro à Chriſto attributus conſtabilit, ac vndequaque firmat. Putátne verò Gregorium Petri magnum ſucceſſorẽ errori fauere poſſe? *Scripſit*, inquit, *ille de Petro à Paulo reprehenſo, non ad memoriam reuocat, quod primus in Apoſtolatum vocatus ſit.* Sed integrum recenſeamus, *Amicus ergo veritatis* (de Petro loquitur à Paulo reprehenſo) *laudauit etiam quod reprehenſus eſt; Atque ei ad hoc ipſum placuit, quia in his non placuerat quæ aliter quàm debuerat ſenſit ſeque etiam minori fratri ad con-* SPALAT. Num. 10. Greg. lib. 2. in Ezech. hom. 18.

ſenſum dedit: Atque in eadem re factus eſt ſequens minoris ſui, etiã vt in hoc præiret; Quatenus qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet primus & in humilitate. Penſate erga fratres chariſsimi, in quo mentis vertice ſtetit qui illas epiſtolas laudauit, in quibus ſcriptum ſe vituperabilem inuenit. Quæ illa manſuetudo tanta eſſe potuit, quæ quies animi, quæ ſoliditas atque imperturbatio cogitationis? Ecce à minore ſuo reprehenditur, & reprehendi non dedignatur. Non ad memoriam reuocat quod primus in Apoſtolatum vocatus eſt, non quod claues regni cœleſtis acceperit, non quod peccata quæcunque in terra ſoluerit, eſſent ſoluta & in cælo. Laudat Gregorius ſummam humilitatem Petri, qui cùm in Apoſtolatus culmine eſſet, adeoque Paulo ſuperior, tamen æquo animo paſſus ſit ſe ab inferiore coargui ac reprehendi: Igitur de ſolo Primatu vocationis non egit; qui ad humilitatem Petri magnificentiſſimis iſtis verbis ornandam, & tantoperè commendandam non faceret. Ac certè illa verba *Primus in Apoſtolatum vocatus eſt*, non efficiunt hunc ſenſum, *Primus ad Apoſtolatum vocatus eſt*, ſed hunc potius in *Principem Apoſtolatus* vocatus eſt, vel ad *principatum Apoſtolatus* vocatus eſt, vt rectè ante nos monuit doctiſſimus Becanus; eo enim ſpectaſſe Petrum aſſerit Gregorius, *vt qui primus eſſet in culmine Apoſtolatus, eſſet primus in humilitate*; Vnde conſequitur dignitatis culmen cum humilitatis faſtigio contuliſſe, ac proinde de primatu dignitatis ac authoritatis cùm de Petro ageret locutum fuiſſe. Itaque alium quærat ſuæ ſententiæ Patronum aduerſarius, A noſtris enim partibus omnino ſtat tantus Pontifex. Ad Hieronymum ſe recipit, nil de inani iſto dogmate cogitantem. *Quemadmodum*, inquit, *Paulus ab Hieronymo dicitur nouiſsimus in ordine, primus in meritis, ita à contrario ſenſu eſt quia Petrus primus fuit in ordine vocationis, hinc primatum hunc ordinis inter alios eſt conſecutus.* Hieronymum audio aſſerentem Paulum *in ordine Apoſtolorum nouiſsimum, primum in meritis*: At contraria ratione aſſeuerantem Petrum primatum habuiſſe, quod eſſet ordine vocationis primus non audio; ſed hæc eſt inconſequens aduerſarij conſequentia, quã propterea nullo ſcrupulo repudiamus. Sequitur Auguſtinus, quem ſibi quoque addicit, *Quo etiam*, ait, *reſpexit Auguſtinus quando dixit Beatus Petrus primus Apoſtolorum, Beatus Paulus nouiſsimus Apoſtolorum.* Addit autem de ſuo, *In quo ergo*, inquit, *Paulus nouiſsimus, in eo Petrus primus.* At hîc duo certo certiora occurrunt. Primùm hunc ſermonẽ non eſſe Auguſtini quod nunc pluribus nõ probo, cũ omnes pro ſuppoſititiis habeant aduerſarij, niſi qui in aliis legitimis operibus Auguſtini inueniantur. Præterea Spalatenſis alio mentem flexiſſe huius concionatoris quam ipſe voluerit, Paulum namque nouiſſimum dixit, non quod ſerie temporis nouiſſimus eſſet, quanquam eſt hoc veriſſimum, ſed alia quadam ratione, quam ex ipſo Paulo hauſerat, *Verba tua*, inquit ille Paulum alloquens, *de prioribus factis tuis legimus in epiſtola tua, & perte te nouimus, Tu dixiſti, Ego enim ſum nouiſsimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus. Quare? quia perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Quo loco Paulus ſi penitius intueamur in eius mentem, non facit ſe minimum *ordine vocationis*, nam hoc ad ſummã eius humilitatem, quam tantoperè celebrant interpretes, parũ aut nihil conduceret, ſed minimum ſe facit *anteactæ vitæ indignitate, Quia*, inquit, *perſecutus ſum Eccleſiam Dei.* Quo nomine non ſolùm ſe eximio Apoſtolatus honore indignum iudicat, ſed etiam ſupplicio digniſſimum. At quid hæc ſpectant ad ordinem vocationis? Miror Cyrillum accerſiri teſtem, cùm quæ ille ſcripſit, dogma Spalatenſis euertant. Sic enim ille, *Cùm Saluator à Diſcipulis quæ-*

Hieron. epiſt 13. ad Paulinum.

Inter opera Aug. impr. Baſilien. ſerm. 41. de diuerſis p. 1660.

Lib. 12. in Ioan. c. 64.

reret, Vos autem quem me esse dicitis, Petrus vt Princeps caputque cæterorum, primus exclamauit, Tu es Christus filij Dei viui. Exaudítne sonũ potentíssimæ huius vocis aduersarius? An illi de primatu vocationis, aut authoritatis loqui videtur Cyrillus, *At*, inquit eius verba sunt, *responsio ei committitur, quia ordine maior erat.* An igitur quia Imperator in militum ordine primus loquitur, aut etiã respondet is solo ordine temporis, non verò dignitatis, ac authoritatis reliquis antecellit? Putat Spalatensis *ordinem* tempus notare, cùm maximè inter eos qui imperant, & qui parent eius ratio spectetur. Errantem eum in viam reducere potuerunt illa verba Cyrilli initio Capitis, vnde argumentum desumptum est, posita; *Per vnum*, inquit, *qui præerat* (designatione scilicet, non *actuali dignitatis possessione*, vt loquuntur in Scholis) *omnes respondent:* Seruati autem ordinis laudat Apostolos, *Quia*, inquit, *opus erat diuinitus comprobatæ prudentiæ soli responsionem committere illi qui ordine maior erat.* Hoc est ipso interprete *qui præerat*, nimirum tum ordo optimè seruatur, cùm inferiores respondendi prouinciam superioribus cõcedunt, quid hoc ad primatum vocationis? Quod verò vrget Spalatensis, *non sequi vt qui primus ordine sit & vocatione, primus item sit in potestate & iurisdictione.* Respondemus non sequi in vniuersum, fieri enim proculdubio potest, vt ordine & vocatione primus, iuxta sensum Spalat. cæteros potestate & iurisdictione non antecellat, cuius rei exemplũ in Ecclesiæ inferioribus ordinibus apparet, sed in subiecta materia planè sequi; vt enim fateremur Petrum ordine temporis fuisse primum, quod tamen ab aduersario hactenus non est confectum, præterea addendus esset alius, *Primatus dignitatis, & authoritatis*, quippe qui ex Christi verbis toties repetitis colligatur. Opponit Chrysostomum sic differentem, *Verum ordinis duntaxat honos est verbum id primum, neque enim superiores partes in hoc obtinet* (*Iudæus supra Græcum*) *quod maiorem iustitiam acceperit, sed in hoc solùm honoratur, quod primus eam acceperit.* Et paulò pòst, *Igitur hoc loco primum, verbi honos est, non gratiæ abundantia.* Deinde sic argumentatur, *Primitas ergo hæc secundum Chrysostomum* (viro eloquentissimo barbariem effingit) *nescio quid honoris secum fert non potestatis.* Respondeo, Chrysostomus confert Iudæum cum Græco in susceptione Euangelij, & quo sensu dictum sit ab Apostolo, *Virtus enim Dei est, in salutem omni credenti, Iudæo primũ & Græco*, verſat atque particulã, *Primum*, quæ nonnihil detrahere Græcorum gratiæ videretur explicat, & homo Dialecticis disciplinis in Schola Patrũ Societatis Iesu imbutus, ad Petri primatum suprà Apostolos euertendum flectit & torquet? Quàm acutè? Chrysostomus quod exploratum haberet τὸ πρῶτον, quo vocabulo vsus est Paulus, τῆς διαφορᾶς indicium esse, atque inter superiores & inferiores vsurpari, monet eo loci honoris tantum esse, non potioris cuiusdam excellentiæ verbum. Cumque exemplum subiecisset de accedentibus ad baptismum, quorum qui prior immersus fuisset & lotus, non potiorem quã qui subsecuti essent gratiã fuisset consecutus, addidit τὸ τοίνυν πρῶτος ἐνταῦθα ῥήματος ἔστι τιμῆς οὐ χάριτος πλεονασμός. *Igitur hoc loco* (aduerte ἐν ταῦθα) PRIMVM *verbi honos est, non gratiæ abundantia.* Annon igitur ignoratissimè faciat, qui ex hoc loco Chrysostomi colligat, *Primum* vbique honoris non potestatis esse vocabulum? Consulat Calepinum, is eum docebit non solùm πρῶτον Græcum vocabulum, sed etiam *Primum* Latinum quandoque idem valere ac verbum *Princeps*, testémque dabit illi ipsum Principem Poëtarum:

Prima quod ad Troiam pro charis gesserit Argis.

Eod. Num. 10. Chrys. in ep. ad Rom. hom. 2.

Rom. 1. ver. 16.

Æneid. 1. Prima exponit Seruius Princeps.

At,

At, inquit, *ſolius honoris non poteſtatis primatum, ſeu prælationem tribuit Petro, quando ait, Petrum cùm dico Petram nomino indebilem, crepidinem immobilem, Apoſtolum magnum, primũ diſcipulorum, primum vocatum, & primum obedientem,* Infœliciſſimè pugnat. Probandum ſumpſerat ſolius honoris non poteſtatis primatum tribuiſſe Petro Chryſoſtomum, & locum adducit in quo eum dixerit, *Primum vocatum, & primum obedientem.* Igitur ne magnus eſt dialecticus, qui ex propoſitionibus quas ſimplices categoricas vocant excluſiuas componat? Demus Chryſoſtomum aſſeruiſſe Petrum vocatione fuiſſe primum, an proinde fas fuerit ſic collegiſſe: Ergo ſola vocatione primus eſt? An non potuit qui primus eſſet vocatione, primus quoque eſſe authoritate? Num hęc pugnant? Quàm eſt importunus? Potius vtrumque Petro aſſeruiſſe, Chryſoſtomum (ſi tamen primatum vocationis, de quo agitur, agnoſcit) didicerit ex his quæ eodem loco habentur. Πέτρος, inquit, ὁ κορυφὴ τῶν ἀποστόλων, ὁ πρῶτος ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ, ὁ φίλος Χριστοῦ ὁ τῶν ἀποκαλύψεων παρὰ αὐτοῦ πρώτων μὴ δεξάμενος, &c. *Petrus ille Apoſtolorum princeps, in Eccleſia primus, amicus Chriſti qui reuelationem ab hominibus non accepit, ſed à Patre ſicut ipſe Dominus teſtimonium reddit. Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt.* Namque ſequitur proximè apud Chryſoſtomum, *Petrum cùm dico Petram nomino infragilem, crepidinem, immobilem, Apoſtolum magnum, principem Apoſtolorum, primum vocatum, & primum obedientem.* Vides vt hæc omnia pulchrè oratione complectatur, vides vt confeſſionem quam ediderat Petrus fulcrum, & baſim fecerit omnium honorũ, qui vnquam Petro obtigerint, vt ſiquidem eum voluerit eſſe vocatione primum, in eo primatu non conquieuerit, ſed præterea primatum eximiæ dignitatis, & authoritatis agnouerit. Quid enim, quod dixit, ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρῶτον fuiſſe, de primatu vocationis interpretabimur? Apage iſtas ineptias, *principem* quoque dixit *Apoſtolorum*, quo nomine aliquid amplius ſignificari, quàm primò vocatum, omnino apparet. Neque verò etiam primatum illum ſuum vocationis, ex loco quem profert Chryſoſtomi rectè colligit. Is enim Commentariis in Matthæum Andream ſimul vocatũ, ſimul obedientem cum Petro fratre deſcribit. *Perpende*, inquit, *fidem & obedientiam vocatorum* (Petri & Andreæ) *& cognoſces quàm dulcis ſit piſcatio, ſi quidem in medio ipſius operis conſtituti, cùm illum audiſſent iubentem nihil diſtulerunt, nihil omnino cunctati ſunt, non dixerũt reuertemur domum, loquemur propinquis, ſed cuncta illico relinquẽtes fecerunt quod Heliſæus quoque ſub Helia legitur impleuiſſe.* Neque quidquam diſcriminis ponit inter vtrumque, neque Petrum Andreæ anteponit, vt nec Andream Petro. Nec tamen pugnantia dixit, etſi Petrum loco ab aduerſario verſato primum voluerit vocatum, & primum obedientem, cum reliquis enim illum confert, quos ſocios non habuerit prioris illius vocationis, non cum fratre qui etiam, vt ſupra monuimus, author ei fuerit primum conueniendi Chriſtum. Et quidem ſi ambo primi vocati ſunt, cùm in hoc numero Petrus ſit, vtique primus vocatione appellari potuit, vt & ipſe Andreas. Nec enim hæc pugnant Petrus, primus vocatus eſt, Andreas primus vocatus eſt, quod ſcilicet ſimul primi vocati ſint. Itaque cùm alter illorum dicitur *primus*, comparatione reliquorum dicitur, non comparatione fratris, hos enim Chryſoſtomus non diuidit, aut diſiungit. Iam ad Triarios res rediit.

Euod. num. 2. Chryſ. de Pœn. Hom. 3.

In cap. 4. Matth. Hom. 14.

Non latuit Auguſtinum, inquit Spalatenſis, *hic Petri primatus in ordine vocationis, ait enim, Petrus in Apoſtolorum ordine primus, in Chriſti amore promptiſſi-*

Spalat. Num. 11. Aug. ſerm. in de verbis Domini.

mus, ſæpè vnus reſpondit pro omnibus, vnus pro multis dedit reſponſum, vnitas in multis. Et paulo poſt; In illo ergo vno Apoſtolo, id eſt, Petro in ordine Apoſtolorum primo & præcipuo, in quo figurabatur Eccleſia, vtrumque genus ſignificandum fuit, id eſt firmi, & infirmi, quia ſine vtroque non eſt Eccleſia. Quid mirum igitur, ſi qui primus erat in ordine inter Apoſtolos veluti primus vocatus; hinc etiam interdum caput diceretur. Greg. ep. 53. ind. 2. lib. 7. *Certè Gregorius ex hac ordinis primitate capitis nomenclaturam libenter poſuit, vbi Nicænam Synodum reſpectu aliarum trium generalium illam ſubſequentium primam, caput earum vocat, ſic enim ait; Nam & nos præcedentes Patres ſequi debemus, qui authore Deo, à ſacra doctrina illorum non diſcordamus. A capite itaque incipientes, vſque ad quartum altaris miniſtrum, hanc formam ſeruandam agnoſcimus, & ſicut minorem maior præcedit in honore, ita, &c.* Atqui primum præterquam quod Auguſtinus de primatu Petri, & quidem verbis honorificentiſſimis loquitur, vt alibi oſtendimus, hic mirum eſt de *primatu vocationis* ſilentium. Nam quod dicit *eum in ordine Apoſtolorum primum*, ad ordinem *præſtantioris dignitatis & poteſtatis*, non ad *primatum vocationis* referri debet, quod vt ipſe perſuaderet non contentus eum vocaſſe primum in ordine Apoſtolorum. Præcipuum etiam dixit; *In illo ergo vno Apoſtolo*, id eſt Petro, inquit, *in ordine Apoſtolorum primo & præcipuo, &c.* Itaque concidit tota illa moles argumentorum, malè inſtructorum quibus oppreſſum voluit, & extinctum Petri principatum Spalatenſis. Neque iam fas ei fuerit in hac diſputatione de capitis acceptione ex malè compactis, ac ad primatum vocationis ineptè accommodatis ratiunculis argumentari. Facilè verò (fatemur) fuerit oſtendiſſe *caput* aliquando *initium rei* ſignificare, ſed multo vberior ſeges argumentorum occurrit probare volentibus, *caput* pro *principe* vſurpari. Hæc verò ad hanc diſputationem non pertinent, quare ad alia properemus. Tertullianum etiam teſtem adhibet Spalatenſis: *Prioritatem hanc, & poſterioritatem*, inquit, *ratione ordinis ex vocatione inter Apoſtolos, conſideruit optimè ante hos etiam Tertullianus: vbi de Luca Euangeliſta loquens, ſic ait; Porrò Lucas non Apoſtolus, ſed Apoſtolicus, non magiſter, ſed diſcipulus, vtique magiſtro minor, certè tanto poſterior, quanto poſterioris Apoſtoli ſectator Pauli ſine dubio. Quis non videt hic rationem haberi tantummodo temporis vocationis, quia enim Paulus nouiſſimus eſt vocatus à Chriſto ad Apoſtolatum; certè Lucas erit hoc nomine inferior Marco, quippe ille diſcipulus vltimi Apoſtoli Pauli, hic verò diſcipulus primi Apoſtoli Petri, ſed quamuis Marcion hinc detraheret fidem Euangelio Lucæ; docet tamen Tertullianus illum decipi; quia Pauli authoritas, & certitudo quam habebat de ſuo Euangelio, maximè poſt collationem habitam cum Apoſtolis, fidem plenam conciliabat Euangelio Lucæ, Pauli diſcipuli. Aduerte quæſo obiter Lector, &c.* Ego quidem audio à Tertulliano Paulum dictum poſteriorem Apoſtolum, ratione ſcilicet temporis & vocationis. At Petrum *ſola vocatione* priorem Apoſtolum, dictum non audio. Deſtitui ſolidioribus argumentis oporteat, qui his futilioribus vtatur. Pergit, *Ex hoc primatu ordinis & vocationis, nec non ætatis ſimul, illud conſecutus eſt Petrus, vt inter reliquos Apoſtolos locum haberet, quaſi Decani inter Cardinales, & primogeniti inter fratres. Quis verò ignorat primogenitos, vbi hereditas ad ſolos primogenitos non ſpectat, hoc eſt maximos natu habere quandam prælationem inter fratres, fraternam quidem non deſpoticam, neque iuriſdictionalem; nam ſolo honore primogenitus, & fortaſſe aliqua ſuperintendentia quantam ipſi fratres ei permittunt, & concedunt in regimine domus, & hereditatis ſolet*

præcedere

Conſule primum caput quo ſexcentis locis probauimus, caput principem ſignificare.

SPALAT. Num. 12. Tertul. li. 4. aduerſus Marcionē.

Gal. 2.

SPALAT. Num. 13.

præcedere mortuo, ſeu abſente patre reliquis omnibus in optima ætate conſiſtentibus. Ita Ruben primogenitus inter filios Iacob, hoc pacto alloquitur ſuos fratres, quando Ioſeph perierat apud Chryſoſtomum. Puer non comparet, & ego quo ibo? Qualem habebimus defenſionem, & maximè ego qui vobis præeſſe videor? Non diſsimili ratione Epiſcopalem propriam prælationem comparat, idem Chryſoſtomus prælationi primogeniti inter fratres dum ait, omnes enim nos fratres ſumus, vnus autem eſt noſter magiſter, quamquam & inter fratres fas eſt, vt vnus præſcribat, & cæteri obtemperent. Vt ineptiſſimam Petri cum Decano Collegij comparationem ſuo loco profligandam præteream, hic proprio ſeſe ingulat gladio Spalatenſis; quippe qui primogenitorum iura, qualia olim in lege erant ad Petrum magna imprudentia trahat. Igitur veluti ex compacto rem tranſigamus. Tu Spalatenſis vis Petrum, adeóque Pontificem in iura tranſiiſſe primogenitorum. Atqui primogenitus non ſolùm in diuiſione hereditatis paternæ præponebatur cæteris filiis *accipiendo duas partes, & de bonis paternis cuncta duplicia*, ſed præterea quod ad honorem & dignitatem attinet, habebat quaſi regalem quendam principatum atque dominatum in omnes fratres: ergo pari ratione & Petrus & Pontifex non ſolùm potiori parte hereditatis Chriſti potiri, ſed & regalem quendam principatum ac dominatum inter fratres obtinere debent, hic inter Epiſcopos, ille inter Apoſtolos. Habuiſſe autem primogenitum regalem quemdam principatum ac dominatum ipſæ ſcripturæ loquuntur, vt opus non ſit confugere ad Chryſoſtomum de Ruben Iacobi primogenito diſſerentem. Iſaac enim Iacob quem opinionis errore putaret eſſe Eſaü, primogenitum conſtituens, his eum verbis affatur. *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini, & ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus: Eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ: qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus, & qui benedixerit tibi benedictionibus repleatur.* Vt igitur cætera omittamus, comprehendit hæc benedictio præſtantiam domeſticæ cuiuſdam dominationis & dignitatis ſuper alios fratres, qui primogenitum fratrem non ſecus ac parentem aut dominum reuerituri atque honoraturi eſſent. Igitur ſi hæc iura primogenitorum conceſſerit Petro, & Pontificibus Romanis Petri ſucceſſoribus, auguratur animus futurum, vt per eum fatales iſtæ diſcordiæ quæ Eccleſiam turbant ac incendunt, conſopiantur & reſtinguantur. Vt autem animum inducat meminiſſe illum oportet frendenti Eſaü, ac pro recuperanda prærepta ſibi benedictione eiulanti reſpondiſſe Iſaac, *Dominum tuum illum conſtitui*, Iacob ſcilicet, *& omnes fratres eius ſeruituti illius ſubiugaui, viues in gladio, & fratri tuo ſeruies, &c.* Hæc certè longè ampliorem & auguſtiorem dignitatem ac dominatum requirunt, quàm qui ſit Decani in Cardinales. Quod autem vrget ex Chryſoſtomo, *omnes nos fratres eſſe*, facilè ſoluitur ex conſequentibus verbis ab eo etiam recitatis: *Quanquam*, inquit, *& inter fratres fas eſt, vt vnus præſcribat, & cæteri obtemperent.* Permittat ergo Spalatenſis Petro, permittat Pontifici ſummum rerum iudicium, & ſibi ac ſui ſimilibus obedientiæ gloriam relictam agnoſcat. Sinat inquam illum imperare, & Eccleſiæ gubernacula tractare, quam Chryſoſtomus *anteſignanum eximium & Coryphæum diſcipulorum* vocarit; Patiatur eum primas tenere in populo Dei, quem magnus Cyrillus *ordine maiorem* prædicarit. Hæc enim, vt oſtendimus, Primatum quemdam, Primatu vocationis altiorem comprobant ac commonſtrant, quo efloruerit Petrus à

Geneſ. 37. Chryſoſt. hom. 61. in ca. 37. Gen. Idem Chry. hom. 1. in Act. Apoſt.

Deut. 21.

Chryſoſt. hom. 37. ad ca. 37. Gen.

Geneſ. 27.

Ibidem.

SPALAT. Num. 13. Εστ [N] καὶ ἐν ἀδελφοῖς ἵνα ὑποτάσσῃ ἡ τὸν ἄλλους πείθεται. Chryſoſt. hom. 1. in Epiſt. ad Rom. & hom. 87. in Ioan. Cyril. lib. 4. in Io. c. 28.

Digitized by Google

Christo Ecclesiæ caput impositus. Veniamus iam ad Primatum charitatis.

Et quidem Petrum summo erga Christum amore flagrasse, nec facilè vlli discipulorum hac in parte concessisse non inuiti agnoscimus, cùm summus iste amor etiam nostram fulciat sententiam, sed cùm de primatu agitur illum ipsum amorem in causis antepositis non proximis & vt vocant immediatis numeramus. Obscura tamen est quæstio, & dissidentium Theologorum contrariis sententiis versata, *Num absolutè Petrus omnes omnino & singulos Apostolos charitate in Christum anteuerterit?* Qui à Spalatensi afferuntur, Ambrosius, Cyrillus, Chrysostomus, Eusebius, & Bernardus asserentem partem defendere videntur: Contrà Hieronymus pro Ioanne acerrimè pugnat, cúmque decus virginitatis (quam *Ecclesiastici germinis florem*, adeóque *gregis Christi illustriorem portionem* vocat Cyprianus) propugnandum aduersus Iouinianum suscepisset, Petro coniugato, cœlibem ac virginem anteponit Ioannem, ac Christo chariorem fuisse contendit, quo planè significat etiam magis dilexisse. Verba eius sunt, *Ioannes vnus ex discipulis qui minimus* (natu scilicet) *traditur fuisse inter Apostolos, & quem fides Christi virginem receperat, Virgo permansit, & ideo plus amatur à Domino, & recumbit super pectus Iesu. Et quod Petrus qui vxorem habuerat interrogare non audet, illum rogat vt interroget; & post resurrectionem nunciante Maria Magdalene quod Dominus resurrexisset, vterque cucurrit ad sepulchrum, sed ille præuenit: Cúmque essent in naui, & piscarentur in lacu Genesareth, Iesus stabat in littore, nec sciebant Apostoli quem viderent, solus virgo virginem agnoscit, & dicit Petro, Dominus est, &c. Si autem obnixè contenderit Ioannem virginem non fuisse, vt nos amoris præcipui causam virginitatem diximus, exponat ille si virgo non fuit, cur cæteris Apostolis plus amatus sit?* Hæc Hieronymus pro *Ioanne*. Astipulari videtur Tertullianus vetustissimus scriptor, atque Petro quidem eminentiorem potestatem, sed Ioanni feruentiorem vendicare amorem; *Latuit*, inquit, *aliquid Petrum ædificandæ Ecclesiæ Petrum dictum, claues regni cælorum consecutum, & soluendi & alligandi in cœlis & in terris potestatem? Latuit aliquid Ioannem dilectissimum Domino pectori eius incumbentem, quem loco suo filium Mariæ commendauit?* Itaque haud facilè dixeris, cui sit hæc palma amoris in Christum adiudicanda.

Spalat. Num. 15. 16. 17. 18. & 19.

Cypr. li. de disciplin. & habit. virg.

Ipse sanctus Thomas cùm perplexam hanc quæstionem attigisset, vt erat summa modestia, noluit nodum soluere, ne in hac varietate opinionum magis in hos quàm in illos inclinasse, atque alteri parti præiudicasse videretur. Ascribá eius verba. Cùm probandũ sumpsisset, *Deum semper meliora diligere*, hoc argumentum in sese instruxit: *Petrus melior fuit Ioanne, quia plus Christum diligebat; vnde Dominus sciens hoc esse verum, interrogauit Petrum dicens, Simon Ioannis diligis me plus his? Sed tamen Christus plus dilexit Ioannem quàm Petrum; vt enim dicit Augustinus super illud, Simon Ioannis diligis me, hoc ipso signo Ioannes à cæteris discipulis discernitur, non quòd solùm eum, sed quòd plus eum cæteris diligebat; non ergo semper diligit meliora.* Ne autem cessisse argumento videretur sic respondit; *Dicendum quod hæc dubitatio de Petro & Ioanne multipliciter soluitur: Augustinus namque refert hoc ad mysterium dicens, quod vita actiua quæ significatur per Petrum plus diligit Deum, quàm vita contemplatiua quæ significatur per Ioannem, quia magis sentit præsentis vitæ angustias, & æstuantius ab eis liberari desiderat, & ad Deum ire. Contemplatiuam verò vitam Deus plus diligit, quia magis eam conseruat. Non enim finitur simul cum vita corporis, sicut vita actiua. Quidam verò*

D. Tho. 1. p. qu. 20. ar. 3. in resp. ad tertium.

Aug. tract. vlt. in Ioan.

Digitized by Google

verò dicunt quod Petrus plus dilexit Chriſtum in mẽbris, vt ſic etiam à Chriſto plus fuit dilectus, vnde ei Eccleſiam commendauit; Ioannes verò plus dilexit Chriſtum in ſeipſo, & ſic etiam plus ab eo fuit dilectus; vnde ei commendauit matrem. Alij verò dicunt, quod incertum eſt quis horum plus Chriſtum dilexerit amore charitatis, & ſimiliter quem Deus plus dilexerit in ordine ad maiorem gloriam vitæ æternæ. Sed Petrus dicitur plus dilexiſſe, quantùm ad quandam promptitudinem vel feruorem; Ioannes verò plus dilectus quantùm ad quædam familiaritatis indicia, quæ Chriſtus ei magis demonſtrabat propter eius iuuentutem & puritatem. Alij verò dicunt, quòd Chriſtus plus dilexit Petrum, quantùm ad excellentius donum charitatis; Ioannem verò plus quantùm ad donum intellectus: vnde ſimpliciter Petrus fuit melior & magis dilectus; ſed Ioannes ſecundum quid. Præſumptuoſum tamen videtur hoc diiudicare, quia vt dicitur Prouerb. 16. ſpirituum ponderator eſt Dominus, & non alius. Memoriæ proditum eſt Alexandrum cùm impenſius amaret, ac eximia quadam beneuolentia cõplecteretur Ephæſtionem & Craterum duos exercitus ſui duces apprimè nobiles, atque ab his quoque redamaretur, dicere ſolitum, *Craterum quidem Regem amare, Ephæſtionem verò Alexandrum*: hoc fortaſſe non ineptè ad Petrum & Ioannem flexiſſe fas fuerit, ad eam ſententiam illuſtrandam, in qua diſtinguitur *Petrum plus dilexiſſe Chriſtum in membris, vnde ſit ei Eccleſia commiſſa, Ioannem in ſeipſo, vnde ſit ei mater commendata.*

Sed demus Petrum maiore charitate fuiſſe in Chriſtum quàm Ioannem; quis proinde in animum induxerit primatum Petri, quem Scriptura & Patres tantoperè celebrant, in ſummi illius amoris prærogatiua poſitum eſſe? Si diceret Spalatenſis hunc ſummum amorem *in cauſis*, & quidem *antecedentibus*, ac *præpoſitis* numerandum, non repugnaremus; ſed ferendus in eo non eſt quod aſſerat *præciſam*, & vt vocant *formalem rationem primatus* Petri, in hac charitatis præſtantia poſitam eſſe. Certè ipſæ Scripturæ, ipſique Patres quos oppugnandos magis quàm explicandos ſuſcepit, aliud docent. Et quod ſcribit hanc eis fuiſſe cauſam cur Petro tantùm tribuerent, tam eſt abſurdum quàm falſum, & ab omni non ſolùm veritate, ſed etiam veriſimilitudine alienum eſt, *Apoſtolos Petrum ſuum principem feciſſe*; vt verò alicuius ponderis eſſet Anacleti epiſtola quam laudat, facilè reſponderi poſſet id eodem ſenſu ab eo dictum, quo dicitur antiquiora Concilia ei tribuiſſe primatum. Hæc enim doctè Nicolaus I. eò refert, vt exiſtimemus & Concilia & Patres, adeóque ipſos Apoſtolos Petro attributam à Chriſto poteſtatem veneratos fuiſſe. Atque quidem non aliò ſenſu accepiſſe hunc ipſum Anacletum, iſta produnt ex epiſtola tertia: *Hæc ſacroſancta Romana & Apoſtolica Eccleſia*, inquit, *non ab Apoſtolis*, (audiſne Marce Antoni) *ſed ab ipſo Domino Saluatore noſtro primatũ obtinuit, & eminentiam poteſtatis ſuper vniuerſas Eccleſias, ac totum Chriſtiani populi gregem aſſecuta eſt, ſic, vt ipſe beato Petro Apoſtolo dixit, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petrã ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Itaque falſum falſiſſimũ quod aſſumit Spalatenſis, huius Anacleti ſententia niti *primatum Petri, ordine vocationis, & feruore charitatis, ac prædicationis & delatione*, vt loquitur, *voluntaria Apoſtolorum.* Quare quòd dixit, *voluiſſe Apoſtolos Petrum principem ſuum eſſe*, ſenſu Nicolai accipiendum eſt annuiſſe ſcilicet eos, ac paruiſſe Chriſti decreto, quo ſanxiſſet Petrum pro capite Eccleſiæ ſuæ omnibus omnino fidelibus habendum, colendum & obſeruandum. Quod ex Auguſtino, Ambroſio & Cyrillo hic retexit, ac importunius repetit, diſpunximus ſuprà. Operam itaque luſit Spalatenſis toto hoc capite, atque ne hilum qui-

Inter epiſt. Anacl. ep. 3.

Spalat. Num. 17.

Num. 18.

dem, quod illi eſt ſolemne, profecit. Efficere tentauit Petrum omnibus Apoſtolis natu maiorem fuiſſe; At dubia res eſt, potiſſimum verò ſi cum Andrea conferatur, quem multi doctiſſimi viri ætate ſuperiorem fecerint. Conſtituerat ſibi probandum Petrum omnes vocatione anteuertiſſe, id nos falſum eſſe comprobauimus. Poſtremò aſſumpſerat Petrũ cæteris Apoſtolis amore in Chriſtũ excelluiſſe, probauimus verò diſſidere ac diſceptare de eo Patres, ac proinde problema eſſe Theologorum. Ac vt omnia quæ deſtinaſſet animo planè probaſſet, tamen in ætate, aut vocatione, aut etiam amore, quo præ cæteris exarſiſſet Petrus, primatus quem eſſet conſecutus, rationem præciſam & formalem ponendam eſſe, non effeciſſet; Ampliorem ſcilicet quandam dignitatem, ac longe auguſtiorem conſecutum fuiſſe Petrum, nos Patres omnes docent, quorum ſuis locis teſtimonia proferentur. Excutiamus ſequentia.

DISCVSSIO
SEXTI CAPITIS
LIBRI PRIMI.
DE SENSV HORVM VERBORVM, TV ES PETRVS.

CONSPECTVS CAPITIS.

In verbis, Tu es Petrus, &c. *non immeritò Catholicos maximum ſuæ cauſæ præſidium ponere: Ea ad Petrum proximè pertinere: Hanc ſententiam Orthodoxorum eſſe propriam: Expenduntur aliæ tres ſententiæ de ſenſu horũ verborum, quas Eraſmo, Caluino, ac Luthero tribuit Illuſtriſſimus Cardinalis Bellarminus: Conciliantur Patres qui eas ſententias primi inuenerunt, ac longè abfuiſſe à Sectariorum errore oſtenditur: Priorem quoque de primatu Petri amplexatos fuiſſe, ac propugnaſſe: Bellarminus & Barronius paſſim defenſi: Turrecremata quoque calumniis vindicatus.*

SPALAT. Num. 1. VERVM, *proprium, abſolutum, & maximum Petri primatum, quo ſolus omnes Apoſtolos ſuperauerit, vt confirment Monarchici noſtri Theologi, Neoterici innumera cogunt diuinæ Scripturæ loca; ex quibus dictum primatum diuino iure ad Petrum pertinere oſtendant.*

Caiet. tract. de Rom. Pontif. inſt. cap. 1. *Cajetanus tamen totam huius quæſtionis vim de Petri, & conſequenter de Pontificis Romani primatu in duobus ſacri Euangelij locis dicit conſiſtere. Ait enim, quia verò ex ſacris litteris pendet omnis quæſtionis huius veritas; & duo ſunt præcipuè textus, ſcilicet Matthæi 16. & Ioan. vltimo expreſsè de hoc myſterio loquentes: Ideo primò, iuxta vtrumque textum, inueſtigandum eſt, an ſoli Petro verba Chriſti dicta ſint, & an per hæc ſoli Petro Pontificatus totius Eccleſiæ à Chriſto ſit commiſſus.*

Ita

Ita Cajetanus. Quod ſanè adeò verum eſt, vt quicumque Romanam tuentur Hieromonarchiam, nihil ſæpius in ore habeant, quàm, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: Et, Tibi dabo claues regni cælorum. Et, Paſce oues meas, quid igitur his locis ac dictis intendatur; quid fiat, quid & cui committatur, eſt nobis iam exquiſitè indagandum. Et ſi his locis Chriſtus monarchiam non inſtituit in aliis minoribus, non erit multum laborandum; ſi quidem Cajetanus monarchicorum dux ex præcipuis; in his ſolis totam vim conſiſtere fateatur.

Primus & maximè inſignis locus, ex quo Petri primatus ſolet colligi diuino iure, hoc eſt Chriſti inſtitutione in ipſum collatus, eſt in Euangelio, vbi interrogat Dominus diſcipulos ſuos, Quem dicunt homines eſſe filium hominis, & reſpondentibus aliis variaſque hominum de Chriſto opiniones referentibus, denuò interrogat eos; Vos autem quem me eſſe dicitis? Tunc Petrus ſtatim erupit in verba illa nobiliſſimæ confeſſionis diuinitatis Chriſti, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Rependit ei vices Chriſtus, & ait; Et ego dico tibi, quia, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Hic iam nos Romani ſiſtere ſolemus & dicere: Petrum à Domino deſignari pro fundamento totius Eccleſiæ, quæ debeat eidem inniti; quemadmodum ædificium innititur fundamento: hoc eſt, ipſum Petrum ſolum deſignari in Rectorem & vniuerſalem totius Eccleſiæ, qui illam debeat, ſuo viſibili regimine ſuſtentare; ſicut fundamentum ſuſtentat totam domum. SPALAT. Num. 2. Matth. 16.

QVIM cum Tiberio Iudice, & arbitro Senatu Romano, vndecim Aſiaticæ vrbes pari ambitione pro templo Auguſti certarent, ac ſingulæ argumenta & inductiones proferrent, quibus illud ſuæ genti aſſererent, *paulùm addubitatum*, tradit Tacitus, *quod Halicarnaſſij mille & ducentos per annos nullo motu nutauiſſe ſedes ſuas, viuoque in ſaxo fundamenta templi adſeuerarent.* Iam non de Auguſti templo, ſed de Chriſti Eccleſia inter nos & Hæreticos magna animorum & ſententiarum contentione pugnatur; per mille & ſexcentos annos duraſſe noſtram viuo ſaxo, hoc eſt Petræ, ſuper quam hanc molem ædificaturum ſe pollicitus eſſet Chriſtus innixam oſtendimus. Hoc argumento non fragili & fluxo quale forte fuerit Halicarnaſſiorum, ſed ſolido & firmo, quippe quo ſancti Patres acerrimi veritatis vindices, ſint olim aduerſus hæreſes vſi, probamus penes nos eſſe viuum illud Dei templum: *Quò ſi quis non intrauerit, vel à quo ſi quis exierit, à ſpe vitæ ac ſalutis æternæ alienus ſit.* Quis ergo niſi paulò iniquior, addubitet hanc domum Dei viuentis agnoſci debere pro qua depugnemus? Non nutauit hæc fides per ſexcentos & mille annos, & erunt qui eam conuellere moliantur? Magno certè fragore & ſonitu id tentat Spalatenſis. Atqui ſtat dura ſilex immota, ſtat ædificium Chriſti, nullo impio conatu euertendum. *Probatio eſt ad fidem facilis*, inquit Cyprianus, *compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum; Ego dico tibi, quia, Tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non vincent eam: &, Tibi dabo claues regni cælorum.* Non diffitemur igitur præſidium omne Petri, hoc eſt ſummi principatus, quo eum ornauerit Chriſtus, hoc optimo & apertiſſimo teſtimonio maximè niti, ac in eo ferè cauſæ noſtræ firmamentum poſitum eſſe. Et ſanè iuuat cauſam noſtram aduerſarius. Certè, inquit, *verba Chriſti adeo ſunt arctata, & voculis indiuiduantibus ad vnum Petrum directa, vt nefas ſit ea à Petri perſona diuellere, & directè ad alios dirigere.* Dixerat hoc multò elegãtiùs magnus Baſilius, Poſtquam enim aduerſus Eunomium oſtendiſſet Petri ac Pauli, &

Apud Tacit.

Lact. lib. 4. cap. vlt.

Aug. contra Epiſt. fundamenti cap. 4.

Cypr. de virtut. Eccl. initio.

SPALAT. Num. 3.

omnium hominum vnam esse substantiam, licet diuersæ sint appellationes, atque eo argumento probasset appellationes haud solùm substantias, sed etiam proprietates, quibus singuli designarétur significare, vt exemplo rem illustraret, subiecit. [a] *Hinc est, vt cùm Petrum, nomen videlicet hoc audiamus, non substantiam eius intelligamus, &c. Sed earum proprietatum quæ circa ipsum inspiciuntur sensum concipimus. Illico enim per hanc vocem intelligimus Ionæ filium, qui fuit ex Betsaida, Andreæ fratrem, qui ex piscatore in Apostolatus ministerium vocatus est, qui quoniam fide præstabat Ecclesiæ ædificationem in seipsum recepit.* Nescio an quicquam illustrius pro hac sententia afferri possit. Hæc cũ solis luce clariora videret Spalatensis, non ausus est refellere, nutat tamen ac præfatur, nomen *Petræ* varias habere interpretationes & explicationes, quibus totum locum obscurare viribus omnibus conatur. Et primùm quidem cùm Bellarminum vexãdum sibi proposuisset, conqueritur illum cùm quatuor eius loci explicationes attulisset, secundam, tertiam & quartam quæ essent antiquorum Patrum, tribuisse Erasmo, Caluino, & Luthero. [b] *Non video*, inquit, *cur tres posteriores sententias maluerit tribuere Erasmo, Caluino & Luthero, quàm Catholicis Patribus etiam in Romana Ecclesia celeberrimis.* Nos vt prudentissimum Cardinalem omni noxa liberemus; Respondemus idcirco eas opiniones quas statim proferemus, non tribuisse Patribus, sed tum Erasmo, tum Caluino, tum Luthero, quod hæretici eas iam sibi proprias fecerint, repudiata (etiam confessione Spalatensis) vera, germana, & directa, & litterali, quam tamen illi ipsi Patres, qui tres istas posteriores inuexerunt, propugnarint, & defenderint constantissimè. Vt igitur fidem faciamus Lectoribus, repetendæ sunt ex Cardinali doctissimo illæ interpretationes. [c] *Prima*, inquit, *sententia Catholicorum est communis Patrum, scilicet illam esse Petrum, id est illam personam quæ dicebatur Petrus, non tamen vt persona erat particularis, sed vt pastor & caput Ecclesiæ. Secunda est Erasmi omnem hominem fidelem esse hanc Petram. Tertia Caluini Petram illam esse Christum. Quarta Lutheri fidem, seu fidei confessionem esse Petram, de qua Dominus eo loquitur.* Videamus iam num vera dixerit Cardinalis. Assero igitur eam esse iam Catholicorum propriam, quę per *Petram* de qua sit locutus Christus, cùm de ædificanda sua Ecclesia coram Apostolis differeret propriè, directè, ac præcisè intelligendũ esse Petrum censeat. Nititur autem his rationibus euidentissimis. Prima est quod cùm pollicitus esset Christus Petro fore, vt detracto Simonis nomine ei Cephas nomen imponeret, nusquam aliàs legimus ipsum eius nominis vim explicasse, sed vno hoc loco id factum accepimus; atqui ne quidem hoc loco explicatur vis nominis Cephas ceu Petræ, nisi quemadmodum in his verbis, *Tu es Petrus*, Apostolum designat, ita eundem in sequentibus, *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*; expresè significet & ostendat. Altera ratio est quod Christus eo loci vices omnino rependat Petro, atque ad insignem illam, & tantoperè laudatam confessionem quam de eo edidisset, respondeat, quandoquidem Petrum allocuturus hunc in modũ est præfatus. *Et ego dico tibi*, ceu vt habet Erasmus; *At ego vicißim dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Petrus autem illo suo responso, ac confessione duo quidem præstiterat; namque nomen, vt vocant, appellatiuum Christi expresserat, *Tu es Christus*, & vim eius nominis indicarat, *filius Dei viuentis*. Itaque vt res cohæreant, & antithesis suos expleat numeros, par est credere Christum non solùm extulisse vocem nominis, quod aliquando impositurum se dixisset, sed & vim ac energiam subindicasse.

Et

[a] Basil. adu. Eunom. lib. 2. Οτε γοῦν ἀκούσωμεν Πέτρου οὐ τὴν οὐσίαν αὐτοῦ νοοῦμεν ἐν τῷ ὀνόματι, &c. ἀλλὰ τὰ ἰδιώματα ἃ περὶ αὐτὸν θεωρεῖται καὶ ἔννοιαν αὐτοῦ λαμβάνομεν. εὐθὺς γὰρ ἐκ τῆς φωνῆς ταύτης νοοῦμεν Πέτρον, τὸν τοῦ Ἰωνᾶ καὶ ἐκ Βηθσαϊδᾶ, τὸν ἀδελφὸν Ἀνδρέου, τὸν ἀπὸ ἁλιέως τῇ διακονίᾳ καὶ ἀποστόλῳ προσκληθέντα, τὸν διὰ πίστιν ἑαυτῷ τὴν οἰκοδομὴν τὴν ἐκκλησίας δεξάμενον.

Num. 3. in fine.

SPALAT. Num. 4.

[b] Bellar. li. 1. de Roman. Ponti. c. 10.

[c] Eraſm ad c. 16. Matt Calui. li. 4. inſtit. c. 6. §. 6. Luth. li. de Poteſtate Papæ.

Eraſm. ad c. 16. Matt.

Digitized by Google

Et quidem nomen extulit cũ dixit, *Tu es Petrus*; Vim verò nominis aperuit, additis illis verbis, *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Vt igitur priore loco indicatur Petrus, ita quoque posteriore venit intelligendus. Tertia ratio est, quod nihil necesse habuerit Christus proloqui ac profari, *Beatus es Simon Barjona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, &c. Ego dico tibi*, nisi quæ erat veluti coronidis vice adiecturus, ad ipsum quoque Petrum pertinerent. Et quidem illa postrema verba; *Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque solueris, &c.* metaphoræ Petræ non rectè aptari possunt, nisi Petræ nomine, Petrum intellexeris. Quarta ratio; Esset valdè implicata & perturbata series verborum Christi, nisi, eodem tenore, orationem ad vnum Petrum flexisset: Siquidem enim hæc diuersitas inducitur ei dicendum fuit: *Tu scilicet*, Apostole, *es Petrus, & super hanc Petram*, id est supra me, *ædificabo Ecclesiam meam*; *Et tibi*, Petro Apostolo, *dabo claues regni cælorum.* Quis non videat hæc esse perturbatissima? Quinta ratio, pronomen *hanc* vna cum nomine *Petra* repetitum, innuere videtur de ea Petra sermonem esse, quam in anteposita propositione expresserat Christus. Atqui ea Petra, Petrus est Apostolus, quod si sermonẽ aliò torsisset Christus, adeóque ad se ipsum conuertisset, proculdubio ad omnem errorem funditus tollendum & eliminandum, id vel ipse nutu aliquo & signo expressisset, cùm hæc diceret, vel saltem postea Euangelistæ, in eius historiæ narratione explicassent, quod in re haud dissimili alio loco fecerunt. Cùm enim dixisset Christus, *Soluite templum hoc, & in tribus diebus ædificabo illud*, ne quis pronomen, *hoc* ad templum Salomonis referret, mentem expressit Christi Euangelista, *Hoc autem dicebat de templo corporis sui*, quod tamen hîc non facit. Sexta ratio eáque palmaria, Christus his verbis, *Tu es Petrus, & super hanc Petram, &c.* proculdubio ad nomen *Petri*, quod Simoni imposuisset, alluserit. Itaque si in nomine efferendo & explicando aliò quàm ad Petrum, ab eo est translata Petræ metaphora, non illum ornare, sed detrahere gloriæ eius, ac eam aut infringere, aut imminuere constituit. Cum enim ad nomen alicuius alludimus, & eum laude aliqua eximia ornamus ad vnum illum præclari nominis significatum flectimus, atque iam si alio torqueamus, aut iniuriam ei facimus, aut saltem, quadrare in eum, veluti inficiamur. Exemplo sint ista. Apud Vopiscum Probus *verè Probus* dicitur, & Carus *verè Carus*, si igitur de persona Probi, aut Cari accipis, in honorem illorum cesserit: at si dixeris cum Augustino; *Absalon perinde est ac pax Patris, at Christus est illa pax Patris*: Nonne vides veluti labem inuri Absaloni, quem hoc nomine indignum censeas? Itaque si cùm primùm nominis *Cephas*, quod Simoni imposuisset, vim explicauit Christus, aliò rẽ retulit quàm ad Petrum, illũ proculdubio insigni iniuria affecit, atque grãdi probro aspersit: Id enim fuerit ostendisse, non satis eius virtutes nominis splendori respõdere. Atqui constans est veterum Patrum sententia, Christum hoc loco Petrum, ob primò editam de se præclaram & admirandam confessionem, remuneratum fuisse, adeóque singulari quodam honore eum ornasse. Itaque propriè illum affatus est, atque eum esse Petram super quam ædificaturus esset Ecclesiam suam, apertè pronunciauit. *Dignum planè*, inquit Hilarius, *confessio Petri præmium consecuta est, quia filium Dei in homine vidisset, O in nuncupatione noui nominis fœlix Ecclesiæ fundamentum, &c.* Sed de his postea. His ergo rationibus nixi omnino arbitrantur Orthodoxi verum, genuinum, & maximè proprium sensum huius loci; *Et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: tum esse qui Petræ significatum ad Petrum Apostolum referat, cui sit hæc no-

Augustin. in Psal. 3.

Can. 26. in Matth. Matth. 16.

minis appellatio à Christo communicata, vt Ecclesiæ suæ caput eum spectabile faceret, eximia laude ornaret, & maximo munere bearet. Sed vnum præsidium ducunt Catholici à communi antiquorum Patrum consensu, qui vno ore, vno consensu, *Petrum* illam esse *Petram* prædicant. Neque eorum modò qui in Occidente floruerunt, sed,& eorum qui Orientis Ecclesias excoluerunt ea communis vox est. Incipiamus igitur ab illis,de quibus nulla possit esse suspicio impensius fauisse eos Pontificiæ causæ. Origenes quidem Græcorum longè doctissimus, hunc in modum loquitur; [a] *Vide magno illi Ecclesiæ fundamento, & Petræ solidissimæ, super quam Christus fundauit Ecclesiam, quid dicatur à Domino,& c.* Ac rursus interprete Hieronymo; *Petro cùm summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis ab eo nisi charitas exigitur.* Item apud Eusebium; [b] *Petrus super quem Christi Ecclesia,contra quam inferorum portæ non præualebunt; ædificata est, vnam epistolam omnium assseueratione approbatam, reliquit.* Basilius hanc & ipse amplectitur interpretationem: [c] *Illico*, inquit, *per hanc vocem, Petrus, intelligimus Ionæ filium, qui fuit ex Betsaida Andreæ fratrem, qui ex piscatore in Apostolatus ministerium vocatus est. Qui quoniam fide præstabat, Ecclesiæ ædificationem in seipsum recepit.* Item ad ea verba Esaiæ; [d] *Erit in nouissimis diebus manifestus mons Domini*, postquam ostendisset super Apostolos, tanquam supra montem ædificatam Ecclesiam, id peculiari ratione approbaturus in Petro. *Vnus*, inquit, *ex montibus erat Petrus, super quam Petram pollicitus fuerat Dominus suam se ædificaturum Ecclesiam.* Gregorius Nazianzenus. [e] *Vides quemadmodum ex Christi discipulis magnis vtique omnibus, & excelsis atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta in fidem suam accipiat ille impensius ametur, & supra pectus Iesu requiescat,ac reliqui discipuli eos sibi præferri æquo animo ferant.* Chrysostomus: [f] *Vt indicaret Christus quàm studiosè rem illam expeteret, quantáque passionis cupiditate teneretur, primum Apostolorum,* FVNDAMENTVM ECCLESIÆ, *principem cœtus discipulorum, idque cùm ex ignorantia loquutus, dixisset*, Propitius tibi esto Domine, *non erit tibi hoc; audi quid vocarit: Vade post me Satana, scandalum es mihi.* Rursus alio loco: [g] *Quid Petrus basis Ecclesiæ, ille vehemens amator Christi, ille sermone indoctus & Rhetorum victor, ille imperitus qui tamen philosophis obturauit os, ille qui Græcanicam sapientiam non aliter quàm aranearum telam dissoluit, qui terrarum orbem paragrauit, qui sagenam misit in mare, & piscatus est orbem, non habuit hic quoque vxorem? Sanè habuit.* Idem: [h] *Columna illa Ecclesiæ, illa fidei basis; illud Apostolici chori caput, Petrus, an non semel & iterum, & tertiò Dominum abiurauit?* Epiphanius: *Princeps Apostolorum Petrus*, inquit, *qui Dominum aliquando negauit. Qui quidem solidæ petræ instar nobis extitit, cui velut fundamento Domini fides innititur: supra quam Ecclesia modo omnibus extructa est. Imprimis quidem, quod Christum Dei viui filium esse confessus est, idque vicissim audiit: supra hanc solidæ fidei Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Idem in Anco-

[a] Orig. in ca.14. Exo. lib.5.

[b] Apud.Eus. lib.6. c.15. Græc.& 19. Latin.

Πέτρος δ' ἐφ' ᾧ οἰκοδομεῖται ὁ Χριστοῦ ἐκκλησία & πύλας ᾅδου οὐ κατισχύουσιν, μίαν ἐπιστολὴν ὁμολογουμένην κατελίπατο.

[c] Basil.lib.2. contra Eunomium.

Τὸν διὰ πίστεως ἐπερχόμενον ἐφ' ἑαυτὸν τῶν οἰκοδομῶν τῆς ἐκκλησίας λιθάδων.

[d] Basil. ad c.2.Esaiæ.

Ἐν τῷ ὀρέων λιθῷ ἐν Πέτρος, ἐφ' οὓς & πέτρας ὑπεγράψατο ὁ κύριος οἰκοδομήσειν ἐπὶ τῇ ἐκκλησίαν.

[e] Greg. Nazian. Basilij Achates orat. 26. de moderatione in disput. seruanda.

Ὅρᾳς τῷ Χριστοῦ μαθητῶν πάντων ὄντων ὑψηλῶν καὶ & ἐπαίνου ἀξίων, ὁ μὲ πέτρα καλεῖται, καὶ τῶν θεμελίων & ἐκκλησίας πιστεύεται, ὁ ἐ ἀγαπᾶται πλέον, καὶ ἐπὶ τὸ στῆθος & Ἰησοῦ ἀναπίπτει, ἐ φίλτατον εἶναι τοῦ διδασκάλου.

[f] Chrys. ad eos qui scandal. sunt, lib.1. Τὸν πρῶτον τῶν ἀποστόλων, & κρηπῖδα & ἐκκλησίας, & καρυφαῖον & χοροῦ & μαθητῶν, &c.

[g] Idem de verb. Esaiæ hom.4.

Τί ὁ Πέτρος, ὁ χριστὸς & ἐκκλησίας, ὁ ματαιὸς ἰχθυεὺς & Χριστοῦ, ὁ ἀπαίδευτος τῷ λόγῳ, ἐ ῥητόρων ὑπερίσταμενος, ὁ ἀκαθὴς, καὶ φιλοσόφων ἀποστομώσας στόμα τε, ὁ τὴν Ἑλληνικὴν σοφίαν, καθάπερ ἀράχνιον, διλύσας, ὁ & οἰκουμένην πεσὼν σαγήνην, ὁ σκηνοποιὸς & σκήνους, καὶ ἁλιεὺς & οἰκουμένης; οὐκ ἔσχε ἐ οὗτος γυναῖκα; καὶ ἔσχεν.

[h] Idem ho.2. de Pœn. in Ps.50. Ὁ στῦλος & ἐκκλησίας, ὁ χριστὸς & πίστεως, ὁ κορυφὴ τῶν χοροῦ & ἀποστόλων ὁ Πέτρος, ὁ ἀρνησάμενος & Ἰησοῦν καὶ ἅπαξ, καὶ δὶς, καὶ τρίς;

[i] Epiphan. aduers. Hæres.59. Καὶ ὁ φρονιμώτατος ἀνὴρ οὗτος ἅγιος Πέτρος, ἐ κορυφαιότατος & ἀποστόλων, ὃς χάριτι ἡμῖν ἀληθῶς στερεὰ πέτρα θεμελιοῦται τῶν πίστεως τοῦ κυρίου, ἐφ' ᾗ οἰκοδόμησεν ὁ ἐκκλησίαν ἐπί τε πρόσωπον. Πρῶτον μέν ὅτι ὁμολόγησε Χριστὸν & υἱὸν & θεοῦ & ζῶντος, ἐ ἔκλεισεν ὅτι ἐπὶ τῇ πέτρᾳ ταύτῃ & ὀρθῆς πίστεως οἰκοδομήσω μου & ἐκκλησίαν.

rato:[a] *Ipſe autem Dominus conſtituit eum primum Apoſtolorum Petram firmam, ſuper quam Eccleſia Dei ædificata eſt, & portæ inferorum non valebunt aduerſus illam. Portæ autem inferorum ſunt hæreſes & hæreſiarchæ: Iuxta omnem enim modum in ipſo firmata eſt fides, qui accepit clauem cælorum, & ſoluit in terra, & ligat in cælo.* D. Cyrillus;[b] *Diſcipulum inſtruit eum ſe eſſe qui cuncta etiam antequam fiant, nouit; nec Simon fore iam nomen ſibi, ſed Petrus prædicit, vocabulo ipſo commodè ſignificans, quod in eo tanquam in Petra, lapidéque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.* Theophylactus:[c] *Planus huius intellectus eſt: quia te habeo vt principem diſcipulorum, poſtquam me negato fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui poſt me* ECCLESIÆ PETRA ESSET FIRMAMENTVM.

[a] Idem in Ancorato. Ἐδει δὲ πρῶτον τὸν ἀποστόλων καὶ πίστεως ἑστιᾶσαι, ἐφ' ᾧ ἡ Ἐκκλησία τοῦ θεοῦ οἰκοδόμητο, ἣν πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύσουσιν αὐτῆς. πύλαι δὲ ᾅδου αἱρέσεις, καὶ οἱ αἱρετισταί.

Hæc ſunt & ampliſſima & veriſſima Græcorum Patrum teſtimonia, quibus nitimur cùm per Petram Petrum interpretamur. Conueniamus iam Latinos, qui cùm longè ante huius æui turbas floruerint, nullo partium ſtudio labo raſſe credi queant. Exordiamur à vetuſtiſſimo Tertulliano reuincente, ac refellente argumentũ hæreticorum, qui dicerẽt non omnia Apoſtolos ſciſſe.[d] *Latuit,* inquit, *aliquid Petrũ ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum, claues regni cælorum conſecutum, & ſoluendi & alligandi in cælis, & in terris poteſtatem* Magiſtrũ excipiat diſcipulus, Cyprianus:[e] *Petrus,* inquit, *ſuper quem ædificata* (*ædificanda* legunt alij) *à Deo fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens ait, Domine ad quem ibimus?* Item:[f] *Petrus quem primum Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam, &c.* Ac rurſus:[g] *Deus vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna ſuper Petrum Domini voce fundata.* Ac item:[h] *Loquitur illic Petrus, ſuper quem ædificata* (rurſus *ædificanda* legunt alij) *fuerat Eccleſia.* Item Hieronymus,[i] *Vt Plato princeps Philoſophorum, ſic Petrus Apoſtolorum fuit, ſuper quem Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt, &c.* Idem rurſus: *Secundum metaphoram Petræ rectè dicitur ei, Ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.* Zeno Veronenſis vetuſtus ſanè author,[k] *Non ſine ratione Simoni ſuper quẽ ædificauit Eccleſiam Chriſtus, Petrus nomen impoſuit.* Hilarius:[l] *O in nuncupatione noui nominis fœlix Eccleſia fundamentum, dignaque ædificatione illius Petræ quæ infernas leges, & Tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret.* Ambroſius in verſibus ab Auguſtino laudatis,[m]

Hoc ipſa Petra Eccleſiæ
Canendo culpam diluit.

[b] Cyrill. lib. 2. in Ioan. c. 12. Παιδεύει δὲ κεκλημένον, ὅτι θεὸς ὢν ἀγνοεῖν ἀδύνατος ἀδιδάκτου ἔχει τὴν γνῶσιν καὶ Σίμωνα δὲ οὐκ ἐκάλεσεν ἐπιτυχῶς, σημαίνων δὲ ἀπὸ τῆς πέτρας μετωνόμαζε Πέτρον, ἵνα αὐτῷ δὲ ἔμελλε τὴν ἁγίαν θεμελιοῦν ἐκκλησίαν.

Auguſtinus etiam etſi in aliam propendeat ſententiam, quæ hanc Petram Chriſtum facit, noſtrã tamen non reiicit, quam etiam ante editos ſuarum retractationum libros eſſet amplexatus. *Harum duarum ſententiarum,* inquit, *quæ probabilior ſit eligat Lector.* Sed extat celeberrimus locus pro Petro, & pro Eccleſia Romana in Pſalmo contra partem Donati; poſt enumeratos Sacerdotes, qui in Cathedra Petri ſucceſſiſſent. *Hæc eſt,* inquit, *illa Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Leo magnus:[n] *Manet diſpoſitio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine Petræ perſeuerauit, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non reliquit, ſic enim præ cæteris eſt ordinatus, vt dum Petra dicitur, dum fundamentum pronunciatur, &c. qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas, per ipſa appellationum eius myſteria noſceremus.* Proſper[o] Aquitanicus ſuo ſæculo eruditorũ eruditiſſimus,

[c] Theoph. ad 22. Lucæ: Τοῦτ' ἔστι, ὅτι ἐπειδὴ σὺ τῶν μαθητῶν ἐξαρχὸν ἔχω, εἶδε ἀξιοπιστούσης, καὶ ἐς μετάνοιαν ἐλθὼν, στήριξον τοὺς λοιπούς. τοῦτο δὲ προεσήμειωται ἡμῖν ὑπὲρ τοῦ ἐκκλησίας πέτρα καὶ σημαίνομαι.

[d] Tertul. de præſc. adu. hæret. c. 21. de Circunſ.

[e] Cyp. ep. 55. [f] Epiſt. 71. [g] Epiſt. 40. [h] Epiſt. 69. [i] Lib. 1. aduerſ. Pelag. cap. 4. [k] Serm. de Circunſ. [l] Hila. Can. 16. in Matt. 16. [m] In hym. [n] Leo ſerm. 2. in anniuerſ. aſſumpt. ſuæ ad Pontificatum, vide Epiſt. 89. cap. 1. [o] Proſp. Aquit. lib. 2. de vocat. gent. 18.

Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortißimam Petram, quæ ab illa principali Petra communionem, & virtutis ſumpſit, & nominis, hoc deſiderium ſemper habuiſſe, vt ei moriendi pro Chriſto conſtantia donaretur. En nubem teſtium, tum Latinorum, tum Græcorum pro Catholica ſententia; Et Spalatenſis illis etiam ſe annumerat, qui illam propugnant. *Hic*, inquit, *iam nos Romani ſiſtere ſolemus, & dicere Petrum à Domino deſignari pro fundamento totius Eccleſiæ, quæ debeat eidem inniti, &c.* Tu ne igitur Romanus mi Antoni? Audi Hieronymum cõtra Ruffinum, qui hoc ipſum iactarat: *Si Romanam ſuam fidem dicit, Catholici ſumus.* Excutiamus iam aliâs ſententias quas Eraſmo, Caluino & Luthero tribuit Cardinalis Bellarminus. Secunda igitur ſententia eſt omnem hominem fidelem eſſe hanc Petram. Hîc autem quærit Spalatenſis, quorſum eam tribuerit Eraſmo Cardinalis Bellarminus, cùm ea longe antiquiorum ſit Origenis & Ambroſij. *Certè*, inquit, *Origenes ſic ſcribit: Quod ſi nos quoque locuti, quod dicit Petrus; Tu es Chriſtus filius Dei viui, tanquam non accepta huius reuelatione à carne & ſanguine, ſed luce cordi noſtro illuceſcente, à Patre qui in cœlis eſt efficimur Petrus: Et nobis dicetur quod hunc ſermonem ſequitur, Tu es Petrus, &c. Petra eſt enim quiſquis Chriſti diſcipulus eſt, ex quo biberunt de ſpirituali conſequenti Petra: & ſuper talem Petram conſtruitur omnis Eccleſiaſtica doctrina, & ſecundum hanc, vitæ inſtitutio. In vnoquoque enim perfecto habente congregationem eorum, qui complent beatitudinem verborum, factorum & ſenſuum, eſt quæ à Deo ædificatur Eccleſia. Quid igitur nobis Eraſmum obiectat, vbi authorem habemus Origenem?* Reſpondeo id meritò feciſſe Bellarminum: namque ea opinio quam inuexit Eraſmus, proculdubio non eſt, aut Origenis, aut Ambroſij. Nam hi cùm dicerent quemuis fidelem Petram illam, aut eſſe, aut eſſe poſſe, ſic illam moralem & allegoricam expoſitionem inducebant, vt tamen docerent veram, genuinam, ac literalem interpretationem eſſe verborum Chriſti, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram*, quæ illa ad perſonam Petri referret. At Eraſmus ſuam interpretationem dicit eſſe germanam etiam expoſa litterali, quam Origenes tribus inſignioribus locis à me citatis, & Ambroſius paſſim conſtantiſſimè defendunt ac propugnant. Hoc igitur differunt Origenes, Ambroſius, & Eraſmus, quod hîc abſurdum eſſe cenſeat ſuper hominem Petrum ædificari Eccleſiam, Illi verò doceant id à Chriſto ſapientiſſimè factum. Meram autem allegoriam attigiſſe Origenem, ac ſolum ſenſum moralem eruiſſe, cùm diceret, *omnem fidelem eſſe illam Petram*, patet quia locis à nobis citatis aſſerit Petrũ fundamentum Eccleſiæ fuiſſe à Chriſto conſtitutum. Sic enim ait; *Vide magno illi Eccleſiæ fundamẽto, & Petræ ſolidißimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, quid dicatur à Domino, &c.* Item; *Cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum veluti ſuper terram fundaretur Eccleſia, nullius confeßio virtutis alterius ab eo niſi charitas exigitur.* Quod autem garrit Spalatenſis Origenem, *præmiſſo præambulo allegorico flexiſſe tãdem litteralẽ ad Apoſtolos*, tam eſt allegoricũ vt ſenſum effugiat, ac in eo turpiter errat, quod de Apoſtolis ſolis loquutũ exiſtimat Origenem. Etſi enim vt hanc ſuam allegoriam fulciret, & illuſtraret Ioannis & Apoſtolorum exemplum vſurpauit, tamen quis neſciat pronunciati indefiniti, ac illimitati exẽpla eſſe priuata & ſingularia? Per diſcipulum enim Chriſti Origenes, quẽuis Chriſtianum intelligit, ac planè cœcũ exiſtimo qui hoc non videat. Locum lege; *Si*, inquit, *dixerimus quemadmodũ dixit Petrus, &c. ſumus & ipſi quod fuit Petrus, &c. ſi nos quoque locuti quod dicit Petrus; Tu es Chriſtus filius Dei viui, tanquã nõ accepta huius reuelatione à carne*

Num. 2. in fine.

Hier. adu. Ruff.

SPALAT. Num. 4.

Orig. tract. 1. in Matth.

1. Cor. 10.

Orig. in c. 14. Exod. lib. 5.

Idem in c. 6. Epiſt. ad Rom. lib. 6.

SPALAT. Num. 5.

Orig. tract. 1. in cap. 16. Matth.

&

& ſanguine, ſed luce cordi noſtro illuceſcente à Patre qui in cœlis eſt efficimur Petrus. Et nobis dicetur quod huncſermonẽ ſequitur, Tu eſt Petrus, &c. Petra eſt enim quiſquis Chriſti diſcipulus eſt; (audis pronunciatum generale Marce Antoni) *ex quo biberunt de ſpirituali conſequente Petra: Et ſuper talem Petram conſtituitur omnis* 1.Cor.10. *Eccleſiaſtica doctrina, & ſecundum hanc vitæ inſtitutio. In vnoquoque perfecto habente congregationem eorum qui complent beatitudinem verborum, factorum & ſenſuum eſt quæ à Deo ædificatur Eccleſia.* Quia tamen duriorem hanc videri poſſe ſuam interpretationem non dubitabat Origenes, eam molire ſtudet exemplo Apoſtolorũ, *Quod ſi*, inquis, *ſuper vnum illum Petrum tantum ædificari totam Eccleſiam, quid dicturus es de Ioanne filio tonitrui, & Apoſtolorum vnoquoque?* Quod nimirum facilius eſſet iſtud de Apoſtolis perſuadere. Atqui poſt inductũ hoc exemplum perſeueraſſe Origenem in allegorico illo ſuo ſenſu, vidiſſet Spatenſis, ſi modo in Origene aliquid vidiſſet: ſic enim totum illum ſermonem claudit: *Proinde multi dicunt Seruatori, Tu es Chriſtus filius Dei viui, ſed non omnes qui dicunt hoc docent illud, nequaquam à carne & ſanguine accepta reuelatione docti. Sed ab Epiſcopo qui ex Cœlis conſequetur ea quæ dicta ſunt, vt Euangelij quidem ſcriptum habet ad illum Petrum, vt verò docet illius Spiritus ad quemuis* (audiſne Marce Antoni) *qui talis factus fuerat, qualis ille Petrus, ſiquidem nomen ducunt à Petro quicumque ſunt imitatores Chriſti, &c.* Hæc tam clara ſunt, vt pudeat pluribus cauiſſe Origeni, eiuſque veram ſententiam propugnaſſe. Nec obſcuriora ſunt quæ habet Ambroſius, ab aduerſario adductus: *Qui carnem*, inquit, *vicerit Eccleſiæ fundamentum eſt, & ſi æquari Petro non poteſt, imitari poteſt.* Vides feſtiuitatem allegoriæ, vides imitationem Petri propoſitã, vides dignitatis eius præſtantiam & excellentiam explicatam. Quod attinet verò ad Origenem, præter ſuam illam moralem expoſitionem, ſenſiſſe litterali interpretatione verba Chriſti propriè ad Petrum referenda eſſe, oſtenditur ex illis quæ nos ſupra adduximus, ad firmandam Catholicorum ſententiam. *Vide*, inquit, *magno illi Eccleſiæ fundamento & Petræ ſolidiſſimæ ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, quid dicatur à Domino, &c.* Item, *Cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum veluti ſuper terram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis ab eo niſi charitas exigitur.* Tertia ſententia eſt quæ Chriſtum vnam illam Petram prædicat, de qua ipſe dixerit, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Dolet Spalatenſi illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum eam tribuiſſe Caluino, quem iam infœlix homo defendendum ſuſceperit. Profert autem multa Patrum teſtimonia, qui cùm longè ante Caluinum ſcripſerint, eam tamen propugnauerint; Imprimis Auguſtini. Antequam autem excutiamus mentem Auguſtini, rurſus dicimus iure optimo eam ſententiam tribuiſſe Caluino Bellarminum, non Auguſtino. Nam Auguſtinus etſi poſteriorem hunc ſenſum perſequatur, & amplectatur, tamen priorem ſententiam tantùm abeſt vt damnet, vt etiam lectori eius eligendæ, ac ſequendæ libertatem relinquat. Caluinus verò impietatis arceſſit, qui alio quàm ad Chriſtum fundamenti rationem referant, quod nimirum ſcriptum ſit, *Fundamentum aliud* 1.Cor.3. *nemo ponere poteſt, præter id quod poſitum eſt Chriſtus Ieſus*. Quare longe ſit ab Auguſtino, qui neutram ſententiam improbarit. Iam igitur ad rem propiùs accedentes, dicimus Patres qui longè alia mente quàm Caluinus *Petræ* nomine hoc loco Chriſtum intelligunt, ad fundamenti *primi & maximi*, rationem, vt ſe ipſum explicat Auguſtinus, reſpexiſſe, ac propterea allegoricos verba Chri- In Pſal.84.

Ambroſius in Luc. c.9.l.6.

Orig. in c.16. Exod. lib.5.

Idem in c.6. ep. ad Rom l.6.

SPALAT. Num.7.

sti, *& super hanc Petram, &c.* ad eam retuliſſe, vt proinde nil officiat eorum expoſitio ſententiæ Catholicorum. Etſi verò proculdubio Auguſtinus ſententiam piam, Orthodoxam & Catholicam amplexatus ſit, vt Sanderus & Stapletonus duo Angliæ lumina agnoſcunt, tamen nec proprius nec plenus illius loci ſenſus eſt, quem maximè perſequitur: namque, vt rectè argumentatur Stapletonus, *licet prima, principalis, & abſolutè loquendo Petra Eccleſiæ Chriſtus eſt, nec primò, & principaliter, & abſolutè loquendo ſuper Petrum, aut aliquem hominem, ſed ſuper Chriſtum fundatur & ædificatur Eccleſia; tamen Chriſtus non eſt hæc Petra, illo videlicet loco à Chriſto deſignata. Dixit autem Chriſtus, ædificabo Eccleſiam meam ſuper hanc Petram. Hæc verba reſpondent prioribus, Tu es Petrus, & rationem reddunt quare ſit vocatus Petrus: ſicuti ſanè in Geneſi. Cùm dixiſſet Deus, Tu vocaberis Abraham, cauſam ſubiungit, quia Patrem multarum gentium conſtitui te; Et præterea non dixit hic Chriſtus, tua fides, aut confeſſio, aut beatitudo à Patre accepta eſt Petra, ſed perſonæ dicitur, Tu es Petrus, ſicuti perſonæ dicitur, Tu vocaberis Abraham, moxque infertur, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, ſanè quæ tu es (alioqui vana & falſa talis planè eſſet copulatiua coniunctio) ædificabo Eccleſiam meam.* Hæc doctiſſimus Stapletonus, ad quæ firmanda faciunt quæ ſunt ſuperiùs à nobis diſputata, vt probaremus verba, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, omnino ad Petrum referenda eſſe.* Excutiamus iam ſententiam Auguſtini, quem Magiſtrum Eccleſiarum doctiſſimum ipſe Celeſtinus Pontifex meritò agnoſcit, ac prædicat. Is igitur pluribus locis Chriſtum interpretatur Petram illam, ſuper quam fundata ſit Eccleſia. Sermone de verbis Domini, *Tu es Petrus, Simon quippe ante vocabatur,* inquit. *Hoc autem nomen ei vt Petrus appellaretur à Domino impoſitum eſt, & hoc vt ea figura ſignificaret Eccleſiam. Quia enim Chriſtus Petra, Petrus populus Chriſtianus, Petra enim principale nomen eſt, ideo Petrus à Petra, non Petra à Petro, quomodo non à Chriſtiano Chriſtus, ſed à Chriſto Chriſtianus vocatur. Tu es ergo, inquit, Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, id eſt ſuper me ipſum filium Dei viui ædificabo Eccleſiam meam, ſuper me ædificabo te, non me ſuper te.* Rurſus alio loco, *Vnde Petrus nomen accepit, non enim à Petro Petra, ſed Petrus à Petra, ſicut non Chriſtus à Chriſtiano, ſed Chriſtianus à Chriſto vocatur. Ideo quippe ait Dominus, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, Petra enim erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ædificaturus eſſet Petrus, fundamentum quippe aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Hæc Auguſtinus. Putat autem Spalatenſis nos adeo his teſtimoniis premi, & quaſi vinclis conſtringi, vt ea excutere aut effugere non valeamus. Reſponſum ſi quidem parat noſtro nomine, quo nos magis implicari oſtendat; fingit enim nos reſpondere *dicta ſua retractaſſe Auguſtinum*; quod ſanè verum non eſt, ac nobis imponit. Tantùm enim abeſt ab ea retractatione Auguſtinus, vt in ipſis retractationibus hanc maximè ſententiam propugnet. Alium verò callem inſiſtimus, ac reſpondemus equidem Auguſtinum hanc interpretationem probaſſe, ſed nec noſtram damnaſſe, verùm pro orthodoxa habuiſſe. Audiamus diuinum doctorem, qui cùm libro quem contra epiſtolam Donati ſcripſiſſet, non Chriſtum, ſed Petrum, Petram ſuper quam fundata eſſet Eccleſia interpretatus eſſet, rurſus hoc tractandum duxit. *In hoc libro,* inquit, *dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quod in eo tanquam in Petra fundata ſit Eccleſia, qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſibus beatiſſimi Ambroſij,*

Staplet. lib. 6. cap. 3.

Spalat. Num. 7.

Aug. ſer. 13. de verbis Domini.

Aug. tract. 124. in Ioan.

1. Cor. 10.

1. Cor. 3.

Spalat. Num. 8.

Aug. lib. 1. retract. cap. 21.

vbi

Digitized by Google

vbi de gallo gallinaceo ait, hoc, ipſa Petra Eccleſiæ canente culpam diluit; ſed ſcio me poſtea ſæpiſſimè ſic expoſuiſſe, quod à Domino dictum eſt; Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, vt ſuper hanc Petram intelligeretur quem confeſſus eſt Petrus dicens, Tu es Chriſtus filius Dei viui, ac ſi Petrus ab hac Petra appellatus perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc Petram ædificatur, & accepit claues regni Cælorum. Non enim dictum eſt illi, Tu es Petra, ſed tu es Petrus; Petra autem erat Chriſtus quem confeſſus Simon, ſicut eum tota Eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Harum autem duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior eligat lector. Hæc poſtrema ſummi viri verba, *Harum duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior eligat lector*, mentem eius denudant, oſtendúntque vtramque ſententiam pro orthodoxa habuiſſe Auguſtinum. Ipſe Spalatenſis, cùm monſtra ſibi finxiſſet, ac eorum interpretamentum impugnaſſet, qui cenſerent Auguſtinum ſententiam de Chriſto Petra dicto recantaſſe, ita hanc cauſam perorauit. *Hoc certè*, inquit, *non eſt retractare, vt patet.* Dicamus igitur eadem ratione ſuperiorem ſententiam quam in libro contra epiſtolam Donati probaſſet, nimirum *illam de Apoſtolo Petro, Petra dicto*, non mutaſſe. Quod enim addit Spalatenſis, *Auguſtinum potius hanc ſententiam quàm priorem ſe retractare, ſatis innuere*, commentum eſt hominis ſtudio partium ad delirium vſque laborantis. Quid enim habeant illa verba, *Harum ſententiarum, quæ ſit probabilior eligat lector*, ex quo coniici poſſit animum fuiſſe Auguſtino, hanc vel illam recantandi? At inquit Spalatenſis, *in hanc* de Chriſto *magis inclinat.* Nimirum quod Marcus Antonius non aduertit, aut non aduertiſſe ſe ſimulauit, cur in illum ſenſum procliuior eſſet Auguſtinus, multæ ſuberant cauſæ, quarum tamen nulla noſtram ſententiam poſſit labefactare. Primùm enim Genius fuit quidem Auguſtini, ac eius propria indoles relicto ſenſu hiſtorico, ſublimiores ſenſus, quos myſticos vocant, perſcrutari ac verſare, quod totis enarrationibus in pſalmos, adeóque tractatibus in Ioannem facere, nemo eſt tam in eius ſcriptis peregrinus qui non videat. Hoc igitur ſtudio rimandi ſenſus myſticos abreptus ſcripſit in Euangelium Ioannis, *Petrum & Ioannem* duas vitas figuraſſe ſingulos ſingulas, quarum vna ſit in fide, altera in ſpecie, vna in tempore peregrinationis, altera in æternitate manſionis, vna in labore, altera in requie, vna in via, altera in patria, vna in opere actionis, altera in mercede contemplationis, & illam quidem ſignificatam per Apoſtolum Petrum, hanc verò per Ioannem. Et cùm hoc explicandum ſumpſiſſet eius vitæ, *quæ in fide, in tempore peregrinationis, in labore, in via, in opere actionis, &c.* eſſet, non ſolùm *ærumnas, labores, miſerias, tentationes periculoſas*, ſed etiam *conſolationes, tum corporales, tum ſpirituales*, enumerandas duxit; *cumque peccatis quæ de huius vitæ infirmitate ſurrepunt*, (ſunt illius hæc omnia verba) *à Deo prouiſa eſſe, eleemoſynarum remedia ſalutaria, quibus fidelium adiuuaretur oratio, vbi eos dicere docuit Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris*, oſtendiſſet, ſubiecit; *Hoc agit Eccleſia ſpe beata in hac vita ærumnoſa, cuius Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum, gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Chriſtianus, abundantiore gratia vnus idemque primus Apoſtolus. Sed quando ei dictum eſt, Tibi dabo claues regni Cælorum, &, Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in Cælis; vniuerſam ſignificabat Eccleſiam, quæ in hoc ſæculo diuerſis tentationibus*

1. Cor. 10.

Spalat. Num. 8.

Aug. tract. 124. in Ioan.

& ſuper hanc Petram quam confeſſus eſt, ſuper hanc Petram quam cognouiſti dicens, Tu es Chriſtus filius Dei viui, ædificabo Eccleſiam meam; id eſt ſuper me ipſum filium Dei viui ædificabo Eccleſiam meam. Super me ædificabo te, non me ſuper te, Nam volentes homines ædificari ſuper homines dicebant, Ego quidem ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ: ipſe eſt Petrus. Et alij qui nolebant ædificari ſuper Petrum, ſed ſuper Petram, ego autem ſum Chriſti. Apoſtolus autem, Paulus vbi cognouit ſe eligi, & Chriſtum contemni; Diuiſus eſt, inquit, Chriſtus? Nunquid Paulus pro vobis Crucifixus eſt? aut in nomine Pauli baptizati eſtis? quomodo non in Pauli, ſic nec in Petri, ſed in nomine Chriſti? vt Petrus ædificaretur ſupra Petram, & non Petra ſuper Petrum. Idem ergo Petrus à Petra cognominatus beatus, Eccleſiæ figuram portans, APOSTOLATVS PRINCIPATVM *tenens, continuò poſt paululum iam audito quod beatus eſſet, iam audito quod ſupra Petram ædificatus eſſet, poſteaquam audiuit futuram Domini paſſionem, quia prædixerat eam citò futuram diſcipulis ſuis, diſplicuit ei. Timuit ne perderet morientem, quem confeſſus fuerat vitæ fontem, Turbatus eſt, Abſit à te, inquit, Domine, ne fiat iſtud. Propitius eſto tibi Domine, nolo te mori. Petrus dicebat Chriſto, nolo te mori, ſed meliùs dicebat Chriſtus, volo pro te mori. Denique continuò reprehendit quem, &c.* Auguſtinus itaque ad Donatiſtarum errorem refellendum ac reuincendum oſtendit habere Eccleſiam Dei, tum firmos tum infirmos, ipſumque Petrum huius rei figuram *modò fidere, modò titubare, nunc immortalem Chriſtum confiteri, nunc timere ne moriatur.* moxque concludit, *In illo ergo vno Apoſtolo, id eſt Petro, in ordine diſcipulorũ* PRIMO ET PRÆCIPVO, *in quo figurabatur Eccleſiæ vtrumque genus ſignificandum fore, id eſt firmi & infirmi, quia ſine vtroque non eſt Eccleſia.* Quibus verbis funditùs tollit ſententiam Donatiſtarum, qui hominum ſanctitatem tantopere prædicarent, cùm nequidem ſupra Petrum ædificare aut eius firmitate niti deberent fideles; quippe qui ipſe peccator fuiſſet, & Chriſti dextra opus habuiſſet, quæ eum titubantem fulciret. Quæ eò ſpectant vt non exiſtimemus Petrum quà hominem impeccabilem aut per ſe, & ſeorſim à Chriſto conſideratum Eccleſiam ædificaſſe: non enim dixit Chriſtus, *Tu ædificabis Eccleſiam*, ſed planè dixit, *ædificabo Eccleſiam meam*, vt eum totius huius ædificationis gloria maneret. Quo pio & orthodoxo ſenſu ita proponitur Chriſtus Princeps, cauſa & agens præcipuum, vt tamen inſtrumentarium Petri miniſterium non excludatur. Quod cùm videret Auguſtinus, ac Eccleſiæ cauſam contra Donatiſtas ageret, ad eorum ſuperbiam infringendam, non dubitauit hæc verba referre ad Chriſtum, tanquam ad principem cauſam & princeps agens, haud excluſo Petro, quem Chriſto ſuam operam commodaſſe, & probaſſe aliis locis agnoſcit. *Nos*, inquit, *qui vocamur Chriſtiani, non in Petrum credimus, ſed in quem credidit Petrus Petri de Chriſto ædificati ſermonibus.* Nihil igitur detraxit Petro, quem aliis locis fundamentum Eccleſiæ *ſecundarium* ſcilicet agnouerit. Imo hocipſo loco cõmentariorum in Ioannẽ Petrũ PRIMVM ET PRÆCIPVVM *Apoſtolorum* vocat, & eius APOSTOLATVS PRINCIPATVM cõmendat, ac eo nomine *Eccleſiæ figuram portaſſe* clariſſimis verbis ſignificat. Ipſo certè retractationũ loco, quem maximè vrget Spalatenſis, vtrãque ſententiam comprobat, & proculdubio ſi noſtram ſententiam non probaſſet, vtraque in medium propoſita haud poteſtatem vtram vellet eligendi lectoris arbitrio reliquiſſet. Liceat enim argumentum Spalatenſis in authorem retorquere. Cùm eos refutandos ſuſcepiſſet, qui Auguſtinum humanum quid paſ-

Auguſt. de Ciuit. Dei, lib. 18. c. 54.

ſum ac lapſum in explicatione vocis Cephas dicerent, Eſto, inquit, *ignorauerit Auguſtinus, & cum ipſo alij grauiſſimi viri, etiam non Africani, paulo poſt afferendi vocem Cephæ, ſi tamen ipſius interpretatio, licet cum tali vocis ignorantia præiudicaſſet* Primatui Petri, *ipſe certè hoc ſciuiſſet, & animaduertiſſet eius interpretationem eſſe contra fidem, ſi de fide ſit* Primatus Petri, *vt noſtri inſulsè contendunt in illis verbis fundatus, aut ſaltem declaratus,* Tu es Cephas, *abſtinuiſſet profecto à tali interpretatione, vbi nomine* Petræ *Chriſtum ſignificari dixit. Et hanc omnino retractaſſet & expunxiſſet, neque arbitrio lectoris permiſiſſet, ne* Petro *præiudicaret, & fidei, cùm tamen nihil tale metuerit planè conſtat, non Caluinum, ſed Auguſtinum in hoc loco,* Tu es Petrus, *&c. nullum agnouiſſe Petri primatum fundari, aut declarari.* Certè Sanderus *vt oſtendat contra fidem non eſſe illam interpretationem, qua* Petrus *dicitur nomine* Petræ *ſignificari non Chriſtus, ſic argumentatur: Illud ergo primum ex Auguſtini iudicio certum eſt, probabilem ſententiam eſſe vt ipſe* Petrus *credatur illa* Petra *eſſe ſuper quam Dominus promittit ſe Eccleſiam ſuam ædificaturum. Verè igitur credidit Auguſtinus non repugnare fidei Chriſtianæ, vt in Petro velut in Petra fundari Eccleſia credatur; alioquin nunquam faſſus eſſet illam ſententiam eſſe probabilem, quæ veram fidem oppugnaret. Quantò maiorem hoc argumentum vim habet in ea interpretatione, quæ* Petra *Chriſtum dicit ſignificari, & non* Petrum. *Hæc enim Auguſtino ſemper placuit, & illam de Petro propemodum retractauit; quod ſi alteram fidei repugnantem agnouiſſet, nunquam eandem vt probabilem, imò vt longè altera probabiliorem propoſuiſſet.* Dicamus igitur & nos ſimiliter; Si Auguſtinus ſententiam quæ Petrũ, Petram ſuper quam ædificata ſit Eccleſia ſinceræ fidei aduerſari, ac Chriſti dignitati officere animaduertiſſet, abſtinuiſſet vtique ab ea; authoritate Ambroſij non firmaſſet, & libertatem eius eligendæ ac amplexandæ, lectori non reliquiſſet, quod tamen feciſſe celeberrimo illo loco omnes vident. Quod attinet autem ad lapſum Auguſtini, qui certè minimus ſit; ex malè intellecto nomine, non niſi piam & orthodoxam ſententiam elicuit, ac propterea is quidem viro omnium quos vnquam habuerit Eccleſia longè doctiſſimo condonandus eſt, tamen negandum non eſt, quod ipſi hæretici agnoſcunt, vocabulum Cepha quo Chriſtus vſus ſit, tum Petrum tum Petram Syriaco ſermone ſignificare, ac proinde concedendum in verbis Chriſti nullam ſignificati diuerſitatem in nomine ineſſe. Audiamus Bezam hoc ipſum aſſerentem, ad illa verba, Σὺ εἶ Πέτρος, καὶ ἐπὶ ταύτῃ τῇ πέτρᾳ, *Dominus,* inquit, *Syriacè loquens nulla vſus eſt agnominatione, ſed vtrolibet dixit Cepha, quemadmodum & vernaculum nomen Pierre, tam de proprio quã de appellatiuo dicitur. In Græco quoque ſermone* πέτρος & πέτρα *non re, ſed tantùm terminatione differunt.* Plus ponderis & authoritatis fuerit in Hieronymo. Is igitur commentariis ſuis in Epiſtolam ad Galatas, ita de nomine cenſet, *Non quod aliud ſignificet* Petrus, *aliud* Cephas, *ſed quod nos Latinè & Græcè* Petram *vocemus, hanc Hebræi & Syri propter linguæ inter ſe viciniam* Cephan *nuncupent.* Hoc igitur ſi aduertiſſet Auguſtinus, (nec enim planè ignoraſſe hominem in ſcriptis Hieronymi verſatum facilè in animum induxerim) non exiſtimaſſet ſubeſſe in verbis Chriſti eam diuerſitatem, quam haud malo animo inuexit. Vt autem omnibus ſit exploratum Auguſtinum ipſum in ea fuiſſe ſententia, quæ Petrum fundamentum & Petram Eccleſiæ faciat, quædam eius rei teſtimonia ex ipſius ſcriptis proferemus. In pſalmos, *Petrus*, inquit, *qui paulò antè Chriſtum confeſſus erat filium Dei, & in illa con-*

Spalat. Num. 8.

Sanderus de viſibili Monarch. lib. 6. cap. 3.

Beza ad c. 16. Matth.

Hier. in c. 2. ep. ad Galat.

in Pſal. 69.

confeßione appellatus erat Petra, ſupra quam fabricaretur Eccleſia, paulò pòſt Domino dicente de futura paßione ſua ait, Abſit à te Domine, &c. In Ioannem: *Cùm dixiſſet Chriſtus, Nunquid & vos vultis abire? Reſpondit Petrus, Petra illa, voce omnium, Domine ad quem ibimus?* Epiſtola aduerſus Vrbicum ſcripta, *Petrus caput Apoſtolorum, ianitor cæli, Eccleſiæ fundamentum.* Item in Pſalmo contra partem Donati, *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa ſede Petri, & quis cui in eo ordine ſucceſſerit, videte, hæc eſt illa Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Itaque cùm Auguſtinus eam ſententiam tenuerit, nec retractarit, ſed etiam eiuſdem amplectendæ poteſtatem lectori fecerit, non eſt cur ab ea recedamus; Etſi enim in alteram videatur magis propendere propter rationes adductas, hanc tamen non damnat, ac præterea cur illam alteram præferret, non ſatis firmam attuliſſe rationem, noſtri optimè probant. Sufficit in noſtra quoque fuiſſe ſententia, nec eam recantaſſe. Hoc vnum hîc obiter monuerim Auguſtinum, cùm libros de quibus agitur, *retractationum* inſcriberet, noluiſſe innuere in his ſe omnia de quibus diſputaſſet retractaſſe, hoc eſt recantaſſe, ac ſuperiores ſententias mutaſſe, ſed retractaſſe, id eſt rurſus tractaſſe, ac maiore cura expendiſſe, quo ſenſu de Auguſto Suetonius *Leges retractauit, & quaſdam ex integro ſanxit.*

Epiſt 86. ad Caſulanũ.

in Pſ. cont. par. Don.

Sueton. in Auguſto.

Quod attinet ad reliquos Patres, qui Chriſtum volunt eſſe Petram ſuper quã ſit fundata Eccleſia, hi nobis non aduerſantur. Nec enim hæc duo pugnant, *Chriſtum eſſe Petram, & fundamentum Eccleſiæ, & Petrum quoque Petram eſſe, ac fundamentum Eccleſiæ*, cùm haud eodem ſenſu dicantur. Chriſtus ſi quidem Deus & homo propria virtute & authoritate fundamentum eſt Eccleſiæ: At Petrus purus homo non niſi poteſtate à Chriſto accepta Petra eſt illa, cui præclarũ illud ædificium innitatur. Non igitur iſta inuicem magis ſibi aduerſantur, quàm quod habet ſcriptura, *Dominum ducem fuiſſe populo Iſraël*, & *Moyſen induxiſſe populum in terram Chanaam, ac fuiſſe cum Eccleſia in ſolitudine*; quandoquidem illa ipſa ſcriptura ſignificat, *Deum in fortitudine ſua portaſſe populum*, Moſen verò à Deo *miſſum Principem, & redemptorem* deſcribit. Quare Hieronymus qui diuerſis locis Chriſtum *Petram & fundamentum Eccleſiæ* prædicat, vt citat Spalatenſis, aliis non paucis etiam Petrum eodem titulo ornat. Dixiſſe igitur illum fatemur; *Nulla ne fuit alia in toto orbe prouincia quæ reciperet præconium voluptatis, in quam coluber tortuoſus irreperet; niſi quam Petri doctrina ſuper Petram fundauerat Chriſtum? Rurſum alibi: Super Petram hanc Dominus fundauit Eccleſiam, ab hac Petra Apoſtolus Petrus ſortitus eſt nomen*, id eſt à Chriſto, *ſuper hanc Petram non inueniuntur ſerpentis veſtigia. De hac Propheta loquitur confidenter, Statuit ſupra Petram pedes meos. Et in alio loco, Petra refugium lepo-ribus ſiue Herinaciis: Item, Fundamentum quod Apoſtolus Architectus poſuit, vnus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus ſuper hoc fundamentum ſtabile, & firmum, & per ſe robuſta mole fundatum, ædificatur Chriſti Eccleſia.* Sed nec minus diſertè aſſerit Petrum quoque Petram eſſe, & fundamentum Eccleſiæ. Ipſo cõmentario in Matthæum ad illa verba, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram*, qui locus maximè expendi debet. *Secundum metaphoram Petræ*, inquit, *rectè dicitur ei, ædificabo Eccleſiam meam ſuper te.* Sed excutiamus aliorum teſtimonia: *Cyrillus Alexandrinus*, inquit Spalatenſis, *conſiderans illa verba, Iſa. 33. Hic habitabit in excelſa ſpelunca Petræ fortis*; hæc habet, *Quinimo, inquit, cõſentaneum eſt his verbis vocari Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, in quo, tanquam ſpelunca quædam vel ouium ſtabulum, Eccleſia intelligitur, habemus tutum & inconcuſſum, ita vt benè*

Exod. 15. 13.

SPALAT. Num. 9. Hier. lib. 2. ad Iouin. Idem l. 1. in Matth. c. 7. Et in Iſa. c. 54. Pſal. 39. Pſal. 103. Hier. ibid.

Hier. ad c. 16. Matth.

Digitized by Google

ſit domicilium; Tu es enim, inquit Seruator, Petrus, & ſuper hanc Petram, &c. Hoc quoque fatemur. Sed & idem grauis author in cap. 2. Ioannis, ad illa verba,

Cyril. li. 2. in Ioan. ca. 12. *Tu vocaberis Cephas*, hæc habet, *Nec Simon fore iam nomen ſibi, ſed Petrus prædicit*, (hîc vides Petrum, & Petram pro eodem vſurpaſſe Cyrillum) *vocabulo ipſo commodè ſignificans, quod in eo tanquã in Petra lapidéque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.* Beda quoque, vt habet Spalatenſis, ſcribit, *Super hanc Petrã,*

Beda ad c. 16. Matth. Homil. in die Apoſt. Pet. & Pau. *id eſt Saluatorem quem confeſſus es*; Sed & Bedæ verba ſunt. *Ideo Beatus Petrus qui Chriſtum vera fide confeſſus vero eſt amore ſequutus, ſpecialiter* (audiſne) *claues regni Cælorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit, vt omnes credentes intelligant, quia quicunque ab vnitate fidei, vel ſocietatis illius quolibet modo ſeipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorũ abſolui, nec ianuã poſſint Cæleſtis regni ingredi.*

Thar. in 7. Synod. Gen. Act. 1. Tharaſius etiã ſcripſit, addit aduerſarius, *Quandoquidem video & conſidero ſuper hanc Petram, Chriſtum Deum noſtrum, fundatam Eccleſiam*, ſed & cùm ad eũ ſcripſiſſet Adrianus de impia Synodo Cõſtantinopolitana, quæ ſanctæ ſedi Romanæ non probaretur damnanda, addidiſſétque Petro dictum, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam*; Et, *Tibi dabo claues regni Cælorum*. Et, *Quæcumque ligaueris ſuper terram erunt ligata & in cœlis, & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis*; ac inſuper ſubieciſſet, *cuius ſedes in omnem terrarũ orbem Primatũ tenens refulget, & caput omniũ Eccleſiarũ Dei conſiſtit, vnde & idẽ beatus Petrus Apoſtolus Domini præcepto paſcens Eccleſiam nihil diſſolutũ dimiſit, ſed tenuit & tenet ſemper principatũ*; Hæc, inquam, cùm ſcripſiſſet Adrianus, pro-

Act. 2. Act. 3. Syn. 7. tom. 3. part. 1. bauit Tharaſius. Sic enim habet ſancta Synodus, *Tharaſius ſanctiſſimus Patriarcha dixit, ſacratiſſimus Paulus Apoſtolus qui illuſtratus eſt lumine Chriſti, & genuit nos per Euangelium, cùm Romanis ſcriberet, approbans ſtudium ſinceræ fidei eorum quam in Chriſtũ verum Deum habebãt, ſic ait: Fides veſtra annunciatur in vniuerſo mundo. Hoc teſtimoni ũ ſequi neceſſariũ eſt, & inconſultè agit qui huic conatur reſiſtere. Vnde Adrianus præſul ſenioris Romæ cùm eſſet particeps eorũ qui prædicto teſtimonio muniri meruerunt, ſcripſit expreſsè & veraciter piis Imperatoribus noſtris, atque ad humanitatem noſtrã affirmans benè ac optimè ſe habere antiquã traditionẽ Eccleſiæ Catholicæ.* Vides vt Adriano ſe aſſenſorem præbeat Tharaſius. *Gloſſa quoque interlinearis*, inquit Spalat. *ſuper hanc Petram Chriſtum, inquit, in quem credis.* Sed gloſſa interlinearis omnino ſenſum myſticũ perſequitur, ac ferè ſemper ab hiſtorico recedit, quo vno noſtra aſſertio nititur. Viderunt ergo Patres hæc quod diuerſa ratione dicantur non pugnare. Itaque & Chriſtum Petram agnoſcunt, & Petro Petræ nomen attribuunt. Proinde quod ſupra monebamus longè eſt à mente Patrũ Caluinus, qui hos titulos ita proprios eſſe Chriſti cenſet, vt nulla ratione Petro cõmunicari poſſint, ac propterea meritò eũ tertiæ ſentẽtiæ authorem fecit Cardinalis Bellarminus. Locus verò Apoſtoli, *Fundamentũ aliud*

1. Cor. 3. *nemo ponere poteſt, præter id quod poſitũ eſt Chriſtus Ieſus*, infra explicabitur, cũ de cõfeſſione fidei Petri agetur. Interim aduertat pius lector ſermonẽ eſſe Apoſtolo de primo & maximo fundamento, quod fidei Chriſtianæ obiectum ſit, non de inſtrumentario quod Eccleſiæ miniſterio ſubſeruiat. Cæterùm Petrum à primaria illa & Principe Petra Chriſto Petram dictũ non erat, quod tam multis Patrũ

Spalat. Num. 10. Hier. l. 17. in Iſa. cap. 62. Idem l. 3. in Hier. c. 16. Tertul. l. 4. cont. Marc. authoritatibus probaret Spalat. cùm eſſet id nobis exploratiſſimum. Verè omninò ſcripſit Hieronymus, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c. quod vocabulũ, inquit, à nomine Domini deriuauit. Item, Non ſolùm Chriſtus Petra, ſed & Apoſtolo Petro donauit, vt vocaretur Petra.* Verè etiam Tertull. *Mutat*, inquit, *& Petro nomen de Simone, quia & creator Abrahæ & Sarræ & Auſeæ nomina refor-*

mauit hunc vocando Ieſum, illis ſyllabas adiiciendo, ſed & cur Petrũ? ſi ob vigorem fidei multæ materiæ ſolidæque nomen de ſuo accommodarent. An quia & Petra & lapis Chriſtus ſiquidem legimus poſitum eum eſſe in lapidem offendiculi, & Petram ſcandali. Omitto cætera, itaque affectauit chariſſimo diſcipulorum de figuris ſuis peculiariter nomen communicare puto proprius quàm de non ſuis. Aug. in Pſ. 55. Verè quoque Auguſtinus, *Quando*, Petrus, *in Deo laudabat ſermonem non Satanas, ſed Petrus à Petra.* Et, *Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & Petra pro virtute Dominus nuncupatur, ſicut ait Apoſtolus, Bibebant autem de ſpirituali Petra, rectè conſortium meretur nominis, quia conſortium meretur & operis.* Idem ſer. 16. de ſanctis qui eſt 2. in Cath. Petri. Verè etiam Ambroſius, ſeu potius Proſper Aquitanicus loquens de Petro ait, *Hæc fortiſſima Petra ab illa principali Petra communionem accipit nominis & virtutis.* Proſp. l. 2. de voc. gent. c. 28. Verè rurſus Ambroſius non ſemel, verſans illud, *Petra autẽ erat Chriſtus, Etiam*, inquit, *diſcipulo ſuo huius vocabuli gratiam non negauit, vt & ipſe ſit Petrus, quod de Petra habeat ſoliditatẽ conſtantiæ, fidei firmitatem.* Amb. l. 6. in Luc. c. 9. Item, *Rectè igitur quia Petra Chriſtus Simon nuncupatus eſt Petrus, vt qui cum Domino fidei ſocietatem habebat, cum Domino haberet & nominis Dominici vnitatem, vt ſicut à Chriſto Chriſtianus, ita & à Petra Chriſto Petrus Apoſtolus vocaretur.* Idem ſerm. 54. Vera denique ſunt teſtimonia Gregorij, Leonis, Bedæ, Nicolai primi, Gregorij, Innocentij III. Gratiani, Alphonſi de Caſtro, & aliorum, quibus idipſum aſſeritur. Hæc, inquam, omnia vera ſunt; ſed quod de ſuo addit Spalatenſis, *Hos Patres dum Petrum à Petra, id eſt à Chriſto nomen habuiſſe contendunt, proculdubio per illa verba, ſuper Petrã, vix conſentire poſſe ſignificari ſuper Petrum, ſi Petrus, Petrus non eſt niſi à Petra, qui eſt Chriſtus*, quã falſiſſimum eſt. Num. eod. Patres enim qui Petrũ à Chriſto hoc nomen mutuatũ agnoſcunt, etiam à Chriſto deſignatum vt eſſet fundamentũ Eccleſiæ ſcribunt, ac proinde Chriſtum *primum & maximum* fundamentum eſſe docent, Petrũ verò comparatione Chriſti *ſecundarium*. At inſtat Spalat. *Saltem hi omnes in Petri, ſeu Petræ ſi vis, hoc eſt Cephæ nomine deuotionem Petri atque conſtantiam, & Chriſti in eum amorem qui de proprio ſuo nomine illum appellauit, colligunt, & agnoſcunt, Monarchiam verò in Eccleſiã, ac ſupremum Petri Dominium non agnoſcunt.* Nugaris, mi Antoni, Petri virtutes, deuotionem, conſtantiam & fidei firmitatem celebrant Patres, ſed & à Chriſto præmium conſecutas eximias illas virtutes agnoſcunt, & amorem Chriſti, non otioſum illũ, ſed efficacem, quique vna cum communione nominis vim ipſius in illũ transfuderit, ac ſummũ in Eccleſiam cuius fundamentum eſſet dominatũ largientem inducunt. Hieronymus quidẽ; *At dicis, ſuper Petrũ fundatur Eccleſia, licet idipſum alio in loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni Cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Lib. aduerſ. Iouin. c. 4. Tertullianus, *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ Petram dictũ, claues regni Cælorũ conſecutũ, & ſoluendi & alligandi in cœlis, & in terris poteſtatem.* Tertul. de præſc. hær. cap. 22. Mitto quod Petri ſucceſſorem *Pontificem, Maximum, & Epiſcoporum Epiſcopũ* indigitat. Auguſtinus: *Hoc agit Eccleſia ſpe beata in hac vita ærumnoſa, cuius Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatũ gerebat figurata generalitate perſonarum. Idem ergo Petrus à Petra cognominatus beatus Eccleſiæ figurã putans Apoſtolatus principatũ tenens.* Aug. tract. 124. in Ioan. Proſper Aquitanus: *Quis ergo ambigat, quis ignoret hanc fortiſſimam Petram quæ ab illa principali Petra cõmunionem, & virtutis ſumpſit, & nominis hoc deſideriũ ſemper habuiſſe, vt ei moriendi pro Chriſto conſtantia donaretur?* De vocatione gent. lib. 2. Ambroſ. ad illa verba, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Eidem autem*, inquit, *ſupra dicenti, Tu es Chriſtus filius Dei viui, reſpondet; Tu es Petrus,* Amb. ad c. 22. Lucæ.

& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, Et tibi dabo claues regni cælorum: Ergo cui propria authoritate regnum dabat, huius fidem firmare nõ poterat? quem Petram dicit firmamentum Eccleſiæ iudicauit. Gregorius. *Quis neſciat ſanctã Eccleſiã in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à Petra vocaretur?* Et rurſus: *Cunctis Euangelium ſcientibus liquet, quod Dominica ſancto & omnium Apoſtolorum Petro Principi Apoſtolo totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt: Ipſi quippe dicitur, Petre amas me, Paſce oues meas. Ipſi dicitur, Ecce Satanas expetiuit vt cribraret vos ſicut triticum, & ego pro te rogaui, vt nõ deficiat fides tua; Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Ipſi dicitur, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Leo Magnus, *Soliditas illius fidei quæ in Apoſtolorum Principe eſt laudata, perpetua eſt, & ſicut permanet quod in Chriſto Petrus credidit, ita permanet quod in Petro Chriſtus inſtituit, ſic enim,* addit Leo, *præ cæteris omnibus eſt ordinatus, vt dum Petra dicitur, dumque fundamentum pronunciatur, dum regni cælorum ianitor conſtituitur, dum ligandorũ ſoluendorumque arbiter manſura etiam in cælis iudiciorum ſuorum definitione præficitur, qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas per ipſa appellationũ myſteria noſceremus.* Rurſus, *De toto mundo vnus Petrus eligitur, qui & vniuerſarum gentium vocationi & omnibus Apoſtolis cunctis Eccleſiæ paſtoribus præponatur, &c.* Beda: *Beatus Petrus qui Chriſtum vera fide cõfeſſus, vero eſt amore ſecutus, ſpecialiter claues regni cælorum, & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit.* Idem quoque alio loco Columnano ac ſociis, pro celebratione Paſchæ contra Romanum morem contendentibus, oppoſuiſſe Valfridum nomine orthodoxorum recenſet; *Si tu Columnane & ſocij tui audita decreta ſedis Apoſtolicæ, imo Eccleſiæ, & hæc ſacris literis confirmata ſequi cõtemnitis, abſque vlla dubietate peccatis. Et ſi ſanctus erat Columba veſter, imo & noſter, & Chriſti erat, num præferri potuit beatiſſimo Apoſtolorum principi, cui Dominus ait, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam? Hæc peroranti VValfrido,* addit Beda, *dixit, Oſvvi Rex Saxonum, An vtrique veſtrûm in hoc conſentiunt, quod hæc principaliter Petro dicta, & ei claues cælorum ſunt datæ à Domino. Reſponderunt etiã vtrique* (en priſcam fidem Anglorum) *at ille ita concluſit. Et ego vobis dico, quia hic eſt oſtiarius ille, cui ego contradicere nolo, ſed in quantum noui & valeo, huius cupio in omnibus obedire ſtatutis, ne fortè me adueniente ad fores regni cælorũ non ſit, qui reſerat, amoto illo qui claues tenere probatur.* Hæc Beda. Sequuntur Nicolaus I. Greg. VII. Innoc. III. Gratianus & Alphõſus à Caſtro. Sed quid attinet de his referre, quum tres priores Põtifices fuerint, poſteriores verò tanquam monarchicos, hoc eſt monarchiæ Pontificiæ propugnatores Spal. traducat? Itaque quod dicebamus falſum falſiſſimũ eſt Patres à Spalat. magno agmine in aciem eductos, non pugnare pro ſpirituali Petri monarchia, cùm eius defenſores ſe præbuerint aterrimos. Hæc ſcilicet ratio fuit Baronio, cur damnaret tertiam ſententiam, ac hæreſeos arceſſeret eius authores, quod nimirũ ſe non continuerint intra limites doctrinæ Patrum, qui Chriſtum quidem Petram aſſerunt, cui innitatur fabrica Eccleſiæ, ſed propterea Petrum à communione nominis & virtutis non arcent quod illi faciunt.

Ep. ad Salogium l. 6. Reg. ep 37. Lib. 4. ep. 32. ad Mauritium.

Serm. 2. in anniuerſario aſſumptionis ſuæ.

Serm. 8.

Hom. in die Apoſt. Pet. & Paul.

Hiſt. Angl. lib. 3. c. 25.

Nic. 1. ep. 2. Greg. 7. l. 8. ep. 70. Inn. 3. l. 2. ep. 79. Alphonſ. à Caſtro l. 12. adu. hæret. Grat. diſt. 21. §. decr. Bar. tom. 1. ann. ad ann. 34.

SPALAT. Num. 11. Bellar. 1. de Rom. Pontif. c. 10.

Quarta igitur ſententia eſt, quæ verba *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam,* ad fidem & confeſſionem Petri, non ad Petrũ ipſum refert. Hanc meritò quoque Luthero ac Centuriatoribus tribuit Cardinalis Bellarminus, nõ antiquis Patribus, qui tamen & ipſi verba Chriſti de cõfeſſione Petri ſunt interpretati. Namque etſi hoc & ipſi docuerunt, tamen ad confeſſionem Petri ita verba Chriſti retulerunt, vt Petro quoque conuenire non ſint inficiati; cùm

contrà Lutherus & Centuriatores de Petro non posse intelligi, inflatis buccis occlament. Vt igitur ab eo errore vindicemus Patres, ostendendum nobis est eos ipsos quos pro se testes profert Spalatensis, *super fidem & confessionem Petri* ædificari Ecclesiam ita censuisse, vt personam Petri non semouerint, sed omnino subindicari existimarint. Neque enim, vt Marcus Antonius existimat, hæc pugnant *supra Petrum esse ædificatam Ecclesiam, & super fidem aut confessionem Petri ædificatã esse Ecclesiam.* Cùm namque Patres asseuerant Ecclesiam fundatam esse super fidem & confessionem Petri, causam vt vocant meritoriam, ob quam Petrus eum honorem sit consecutus indicant. Et cùm Petrum huiusmodi Petram esse prædicant, subiectum denotant in quo ea dignitas insit. Itaque formaliter in Petro inesse vim Petræ, ac super eam ædificari Ecclesiam scribunt, sed huius rei occasionem ad confessionem ab eo editam referunt. Hoc eodem sensu eleganter dixit Hieronymus, *Petrus super aquas ambulat graui & solido corpore, mollis vnda non cadit; paululum fides dubitat, & statim naturam suam corpus intelligit, vt sciamus super aquas non corpus ambulasse, sed fidem.* Non quod eo vsque delirarit Hieronymus, vt existimarit Petri corpus, seu potius ipsum Petrum super aquas non ambulasse, sed quod ostendere voluerit, non agilitati corporis, aut vi alicui naturali id tribuendum esse, sed fidei cuius ille vna ope niteretur. Quemadmodũ igitur hæc duo non pugnant, *Petrus ambulauit super aquas, & fides Petri ambulauit super aquas*, quod scilicet in priore pronunciato, *Petrus ambulauit super aquas*, innuatur Petrum propriè ac formaliter ambulasse super aquas; In posteriore verò significetur fidem *causaliter*, vt loquuntur, ambulasse super aquam, nimirum quod fides promeruerit, vt nõ Petrus submergeretur, sed tuto vestigio & securo gressu super mare ambularet; Ita in subiecta materia hæc non pugnant, *Ecclesia fundata est super Petrum*, Ecclesia *fundata est super fidẽ aut confessionem Petri*; sed vtrumque pronunciatum verissimum est, nimirum quod Ecclesia *formaliter* super Petrum fundata sit, *causaliter* verò supra fidem & confessionem Petri. Propterea vtrumque docuerunt Patres, & super confessionem Petri, & super ipsum Petrum fundatã esse Ecclesiam. Ita namque Hilarius, quem profert Spalat. equidem scribit, *Super hanc igitur confessionis Petram*, inquit, *Ecclesiæ ædificatio est. Et paulò pòst, Hæc fides regni cælestis habet claues: Hæc fides quæ in terris soluerit, aut ligauerit, & ligata sunt in cælis & soluta. Hæc fides Ecclesiæ est fundamentum per hanc fidem infirmæ aduersus eam sunt portæ inferorum, &c. Superius verò dixerat, vnum igitur hoc est immobile fundamentum: vna hæc est fœlix fidei Petra, Petri ore confessa; Tu es Christus filius Dei viui, tanta in se sustinens argumenta veritatis, quanta peruersitatum quæstiones & infidelitatis calumniæ mouebuntur. Item, Petrus filium Dei confessus ob hoc beatus est, hæc reuelatio Patris est, hoc Ecclesiæ fundamentum, hæc securitas æternitatis est.* Ista quidem, inquam, scribit Hilarius, sed & hæc quoque habet. *In cunctorum Apostolorum silentio, Petrus, Dei filium reuelatione Patris intelligens vltra humanæ infirmitatis modum supereminentem beatæ fidei suæ confessione gloriam meruit, &c. Ille confessus est Christum filium Dei, &c. Filium Dei confessus, ob hoc beatus est. Hæc reuelatio Patris est, hoc Ecclesiæ fundamentum est, hæc securitas æternitatis est, hinc regni Cælorum habet clauem, hinc terrena eius iudicia cælestia sunt.* Infra quoque, *Hæc sola fides confessa Christum Dei filium omnium beatitudinum gloriam meruit in Petro.* Quid clariùs dici possit? Rursus ipse suis in Matthæum Canonibus, *Dignum planè confessio Petri præmium consecuta est, quia Dei filium in homine*

Hier. ad Pammach. aduerſus errores Ioan. Hieroſ. ep. 61.

Spalat. Num. 12.

Hilarius de Trinit. l. 6.

Idem lib. 2. de Trinit.

Idem de Trinit. l. 6.

Hil. Can. 16. in c. 16. Matth.

Petram, censuisse Ambrosium supra ostendimus pluribus testimoniis. Accedat & istud. *Si ergo Petrus est super quẽ ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat, vt sicut in Ecclesia Dei fundamentũ continet, ita & in homine mẽbrorum fundamenta cõfirmet.* Gregorius pro cõfessione etiam habet. *Est locus apud Deum videlicet sanctæ Ecclesiæ vnitas, in qua super Petram statur, dum confessionis eius similiter soliditas tenetur. Item alio loco: In Petra Moyses ponitur, vt Dei speciem contempletur, quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non cognoscit, de qua soliditate Dominus dicit, Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Item, Vitam vestram in Petra Ecclesiæ, hoc est in confessione Petri Apostolorum principis solidauit.* Atqui idem Gregorius scripsit. *Quis nesciat sanctam Ecclesiam in Apostolorum principis soliditate firmatam, quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt à Petra Petrus diceretur; cui voce Domini dicitur, Tibi dabo claues regni cælorum?* Damascenus item pro confessione sic loquitur: *Tu es Christus, hæc est fides recta & inconcussa, super quam Ecclesia firmata, ex qua* (Petre) *dignè nomen accepisti.* Atqui si quod ferè omnes volunt, historia de Barlaamo & Iosaphato scripta eiusdem est Damasceni, ita de Petro censet; *Princeps discipulorum Petrus fidei Petra salutiferæ passionis tempore certo quodam Consilio aliquantisper à Deo desertus, eo peccati prolapsus est, vt Dominum abiuraret.* Oratione verò de transfiguratione hæc habet. *Hoc Petre à Christo supplex contende, ab illo, inquam, qui Ecclesiæ immaculatus sponsus est, qui te cælestis regni clauicularium instituit, qui tibi vinciendorum ac soluendorum peccatorum potestatem concessit, quemadmodum diuino ore Dei viuentis filium prædicasti, &c.* Ac rursus, *Assumpsit Dominus Petrum vt antistitem, qui totius Ecclesiæ gubernacula susciperet.* Neque verò id negat aduersarius dixisse Damascenum, sed oppressus viri sancti testimonio clamat alio loco, *Non esse eum tantæ authoritatis, vt inter recentiores, aut dormitantes, aut adulantes non possit interdum reponi.* Cur igitur illum testem profert? Sed virum sanctissimum & doctissimum, infra ab insolentissimis criminationibus sumus vindicaturi. Beda quoque sic scribit pro confessione: *Super hanc fidei perfectionem quam tu confessus es, ædificabo Ecclesiam meam.* Atqui idem Beda scripsit, *Ideo beatus Petrus qui Christum vera fide confessus, vero est amore sequutus, specialiter claues regni cælorum & principatum iudiciariæ potestatis accepit, vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab vnitate fidei & societatis illius quolibet modo seipsos segregant, tales nec vinculis peccatorum absolui, nec ianuam possint regni cælorum ingredi.* Theophylactus item pro confessione. *Quia,* inquit, *confessus est Petrus ipsum filium Dei; Dicit Dominus hanc confessionem quam confessus est fundamentum futurum fidelium, ita vt omnis homo conditurus domum fidei, hanc confessionem fundamenti loco sit substracturus, &c.* Atqui idem Theophylactus sic loquitur; [a] *Remunerat Petrum Dominus, mercedem illi dans magnam quod super eum ædificauit Ecclesiam.* Ac rursus ad illa verba; [b] *Ego rogaui pro te. Planus huius intellectus, hoc est, quia te habeo vt principem discipulorum, postquam negato me fleueris, & ad pœnitentiam veneris, confirma cæteros. Hoc enim te decet, qui post me Ecclesiæ Petra es & fundamentum.* Pergamus: *Ionas Aurelianus Episcopus,* inquit Spalatensis, *ante octingentos circiter annos; Multi ait, & penè omnes Petram super quam ædificatur Ecclesia, fidem intelligunt beati Petri, quæ communis est, totius Ecclesiæ videlicet eam quæ paulò antè promissionem hanc præcesserat, id est, Tu es Christus filius Dei viui, & huic Petræ superædificandam Ecclesiam suam Dominus promisit.* Atqui idem Ionas cùm ad pe-

Greg. ep. 53. l. 7. ind. 2.

Idem li. 35. moral. c. 7.

Idem li. 3. ind. 11. ep. 33.

Historia Barlaam. lib. 11.

Spal lib. 10. num. 30.

[a] Theop. ad c. 16. Matth. Ἀμείβεται τὸν Πέτρον ὁ κύριος, μισθὸν αὐτῷ δίδους μέγαν, τὸ ἐπ' αὐτῷ οἰκοδομηθῆναι τὴν ἐκκλησίαν.

[b] Ad 22. Lu. Τοῦτο δὲ σαφὲς ποιεῖ σοι ὡς μετ' ἐμὲ ὄντα τῆς ἐκκλησίας πάντα ἐν σοὶ στηρίζειν.

Ionas Aurel. de Cultu imag. lib. 3.

regrinationes à ſimplicioribus ad limina Apoſtolorum ſuſceptas aduerſus Claudium Turinenſem tutandas, & à calumniis vindicandas, ſancti Petri confeſſionem etiam à rudioribus teneri oſtendiſſet, ac proinde meriti eius poſſe eſſe participes, ſtatim ſubiecit. *Quid enim ſi claues regni cælorum, quaſi eminentiſſimo Eccleſiæ membro, intelligo traditas, beato videlicet* Petro, *vt per illum ad cæteros hæc dignitas tranſeat? Num idcirco mens mea ab eius amore tepeſcet, quem pluris videam à Domino honorari? Potior namque in eius deuotione amoris concaleſcit ignis, qui adeò, inter reliquos conſtituitur inſignis, vt quod omnium eſt commune, ipſe quodammodo accepiſſe videatur ſingularis. Eutychianus prout ei attribuitur,* inquit Spalatenſis, *ait: vnum igitur hoc immobile fundamentum, &c. repetit dictũ Hilarij paulò antè recenſitũ.* Atqui Eutychianus ille quem ſubornat à Petro, eam confeſſionem non ſeiungit, ſed Hilarium ſequutus vult eius eſſe propriam, vt iã in eo nihil præſidij habeat, etiamſi ea epiſtola pro Eutychiani germana habeatur. Leo magnus ſic ſcribit, inquit aduerſarius; *Quoniam ſicut dixi, Catholicæ fidei Petra (cuius cognomen beatus* Petrus *Apoſtolus ſumpſit à Domino) nullum recipit ab vtraque impietate veſtigium.* Sed quàm nullo iudicio contra Petrum teſtis inducitur Petri ſucceſſor, quo non animoſior alter iurium Petri propugnator? Audi magnũ virum; *Manet ergo*, inquit, *diſpoſitio veritatis, & beatus* Petrus *in accepta fortitudine* Petræ *perſeuerans, ſuſcepta Eccleſiæ gubernacula non relinquit, ſic enim eſt præ cæteris ordinatus, vt dum* Petra *dicitur, dum fundamentum pronunciatur, dum regni cœleſtis ianitor conſtituitur, dum ligandorum ſoluendorumque arbiter, manſura etiam in cælis iudiciorum ſuorum definitione, præficitur, qualis ipſi cum Chriſto eſſet ſocietas per ipſa appellationis eius myſteria noſceremus.* Fœlix, dicit Spalatenſis, *Chriſtum ſic loquentem inducit, Beatus es Simon Barjona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cœlis; Et ſuper iſta confeſſione ædificabo Eccleſiam meam.* Atqui cùm Romanam Eccleſiam non poſſe errare docuiſſet, hæc ſubiecit; *Secundum ipſius Domini Saluatoris*, inquit, *diuinam pollicitationem, qui ſuorum diſcipulorum principi in ſuis fatus eſt* Euangeliũ: *Petre*, inquiens, *Ecce Satanas petiuit vt cribraret vos, ſicut qui cribrat triticum, Ego autem pro te rogaui, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Conſidera itaque omnia excellentia, prudentia, &c. Quoniam Dominus & Saluator omnium, cuius fides eſt qui pro nobis mori non dubitauit, & proprio nos ſuo redemit ſanguine, fidem beati* Petri *non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolos* Pontifices *meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper eſt cunctis cognitum.* Hoc eſt Fœlicis teſtimonium, quo, per nos licet, vtatur aduerſarius. Pergit, *Adrianus primus*, ſic loquitur: *Quid enim præſtabilius, inquit, quidue clarius & omni religione deuotius, quàm beati* Petri *primi paſtoris Eccleſiæ, fœlici confeßione prolatæ fidei, tenere fundamentum? Fundamentum, inquit magiſter gentium, aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Huius nimirum fundamenti immobilis ſoliditatem beatus* Petrus, *non carne & ſanguine, ſed Patre reuelante de cælo confitendum declarauit, cùm refutatis quorundam opinionibus, quid in diſcipulorum animis fides operaretur, cunctorum cognitor exploraret, ſolus pro ſe, & pro omnibus, & pro vnitate vnus, teſtimonium fidei perhibuit dicens, Tu es Chriſtus filius Dei viui, qui mox confeßionis præmium, nulla interueniente mora adeptus, & cæli ianitor, & ligandi ſoluendique arbiter factus eſt animarum, ſtatimque Dominus: Et ego dico tibi, quia, Tu es* Petrus, *& ſuper hanc*

Petram

SPALAT. Num. 13. Eutyc. ep. 1. tom. 1. pa. 1. Eutyc. ep. 1. to. 1. Conc.

Leo ep. 66. tom. 1. pa. 2.

Serm. 2. in anniu. aſſumpt. ſuæ ad Pontif.

Fœlix 3. ep. 3. tom. 1. par. 2.

Fœlix ep. 1. to. 1. Conc.

Adria. ep. 4. tom. 2.

Petram ædificabo Eccleſiam meam. Super hanc, inquit, Petram quem confeſſus es, & à quo vocabuli ſortitus es dignitatem. Super hanc ſoliditatem fidei Eccleſiam meam ædificabo. Atqui idem Adrianus hunc in modum loquitur; *Euangelium ſcientibus liquet, quod voce dominica ſancto & omnium Apoſtolorum principi Petro claues regni cœlorum, & totius Eccleſiæ cura commiſſa eſt; Ipſi quoque dicitur, Petre amas me, Paſce oues meas. Ipſi dicitur, Ecce Satanas expetiuit vt cribraret vos ſicut cribratur triticum, ſed ego rogaui pro te. Ipſi dicitur, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, Ecce cura ei totius Eccleſiæ & principatus committitur. Nicolaus primus,* inquit Spalatenſis, *ſic ſuam orditur epiſtolam ad Imperatorem Michaëlem primam; Principatum itaque diuinæ poteſtatis quem omnium conditor electis ſuis Apoſtolis largitus eſt, ſuper ſolidam fidem Apoſtolorum principis Petri ſcilicet, ſoliditatem conſtituens eius egregiam, imò primã ſedem deliberauit. Nam voce dominica ipſi dictum fuerat, Tu es Petrus, &c. Petrus denique à firmitate Petræ quæ Chriſtus eſt, ſtructuram vniuerſalis Eccleſiæ inconcuſſam, & fidei robore ſolidatam, ita precibus ſuis munire non ceſſat, vt, &c.* Atqui Nicolaus primus hæc addit. *Nam voce dominica ipſi, Petro, dictum fuerat, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Petrus denique à firmitate Petræ, quæ Chriſtus eſt ſtructuram vniuerſalis Eccleſiæ inconcuſſam, & fidei robore ſolidatam ita precibus ſuis munire non ceſſat, vt errantium veſaniam rectæ fidei normæ reformare feſtinet, &c.* Igitur fidem Petri à Petro non ſeiungit; Imò alia epiſtola poſt explicata illa verba, *Tu es Petrus, &c. ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam,* Cùm oſtendiſſet pro ea ſoliditate fidei quam Chriſtus impertiiſſet chariſſimo diſcipulo Eccleſiam ſemper pugnaſſe, ſubiecit. *Cuius primatum ſicut omnibus Orthodoxis manifeſtum eſt beatus Petrus princeps Apoſtolorum, & ianitor regni cœleſtis meritò promeruit.* Hæc ne palato Spalatenſis adblandiuntur? *Ioannes etiam octauus,* inquit, *ita ſcribit ad Imperatorem, Vt Deo noſtro clementer auxiliante, potentiæ veſtræ brachio triumphali, Eccleſiam Chriſti voce ſupra Petram veræ fidei fundatam, tueri ſemper, & ab inani crudelique Paganorum infeſtatione, pio mentis defenderetis intuitu.* Atqui idem Ioannes fretus authoritate verborum Chriſti, *Tu es Petrus, &c.* non veretur aſſerere, *Romæ Chriſtum totius Eccleſiæ fundamentum locaſſe, & religionis atque iuſtitiæ caput inſtituiſſe.* Quî hæc vera eſſe poſſint, ſi non eſt Petrus, ſententia Ioannis VIII. Eccleſiæ fundamentum? Profert iam alios. *Stephanus ſextus; Catholica,* inquit, *Chriſti & Dei noſtri Eccleſia fundata ſuper firmam Petram Apoſtoli videlicet Petri confeſſionem.* Atqui idem Stephanus ſedis ſuæ authoritatem propugnans aduerſus Baſilium Imperatorem, Photio impenſius fauentem, liberrima oratione, ſic apud eum diſſerit, *Gregis cura nobis commiſſa eſt tanto (temporali) præſtantior, quantum diſtant à cœlo ea quæ in terris ſunt. Audi Dominum dicẽtem Petro, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Addit verò *inſtitutionem & ſacerdotium omnium quę in orbe ſunt Eccleſiarum à principe Petro originem duxiſſe.* An non igitur is cenſuit Petrum fundamentum eſſe Eccleſiæ? *Innocentius II. ſic ſuam,* inquit Spalatenſis, *exorditur epiſtolam quam ad Gallicanas dixerit Eccleſias, & eam dictauit Bernardus Clareuallenſis. Teſtante Apoſtolo, ſicut vnus Deus, vna fides eſſe dignoſcitur; in qua tanquam immobili fundamento, præter quod nemo aliud poteſt ponere, firmitas Catholicæ Eccleſiæ inuiolata conſiſtit. Inde eſt quod beatus Petrus Apoſtolorum princeps pro eximia huius fidei confeſſione audire meruit, Tu es, inquam, beatus Petrus, & ſuper hanc*

Adrian. 1. ep. 3.

Nicol. ep. 2. tom. 3.

Ioan. 87. Act. ep. 54. tom. 3.

Ioan. 8. ep. 54. to. 3.

Ep. 25.

Tom. 3. Conc. pa. 2. apud Baron. to. 10. ann. 836. nu. 26.

Ep. 1. ad Baſil. Imper.

Apud Bern. ep. 194.

Digitized by Google

Petram ædificabo Ecclesiam meam, Petram vtique firmitatem fidei, & Catholicæ vnitatis soliditatem manifestè designans. Atqui quos oculos habeat nescio qui non videat his verbis: *Inde est quod beatus Petrus Apostolorum princeps, pro eximia huiusce fidei confessione à Domino ac Saluatore nostro audire meruit, Tu es, inquit, Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, Petram vtique firmitatem fidei & Catholicæ vnitatis soliditatem manifestè designans*, & Innocentium & Bernardum eam firmitatem fidei, in Petro, cuius Cathedra veritatis Ecclesiasticæ veluti centrum sit residentem veneratos fuisse. Hinc enim circa finem epistolæ, ita pronunciat Innocentius. *Nos itaque qui in B. Petri Cathedra, cui à Domino dictum est, Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos, licet indignè residere conspicimur, &c.* Fidei igitur firmitatem his verbis designatam agnoscit Pontifex illa epistola; At eius firmitatis prærogatiuam accepisse Petrum à Christo, Petri successor, gloriatur; Sed negotium absoluit Glossa apud Spalatensem. *Glossa Decreti*, inquit, sic habet; *Per hanc dictionem, super hanc Petram, Non credo*, inquit, *Dominum aliud demonstrasse quàm hæc verba, qua Petrus respondit, Tu es Christus filius Dei viui, quia super illo articulo fidei fundata est Ecclesia; Ergo super se ipso fundauit Deus Ecclesiam.* Atqui non à Iuris canonici, sed à Theologiæ peritis est verborum Christi explicatio petenda, quanquam etiam nos non lædat illa Glossa, quæ *de fidei*, non de *visibilis ministerij*, fundamento, de quô nobis sit sermo, ita censeat. *Patres quoque Concilij Sueßionensis ita loquuntur*, inquit aduersarius, *Quæ Ecclesia Catholica cùm generaliter ab vno capite Christo supra Petram, id est super confessionem Petri sit ædificata, &c.* Atqui iidem Patres vno tenore addunt: *Manifestum tamen est per omnem Italiam, Galliam, & Hispaniam nullum instituisse Ecclesiam, nisi eos quos venerabilis Petrus, aut eius successores constituerunt Sacerdotes; & quoniam Ecclesia in eis quoque partibus super hanc Petræ soliditatem non tantùm fundata, sed ab eo eiusque successoribus est etiam edocta, cum Dei gratia ipsius beati Petri suffragantibus meritis, firmitatem fidei quam primò percepit, hactenus inconcussam seruare studeat.* Diceres, Marce Antoni, hos testes in caput tuum subornatos. Omnes enim à te excitati clarissimis verbis docent se, cùm fidem aut confessionem Petri fundamentum Ecclesiæ faciunt, eam in Petro spectasse, nec à Petro separasse.

Inter ep. Bern. 194.

Aduersus Abailardū.

Gloss. in c. ita Dom. dist. 19.

Apud Bar. to. 11. ann. 909. nu. 6.

Ex Innocentio. 1.

SPALAT. Num. 14.

Excussimus itaque aduersario illam verborum iactationem; *Illa tamen loca*, inquit, *protuli, in quibus vix fit coniunctio fidei seu confessionis cum Petro?* Quod os habere eum oporteat, qui hæc tam arrogãter profundat? Ostendimus comprobauimus, euicimus nullum esse sanctorum Patrum, qui eam fidem quam Ecclesiæ fundamentum faciat, ad Petrum non referat; Et homo audacissimus à se adductos de fide, seorsim accepta, *absque ordine & relatione ad Petrum* loquutos, asseuerare non veretur? Scilicet pallet ad eam distinctionem quam adhibent nostri Theologi, duobus modis spectari posse fidem Petri, primò *absolutè, & sine relatione ad Petrum*, quo sensu negant, Patres eam fundamentum Ecclesiæ facere: Secundò *cum relatione ad Petrum*, qui ea fide ornatus fuerit, & eam confessionem primus ediderit, quo sensu admittunt fundamentum eam fecisse Patres Ecclesiæ, quod scilicet eam remuneratus sit in Petro Christus Dominus. Igitur rationibus hanc distinctionem oppugnat homo

SPALAT. Num. 14.

sine ratione. *Nam*, inquit, *fides in Petro, vel est ratio finalis, cur Petrus sit fundamentum, & sic vbique vbi erit illa fides & illa confessio, erit fundamentum; vel est tantum conditio sine qua Petrus non esset fundamentum, & sic locutio est valdè impropria.*

Digitized by Google

propria. Reſpondeo breuiter neutrũ eſſe, ſed cauſam eſſe meritoriam, vt etiam à nobis ſupra probatum eſt teſtimonio Patrũ. Quemadmodum enim cùm ſcribit Nazianzenus Athanaſium aut Baſilium Eccleſiæ gubernacula, hũc quidem Cæſareæ, illum verò Alexandriæ, ob eximiam fidem, pietatem & doctrinam ſuſcepiſſe, non cauſam finalem aut formalem, ſed meritoriam deſcribit; ita Patres cũ fidem aut confeſſionem fidei, Petrum ad faſtigium imperij Eccleſiaſtici euexiſſe contendunt, non agunt illi de cauſa aut finali aut formali, neque etiam præcisè de conditione ſine qua non, ſed de cauſa meritoria; quippe cuius interuentu eum honorem à Chriſto ſit conſequutus Petrus. Nam quod Chriſtum his diuinis verbis confeſſus fuiſſet, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, eum hoc honorificentiſſimo reſponſo dignatus eſt Chriſtus; *Sed & ego dico tibi, quia, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Nihil aut plenius aut etiam planius dici poſſe, mea quidem eſt ſententia. Namque Patres ferè omnes aſſerunt hac ſua confeſſione promeruiſſe Petrum, vt caput Eccleſiæ conſtitueretur, & princeps Apoſtolorem renunciaretur. Neque verò propterea neceſſe ſit, vt vbicunque ea fides effulſerit, ibidem ſtatim fundamenti nomen cogitetur; Non enim ſimpliciter fidem & confeſſionem Petri remuneratus eſt Chriſtus, ſed fidem illam remuneratus eſt & confeſſionem, quod ad eam edendam primus à Patre excitatus eſſet Petrus, & primus eam prodidiſſet. Concidunt ergo illa ineptiſſima argumenta de communione reliquorum fidelium, vt & illa de improprietate locutionis, nam poſita illa cauſa morali & meritoria quam ſtatuimus, neque oportet omnes confeſſionis Petri participes eius dignitatis quoque participes eſſe, cùm in eius confeſſionis præmio hoc attendatur, quod reliquos Apoſtolos ſit antegreſſus, & ab vſitato more loquendi non recedatur, cùm dicitur, *Fidem eſſe cauſam moralem, cur aliquis præmium aut honorem ferat à Chriſto*. Ibidem.

Nec dum arma ponit Spalatenſis; *Quicquid ſit de hoc*, inquit, *certè loca quæ protuli, cùm non habeant adiunctum Petrum, de fide & confeſſione abſolutè, & ſine relatione ad perſonam Petri erunt intelligenda; alioquin non ſine violentia magna flecti poſſunt, vt per fidem & confeſſionem intelligatur ex vi verborum, Petrus fidelis & confitens. Dicebat ſuprà Auguſtinus, Super hanc fidem ſuper id quod dictum eſt. Hìc apparet*, perſequitur Spalatenſis, *manifeſta ſeparatio fidei & confeſſionu ab ipſo Petro fidem confitente*. Atqui ni fallor, & ſermo ad eum qui prociarit, omnino referri debet & confeſſio ad eum qui ſit confeſſus, & fides ad eum qui illa fuerit ornatus; ergo quocumque ſe vertat Spalatenſis, efficere non poteſt, vt Petrus ab illa ſua eximia fide aut confeſſione abſtrahatur. Etſi enim in aliis quoque fidelibus poſſit intercedere, etiamnùm ſumma huius virtutis communio, tamen eo gradu quo fuit in Petro, in neminem conuenire iam poteſt, quod vt diximus haud ſpectarit, Chriſtus ſolam fidem aut confeſſionem, ſed eam fidem & eam confeſſionem quam primò protuliſſet Petrus à Patre excitatus. Quod attinet ad locum Auguſtini diximus ſuprà, eo loci receſſiſſe, eum vt locus indicat, à communi ſententia propter Donatiſtas, qui in ſanctitate miniſtrorum vim ponerent, & efficacitatem Sacramentorum. Seiungit ergo Petrum à Chriſto eo loco Auguſtinus, quantum ad principalem rationem ædificationis, ne quis diceret, *Ego ſum Pauli, ego ſum Cephæ*. Hunc enim Apoſtoli textum verſat *Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Dominus Ieſus*, ex eoque elicit dictum Petro, *Super me*, inquit, *ædificabo te, non* SPALAT. Num. 15.

me ſuper te; id eſt, non à te conſequar, vt ædificare poſſim Eccleſiam meam, ſed tu à me conſequeris, vt illi ſupra me tanquam ſupra primo & maximo fundamento, ædificandæ, par eſſe poſſis, imò vt tu ipſe ædificeris, non autem ſpectat rationem & operam, vt vocant, vicariam & miniſterialem, in qua præſtanda proculdubio Petrum ſententia Auguſtini adhibuerit, & fundamentum ſecundarium fecerit, vt eſt à nobis centies probatum. Quod verò occaſione huius loci in Breuiarij reformatores inuehitur Spalat. ne nauci quidam faciendum ſit; quid enim diſſertori & Breuiario, quid impio & pietati? Cæterùm expendimus etiam ea loca quæ more ſuo repetit Spalatenſis Gregorij & Bernardi, ſeu Innocentij, ac oſtendimus proculdubio confeſſionem & fidem à Petro non abſtraxiſſe illos Patres. At iam noua auxilia aduocat aduerſarius. *Vt melius*, inquit, *hanc diſtinctionem (de fide abſolutè, ac ſecundum ſe, & ſine relatione eſſe) merum effugium oſtendamus, affero nouum Ambroſij locum, ſubterfugium hoc nullo modo admittentem. Ait enim, Fides ergo eſt Eccleſiæ fundamentum, non enim de carne Petri, ſed de fide dictum eſt, quia portæ mortis ei non prævalebunt, ſed confeſſio vincit infernum, & hæc confeſſio non vnam hæreſim excludit. Nam cùm Eccleſia multis, tanquam bona nauis fluctibus ſæpe tundatur, aduerſum omnes hæreſes debet valere Eccleſiæ fundamentum. Videſne*, inquit, *Lector, ab Ambroſio expreſsè negari Petram illi ad perſonam Petri referri? Non enim de carne Petri, ſed de fide dictum eſt, &c. Nemo, puto, dubitabit per carnem, ſuppoſitum ipſum, ſeu perſonam, atque indiuiduum, intelligi. Vidit locum Baronius; cui hanc appoſuit expoſitionem. Hanc idcirco Ambroſius de carne Petri, & de fide Petri habet diſtinctionem; ne videretur cum Petro etiam interiiſſe Eccleſia: cæterùm non niſi ex fidei confeſſione eam Petrus prærogatiuam promeruit. Sed hæc expoſitio videtur ſatis frigida, & nullius momenti. Habet enim Ambroſius contradiſtinctionem huiuſmodi: Non loquitur (ait) de Petri carne; ſed de fide: dubitari enim poterat, num de Petro ipſo, an de ipſius fide intelligi deberet, id quod à Chriſto promittebatur verbis illis, Et portæ inferi non prævalebunt, &c. Ac reſpondet; non de Petri carne, ſed de fide illa intelligi: quomodo verò formabitur contra diſtinctio ad mentem Baronianæ expoſitionis?* Dicat igitur ſimiliter contradictionem ſubeſſe in illo dicto Hieronymi, *Petrus ſuper aquas ambulat graui & ſolido corpore, vnda non cedit, paululum fides dubitat, & ſtatim naturam ſuam corpus intelligit, vt ſciamus ſuper aquas non corpus ambulaſſe, ſed fidem.* Puto enim quod hîc de Ambroſio dicit Spalatenſis, per corpus quoque Hieronymum, *Suppoſitum ipſum ſeu perſonam atque indiuiduum* intellexiſſe. Atqui poſita etiam oppoſitione Hieronymi inter corpus & fidem Petri, omnis contradictio ſoluitur, adhibita diſtinctione inter *cauſam & ſuppoſitum*. Namque & verum eſt corpus, qua, *ſuppoſitum*, ſignat, ambulaſſe ſuper aquas, & fidem tanquam miraculi cauſam itidem ſuper aquas ambulaſſe. Sic igitur in propoſito optimè diſtinguit Baronius inter fidem & Petrum, vt contra Petrum tentationum fluctus non prævaluerint, vicerit autem fides, hoc eſt eius victoriæ quam reportarit aduerſus inferorum portas cauſa cenſeatur. Hæc adeo ſimilia ſunt, vt non magis ouum ouo ſimile haberi poſſit. Fruſtra igitur eſt Spalatenſis in Baronio oppugnando. Id enim agebat Ambroſius, vt cauſam eliceret cur immobilis & inuicta perſeuerarit Eccleſia ſupra Petrum fundata. Hoc autem aſcribit fidei, non carni Petri. Neque verò Baronius Ambroſio contrarius eſt, vt enim eam prærogatiuam Petri dixerit, cuius tamen cauſam vidit doctiſſimus Annalium Scriptor, non à carne Petri, ſed à fide deriuari exiſtimauit.

SPALAT. Num.16.

Ambroſ. de Incar.c.5.

Baron.to.1. ann.33.nu. 23.

Hieron.ad Pamm.adu. error.Ioan. Hieroſol.

Baron.to.1. ann.33.nu. 23.

existimauit. Stultum autem est putare carni Petri, hoc est hypostasi Petri nõ esse factam eam promissionem, *& portæ inferi non præualebũt*, cùm apertissimis verbis dixerit Christus, *Tu es Petrus, & super hãc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* An non enim, Marce Antoni, illud nomen *Petrus*, nomen est personæ *& individui? Illico*, ait Basilius, *per hanc vocẽ Petrus* intelligimus Ionæ filiũ, qui fuit ex Bethsaida Andreæ fratre, qui ex piscatore in Apostolatus ministerium vocatus est, τὸν διὰ πίστεως ἐπερχωὴ ἐφ' ἑαυτὸν τὸν οἰκοδομεῖν τῆς ἐκκλησίας δεξάμενον. Vides igitur, Lector, cùm carni Petri negatur victoria, de inferorum portis spectari eam secũdum propriam, adeoque nudam rationem carnis: cùm autẽ ei tribuitur ille triumphus spectari iuxta rationem gratiæ, hoc est vna cum fide quæ illi aduersus tentationes præsidio sit & tutamento. Pluribus opus non est ad ea euertenda, quæ duabus integris sectionibus de loco Ambrosij verbosissimè disputat Spalatensis. Eodem sane spectauit Augustinus, cùm verba Christi ad Petrum propriè dicta, *non habere illustrem intellectum, nisi cùm ad Ecclesiam referuntur*, asseruit: cùm enim ad Ecclesiam referantur eam fidem inuoluunt, quam nomine Ecclesiæ professus est Petrus, vnde & claues accepit, quæ Ecclesiæ vsibus accommodarentur & deseruirent: sed nos plura de Augustini loco in superioribus. At instat Spalatensis, *Si Augustinus & Ambrosius non sufficiunt ad tollendum omnem scrupulum, ijs qui non libenter audiunt fidem à Petro cõfessam, absque vlla relatione ad Petrum, intelligi Petrã illam super quam fundanda erat Ecclesia, addam ipsis adhuc Chrysostomum, Tu es Petrus, & super hanc Petram, non dixit (inquit Chrysostomus) super Petrum, non enim super hominem, sed super fidem ædificauit Ecclesiam suam. Quid autem erat fides, Tu es Christus filius Dei viui, Petram vocauit Ecclesiam fluctus suscipientem, & non titubantem. Etenim Ecclesia tot suscipit tentationes, non tamen vincitur. Quid est super Petram; Hoc est super confessionem, super sermones pietatis. Audisti non super Petrum, non super hominem, sed super fidem, super confessionem. Quid quæris clarius? Lutherus ne Cẽturiatores, Smalchaldica Synodus & similes, quos nobis tanquã portenta quædã nominat Bellarminus, erunt huius expositionis authores, an verò optimi quique, & doctissimi ac sanctissimi Ecclesiæ Catholicæ Doctores & Magistri? Et non erit magna temeritas hanc expositionẽ aduncо naso respuere, & inter putatas quisquilias hæreticorũ reponere?* Respondeo, hic suo se gladio iugulat: Etsi enim Chrysostomus triumphos Petri ad confessionem refert, Petrum tamen à confessione non seiungit. Audiamus aureum os & virum planè Episcopatu dignum, de hac re differentem ipsis in Matthæum Commentariis, *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, id est*, inquit Chrysostomus, *fidem atque confessionem. Hic apertè prædixit magnam eorum qui crediturі & erant, & sunt multitudinem fore, & sublimiora sapere ipsum facit, & Ecclesiæ pastorem constituit.* Ergo fidei confessionem aduersus inferorum portas præualituram ad Petrum pastorem à Christo institutum refert, nec vnum ab altero seiungit. Loco autem à Spalatẽsi adducto Petrum, vt merum hominem spectat, atque negat eo sensu super eum fundatam Ecclesiam. Neque verò cùm fidem Ecclesiæ præsidium & firmamentum facit quo nitatur, eam à Petro auellit, aut separat. *Quid autem*, inquit, *erat fides, Tu es Christus filius Dei viui?* Quæro igitur à Spalat. Quis ea verba protulit? Quis confessus est? An non Petrus fœlix à Christo hoc nomine nuncupatus? Addo Chrysostomum eo loci de obiecto fidei propriè loqui, cuius fundamentum non homo, sed Christus ipse sit, ideoque meritò non supra Petrum, sed supra fidem Ecclesiam esse ædificatam prædicasse. Susceperat enim probandum aduentu Spi-

Basil. lib. 2. cont. Euno.

Spalat. Num. 18.

Spalat. Num. 19. Chryl. ser. de Pentec. tom. 3.

Chrysost. hom. 55. ad c. 16. Matth. Τουτέστι τῇ πίστει τῇ ὁμολογίᾳ. ἐπιδείκνυσι τὴν διάνοιαν τοῦ λεγομένου· πάλιν γὰρ πιστεύσαντες, καὶ ἀποστάντες τὰ ῥήματα, καὶ πεισθέντες πάντα.

Digitized by Google

ritus ſancti factum, vt Eccleſia nullis mergeretur fluctibus, nullis expugnaretur tentationibus, hoc autem non habere à ſuæ naturæ conditione, ſed ab eo qui dixerit; *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi*, oſtendit. Huius verbum potentiſſimum eſſe clamat, cui vim vltimam inferre tyranni non poſſunt. *Facilius*, inquit, *cælum exterminari poteſt, & terra perire quàm aliquid mali pati Eccleſiam. Quis eſt qui hæc dixit, ipſe Chriſtus loquitur, Cælum & terra tranſibunt, verba autem mea non præteribũt. Benè enim Verbum Dei ipſo cælo validius eſt, quia cælum opus Verbi eſt, &c. quæ autem ſunt verba, adducamus in medium, videamus ne forte intercideriut*, & quæ ſequuntur, vt planè conſtet de obiecto fidei & doctrinæ loquutum eum; quo nixos non ſolùm Apoſtolos, ſed & reliquos fideles victores euaſiſſe tyrannide proculcata commonſtrat. Atqui cùm de fundaméto miniſterij Eccleſiaſtici agit, ad vnum confugit Petrum, & quidem tanquam ad principem Apoſtolorum à Chriſto in fide ſolidatum & firmatum. Addo eam de Pentecoſte homiliam non cẽſeri inter germana ac genuina opera Chryſoſtomi, nec in poſtrema editione operum eius apparere, quod ſcilicet Græcè non extet. Certè veris operibus adeo validè noſtram propugnat ſententiam, hoc eſt fidem non eſſe à Petro ſeiungendam, vt huius eum faciat firmamẽtum, & confeſſionis fundamentum. *Petrus chori Apoſtolorum princeps, os diſcipulorum, columna Eccleſiæ, firmamentum fidei, confeßionis fundamentum, orbis terrarum piſcator, qui genus noſtrum ex profundis errorum in cælum ſubtraxit, &c.* Auelle igitur, ſi potes, Marce Antoni, fidem à ſuo firmamento, & confeſſionẽ à ſuo fundamento. Vt tamen planior ſit huius capitis doctrina, aduertẽdum eſt quod ante nos monuerunt viri doctiſſimi, tum fidem in Chriſtum, tũ confeſſionem eius fidei, tum Petrum fundamenta Eccleſiæ diuerſis rationibus conſtitui. Igitur ſunt hæc tria diſtinguenda. Primò fides in Chriſtum quę in eo conſiſtit, vt credamus Chriſtum eſſe filium Dei verum Deum ac verum hominem. Secundò confeſſio illius fidei de qua Apoſtolus, *corde creditur ad iuſtitiam, ore autem fit confeßio ad ſalutem.* Tertiò prædicatio eiuſdem fidei, de qua idem Apoſtolus. *Quomodo credent ei quem non audierunt, quomodo autem audient ſine prædicante, quomodo verò prædicabunt niſi mittantur?* Iuxta igitur hanc diſtinctionem hæc tria iſta pronuntiata omnino vera ſunt. Primum *Chriſtus eſt primum & maximum fundamentum Eccleſiæ*, quod nimirum fidei Chriſtianæ obiectum ſit Deus & homo, creator & redemptor. Secundum *Petrus eſt ſecundarium fundamentum Eccleſiæ*, ratione ſcilicet confeſſionis illius fidei, quam primus Apoſtolorum profeſſus ſit his verbis; *Tu es Chriſtus filius Dei viui*, cuiuſque interuentu promeruerit firmitatem ac ſtabilitatem, quam tum pro ſe tum pro ſuis ſucceſſoribus ſit conſecutus. Tertium, *Apoſtoli ſunt ſecundaria fundamẽta Eccleſiæ vnà cum Petro*, ratione prædicationis eiuſdẽ fidei & miniſterij, ita vt tamen eam firmitatem quidem pro ſe, non tamen pro ſuis ſucceſſoribus conſecuti ſint. Igitur ad prioris pronunciati amuſſim illud exigẽdum eſt quod tantoperè vrget Caluinus, Apoſtolum ſcripſiſſe, *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitũ eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* Nam loquitur Apoſtolus de fundamento primo & maximo, quod ſit fidei noſtræ obiectũ; quodque animo cõplecti omnino teneamur, ſi modo Chriſtiani eſſe velimus. Ita enim articulus de diuinitate & humanitate Chriſti fundaméti rationem habet, vt quicunque alij ſuperſtruuntur aut ſuperædificantur, fidei noſtræ quâ Chriſtiana dicitur, acceſſiones quædã cenſeantur, & veluti ad eam fidem appẽdices. Scio quoſdã de fide viua eum locum interpretatos, ſed penitiùs intuẽtibus ac mentẽ Pauli altius ſcrutãtibus, apparet illum de doctrina fidei Chriſtianę locutũ,

Chryſ. de debit decẽ milium talent.

Πίστος ὁ τῷ λαῷ τῶν ἀποστόλων κορυφαῖος, τὸ στόμα τῶν μαθητῶν, ὁ στύλος τῆς ἐκκλησίας τὸ στήριγμα τῆς πίστεως, ὁ τῆς οἰκουμένης ἅλας, &c. Rom. 10.

cuius

cuius aliud fundamentum esse non possit quàm Christus propter rationem adductam. Iuxta secundam intelligẽdum est confessionem quidem *causaliter*, Petrum verò *formaliter* fundamentum esse, non fidei (vni scilicet Christo hoc proprium est) sed ministerij Ecclesiastici. Hoc enim rursus obseruandum est longe hæc differre *fundamentum fidei*, & *fundamentum ministerij*, quo spectabile regimen Ecclesiæ veluti capite sustentatur. Igitur hoc sensu dicimus, Petrum esse fundamentum Ecclesiæ, quod ei dictum sit à Christo, *Tu es Petrus, & super hãc Petram ædificabo Ecclesiam meam*: Patres enim omnes potissimũ, qui ante exortam Arrianorum factionem floruerunt, ex eo loco colligunt Petrum à Christo constitutum principem & pastorem Ecclesiæ, vt probant loca superiùs à nobis adducta in confirmationem prioris sententiæ, quam esse Catholicorum cõmunem ostendimus. Addimus verò quæcunque ad huius principatus dignitatem pertinere possint, ea consecutum Petrum merito diuinioris cuiusdam confessionis, quàm silentibus reliquis, quod quid responderent iam non occurreret, ediderit. Habent enim hunc sensum verba Christi, *Beatus es Simon Barjona*, ob excellentiam & præstantiam huius tuæ cõfessionis, quâ in hæc verba eruperis, *Tu es Christus filius Dei viui*; Atque ideo tam præclaræ vocis ac cõfessionis intuitu, te iam in Ecclesiæ meæ fundamentum sum consecraturus; quare in animo est te firmam Petram & spirans saxum facere, cui hæc me authore moles & fabrica innitatur. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Quorsum istud petis? Quia ita rebus tuis consului, ac tibi prospexi vt casura nunquam sit fides tua; *Ego enim pro te rogaui, vt non deficiat fides tua.* Itaque Patres rectè dixerunt fidei confessionem esse fundamentũ Ecclesiæ, confessionem scilicet vnâ cum Petro spectatam, atque quidem Petrum *formaliter*, fidem verò *causaliter* hoc nomen sibi vendicare. Hìc tamen obiter monuerim, Patres qui per Metonymiam confessionem fidei Petri fecerint fundamẽtum Ecclesiæ, id fecisse importunitate Arrianorum, qui cùm Christum via generationis à Patre procedere inficiarentur, conuincẽdi fuere aperto aliquo testimonio, quod id maximè vrgeret & cõprobaret. Existimarunt autem Patres ad id præstandum quàm maximè idoneam esse Petri confessionem, in qua haud solùm Christus filius Dei, sed *filius Dei viui* dictus esset, quod scilicet *gignere ex se alium, viuentium proprium sit.* Est enim, sententia Philosophorum, *Generatio origo viuentis à viuente.* Itaque cùm Tertullianus, Origenes, & Cyprianus Arrianis superiores locum Matthæi de Petro intellexissent, atque fundamẽtum esse Petrum pronũciassent: Hilarius, & qui eum secuti sunt in eo sensu non acquieuerunt; sed cùm illum constantissimè tenerent, alium quoque persecuti sunt, qui Catholicam causam aduersus Arrianos fulciret. Hinc videre est tum Hilarium, tum Chrysostomũ, tum Cyrillum, modò hunc, modò illum sensum ita amplexatos, vt tamen à neutro abhorruerint, sed vtrũque pro orthodoxo habuerint. Tantum autem abest, vt hoc recentius interpretamẽtum funditùs sustulerit priorem sententiam, vt etiam illo sęculo extiterint, qui locum illum, *Tu es Petrus*, Petro, in ratione Petræ, spectato tribuerent. Audi Basilium; [a] *At Petrus dixerat iam antea & beatus pronunciatus fuerat: cùm dixisset, Tu es filius Dei excelsi, & vicissim audierat, se esse Petram, ita laudatus à Domino: licet enim & ipse Petra esset, non tamen Petra erat vt Christus. Vt Petrus Petra erat, Nam Christus verè est immobilis Petra, Petrus verò propter Petram.* Iuxta tertium pronunciatum intelligendum est illud Apostoli, *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* Quo loco dicuntur Apostoli & Prophetæ fundamẽta Ecclesiæ, quod nimirum Apo-

Orthodoxa interpretatio verborum Christi ad Petrum.

Luc. 22.

[a] Basil. hom. de Pœniten. Πέτρος εἶπεν ἡ ἐυλογημένος, εἶπεν ὅτι υἱὸς εἶ, τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, ἠκούσατο ὅτι πέτρα εἶ, (aduerte πέτραν) ἐνεκαινίσθη ἡ καὶ πέτρα, ἀλλ' οὐχ ὡς Χριστὸς πέτρα· ὡς Πέτρος πέτρα. Χριστὸς δὲ ὄντως πέτρα ἀπλανὴς. Πέτρος δὲ διὰ τὴν πέτραν.

ſtolorum & Prophetarũ fidei, doctrinæ prædicationi & inſtitutioni quaſi fundamento Eccleſia incumbat, quo interpretes referunt illa Dauidis, *Fundamenta eius in montibus ſanctis*; *Ipſe*, Chriſtus, *angularis lapis*, inquit Auguſtinus, *montéſque Apoſtoli, Prophetæ magni, portantes fabricam ciuitatis, faciunt viuum quoddam ædificium.* In fundamẽtum ergo Eccleſiæ poſitos Apoſtolos, reliquoſque Chriſtianos eis veluti ſuperædificari, atque hoc modo abſolui Eccleſiæ fabricã, docet Paulus. Nam quod *Antichriſtianam vocem eſſe aliud ponere fundamentum quàm Chriſtum*, occentat Beza, verè Antichriſtianum eſt, ſi de omni, omnino, fundamento intelligatur, cùm Scripturam ſacram funditùs euertat, quæ Apoſtolos fundamenta, *ſecundaria* ſcilicet, Eccleſiæ faciat. Certè in Apocalypſi Ioannis, *murus ciuitatis* Hieruſalem de cœlo deſcendẽtis, hoc eſt Eccleſiæ, habere fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina Apoſtolorum agni, dicitur. Vt igitur quæ ſunt à nobis vberiùs explicata vno veluti faſce complectamur. Dicimus Chriſtum primum & maximum fundamentum eſſe fidei noſtræ, adeóque totius Eccleſiæ, neque in huius honoris conſortium aliquem Apoſtolorum, ne quidem ipſum Petrum vocãdum eſſe. Addimus Petrum miniſterij Eccleſiaſtici fundamentum eſſe præcipuum, quod emiſſa diuiniſſima confeſſione Petræ nomine, adeóq; primatu Eccleſiæ ornatus ſit à Chriſto; Apoſtolos huius miniſterij participes facimus; hoc enim erant quod Petrus in Apoſtolatu, cuius partes quoque eſſent ſuſtentare Eccleſiam, non ſolùm docẽdo, ſed etiam regendo; verumtamen exordium ab vnitate proficiſcitur, ac vnus à Chriſto eligitur, *quô capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Ergo regũt Eccleſiam Apoſtoli, regit Petrus, ſed principatũ obtinet Petrus, hoc eſt nomine & poteſtate capitis, etiam Apoſtolorum, gaudet. Propterea igitur peculiari quadam ratione *Petra*, hoc eſt fundamẽtum Eccleſiæ à Chriſto eſt nũcupatus. Quod attinet autẽ ad miniſterium prædicationis Euãgelij, pares omnino fuerũt Petro Apoſtoli. Imò *plus ſe in eo miniſterio implendo laboraſſe*, nó immeritò gloriatur Paulus. Cæterũ cũ de Petro agitur, meminerit Spalat. nec eum quà caput eſt Eccleſiæ à fide abſtrahendum eſſe, nec fidem aut confeſſionem fidei quam ſit remuneratus Chriſtus, ab eo auellendam. Meminerit item ſi qui Patres videri poſſint fidem à Petro ſeiunxiſſe illos de fide iuxta primam rationẽ, hoc eſt iuxta rationem præcipuam ſui obiecti locutos; ſic enim proculdubio fides à Petro rectè ſeparari poteſt, cùm vnũ reſpiciat Chriſtũ Deum & hominem, qui eius ſit primum & maximum fundamentum. At verò cùm de fide loquuntur, quæ promerita ſit vt Chriſtus Petrũ faceret fundamentũ Eccleſiæ, de fide Petri proculdubio loquutos, quæ ab eo auelli non poſſit, nec ad alios ſe porrigat, niſi participatione quadã quatenus ſcilicet in eius ſententiam annuendo & conſentiendo diſceſſerunt. Neque enim ipſi Apoſtoli authores fuêre huius confeſſionis primùm edendæ, ſed afflatu Patris editam à Petro probarunt, eíque aſſenſi ſunt vnde & dignitatis Petri participes quidem facti ſunt, ſed ipſe princeps & caput illius chori, adeóque totius Eccleſiæ eſt conſtitutus.

Pſal. 86. Auguſt. in Pſal. 86.

Beza ad locum Apoſtoli *fundamentũ aliud, &c.* Apoc. 21.

Hier. lib. 1. cont. Iouin.

SPALAT. Num. 20. Bellar. lib. 1. de Pontif. c. 19.

Iam aggreditur Spalat. ad ea refellenda quæ ab Illuſtriſſimo Cardinali Bellarmino ſunt in medium allata, ad euertendas eorum ſententias, qui aliò quàm ad Petrum verba Chriſti, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, referrent. *Oppoſuit*, inquit, *Bellarminus; Si ita eſſet* (hoc eſt ſi vera eſſet ea opinio quę devno Chriſto dicta eſſe verba, *Et ſuper hanc Petram ædificabo*, contendit) *non diceret Dominus, ſuper hanc Petram ædificabo, ſed ædifico, vel ædificaui Eccleſiam meam. Iam enim multi crediderant, ſed oppoſitioni huic facilè ſit ſatis, reſpondendo, ſermonem eſſe de Eccleſia Chriſti, prout diſtinguitur à Synogoga, de illa videlicet quam*

Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus Dominus eſſet fundaturus; non de illa quæ eius aduentum præceſſit, cuius licet idem ipſe caput eſſet tanquam venturus, non erat tamen illa ab eo Deo-homine fundata, neque actu cum ipſo deſponſata; Neque loquitur de ſola Eccleſia ſua inchoata, & nondum à Synagoga perfectè ſeparatà, ſed de illa quæ eſſet propriè Chriſtiana Eccleſia, iam ſanguine eius abluta, & in baptiſmate mundata, ea verò non niſi poſt Paſſionem & Reſurrectionem fundari cæpit, & dilatari, vti iam dixi, Catholicos, Theologos explicare. Sed primùm nos ſuprà oſtendimus merum eſſe figmẽtum, & hominis parum accuratè Theologiam tractantis commentum eam ſententiam, quæ nomen Eccleſiæ cœtui Apoſtolorum ac primorum fidelium negaret; Cùm planè certum ſit etiam ante paſſionem Chriſti Eccleſiam à Chriſto colligi cæpiſſe, adeoque auguſtiſſimum hoc nomen ſibi vendicaſſe, quod tũ primùm fundata eſſet à Chriſto, leges accepiſſet & Sacramentis, à Sacramentis etiam Synagogæ diſtinctis, eſſet ornata. Itaque & ſi tum fulgorem ſuum, vt diximus, non eſſet conſecuta, fundabatur interea, vt propterea ſi de ſe ipſo ſuper quem fundaret Eccleſiam, ſermonem habuerit Chriſtus, proculdubio ei dicendum fuerit, *Non ego ædificabo, ſed ego ædifico Eccleſiam meam*, cuius ſcilicet tum fundamẽta iaceret, imò ieciſſet. Si enim benè aduertis, Marce Antoni, ædificatio à fundamentis incipit, quare cùm illa etiam ante paſſionem iacerentur, atque tum Apoſtolos, tum alios plures diſcipulos ædificaſſet ac inſtituiſſet, dicere omnino debuit, *ego ædifico*; Sed aliò ſpectaſſe eum certum eſt, atque idcirco futuro vſum ædificabo, quod nimirum nondum conſtituiſſet Petrum fundamentum, ſed id poſt reſurrectionem præſtiturus eſſet. Chryſoſtomum nobis opponit Spalatenſis; *Vnico*, inquit, *nunc Chryſoſtomo contenti ſumus. Duodecim erant*, inquit, *diſcipuli ſequentes ipſum, & Eccleſiam referebant, quamuis nullus tunc eam mente conciperet, ſi quidem nec nomen Eccleſiæ erat, ſed florebat Synagoga. Itaque*, inquit Spalat. *& Chriſtus & fides Chriſti Eccleſiã illam quam meam dixit Chriſtus, poſt paſſionem tantùm & reſurrectionem ædificauit: ac ideo dixit Petro, ædificabo, & non dixit, ædifico, vel ædificaui.* Atqui non videt eloquentiſſimũ Antiſtitem eò loci, non de Eccleſia vtcunque ſpectata, ſed de Eccleſia inſtar ſolis in omnibus gentibus, quas ſol, vt ille loquitur, aſpectat, obtinente. *Nec ideo*, inquit, *quia paucis dicitur*, id eſt cum paucis, *ædificabo Eccleſiam tranſcurras obiter, ſed conſidera, & cogita tecum quid ſit in tam breui tempore omnem ſub ſole terram tantis Eccleſiis impleri, tantas gentes ad fidem transferri, populos perſuaderi, vt patrias leges abrogent, conſuetudinem ſtabilitam & radicatam reuellant, imperium voluptatis, nequitiæ vim, tanquam puluerem abijciant, altaria, & templa, & ſtatuas, & ſacrificia, & profana feſta, & immundum odorem ſicut ſimum aliquem aboleant. Et excitent altaria vbique gẽtium, in regione Romanorum, Perſarum, Scytharum, Maurorum, Indorum, & vltra orbem noſtrum.* Vides igitur inſinuaſſe Chryſoſtomum, infidelibus, & exteris quidem tunc incognitam fuiſſe eam Eccleſiam, quæ poſtea totum orbem peruagata ſit, atque crucifixo faſces ſummittere etiam ſummos Reges adegerit. At non negaſſe iam ante paſſionem eam in diſcipulis incœpiſſe, ac enituiſſe; Duodecim enim Apoſtolos *eam retuliſſe*, ipſe clariſſimis verbis docet. Cæterùm ſupra monuimus aliud eſſe Eccleſiam fundari & ædificari, aliud augeri & propagari. Ædificari cæpit ſpirante, & in terris agente Chriſto, propagata eſt autem poſt paſſionem ac eo in cœlum recepto. Alterum argumentum Bellarmini vellicat Spalatenſis. *Opponit 2. Bellarminus*, inquit Spalatenſis, *debet eiuſdem generis eſſe fundamentum & reliquum ædificium: eſt autem*

SPALAT. Num. 20. in fine.

Chryſ. adu. Gent. *Quod Chriſtus ſit Deus.* Ἐπίσκεψαι ἀλλ' ἐκεῖνον θεὸν ἀπὸ ὑψηλοῦ κεφαλαίου ἀπ' ἐκκλησιῶν ἐν χρόνῳ βραχεῖ πεπεισμένας, &c. καὶ πανταχοῦ θυσιαστήρια ἀνεστῶτα ἐν τῇ Ῥωμαίων χώρᾳ, ἐν τῇ Πέρσῶν, ἐν τῇ Σκυθῶν, ἐν τῇ Μαύρων, ἐν τῇ Ἰνδῶν.

SPALAT. Num. 21.

Eccleſia hominum congregatio, quaſi lapidum viuorum; vt dicitur 1. Petri 2. Debet ergo Petra quæ eſt fundamentũ, eſſe etiam aliquis homo nõ aliqua virtus. Quaſi verò, inquit, *quiſpiam ponat pro fundamẽto Eccleſiæ fidem in concauo lunæ, vel alibi, à ſuo ſubiecto ſeparatam, & nudam per ſe, tanquam accidens ſine ſubiecto. Fidem illam ponunt Patres fundamentum quam fuit confeſſus Petrus, etiam ſecluſo Petro: hoc eſt fidem diuinitatis Chriſti, in hominibus exiſtentem; & ab hominibus amplectendam,* 1. Pet. 2. *& confitendam, fundare & fundaturam Eccleſiam. Lapides enim illi viui, ratione fidei quæ ſit in ipſis, non in Petro ædificium conſtant Eccleſiæ; Hæc enim eſt metaphora, & non propria locutio: quæ in aliquo quadrat, in alio nequaquam. Vnde ineptè quæritur vera ratio fundamenti; & vera ædificatio: in vera enim ædificatione, poſito fundamento, ſuper ipſum alius lapis ſuperponitur, & ſuper illum alius, & ſic deinceps, vſque ad faſtigium: non ita in Eccleſia; ea enim creſcit & ædificatur, non per ſuper impoſitionem horum lapidum viuorum; ſed per ſolam coadunationem & cohærentiam; nec quidem localem, ſed ſpiritualem, per conſenſum in eadem fide. Similitudo verò ſeu metaphora ædificij in eo conſiſtit; vt ſicut fundamento hærent reliqui lapides, & ab eo ſuſtentantur in illa vnione, & cohærentia; Ita Eccleſia, hoc eſt fideles in fide vna & eadem innixi, inter ſe retinent cohærentiam & vnionem; qua fide ſublata concidunt ex ædificio illi qui cum cæteris fidelibus ſola fide & ei adnexis cohærebant. Hoc autem neque de Petro, neque de vllo homine poteſt verificari. Imò omnino contrarium ſequeretur, ſi homo eſſet fundamentum Eccleſiæ: non enim fideles qui faciunt Eccleſiam, inter ſe ſunt vnum, quia vni Petro, vel alteri homini adhærent, hinc* 1. Cor. 1. *enim ſchiſmata, & diuiſiones illæ; Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ: Sed ſunt vnum, quia in vna fide conueniunt, in qua & Petrus, & Paulus, & Apollo pariter conueniunt: & in vno corpore concordiæ mutuæ glutine, (vt loquitur Cyprianus) copulantur. Non ergo fides eſt tantùm fundamentum iuſtificationis, & omnium virtutum, quod opponit ibidem Bellarminus; ſed etiam eſt fundamentum proximum, & verum vnionis & cohærentiæ inter fideles, quæ vnio & cohærentia facit illud corpus perfectiſſimè compaginatum, & cohærens pulcherrima mẽbrorum diſtinctione, quod eſt Eccleſia. Quid mirum igitur, ſi tot ſapientiſſimi Patres toties inculcant fidem, & non Petrum, eſſe Petram, & fundamentum Eccleſiæ? Certè infra oſtendam vix poſſe explicari, quomodo Petrus ſit, aut poſſit eſſe Eccleſiæ fundamentum.* Atqui hoc non eſt Bellarminũ impetere, ſed Chriſto maledicere, qui minus apta ſit vſus metaphora, & à qua argumentum peti non poſſit ad id firmandum quod ipſe voluerit. Namque Patres omnes, vt oſtendimus, & ipſe ſtatim admiſſurus eſt Spalatenſis, ex eo loco colligunt Chriſti animo inſediſſe illa metaphora explicare, quęnam futura eſſet fidelium in Eccleſia ædificatio, & quo niteretur fundamento. Atqui credo non ineptè exiſtimauit Cardinalis Bellarminus fideles ædificandos homines eſſe ſpectabiles, ac propterea Spalat. quoque fateri oportet eum rectè concluſiſſe, debuiſſe igitur proportione quadam reſpondere fundamẽtum, ædificandorũ conditioni & naturæ. Cùm igitur Eccleſia hominum congregatio ſit quaſi lapidum viuorũ, debet quoque omnino *Petra*, quæ fundamenti rationẽ habeat,

1. Cor. 11. ſpirãs eſſe, ac proinde eſt aliquis homo nõ aliqua virtus. Quod autẽ ex ſchiſmate orto tẽpore Pauli colligit, non poſſe perfectam vnionem mẽbrorum in Eccleſia ſtabiliri homine ad gubernacula tractanda admoto, eoque huius fabricæ fundamento cõſtituto, ineptum & frigidum eſt. Nam huius diſſentionis quam culpat Paulus, cauſa non erat quod quidam Patrũ præ Paulo tanquam Eccleſiæ caput cõplecterentur & obſeruarẽt, aliâs etiam dicendũ fuit, cauſam huiuſmodi quoq;

fuiſſe

fuisse quod Christo se adiungerēt, cùm alius diceret, *Ego quidem sunt Pauli*, alius verò, *Ego sum Apollo*, alius autem, *ego sum Cephæ*, alius denique *ego sum Christi*; sed ea fuerat causa quod Corinthij suum quisque quasi certum doctorem reliquis neglectis deposcerent, ac sibi vendicarent, alij quidem Paulum, alij Apollo, alij Cepham, alij denique Christum perinde quasi eorum diuersa dogmata essent, aut etiam ministros ipsi Christo æquare vellent, vel eos, ab ipsorum magistro ac principe & salutis authore diuellere; Atqui cùm hoc nomine turbas cierent, & tumultuarentur, *Diuisus est Christus*, inquit Paulus, *nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* Quibus verbis ostendit quidam Corinthios, adeóque fideles omnes vno Christo niti debere, ab eoque salutem ex pectare, sed proinde ministrorum qui legatione fungerentur, pro Christo dignitati nihil detractum voluit, sed monuit tantùm Corinthios, vt cum Christo illos non conferrent, quod ipsi non præstamus, qui Petrum *prudentem quidem ac fidelem seruum quem constituerit Dominus super familiam suam* agnoscimus, sed salutis nostræ authorem non facimus: nihil igitur ad rem hoc dissidium Corinthiorum qui *Dominum & seruum*, vt aduertit Theodoretus, *in eodem ordine ponerent*, ac eodem loco haberent. Cæterùm quod attinet ad vnius capitis rationem, nemo credo tam bardus est, qui non videat, vnitatem corporis ab vnitate Capitis pendere, vt propterea diutius nobis non sit in eo immorandum. Et quod de fide vrget Spalatensis, *eam esse fundamentum proximum, & verum vnionis & cohærentiæ inter fideles, quæ faciat corpus perfectißimè compaginatum, ac pulcherrimè cohærens membrorum distinctione*, ad rem non est; fidem enim & fundamentum, & veluti sustentaculum, tum rerum sperandarum, tum virtutum omnium, rectè docent omnes Theologi, quorum doctrinam est secutus Bellarminus, sed quod sciam nemo adhuc præter Spalatensem, *regiminis aut gubernationis* fundamentum esse dixit. Prælucet quidem vt quædam cynosura gubernacula tractantibus, at gubernacula tractare fidem, quis nisi vecors pronunciarit? Est hoc scilicet spirantis hominis, vt benè argumentatur Bellarminus, non virtutis opus aut officium.

Theod. in 1. c. 1. ep. ad Cor.

Postremò sententiæ Caluini opposuerat Bellarminus pronomen *hanc* in verbis Christi referri ad Petram, Petram verò proximè & immediatè enunciatam esse ipsummet Petrum non fidem Petri. Spalatensis impiissimi Heresiarchæ propugnator excipit. *Sed*, inquit, *iam diximus alios per Petram intelligere Christum; à quo Petrus ita denominetur: erit ergo secundum hos, hic sensus; Tu es Petrus, à me Petra ita dictus, & super hanc Petram, à qua tu diceris Petrus, ædificabo, &c. seu sic, Tu es Petrus à fide & confessione de me facta, quæ est Petra ita denominatus; & super hanc fidem, id est, Petram, à qua te Petrum vocamus, ædificabo Ecclesiam meam. Nam, vt inquit Hieronymus, Petrus ex fidei firmitate, nomen accepit, &c.* Atqui nos ostendimus inuictissimis argumentis Patres qui aliò quàm ad Petrum retulerunt, à sensu historico & litterali, vel tantillum recessisse, vt allegorico insisterent, cæterùm litteralem proculdubio esse, qui *hanc Petram*, Petrum interpretatur.

Spalat. Num. 22.

Hier. in ep. ad Titum cap. 1.

Cùm eam sententiam quam nos priore loco tanquam Catholicorum proposuimus, in quartum ordinem reiecerit Spalatensis, iam reliquis aduersus Ecclesiam propugnatis ad hanc suis præsidiis fulciendam aggreditur. Ita nimirum sapientissimi Imperatoris Iosue iussu Gabaonitæ coguntur, *ligna cædere, & aquam comportare in domum Domini*. Prolatis igitur testimoniis non so-

Iosue 9.

Digitized by Google

Num.23.& Num. 24. lùm Sanderi, Bellarmini, & Baronij, ſed & veteſtiſsimorum omnium Patrum Tertulliani, Cypriani, Origenis, Hilarij, Athanaſij, Baſilij, Gregorij Nazianzeni, Epiphanij, Hieronymi, Chryſoſtomi, Cyrilli, Ambroſij, Leonis, Theophylacti, Euthymij, Pſelli, Auguſtini, Concilij Chalcedonenſis, Anaſtaſij Imperatoris, Orientalium Clericorum & Abbatum ad Imperatorem, qui de Petro verba Chriſti, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, ſint interpretati, vanus homo quaſi ſupremâ ſententiam ſibi tribuens, ac ſummum ius de Patribus ſtatuendi, *His*, inquit, *aſſentior & ipſe libentiſsimè*. Sed ne crabrones aduerſum ſe irritaret, hæreticos etiam palpandos ſibi duxit. *Atque hunc ſenſum Euangelica illa verba poſſe habere, ita puto*, inquit, *vt tamen temerarium eſſe cenſeam, hoc ſolo ſenſu retento, duos præcedentes omninò excludere; ſiue etiam quod priùs eſt inter hæreticas ſcripturæ interpretationes eos connumerare.* Addit verò, *Hanc itaque interpretationem Petræ pro ipſomet Petro, vt fortaſſe litteræ congruentem, admitto nunc & probo; ita tamen vt duæ illæ Sanctorum Patrum interpretationes, quæ Petræ voculo vel Chriſtum intelligunt, vel fidem & fidei diuinitatis Chriſti confeſsionem, adhuc vt probabiles maneant, & nihil Eccleſiæ Catholicæ contrariæ, licet hanc de Petri perſona illis probabiliorem eſſe concederemus: libenter tamen Auguſtino aſſentior, & ab eo doceri volo, dum cum ipſo probabile aſſero vtrumque, tum Petram Petrum ſignificare, tum verò Chriſtum à quo Petrus Petræ nomen acceperit; liberúmque eſſe cuique vtram voluerit amplecti expoſitionem. Interim video in poſteriorem magis inclinare Auguſtinum; priorem verò de Petra Petro, vt improbabiliorem, ac propemodum retractandam fermè reiici ab eodem. Atque in interpretatione illa ſua de Chriſto Petra, quæ illi magis placuit, nihil eum cognouiſſe contrarium fidei Euangelicæ, neque præiudiciale primatui Petri; vt etiam ſupra num. 8. monui, eſt manifeſtiſsimum: non enim cognoſcebat illis verbis, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, Petri ſuper alios præfecturam ſtabiliri, aut Eccleſiaſticum regimen vni Petro, Chriſti ordinatione, committi.* Atqui in ſuperioribus oſtendimus, vt probabiles ſint aliæ, tamen hiſtoricas, litterales, directas & proprias non eſſe, ſed allegoricas, indirectas, & à Patribus poſt longa tempora excogitatas. Quæ autem ratiónes illos permouerint, vt eas amplecterentur, eſt à nobis explicatum: maximè cur in illam de Chriſto inclinarit Auguſtinus, quam tamen noſtra probabiliorem cenſuiſſe eum nemo aſſeruerit, cui prius non fuerit negandum reliquiſſe eum lectoris arbitrio, vt quam vellet ipſe eligere poſſet. An enim alteri eorum præiudicatum eſſe voluerit magnus vir, cuius hæc ſint verba, *Harum autem duarum ſententiarum quæ ſit probabilior eligat lector?* An in cauſam vocaturum eum putas illos, quibus noſtra arriſerit poſt relictum nobis liberum ius vtram velimus eligendi, & in quam ipſe etiam tot locis propenderit, quamque non infrequenter laudarit & propugnarit.

Spalat. Num. 25.

Aug. lib. 1. retract. cap. 21.

Aug. lib. 1. retr. cap. 21.

Spalat. Num. 26. His velitationibus præmiſſis iam totis ſignis congreditur Spalatenſis. *Iam verò*, inquit, *admiſſa etiam hac interpretatione de Petro Petra, non modò vt probabili, ſed etiam, ſi vis, vt abſolutè vera, nondum video quo pacto Petri primatus & omnimodus ſuper cæteros Apoſtolos, & totam Eccleſiam principatus ex verbis illis, ſuper te Petrum ædificabo Eccleſiam meam, colligatur. Nam vbinam, & quomodo, & quando verificata fuerit hæc promiſsio, ſuper Petrum innixam Eccleſiam eſſe, & ab eo viſibili regimine ſuſtentari, non nihil laborandum eſt; & præterea adhuc magis laborandum, vt oſtendatur ſolum Petrum fuiſſe hoc Eccleſiæ funda-*

fundamentum, à Chriſto deſtinatum, & primarium lapidem collocatum; adeo vt aliis Apoſtolis hoc neque conueniat, neque à Chriſto idem fuerit ipſis etiam conceſſum. Vtrumque igitur erit diligentius excutiendum. Inuehitur autem in Cardinalem Baronium, qui ex nomine Cephas, atque ex re ipſa quod ſcilicet Petrus ea Petra fuerit, de qua dictum ſit, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, primatum Petri conficere niſus ſit, nunquam ſatis laudato opere Annalium. Verba Baronij ſunt. *Quod igitur diuino humanoque iure, hac optima rationique in omnibus conſentanea inſtitutione, ſanctè piéque ab omnibus, non niſi numine impellente, vel naturæ iure id exigente, mutua velut quadam conſenſione factum eſſe reperiretur: Ieſus qui non legem ſcriptam veniſſet abrogare, iuſue naturale adeò menti cuiuſque inſitum labefactare, ſed numeris omnibus omnia abſolutiſſima reddere, inſtituto iam in Eccleſia Collegio Apoſtolorum, ex illis vnum omnium maximum ac principem, qui cæteris præeſſet, elegit: fuit hic Simon Ioannis, ſiue dixerimus Ionæ (eſt idem Ioannes quod Ionas abbreuiatè apud Hebræos) hic inquam qui (vt vidimus) tam prompto & alacri animo, quæ diuinitùs acceperat, de Chriſti diuinitate palam confeſſus fuit; & ab eo gratiam rependente, ſponſionem illam omnium maximam, quod Cephas vocandus eſſet, acceperat, inpræſentiarum eſt, id feliciter conſecutus, dicente ei Domino: Tu es Cephas (ſic enim vocem hanc, vt à Domino Syriacè eſt prolata, deſcribimus, & ſuper hanc Cepham (quod ſignificat duriſſimam Petram) ædificabo Eccleſiam meam: Latinè ſic dicenda ſententia: Tu es Petra, & ſuper hanc Petram, &c. Sed vſitatius loco Petræ Petrus, quod magis conueniat viro vox maſculina, dici conſueuit. At de nomine Petri, quod idem ſit ac Petra, & non deriuatiuum ab ea ſatis ſuperius oſtenſum eſt, cùm de Cephæ nomine diſſeruimus, eoſque inſigniter decipi ignorantia vocis Syriacæ demonſtrauimus, qui Petrum non eſſe Petram, ſed à Petra deductum eſſe, exiſtimarunt. Quoniam verò hoc ſacro Apoſtolorum conuentu Dominus noſter Ieſus Chriſtus Eccleſiæ ſuæ ſanctæ iacturus fundamentum, primarium lapidem ponit, dicens: Tu es Petrus, &c. quod inſtituti ratio poſtulat, de ipſo Eccleſiæ fundamento paulò fuſiùs agamus. Nemo quid abiectum vel humile cogitet, dum audit ſuper Petrum à Chriſto eſſe ſuperædificatam Eccleſiam, quaſi tanta ſtructura ſuper hominem quempiam innitatur: nam ſic eam dicimus ſupra Petrum eſſe à Chriſto fundatam, vt idem ipſe Chriſtus baſis quædam ſit, ac potius ſtructuræ fundamentum, de quo Paulus ait: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. Et quoniam ſicut caput eſt Eccleſiæ Chriſtus, ita & caput Chriſti (vt idem Apoſtolus ait) Deus eſt: meritò affirmandum ſit tantam molem ædificij potiſſimum ſupra Deum inniti, in quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum in Domino. Verùm quantumlibet Deus omnipotens totum hoc quod oculis cernitur, admirabili quadam ſapientia ac prouidentia moderetur: nihilominus tam in cœlo quàm in terra ſtatuit principatus, quibus qui ſunt ſubditi pareant. Quamobrem licet ipſe ſit auctor Eccleſiæ, protector ac moderator; tamen principatum quemdam in ea eſſe voluit, ac monarchiam quam Petro contulit, ac in eius ſucceſſores propagauit. Sicut ergo (quod certum eſt) nemo poteſt aliud ponere fundamentum, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus; ita etiam nec aliud quiſpiam ponet, quàm quod poſuit Chriſtus, neque conuellet, quod ipſe firmauit, dicens: Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.* Hactenus Baronius. Hic igitur Spalatenſis ſtupenti attonitoque ſimilis, *Quid tibi videtur lector*, inquit, *de celebri huius hominis victoria? Quid de illa quaſi reticentia oratoria, qua omnes Scriptores*

Spalat. Num. 17. Baro. tom. 1. ann. 33. n. 19. & ſeq.

Idem Bar. num. 20.

1. Cor. 3.

1. Cor. 11.

Epheſ. 2.

Spalat. Num. 28.

Digitized by Google

Orthodoxos, & Synodos Petrũ Eccleſiæ fundamentũ conſtanter profiteri affirmat? & tamen ad hoc confirmandũ congeſſit quicquid habuit & potuit. Nec aliud conuicit, ſi tamen conuicit, niſi Petræ nomine poſſe etiã & ſolere ipſum Petrũ intelligi. Quid de illa aſſertione libera & abſoluta, parumque modeſta, Primatum Petri ſtabiliri illis verbis, Tu es Petrus, &c, cum tamen nihil dum habeat de Primatu Petri ex illis; niſi prius oſtendat quomodo ſolus Petrus, ex eo quod dicatur Petra toti Eccleſiæ præficiatur illis Chriſti verbis promiſſoriis tantùm; Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam? Si Baronius Theologicè proceſſiſſet, certè, nondum capta præda, non exultaſſet; neque aſſeruiſſet verbis illis Chriſti, ſuper hanc Petram, &c. Petri Primatum ſtabiliri. Sunt enim, vt dicebam promiſſoria duntaxat, (ædificabo.) Inquirendum igitur erat vbinam promiſſio effectum habuerit, meminiſſe certè poterat, & debebat bonus Iuriſconſultus Gloſſæ illius quæ dicit, Hoc verbo Paſce oues meas, factus eſt princeps (Petrus) extra. de elect. Significaſti, non illo, Tu es Petrus, &c. Diceres penes hunc ineptiſſimum & inſolentiſſimum Ariſtarchum, iſtarum rerum arbitrium & cenſuram omnem eſſe. Atqui mi Antoni peritiorem, doctiorem, & ab omni affectu liberiorem iudicem requirunt & poſtulant. Tu ne cœcus qui non videas Patres à Baronio inductos, clariſſimis verbis Primatum Petri inſinuaſſe, atque ex loco Matthæi quem verſamus probaſſe? Id ſi verum non eſt, quid igitur ſibi voluit Cyprianus, cùm referente Baronio diceret, *Petrus, cui oues ſuas Dominus paſcendas tuendáſque commendaret, ſuper quam ædificauit & fundauit Eccleſiam, aurum quidem ſibi eſſe & argentum negat.* Ac rurſus, *Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia & Cathedra vna monſtretur, &c.* Hæc enim quæ in Geneuenſibus editionibus omittuntur, tanquam genuina & germana Cypriani, poſt Pamelium & aliquot vetuſtiores Decreti compilatores, eſt amplexatus: Qua de re videro infra. Quid item Origenes, cùm hæc ſcriberet, *Petro cùm ſummarum rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum velut ſuper Petram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo niſi charitas exigitur? &c.* Neque verò de interpretis fide dubitaueris; Is enim non aliquis eſt ex recentioribus, ſed vetuſtiſſimus Hieronymus, ſumma vir integritate & doctrina, vel ſi Eraſmo aſſentiamur Ruffinus, ab ipſis Pontificibus anathemate percuſſus. Quid rurſus Hilarius cùm exclamaret, *O in nuncupatione noui hominis fœlix Eccleſiæ fundamentum, dignáque ædificatione illius Petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret. O beatus cœli ianitor, cuius arbitrio claues æterni aditus traduntur, cuius terreſtre iudicium præiudicata authoritas ſit in cœlo, vt quæ in terris aut ligata ſint aut ſoluta, ſtatuti eiuſdem conditionem obtineant & in cœlo?* Claues æterni aditus arbitrium ſignificantes, terreſtrè illud iudicium cuius præiudicata authoritas ſit in cœlo, nihil ne aduerſario ad Petri Primatum facere videantur? Quid quoque Hieronymo mentis erat, cùm in hunc modum diſſereret; *Sicut ille Princeps Philoſophorum*, Plato, *ita hic Apoſtolorum fuit, ſuper quem Eccleſia Domini ſtabili mole fundata eſt?* An otioſus, an nihil ad Primatum pertinere illi videtur Principatus Petri? Illumne verò etiam fugit illud Parentis eloquentiæ, *Principatum autem id dico, quod Græci ἡγεμονικὸν vocant, quo nihil in quoque genere nec poteſt, nec debet eſſe præſtantius?* Quid item Ambroſius, cuius hæc ſit diſſertatio ad illa verba, *Vos autem quem me eſſe dicitis?* *Petrus*, inquit, *ſtatim loci non immemor ſui primatum egit. Primatum confeſſionis vtique, non honoris, primatum fidei, non ordinis, hoc eſt dicere, Nunc nemo me vincat, nunc meæ partes ſunt, &c.* Et paulò pòſt,

Origenes lib. 5. in ep. ad Rom.

Hilar. can. 16. in Matt.

Hieron. l. 1. Dialog. adu. Pelag. cap. 4.

Ambr. de Incarn. cap. 4. in fine.

Hic

Hic est ergo Petrus, qui respondit præ cæteris Apostolis, imò pro cæteris, & ideò fundamentum dicitur, quia nouit non solùm proprium, sed etiam commune seruare. Hîc ne fallatur Spalatensis duos primatus inducit, vel certè innuit Ambrosius, vnum confessionis & fidei, quo fretum præ aliis, ac etiam pro aliis censet respondisse Petrum; alterum dignitatis quem vult consecutum eum post editam illam de filio Dei celeberrimam confessionem. *Ideò*, inquit, *fundamentum dicitur*, hoc scilicet subindicans Primatum confessionis, & fidei antegressum fuisse Primatum authoritatis. Hæc enim mens est Ambrosij, cuius & illa verba affert Baronius, *Petra dicitur*, (Petrus) *eo quod primus in nationibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat, &c.* Ac vt reliquos omittam, quid Chrysostomo mentis erat, cùm hæc eloqueretur *Princeps Apostolorum Petrus, super quem Christus fundauit Ecclesiam, verè immobilis Petra, & firma confessio, &c.* Si ne quidem per somnium in his quæ sunt à Baronio recitata, de primatu Petri cogitauerit. An non quoque & hoc illius est, *Pater ad Hieremiam dicebat, sicut columnam ferream, & sicut murum æneum posui te, sed ipsum quidem genti vni Pater, hunc autem Petrum vniuerso terrarum orbi Christus præposuit.* Annon igitur meritò Baronius hanc causam ita perorauit. *Hæc itaque adeò solida atque constantia, verbo Domini, ac totius Catholicæ Ecclesiæ consensione recepta atque probata, velle igitur iterum in dubium reuocare, non nisi emotæ mentis, perfrictæ frontis, infrenis linguæ, ac denique vecordis hominis esse potest. Sed insaniant licet: firmata tamen semel verbo Domini supra firmam Petram Ecclesia, portæ inferi non præualebunt, sicut nec præualuerunt, aduersus eam. Verùm stabit, & in hoc verax sententia Domini qua dicit: qui ceciderit super lapidem istum confringetur: super quem verò ceciderit conteret eum. Cæterùm quod pertinet ad Primatum Petri iam verbis Domini stabilitum, quomodo aliàs in futurum frequentius fuerit demonstratus, & certis quibusdam signis euidentissimè declaratus, ac subinde in posteros propagatus, suis locis opportunius dicemus, nec suo etiam loco tacebimus, quomodo Dominus pollicitus sit se daturum claues Petro, & quando id impleuerit.*

Chryſoſt. ad cap. 16. Matth.

Baron. vbi ſup. nu. 27.

At instat Spalatensis: *Inquirendum erat vbinam promissio effectum habuerit, cùm verba super hanc Petram, &c. sint promissoria.* Respondeo, nec Baronio, nec vlli vnquam Orthodoxorum venisse in mentem his verbis, *& super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, fuisse actu, vt loquuntur & reipsa collatum Primatum Petro, sed omnes ita demum censuisse fuisse promissum, adeóque ipsum Petrum non quidem reipsa, sed designatione obtinuisse Principatum, cùm autem fidelis sit Christus, nec mentiri possit, existimamus eum promissis stetisse, atque quod erat pollicitus tribuisse. Si locum quærit præsto est, nec vllo aut iuris interprete, aut etiam Echio instigatore opus habemus. Dixit Christus Petro, *Petre amas me, Pasce oues meas, Pasce agnos meos.* Hic Christus vt fidem suam liberet nunquam fallituram, Petrum in possessionem inducit eius dignitatis quam prioribus verbis esset illi pollicitus. Rectè igitur Spalatensis inducit Origenem Primatus rationem in his verbis, *Pasce oues meas*, agnoscentem. *Origenes*, inquit, *Petro cùm summa rerum de pascendis ouibus traderetur, & super ipsum velut super Petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio virtutis alterius ab eo nisi charitatis exigitur, &c.* Quare etsi ad illa verba, *Tu es Petrus*, nihil esset à Patribus de actuali primatu Petri expressum, quod tamen falsum esse supra ostendimus, sufficeret conspirantibus votis quotquot à Spalatensi addu-

Num. 28.

Orig. lib. 5. in ep. ad Rom.

Digitized by Google

cuntur, hoc tribuiſſe Petro, vt fundamentum Eccleſiæ definitus ſit. Retexamus eorum teſtimonia à Spalatenſi hoc loco adducta, *Propterea*, inquit, *tanto perè laborant omnes, qui rerum inquirunt ſenſum verborum illorum, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, vt perſonæ Petri applicata plana fiant. Clementi Romano Pontifici huius nominis primo, illud dictum tribuitur. Simon Petrus ve æ fidei merito, & integræ prædicationis obtentu fundamentum eſſe Eccleſiæ definitus eſt, qua de cauſa etiam Domini ore cognominatus eſt Petrus. Tertullianus; Mutat, inquit, & Petro nomen, &c. Sed & cur Petrum? ſi ob vigorem fidei, multæ materiæ ſolidæque nomen de ſuo accommodarent. An quia & Petra, & lapis Chriſtus; ſi quidem & legimus, poſitum eum in lapidem offendiculi, & in Petram ſcandali? Itaque affectauit cariſſimo diſcipulorum de figuris ſuis peculiariter nomen cõmunicare; puto proprius quàm de non ſuis. Epiphanius; Ioannes, inquit, cùm à filio didiciſſet, reuelationem ſuam ſcripſit: Petrus verò à Patre inſtructus eſt certitudinẽ fidei fundaturus. Leo; Cùm ego Chriſtus ſim inuiolabilis Petra, tamen & tu quoque Petra es, quia mea virtute ſolidaris. Auguſtinus; Nam talem vocem protulit Nathanaël, Tu es filius Dei; Tu es Rex Iſraël: qualem tantò pòſt Petrus, quando ei Dominus ait; Beatus es Simon Barlona, quia non tibi reuelabit caro & ſanguis, ſed Pater meus qui eſt in cœlis. Et ibi nominauit Petram, & laudauit firmamentum Eccleſiæ in iſta fide. Item: Nos qui vocamur Chriſtiani, non in Petrum credimus, ſed in quem credidit Petrus, Petri de Chriſto ædificati ſermonibus. Idem; ſiue Ambroſius, ſic habet, Tanquam enim bonus paſtor (Petrus) tuendum gregem accepit; vt qui ſibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum; & quia ipſe interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei ſtabilitate fundaret. Denique pro ſoliditate deuotionis Eccleſiarum Petra dicitur, ſicut ait Dominus, Tu es Petrus, &c. Petra enim dicitur, eo quod primus nationibus fidei fundamenta poſuerit: & tanquam ſaxum immobile, totius operis Chriſtiani compagem molémque contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur, & Petra pro virtute Dominus nuncupatur; ſicut ait Apoſtolus, Bibebant autem de ſpirituali ſequente eos Petra; Petra autẽ erat Chriſtus. Rectè conſortium meretur nominis, qui conſortium meretur & operis. In eadem domo enim Petrus fundamentum ponit, Petrus plantat; Dominus incrementat, Dominus irriguum ſubminiſtrat. Chryſoſtomus: Audi denique, inquit, quid Petro dixerit Chriſtus, columnæ & fundamento fidei, qui ob robur confeſſionis, vocatus eſt Petrus, dicente Domino, Tu es Petrus, &c. Item, Petrus, inter Apoſtolos primus Chriſtum prædicauit. Item: Petrus Petri cognomen ſortitus eſt ob immutabilem & immobilem fidem. Item: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meã, id eſt, fidem, atque confeſſionem. Hìc apertè prædixit magnam eorum qui crediturí & erant & ſunt multitudinem fore, & ſublimiora ſapere ipſum facit, & Eccleſiæ futuræ Paſtorem ipſum conſtituit. Et paulò pòſt: Quanam maiora dona videntur, quæ Pater aut quæ filius Petro largitus eſt? Pater quidem reuelationem ei filij ſui dedit; filius autem partim, vt tam Patris quàm filij ſui reuelationem vbique terrarum poſſet ſeminare, &c. Gregorius: Quis enim neſciat, ſanctam Eccleſiam in Apoſtolorum Principis ſoliditate firmatam; quia firmitatem mentis traxit in nomine, vt Petrus à Petra vocaretur? Nazianzenus & ipſe ſic ſupra loquebatur; Petrus Petra vocatur, atque Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habet.* Excutiamus iam iſta ac paucis contrahamus. Iudicio Clementis *Simon Petrus veræ fidei merito, Eccleſiæ fundamentum definitus eſt*: Sententia Tertulliani, *affectauit Dominus chariſſimo diſcipulo de figuris ſuis nomen communicare*, hoc eſt Petræ ei nomen impertiri:

Spalat. Num 29. Clem. ep. 1. ad Iacobũ Frat. Dom.

Tertul. l. 4. cont. Marcionem.

Epiph. in Anc.

Leo ſer. 3. in Aſſump. ſui ad Pont.

Aug. tract. 2. in Ioan.

Aug. de Ciuit. Dei lib. 18. c. 54.

Aug. ſer. 16. de Sanct. qui eſt 2. de Cath. Petr. ponitur etiam inter ſermones Ambr. ſer. 47.

1. Cor. 10.

Chryſoſt. hom. 2. in Pſal. 50.

Id. hom. 3. ad pop. Antioch.

Id. in ep. ad Gal.

Id. hom. 55. in Matth.

Greg. in ep. 37. li. 6. indic. 15.

Nazianz. in orat. de moder. ſeruanda in diſp.

Clem. ca. 1. ad Iac. fratrem Dom.

Tert. l. 4. cõtra Marcion.

Cenſet

Cenſet Epiphanius Petrum hoc *à Patre conſecutum, vt fidei firmitatem fundaret ac fulciret* : Sic enim habent Græca, οἱ δὲ ὡς ἐξ τοῦ πατρὸς ὠφελεῖτο, τὸν ἀσφάλειαν τῆς πίστεως θεμελιῶν. Clamat Leo etiam Petrum *Petram dictum*. Agnoſcit Auguſtinus *Petrum Petram dictum & firmamentum Eccleſiæ laudatum*. Scribit Ambroſius *ceteros fidei ſtabilitate fundaſſe Petrum, Eccleſiæ firmamentum, ac eo totius operis Chriſtiani molem, compagemque contineri*. Chryſoſtomus, *Immobilem columnam fidei Petrum futuræ Eccleſiæ paſtorem conſtitutum*. Gregorius Magnus Pontifex, *Sanctam Eccleſiam, in Petri Apoſtolorum Principis, ſoliditate firmatam* celebrat, ac poſtremò Nazianzenus, *Petrum Petram vocatum, ac Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita fuiſſe*, inculcat. Cui igitur non conſtet his tam præclaris teſtimoniis omnino euinci Patres cenſuiſſe illum locum, *Tu es Petrus*, veluti, *præfationem*, & proluſionem, vt ita dicam fuiſſe, qua Chriſtus ſignificarit, ac etiã in mentibus diſcipulorum defixerit propoſitum ſibi eſſe ex eorum numero, vnum, ſcilicet Petrum deligere, quem capitis dignitate *ornaret*, ac toti gregi & vniuerſitati fidelium *præficeret*? Proinde ſi monarchiæ Eccleſiaſticæ nomen quærit Spalatenſis non expreſſerunt, ſi rem poſtulat, tradiderunt.

Epiph. in Anc. Aug. tract. 2. in Ioan. Aug. ſerm. 6. de Sanct. qui eſt 2. de Cath. Petr. ponitur etiam inter ſermones. Ambr. ſer. 47. Chryſ. hom. 2. in Pſal. 50. Greg. in ep. 37. li. 6. indic. 15. Nazianz. in orat. de moder. feruanda in diſp.

Miror vero hominis ſtuporem, qui orthodoxos exiſtimarit *onere preſſos, quo ſe vertant non inuenire, vt in nomine ſeu metaphora fundamenti Primatus inueniant authoritatem & Petri ſupremam præfecturam*. Nec oculos igitur, nec aures, nec quidpiam ſimile hominis habet, qui non ſenſerit, aut aduerterit quàm nullo negotio ſe ab hac difficultate explicarit Bellarminus. Audiat, audiat Marcus Antonius. *Verborum Chriſti, (Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c.) planus eſt & obuius ſenſus*, inquit Bellarminus, *vt intelligamus ſub duabus metaphoris promiſſum Petro totius Eccleſiæ Principatum. Prior metaphora eſt fundamenti ac ædificij; quod enim eſt in ædificio fundamentum, id eſt in corpore caput, in ciuitate Rector, Rex in regno, Pater familias in domo. Et poſterior eſt clauium, &c.* Vides rationem de facili redditam, vides vno ferè verbo Cardinalem ſe expedientem, tantum abeſt vt quò ſe vertat inuenire non poſſit.

Spalat. Num. 30. in fine. Bellarm. li. de Pont. c. 10.

Cardinalis Turrecremata ſeptem induxerat rationes, cur eſſet *Petrus fundamentum Eccleſiæ* dictus : has ordine recenſet & impugnat Spalatenſis. Prima ratio erat, fuiſſe illum *dictum fundamentum huiuſmodi*, intuitu illius glorioſiſſimæ confeſſionis, qua Chriſtum præ cæteris omnibus Apoſtolis confeſſus ſit.

Spalat. Num 31. Turrecr. de Eccleſ. l. 2. cap. 17.

Opponit Spalatenſis hanc rationem potius oſtendere, cur Petrus meruerit fieri aliqua ratione fundamentum, nimirũ propter fidem & confeſſionem (hîc igitur fidem & confeſſionem non cauſam finalem, vt aliàs, ſed meritoriam & moralem agnoſcit Marcus Antonius) quam quomodo ex hoc quod dicatur fundamentum commune, ſolus acceperit regimen vniuerſalis Eccleſiæ. *Nam*, inquit, *in reuelatione ſolus non fuit, & pares habuit alios*. Mirè autem inconſtans eſt. Superiori capite vrgebat ex Ambroſio & Cyrillo Petrum idcircò dictum fuiſſe fundamentum, quod primus diuinitatem Chriſti eſſet confeſſus, addebat confeſſionem illam potius effectum Primatus, quàm cauſam eſſe deputandam. Nunc verò quaſi de alio Chriſto, ac de alio Petro ſit illi ſermo, confeſſionem vult eſſe cauſam cur Petrus *meruerit aliqua ratione* fundamentum eſſe Eccleſiæ, quod in eum non niſi ratione Primatus conueniat. Expendamus verò eius rationes. *In reuelatione*, inquit, *primus non fuit & pares habuit & alios*. Hoc diſertis verbis negant Athanaſius, Cyrillus Hieroſoly-

mitanus, Hilarius, & alij quoque multi Patres. Verba ſunt Athanaſij, [a] *Cùm prius reuelaſſet Petro ea quæ ex Patre cognouerat, poſtea humanitùs iſta interrogat, &c.* Cyrillus; [b] *Omnibus autem reticentibus, (ſupra vires enim humanas hæc erat doctrina) Petrus princeps Apoſtolorum, & ſupremus Eccleſiæ præco, non comminiſcẽs ſibi, neque ratione humana perſuaſus, ſed à Patre Deo, in mente illuminatus dicit ad ipſum, &c.* Hilarius de Petro: [c] *Beatus hic eſt qui vltra humanum modum oculos intendiſſe & vidiſſe laudatus eſt; non id quod ex carne erat & ſanguine contuens, ſed Dei filium cœleſtis Patris reuelatione conſpiciens, dignuſque iudicatus eſt, qui quod in Chriſto Dei eſſet* PRIMVS *agnoſceret.* Quamobrem etiam alio loco Petrum Primum filij Dei confeſſorem prædicat: [d] *Tanta*, inquit, *Chriſto religio fuit pro humani generis ſalute patiendi, vt Petrum primum filij Dei confeſſorem Eccleſiæ fundamentum, cœleſtis regni Ianitorem, & in terreno iudicio iudicem cœli Satanæ conuicio nuncuparet.* Sed hos Patres, quia eius dogma funditùs tollunt reiicit, & præ iis audiendos alios qui in contraria ſint ſententia, aſſerit. Age verò, concedamus illi ex iuſtorum numero reuelationibus, Zachariam Patrem Ioannis, Simeonem Iuſtum, Annam filiam Phanuelis, Apoſtolos omnes quibus quæ eſſent à ſapientibus abſcondita, reuelaſſet, claruiſſe; Effulſiſſe verò laude confeſſionis Nathanaëlem, Ioannem Baptiſtam, Martham, ac plures alios, ideo tamen Petri Primatum non euerterit; aut funditùs ſuſtulerit. Primùm enim conferimus Petrum, non cum omnibus omnino, qui aut reuelationibus aut confeſſione diuinitatis efloruerint, ſed cum collegis ac Coapoſtolis ſuis, in quorum ſilentio ac ipſis tacentibus ipſe in has voces eruperit, *Tu es Chriſtus filius.* Hoc enim ſibi volunt Patres à me teſtes citati: Sed quod dicit eiuſdem meriti, dignitatis aut excellentiæ fuiſſe fidem reliquorum, aut reuelationem, & confeſſionem cum fide, reuelatione & confeſſione Petri falſum eſt, tum quod eum Chriſtus præ illis eum remuneratus ſit, tum quod fœlicem prædicauerit, viciſſim illum laudarit, Petram eum dixerit, claues regni cœlorum ei tradiderit, vt gratiam rependeret. Id enim argumento eſt eximiam ac ſingularem illam fuiſſe, tum reuelationem, tum fidem, tum etiam confeſſionem, eamque eximio aliquo priuilegio hac in re enituiſſe, quo non effulſerint Zacharias, Simeon, Anna, Nathanaël, Baptiſta, aut reliqui. Sanè verò etſi ante Abrahamum multi crediderint, multi etiam ſingulari fide ornati fuerint, tamen *Pater credentium* à Deo meritò inſtitutus eſt & creatus, quod plura quàm quiuis alius, & inſigniora fidei ſuæ teſtimonia edidiſſet; Simili igitur ratione nihil prohibet Petrum Patrem Chriſtianæ plebis, & Principem Eccleſiæ factum, licet ante eum multi fidẽ habuerint, atque diuinitatem Chriſti & agnouerint & cõfeſſi ſint. Chriſto namque Spirituũ ponderatori dignior & celebrior illa Petri viſa eſt confeſſio, quàm cuius quam alterius, quare illam quoque muneratus eſt, & eximia quadam, ac ſingulari dignitate ornandũ ipſum duxit Petrum. Oſtendat igitur Spalat. alicui, aut recentiorum aut antiquorum dictum, *Beatus es quia caro & ſanguis non reuelauit tibi.* Certè plures de Nathanaële dubitant, an confeſſus fuerit diuinitatem, atque ſolum Regem Iſraël, hoc eſt ſolum egregium quendam principem hominem agnouiſſe autumant; Sed hæc nihil moramur, cùm proculdubio præſtantius quiddam ac præexcellentius in hoc genere præſtitiſſe Petrum quam vllus alius præſtiterit, argumento ſit præclarum illud vocis Chriſti teſtimonium. Fallitur autem rurſus Spalatenſis, qui exiſtimarit confeſſionem illam quam nomine Apoſtolorum Ioannis ſexto ediderit,

[a] Athanaſ. orat. 4. cõtra Arrian. Πέμπτον ἐπὶ τούτοις ἐκεῖνο τὸ Πέτρῳ τὰ πρὸς τῶν πατρὸς ὑπὲρ αὐθρώπινον ἐπιστεύθη, &c.

[b] Cyrillus Catech. 11. Παύσαντο ἀποσιωπησάντων αὐθρώπων ἐγὼ τὸ μάθημα. Πέτρος ὁ τῶν προκείτων τῶν ἀποστόλων, καὶ ἐκκλησίας κορυφαῖος κύριε, οὐχ ὑπανλογίαν χρησάμενος, ἢ αὐθρωπίνῳ λογισμῷ πεισθείς, ἀλλὰ πνεύματι φωτὸς τῷ θείῳ διάνυσας, φησὶ πρὸς αὐτὸν, &c.

[c] Hilar. in Matth. can. 16.

[d] Hilar. in Pſal. 131.

derit, Petrus priorem fuiſſe hac ipſa de qua agitur. Hanc enim conſecuta eſt illa quam poſt ſcandalum Capharnaïtarum & Apoſtaſiam quorundam diſcipulorũ nomine ſuo, & collegarum edidit Petrus. Hoc illum Cyprianus edocuerit; *Petrus tamen*, inquit, *ſuper quem ædificata à Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens, ait, Domine ad quem ibimus*; quo etiam reſpexiſſe Cyrillum certum eſt, cùm hæc ſcriberet. *Per vnum qui præerat omnes reſpondent*, quod quia vidit Spalatenſis Cyprianum torſit, & aliò flexit. Congerit iam multa Scripturæ & Patrum teſtimonia, quibus probare contendit, tum Ioannem, tum Paulum Petro antecelluiſſe; ſed eſto daremus iſtud, tamen nihil obtineret, vt enim à propoſito exemplo Abrahæ non recedamus, potuerunt multi eſſe poſt hunc Patrem credentium, qui eius fidem aut ſuperarent, aut certè æquarent, perſtat tamen ille in attributo ſibi honore Patris credentium, quod tum cùm eius fidei argumentum depopoſciſſet Deus, egregium illius monumentum edidiſſet, ac vnicum filium in quem incumberet, & quo vno niteretur ſpes poſteritatis, quæ Meſſiam eſſet cõſecutura, in ſpem contra ſpem credens, immolare ſe paratum eſſe oſtendiſſet; Ita igitur in ſubiecta materia, quamuis non defuerint qui Petri fidem & confeſſionem æquarint, quod tamen efflagitante & rogante Chriſto ille opportunè confeſſus ſit Chriſti diuinitatem, manet eum conceſſi primatus dignitas, quæ excellentiori in vniuerſum ſanctitati non innitatur, ſed ab edita primùm inter Apoſtolos confeſſione pendeat.

Cyp. ep. 55.

Cyril. lib. 4. in Ioan. ca. 18.

Recubuerit ergo in cœna ſupra pectus Domini Ioannes, *inde gratiæ fluenta hauſerit*; Fuerit Paulus *ad tertium vſque cœlum raptus, & inſignior reuelationibus fuerit*: laudarit Origenes Ioannem *ſummoque Apoſtolorum vertici*, (vides eminentiora illa Ioannis chariſmata Petri gloriam non imminuiſſe) prætulerit; *fuerit eius ſententia* Ioannes *Typus contemplationis*, Petrus verò *actionis*; euolarit Ioannes *inſtar aquilæ in cœlum, & æternos diuini ſolis ſplendores*, hoc eſt Chriſti diuinitatem *propius contemplatus ſit, & eum ante ſæcula genitum* intellexerit; vnde eſt illud, *In principio erat verbum*: *Ornarit eundem Ioannem* Tertullianus, *& dilectiſſimum diſcipulum pectori Domini incumbentem* prædicarit; quid hæc faciunt ad infringendam eam poteſtatem quam Petro contulerit Chriſtus, cùm ea non ex poſt conſecutis, aut etiam antegreſsis ſanctitatis luminibus, ſed ex ipſa confeſsionis præſtantia & excellentia, quam cæteris ſilentibus & ad interrogata Chriſti minimè reſpondentibus vnus ediderit primus, omnino pendeat? Fatemur verò quod Athanaſius, Caſsianus, Ambroſius, Victor Antiochenus, Chryſoſtomus, Tertullianus, Ambroſius iterũ, Gaudentius, Brixianus, Auguſtinus, rurſus Chryſoſtomus, & Cyrillus inſinuarunt, reliquos Apoſtolos in confeſsionem Petri conſenſiſſe, ſed aduerterunt quoque Petrũ anteuertiſſe collegas, ac veluti ſermonis ducem fuiſſe, atque primatum hac ratione ei tributũ obſeruarunt. Audiamus illos prout ſunt à Spalat. in hanc diſputationẽ inducti. *Primum*, inquit Athanaſius, *Petrus, deinde omnes diſcipuli confeſsi ſunt Chriſtũ verum eſſe filium Dei*. Caſsianus: *Interroganti vtrum Ieſu Chriſti quem eum eſſe crederent, quem confiterentur eſſe diſcipuli, reſpõdet primus Apoſtolorũ Petrus, vnus vtique pro omnibus. Idem enim vnius habuit reſponſio, quod habebat omnium fides*. Ambroſius. *Licet*, inquit, *cæteri Apoſtoli ſciant, Petrus tamen reſpondet pro cæteris, &c.* Petrum ergo primùm edidiſſe confeſsionem diuinitatis aſſerunt Athanaſius & Caſsianus, eundem pro cæteris reſpondiſſe clamat Ambroſius, eaque eſt omniũ Patrum ſententia, Petrum *os fuiſſe Apoſtolorum*, eum *præiuiſſe cæteros*, & pro

SPALAT. Num. 32.

Origenes hom. 2 in diuerſos.

Athan. or. 4. contra Arrian.

Caſſianus de incarn. lib. 3.

Amb. lib. 6. in Luc. c. 9.

cæteris loquutum fuiſſe, quorſum iſtud niſi quod eſſet omnium Princeps & caput? Mirè placent illa Gaudentij. *Solus Petrus omnium ore reſpondit, Tu es Chriſtus filius Dei viui: ſolus ergo cùm loquitur Petrus, nequaquam reliquorum credentiũ fides excluditur, ſed congruus ordo ſeruatur, dum principi Apoſtolorum* (audiſne Marce Antoni) *primus loquendi modus defertur, ne tumultus quidam magis quàm reſponſio videretur, ſi tunc vniuerſi certatim ac pariter reſpondiſſent.* Similia habet Cyrillus, ſimilia reliqui Patres, qui etiam hoc addunt, neſciiſſe Apoſtolos quid tum reſponderent, ac futurum etiam fuiſſe vt cum reliquis ſileret Petrus, ni eum Pater excitaſſet, ac reuelatione facta induxiſſet, vt quaſi euigilans Chriſti interrogatis ſatisfaceret. Reddito ergo à Petro reſponſo, annuerunt, & aſſenſi ſunt reliqui, & proculdubio eius confeſsionem ſuo aſſenſu firmarunt, vnde & eius meriti & præmij pro ſuo captu participes euaſerunt. Atqui vt edendæ illius confeſsionis author illis fuit, ita proculdubio conſecuti præmij & eius gloriæ quam eſſet adeptus Petrus, nonniſi pro capite agnito illo, participes eſſe potuerunt: quare in communione Petri eis ita perſeuerandum fuit, vt illi tanquam Principi & capiti perpetuò adhærerent, & inniterentur. Fruſtra eſt igitur Spalat. in conquirendis aliis teſtimoniis Patrum, quibus oſtendat non ſoli Petro eam reuelationem factam, ſed etiam reliquis fuiſſe communicatam. Fuit Marce Antoni, ſed primus illam à Patre accepit, & expreſsit Petrus, vnde & vnus laudatus eſt à Chriſto, *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus qui in cœlis eſt*, & vnus quoque Primatum accepit, & Eccleſiæ fundamentum eſt conſtitutus. Hoc docent Hieronymus, Epiphanius, Cyrillus, Ambroſius, Beda, quibuſcum non erat quod Hilarium, Optatum, Eutymium committeret nihil diuerſum aut diſſentiens profeſſos.

Gaud. Brix. tract. in die ſuæ ordinat.

Hilar. in Matth.

Num. 33.

Spalat. Num. 34.

Itaque Baronio non eſt alius labor ſuſcipiendus, cùm egregiè probauerit in confeſſione Petri, cuius author eſſet Pater cœleſtis cauſam præceſſiſſe, cur ſit à Chriſto caput Apoſtolorũ conſtitutus. Quod autẽ Petri, poſt ſuſcepta gubernacula, errores & lapſus enumerat Spalat. friuolũ eſt, aut ſi quid ſit erroris ab eo admiſſum os impurũ, vt ſe ipſe vocat, non debuit mutire, vt etiã immeritas iniurias Apoſtolorũ Principi affingeret, & ea labe aſpergeret. Expungamus igitur ac diluamus, quæ ſceleſtus iſte Chamus magno Pareti & diuino Patriarchę obiectat.

Spalat. Num. 35.

Matth. 16.

Sathanas, inquit, *ſtatim vocatus eſt, qui paulò antè Petra votatus fuerat.* Poſſem reſpondere quod Hilarius reſpondit, hoc Satanæ probrum, non in Petrum, ſed in Sathanã qui improba ſuggeſſiſſet Petro, coniectum, ſed quia id Hieronymo nõ placuit, Hieronymum ipſum inducã reſpondentem. *Multi putant quod non Petrus correptus ſit*, inquit Hieronymus, *ſed aduerſarius Spiritus qui hæc Apoſtolum dicere ſuggerebat. Sed mihi hic error Apoſtolicus, & de pietatis affectu veniẽs nunquã incentiuũ diaboli videbitur. Vade retrò me Satana. Diabolo dicitur, vade retro. Petrus audit, vade retro me, hoc eſt ſequere ſententiã meã, quia non ſapis ea quæ Dei ſunt, ſed quæ hominum. Meæ voluntatis eſt, & Patris (cuius veni facere voluntatẽ) vt pro hominũ ſalute moriar, tu tuã tantùm conſiderans voluntatẽ, non vis granũ tritici in terrã cadere, vt multos fructus afferat.* Pergit maledicere Petro Spal. *Ianitor cœli*, inquit, *ter Chriſtũ negauit in paſſione.* Valet ad hunc cauillũ refellendũ prior Hieronymi ſolutio, addo tamen pleroſque Patres in his Hilarium, & Ambroſiũ exiſtimaſſe Petrum in humanitatẽ Chriſti (quod tamen per ſeipſum ſcelus eſſet) peccaſſe, nec diuinitatem negaſſe, ſed quod rurſus iſtud minimè Hieronymo aut Auguſtino placuerit, non vtor. *Certè ipſe Petrus*, vt verbis vtar Auguſtini, *ſuos redar-*

Comment. Hier. l. 3. ad cap. 16. Matthæi.

Aug. tract. 66. in Ioan.

redarguit defensores, & vnde eos conuincat lachrymas produnt testes. Dixerim tamen cum Poëta Christiano,

Fleuit negator denique
Ex ore prolapsum nefas,
Cùm mens maneret innocens,
Animusque seruaret fidem.

Prudent. Cathem.

Et vt benè notant Theologi, excidit à constantia fidei, à fide autem non excidit, quod haud reclamante Augustino defendit Baronius. Cùm enim in fide nutasse Petrum scribit Augustinus, fidem intelligit, fidei constantiam & inuictum robur, à quo proculdubio exciderit. *Atqui*, inquit Spalatensis, *etiam post ascensum Christi in cœlum scandalosam superstitionem, legaliúmque obseruantiam in Ecclesiam Christi inducebat, & de hoc à Paulo fuit reprehensus.* Hunc Petri, vt putat, lapsum, aggrauat vir importunus, ac eius vehementiorem vituperatorem inducit Augustinum, sed præuertit Tertullianus, adeoque Petro, hac in re, obiectum crimen diluit; *Si*, inquit, *reprehensus est Petrus, quod cùm conuixisset Ethnicis posteà se à conuictu eorum separabat personarum respectu; vtique conuersationis vitium fuit, & non prædicationis, non enim ex hoc alius Deus quàm Creator, & alius Christus quàm ex Maria, & alia spes quàm resurrectio annunciabatur.* Addunt recentiores leue & veniabile fuisse hoc peccatum, sapientérque à Beato Thoma animaduersum est, *Licet Spiritus sanctus in Apostolos descendens in Pentecoste, eos deinceps confirmauerit, in prudentia & gratia, vt euitarent omnia peccata mortalia, non tamen confirmasse, vt omnia venialia effugerent.* Quod attinet ad apologiam illam quâ pro Petro contexuit illustrissimus Cardinalis Baronius, nó est præsentis instituti de ea statuere aut iudicare. Examini subiicietur suo loco.

Spalat. Num. 36. Tertul. de præsc. cap. 23. & 24.

Thom. in 1. 2. Epist. ad Galat.

Veniamus ad secundam rationé Cardinalis à Turrecremata, quem insectatur Spalatensis. Dixerat igitur secundo Turrecremata Petrum Ecclesiæ fundamentũ dictum, quia *primus in nationibus fidei fundamenta iecit.* Excipit Spalat. *hanc rationem nihil omninò singulare continere, quod Petro soli quicquam peculiariter tributum ostendat. Nam*, inquit, *si Petrus fundamenta fidei in nationes sparsit, hoc idem etiam alij Apostoli effecerunt, quamuis Petrus & primus omnium prædicationem sit aggressus, & maximè omnium si comparetur cum reliquis vndecim, in hoc profecerit. Sed magis & minus*, inquit, *non variant speciem, vt dicunt Philosophi: & æquè perfectè ignis est, quo vnica ardet candela, atque ille quo ingens clibanus inflammatur, vt propterea de omnibus Apostolis meritò loqueretur Paulus, dum dicebat, fideles esse superædificatos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Certè Paulus, addit Spalatensis, *etiam in hoc superauit Petrum, ipsomet hoc de seipso attestante, & sua itinera describente; Luca etiam illa in commentarios redigente.* Atqui Turrecrematam non lædit, non enim simpliciter dicit, prædicasse gentibus quod alios itidem fecisse Apostolos eum non latuit; sed primùm electum à Deo, qui viam hanc panderet; quippe cui primùm aperto cœlo in terram demisso velo quadrupedibus, serpentibus, & volatilibus oppleto, addita etiam voce, *macta, manduca*, qua significaretur illi esse iam gentes Ecclesiæ Christi coniungendas & inserendas Cornelium religione Christiana imbuerit, ac informarit. Ac certè acutè obseruat Bellarminus vni Petro has voces optimè conuenire, quoniam capitis est manducare, & præmansum cibum in stomachum traiicere. Ambrosius etiam prærogatiuã esse censet Petri, vt primus gentiles inuexerit in Ecclesiam admisso Centurione Cornelio, quem eleganter *primum animal Deo à gentibus immolatum vocat.*

Spalat. Num. 37.

Ephes. 2. 1. Cor. 15. 1. Rom. 15. Act. 9. 13. 14. 16. &c.

Ambr. ser. 10.

SPALAT. Num. 38. Tertia ratio Turrecrematæ erat, Petrũ dictum *fundamentum* propter fidei firmitatem & conſtantiã; Opponit Spalatenſis *locum non habere, quia*, inquit, *cæteri Apoſtoli ſaltem æquè conſtantes in fide fuerunt, & æquè illuminati*, & lapſus *Petri*, inquit, *à nobis paulò antè conſiderati contrarium probant.* Atque hæc ratio non eſt Turrecrematæ, ſed omnium penè Patrum, qui iuxta metaphoram Petræ, Petrum dictum cenſent ob fidei firmitatem; etſi verò conſtantiſſimi in ea retinenda fuerunt Apoſtoli, tamen de nihilo non eſt quod dixit Chriſtus, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Et quod attinet ad lapſus Petri, diluimus obiectos.

Luc. 22.

SPALAT. Num. 39. Quarta ratio idcircò dictum Petrum *fundamentum*, quod confirmandorum fratrum curam in eum coniecisſet Chriſtus, *Confirma fratres tuos.* Oppugnat Spalatenſis, & primum *ad omnes fideles refert illud Confirma fratres tuos*, ac demum *non hoc facere ad laudem Petri, ſed veluti ob oculos lapſum eius ponere*, contendit. Atqui, vt poſtea oſtendemus, prærogatiuam confirmandorum fratrum non ſolùm exemplo & lachrymarum profuſione, qua tamen cæteris præiuiſſe ac præluxiſſe cum Theophylacto, Gregorio, Ambroſio, Arnaldo Bonævallenſis ac Sandero fatemur, ſed etiam doctrina & inſtitutione Petro conceſſam ac cõmiſſam, omnes omnino Patres etiam qui ſunt ab aduerſario teſtes adducti, docent ac defendunt: Ipſum enim ſuo lapſu edoctũ, vt alios ad pœnitentiã edoceret, vno ore clamant, ac præterea ad alia omnino doctrinæ genera referunt. Eo nimirum ſpectauit Theophylactus, qui Chriſtum ad hunc modum loquentem Petro inducit, *Quia te habeo, vt principem Apoſtolorum, poſtquam negato me fleueris, confirma fratres tuos, hoc enim te decet qui poſt me Eccleſiæ Petra es & fundamentum.* An igitur ad dignitatem capitis id ſolùm pertinebat, vt pœnitentiæ exempla, non verò innocentiæ, ſanctitatis, & religionis, ac pietatis documenta depromeret? Sed de his iterum in ſequentibus.

Theoph. ad ca. 22. Luc. vt ſup. Græcè.

Luc. 24. Quod autem vrget ex Euangelio Spalat. *Verba mulierũ Chriſti reſurrectionẽ nunciantiũ viſa eſſe deliramenta Apoſtolis, & Chriſtũ exprobraſſe incredulitatem*, quodque addit, *ſi Petrus fidem diuinitatis retinuiſſet, reſurrectionis nunciatio non fuiſſet ei viſa deliramentũ.* Petrũ non tangit, quippe Lucas poſtquam ſcripſiſſet Apoſtolos mulierum ſermones, quibus Chriſtum reſurrexiſſe aſſeuerarent, pro fabulis habuiſſe, protinus ſubiunxit, *Petrus autẽ ſurgens cucurrit ad monumentũ.* Hic certè aduerſatiua particula, *autem*, omni ſuſpicione erroris & infidelitatis eũ liberare mihi videtur. neque certè cucurriſſet, niſi fidem habuiſſet mulierũ verbis.

SPALAT. Num. 40. Quinta ratio Turrecrematæ erat, *Dictum Petrum fundamentum Eccleſiæ, quia Cathedra ipſius, deinde habuit magiſterij firmitatem.* Excipit Spalatenſis, *eam nihil ad rem eſſe. Nam*, inquit, *quod poſterius eſt & à priori totũ pendet; non poteſt prioris ratio, & cauſa eſſe. Cur enim Cathedra Petri habebit firmitatem magiſterij, niſi quia ſit Cathedra illius qui erat fundamentum Eccleſiæ, ſuper quem ædificata illa fuerit? At author iſte vult inde probari Petrum fuiſſe fundamentum Eccleſiæ, quia Cathedra ipſius deinde habuit magiſterij firmitatem. Iſti ſunt veri circuli in logica, & principij petitiones. Idem prorſus dicendum etiam de ſexta & ſeptima rationibus. Doceat prius quomodo Petrus ſolus fuit Eccleſiæ fundamentum; nam ex hoc ſedes ipſius obtinebit, vt ſit in Eccleſia fundamentum, & regula in iudiciis, nec mihi ignotum explicet per ignotius.* Atqui homo dialecticis diſciplinis in Collegio doctiſſimorũ patrum imbutus, meminiſſe debuit in argumẽtationibus ab effectis, nõ verò à cauſa ductis, ex poſteriori prius inducere licere. Nõ igitur vult Turrecremata autho-

authoritatem quam ſit conſecuta Cathedra Petri probationem eſſe à cauſa, ſed veluti à ſigno, quia proculdubio non floruiſſet in ea Cathedra *Eccleſiæ principatus*, vt loquitur Auguſtinus, niſi *Petrus*, *Eccleſiæ fundamentum*, in ea prior ſediſſet. Audiamus autem Hieronymum hanc Cathedræ Petri authoritatem prædicantem, *Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri, communione conſocior; ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum, agnum comederit, prophanus eſt.* Hic hæret Spalatenſis, & à perſequendo & laceſſendo Turrecremata abſiſtit, vt Bellarminum rurſus inſectetur. Exiſtimat verò Cardinalem angi, ac animo diſtineri, valdéque laborare, vt Petro fundamenti rationem aſſerat, ac vindicet. *Modo enim, ait, Petrus in eo potißimum eſt Eccleſiæ fundamentum, quod cùm fides eius deficere non poßit, ipſe omnes alios in fide confirmare, & ſuſtentare debet. Sic enim ad eum Dominus ait; Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. Itaque cùm ratione fidei ſuæ indefectibilis Petrus ſit Petra firmißima, totam Eccleſiam ſuſtentans, idem eſt dicere ſuper Petrum, & ſuper eius fidem Eccleſiam eſſe fundatam. Nos verò in Petro, neque fidem indefectibilem reperimus, qui toties lapſus eſt; & Chriſti oratio illud obtinuit, vt non amitteret Petrus fidem irrecuperabiliter; neque ſolum Petrum fidei firmitate poſt conuerſionem valuiſſe arbitramur. Confirmandi verò alios curam non ſuſcepiſſe ſolùm, niſi cum aliqua ipſius depreßione, iam oſtendimus; quippe qui exemplo ſui lapſus & eleuationis deberet alios erigere. In quo nullam inuenio fundamenti rationem quam quærimus, quæ in ſolum Petrum poßit, reſpectu totius Eccleſiæ, conuenire.* Atqui funditùs ſuſtulimus hæc effugia. Oſtendimus enim Petri fidem nunquam defeciſſe, ex quo potiſſimùm munere principis, & dignitate capitis eſt à Chriſto honeſtatus; atque prouinciam confirmandorum fratrum ei demandatam, non ad ſola exempla pœnitentiæ, ſed etiam, ac certè potiſſimum, ad authoritatem docendi, & inſtituendi reliquos ſeſe fudiſſe probauimus, quod omnino fundamenti rationem præ ſe fert ac inducit. Sed alios nodos nectit aduerſarius. *Modo verò idem Bellarminus*, inquit Spalatenſis, *rurſum ait; Catholici docent hac metaphora ædificationis, ſignificari Petro eſſe commiſſum regimen, totius Eccleſiæ; & præcipuè circa fidem; Petræ enim fundamentali hoc eſt proprium, totum ædificium regere, & ſuſtentare. Atquè hoc ipſum eſt quod quærimus: Doceat obſecro nos vbinam, quando, & quomodo Petrus acceperit regimen hoc totius Eccleſiæ circa fidem: Audio ei promitti ſuper hanc Petram, id eſt, ſuper te Petrum (eſto) ædificabo Eccleſiam meam. Ædificata, inquit Bellarminus, eſt Eccleſia ſuper Petrum, dum Petro regenda, præſertim in fide, committitur; non tamen docet vbinam ſoli Petro Eccleſia eſt commiſſa regenda, ſi dicat ibi committi vbi ei dicitur, Paſce oues meas. Ergo nihil dum habet de primatu Petri ex illis præcisè verbis, Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. De illis autem, Paſce oues meas, erit ſeorſim ſua diſputatio. Interim verò cur Lectores angitis tam prolixis diſputationibus, ſuper illa verba, ædificabo Eccleſiam meam; ſi nihil aliud in illis continetur, niſi id quod in aliis, Paſce oues meas? Atqui proculdubio, aliud ſignificatur metaphora fundamenti & ædificij; aliud metaphora ouium & paſtoris.* Sed Spalatenſis hoc primùm in animum inducere debuit, ſolitum Chriſtum, cùm res maximas præſtare vellet, promiſſis primum quæ eas anteuerterent, ac veluti earum ſpem facerent agere, ac demum quod eſſet pollicitus largiri. Dicimus igitur & id quidem recte expendit Bellarminus, dignitatis Petri præceſſiſſe promiſſionem illo loco; *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo*

Ep. 162.

Ad Damaſ. ep. 57.

Spalat. Num. 41. Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. c. 10.

Luc. 22.

Spalat. Num. 42. Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. c. 11.

Ioan. 21.

Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum; Sunt enim omnia iſta verba de futuro, vt loquuntur, ſed rem ipſam præſtitiſſe, cùm Petrum poſt reſurrectionem alloquutus dixit, *Paſce oues meas, paſce agnos meos.* Falſum eſt igitur prioribus illis verbis, *Tu es Petrus*, nihil haberi quod ad poteſtatem Petri & fundamenti rationem faciat; ſi quidem mentiri non poteſt Chriſtus, & quod erat pollicitus proculdubio præſtitit, ac opere compleuit. Neque eſt quòd *diuerſitatem metaphoræ fundamenti & ædificij atque paſtoris ouium tantoperè vrgeat*, cùm ſoleat ſcriptura, diſtinctis ac differentibus metaphoris, vnam eandemque rem indicare. Vno Geneſis loco id abundè probatur; ſic enim Ioſephum futurum principem Ægypti duabus planè ſimilibus metaphoris adumbrauit, & expreſſit: *Sedit*, inquit ſcriptura, *in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula* Geneſ.49. *brachiorum, & manuum illius, per manus potentis Iacob: Inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſraël.* Vides vt paſtoris ſimul, ac lapidis metaphora, ſit ſignificatus Ioſeph, & firmamentum, & princeps, ac altor Ægypti. Quis igitur iam miretur, & has duas metaphoras ad vnius eiuſdemque principatus Petri, diuerſa numia explicanda à Chriſto vſurpatas? Fugit itaque, Spalatenſem ratio, neque verũ ſcripturarum ſenſum eſt aſſequutus. Quod attinet ad Patres luce ſolis clarius oſtendi- Spalat. Num.43. mus, omnes omninò qui locum Matthæi vel leuiſſimè attigerunt, ex eo collegiſſe Petrum conſtitutum *fundamentum, columnam, ac baſim* ædificij Eccleſiæ, vt hac ratione princeps eſſet Apoſtolici cœtus, adeóque omnium fidelium. Verum tamen eſt; illo loco deſtinatum modò, ac deſignatum fuiſſe caput, & Rectorem vniuerſitatis; At verò in actualem, & vt ita dicam, realem poſſeſſionem inductus eſt, cùm eſt ei à Domino dictum, *Paſce oues meas, &c.* Quod quæ eſſet pollicitus Chriſtus tunc præſtiterit cumulatiſſimè. Hoc ſcilicet à Bellarmino citati Chryſoſtomus, Gregorius, & Ambroſius clariſſimis verbis docuerunt, vt immeritò eorum ſententiam aliò traxerit Spalatenſis. Verba Chryſoſtomi ſunt; Chryſoſt. hom.55. in Matth. *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam; id eſt, fidem atque confeſſionem. Hic apertè prædixit magnam eorum qui crediturí & erant, & ſunt, multitudinem fore; & ſublimiora ſapere ipſum facit; & Eccleſiæ futuræ paſto-* Greg.lib.4. ep.31. *rem conſtituit.* Gregorius verò. *Totius Eccleſiæ curam committi Petro illis verbis,* Ambroſ. ſer.47. *Tu es Petrus, &c.* Adeóque Ambroſius; *Petra dicitur Petrus, eo quod tanquam ſaxum immobile, totius operi Chriſtiani compagem, molémque contineat.* Certè, cùm paſtorem Eccleſiæ ſingulari quodam iure fecerit Chryſoſtomus, nullus ſapiens dubitarit reſpexiſſe eum, non ſolùm ad prædicationem verbi quæ reliquorum Apoſtolorum fuerit communis, ſed & ad eximiam quandam regiminis authoritatem, qua ſit inter collegas potitus, hoc honore auctus à Chriſto, qui ei dixerit, *Tu es Petrus*; Et præterea ineptiſſimam obſeruationem Spalatenſis funditùs tollit, qui imprudentiſſimè exiſtimarit, *non eodem ſpectare metaphoram fundamenti & ædificij, ac paſtoris & ouium*; cùm per metaphoram Petræ, eum Rectorem conſtitutum ſignificarit, & *non vnigenti, vt Hieremiam, ſed ipſi orbi terrarum præpoſitum*, paſtorem. Verba Gregorij nullis tenebris obſcurari poſſunt, & Ambroſium magnificè de Petro loquutum faſſus eſt Caſaubonus.

Spalat. Num.44. Hoc telum vt declinaret, ac victoriam nobis eriperet Spalatenſis, aliò ſe recipiendum duxit, & ad tritum illud æqualitatis argumentum confugit, *omnéſque omnino Apoſtolos fundamenta Eccleſiæ, ſcripturæ, & Patribus haberi contendit.* Magna igitur pompa, ſed haud neceſſario labore ſcripturas, & Patres profert, *Qui reliquos Apoſtolos non ſecus ac Patrum fundamenta Eccleſiæ faciant: cumque*

quod

quod attinet ad rationem viui & ſpirantis fundamenti, vnum eſſe Chriſtum, in quem fundamenti nomen & rationem conuenire poßit, ex Paulo probaſſet ſubiecit; *Fundamentales tantum lapides, qui ſuper tale ſolum lapideum viuum*, (Spalatenſis ſunt verba) *primi imponuntur, ad molem erigendam, plures ſunt, & non vnus: Tales fuerunt omnes Apoſtoli, vt deſcribit Ioannes in fundamento cæleſtis Hieruſalem*, quod firmat authoritate Pauli, Lucæ, ipſius Petri, Ignatij, Tertulliani, Hieronymi, Origenis, Hilarij, Cyrilli, Auguſtini, Ambroſij, Chryſoſtomi, Concilij Aquenſis, Nicolai tertij, Nicolai Cuſani, adeóque Cardinalis à Turrecremata, Sixti Senenſis, atque Cardinalis Bellarmini. At quid neceſſe fuit in re clariſſima, nullo hoſte repugnante, tot quæſiuiſſe præſidia, tot adhibuiſſe teſtes, & veluti ſoli lumen intuliſſe? Fatemur quod doctiſſimè diſſeruit Cardinalis Bellarminus, Apoſtolos, vnâ cum Petro fuiſſe fundamenta Eccleſiæ conſtituta, quæ viuo ac ſpiranti ſaxo ac fundamento Chriſto inædificarentur. Fatemur iecisſe illos fundamenta pietatis, ac ipſos in cœleſti Hieruſalem, hoc eſt, militanti Eccleſia, ædificanda fundamenta à Ioanne meritò deſcribi; ſed pari fuiſſe, cum Petro, dignitate, & authoritate, hoc eſt, quod conſtantiſſimè negamus; Hoc eſt quod Patres omnes qui de hac re ſcripſerunt, meritò inficiantur. Et quidem quo ſenſu dicantur inſtar Petri fundamenta Eccleſiæ Apoſtoli, quôque ſenſu *fundamentum aliud præter Chriſtum nemo ponere poßit*, eſt à nobis fusè ſupra explicatum: ſed vt importuniſſimo homini idem ſaxum ſemper voluenti abundè ſit ſatisfactum, non grauabimur in ea re adhuc immorari, rémque paulò altiùs repetere. Dico igitur longum, latúmque diſcrimen intercedere inter eum, qui fidei fundamentum ſit, & illum, qui miniſterij Eccleſiæ fundamentum cenſeatur. Imò ipſum fidei noſtræ fundamentum bipertitum eſt, eſt enim fundamentum, quod planè inſtar obiecti, fidei noſtræ ſit propoſitum, eſt & fundamentum noſtræ in ea fide inſtitutionis, fundamentum *obiectiuum* (vt vocant) fidei noſtræ illud cenſetur quod credimus, quod fide complectimur, colimus, & veneramur, vt Chriſtiani ſimus; vno verbo quo ſalus noſtra continetur. Hoc fundamentum intellexit Apoſtolus illo Corinthiorum loco, *fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*. Hoc enim ſibi vult Paulus fundamentum, ô Corinthij, aliud nemo poteſt ponere præter id, quod iactum eſt, à nobis tradita vobis de Chriſto doctrina ac fide, citra quam nullus fidelis aut Chriſtiani nomen ſibi vindicare poſſit, viderint alij quid ſuperſtruant, haud tamen quicquam de nouo ædificent, quia ſcilicet & Chriſtus primarium illud eſt fundamentum, & obiectum fidei Chriſtianæ, ad quod reliqua fidei capita referantur. Fundamentum verò inſtitutionis noſtræ illud vocamus, quod nobis erudiendis, & in Chriſto ædificandis ſubſeruiat, quoque certitudo ipſa doctrinæ quam ſimus complexi nitatur. Et hoc quidem rurſum bipartitum eſt. Eſt enim princeps & præcipuum fundamentum, à quo fluenta illa, & puriores vndæ Chriſtianæ doctrinæ, tanquam ab vberrimo fonte, & ſcaturigine deriuentur. Hoc fundamentum vnus eſt Spiritus ſanctus, de quo nimirùm dixerit Chriſtus. *Ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis*. Eſt & fundamentum ſecundarium inſtrumentarium, adeóque minus præcipuum inſtitutionis noſtræ in fide, ſcilicet prædicatio ipſa fidei, aut ipſa eius in ſacris litteris delineatio, ſuſcepta ab his, quorum eſſet infallibilis authoritas, in ſalutis noſtræ dogmatibus fideliter, ac ſincerè tradendis. Hoc ſenſu non ſolùm omnes Apoſtoli & Euangeliſtæ, verùm etiam Prophetæ, & quoquot ſpiritus acti pe-

1. Cor. 3. SPALAT. Num. 4 c. Apocal. 21. Epheſ. 2. 1. Cor. 3. Epheſ. 4. Rom. 15. Act. 9. 1. Petr. 2. Ign. ep. ad Philadelph. Id. ad Magneſianos. Tertul. li. 4. adu. Marci. Hier. lib. de Scrip. Eccl. in Ioan. Id. li. 1. adu. Iouini. Id. in Iſai. c. 2. Id. in ep. ad Gal. li. ca. 2. Id. in Iſai. l. 17. in c. 62. Ori. tra. 1. in Matth. init. Hilar. in Pſ. 67. Cyril. li. 4. in Iſa. ora. 2. Aug. in Pſ. 86. Id. ho. 18. in Apoc. Id. Aug. in Pſ. 103. Ambr. in Pſ. 47. Id. tract. de 42. Māſ. 13. Id. in Apoc. c. 21. Chryſ. hom. 18. ex variis in Matth. loc. Id. ſerm. de Pentecoſte. Id. in dem. adu. gent. Id. ho. 10. in ep. ad Eph. Conc. Aqu. lib. 1. ca. 12. Nicol. 3. de elect. in 6. c. fund. Id. extrauag. quia quorúdam. de verb. ſig. Cuſan de Concor. Cath. li. 2. c. 13. Turr. l. 2. de Eccl. c. 11. Sixt. l. 6. Bibliot. annot. 68. Bell. l. 1. de Rom. Pontif. c. 11.

Digitized by Google

culiari inſtinctu, myſteria nobis Chriſtianæ religionis tradiderunt, fundamenta Eccleſiæ dicuntur, quòd nimirùm ab his ita inſtituti ſimus, vt nec nutet, nec vacillet fides, ad quam ſumus ab iis edocti. *Iam*, inquit Apoſtolus, *non eſtis hoſpites & aduenæ, ſed ciues & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu.* Aliquantò clarius in Græco, ὄντι τῷ θεμελίῳ τῶν ἀποστόλων, ὄντος ἀκρογωνιαίου αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ, vbi quod aduertit non nemo, Χριστοῦ, qui eſt genitiuus non poteſt referri ad θεμελίῳ, qui eſt datiuus, ſed ad ἀκρογωνιαίου genitiuum. Reſtat igitur alterum membrum prioris noſtræ diſtinctionis explicandum, nempe quod ſit fundamentum miniſterij Eccleſiæ. Fundamentum itaque huius miniſterij dicimus, id, quo tota moles regiminis Eccleſiæ nititur, & in quod incumbit adminiſtratio, & gubernatio familiæ Chriſti; Diſtinctum autem & diſcriminatum voluimus à fundamento fidei, & doctrinæ, non quòd ipſum miniſterium Eccleſiæ doctrinam, & fidem qua ſimus inſtituendi, & erudiendi non complectatur. Certum eſt enim miniſtris Chriſti, & Eccleſiæ hoc onus incumbere, vt fidem Chriſti aut reuelent, quod Apoſtolorum, & diſcipulorum Chriſti proprium fuit, aut reuelatam tueantur, ac propalent & efferant; ſed quod miniſterij fundamentum latius ſe fundat, quàm fidei. Nam certum eſt Lucam, qui fundandæ fidei Chriſti ſuam operam commodarit, fundamentum miniſterij, quà miniſterium regiminis & gubernationis formaliter ſpectatæ authoritatem ſubindicat, dici non poſſe, cùm in ordine diſcipulorum fuerit, quibus nulla eſſet adminiſtrandæ, ac regendæ Eccleſiæ authoritas ex officio commiſſa. Ad hoc igitur fundamenti genus reſpexiſſe Chriſtum, cùm diceret, *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, Catholicorum eſt indubitata ſententia, quæ hac ratione nititur, quòd nimirùm proximis verbis ſe de miniſterio loquutum ſignificarit Chriſtus. Quid enim illis verbis apertius, *Et tibi dabo claues regni cælorum; quodcunque ſolueris, &c.*? Annon purum putumque miniſterium ſpirant ac ſubindicant? Itaque Petrum huius miniſterij & regiminis fundamentum præcipuum à Chriſto conſtitutum prædicant, ac venerantur Orthodoxi. Quod verò Apoſtoli etiam *ligandi poteſtatem, atque ſoluendi* accepiſſe traduntur; id poſtea ac nulla imminutione primatus, aut dignitatis Petri, factum interpretantur. Vni enim Petro dictum eſt primò, *Et ſuper hanc Petram, Et tibi inquam dabo, &c.* Quare quicquid eſt illis, Chriſtus poſthac impertitus, poteſtatis, primario iure non eſt impertitus, ſed vt loquuntur in ſcholis, per *aggregationem & aſſociationem* vnâ cum Petro id ſunt conſecuti, ea demum lege, vt illum pro capite haberent, & miniſterij Eccleſiaſtici fontem, originem, & exordium quo vnitatis tota compages niteretur, ac ſtabiliretur, agnoſcerent. Quò doctiſſimus Cardinalis Perronius eleganter omnino, ac pro more ſuo acutè retulit, communicatam 72. Senioribus ſpiritus ac poteſtatis Moyſi portionem, non quod partibilis eſſet ſpiritus Domini, vt in partes duceretur ac ſecaretur, ſed, vt exploratum Hebræis eſſet ſartam, tectamque Moyſi ſuam conſtare dignitatem; atque ſeptuaginta ſeniores ab eo ſuæ poteſtatis originem ducere, cui propterea non ſe æquarent, nec incommoda, & importuna ambitione ſe ab eius authoritate, & communione ſubducerent, ne vinculum vnitatis ſcindentes, quod poſtea fecerunt Core, Dathan, & Abiron, totam Eccleſiam perturbarent. Ad hunc ferè modum, (neque enim, vt aduertit diſertiſſimus Cardinalis, omnia quadrant) primùm Chriſtus Apoſtolo Petro authoritatem miniſterij Eccleſiaſtici, ac Cathedræ Apoſtolicæ, vni Petro largitus eſt,

Epheſ. 2. verſ. 20.

Card. Pero. Reſp. ad Reg. Mag. Brit. c. 56.

eſt, intellige deſignatione, ac certa deſtinatione, non actu, aut tunc reipſa. Et hoc capite deſignato in conſortium honoris, & poteſtatis Apoſtolos poſteà vocauit, vt vnitatis communio, adeóque ab vno capite pendentis authoritatis, ratio conſtaret. Hoc ſignificauit Cyprianus illis verbis, quæ Spalatenſem valdè pupugerunt. *Quo venturus eſt qui ſitit? Vtrumne ad hæreticos vbi fons, & fluuius aquæ vitalis omnino non eſt? An ad Eccleſiam quæ vna eſt, & ſuper vnum,* (Petrum intelligit) *qui claues eius accepit, voce Domini fundata?* Cyprianus cùm Apoſtolos alibi aſſerat in conſortium honoris, & poteſtatis Petro à Chriſto collatæ, veniſſe, hic *ſuper vnum Petrum*, fundatam Eccleſiam docet, vt nimirum oſtendat ipſum Petrum eius vnitatis quâ contra hæreticos vrgeret fontem eſſe, & originem, beneficio Chriſti tanti muneris, authoris. Vt igitur hæc omnia vno quaſi faſce complectar: Dico Chriſtum primùm pollicitum fuiſſe ſe concreditum vniuerſam Eccleſiam Petro, illis verbis, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, demum verò in illam communitatem poteſtatis reliquos Apoſtolos conſociaſſe, atque coniunxiſſe, hac lege, vt ſummum regendæ Eccleſiæ, ius penes Petrum eſſe paterentur. At excutit omnem pudorem atque quàm obfirmato, & impudenti animo ſint hæretici, docet Spalatenſis. *Nec nos*, inquit, *turbet verbum Cypriani, aliud eſt enim vnum, aliud ſolum, vbi vnum dixit propter myſterium vnitatis.* O egregium Grammatiſtam! Quid igitur an pluſquam vno, nititur primaria illa ratio vnitatis, quàm perſequitur Cyprianus? An non idcircò primùm fundatam ſeorſim ſupra Petrum Eccleſiam vrget, quod exordium ab vnitate proficiſcatur? Et quod libro de vnitate Eccleſiæ addit, *Apoſtolos præditos fuiſſe eodem conſortio hominis & poteſtatis*; An non ad hoc exordium, ad hanc originem, ad hunc vnum Petrum reuocat ſuper quem fundatam Eccleſiam aſſerit, vt *Eccleſia vna monſtretur*? Sed audi florentiſſimum martyrem ex ipſa epiſtola, cuius verba in diſputationem vocantur; *Nam Petro*, inquit, *primùm Dominus ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vnde vnitatis originem inſtituit, & oſtendit; poteſtatem iſtam dedit, vt id ſolueretur in cælis, quod ille ſoluiſſet in terris. Et poſt reſurrectionem quoque ad Apoſtolos loquitur, dicens; Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Hoc cùm dixiſſet, inſpirauit, & ait illis; Accipite Spiritũ ſanctum. Si cuius remiſeritis peccata, remittentur illi: ſi cuius tenueritis, tenebuntur. Vnde intelligimus non niſi in Eccleſia præpoſitis, & in Euangelica lege, ac Dominica ordinatione fundatis licere baptizare, & remiſſam peccatorum dare, foris autem nec ligari aliquid poſſe, nec ſolui, vbi non ſit, qui aut ligare poſsit aliquid, aut ſoluere.* Super vnum ergo dixit fundatam à Chriſto Eccleſiam, non quòd ſoli Petro repudiatis cæteris poteſtatem ligandi, & ſoluendi collatam à Chriſto iudicarit, ſed quòd ſupra *eum vnum*, primùm fundaſſe Eccleſiam, ac demum huius regiminis, quod fundaſſet, conſortium in alios deriuaſſe cenſuerit. Longè enim, ſi neſcit aduerſarius, hæc differunt, *eſſe ſolum fundamentum regiminis*, & *eſſe ſolum primum fundamentum regiminis*. Petrus authore Cypriano ſolus *primum fuit fundamentum* vnitatis & regiminis, quia *ſuper eum vnum Dominus fundauit Eccleſiam*, & *quia Petro primum ſuper quem fundauit Eccleſiam, & vnde vnitatis originem inſtituit & oſtendit, poteſtatem iſtam contulit, &c.* Sed Petrus (reclamante Cypriano) ſolus non fuit fundamentum regiminis. Nam Apoſtoli *pari fuerunt præditi conſortio honoris & poteſtatis*, ipſique Epiſcopi, & præpoſiti Eccleſiæ partem eius nanciſcuntur, & obtinent, ſeruato tamen ſemper capitis honore quo Petrum ornandum duxerit Chriſtus.

Cypr. ep. 73. ad Iubaianum.

Spalat. Num. 46.

Cypr. ep. 73. ad Iubaianum.

Cypr. de vnit. Eccl. Ep. 73. ad Iubaianum.

Hoc ipſum igitur quod Turrecremata, quod Senenſis, quod Bellarminus, tradidere, docuit Cyprianus, in cuius ſententia acquieſcimus, hoc vnum addidiſſe contenti cum Bellarmino *ordinarium* fuiſſe, & quod in æuum durare deberet, *miniſterium Petri*, cùm miniſterium Apoſtolorum, quippe *extraordinarium*, vltra vitæ illorum terminos non eſſet progreſſurum, ſed iis vita functis intercidere deberet, portione tantum eius poteſtatis ad Epiſcopos tranſmiſſa, vt eſt iam à nobis ſupra explicatum, & amplius explicabitur in ſequentibus. Quod enim quærit Spalatenſis, *vnde ſolum Petrum eſſe caput, & ordinarium gubernatorem Eccleſiæ* habeamus, facilè ſoluitur: Inde enim habetur quòd vni ei dixerit Chriſtus, *Tu es Petrus; Confirma fratres tuos, Paſce oues meas.* Confluunt enim omnia iſta ad ſtabiliendam & conſtituendam capitis ordinarij dignitatem, ac fruſtra eſt Spalatenſis in vno ſaxo oppugnando; cùm alia ſint huius ſententiæ firmamenta & præſidia quæ diſtrahi, ac diſiungi non ſimus paſſuri. Quod autem hic circulos ſibi fingit Spalatenſis, hominis eſt delirantis, *ac in circuitu ambulantis.* Ariſtoteles alicubi dixit, dexteriorem partem cœli eam eſſe in qua oriatur, quod ab oriente motus cœli initium ducat, alibi verò ab oriéte incipere motum cœli ex eo arguit, quod dexterior pars cœli ſit Oriens. Nunquid igitur nouo iſti dialectico ineptiiſſe videtur ſummus vir, qui hæc, vt loquuntur Philoſophi, in diuerſo genere cauſarum aſſumpſerit? Hieronymi locum à nobis ſupra illuſtratum, & explicatum, non eſt cur hoc loco retractemus. Ipſe certè; Etſi *Eccleſiæ fortitudinem ex æquo ſupra Apoſtolos omnes ſolidatam agnoſcat*, quod nimirum omnes in fundanda Eccleſia, quod ad munia planè Apoſtolica, & maximè ad prædicationem Euangelij attinet, eandem operam poſuerint: tamen addit, *Inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Hic vnus locus inſtar omnium eſſe poſſit ſoluendis omnibus argumentis, quæ ab æqualitate Apoſtolorum ducantur. Vidit enim vir doctiſſimus eam æqualitatem in officio Apoſtolatus, non modò non pugnare cum ſumma capitis authoritate, verùm etiam eam depoſcere, vt nimirũ hac vna authoritate firmata inter æquales pax ſarta tectaque perſeueret, & nullo ſchiſmaticorum impio conatu perturbetur. Neſcio verò quàm meritò de nobis, quos monarchicos ſeditioſus homo indigitat, conqueratur. *Quod nunquam expoſuerimus quid ſit Eccleſiæ ædificatio, quomodoque illa in ſolo Petro fuerit verificata, quia ei ſoli promiſſa.* Idolorum igitur inſtar oculos habet, & non videt, aures habet & non audit. An non enim paſſim clamant noſtri, tum regimine, tum doctrina illam conſtare. Et quidem quod attinet ad doctrinæ, & fidei ædificationem, pares Petro fuiſſe Apoſtolos non negant; Cùm etiam ipſe Paulus de ea re loquens, *plus ſe cæteris laboraſſe* glorietur. Quod attinet verò ad ædificationem regiminis, Petrum vnum fundamentum huius ædificationis fuiſſe quidem deſignatum, cùm eſt ei dictum, *Tu es Petrus, &c.* in poſſeſſionem verò inductum, cùm eſt ei dictum, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos.* Quo in munere obeundo, etſi partes quoque ſuas habuerint Apoſtoli in conſortium vocati, honoris, tamen Petro ſummiſiſſe faſces, ac pro ſummo Eccleſiæ paſtore, cui tota illa moles ex præſcripto Chriſti inniteretur agnouiſſe, nec alias Cathedras ſibi conſtituiſſe. Hoc Patres omnes docuerunt; hoc noſtri æui Scriptores Orthodoxi probarunt, hoc validiſſimis argumentis confirmarunt, vt iam hominis nihil ſimile habeat, ſed truncus planè ſit, & marmor, qui hæc non ſentiat, aut aduertat. Extorſimus itaque furioſo homini impia arma, neque, quod voluit, cruentos enſes extulit; vt iam illi fractis viribus,

Spalat. Num. 48. 49.

Lib 1. cont. Iouinian.

Spalat. Num. 50.

viribus, ac desperata victoria in luto hærendum sit. Hinc scilicet dolor, hinc illæ lachrymæ! Sed iniustè conquerenti ac dolenti non est quod haud profuturam medicinam adhibeamus. Restabat vltimus articulus discutiendus de impositione nominis Petri, sed quod in alium locum à Spalatensi reiectus sit, ne idem sæpius dicere cogamur, ab eo expendendo hîc nobis temperabimus, id alio loco cumulatissimè præstituri. SPALAT. Num. 51.

DISCVSSIO
SEPTIMI CAPITIS
LIBRI PRIMI.

EXPENDITVR LOCVS ILLE, TIBI DABO CLAVES.

CONSPECTVS CAPITIS.

Verba Christi, Tibi dabo claues regni cœlorum, *ad vnum Petrum Patrum sententia proximè pertinere: Plenissimam tamen potestatem ligandi, atque soluendi habuisse Apostolos: Hoc quomodo intelligẽdum: Cyprianus fusè explicatus: Optatus & Leo Orthodoxis asserti: Bellarminus defensus: Itẽ Maldonatus: Locus Esaiæ de claue Dauid versatus: Bellarminus excusatus. Vrgẽtur circunstãtia verborũ,* Tibi dabo, &c. *Quo sensu accipiendi Cyprianus, Augustinus, Pacianus & Optatus qui Petrũ vnitatis fontem, & caput faciant: Hieronymi locus, quo Petrum cum Ioanne confert, illustratus: Quomodo Petrus ex Augustino personã gestarit Ecclesiæ, cum claues acciperet: Vana mysteria Spalatensis eliminata ac expuncta.*

DVÆ præcipuæ fuerunt promissiones quas Christus fecit Petro, occasione illius celeberrimæ ipsius confessionis, quando respondens dixit, *Tu es Christus filius Dei viui: Altera fuit Petrum futurum præcipuum, & maximè insigne fundamẽtum, super quo ædificium Ecclesiæ Christi, hoc est, propagatio fidei debebat exurgere: Altera continetur illis verbis; Et tibi dabo claues regni cælorum; Et, Quodcunque ligaueris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Si antecedentia verba illa, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, verè, propriè, & proximè Petro ipsi à Christo dicta esse concessi in superioribus, & sponte, ac libenter admisi: vbi tamen ambigi meritò poterat, quænam sit illa Petra, super quam Christus se Ecclesiam suam ædificaturum promisit, quãtò libentius & promptius admittere debeo, alteram hanc promissionem, eidemmet Petro verè, propriè, & proximè fieri? Si quidem dicitur expressè à Christo Petrum alloquente, Tibi dabo claues: Valeant igitur & recedant quicunque vim huic litteræ adhibentes, non Petro proximè, sed, exclusa Petri persona, vel toti Ecclesiæ, vel alteri qui non sit Petrus claues dari aut promitti, contendunt. Mihi in hoc audire Patres, vera Ecclesiæ Catholicæ lumina, ab illis discere, & cum illis loqui, placet.* SPALAT. Num. 1. Matth. 16.

Digitized by Google

SERPENTEM, fabri ferrarij, cuius officinam eſſet ingreſſus, limam morſibus appetentem rident fabulæ, quod irrito illo labore vni ſibi perniciem machinetur ac cõciſcat: dentium aciem obtundente ac hebetante ferro, cuius duritiem vis illa non infringat. Haud magis auſpicatò Spalatenſis ad Petri claues abolendas ac conficiendas, hoc capite aggreditur, neque impio conatu aliud efficit, quàm, vt ſuam amentiam ſuumque furorem prodat, in tuto poſitis, quas arrodit clauibus. Igitur quod rẽ mali ominis eſſe videret, primũ conſtituit nobis adblandiri, quaſi is eſſet qui res Eccleſiæ ſaluas eſſe vellet. Principio enim omnem inuidiam à ſe amoliri tẽtat, idque facit vt Caluiniani ac Lutherani à quibus palàm diſſideat, ſoli, nefarij criminis ac peſſundatarum clauium poſtulentur. *Valeant*, inquit, *& recedant quicunque vim huic litteræ adhibentes, non Petro proximè, ſed excluſa Petri perſona vel toti Eccleſiæ, vel alteri qui non ſit Petrus, claues dari ac promitti, contendunt. Mihi in hoc audire Patres vera Eccleſiæ Catholicæ lumina, ab illis diſcere, & cum illis loqui, placet.* Vt igitur ſe Patrũ preſſiſſe veſtigia oſtendat, Tertullianum profert, Origenem, Hieronymum, Cyrillum Hieroſolymitanum, Auguſtinum, Ambroſium, Chryſoſtomum, & Bedam, qui quicquid eſt dignitatis ac myſterij in clauibus à Chriſto traditis, in vnum Petrum conferunt. Atque illa tam præclarorum teſtimoniorum mole oppreſſus clamat, *Monſtri ſimile eſt, negare hoc loco, & tibi dabo claues regni cælorum, Dominum cum ipſamet perſona Petri loqui; eique promittere claues, quas poſtea ipſi etiam infallibiliter conceſſerit.* Hæc Marcus Antonius; ſcilicet, vt nos circumueniat ac fallat: addit enim, *Sed monſtri adhuc fortaſſe maioris ſimile fuerit; ad Petrum ſolum hanc promiſſionem, ipſiuſque exeeutionem adeo arctare, vt claues Apoſtolis aliis neque fuerint promiſſæ à Chriſto, neque datæ, ſanè promiſſionem ſimilem, ſi non etiam traditionẽ, non multò pòſt omnibus Apoſtolis à Chriſto factam habemus in Euangelio; Amèn dico vobis, Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erũt ligata & in cælo; & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Pares ergo ſunt in promiſſione Apoſtoli omnes cũ Petro. Quod verò prius ſeorſim Petro facta fuerit promiſſio, deinde cæteris, mihi prætenſum illum primatum non videtur concludere; dummodo reipſa etiam in ipſis effectum habuerit promiſſio, vt reuera habuit: nam omnibus ſimul poſt reſurrectionem dixit Chriſtus: Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos, vt poſtea explicabimus. Item: Euntes docete omnes gentes: Probabimus enim nihil ibi conceſſum Petro, quod æquè non fuerit etiam aliis Apoſtolis conceſſum.* Atqui Eccleſiæ claues nõ ita, quod vult aduerſarius, ad Petrum arctamus, vt noſtro iudicio vnus iis potiatur: Fatemur enim ligandi ſoluendique pleniſſimam poteſtatem Apoſtolis quoque conceſſam, ac commiſſam, ſed pari authoritate fuiſſe cum Petro negamus. Neque verò vnquam probauerit, cuique eorum dictum, quod vni Petro dictum docet Euangelium, *Tibi dabo claues regni cælorum.* Vertat ſe in omne latus, omnẽ moueat lapidem, nihil ſimile inuenerit, adeóque fruſtrà fuerit in eorum cũ Petro æqualitate conſtituenda. Præclarè certè Ambroſius, *poteſtatem remittendorũ peccatorum Petri hæreditatem*, vocat. Itaque noſtra ſententia eſt ſpeciali quadam ac priuata ratione promitti Petro procurationem clauium, haud ſolùm cũ amplitudine poteſtatis ligandi atque ſoluendi, hoc enim & ad Apoſtolos ſpectat, ſed etiam cum titulo ac dignitate capitis, vt quidam huius imperij vis etiam in reliquos Apoſtolos trãsfundatur, ſed quam non niſi ordine quodam ac relatione ad Petrũ vnitatis Eccleſiaſticæ fontem à Chriſto conſtitutũ, nanciſcantur.

SPALAT. Num. 1.
Tertul in Scorp.
Orig. tract. 6. in Matth.
Hieron. in Matt. c. 16.
Cyril. Hier. Catech. 6.
Id. Catech. 14.
Aug. lib. 1. contra 2. Gaud. ep. c. 23.
Ambr. ſer. 38. de Ieiun. & quadrag.
Id. lib. 10. in Luc. c. 24.
Id. in Pſ. 40.
Id. lib. 1. de Pœnit. c. 6.
Chryſ. ho. 55. in Matt.
Beda ho. in Matt. c. 16.
Matth. 18.
Ioan. 20.
Matth. 28.

Ambr. lib. 1. de Pœnit. c. 6.

tur. Priorem noſtræ aſſertionis partem, Petrũ ſcilicet ſpeciali quadam ac priuata ratione claues accepiſſe, affirmant omnes Patres ab aduerſario ſecunda ſectione citati, lubet hic eorum retexere teſtimonia? *Tertullianus hæc habet; Nam etſi adhuc clauſum putas cœlum, memento claues eius hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe: quos hic vnuſquiſque interrogatus atque confeſſus ferret ſecum. Origenes; Sed quoniam oportebat, inquit, aliquid maius habere Petrum, præ illis qui ter arguerant; Ideo illi ſic quidem dicit, & tibi dabo claues regni cœlorum. Hieronymus; Prudens Lector inquirat, quomodo poſt tantam beatitudinem, Beatus es Simon Barjona: &, Tu es Petrus, &c. &, Tibi dabo claues regni cœlorum, &c. nunc audiat, Vade retro me Satana? Cyrillus Hieroſolymitanus ait; Petrus enim is erat, qui claues cœlorum ſecum ferebat. Item: Non pudeat te Apoſtolorum; non ſunt Moyſe deteriores, neque Prophetis inferiores: ſed boni cum bonis, & boni meliores. Elias enim aſſumptus eſt in cœlum, ſed Petrus habet claues regni cœlorum, cùm audiret; Et quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlo. Auguſtinus; Nunquid melior Razias, quàm Petrus Apoſtolus, qui vbi dicit, Tu es Chriſtus filius Dei viui; tam beatus à Domino appellatus eſt, vt claues regni cœlorum accipere mereretur? Ambroſius; Quemadmodum autem clauſi cœli aperiendi ſunt, inquirere nos oportet. Puto autem aliter eos aperiri non poſſe, niſi claues Petri Apoſtoli ſumpſerimus, quas Domino largiente ſuſcepit, ſicut ipſe dixit; Tibi dabo claues regni cœlorum. Item: Qui poſterior venerat, primus ingreditur (Petrus) quaſi qui claues regni, vt aliis aperiret acceperat. Item: Beatus Petrus, cui non inferiorum porta præualuit; Non cœli porta ſe clauſit; ſed è contrario deſtruxit inferni veſtibula, patefecit cœleſtia. In terris itaque poſitus, cœlum aperuit, inferos clauſit. Item: Sed hoc improbè, quod etiam (Nouatiani) in Eccleſia donari peccata negant poſſe, cùm Petro dictum ſit, Tibi dabo claues, &c. Chryſoſtomus; Quænam maiora, inquit, dona videntur, quæ Pater, aut quæ filius Petro largitus eſt? Pater quidem reuelationem ei filij ſui dedit, filius autem partim, vt tam Patris quàm filij ſui reuelationem, vbique terrarum poſſet ſeminare; partim vt quamuis homo eſſet mortalis, cœleſti tamen poteſtate polleret; & claues haberet regni cœlorum. Beda; Qui enim regni cœlorum maiori dilectione præ cæteris confeſſus eſt, meritò præ cæteris, collatis regni cœleſtis clauibus donatus eſt.* Erat quod præclaris iſtis Eccleſiæ luminibus ſe aſſenſorem præberet aduerſarius, nec eorum placitis tenebras offunderet. Neque verò doctiſſimi iſti Patres recens aliquod dogma, aut ſuo ſæculo natum in Eccleſiam inuexerunt, ſed quod obſcurius dixiſſe alij videntur illi paulò clarius explicarunt; Erat ſcilicet in eadem ſententia Cyprianus, quanquam eum nobis valdè infeſtum velit Spalatenſis, cùm ſcriberet, *Loquitur Dominus ad Petrum, Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferorum non vincent eam. Tibi dabo claues regni cœlorum; & quæcumque ligaueris, &c. & eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit, Paſce oues meas. Et quamuis Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata, remittentur illi; ſi cui tenueritis, tenebuntur; Tamen vt vnitatem manifeſtaret, vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit.* Vt autem iam omnes dubitandi occaſiones amputemus, lubet paulò vberiùs hunc locum tractare, ac altius repetere, quæ ſunt à Cypriano libro de vnitate Eccleſiæ pertractata. Hic igitur impij demonis fraudibus detectis, qui abolita Idolorum

SPALAT. Num.2.
Tertull. in Scorp.
Orig. tract. 6. in Matth.
Hieron. in Matt. c. 16.
Cyrill. Hieroſol. Catecheſ. 6.
Id. Catech. 14.
Aug. lib. 1. contra 2. Gaud. ep. c. 23.
Ambr. ſer. 38. de Ieiun. & quadrag.
Ambr. li. 10. in Luc. in c. 24.
Idem in Pſ. 40.
Id. lib. 1. de Pœnit. c. 6.
Chryſoſt. hom. 55. in Matth.
Beda ho. in Matt. c. 16.
SPALAT. Num. 4.
Cypr. de ſimpl. Præl. ſiue de vnit. Eccl.
Ioan. 20.
Initio.

vanitate, cùm ſe illa via amplius proficere non poſſe cerneret, hæreſes ſubornaſſet, quibus fidei nitorem obſcuraret, mali labem aperit, adeóque huius calamitatis grauiſſimæ cauſam, ac fundum, in deſerto, ac derelicto ſummo fidei paſtore reponit, cuius obſeruantia prohiberi potuiſſet. *Hoc*, inquit, *fit fratres dilectiſsimi, dum ad veritatis originem non reditur, nec caput quæritur, nec magiſtri cæleſtis doctrina ſeruatur.* Poſtea quæ ſit fidei origo, quod caput, à cœleſtis doctrinæ magiſtro præſtitutum declarat: *Quæ*, inquit, *ſi quis conſideret & examinet*, Caput videlicet fidei, & originem veritatis, *tractatu longo atque argumentis opus non eſt, probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad* Petrum, *Ego dico tibi, quia tu es* Petrus, *& ſuper iſtam* Petram *ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non vincent eam: Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis, & quæ ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis; Et eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit, Paſce oues meas; ſuper illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas.* Hic te ſiſto Lector doctiſſime. Veritatis originem, & capitis fidei rationem explicaturus, Ad vnum confugit Petrum Cyprianus, ac iſtius ædificationis molem Petro impoſitam oſtendit, vt compendio fidem ipſam aſtruat, ac impios hæreticorum conatus obtundat: Ergo eius iudicio eſt aliquid dignitatis in Petro ſeorſim ſpectato, quod illis motibus ſopiendis, ac remouendis ſubſeruiat; quid verò illud eſſe poſſit niſi illa verba, *Tu es* Petrus, *& ſuper hanc* Petram *ædficabo* Eccleſiam *meam; &, Tibi dabo claues regni cælorum: &, Paſce oues meas*: ad vnum Petrum dicta? Et quia obijci poterat pari poteſtate donatos Apoſtolos aggreditur, iam ad obiectionem diluendam: *Et quamuis*, inquit, *Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat, & dicat, Sicut miſit me* Pater, *ita ego mitto vos: Accipite Spiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata, remittentur illi, ſi cui tenueritis tenebuntur: tamen vt vnitatem monſtraret, &c. vnitatis eiuſdem originem ab vno incipientem ſua authoritate diſponit: Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuerat* Petrus, *pari conſortio præditi, & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur, vt Eccleſia vna monſtretur.* Non igitur vt authoritatem Petri, aut imminueret, aut infringeret, ſed vt obiectionem diſpungeret, hæc diſputationi ſuæ voluit inſerta. Hoc indicat particula, *quamuis*, qua oſtendit ſe, *nonobſtante* ratione, quam eſſet inducturus, in priori ſe perſtare ſententia, atque vnum illud de Petro aſſertum, fundamenti inſtar eſſe, quo quæ eſſent ab eo dicenda omnino niterentur. Itaque depulſo argumento poſtremam ſuæ orationis partem reperit, atque mollit. *Hoc*, inquit, *erant cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur.* Itaque niſi cœcus fuiſſet Spalatenſis, vidiſſet omnino Cyprianum particula aduerſatiua, *Sed*, veluti lumine orationis interpoſito lucē intuliſſe, vt ſcilicet nil officiat priori ſententiæ de Eccleſia *ſuper vnum* Petrum *ædificata, de collatis ei vni clauibus, de cura paſcendi gregis*, conſortium poteſtatis & honoris quo ſint pręditi reliqui Collegæ, quod nimirum nihilo ſecius Eccleſiæ ſuæ vnitatem capitis creatione & inſtitutione formandam duxerit Chriſtus, vnde Chriſtiani fidei ſuæ originem peterent, & hoc veluti *compendio veritatis* hæreſes omnes profligarent. Hæc mens eſt Cypriani. Poſteriorem partem noſtræ aſſertionis, ſcilicet Apoſtolos *in conſortium* admiſſos *honoris* Petro tributi, probant Patres qui

altera

alteratione hoc ordine à Spalatenſi adducuntur. Origenes, *An verò ſoli Petro*, inquit, *dantur à Chriſto claues regni cælorum, nec alius beatorum quiſquam eas accepturus eſt? Quod ſi dictum hoc, Tibi dabo claues regni cælorum, cæteris quoque commune eſt, cur non ſimul omnia, & quæ prius dicta ſunt, & quæ ſequuntur, velut ad Petrum dicta, ſunt omnia communia? Hilarius* orationem ſuam ad *Apoſtolos omnes conuertens, Tanta, & tam propriè vos*, inquit, *ô ſancti & beati viri, ob fidei veſtræ meritum, claues regni cælorum ſortiti, & ligandi atque ſoluendi in cælo, & in terra ius adepti, geſta eſſe per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum Dei filium videratis, &c. Item, Illi (Apoſtoli) manu atque opere ſe alentes, intra cænacula, ſecretáque coeuntes, vicos, & caſtella, gentéſque ferè omnes terra ac mari, contra Senatus conſulta, & Regum edicta, peragrantes, Claues credo regni cælorum non habebant? Hieronymus; At dicis*, inquit, *ſuper Petrum fundatur Eccleſia: Licet idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, &c. Gaudentius Brixienſis*, Omnes, inquit, *Apoſtoli, Chriſto ſurgente, in Petro claues accipiunt, quin imò cum Petro, cæleſtis regni claues, ab ipſo Domino accipiunt, quando ait illis; Accipite Spiritum ſanctum, &c. Et iterum; Euntes docete, &c. Auguſtinus*, Petrus, inquit, *multis locis ſcripturarum apparet, quod perſonam geſtet Eccleſiæ; maximè illo in loco vbi dictum eſt, Tibi dabo claues regni cælorum. Nunquid iſtas claues Petrus accepit, & Paulus non accepit? Petrus accepit, & Ioannes & Iacobus non accepit, & cæteri Apoſtoli? Ambroſius; Quod Petro dicitur, cæteris Apoſtolis dicitur; Tibi dabo claues, &c. non poteſtatem vſurpamus; ſed ſeruimus imperio. Item; Impoßibile videbatur per pœnitentiam peccata dimitti: conceßit hoc Chriſtus Apoſtolis ſuis, quod ab Apoſtolis ad ſacerdotum officia tranſmiſſum eſt. Leo Pontifex Romanus tractans illa Chriſti verba, Tibi dabo claues, &c. Tranſiuit, inquit, in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius: & ad omnes Eccleſiæ principes decreti huius conſtitutio cõmeauit. Theophylactus; Licet ad Petrum tantùm, inquit, dictum ſit illud, Tibi dabo; tamen omnibus Apoſtolis olim datum eſt, quando dixit, quorum remiſeritis, &c. Euthymius, Tibi dabo claues, &c. Atqui donum hoc cæterorum fuit Apoſtolorum. Beda; Quodcunque ligaueris, &c. Hæc poteſtas, inquit, ſine dubio, cunctis datur Apoſtolis, quibus ab eo poſt reſurrectionem dicitur generaliter; Accipite Spiritum ſanctum, &c. Rabanus, Hæc autem ligandi atque ſoluendi poteſtas, quamus ſoli Petro data videatur à Domino, tamen & cæteris Apoſtolis datur, nec non etiam nunc in Epiſcopis & Presbyteris, omni Eccleſiæ. Lyranus, Non ſolùm pro te dabo claues, ſed etiam pro aliis. Sicut enim confeßio Petri, erat confeßio aliorum, ita poteſtas hæc data Petro intelligatur dari alijs licet Petro principalius, (aduerte principalius) inquantum erat aliorum Capitaneus. Synodus Lemouicenſis, ante ſexingentos fermè annos, ita habet; Vt ſicut Dominus beato Petro, & huic beato Martiali, ad cuius ſacratißimum corpus aßiſtimus, cæteriſque Apoſtolis virtutem atque poteſtatem ligandi atque ſoluendi tribuere dignatus eſt, ita, &c.* Hi igitur Patres, vt eſt ſupra à nobis oſtenſum Petri primatum, præſtantiam & excellentiam in ædificatione Eccleſię, ac clauium quoque miniſterio tuentur, prædicant, illuſtrant. Itaque æqualitas iſta quæ nobis obiicitur, primatum, præſtantiam, & excellentiam Petri non tollit funditùs, vt ſibi perſuaſum voluit Spalatenſis. Non grauabor retexere argumentum Hieronymi, quod perilluſtris ſit locus, & vt monui ad hanc controuerſiam dirimendam accommodatiſſimus. *At dicis*, inquit, *ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licet idipſum in alio loco ſuper*

SPALAT. Num. 4.
Orig. tract. 1. in Matth.
Hilar. de Tri. lib. 6.
Id. lib. contra Arian. & Auxen.
Hier. lib. 1. adu. Iouin.
Gaud. Brix. tract. in die ſuæ ordinat.
Aug ſer. 30. de Diuer.
Ambroſ. in Pſ. 38.
Id. de Pœn. lib. 2. c. 2.
Leo ſer. 3. de ann. ſuæ Aſſumpt.
Theoph. in Matth. c. 16.
Euthym. in Matt. c. 23.
Beda in Matt. c. 16.
Cathena The. in Matth.
Lyran. in Mat. c. 16
Apud. Bar. tom. 11. ann. 1034. nu. 11
Hier. lib. 1. adu. Iouin.

omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cælorum accipiant, vt ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur, tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio. Vides Marce Antoni, nam etiam decies repetita tibi placent, Hieronymum pro æqualitate Apoſtolorum, contra Iouinianum infeſtis ſignis depugnantem, in noſtra tamen ſententia acquieſcere, ac primatum Petri capitiſque dignitatem ſuo etiãm calculo probare. Quid tibi igitur mentis ſit & Concilij, cùm hæc ſecum pugnare homo clamoſus, & importunus tam impudenter aſſeueras? Coronidis vice ſplendido mendacio ſuos beauit aduerſarius. Cùm enim incidiſſet in Concilium Colonienſe ad annum Domini 1549, ac ex eo probaſſet, non ad ſolum Petrum pertinere promiſſionem clauium, hoc addidit de ſuo. *Illius Concilij Patres primatum Petri ſupra alios Apoſtolos non agnoſcebant, & conſequenter illi monarchiam Petri certè hoc loco non admittebant.* Atqui ſi primatum Petri non agnoſcebant: quorſum igitur cõſpirantibus votis omnia Eccleſiæ Romanę dogmata ſeruanda conſtituerunt? Quorſum ad ſedem Apoſtolicam remittendos Apoſtatas, duxerunt? Audi ſaluberrimum decretum: *Similiter requirimus*, inquiunt, Patres illi Colonienſes, *& paterno affectu monemus Monachos, & ſanctimoniales Apoſtatas Sacerdotes ſui ordinis & diſciplinæ deſertores, Clericos & Laicos, eoſque omnes qui communione ſchiſmatica, aut prauorum dogmatum contagione, per hanc tempeſtatem, ſe ab vnitate Eccleſiæ Catholicæ, extra quam non eſt ſalus, ſepararunt, & hæreſi, ſchiſmatéque omni abiurato, abſolutionem & reconciliationem à ſede Apoſtolica, vel eis quibus hoc munus delegatum eſt petant, ſtudeántque deinceps in vnitate communionis, & fidei cum Eccleſia ſancta Catholica permanere.* An hæc ſchiſmaticorum vox eſt? Sed annon Petri ſedem, ac prærogatiuas, venerantium hæc ad Calcem Concilij verba ſint? *Ea verò quæ hîc conſtituta ſunt iudicio Sanctæ ſedis Apoſtolicæ, & Oecumenici Concilij, vt omnia noſtra reuerenter ſubmittimus.* Nihil eſt igitur tum in recentiorum, tum in vetuſtiorum ſcriptis, quod primatui Petri officiat, aut eius poteſtatem imminuat. Sed fortiſſimè omnium noſtram ſententiam propugnant Optatus & Leo, quos propterea immaniter torquet aduerſarius. *His tamen*, inquit, *contrarius videtur vir, & antiquitate; & authoritate in Eccleſia ſatis celebris, Optatus Mileuitanus; dum ait: Bono vnitatis, beatus Petrus (cui ſatis erat, ſi poſtquam negauit ſolam veniam conſequeretur,) & præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claues regni cælorum communicandas cæteris, ſolus accepit. Quæ ſanè verba prima fronte videretur contra ſenſum omnium, quos modò recenſuimus Patrum aſſerere, ſolum Petrum claues à Domino accepiſſe, quas ipſe Petrus poſtea aliis Apoſtolis communicaret. Quoniam tamen ſenſus hic in antiqua Eccleſia eſt intolerabilis; & nullum, imò omnino contrarium habens in Euangelio, & ſacra Scriptura fundamentum; remouendæ ſunt ab eo Catholicæ mentes; neque putandum eſt tantum virum tanti momenti veritatem ignoraſſe, ac neſciſſe claues à Domino immediatè non Petrum modò, ſed etiam omnes Apoſtolos habuiſſe. Itaque Optatus, nihil aliud voluit, quàm quod inſignis Africæ magiſter, non multò antè ipſum Optatum Afrum ſimiliter docuerat Cyprianus; nimirum, propter vnitatis myſterium, Petrum Apoſtolis prælatũ in eo, quod ipſe Petrus & non alij à Chriſto, pro vnitatis myſterio, fuerit aſſumptus, prout infra declarabimus: Et claues regni cælorũ ſolus acceperit: hoc eſt, quod ipſi per ſe ſeorſim primo ſoli promiſſæ fuerint, & poſtea etiam ſeorſim ſoli traditæ videantur verbis illis, Paſce oues meas: ſed hoc non excludit alios Apoſtolos, quin & ipſis omnibus tum promiſſæ, tum collatæ à Chriſto fue-*

Conc. Colon. vbi de 6. medio reform.

De abiuranda hæreſi.

Spalat. Num. 5.

Optat. contra Parm. lib. 1.

fuerint : Et quod dicit hic autor Petrum claues accepiſſe, cæteris communicandas, non eſt ſenſus, à Petro communicandas ; ſed Petrum accepiſſe illas claues, quæ nihilominus erant cæteris quoque Apoſtolis communicandæ ; puta à Chriſto Domino. Sed ſumma impudentia dici ſententiam Optati *eſſe intolerabilem, & nullum imò contrarium habere in Euangelio & Scriptura ſacra fundamentum,* locus Gregorij Nyſſeni oſtendit, *Nihil,* inquit, *falſi aut mendacij ſcriptum eſt in Euangeliis, neque Chriſti prædictio exitum fallacem habet. Per Petrum Epiſcopus dedit clauem cæleſtium honorum.* De Cypriano egimus ſupra, ac ab eo fruſtra quæſiiſſe præſidium Spalatenſem oſtendimus. *Leo præterea,* inquit Spalatenſis, *videtur contraria tradidiſſe, cùm dixit, Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipſius fertur æquitate iudicium ; nec nimia eſt vel ſeueritas, vel remiſſio, vbi nil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod Beatus Petrus aut ſoluerit aut ligauerit. Videtur itaque innuere Leo, ſolum Petrum claues accepiſſe ; ſi quidem nihil aut ligatum aut ſolutum affirmat, niſi quod Petrus aut ſoluerit aut ligauerit. Sed certè contrarium potius ſenſum ex his Leonis verbis mihi videor poſſe elicere : nam nomen Petri hoc loco myſticè à Leone ſumi non eſt dubium ; nimirum vt Petrus ſignificaret prælatum quemcunque, qui ex æquitate & cum ſumma iuſtitia, inſtar Petri, clauibus vtatur. Vt nihil ſit aut ligatum aut ſolutum ; niſi vbi cum magna æquitate eo modo fertur iudicium, quo à ſanctiſſimo Petro Apoſtolo eſſet ferendum. Potius ergo ſupponit penes quencumque prælatum claues eſſe, ſicuti erant penes quencunque Apoſtolorum : in hoc ipſomet Leone ſupra etiam num. 4. conſentiente.* Sed hæc ſunt dormientis inſomnia. Propriè enim non ſymbolicas Petrum intellexiſſe, Leonem, argumento eſt, quod *Priuilegium Petri* vocat, & præterea ſexcentis aliis locis euincitur in noſtra fuiſſe ſententia, ac Petro cum ſumma capitis dignitate tradidiſſe claues Chriſtum, docuiſſe. Quid enim ſibi iſta volunt ; *Tranſiuit quidem,* inquit, *etiam in alios Apoſtolos vis poteſtatis illius, & ad omnes Eccleſiæ principes decreti huius conſtitutio commeauit : ſed non fruſtra vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri priuilegium vbicumque ex ipſius fertur æquitate iudicium. Nec nimia vel ſeueritas, vel remiſſio, vbi nihil erit ligatum, nihil ſolutum niſi quod B. Petrus aut ſoluerit aut ligauerit.* Quod attinet verò ad Caietanum, non erat cur in eo vexando ac refellendo operam poneret homo, vt videtur mirè otioſus : Sapientiſſimè cenſuit Cardinalis Bellarminus Caietani doctrinam, quæ munus ligandi & ſoluendi à clauibus diſtinguat & ſecernat, ſubtiliorem eſſe quàm veriorem. *Inauditum eſt enim,* inquit ille, *in Eccleſia eſſe alias claues quàm ordinis & iuriſdictionis, & planus ſenſus illorum verborum, Tibi dabo claues, Et, Quodcunque ſolueris ſuper terram, &c. eſt iſte vt primò promittatur authoritas ſeu poteſtas deſignata per claues ; deinde vt actiones ſiue officium explicetur per illa vocabula, ſoluere & ligare, ita vt omninò ſit idem ſoluere ac aperire, ligare & claudere, &c.* At hic Bellarminum interpellat aduerſarius, & ei diem dicit quod cùm ſenſiſſet aduerſus Caietanum, *nihil eſſe in metaphora clauium, quod non ſufficienter per actus ligandi & ſoluendi explicaretur ;* Poſtea tamen in clauibus, *ſeorſim à poteſtate ligandi & ſoluendi principatum Petri conetur expiſcari, velitque metaphoram ipſam clauium hunc principatum redolere.* Falleris, mi Antoni, cùm eſt clauium metaphora ad aſſerendum Petri principatum vſus Cardinalis Bellarminus, non claues à ligandi & ſoluendi munere ſeiunxit, ſed eminentiori ac excellentiori quodam dicendi genere or-

Greg. Niſſ. de caſtigatione. Οὐδὲν ψεῦδος, οὐ συγγραμμάτιον ἐξήκασται, οὐδὲ ἀποῤῥήσσει τῆς ἀληθείας ἡ ἀσφάλεια. ἀλλὰ Πέτρου ἔδωκε τοῖς ἐπισκόποις ἡ κλεῖς ἡ οὐρανίων.

SPALAT. Num. 6. Leo ſer. 3. in anniu. ſuæ aſſump. & ſer. 2. de nat. Apoſt. Pet. & Paul.

Leo ſer. 3. de die anniuerſ. aſſumpt. ſuæ.

Nu. 7. 8. 9.

Bellar. li. 1. de Rom. Pont. c. 12.

SPALAT. Num. 10. Bellarm. de Rom. Pōt. lib. 1. c. 13.

natum hoc munus ligandi & ſoluendi, cùm in Petrum conferretur à Chriſto, & doctiſſimè & prudentiſſimè aduertit. Namque metaphora clauium quam ſoluendi & ligandi vocabulum, illuſtrior eſt & ornatior, quod vt plurimùm in Scripturis ad ſignificandam ſummam quandam dignitatem aſſumatur. Certè non deſunt viri doctiſſimi, & in his Maldonatus, acerrimo vir ingenio & iudicio, qui metaphoram clauium arbitrentur ad vnum, ac vnicum Petrum propriè pertinere, cùm ad eum vnum & vnicum intendiſſe Chriſtum, tam ſingularis allocutio comprobare videatur, *Et tibi dabo claues regni cælorum.* Quis enim hic alium quàm vnum cogitauerit Petrum? Vult autem Maldonatus promiſſarum clauium munus in vnum etiam Petrum collatum his verbis ad eum ſolum dictis, *Paſce oues meas.* Illam verò exhibitionem poteſtatis remittendorum aut retinendorum peccatorum de qua Ioannis 20. reſpondere contendit, non promiſſioni factæ Petro his verbis, *Tibi dabo claues*, ſed promiſſioni factæ omnibus in vniuerſum Apoſtolis, *Quæcumque ligaueritis ſuper terram.*

Quanquam autem à magnis illis Eccleſiæ columnis ægrè auelli me patior, Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, Chryſoſtomo, qui claues Petro promiſſas etiam reliquis Apoſtolis traditas conſtantiſsimè docuerunt; Obſeruo tamen eoſdem Patres cùm in Petro claues accepiſſe Apoſtolos, cùm Petrum figuram geſsiſſe Eccleſiæ, cùm etiam per Petrum accepiſſe Epiſcopos prædicent, clariſſimè oſtendiſſe ſuam eſſe ſententiam Petrum præſtantiori quodam iure eas à Chriſto conſecutum, vt ſcilicet caput Eccleſiæ ſignificaretur. Quare Sycophantam agit Spalatenſis, qui quod Maldonatus ſuam illam interpoſuiſſet interpretationem, qua in metaphora clauium aliquid ineſſe quod in poteſtate ligandi ac ſoluendi non ineſſet, contendit, exclamandum ſibi duxerit ipſum *Primatus Petri noſtro ſæculo authorem habendum*. Quod os, quos oculos, imo quid hominis ſimile habeat, qui tam præfidenter mentiatur? Exiſtimauit quidem Maldonatus ſe veram interpretationem inueniſſe, ac ſuam ſententiam firmauit authoritate Scripturæ, ſed neque Patribus obtrectauit, cùm & ipſe claues quoque habuiſſe Apoſtolos doceat, neque firmamentum aut præſidium cauſæ quam defendit in vna illa ſua interpretatione poſuit; quare furori hactenus indulſiſſe mihi videtur declamator, qui etiam in hæc verba proruperit, O *præclarum primatum, quem nunquam Eccleſia Catholica in clauibus Petri agnouerit.* Atqui quæ ipſe initio ex Patribus retulit hunc primatum omnino probant, vt oſtendimus; Et facilè probarim inficias non iiſſe Spalatenſem. Si quidem faſſus eſt vni perſonæ Petri dictum, *Tibi dabo claues regni cælorum.* Explicet igitur nobis quid illa perſona acceperit? Si reſpondeat *idem accepiſſe quod reliqui acceperunt*; vrgeo igitur fruſtra Chriſtum Petrum priuatim alloquutum: Certè vix ac ne vix quidem in animum induxerit ſanæ mentis homo, Chriſtum tot, vt ita dicam, cæremoniis, circa Petrum vſum vt efficeret nihil. Quid igitur ſibi volebat ſplendor iſte verborum, *Et tibi dabo claues regni cælorum?* Sanè quoties Scriptura vtitur metaphora clauium, ſignificat poteſtatem non quamlibet, ſed eximiam quandam ac ſingularem. Itaque cùm apud Eſaiam vellet Deus ſignificare daturum ſe eſſe Eliacim ſummam authoritatem in aula regia dixit, *Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet, & non erit qui claudat, & claudet, & non erit qui aperiat.* Hoc enim de eximia quadam & ſingulari authoritate Scriptura interpretata eſt, vt ſtatim indicabimus. Et apud Lucam Chriſtus, *Væ vobis legis-peritis, qui tuliſtis clauem ſcientiæ*, id eſt qui vobis arro-

Ma'd n. ad c. 16. Matt. SPALAT. Num. 13.

Sententia eſt Eulogy apud Photium cap. 280. Matth. 16. Non de eade omnino poteſtate ſermonem eſſe aiq; Matt. 18. & Ioan. 20. ſed Matth. 16. agi de ſingulari quadam poteſtate tũ primum ſoli Petro promiſſa. Maldonati opinio.

Num. 13.

Matth. 16.

Eſa. c. 22.

Luc. 11.

arrogatis ſummam authoritatem interpretandi Scripturam. Et in Apocalypſi, vt Chriſtus indicaret ſe vnum habere poteſtatem vitæ ac mortis, & occidere poſſe, & ad vitam reuocare, dixit ſe habere *clauem vitæ & mortis*, id eſt vtriuſque ſummam poteſtatem & imperium. Et rurſus, vt indicaret ſe eſſe omnium maximum in regno Dauid, dixit ſe habere *clauem domus Dauid.* Ergo pari ratione hoc loco, cùm ſit Petro dictum à Chriſto, *Tibi dabo claues regni cælorum*, eximia quoque ac ſingularis aliqua poteſtas Petro conceſſa eſt. Atque vt intelligas parem omnino non fuiſſe Apoſtolis conceſſam, lege ac reuolue Euangelia, nuſquam inuenies Dominum, cùm poteſtatem retinendorum aut dimittendorum peccatorum Apoſtolis in vniuerſum impertiretur, eadem metaphora aliquando eſſe vſum. At hîc Bellarminum mordet Spalatenſis, quod Eliacim ſummum Pontificem, qui in locum Sobnæ præfecti templi ac Cardinalis iudicio in ſummi Pontificis locum ſucceſſerit, faciat, cùm tamen is Sobna non ſummus Pontifex, ſed theſaurorum templi cuſtos omnino fuerit; ſed ſi quid hîc erratum eſt à Cardinali, induxit eum in errorem Hieronymus, quæ quod in Sobna meminiſſet Scriptura coronæ Pontificis & ſanctificationis in auri lamina, eiuſque Pontificatum ad Chriſtum ipſum retuliſſet, ac ſcripſiſſet *Chriſtum poſſediſſe in ſpiritu, quod ille in terra habuiſſet*, putauit omnino Hieronymi ſententia Sobnam, in cuius locum ſucceſſit Eleacim ſummum Pontificem fuiſſe: Quanquam ipſe Hieronymus ex 70. interpretatione qui παμμεγας illum vocarint, eum Quæſtorem & Diſpenſatorem Theſaurorum fuiſſe, non potuerit neſciiſſe. Quicquid autem ſit de Hieronymi ſententia, planum eſt eo loci per clauem Dauid eximiam quandam & ſingularem poteſtatem ſignificari. Ita enim Deus minatur Sobnæ, *In die illa vocabo ſeruum meum Eliacim filium Elkiæ, & induam illum tunica tua, & cingulo tuo confortabo eum, & poteſtatem tuam dabo in manu eius, & erit quaſi pater habitantibus Iuda & domui Hieruſalem, & dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius.* Hoc idem eſt, ac ſi dixiſſet, inquit Brentius. *Eleacim tanta erit authoritate & poteſtate in regia aula ſucceſſorum Dauid præditus, vt quod ipſe iuſſerit nemo retractet, & quod ipſe vetuerit nemo iubeat.* Hoc Marcus Antonius concedat Petro in domo Chriſti, aſſerat Pontifici, & belli exitus ac finis erit. Quæ autem aggerit & coaceruat, vt mole argumentorum premat Bellarminum adeo aliena ſunt ab hoc inſtituto, vt in his non ducam tempus terendum, ſatis eſt quod audaciæ eum armis ſpoliauerimus, effecerimuſque vt niſi planè deſipiat, illi fatendum ſit in metaphora clauium notas ineſſe eximiæ cuiuſdam dignitatis, vt proinde Petro aliquid illi concedendum ſit quo reliqui Apoſtoli non ſint potiti. Id nimirum eſt ſummum in vniuerſam Eccleſiam imperium, quod titulo Capitis eſt conſequutus. Hoc ſenſu rectè aduertit Bellarminus, cùm dictum eſt Petro generaliter; *Quicquid ſolueris, poteſtatem præcipiendi, puniendi, diſpenſandi, & omnia pro dignitate capitis agendi, adeoque ſummam eius in Eccleſiam poteſtatem deſignatam*; Scilicet quod his poſtremis verbis actus & officia clauium, quarum metaphora eſſet ea dignitas expreſſa, interpretatum Chriſtum meritò cenſuerit. Sed vrget Spalatenſis, *Nulla verba generaliora dicta Petro quàm Apoſtolis, cùm his dictum ſit, quæcumque alligaueritis & ſolueritis, illi etiam haud ſecus, quodque ſolueris, quodcumque ligaueris.* Oſtendat igitur illis prioribus adiunctam metaphoram clauium, quæ imperium ſummum & authoritatem eximiam deſignet, dabimuſque non inuiti manus; ſed cum ſolis his poſterioribus ſit addita & inſerta, reſtat ei ratio metaphoræ, qua

SPALAT. Num. 11.

Hier. l. 5. in Iſa. c. 22.

Brent. ad c. 22. Eſa.

Num. 11.

Digitized by Google

argumentum ex conſequenti nititur, refellenda.

SPALAT. Num.12. Iam verò ſi factis quæ ille in hanc diſputationem inducit, ſtandum eſt, nos plura in ſecuturis capitibus afferemus, ex quibus liceat colligere Primatum inter Apoſtolos obtinuiſſe, adeoque exercuiſſe Petrum. Docuerint igitur populos alij, & in hoc labore ſuſcipiendo præſtantiorem operam poſuerit Paulus; ligarint & ſoluerint reliqui; Iacobus extremæ vnctionis Sacramentum publicarit; Hæc ſupra Apoſtolatus dignitatem & authoritatem non ſunt quàm in aliis parem agnoſcimus. At Petrus caput ſe Eccleſiæ præbuit aliis ſexcentis argumentis, quæ ſuo loco examinabuntur. Proinde ſi, quod habet Spalatenſis, *effectus ipſi ſunt nobis regula certa & firmum documentum*, proculdubio palmam aliis præripuit Petrus, vt oſtendetut. Sed Patronorum inopia Bellarminum laboraſſe clamat Spalatenſis, quod Chryſoſtomum & Gregorium ſolos protulerit. At certè potuit hoc præteruolaſſe Spalatenſis, non enim quod eum ea præſidia deficerent hos tam paucos teſtes extulit, ſed quod præterquam eorum teſtimonia alio loco protuliſſet in re non valde dubia, multitudine opus non haberet. Atqui Chryſoſtomum Bellarmino eripuiſſe ſe gloriatur homo vaniſſimus; nos tamen ſupra eum totum Eccleſiæ Catholicæ aſſeruimus ac vindicauimus. Gre-

SPALAT. Num.13. gorij etiam teſtimonium infringere conatur, *Non enim ſatis habemus*, inquit, *quod Gregorius dicat, Petro totius Eccleſiæ curam eſſe commiſſam illis verbis, Tibi dabo claues regni Cælorum, &c. niſi exponatur vbi, quando, & quomodo data fuerit cura iſthæc ſoli Petro; & tollatur difficultas illa, cur etiam aliis Apoſtolis nihilo ſecius quàm Petro claues traditæ fuerint; Cùm præſertim etiam Gregorius dicat, quidem Petro totius Eccleſiæ curam eſſe commiſſam; non tamen dicat ſoli Petro; verumque ſit totius Eccleſiæ curam, & ſanè præcipuam, Petro maximè omnium duodecim Apoſtolorum eſſe commiſſam, ſed tamen eandem totius Eccleſiæ curam cæteris etiam Apoſtolis ſimul cum Petro in ſolidum æquè commiſſam non dubitamus; Et hoc Gregorij dictis non repugnat.* Quaſi verò non ſit centies ei dictũ, eam curam Eccleſiæ Petro poſt reſurrectionem omnino demandatam, cùm ei dixit Chriſtus, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos.* Ipſe certè Maldonatus, cuius

SPALAT. Num. 14. cap.16. hic pios Manes ſollicitat, eo maximè loco nititur, vt oſtendat Petrum ſibi promiſſis Chriſtum, atque quod erat pollicitus apud Matthæum impleſſe. Hic iam totam cauſam lacerat Spalatenſis, atque in fruſta concidit, ſed mirè inconſtans eſt. Catholicos vexat Bellarminum, Turrecrematam, *quod Petrum cæteris ſpectantibus Apoſtolis vnum audiſſe à Chriſto, Tibi dabo claues regni Cælorum* prædicarint, ex quo etiam colligant *vni ei promiſſas* fuiſſe, ac ſtatim ſui oblitus, ſe eis hac

SPALAT. Num.15. quidem in parte annumerat. *Nos verò*, inquit, *ſicut libenter fatemur, Petro ſoli & promiſſas eſſe claues ſeorſim (& ſi vis etiam datas ſeorſim, atque ſingulariter non repugno) quas cum omnibus ſimul & in ſolidum iam acceperat, vt melius adhuc ſequenti capite declarabimus, &c.* Fatetur ergo Petro ſeorſim & promiſſas, & datas. Atqui hoc eſt quod contendimus. Quæro enim abs te Spalatenſis, ſi nihil peculiare aut eximium eſt tributum Petro, cùm ei eſt ſeorſim dictum, *Tibi dabo claues regni Cælorum*, quid attinuit eum ſeorſim conueniſſe, alloquutum fuiſſe, tantis promiſſis oneraſſe? An luſiſſe illi videtur Chriſtus, aut præſtigiis egiſſe, qui magno apparatu nihil eximium ſit molitus?

Num.15. Iam verò ſi præ reliquis non eſt amplificata Petri gloria, ſi nihil conſecutus eſt quod illi cum reliquis commune non ſit, cur tam multa circa illius perſonam priuatam acta ſunt? Sed, inquit, Auguſtinus docet *verba Petra dicta illuſtrem*

ſenſum

ſenſum non habere, niſi ad Eccleſiam referantur. Reſpondimus ſupra per illuſtrem intellectum Auguſtinum intellexiſſe ſenſum allegoricum, qui hiſtoricum non euertat, ſed illuſtret. Atque præterea eodem loco docet Auguſtinus eius illuſtrioris ſenſus fundamentum eſſe *primatum Petri*, ob quem *geſſerit figurata generalitate Eccleſiæ perſonam*, nimirum quomodo Imperator, Rex, Magiſtratus, Patres familias ſubditorum ac domeſticorum ſuſtinent perſonas, ſed minimum videt in Auguſtino aduerſarius. Oſtendam certè in ſequentibus totum eſſe Auguſtinum in aſſerendo Primatu & Principatu Petri. Videtur autem veluti à febre conualuiſſe Spalatenſis. Agnoſcit enim iam ſingulare quiddam in Chriſti actione ineſſe, quod ad vnum Petrum proximè ſpectet, quia inquit, *Otioſam profecto Chriſti hanc actionem ſine blaſphemia* (hoc ſcilicet eſt quod monebamus) *nemo dixerit.* Sed dilucidiora hæc interualla minimum durant. *Illud*, inquit, *ad ſummum duntaxat videtur externis viſibus elucere, nimirum Petro tanquam Apoſtolorum duodecim primo, & præcipuè commendari Eccleſiæ gubernationem. Sicuti ſi vineæ alicuius Dominus mitteret plures operarios in vineam ſuam ad operandum, eámque omnibus commendaret in ſolidum, vni tamen cui vel maximè fideret, quemque agnoſceret officioſum ſupra omnes, & induſtrium ac indefeſſum ſeorſim diceret: Commendo tibi vineam meam; hoc profectò non eſſet illum principem ſuper omnes conſtituere, vbi vult ille Dominus omnes in ſolidum culturæ illius vineæ applicare: neque ille propterea diceretur ab hoc Domino accepiſſe in illos colonos, & in totam vineam vllam iuriſdictionem, cùm nihil aliud & ipſe ſit, niſi vnus ex colonis quamuis præcipuus, vt fuſius infra explicabo.* Sed quàm illiberalis es mi Antoni, qui magnum Pontificem Apoſtolorum caput, cœli Ianitorem, in ordinem Colonorum citra vllius dignitatis acceſſionem impudentiſſimè cogas? Fateor Colonus eſt, ſed vineæ Sorech, vineæ electæ, cuius eum Rectorem præcipuum cum Leone agnoſcunt ſexcenti Patres, qui Concilium Orthodoxum & Oecumenicum Chalcedonenſe clauſerunt. Audi magnos Patres audaciam tuam in nouo Iuda Dioſcoro deteſtantes ac damnantes. *Poſt hæc omnia*, inquiunt de Dioſcoro, *inſuper & contra ipſum, cui vineæ cuſtodia à Saluatore commiſſa eſt, extendit inſaniam, id eſt contra tuam quoque Apoſtolicam ſanctitatem; & excommunicationem meditatus eſt contra te qui corpus Eccleſiæ vnire feſtinas, & dum de talibus pœnitere eum potius oporteret, dum deberet miſericordiam lachrymis poſtulare, tanquam de bonis (malè ſobrius) exultabat, Epiſtolam quidem tuæ reſpuens ſanctitatis, omnibus verò dogmatibus veritatis aduerſans.* Igitur iam præſtet quod ſe facere velle hoc loco proteſtatur. *Habemus*, inquit, *illam quæ eſt columna veritatis & firmamentum à Spiritu ſancto illuminatam, & per ſanctiſſimos doctores inſtructam eam ſequamur: & ex fontibus illis ſanam doctrinam & diuinæ Scripturæ interpretationem bibamus, qui limpidiſſimè fluentes ipſam Eccleſiam lepidiſſimè irrigarunt; Riuuli vt plurimùm impuri fluunt. Quæramus ex Cypriano, Hieronymo, Auguſtino, & ſimilibus quid ipſi in eo cognouerint myſterij, & ſanæ doctrinæ noſtræque inſtructionis contineri, quod Chriſtus voluerit ſeorſim Petrum alloqui, eique ſingulariter claues & promittere & conſignare, quas tamen omnibus Apoſtolis eſſet æquè traditurus. Interroga Patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Itaque ad magnam illam Elicem ad claros illos Septentriones oculos conuertat, tutus nauigabit. Atqui veluti nubem cogit, vt eos obſcuret & opprimat. Cypriano primùm vim affert, ac ſupra oſtendimus ſanctiſſimum Patrem in noſtra eſſe ſententia, à qua eum

SPALAT. Num. 16.

Num. 17.

Cap. 8. ſequenti nu. 12.

Conc. Chalc. parte 3. in relatione Synodi ad Leonē Papam.

Ἐπ ἐκεῖ κατ' ἀυτῆ τῆ ἁγιωτάτη τῶν φυλακῶν παρὰ τῆ σωτῆρος ὑπ' αὐτοῦ πεπιστευμένου τῆ μαθητῶν ἐξέστιν.

1. Tim. 3.

Deut. 32.

Digitized by Google

remouere in caſſum laboret. Vnam ille ſtatuit Eccleſiam, vnitatis illius, caput,
Cypr. de vnit. Eccl. exordium, & originem facit Petrum; *Super vnum illum*, inquit, *ædificat Chriſtus Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas*; Et non vult Spalatenſis pro paſtore ordinario Eccleſiæ eum, Petrum habuiſſe? Doceat igitur, hoc enim illi faciendum ſit, Cyprianum vnum aliquem, aliorum Apoſtolorum agnouiſſe eiuſdem vnitatis fontem, exordium, & caput, & parem eum hac dignitate cum Petro feciſſe, non ægrè fatebimur.

Bellarmin. vbi ſuprà. Hîc autem ſtatuendum eſt illi, quod etiam aduertit Bellarminus, non intellexiſſe Cyprianum prius ordine temporis hanc poteſtatem datam eſſe vni Petro, quàm cæteris, vt per illum monſtraretur vnitas Eccleſiæ, ſed cœpiſſe Eccleſiam in vno Petro, tanquam in fundamento ac capite, vt ex eo quod Eccleſia haberet vnum fundamentum & vnum caput vna tantum eſſe probaretur, ſicut vna domus dicitur ab vno fundamento, & vnum corpus ab vno capite. Ipſe certè funditùs tollit eum Primatum temporis, cùm Eccleſiam eſſe vnam cenſet, eo modo quo omnes radij ſolis dicuntur vnum lumen, quia ab vno ſole manant, & multi riui vna aqua qui ab vno fonte deriuantur, & multi rami vna arbor, quia ab vna radice pullulant, nimirum inſanus ſit qui hanc vnitatem radiorum, ramorum, riuorum ab ordine temporis deſumendam ac repetendam duxerat. Vnus ſol, vna radix, vnus fons, hanc aſtruit. Quod attinet ad *conſortium honoris* & poteſtatis, pertinet illud ad authoritatem intrinſecam Apoſtolatus, qua omnino pares fuiſſe Apoſtolos centies diximus, ſed externæ & accidentariæ dignitatis ſplendorem non obſcurat, vt Hieronymus qui contra Iouinianum clariſſimis verbis, & quibus tenebras offundere non poſſit aduerſarius, eſt Cyprianum rectiſſimè interpretatus. Itaque in ſumma illa æqualitate Apoſtolatus, diſcretionem fuiſſe authoritatis in adminiſtranda & regenda Eccleſia, Patrum, & noſtra quoque eſt ſententia. Non prætermittam quin ſplendidum hîc annotem mendacium Spalatenſis in verſando loco Cypriani. Quod enim quædam editiones haberent hæc verba, *Primatus Petro datur, &c.* quæ in aliis
Spalat. Num. 18. non appareant pronunciat; *Pamelium Aldo grammatico nixum ineptè intruſiſſe illa verba, quæ ex aliquo marginali*, inquit, *ſi dolus malus abfuit in textum aliquem impurum irrepſerunt, quem Aldus in hoc ſciolus purioribus prætulerit. Etiam Cathedram*, perſequitur Spalatenſis, *neſcio quam addunt, ſic; Tamen vt vnitatem manifeſtaret vnam Cathedram conſtituit. Et multis modis, pro ſuo arbitratu, citant hunc locum, & corrumpunt. Nos verò*, addit ille, *antiqua lectione firmata, non faciamus obſecro, vt alias monui, magnos viros, & prima Eccleſiæ lumina, ſibi in paucis verbis contradicere; & adiectis additionibus ea quæ aſſeruerant, ipſoſmet ſtatim prorſus deſtruere.* O acutum caſtigatorem! Equidem ſi
Iuo de ſubl. ep. c. 361. veteris decreti codices conſuluiſſet, deprehendiſſet Iuonem illa de *vna Cathedra* verba habere, *Petri vnitatem*, inquit, *qui non tenet, tenere ſe fidem credit? Qui Cathedram Petri ſuper quam fundata eſt Eccleſia, deſerit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Sic ex Cypriano Iuo, vt proinde ab Aldi vel Pamelij manu eſſe non poſſint illa verba. Sed numquid non Cypriani eſt illa aſſertio de vna
Cypr. ep. 40. alias lib. 1. ep. 8. Cathedra? *Deus*, inquit, *vnus eſt, & Chriſtus vnus, & vna Eccleſia, & Cathedra vna, ſuper Petrum Domini voce fundata.* Quod ad priora attinet, veterum codicū fide firmantur, quanquam etiam his vſi non ſumus. Neque verò illis opus habemus ad eliciendam mentem Cypriani, qui cùm vnitatem Eccleſiæ vno Petro

tro ſuper quem fundata ſit Eccleſia niti aſſeruerit, proculdubio capitis eum loco habuit, ac eius Primatum agnouit. Perridiculus eſt autem ille à Spalatenſi confictus Primatus, vt hanc vnitatem fundaret: *Vnitatis*, inquit, *originem inde Chriſtus inſtituit, & oſtendit vbi primùm cum Petro vno cœpit agere de futura Eccleſiæ fundatione, vt Eccleſia nimirum vna inde monſtraretur.* Quid igitur eius ſententia illud ſit quo illa vnitas monſtretur? quod nimirum Petrum vnum ſit alloquutus? Nihil ne igitur eximium circa illum actum ſit? Nihil ne priuatim ſit conſequutus: Ergo ex hac actione quam tamen totam verſatam in eo ornando certum ſit, non habet vnde colligat vnitatis eum originem, fontem & caput conſtitutum eſſe, quod tamen contendit Cyprianus. Nudus enim ſermo & ad eum nihil pertinens quî eum caput conſtituerit? Niſi enim valdè fallimur ea capitis, originis & exordij ratio quam veſtigat Cyprianus, aliquid eſt in rerum natura exiſtens, quod proinde fundamento aliquo reali, vt loquuntur, omnino niti debeat? Et vt aduerſarij de triuio ſimilitudinibus vtamur, ſi magnus Pater familias dimiſſurus colonos in vineam, vnum aliquem eſſet alloquutus de vineæ præſtantia, de prouentu, de racemis, de ſarmentis, an hoc alloquio Spalatenſi videretur præcipuo aliquo munere impertiiſſe, vnde vinitorum vnitas colligeretur? hominis ineptientis ſunt iſta figmenta. Certè conceptis verbis opus ſit, quibus peculiaris cuiuſcumque dignitatis ratio ſtabiliatur, etſi non ſit expreſſa in vanum de ea contenderit, quem aliàs vnum ſit alloquutus paterfamilias. Itaque nedum Cyprianus, verùm etiam Auguſtinus, Pacianus reliquique Patres omnes qui eam vnitatem obſeruant primum omnium impoſitum Eccleſiæ vnum caput aſſumunt, vnde illa vnitas induceretur ac firmaretur, apertéque docent in eo vno eius vnitatis originem actu, ac reipſa reſediſſe quæ membrorum compagem necteret. Sed videamus quibus artibus eos in ſuam ſententiam pertrahere conetur. Infœliciſſimè ſanè Auguſtinum & Pacianum teſtes accerſit, inſani ſui commenti: *Hoc idem myſterium vnitatis in eodem ſenſu*, inquit, *quo à Cypriano conceptum eſt, in hac Chriſti actione, dum cùm ſolo Petro loquitur, & agnouit & commemorauit Auguſtinus; apud quem iſta legimus: Nam quod in typo vnitatis Petro Dominus dedit poteſtatem vt id ſolueretur, quod ille ſoluiſſet, manifeſtum eſt quod illa vnitas etiam vna columba perfecta ſit dicta. Et Pacianus Barcinonenſis ad Petrum, inquit, loquutus eſt Dominus, ad vnum, ideo vt vnitatem funderet ex vno, mox id ipſum in commune præcipiens, ſenſus Auguſtini, & Paciani hic eſt; multi erant Apoſtoli eiuſdem officij & dignitatis, ſed cum vno ſolo res tranſigitur, vt ita in illo multis, licet multi & diuerſi eſſent, effectus tamen per omnes in ſolidum producendi, qui erat Eccleſiæ fundatio, vnitas appareret.* Atqui primùm Auguſtinus nobiſcum ſentit, nec enim Petrum typum vnitatis facit, quod cum eo ſolo ſit Chriſtus loquutus (quæ chimæra eſt in Spalatenſis cerebro nata) ſed *quod ei dederit poteſtatem vt id ſolueretur, quod ille ſoluiſſet*, quæ noſtra eſt ſententia, eáque planè vera. Et quod ſcribit Pacianus, *id quoque aliis poſteà mandatum, quod eſſet Petro iniunctum*, mirè nobis placet, cùm ex eo habeamus à Petro, non modò verborum, ſed & poteſtatis in Apoſtolos transfundendæ & tranſmittendæ initium duxiſſe Chriſtum, vt nimirum ex Capitis Eccleſiæ impoſiti vnitate eiuſdem corporis Eccleſiæ vnitas comprobaretur. Sed erat quod integrum nobis exhiberet Pacianum: *Ad Petrum*, inquit, *locutus eſt*

SPALAT. Num. 19.

Auguſt. de bapt. cont. Donat. l. 3. cap. 17.

Pacian. p. 13. ad Sym. pr.

Dominus, ideo vt vnitatem fundaret in vno (ergo in vno Petro iacta sunt vnitatis fundamenta;) *mox idipsum in commune præcipiens, qualiter tamen ad Petrum incipit? Et ego dico tibi, quia tu es* Petrus, *& super istam* Petram *ædificabo Ecclesiam meam.* Ita igitur incœpisse Christum à Petro censet, vt super eum fundasse Ecclesiam suam doceat, & ex Euangelio demonstret. Hoc modo cum vno *rem transegit*, id est peregit, ac perfecit, adeóque totam controuersiam diremit, ac negotium expediuit, quod non intellexit Spalatensis. Itaque *nihil in negotio vnitatis reliquum erat ad agendum*, quod nimirum rem absoluisset Christus Petro capite Ecclesiæ constituto ac declarato. Sed quàm ferus est Spalatensis in torquendo Optato, vt crassi erroris confessionem à veritatis doctore vi tormentorum exprimat ac extorqueat. Vult Orthodoxum Episcopum his verbis: *Bono vnitatis*, inquit, *Beatus* Petrus, *(cui satis erat, si postquam negauit solam veniam consequeretur,) & præferri Apostolis omnibus meruit, & claues regni cælorum communicandas cæteris, solus accepit. Bonum vnitatis in hac actione agnouisse & vnitatem Ecclesiæ*, quam ad Petrum retulerit in eo posuisse, *quod* Petrus *sua negatione, vel amiserit Apostolatum, vel dignus fuerit, vt loco moueretur. Ex quo vnio illa Collegij Apostolici, in quo primus fuerat* Petrus, *quæque mysterium vnitatis Ecclesiæ iam continebat, fuisset dissoluta: Ne ergo*, inquit, *talis dissolutio sequeretur, sed idem mysterium perseueraret*, Petrum *vult Optatus à Christo ad suum primum inter Apostolos locum illis verbis*, Pasce oues meas, *restitui, & rursum Apostolis omnibus non præfici, sed præferri.* Putasne verò, mi Spalatensis, intelligis quæ scribis? Vnitatem Ecclesiæ posuerit vir doctissimus in negatione Petri? Atqui tuo iudicio hæc pernicies est vnitatis? Rectiùs dixisses in vno Petro vnitatis rationem posuisse, qui cùm excidisset statu gratiæ non gradu Apostolatus, periculum erat tandem ne eo resciso vnitas collaberetur ac dissiparetur. Sed persequamur reliqua. Contendis *dissolutam iri, si* Petrus *in negatione perstet*, & tamen negas ab illo pendere. Redditum illi, vis, suum locum, cùm est ei dictum, Pasce oues meas. Quid? Igitur ante lapsum aliquo loco, eóque eximio erat Petrus inter Apostolos, cúmque ob admissum flagitiũ dignus esset, qui eo excideret hanc veniam consecutus est, vt loco non moueretur, quî possunt ista intelligi, nisi locus à quo potuerit merito remoueri in rerum natura censeatur? Certè si aliquod potuit esse sceleris supplicium, ea depulsio qua Petrus suo loco motus fuisset: Ergo ipse locus dignitatis erat plenus, vt quo amisso pœnas negationis luisset. Vide in quas angustias declinandę veritatis causa te conieceris.

SPALAT. Num. 20. Optat. l. 1. cont. Parm. Id. l. 7.

Optat. Mileuit. lib. 2.

At quæ ea dignitas, quis ille locus fuerit, melius nos docuerit Optatus, quàm mille Spalatenses. *Negare non potes*, inquit Parmenianianum Donatistarũ Episcopum alloquens, *scire te in vrbe Roma* Petro *primò Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput* Petrus, *vnde &* Cephas *appellatus est, à quo vna Cathedra vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam schismaticus & peccator esset, qui cõtra singularem Cathedrã, alterã collocaret. Ergo Cathedra vnica quæ est, prima de dotibus sedit prior* Petrus. Tene igitur, Marce Antoni, lateat, quod Parmenianum latere non potuit: sed rursus te conuenio, nec ab hoc tuo pronunciato recedo, vis *illi redditum suum Principatum, cùm est ei dictum*, Pasce oues meas: & tamen non solũ Euangeliũ te doceat, iá anteà conspicuũ se fecisse Petro Christũ, & proculdubio in gradum pristinũ restituisse, sed tu ipse omnem Apostolatus dignitatem potestatem, splendorẽ, amplitudinem his verbis, *Sicut misit me* Pater, *ita ego mitto vos*,

Accipite

Accipite Spiritum ſanctum, &c. in diſcipulos Chriſti effuſam deprædicas? Qui Spiritum ſanctum vnà cum aliis acceperat, qui Apoſtolus cum eximia illa honorum amplificatione renunciatus fuerat, an non erat ſuo loco redditus. Quid igitur neceſſe fuit eum poſteà audiiſſe, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, ſi his verbis nullam peculiarem poteſtatem ſit conſecutus, imò ſi nil eſt illi conceſſum, quod illis verbis, *Sicut miſit me Pater*, non fuiſſet cumulatiſſimè ei tributum? Vnitatem ergo etiam iudice Caſaubono, quanquam acerrimo hoſte Petri in eo ponit Optatus, *quod vnica eſſet Cathedra ſuper Petrum fundata, ratione originis & vnitatis.* Sed nos vberius hac de re poſteà; tantummodo hic audiatur Optatus, & euaneſcent omnes impuriores fumi à deſertore excitati & inuecti. *Bono vnitatis*, inquit, *Beatus Petrus, cui ſatis erat, ſi poſtquam negauit, ſolam veniam conſequeretur & præferri Apoſtolis omnibus meruit*, non ergo illi omni ex parte in negotio ſcilicet vnitatis habiti æquales, *& claues regni Cælorum communicandas cæteris ſolus* (nota ſolus) *accepit.* Nihil cogitari poteſt illuſtrius ad Primatum Petri aſſerendum, & ab impugnationibus ſectariorum vindicandum. Quod autem vrget Spalatenſis, *Collegium Apoſtolicum habuiſſe vnitatem antequam Petrus negaret*, id verò eſt quod nos aſſerimus, quod ſcilicet iam Petrum caput deſignaſſet Chriſtus, hac tamen lege vt nonniſi poſt reſurrectionem gubernacula tractaret, propter ſcilicet viuentis, ſpirantis, ac in terris agentis Domini ſui, cui is honos deberetur, præſentiam. Ita Auguſtinus, *Dicite, & vos quem me dicitis eſſe? Reſpondens Petrus pro omnibus, pro vnitate vnus, Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Item; *Petrus in Apoſtolorum ordine primus, in Chriſti amore promptiſſimus, ſæpè vnus reſpondet pro omnibus, vnus pro omnibus dedit reſponſum, vnitas in multis.* Neſcio verò qua fronte Hieronymum proferre auſus ſit Spalatenſis. Hieronymi verba ſunt; *At dicis ſuper Petrum fundatur Eccleſia, licet idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni Cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio.* Poteſtne aliquid dici, aut etiam animo fingi, quod apertius cauſam Spalatenſis iugulet? Quid igitur ad hæc ille: *Æqualitatem ſummam*, inquit, *ac perfectam imprimis Hieronymus cum Cypriano agnoſcit inter Apoſtolos, qua nihilominus inuiolabili permanente, vnus, inquit, inter duodecim eligitur; nimirum Chriſtus ipſum Apoſtolicum cœtum voluit ſuum præſidem, & caput habere Petrum, qui ordine, dignitate, honore & præcedentia omnes anteiret Coapoſtolos, & omnes repræſentaret. Tractando itaque cum ſolo Petro Chriſtus voluit cæteros Apoſtolos intelligere, ipſum Petrum, ſic à ſe aſſumi pro reliquorum Apoſtolorum præſide, & repræſentante, vt ſic capite conſtituto, vnitatis inter ipſos Apoſtolos myſterium intelligeretur; atque ita ſchiſmatis & diuiſionis tolleretur occaſio. Dum enim cernunt Apoſtoli Chriſtum Dominum, cum vno ſolo incipere agere de Eccleſiæ fundatione, tanquam cum primo Apoſtolo, & capite, ac præſide cæterorum, facilè hinc intelligunt, ſe omnes in vnicum corpus eſſe à Chriſto redactos; & propterea iam neque poſſe, neque debere ſe quemquam illorum ab aliis ſeparare, & ſeorſim per ſe, ac independenter ab hoc corpore quicquam in Chriſti miniſterio operari: ſed vnicuique ipſorum, in vnitate huius Collegij Apoſtolici eſſe permanendum, alioquin diuiſionem & ſchiſma effecturos.* Me hæc verborum portenta terrent, exiſtimóque nec ipſum Spalatenſem ſcire quid dicat; vult Chriſtum *cum Petro, tanquam cum capite, & præſide, qui reliquos repræſentaret*, non enim me ab eius recedere

Caſ. exerc. 16. p. 742.

Aug. in Pſ. 88.

Id. ſer. 13. de verb. Dom.

SPALAT. Num. 21. Hier. l. 1. adu. Iouin.

Supra c. 3. nu. 9. & 10. & ca. 6. nu. 49. huius.

verbis disputatio patitur, *ac inde perspexisse reliquos se vnum esse corpus, quippe qui caput suum ac præsidem peruiderent*, & tamen *Petrum præsidem & caput fuisse*, audacissimè negat. Quid possit dici inconstantius? Fortasse concesserit *caput* fuisse *ordinis* & *præsidem quemdam*, vt vocant *honorarium*. At præterquam quod hoc est in eodem luto hærere, funditùs tollunt ineptam interpretationem Hieronymi verba, *Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tollatur occasio.* Quid enim proficeret ad schismata depellenda honorarij Capitis institutio? An non ad ea arcenda authoritate opus sit, quæ ius dicat, quæ in ordinem cogat seditiosos, ac reluctantes, & immorigeros foras excludat? Cùm ergo Christus longè prouidens, hunc vnum præsidem Ecclesiæ constituerit, qui ab eius ceruicibus hanc pestem depelleret, procul dubio eum authoritate muniisse credendus est, quæ ad id præstandum necessaria foret. *Pergit Hieronymus*, inquit Spalatensis. *Sed cur non Ioannes electus est Virgo? ætati delatum, quia* Petrus *senior erat, ne adhuc adolescens ac penè puer progressæ ætatis hominibus præferretur, & Magister bonus, qui occasionem iurgij debuerat auferre discipulis, & qui dixerat eis*, Pacem meam de vobis, Pacem meam relinquo vobis; *& qui voluerit inter vos maior esse, minimus omnium sit in adolescentem quem dilexerat causam videretur præbere inuidiæ. Assumendus vnus erat & omnibus duodecim Apostolis, qui primum locum inter ipsos obtineret, & præses caputque dignitate esset in Collegio cæterorum, ac veluti fratrum primogenitus: In hoc, inquit Hieronymus, præfertur* Petrus *Ioanni, tanquam senior Iuniori, & ne erga dilectum occasio exsurgeret inuidiæ.* Præfertur, *ait, non ait præficitur; hoc iurisdictionis est, illud tantummodo comparationis; vt si quis dicat aurum præferri argento. Itaque* Petrus *præfertur, dum præteritis aliis ipse à Christo assumitur, modo explicato, in significationem vnitatis vnius corporis Senatus Apostolici. Ad quod munus si assumptus fuisset Ioannes dilectus, & sic aliis prælatus, facilè potuissent cæteri obmurmurare, quare Christus in dando præside Senatui Apostolico, adolescentulum aliis senioribus prætulisset, & in eum aliqua perturbatione humana nondum edomita concitari. Quod autem Petrus ad hoc fuerit assumptus, vt Præses esset cæterum, cui nomine omnium, Christus soli grauissimum negotium fundandæ & regendæ Ecclesiæ communicaret (quæ erat prærogatiua valdè eminens, sed personalis) alij non ægrè ferebant, ille enim & ætate & vocatione omnibus antecellebat. Huius hactenus mysterij hæ de vnitate explicationes supponunt omnes, cum ipsamet Petri persona haberi à Christo hanc de clauibus tractationem.* Passim se egregium grammatistam prodit Spalatensis. *Præfertur*, ait, *non præficitur hoc iurisdictionis est, illud comparationis.* Haud ergo bonus latinitatis author Cicero, qui authoritatem in Prouincia consulari nactum, cæteris omnibus honore antelatum dixerit. Si nescis, mi Antoni, anteferri etiam de authoritate vsurpatur, ac Latinè dixeris Gregorium quintum-decimum omnibus Cardinalibus antelatum, cùm ad summi Imperij dignitatem est meritò suo euectus: Si velis ex eodem fonte fluunt *Antelatus & Prælatus*: Sed si nihil inerat authoritatis in eo quod est Petrus Ioanni antelatus, quid erat quod præcaueret Christus, ne occasio daretur Apostolis obtrectandi & obmurmurandi, quod iuniorem prætulisset Ioannem? Quorsum litem ei mouissent de primatu quem nullum imperium, nulla potestas esset cõsecuta? Quid erat illis à perturbationibus Ioannis timendũ? Nimirũ monstra mauult sibi fingere, quàm veritatem consectari aduersarius. Sed

Eod. num. 21.

oro

oro te, Marce Antoni, ſi quod tot locis vrges, Petri Primatus, *primatus quidam ætatis eſt*, cur Hieronymus in eo ornando ætati Chriſtum detuliſſe prædicat? *Ætati*, inquit, *delatum*, Ergo non ætas dedit, ſed accepit. Atqui ſi *vocationis Primatus* eſt, cur Hieronymus primum pares facit Apoſtolos, vocatione ſcilicet, & ad Apoſtolatum aſſumptione, ac demum *vnum eligi*, docet, *inter duodecim, vt capite conſtituto, ſchiſmatis tollatur occaſio?* Quorſum eligitur, quorſum conſtituitur, cui per te ætas & vocatio hunc honorem aſſeruiſſent? Parum conſentanea dicis; ſed iſte hic mos tuus ſolemnis. Itaque Hieronymi & reliquorum Patrum ſententia, agens de clauibus cum Petro Chriſtus eum ſumma authoritate ornauit, ac vt cæteri faſces ſummitterent præcepit *bono ſcilicet vnitatis*, quæ non niſi conſtituto Capite, ac ſupremo moderatore qui ſchiſmatum tolleret occaſionem ſanciri potuerit. Ad Auguſtinum iam prouocat, à quo toties ſit depulſus. Congerit autem diuerſa eius loca, vt probet Petrum figuram geſtaſſe Eccleſiæ, ac per eum Eccleſiam claues accepiſſe, in typo vnitatis, vt ſcilicet vnius Petri miniſterio, illa Eccleſiæ vnitas aſtrueretur. Audiamus igitur Auguſtinum: *Non enim*, inquit, *ſine cauſa inter omnes Apoſtolos huius Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus: huic enim Eccleſiæ claues regni cœlorum datæ ſunt, cùm Petro datæ ſunt; & cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me? Paſce oues meas: debet ergo Eccleſia Catholica correctis & pietate firmatis filiis libenter ignoſcere, cùm ipſi Petro perſonam ipſius geſtanti, videamus veniam eſſe conceſſam. Item, Sicut enim quædam dicuntur quæ ad Apoſtolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illuſtrem intellectum, niſi cùm referuntur ad Eccleſiam, cuius ille agnoſcitur in figura geſtaſſe perſonam propter Primatum, quem in diſcipulis habuit; ſicuti eſt, Tibi dabo claues regni Cœlorum, & ſi qua huiuſmodi: Ita Iudas, &c. Item Iudas malus corpus malorum ſignificat, quo modo Petrus corpus bonorũ, corpus Eccleſiæ; imò corpus Eccleſiæ, ſed in bonis; nam ſi in Petro non eſſet Eccleſiæ Sacramentum, non ei diceret Dominus, Tibi dabo claues regni Cœlorum: Quæcumque ſolueris, &c. Si hoc Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia; ſi autem & in Eccleſia fit, vt quæ in terra ligantur, in cœlo ligentur, & quæ ſoluuntur in terra, ſoluantur in cœlo; quia cùm excommunicat Eccleſia, ligatur in cœlo excommunicatus; cùm reconciliatur ab Eccleſia, in cœlo ſoluitur reconciliatus, ſi hoc ergo in Eccleſia fit Petrus quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit. Item: Hoc agit Eccleſia, dimittere peccata, ſpe beata in hac vita ærumnoſa, cuius Eccleſiæ Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum, gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, natura vnus homo erat: gratia vnus Chriſtianus; abundantiore gratia, vnus idémque primus Apoſtolus, ſed quando ei dictum eſt, Tibi dabo claues regni Cœlorum, Et, Quodcunque ligaueris ſuper terram, &c. vniuerſam ſignificabat Eccleſiam, &c. Et paulò pòſt: Eccleſia ergo quæ fundatur in Chriſto claues ab eo regni cœlorum accepit in Petro, id eſt poteſtatem ligandi, ſoluendique peccata: quod enim eſt per proprietatem in Chriſto Eccleſia, hoc eſt per ſignificationem Petrus in Petra: qua ſignificatione intelligitur Chriſtus Petra, Petrus Eccleſia. Hæc igitur Eccleſia, quam ſignificabat Petrus, quamdiu degit in malis, amando & ſequendo Chriſtum liberatur à malis. Item, loquens de conuerſione Gentilium ſignificata per animalia immunda Petro oſtenſa, ait: Vnde iam poſt remiſſionem peccatorum, quare non recipiantur Gentiles in corpus Chriſti, quod eſt Eccleſia Dei, cuius perſonam Petrus geſtabat? Petrus in multis locis apparet, quod perſonam geſtet Eccleſiæ; ſi Petrus figuram geſtabat Eccleſiæ, &*

Spalat. Num. 22.

Auguſt. de Agon. Chriſt. cap. 30.

Idem in Pſal. 108.

Aug. tract. 124. in Ioan.

Act. 10. Idem Aug. in lib. 50. hom. 45.

Eccleſia corpus Chriſti eſt; recipiat in ſe quaſi in eſcam ſuam, iam mundatas gentes, quibus peccata dimiſſa ſunt. Item. Petrus, inquit, multis locis Scripturarum apparet, quod perſonam geſtet Eccleſiæ, maximè illo in loco vbi dictum eſt, Tibi dabo claues, &c. Item, Sed ſcio me poſteà ſæpiſſimè ſic expoſuiſſe, quod à Domino dictum eſt, Tu es Petrus, &c. vt ſuper hanc Petram intelligeretur quem confeſſus eſt Petrus dicens, Tu es Chriſtus filius Dei viui: ac ſi Petrus ab hac Petra appellatus perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc Petram ædificatur, & accepit claues regni Cælorum. Atqui ſi cauſæ ſuæ interitum molitus non eſſet Spalatenſis, abſtinuiſſet ab Auguſtino proferendo, quippe qui omnibus illis locis ſententiam Catholicorum ſua authoritate, ac ſuis telis armarit. Propterea enim Petrum *figuram geſtiſſe Eccleſiæ, Eccleſiam in Petro accepiſſe claues, Petrum ſuſtinuiſſe perſonam Eccleſiæ, in Petro eſſe Eccleſiæ Sacramentum, Petrum eſſe Eccleſiam, cenſuit.* Quod is nimirum caput Eccleſiæ, Princeps Apoſtolorum, Ianitor cœli eſſet à Chriſto conſtitutus, *Eccleſiæ*, inquit, *Petrus Apoſtolus, propter Apoſtolatus ſui Primatum, gerebat figurata generalitate perſonam.* En radicem, en cauſam cur geſſerit figuram Eccleſiæ, cur eius perſonam ſuſtinuerit, cur eius nomine acceperit claues. Niſi enim eximia aliqua authoritate antecelluiſſet, & anteuertiſſet cæteros, quid erat quod vnum eum præteritis ac prætermiſſis collegis, faceret Auguſtinus figuram Eccleſiæ, cuius perſonam ſuſtineret, ac eius nomine claues acciperet? Ac propterea alibi quoque Auguſtinus hæc duo connectit, *Petrus Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principatum tenens*, nimirum vt antè eſt à nobis explicatum, Princeps ſubditorum perſonam gerit, eorum nomine gladium accipit, & ad eorum vſus totum illum regni ſplendorem conuertere omnino tenetur.

Act. 10. Idem Aug. ſerm. 30. de diuerſ. Idem lib. 1. Retr. c. 21. Tract. 124. in Ioan. Ser. 13 de verb. Dom.

SPALAT. Num. 23. At vrget Spalatenſis, *Si quis igitur quærat ab Auguſtino, cur putet Chriſtum Dominum cum vno Petro loquutum, eique vni ſeorſim claues & promiſſis coram aliis & dediſſe, etiamſi eaſdem cæteris nihilominus æquè promiſerit Apoſtolis, & donauerit. Reſpondet vt vidimus, idcircò id actum à Chriſto, vel vt hoc quaſi myſterio ſignificaret, quanti faceret vnitatem quam vel ſic cupiebat mentibus diſcipulorum imprimere. Quod voluere Cyprianus, Optatus & Hieronymus: vel quia Petrum Chriſtus voluerit eſſe typum & figuram totius Eccleſiæ, atque ita quicquid Eccleſiæ erat donaturus, hoc Petro dedit, quem volebat Eccleſiæ locum tenere, ipſiuſque perſonam figurata generalitate geſtare. Atque hæc Auguſtini toties & clariſſimè repetita dicta, nullo modo patiuntur illum ſenſum, ad quem nonnulli Monarchici illa, per ſummam vim, conantur detorquere, nimirum Auguſtini ſenſum eſſe Petrum nomine Eccleſiæ accepiſſe claues: hoc eſt illas pro Eccleſia, ſiue ad vſus Eccleſiæ accepiſſe; quaſi exprimat cauſam finalem, ad quid eas acceperit: Conſtat etenim ex tot locis Auguſtini Petrum ipſum totam Eccleſiam repræſentare, & ipſius nomine multa agere, & quæ videntur ad ſolam perſonam propriam dici, non habere vllum illuſtrem intellectum, niſi ad totam Eccleſiam, cuius ipſe eſſet figura, referantur; & Petrum in ſua perſona nihil aliud eſſe, niſi ad ſummum ex abundantiori gratia vnum & primum Apoſtolum, & quando ei dicitur, Tibi dabo claues, tunc eum vniuerſam ſignificaſſe Eccleſiam. Hæcne & ſimilia habent ſolum ſenſum finalem? an verò perfectiſſimè formalem.* Reſpondet Auguſtinus, non quod dicit Spalatenſis, ſed id factum propter *Apoſtolatus ſui Primatum*, aut etiam *Principatum*, hanc enim

enim ille veram, germanam ac natiuam cauſam reddit, quod ſcilicet ex eo quod ad hoc honoris, & dignitatis faſtigium euectus eſſet Eccleſiæ perſonam ſuſtineret, ac eius vnitatem corroboraret. Cùm autem ſcribit Spalatenſis, *Hebes eſt qui non videt Petrum ab Auguſtino verè & propriè exui in quibuſdam locis Euangelicis, & ſacræ Scripturæ à propria perſona, & indui tantum perſona vniuerſalis Eccleſiæ, vt ipſius typus ſit & figura*, Ipſe ſe ſtupiditate ipſa ſtupidiorem prodit, qui non aduerterit cuiuſcunque illuſtrioris intellectus, inueſtigationem ab hiſtorico ſenſu citra ſacrilegium ſeiungi non poſſe. Hoc enim eſt quod in Philone & Origene offendit quàm maximè, quod ſcilicet relicto hiſtorico ſenſu allegorico luſerint, ac ſcripturæ illuſerint. Proinde, *ſi Petrus ab Auguſtino verè & propriè exuitur in quibuſdam locis Euangelicis, & ſacræ Scripturæ à propria perſona, & induitur tantùm perſona vniuerſalis Eccleſiæ, vt ipſius ſit typus & figura.* Auguſtinus hiſtoriam lacerat, atque, vt ita dicam, non ſupra Petram, ſed ſupra arenam ædificat. Quid verò iſtud eſt portenti, *Petrus ab Auguſtino verè & propriè exuitur in quibuſdam locis Euangelicis, & ſacræ Scripturæ à propria perſona, & induitur tantùm perſona vniuerſalis Eccleſiæ, vt ipſius ſit typus & figura.* Ergo perſona tantùm vniuerſalis Eccleſiæ, eſt Eccleſiæ vniuerſalis typus & figura. O mirificas argutias! O monſtra & rerum & verborum! Non ita obtusè Sanderus quem ille vellicat. Pudet iam illum ineptiarum. *Neque propterea*, inquit, *dixerim Petrum etiam literaliter & hiſtoricè non accepiſſe claues, etiam quando eas vti perſona & figura Eccleſiæ accepit: ſed dico Auguſtini ſenſum eſſe, quaſi materialiter eas tunc Petrum accepiſſe, non formaliter & verè, potius parabolicè quàm hiſtoricè. Hoc enim eſt in figura aliquid fieri, vt materialiter in vno fiat, formaliter in alio à ſe diuerſo verificetur. Materialiter enim (loquor cum Bellarmino) Abraham duos filios veros & reales habuit; ſed tamen formaliter non habebat duos populos, quos illi duo filij ſignificabant, qui duo populi formaliter poſtea exorti ſunt; Ita Petro materialiter promiſsio clauium ſit vni, dicamus etiam materialiter ei vni dantur; & eas ipſe materialiter in quantum fert metaphora accipit, non formaliter, quia formaliter promiſsio hæc & exhibitio in Eccleſia ſecundum Auguſtinum propriè verificatur, cuius figura erat Petrus. At ne quis horreſcat, putans propterea Petrum priuari formalibus clauibus, dicimus Petrum etiam claues formaliter habuiſſe duplici alia ratione, quas tamen formaliter non habuit in quantum erat figura Eccleſiæ. Primum enim ſi eas accepit vt figura Eccleſiæ, certè illas Eccleſia formaliter habuit, puta in ſuis prælatis quos omnes propriè Petrus tunc figurabat, vt loquitur Auguſtinus. In vno, inquit, Petro figurabatur vnitas omnium Paſtorum, ſed bonorum, qui ſciant oues Chriſti paſcere Chriſto, non ſibi. Cùm verò ipſe etiam Petrus eſſet vnus ex illis quos ipſemet figurabat, imò primus; Certè eas ipſe etiam formaliter, & ex conſequenti accepit, non tamen vt figura, ſed vt figuratus. Deinde eas accepit pleniſsimè & formaliſsimè ſimul cum omnibus, quando eis omnibus dictum eſt à Chriſto, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: dum tamen cum ipſo vno agitur, formaliter, cum ipſo non agitur, ſed tantùm materialiter, vt vult Auguſtinus: Quia tunc Petrus non eſt Petrus, ſed eſt perſona Eccleſiam totam repræſentans, ad hoc ab ipſomet Chriſto aſſumptus, ipſe & non alius propter primatum ætatis, vocationis & excellentiæ virtutum, quem primatum in diſcipulis ait Auguſtinus, non in diſcipulos habuit: hoc eſt quo primatu ipſe inter diſcipulos excelluit.* At quid illud ſit, *Petrum materialiter accepiſſe claues, formaliter non accepiſſe?* Ergo vt conderet, nec vteretur illas conſecutus

Spalat. Num. 24.

Bellar. li. 1. de Rom. Pont. c. 12.

Aug. ſer. 24. de Sanctis qui eſt Pſal. de Sanctis Petro & Paulo.

Ioan. 20.

eſt? Neque enim vti niſi formaliter acceptis potuit. *At*, inquit, *alio nomine accepit quàm nomine Eccleſiæ, accepit non vt figura, ſed vt figuratus.* Iocone an ſeriò loquitur? An fortè ille ſanus qui his deliramentis animum paſcat? Quî enim Petrus nomine Eccleſiæ claues accipere potuerit, quas ipſe tanquam figura Eccleſiæ non acceperit? Nonne hunc maximè claues accipere oportuit, cùm eas communicandas, quod dixit Optatus acciperet? Docet igitur Bellarminus, & id quidem rectè Petrum non propter ſe, ſed tanquam Eccleſiæ figuram propter primatum cuius iam ſpem haberet aſſumptum eſſe à Chriſto, vt eſſet figura Eccleſiæ, quando ei dabantur ſeu promittebantur claues; ſed Petrum claues tunc formaliter non accepiſſe nuſquam docet Bellarminus, primùm enim vt probaret ſenſum allegoricum, cui inſiſteret Auguſtinus, non tollere hiſtoriæ veritatem, nec id intendiſſe Auguſtinum, eundem Auguſtinum inducit aſſerẽtem *Chriſtum geßiſſe figuram Eccleſiæ*, quando baptizatus eſt: cùm tamen ſine dubio verè, & ad litteram baptizatus ſit. At quæro abs te, Marce Antoni, cùm Chriſtus in Iordane ſententia Auguſtini gereret perſonã Eccleſiæ, & eam ſuo baptiſmate referret, baptizabaturne materialiter vel formaliter? Ipſane Eccleſia formaliter baptizabatur, Chriſtus verò materialiter? Tu nos ineptire facis. Addo verò Auguſtini ſententiam eſſe, non ſolùm Petrum, ſed omnes omnino Apoſtolos, remittendorũ peccatorum poteſtatem, in perſona ſeu in figura Eccleſiæ accepiſſe.

Aug. li. 3. de Bapt. contr. Donat. c 18.

Verba ſummi Patris ſunt: *Ergo ſi perſonam gerebant Eccleſiæ, & ſic eis hoc dictum eſt (Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis, &c.) tanquam ipſi Eccleſiæ dicerentur, Pax Eccleſiæ dimittit peccata.* Secundò Bellaminus obſeruat, *Sanctum Auguſtinum, cùm ait beatum Petrum in perſona Eccleſiæ accepiſſe claues, non velle ſignificare, claues verè & hiſtoricè ab eo eſſe acceptas, ſicut à Vicario quodam & Legato Eccleſiæ, quomodo à Legato Regis nomine principis ſui claues accipi ſolent alicuius ciuitatis, ſed potius vt à principe & moderatore totius Eccleſiæ, quo pacto dicimus regno dari, quod Regi ipſi datur, præſertim ſi id in publicam vtilitatem cedat.* Atque id probat duobus locis, quorum prior eſt, *Cuius (Eccleſiæ) ille agnoſcitur geßiſſe perſonam propter primatum quem in diſcipulis habuit.* Poſterior verò: *Petrus*, inquit, *à Petra cognominatus Beatus Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principatum tenens.* Dic igitur ſodes, mi Antoni, qui tanquam princeps & moderator totius Eccleſiæ claues accipit, an tuo ſenſu claues *materialiter* accipit, an verò *formaliter*? Quod verò addit Bellarminus Petrum figuram Eccleſiæ fuiſſe, cùm claues accepit: *Petrus*, inquit, *vt ſummus Eccleſiæ Præſul accipiens claues ſignificauit omnes Præſules, eaſdem habituros eſſe claues, ſed à Petro, nec ſine menſura illis vteretur; Sed vt eas cum omnibus Epiſcopis & Presbyteris communicaret, Apoſtolis videlicet duntaxat exceptis, qui extraordinaria quadam ratione eas à Chriſto immediatè acceperunt, vt alibi diximus*: Planè verum eſt, nec repugnamus: Idipſum docet Ambroſius à Spalatenſi immaniter tortus, ad illud: *Paſce oues meas. Quas*, inquit Ambroſius, *& quem gregem non ſolùm tunc beatus ſuſcepit Petrus, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes.* Verba enim Ambroſij eum ſenſum faciunt, quem ſuprà expreſſimus, in Petro ſcilicet tanquam in ordinis Eccleſiaſtici principe, reliquos Eccleſiæ paſtores, contineri ac cenſeri. Non enim ſomnia ſunt quæ narrantur de deriuato à Petro in reliquos Epiſcopos, & Præſules Sacerdotio ex quo omnis clauium pendeat poteſtas. Hac enim ratione Patres Concilij Sardicenſis ad Iulium Petri ſucceſſorem, in hæc verba ſcribunt. *Hoc*

Auguſt. Pſ. 108. Id. ſer. 13. de verb. Domini.

Spalat. Num. 26. Ambr. li. de Dignit. Sacer. c. 2. Inter epiſt. Leon.

optimum

optimum & valdè congruentißimum eſſe videbitur, ſi ad caput, id eſt Petri Apoſtoli ſedem de ſingulis quibuſque prouincijs Domini referant Sacerdotes. Quod autem ait Spalatenſis, Petrum *non in ſua ſingulari perſona tantùm claues accepiſſe, ſed nomine totius Eccleſiæ, cuius figura fuerit & geſtarit perſonam*, id nimirum verum eſt, tum quod Petrus perſonam principis ſuſtineret, tum etiam quod bono vnitatis, & intuitu Eccleſiæ, in cuius vtilitatem eſſent depromendæ & accommodandæ, eas acceperit. Quod verò addit, *in ſe tantùm accepiſſe, quatenus etiam ipſe fuerit vnus ex illis quos tunc figurabat, & repræſentabat*, id verò eum iugulat, ſi namque tanquam vnus qui à ſeipſo quoque figuraretur eas acceperit, proculdubio cùm reliqui, aduerſarij quidem ſenſu, formaliter acceperint, multò magis ipſe formaliter acceperit, aut certè vult eum deteriore conditione fuiſſe quàm fuerint reliqui, quod par non ſit credere. Sed quid hoc rei eſt *Petrum figuraſſe ſeipſum?* Quàm melius Auguſtinus; *Si hoc Petro tantùm dictum eſt, non facit hoc Eccleſia, ſi autem hoc in Eccleſia fit, Petrus quando claues Eccleſiæ accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit.* Duo enim dicit Auguſtinus, ſcilicet & Petrum accepiſſe claues *formaliter*, ſcilicet & antè etiam cæteros, ac Eccleſiam ſignificaſſe, nimirum quod eius paſtores repræſentarit Petrus, atque tanquam chori Apoſtoli princeps claues acceperit reliquis communicandas, & ad ſucceſſores etiam ſuos transfundendas ac tranſmittendas. Hoc certè ſenſu non ſolùm finaliter (quod ipſum tamen quoque veriſſimum eſt) ſed, & formaliter, rectè dicitur, *Eccleſiam in Petro accepiſſe claues.* Spalatenſis exemplum ex Veneta Republica deſumptum valeret quidem, ſi de beato Marco eſſet inſtituta diſputatio. Atqui de Magiſtro agitur Petro, neque Roma ad Venetiarum exemplum componitur; Vno verbo viget in Eccleſia Romana ſummus vnius principatus, non Ariſtocratia illa qua Veneta Reſpublica delectatur.

In fragmentis Hilarij.

Alteram Cardinalis Bellarmini obſeruationem hîc non expendo, quoniam iudice aduerſario ad poteſtatem clauium non ſpectat; ſed de ea videro alibi. Habemus igitur ex Auguſtino hæc ſententiæ noſtræ fundamenta, *Petrum* OB PRIMATVM *quem geßit in diſcipulis, ob Apoſtolatus ſui* PRIMATVM ET PRINCIPATVM *perſonam ſuſtinuiſſe Eccleſiæ, eius figuram geßiſſe, & portaſſe, eius nomine claues*, tanquam ſcilicet moderatorem & principem vniuerſitatis fidelium, *accepiſſe.* Plura hîc non deſideramus. Habemus namque & reliquos Patres nobis fauentes. Leonem tamen magnum illum fidei propugnatorem, ac *iurium Petri*, vt quidem ipſe cenſet, *acerrimum defenſorem*, nobis eripere conatur aduerſarius. Miror hanc audaciam nulli ſanæ mentis homini probandam. Locus ab eo inductus, ſed miſerè decurtatus, ita habet, ſi de integro recitetur. *Dicitur beatißimo Petro, Tibi dabo claues, &c. Tranſiuit quidem etiam in alios Apoſtolos vis poteſtatis illius, & ad omnes Eccleſiæ principes decreti huius conſtitutio commeauit; ſed non fruſtrà vni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiæ rectoribus Petri forma proponitur. Manet ergo Petri priuilegium, vbicumque ex ipſius fertur æquitate iudicium; nec minima eſt, vel ſeueritas, vel remißio, vbi nihil erit ligatum, nihil ſolutum, niſi quod beatus Petrus, aut ſoluerit, aut ligauerit.* Hæc Leonis ſunt clariſſima verba, vtatur ſi velit aduerſarius. Certè fateor, ſi ille Petrum Eccleſiæ Catholicæ rectorem non agnouit, nulli Patrum eius authoritatis in mentem veniſſe, ſed quam poſuiſſe frontem eum, oporteat qui hæc ſummo

Leo ſerm. 3. de ſua Aſſumpt. ad Pontif.

Præſuli ac vniuerſalis Eccleſiæ Rectori (ſic enim plerumque in Concilio Chalcedonenſi ipſe indigitatur) impudenter affingat.

SPALAT. Num.31. Gloſſ. in Matt.c.16. ex Beda. Reſtat vltimum myſterium à Gloſſa interlineari inſinuatum, quod iam expendit Spalatenſis. Verba Gloſſæ ſunt, *Ideo ſpecialiter Petrus accipit claues, vt intelligant omnes, quòd quicunque ab vnitate fidei, & ſocietate eius ſe ſeparauerit, nec à peccatis ſolui, nec cœlum ingredi poteſt.* Hoc Spalatenſis ad confeſſionem Petri refert, vt qui ab ea diſcedant, regno cœlorum meritò excludantur. Admittimus interpretamentum, ſed hac conditione, vt à confitente, confeſſio non ſeiungatur, vtque qui fidem profitetur in communione quoque Petri, ac ſanctæ illius ſedis quam Chriſto ſacrauerit Petrus, perſeueret. Hæc vera ſunt noſtræ cauſæ firmamenta & principia, quibus reconditioris doctrinæ, aut limatioris eloquentiæ nihil oppoſuit Spalatenſis. Certè ſi fatetur, à Bellarmino omnia ſua argumenta ſumpſit, ſi nègat furripuit. Quòd verò ſe ſequi Patres inaniter gloriatur, tam verum eſt, quàm verum eſt me ſequi Caluinum. In eo autem perabſurdus eſt, quod tanquam allegoricam illam interpretationem traducat, quæ Petrum conſtitutum Paſtorem Eccleſiæ aſſerat, quod *ei vni loquutus ſit Chriſtus*, quod *ſuper eum vnum fundarit Eccleſiam*, quod *ei vni tradiderit claues*, ac parum ſcitè vrget *metaphoras aduerſari hiſtoriæ veritati*: Concipitur enim etiam hiſtoria metaphoricis verbis, & vt de multis hoc vnum proferamus exemplum Ioſeph, *lapis & paſtor Iſraël*, metaphoricè dicitur, vt princeps & ſaluator Ægypti ſignificetur. Aliud igitur eſt in verbis metaphoram ineſſe, aliud ſenſum aut metaphoricum, aut allegoricum eſſe. Sic verbi gratia in illis verbis;

Num.32.33.

Geneſ.49. *Inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſraël*, metaphora ineſt, nec tamen allegoria ea eſt,

Rom.12. ſed ſenſum litteralem & hiſtoricum habent cuique obuium. Sic Paulus cùm de mollienda inimicorum duritia, & malitia bonitate ſuperanda ſermonem habet,

Prou.25. his verbis poſt Salomonem vtitur. *Hoc faciens carbones ignis congeres ſuper caput eius.* Quia igitur in verbis Apoſtoli metaphora ineſt, an propterea ſeriò ac hiſtoricè non eſſe eum loquutum cenſebimus; cum diceret, *Si eſurierit inimicus tuus ciba illum?* Aliud igitur eſt in verbis metaphoram ineſſe, aliud ſententiam eſſe aut metaphoricam, aut allegoricam. Etiam recentiores interpretes, verba Chriſti, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, verſantes, allegoricos ſenſus aliquando veſtigant, ac conſectantur; at verò à claris illis Septentrionibus, Patres intelligo, colluſtrati, curſum tenent ſincerioris fidei, quæ Petro gubernacula aſſerit, ac eum gubernatorem & nauclerum illius quæ inſtar nauis inſtitoris facta ſit, agnoſcunt ac deprædicant.

DISCVSSIO
OCTAVI CAPITIS
LIBRI PRIMI.

EXPENDVNTVR VERBA,
PASCE OVES MEAS.

CONSPECTVS CAPITIS.

Petri primatum potentissimè sonare in his verbis Christi, Pasce oues meas, *&c. Hoc docere Patres omnes: Magnum Pastorum chorum in Ecclesia esse, sed pari dignitate non censeri: Vnum Petrum summam rerum tenere: Soluuntur argumenta ex Basilio, Augustino, Ambrosio, Chrysostomo, & Gregorio, ac aliis, à Spalatensi proposita. Expenditur locus,* Pasce oues meas: *Refelluntur commenta Spalatensis. Petro, etiam Apostolorum curam demandatam: Non rectè in hu iocari Spalatensem; Et in Petrum, & in Chrysostomum iniuriosum se prabere. Vana eius mysteria depulsa, solidiora inducta: Quid de trina interrogatione censuerint Patres: Senensis & Baronius defensi.*

NVLLO *in loco adeo apertè videtur soli Petro totius Ecclesiæ cura committi à Christo Domino, atque vbi ei dicitur, Simon Ioannis diligis me plus his? Pasce agnos meos; Pasce oues meas. In his itaque verbis erit nobis tantisper etiam immorandum, vt plena eorum notitia formam Reipublicæ Ecclesiasticæ nobis quæ fuerit Apostolorum tempore aperiat, & quantum fieri potest, manifestet. Ac primùm quidem hoc loco Christum cum ipsomet Petro loqui singulariter, & ei personaliter dici, Pasce oues meas, constituo tanquam certissimum; vt verba illa, Simon Ioannis, indiuiduum Petri notantia, clarè significant. Nam quod Petro ipsi promissum fuit, Tibi dabo claues; Hoc eidem nunc videtur exhiberi; Pasce oues meas: Et cui dicitur, Diligis me plus his; eidem profectò etiam dicitur, Pasce oues meas: Et trina interrogatio Christi, amas me? Respondet trinæ negationi, quæ in solo Petro fuit. Et contristatio illa Petri, docet verba illa ad ipsius personam pertinere. Vt benè Bellarminus; Qui tamen duabus aliis id confirmat coniecturis; ex eo nimirum quod Petro dicitur; Cùm senueris extendes manum tuam; vt cui hoc dicitur, eidem etiam dictum intelligatur,* Pasce *oues meas; Et ex eo quod dixerit Petrus de Ioanne. Hic autem quid? Nunquam enim, inquit Bellarminus, Petrus interrogasset, quid Ioannes acturus esset, si intellexisset dictum omnibus,* Pasce oues meas: *Neque Dominus dixisset, quid ad te? Tu me sequere; sed dixisset, idem faciet quod tu. Has tamen duas nullius momenti arbitror esse coniecturas. Nam potuit Christus à communi ad priuatum conuerti sermonem; & primum pro omnibus dicere;* Pasce oues meas; *mox Petro mortem prædicere; vnde non necessariò sequitur, hæc dicuntur Petro in propria persona; ergo & illa. Altera verò, coniectura non est, sed falsitas in historia, & vanitas manifesta,*

SPALAT. Num. 1. Ioan. 21.

Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. c. 14. Ioan. 21.

Digitized by Google

Non enim interrogat Petrus *de Ioanne, hic autem quid? occaſione illorum verborum, Paſce oues meas: ſed tantum occaſione illorum; Extendes manum tuam, &c. intellexit enim Petrus ſibi mortem crucis prædici; & curioſitate motus cupiebat ſcire quo mortis & martyrij genere eſſet Ioannes moriturus; num & ipſe cruce, an gladio, an igne, &c. Supponebat enim illum etiam omnino morte violenta pro Chriſto moriturum. Ac propterea non erat ſatis, ſi Chriſtus reſpondiſſet, idem faciet quod tu: quia non erat amplius ſermo de paſcendo, ſed erat ſermo de moriendo. Ideo ait Chriſtus, ſic eum volo manere, quid ad te? Hoc eſt, ipſum nolo morte violenta, neque martyrio occumbere; ſed ſic volo eum manere abſque martyrio, donec veniam, id eſt donec ad naturalem mortis terminum, ipſi à me præfixum, peruenerit; quid ad te? Tu me ſequere: Tu me, moriendo in cruce, ſequere: Et de Ioannis morte quæ erit naturalis, nihil ſis ſollicitus. Priores tamen coniecturæ omnino conuincunt, cum ſolo* Petro *Chriſtum loqui, eique ſoli tunc dicere,* Paſce oues meas. Hæc Spalatenſis.

HORRENDVM Iſraëlis caſum ac miſerandam ſtragem exercitus Iudaici vaticinaturus Micheas Propheta, rem hoc dicendi genere complexus eſt: *Vidi cunctum Iſraël diſperſum in montibus, quaſi oues non habentes paſtorem,* vt hinc colligas ſummam eſſe ouium infœlicitatem paſtore carere vel orbari: Ne igitur hoc præſidio deſtitutæ oues Chriſti, aut aberrarent, aut languerent, aut inedia conficerentur, aut etiam in lupos incurrerent, atque ab eis lacerarentur; Paſtorem vnum ſummum cùm de receſſu cogitaret, & profectionem ſuam in cœlum adornaret chariſſimo gregi imponendum duxit: Præluſerat antè, at iam rem exequitur: Namque cùm præſentes adeſſent tres Apoſtoli, Iacobus, Ioannes & Thomas, ac præterea tres diſcipuli, atque ipſe breui eſſet ad Patrem remeaturus, Petrum omnium caput deſtinatum conuenit, ac primùm ab eo quærit, *Simon Ioannis diligis me plus his?* Secundò ac tertiò idem repetit; cumque ad ſingulas quaſque rogationes Petrus reſpõdiſſet, *Domine tu ſcis quia amo te,* toties etiam illi dixit, *Paſce agnos meos, Paſce oues meas.* Hinc ſummam rerum Petro promiſſam, & pleniſſimam regiminis poteſtatem à Chriſto tributam eliciunt vetuſtiſſimi Patres. Origenes, *Petro cum ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſupra ipſum velut terram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo niſi charitatis exigitur.* Ambroſius, *Dominus non dubitabat, qui interrogabat, non vt diſceret, ſed vt doceret quem eleuandus in cœlum amoris ſui* (ſcilicet paſtoralis) *velut Vicarium relinquebat, &c. quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.* Ac rurſus: *Tertiò Dominus non iam diligis me, ſed amas me, interrogauit: & iam non agnos vt primò quodam lacte paſcendos, nec ouiculas vt ſecundò, ſed oues paſcere iubetur, perfectiores vt perfectior gubernaret.* Rurſus: *Poſt lachrymas paſtor aſſumptus eſt, & alios regendos excepit, qui prius ſe ipſum non rexit.* Epiphanius, *A Chriſto Petrus audiit: Petre paſce agnos meos, cui gregis eſt commiſſa cuſtodia: quem Domini ſui virtute fretus præclarè gubernat, & regit:* Omnium elegantiſſimè ac fortiſſimè Chryſoſtomus: verſans enim illa verba Chriſti, *Petre amas me, Paſce oues meas:* [a] *Chriſtus,* inquit, *cum Apoſtolorum principe verba faciens: Petre amas me, inquit, atque illo id confitente, adiungit: ſi amas me,*

3.Reg.22.

Ioan.21.

Orig.in c.6. ep.ad Rom.

Ambr.li.10. in Luc.ad cap.24.

Ibidem.

Ser. 46. Epiph. in Ancor.

Ὁ ἐκούσιος περὶ τῆς ἀγάπης.

Πέτρε πέμπεις τὰ ἀρνία μου. ὁ πιστευθεὶς τὴν ποίμνην. ὁ κελεῦσι ὁ δυνάμει τῇ ἰδίᾳ χρώμενος.

[a] Chryſ. de Sacer.lib.2. Ὁ Χριστὸς πρὸς τὸν κορυφαῖον τῶν ἀποστόλων διαλεγόμενος, Πέτρε, φησὶν, φιλεῖς με; τούτου δὲ ὁμολογοῦντος, πρόβαλλεται, φιλεῖς με, ποίμαινε τὰ πρόβατά μου.

me,

me, Pasce oues meas. Atque eo loci confert illa Christi verba, *Petre amas me, Pasce oues meas*: cum istis eiusdem Christi, *Quisnam fidelis seruus & prudens, quem Dominus super familiam constituit?* Cumque eam curam Petro demandatam à Christo maximo ouium bono ostendisset, subiunxit; *Quanam enim de causa ille sanguinem effudit suum, certè vt oues eas acquireret, quarum curam tum Petro, tum Petri successoribus committebat. Iure igitur ac merito sic loquebatur Christus: Quis putas est fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Basilium etiam perhortatur, vt æqui bonique consulat sibi factam piam fraudem, vt pastor renunciaretur; *Quum præsertim, inquit, ea agas quæ cùm Petrus ageret illum Christus authoritate præditum esse voluit.* Sed & Patres omnes à Spalatensi inducti idem omnino probant. Imprimis Arnobius: *Nullus, inquit, Apostolorum pastoris nomen accepit; solus enim Dominus Iesus Christus dicebat, Ego sum pastor bonus, &c. Hoc ergo nomen Sanctum, & ipsius nominis potestatem post resurrectionem suam Petro pœnitenti concessit; & ter negatus negatori suo, hanc quam solus habuit, tribuit potestatem. Ambrosius, Denique Petrus Ecclesiæ præponitur, postquam tentatus à diabolo est: Ideoque antè significat Dominus, quid sit illud, quod postea eum pastorem elegit dominici gregis. Item; Qui antè lachrymas præuaricator extitit, post lachrymas pastor assumptus est, & alios regendos accepit, qui prius seipsum non rexit. Item, Tanquam bonus pastor (Petrus) tuendum gregem accepit, vt qui sibi antea infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum. Augustinus, Multi, inquit, erant Apostoli, & vni dicitur, Pasce oues meas. Chrysostomus de Petro loquens ait; Tanquam enim negationis obliuisceretur fratrum curam ei committit, neque negationis meminit, neque exprobrat, tantum dicit, Si amas me fratrum curam suscipias Et paulò pòst; Nam cùm magna Christus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandasset, &c. Et alibi: Qui omnium pastor fuit à Domino institutus ex omnibus nationibus, cogere cœpit oues, &c. Leo; In iis diebus, inquit, per insufflationem Domini, infunditur Apostolis omnibus Spiritus sanctus, & beato Apostolo Petro, supra cæteros post regni claues, ouilis dominici cura demandatur. Maximus; Hic est, inquit, Petrus, cui Christus ascensurus ad Patrem, pascendas ouiculas suas ouesque commendat. Gregorius; Cunctis enim, inquit, Euangelium sitientibus liquet, quod voce dominica, sancto & omnium Apostolorum Petro principi Apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est, ipsi quippe dicitur, Petre amas me? Pasce oues meas.*

Chrys. li. 2. de Sacerd. Διὰ τί ἡ τὸ αἷμα ἐξέχεεν; ἵνα τὰ ἐκείνου πρόβατα, ἃ ἐκεῖνος ἐκτήσατο, ταῦτα καὶ αὐτὸς ἐπιτρέψῃ, καὶ τοῖς παρ' ἐκείνου ἐπιτρέπεσθαι.

Matth. 24.

SPALAT. Num. 2.

Arnob. in Pſ. 138.

Amb. in Pſ. 43.

Idem ſerm. 46.

Idem ſerm. 47.

Auguſt. de Paſt. c. 11.

Chryſoſt. hom. 87. in Ioan.

Id. hom. 4. in Pet. Apo.

Maxim. ſer. de S. Apoſt. Pet. & Pau.

Greg. li 4. ind. 13. ep. 32.

Mirari subit Spalatensem cùm hos proferret, non aduertisse hîc causam suam planè euerti, ac funditùs tolli. Ipse porrò fatetur Christum *omni Petro, singulariter & personaliter* (vt ille loquitur) dixisse, *Pasce oues meas*, ac id docuisse Patres asseuerat. Addit *verbum pascendi omnem omnino potestatem Ecclesiasticam complecti, nomen porro ouium omnes omnino fideles qui vbiuis terrarum sint significare*, & tamen negat vllum *primatum*, aut *principatum* hîc Petro dari? An sobrius scribit? *Quamus*, inquit, *verissimum sit verba illa seorsim soli Petro fuisse dicta, etiam aliis Apostolis præsentibus; Nihilominus in solo Petro ea effectum suum habuisse dici nullo modo potest. Nonne ipsemet Christus dedit quosdā quidem Apostolos, alios doctores, & pastores?* Respondemus equidem multos Christum in Ecclesia constituisse pastores, qui & verbo & exemplo gregem pascerent: sed pari fecisse reliquos cum Petro dignitate ac authoritate, hoc verò est quod constantissimè negamus. Soli enim Petro, vt ipse fatetur Spalatensis, dictum est, *Pasce agnos meos, Pasce oues meas.* Audiat quæso Bernardum, quem Caluinus ab omni

SPALAT. Num. 3.

Epheſ. 4.

assentatione cum Eugenium suum ad ornandam quam nactus esset Spartam adhortaretur, alienum fuisse volens nolens prædicat; *Tu es*, inquit, *cui claues traditæ, cui omnes creditæ sunt. Sunt quidem & alij cœli Ianitores, & gregum pastores, sed tu tantò glorioſiùs, quantò & differentiùs vtrumque præ cæteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos tibi vniuersi crediti, vni vnus. Nec modo ouium, sed & pastorum vnus omnium pastor. Vnde id probem quæris? Ex verbo Domini, cui enim non dico Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic absolutè & indiscretè toti commissæ sunt oues.* Si piissimi & doctissimi viri se authoritate teneri negat Spalatensis, rationes expendat, ac ad limatioris iudicij lancem libratas amplius examinet. Deprehendet sanè eum *non oratoria amplificatione* quod ille somniat, sed planè dogmaticas asserere vim inesse in verbis Christi, quæ pium quemque ad confitendam potiorem illam, ac præstantiorem Petri authoritatem permouere debeat. Si nescis ergo, mi Antoni, est in Ecclesia magnus pastorum chorus, sed omnes pari loco non sunt, & alij aliis præstantiorem Spartam nacti sunt, quam ornent, atque ita gradu & potestate distinguuntur, vt vnus Petrus summam rerũ teneat, reliqui verò sint in partem sollicitudinis vocati. His dicitur, *Pascite eum qui in vobis est gregem*, & certus ac definitus ouium numerus committitur. Illi in vniuersum dicitur, *Pasce oues meas*: *Pasce agnos meos*. Vidit hoc laudatus supra à nobis Bernardus. *Aliorum potestas*, inquit ille ad Pontificem, *certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipsos qui super alios potestatem acceperunt. Nonne si causa, tu Episcopo cœlum claudere, tu ipsum Episcopum ab Episcopatu deponere etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcussum priuilegium tuum tam in datis clauibus quàm in ouibus commendatis.* Hæc pius ille Bernardus ab omni ambitione & assentatione, etiam iudicio Caluini, alienissimus, cuius & illud ad eundem Eugenium dignum est quod obseruetur. *Alij*, inquit, *in partem sollicitudinis, tu in plenitudinem potestatis vocatus es*: quod etiam sanctis Canonibus firmatum significat vir eximius. Basilium nobis opponit Spalatensis, qui scripserit; *Atque hoc à Christo ipso docemur, dum Petrum Ecclesiæ suæ pastorem post se constituit. Petre enim, inquit, amas me plus his? Pasce oues meas. Et omnibus præterea deinceps pastoribus & magistris eandem tribuit potestatem; cuius quidem rei signum est, quod omnes similiter atque ille ligent & soluant.* At Basilius nihil aduersarij causam iuuat; docet enim omnes omnino pastores ligare ac soluere creditos, ac subditos sibi populos, similiter vt Petrus ligat & soluit, quod nos quoque docemus: sed æquè ad vniuersam Ecclesiam eorum se potestatem fundere, vt se fundit Petri non docet, ac proculdubio, vt posterius videbitur; ille Petri præstantiam & excellentiam supra reliquos non obscurè diuersis locis insinuat: Cæterùm hoc vnum hic aduertisse Spalatensem velim, Basilium asseuerare Petrum à Christo Ecclesiæ suæ pastorem post se constitutum his verbis, *Petre amas me plus his, Pasce oues meas*; hoc enim est quod ab eo hoc loco impugnatur, vt appareat nihil ei omnino esse cum Basilio commune.

Lib. 2. de Conſ. ad Eugen. c. 8.

Act. 20. Ioan. 21.

Ibid.

Lib. 2. de Conſ. ad Eugen. c. 8.

Basil. in Constitut. Monast. c. 22.

Augustinum aduocat & illum sibi valdè infensum; Perpetuus enim est dignitatis Petri assertor ac vindex: Certè hunc locum, *Pasce oues meas*, ita vni illi tribuit, vt inter Ecclesiæ Catholicæ, adeoque suæ fidei firmamenta, hoc vnum ponat, quod in Romana Ecclesia per successiones Sacerdotum eius vis ac energia retineatur, ac perseueret. *Multa sunt*, inquit, *quæ me in Ecclesiæ gremio retinent, &c. Tenet ab ipsa sede Petri, cui pascendas oues suas post resurrectionem Dominus*

Dominus mandauit, vſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſsio Sacerdotum. Sed excutiamus aduerſarij argumenta. *Auguſtinus,* inquit, *nunquam illa ad primatum Petri confirmandum adduci patietur: ſi quidem nihil illuſtre vult circa perſonam ſingularem Petri in Euangelio fieri dici ve, niſi illud ad totam Eccleſiam referatur.* Et probat quod ſcripſerit; *Ideo Petro, quem facere volebat paſtorem bonum, non in ipſo Petro, ſed in corpore ſuo ait, Petre amas me? Paſce oues meas. Et poſtea: Tenete ergo, inquit, quomodo Dominus Ieſus Chriſtus, & oſtium ſit & paſtor; oſtium pandendo ſe, paſtor intrando per ſe; Et quidem fratres quod paſtor eſt dedit & membris ſuis: nam & Petrus paſtor, & Paulus paſtor, & cæteri Apoſtoli paſtores. Hæc eſt enim,* inquit, *conſtans Auguſtini doctrina, vt Petrus gerat in omnibus ſeriis figuram Eccleſiæ: atque ita non Petro in ſua ſpecialitate, ſed corpori ſuo, quod eſt Eccleſia, Chriſtum paſturam ouium, nimirum in Prælatis commiſiſſe. Sed etiam in typum & myſterium vnitatis hæc Petro dicta idem intellexit Auguſtinus, vbi dixit; Hic inuenio omnes paſtores bonos in vno paſtore (Chriſto:) Non enim verè paſtores boni deſunt, ſed in vno ſunt. Multi ſunt qui diuiſi ſunt. Hic vnus prædicatur, quia vnitas commendatur. Neque enim verè modo ideo tacentur paſtores, & dicitur paſtor, quia non inuenit Dominus cui commendet oues ſuas. Tunc autem ideo commendauit, quia Petrum inuenit; imò verò & in ipſo Petro vnitatem commendauit: Multi erant Apoſtoli, & vni dicitur, Paſce oues meas. Item, Hanc Dominus vnitatem commendans paſtoribus bonis, non commendans paſtores bonos, noluit multos appellare paſtores: Neque enim, vt dixi, iam non erat paſtor bonus Petrus, Paulus, Apoſtoli cæteri, poſteriores ſancti Epiſcopi, beatuſque Cyprianus: omnes hi paſtores boni, & tamen ille paſtoribus bonis non commendauit paſtores bonos, ſed paſtorem bonum. Ego ſum, inquit, &c. Vbi vides & Paulum, & cæteros Apoſtolos æquè cum Petro apud Auguſtinum, eſſe paſtores, ſed ſub quadam vnitate. Et in vno Petro, inquit, figurabatur vnitas omnium paſtorum. Quod ergo vni Petro, & ſeorſim dicitur, Paſce oues meas, myſterium tantum eſt; vt diſcant omnes Apoſtoli, & miniſtri Chriſti, etiamſi ſint innumerabiles; vnicam tamen omnes, & eandem exercere paſturam: & omnes ſimul ac in ſolidum vnicum eos debere eſſe paſtorem. Quæ eſt Ariſtocratia manifeſta.* Sed hic multa falſa, abſurda, & à mente Auguſtini aliena dicit. Verum quidem eſt Auguſtinum ſenſu myſtico, quem ille *illuſtrem* vocat, penè omnia quæ Petro dicta ſunt ad Eccleſiam referre, cuius nomine acceperit claues, ſed vt ſupra eſt à nobis ineluctabilibus argumentis oſtenſum, hiſtoricum ſenſum non euertit, atque omnino probat illum figuram geſtaſſe Eccleſiæ, quod PRIMATVM obtineret, & *princeps* eſſet Apoſtolorum. Itaque quod *in Petro vnitatem commendatam* docet, id verè pro nobis facit, cùm vnitas illa quam propugnat Auguſtinus, vno capite nitatur. *Quis neſciat,* inquit, *primum omnium Apoſtolorum eſſe beatiſſimum Petrum?* Quod ne quis de primatu ordinis omni authoritate nudato interpretetur, audiamus illum humanum Cypriani lapſum diluentem: *Puto,* inquit, *quod ſine vlla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quantum attinet ad martyrij coronam: cæterùm magis vereri debeo ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit,* (audiſne?) *illum Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum, ſed etſi diſtat Cathedrarum gratia, vna eſt tamen martyrum gloria.* Quid potuit illuſtrius afferri pro primatu Petri authoritate Auguſtini firmando? *Aſſerit neminem eſſe qui neſciat illum Apoſtolatus* (Petri) *principatum*

Aug. contr. ep. fundament. c. 4. Aug. in Pſ. 180.

Idem tract. 46. in Ioan. Aug. tract. 47. in Ioan.

Idem de Paſtoribus c. 13.

Id. ſer. 50. de verb. Dom.

Id. ſer. 24. de Sanctis.

Tract. 56. in Ioan.

De Bapt. contr. Donat. li. 2. c. 1.

Digitized by Google

cuilibet Episcopatui præferendum? Ergo eius iudicio omnes pastores, aut Episcopi Petro æquales non sunt. Imò eius iudicio magnus sycophanta Spalatensis, qui eum pro Aristocratia laborasse, nullo pudore asseueret? Addit Augustinus, *vereri se ne in Petrum sit contumeliosus*, si de dignitate Ecclesiastica agens illum conferat cum Cypriano Episcopo. Atqui si suppar Petro erat Cyprianus, quid contumeliæ Petro fuerit hac illorum collatione irrogandum? Amplius addit Augustinus, *Cathedrarum Petri & Cypriani gratiam distare.* Quid verò illud est in quo distent, nisi quod Petri quidem maior est, & excelsior Cathedra quàm Cypriani, Romana quàm Carthaginensis? Alio etiam loco Romanæ Cathedræ authoritatem opponit conspiranti multitudini inimicorum Cæciliani, in quibus innumeri essent Episcopi, atque hac vna fretum, eum asserit, in tuto esse potuisse, adeoque à conspirante inimicorum multitudine nihil sibi timere. *Posset*, inquit, *non curare conspirantem multitudinem, cùm se videret & Romanæ Ecclesiæ in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipsam Africam venit per communicatorias litteras esse coniunctum.* Vides vt Cathedræ Apostolicæ principatum in Romana Ecclesia semper viguisse doceat. Non itaque ille pro Aristocratia pugnauit. Et vt tandem intelligat aduersarius, quo loco Pontificem Petri successorem habuerit inter reliquos Episcopos, meminerit eius sententia Bonifacium aliis Episcopis, *Celsiore fastigio in specula pastorali præeminere.* Hæc satis sunt ad probandum Augustinum de spuria illa Aristocratia, ne quidem per somnium cogitasse, sed vnum semper dominici gregis pastorem summum agnouisse, suspexisse, ac coluisse. Non dissidet ab Augustino Ambrosius. Scribit, vt quidem vrget aduersarius; *Quas oues, & quem gregem non solùm tum beatus suscepit Petrus, sed & nobiscum eas suscepit, & cum illo eas nos suscepimus omnes.* Addat pari gradu & dignitate, & in sua castra transierit Ambrosius: Atqui repugnat & obnititur magnus vir, sic enim ille pro Petro, *Quia solus*, inquit, *profitetur ex omnibus, omnibus antefertur.* Existimo verò Spalatensem in collegiis societatis procuratorem egisse, qui tam crebro officij meminerit, & nomen vsurparit! Vult Petrum *procuratorem omnium Apostolorum, omnium quoque nomine pasturam* (sic enim loquitur) *accepisse.* At mirari subit vnde hoc nomen expiscatus sit, cuius nullum extet in tota illa veneranda antiquitate vestigium. Patres omnes volunt Petrum quà principem chori Apostolici, personam Apostolorũ vbique ferè sustinuisse, atque etiam pro iis respondisse, Spalat. illum procuratorem hoc est Syndicũ facit, immane quàm hoc distat ab illo? Et tamen eum non puduit pro hac procuratione testem rursus adhibuisse Chrysostomũ. Verba eloquentissimi Patris sunt; *Quid est cur Dominus cæteros præterit, & cum Petro de his rebus loquitur? Erat inter Apostolos eximius & discipulorum os, atque illius chori vertex siue coryphæus, propterea & Paulus aliquando ad eum præ cæteris visendum ascẽdit.* Verbũ ne profertur in quo vestigium appareat aliquod, quo significetur Petrum procuratorem fuisse reliquorum? Ergone ex Calepino didicit *verticem*, aut *coryphæum* pro huiusmodi procuratore vsurpari? Petrum certè Patres amplissima procuratione ornarunt, sed hanc administrationem totius Ecclesiæ Petro commissam esse voluerunt. Gregorium quid attinet retulisse, cùm procurationem illam amplissimam magna nominis sui commendatione toto orbe exegerit? Asserit igitur magnos pastores fuisse Apostolos, sed Petrum celsiore

Ep. 162.

Tom. 7. cont. duas ep. Pelag. lib. 1. c. 1.

Ambr. de dignit. Sacerd. c. 2.

Ambr. l. 10. in Luc. ad c. 24.

Chrysost. hom. 87. in Ioan.

Greg. lib. 1. indu. 1. ep. 24.

Digitized by Google

celsiore loco inter magnos ponit, quod facit itidē Iansenius, quem miror citasse Spalatensem, cùm eum totū *Monarchicum* prædicet, & hoc nomine traducat. Iansen. in Luc. c. 4.

Iam armat se scripturæ authoritate, & in hunc modum argumentatur. *Prius*, inquit, *omnibus Apostolis simul cum Petro dictum est à Christo, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: Et postea dictum est Petro seorsim, Pasce oues meas. Neque video quomodo affirmari possit, aliquid amplius dari Petro seorsim his verbis, quàm datum fuerit cæteris omnibus illis.* Atqui lubet ereptum de manibus telum in importunum hostem retorquere. Christus cùm est Petrum alloquutus, & his verbis affatus, *Pasce oues meas, Pasce agnos meos*, Apostolos summa illa qua vnquam efflouerunt authoritate, iam ornarat his verbis, *Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos, &c. Accipite Spiritū sanctum, quorū remiseritis, &c.* Quicquid enim splēdoris, gloriæ & dignitatis complectitur Apostolatus, *id totum in his verbis continetur*, iudice Spalatensi. Aderat vnà cum aliis Petrus, cùm primùm dicerentur, eorum vim quoque senserat, totam potestatem Apostolicam etiamnum hauserat, in omnes gentes legatus dimissus erat, interim tamen post tot participatos cum collegis honores amplius quiddam circa eum faciendū ducit Christus; Nactusque eum ad littus, non quidem à reliquis seuocat, sed priuatim alloquitur, *Simon Ioannis diligis me plus his?* Dicit ei, *Etiam Domine, tu scis quia amo te*, Dicit ei, *Pasce agnos meos.* Dicit ei iterum, *Simon Ioannis diligis me?* Ait illi, *Etiam Domine, tu scis quia amo te*; Dixit ei, *Pasce agnos meos.* Dicit ei tertiò, *Simon Ioannis amas me: contristatus est Petrus, quia dixit & tertiò amas me? Et dixit ei, Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te; dixit ei, Pasce oues meas.* Quis igitur adeò cœcus est, qui non videat hic aliquid eximium tribui Petro, quod antea non esset consecutus, cùm Apostolatus insignia & potestatē cū reliquis acciperet? Ad quid enim tot illæ, vt ita dicā, cęremoniæ? Ergone ludebatur Petrus, aut potius illudebātur Apostoli, adeoque vniuersitas ipsa Ecclesiarū, quibus caput imponi videretur, nec tamen imponeretur? Anathema tibi à me Spalat. qui in his ab Orthodoxis dissenseris, aut visa pessum dederis. Cæterùm non solùm Petro authoritate spoliasti, verùm etiam ipsa authoritatis ornamenta penè ad eius perniciem conuertisti. *Neque*, inquis, *video quomodo affirmari possit aliquid amplius dari Petro seorsim his verbis, quàm datum fuerit cæteris omnibus illis.* Imò addis, *Contrarium potius videtur asserendum, ibi enim*, ais, *Christus totum suum officium, & totam potestatem quæ hominibus mortalibus communicari poterat, generalissimè tribuit & communicat: Hic verò posset aliquis, nec fortasse immeritò, ad solam pasturam, hoc est ad prædicationem se restringere.* Mitto reliqua quæ manifestè produnt Spalatensem vt Pontificem læderet, in Petrum cōtumeliosum esse voluisse. Videtur autem non planè animo concepisse, quid verbo, *Pascendi*, significet scriptura, adeo inconstanter, aut potius vafrè rem istam explicat. Illum igitur nostri docebunt eam esse vim huius verbi *Pasce*, vt plenissimæ potestati designandę subseruiat, omnesque alios actus Ecclesiastici regiminis complectatur. Ac vt simpliciter dicam cum doctissimo Becano; Pascere idem est, quod officium pastorale exercere, quod includit tres actus principales, vt ex Scriptura patet. *Primus*, inquit Becanus, *est pabulum præbere, & ad pascua ducere*, Ezech. 34. 2. *Væ pastoribus Israël, qui pascebant semetipsos: Nonne greges à pastoribus pascuntur?* Et Psal. 22. 1. *Dominus regit me* (Græcè est pascit me) *& nihil mibi deerit in loco pascuæ ibi me collocauit. Secundus est infirmas oues sanare, dispersas colligere, errantes reducere, contra lupos defendere.* Ioan. 20. Ioan. 21. Stapleт. Bellarm. Becanus. Becan. de Rep. Eccl. lib. 2. c. 3. nu. 7.

Ezech.34.5. *Diſperſæ ſunt oues meæ, eo quod non eſſet paſtor, & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt. Errauerunt greges mei, & non erat qui requireret.* Et infra v.15. *Ego paſcam oues meas, & ego accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat requiram, & quod abiectum erat, reducam, & quod confractum erat, alligabo, & quod infirmum fuerat, conſolidabo: & quod pingue & forte, cuſtodiam. Tertius eſt præeſſe, regere, gubernare, iudicare, diſcernere, caſtigare.* 2.Reg.c.2. *Tu paſces populum meum Iſraël, id eſt, gubernabis, vt patet ex verbis ſequentibus; Et tu eris dux ſuper Iſraël.* Et Pſal.2.9. *Reges eos in virga ferrea, Græcè eſt* ποιμανεῖς αὐτοὺς, *id eſt paſces eos.* Et Ezech.34.17. *Vos autem greges mei, hæc dicit Dominus Deus; Ecce ego iudico inter pecus & pecus arietum & hircorum.* Et v.20. *Ecce ego ipſe iudico inter pecus pingue & macilentum.* Cùm igitur Chriſtus poſthabitis reliquis Apoſtolis vni Petro dixerit, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, etiam poſt alios in orbē cum ſumma authoritate qua vnquam ſunt potiti, dimiſſos; quis ſanus non fateatur hic aliquid eximium ac ſingulare tribui Petro? Nimirum ampliſſimæ dignitatis præfecturam, & capitis Eccleſiæ ſupremam authoritatem verbo paſcendi deſignatam? *Chriſtus*, ergo, *à Patre miſſus Magiſter*, vt loquitur author Commentariorum qui immeritò Ambroſio tribuuntur, *Magiſtros nobis miſit Apoſtolos; Euntes*, inquit, *docete omnes gentes, &c.* Hi pauerunt gregem; ſi quidem, vt acutè obſeruat Bernardus, *Euangelizare, paſcere eſt*: Sed his magiſtris, his paſtoribus caput eſt impoſitus Petrus, cuius ope & authoritate vnitas Eccleſiæ ſarta tectaque ſeruaretur, & omnis occaſio ſchiſmatis præcluderetur, ac depelleretur. Hoc docuit Cæleſtinus Papa Epiſtola ad Concilium Epheſinum; Monet enim Patres, vt fidei & ſanæ doctrinæ aduerſus Neſtorium propugnandæ diligentem operam nauent. Dictum Chriſti profert, *Euntes docete omnes gentes*, quo omnes teneantur, omnibus *in commune mandatum officium*, vrget, ſed quemque *ſuos authores ſequi* monet: Itaque ipſe ſe Petri ſucceſſorem agnoſcebat, reliquos verò in partē ſollicitudinis vocatos hortabatur, vt ſententiam quam tuliſſet in Neſtorium exequerentur, certè in eo conſeſſu Patrum Cæleſtino acclamatum eſt, τῷ φύλακι τῆς πίστεως, & ipſi Patres à Philippo Preſbytero Legato Apoſtolico laudati ſunt, quod τῇ ἁγίᾳ κεφαλῇ ἅγια χέλη, piis exclamationibus honorem exhibuiſſent. Non ergo communis cura ſingularem illam ac præclarā capitis dignitatem euertit, ſed potius eius opem depoſcit, quippe quæ ſingulos in officio contineat paſtores. Quod verò contendit Spalatenſis, *Nullam verbo paſcendi contineri poteſtatem, quæ non melius & amplius contineatur in illis Chriſti Apoſtolis, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Et illis, *Euntes docete omnes gentes*, præterquam quod ſupra eſt à nobis refutatum, impiam quoque ſententiam habet, quæ nimirū decus & ornamētum dignitatis Petri, ac magnificentiam Chriſti ſua parſimonia imminuat, & Chriſtū ipſum ſimplicitati Petri illudentē inducat. Ad quid enim, vt dicebamus, tot illæ cæremoniæ? Quorſum repetitæ de amore, quo ſe proſequeretur, interrogationes? Quorſum tā magna pompa iniunctum paſcendarū ouium munus, ſi præ cęteris nil eſt ei tributū? Quàm melius & ſapientius Chryſoſtomus, ἰσχνείζεται τὴν παῤῥησίαν τῶν ἀδελφῶν. Idem facundiſſimus Pater vno quaſi faſce complexus quæcunque ornamenta, tunc tribuiſſet Petro Chriſtus. *Cùm magna*, inquit, *Chriſtus Petro communicaſſet, martyrium prædixiſſet, & maiorem erga eum dilectionem teſtatus eſſet, cùm vellet Petrus Ioannem ſocium & collegam, inquit: Hic autē quid?*

Ioan.21. Ioan.20.

Author Comment. nomine Ambr. in 1.Cor.c.11.

Conc. Eph. par.2.act.2.

SPALAT. Num.5.

Chryſoſt. hom.87.in Ioan.

Ἐπὶ τοσοῦτο μεγάλα αὐτῷ φησὶν, ἢ τὴν οἰκουμένην ἐπιχείρησιν, ἢ τὸ μαρτύριον προαναφώνησιν, ἢ ἐγκώμιον ὑπερβαλόμενος καὶ τῶν λοιπῶν κορυφαίων, φησὶν. οὗτος ἢ τί;

Itaque

Itaque magna erant qui ſibi tributa agnoſceret Petrus, & horum quidem collegam & ſocium habere cupiebat Ioannem, in quem propenſiſſimo eſſet affectu: Non igitur ſententia Chryſoſtomi par Ioannes Petro, & tamen in eorũ quoque numero erat Ioannes, quibus dixerat Chriſtus, *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Ergo eiuſdem Patris ſentẽtia, eſt Petri amplificata à Chriſto dignitas, cùm ei dictũ eſt, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, ac eximiæ dignitatis ei ſupra Apoſtolatum facta eſt acceſſio. Tergiuerſatur Spalat. & vrget huncipſum facundiſſimũ Patrem de Apoſtolis dixiſſe, *cùm eſſent orbis terrarum curam ſuſcepturi, ſimul amplius eſſe non oportebat.* Reſpondeo primùm ea verba *collectiuè*, vt locus oſtendit, non *diſtributiuè* accipienda eſſe. Intelligit aduerſarius quæ velim. Erant non ſinguli totius orbis curam ſuſcepturi, quanquã non negauerim ad eos quoque extraordinario iure, hoc munus pertinuiſſe, ſed ſortitione facta, erat quiſque eorũ in aliquam orbis terræ partem ſe daturus, vt ſcilicet, *In omnem terram exiret ſonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Deinde loquitur Chryſoſtomus de munere prædicationis, cenſetque totum orbem ſubiectum Apoſtolis promulgandi Euangelij reſpectu, quod nimirum illis dictum ſit, *Euntes docete omnes gentes.* At de regimine ordinario quo Eccleſiam ſuam informaſſet Chriſtus non loquitur. Ad eandem prædicationis vim reſpectans, dixit de Paulo magnus Pater illum gubernaſſe τὴν οἰκουμένην ἅπασαν. Quod enim de prædicationis munere illi ſermo ſit, hinc colligas quod cùm eum Michaëli ac Angelis omnibus, citra tamen vllam illorum iniuriam antetuliſſet, ac docuiſſet Michaëli gentem commiſſam Iudæorum, Paulo verò terras ac maria atque vniuerſi orbis habitationem, ſtatim ſubiecit.[a] *Cuius autem rei gratia non Angelis potius hæc prædicationis cura commiſſa eſt?* Atque reſpondet, *vt nullum ſcilicet excuſationis colorem de ſe inueniret anima negligens, ac ne tu ad diuerſitatem naturæ confugeres dormiendo:* quibus verbis mirificè oſtendit ſe de prædicatione Euangelij ſermonem inſtituiſſe. Quo ſenſu etiam dixerat priore homilia,[b] *Quia ſeipſum Deo conſecrauerat (Paulus) etiam orbem vniuerſum ſtuduit offerre: qui terram videlicet ac mare, Græciam, ſimulque Barbariam, omnémque prorſus, quanta eſt ſub cœlo regionem quaſi volitans circumiuit, non ſimplici labore veluti in vacuum itinera percurrens, ſed peccatorum ſpinas pariter euellens, & verbum ſeminans, &c.* Idem ſanctiſſimus Pater[c] *Timotheo orbem terrarum commiſſum*, pronunciat, ſcilicet, *ex officio charitatis*, non ratione *poteſtatis aut authoritatis*, quam in totum orbem eſſet conſecutus. Eximium enim Pauli diſcipulum decuit eodem flagrare affectu quo flagraret bonus Magiſter, cuius *ſollicitudo eſſet omnium Eccleſiarum.* Certè alia aduerſus Iudæos oratione auditores ſuos hortatur, vt procurationem ſalutis proximi ſuum negotium putent, ac vanam eorum cauſationem depellit, qui dicerent, nil ſibi cum alijs negotij eſſe, quando charitas ad omnes ſeſe fundit. Eodem ſcilicet deſiderio totum orbem ſuis laboribus iuuandi exarſerunt tum Apoſtoli, tum Apoſtolici viri qui eo ſæculo floruerunt, ac præterea cùm fidei fundamenta iacerentur, totuſque mundus erroribus ſcateret, prioribus illis doctoribus ac orbis colonis eximia quædam concedenda fuit authoritas, quo facilius & vberiori cum fructu iniunctum ſibi munus exequerentur & obirent. Hinc ſcilicet Apoſtolos ampliſſima poteſtate ornauit Chriſtus, ſed ea quod extra ordinem eſſet conceſſa, vna cum illis interiit; ac finem inuenit, parte tantum eius vt explicabitur, ad Epiſcopos deriuata: Petri verò authoritas, quod ex ordine eſſet, & fulciendæ vnitati non minus inſecuturis ſæculis quàm prioribus ne-

Num. 5. Chryſ. ibidem.

Rom. 10.

Serm. 2. de laud. Paul.

[a] Chryſoſt. hom. 1. de laudib. B. Pauli Apoſtoli. Καὶ πόσου ἔστιν ἀξία ἀγγέλου ταῦτα ἐπιχείρησαι; ἵνα μηδεμίαν ἀπολογίαν ἔχῃς μαθυμίας, &c.

[b] Chryſ. de laudibus B. Pauli Apoſtoli hom. 1. οὐ μὴν ἱκανὸν ἦν τοῦτο τὴν θυσίαν ταύτην, ἀλλ' ἵνα καὶ τὴν γῆν ἅπασαν κατάσχῃ, καὶ τὴν οἰκουμένην προσλάβηται. καὶ γὰρ καὶ θάλατταν, καὶ Ἑλλάδα καὶ βάρβαρον, &c.

[c] Chryſ. or. 6. cont. Iudæos. Εἰ δὲ ὁ δίκαιος ἐκεῖνος καὶ ἄγιος, καὶ τὴν οἰκουμένην προσπάσαν ἐπιχειρήσων, &c. 2. Cor. 11. orat. 5.

ceſſaria foret, ad finem vſque ſæculi eſt duratura. Et quidem bene eſt, quod ipſe Spalat. poteſtatem illam Apoſtolorum potius *habitualem* quàm *actualem* fuiſſe agnoſcit: Nos enim Petri planè *actualem* fuiſſe, hoc eſt & actu habuiſſe, & ea vſum fuiſſe oſtendimus, oſtendemuſque toto hoc opere, vt iam vel hoc titulo inferiores reliqui Apoſtoli cenſeri debeant, quippe qui huic ſuæ dignitatis Principi bono vnitatis faſces ſummitterent. Hoc ſcilicet locis à nobis prolatis docuit Bernardus, quem immeritum traducens, Caluino ipſo impudentiorem ſe præbet aduerſarius. Dolet illi, pietatis amantiſſimum virũ, de ouibus Petro cõmiſſis magnificẽtius pronunciaſſe. Sed ad amuſſim Euangelij hæc primũ exegit vir ſapiẽtiſſimus, *Paſce oues meas. Quas*, inquit Bernardus, *illius vel illius populos ciuitatis aut regionis, aut certi regni? oues meas, inquit, cui non planum non deſignaſſe aliquas, ſed adſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Et forte præſentes cæteri condiſcipuli erant, cùm committens vni, vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & in vno paſtore ſecundum illud, Vna eſt columba mea, perfecta mea; vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, ſed diuiſionem recedentes ab vnitate, inde eſt quod alij ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes, ſcientes Sacramentum. Denique Iacobus qui videbatur columna Eccleſiæ vna contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatem cedens.* Non eſt iſta amplificatio oratoria; ſed Theologica planè diſſertatio. Iam omnia myſteria à Catholicis doctoribus obſeruata, magna contemptione proculcat Spalatenſis, ac digna non habet, in quibus eruendis aut potius refellendis operam ponat, cùm tamen magni eſſe momenti repetenti ex Stapletano, Bellarmino, Salmerone, Maldonato, & aliis paſſim dubium eſſe non poſſit. Quod verò etiam Apoſtolorum curam Petro demandatam noſtri pronunciant, *intollerabilem* hunc reputat *errorem*, & vt pium dogma euertat iocatur *homo*, vt eſt à parente eloquentiæ de Epicuro dictum, *Minimè aptus ad iocandum. Ad quid obſecro*, inquit, *fortaſſe ad ipſorum confeßiones audiendas, An ad ipſos docendos & inſtruendos, an ad corrigendos & puniendos?* Vno verbo mi Antoni, *Ad ſchiſmatis occaſiones tollendas & ne*, quod prudentiſſimè monuit Optatus, *ſinguli ſingulares Cathedras pacis ac concordiæ Eccleſiaſticæ detrimento, ſibi conſtituerent.* Quamquam enim, vt eſt ſupra à me obſeruatum in Apoſtolis, non periclitaretur decus vnitatis, tamen illo ipſo eorum ſæculo ea regiminis Eccleſiaſtici forma inſtituenda fuit, quæ inſecuturis ſæculis ab omnibus teneretur ac obſeruaretur. Hoc in genere haud diſpari oſtendere fuerit facile. Conciliorum ope ad dogmata fidei & religionis eruenda, proculdubio opus non habebant Apoſtoli, quippe quos perpetuo quodam afflatu impelleret & moueret Spiritus ſanctus; verumtamen vt poſteros docerent, quæ ratio eſſet ineunda in definiendis rebus religionis grauiſſimis, Concilia coegerunt, & non niſi de communi ſententia quæ eſſent fidelibus animo cõplectenda, ſtatuerunt: Ita nimirum poſteritati canebatur, ac ſequendus ordo ſancieba-
tur. Id hic quoque factum obſerua; Petro *doctore inſtitutore, confeſſario, correctore* non indigebant Apoſtoli, ſed eum idcirco *capitis* loco venerati ſunt, vt cæteris exemplo præirent, teque vnum qui de eorum hæreditate inaniter te iactes docerent, quicumque tum eo non colligant, hos omnino diſpergere. De confeſſionibus audiendis ſubmurmurat, quod iugum iſtud Chriſti vita inquinatiſſimum valdè grauet; ſed parum illum Apoſtolorum Innocentia iuuat. Fuit hoc illorum ſummum decus & priuilegium, vt hoc & ſimilibus præſidiis non egerent, ſed tantus futurus non erat reliquorum candor aut innocentia Epiſcoporum,

Num. 5. in fine.

Bern. de conſider. lib. 2. c. 8.

Spalat. Num. 6.

Act. 15.

porum, & ipſe ſi quis ei ſenſus pietatis relictus, ſe illo vno maximè indigere probè aduertit. Non ergo *ad confeßiones Apoſtolorum audiendas*, non ad eos monendos, aut etiam plectendos eſt à Chriſto Petrus Apoſtolorum paſtor conſtitutus, ſed ad vnitatem Eccleſiaſticam & pacem inter fratres ſanciendam.

De reprehenſione Petri cui Paulus ſe oppoſuerit, poſterius videbimus. Sed Spalatenſis valdè in Chryſoſtomum contumelioſus eſt, quem vt fumorum venditorem traducat. *Videtur*, inquit, *Chryſoſtomus in decurſu exundantis orationis innuere Petrum, ex conceſſa ſibi fratrum cura à Chriſto, quæſiuiſſe de Ioanne; Hic autem quid? quod etiam ponit Caietanus: Sed ſicut manifeſtum eſt interrogationem illam ex ſola curioſitate profectam, vt nihil curæ fratrũ in ſe continere, ita illa tranſcurſim à Chryſoſtomo dicta, non ſunt cum rigore accipienda: Nam alia quæ ibidem hic doctor dicit de commiſſa Petro fratrum cura, facilè intelliguntur de fratribus, fidelibus videlicet, non de Apoſtolis, quicquid dicat Bellarminus: commiſſionem etenim hanc fratrum curæ accepit Chryſoſtomus in illis verbis Chriſti, Paſce oues meas: oues verò paſcendæ erant populi conuertendi.* Itaque non vnum Chryſoſtomum lacerat, atque vt futilem oratorem proſcindit, ſed & ipſum Petrum vanæ cuiuſdam curioſitatis reum arceſſit, vt iam in cœlum os poſuiſſe meritò cenſeatur, ſed tanti non ſunt illius nugæ, vt magna hæc cœli lumina ad eas obſcurentur. Totus certè mendaciis ſcatet inconſtantiſſimis. Dicebat ſupra *Monarchicos*, ſic enim paſsim Catholicos indigitat, *multa myſteria venari in verbis, Paſce oues meas, vt Primatum Petri formarent*, hîc ita eos inducit loquentes, vt nihil myſterij in illis iam cernant aut peruideant.

SPALAT. Num. 6.

Chryſoſt. hom. vlt. in Ioan.

Caiet. tra. de author. Papæ & Conc. c. 3.

Turrecrematam delectum puto ſibi hoſtem pungit, & quod ſapientiſſimè ille dixit, iſte ſtultiſſimè interpretatur: Vult Turrecremata omnes circonſtantias adhiberi ac aduocari, quibus illuſtrior reddatur ille locus, *Paſce oues meas*: Speciatim monet ſpectandum eſſe Chriſtum præſentibus aliis Apoſtolis, nulla de illis mentione facta, ſoli Petro indefinitè curam gregis ſui commiſiſſe, & Spalatenſis eum loco ceſſiſſe, ac manus dediſſe prædicat. Hoc eſt ſibi fingit eum admiſiſſe nihil ſingulare Petro tributum illis verbis, *Paſce oues meas*: Ita ne verò homo tam Monarchicus, hoc telum eripi ſibi de manibus per ſummam ſocordiam paſſus ſit. *Non ex ſola Paſtoralis curæ commiſſione* eſt argumentatus; hoc ipſum fatemur: Ergo ex ea non eſt argumentatus? Num hic bellus eſt Sophiſta? Itáne ab excluſiua, vt loquuntur in Scholis, ad ſimplicem Categoricam ducitur in dialecticis argumentum? Ergo hæc habeat vt deſinat eſſe importunus. Chriſtus illis verbis, *Paſce oues meas*, Petrum Eccleſiæ ſuæ in vniuerſum præfecit, in eum vnum curam eius paſcendæ incumbere voluit, cùm eum vnum cæteris præſentibus ſit allocutus. In numero ouium ſunt Apoſtoli, atque in cœlis beato æuo fruentes graviter iam ferunt ſe ſacro iſto ouili excludi, ac ex illo albo expungi. Neque verò in locum Chriſti inducitur à nobis Petrus, niſi qui *vicariam ei operam & famulatum* præſtet, quique demandatam ſibi à Principe paſtorum prouinciam obeat. Sub ipſo Chriſto Apoſtolos omnes Paſtores cum Auguſtino agnoſcimus, ſed & cum eodem ſanctiſsimo Patre, Petrum eorundem Paſtorum Principem prædicamus. Et quod ille verba, *Paſce oues meas*, ad ipſos quoque Apoſtolos pertinere docet, nos quoque probamus, nam quæ ſunt Capiti tributa ad membra tam inſignia, adeóque dignitate proxima, omninò ſpectant: Et certè, *cùm ei dicitur, ad omnes dicitur, Amas me, Paſce oues meas*, vt præclarè ſcripſit Auguſtinus, ſed niſi ipſe reliquorũ

SPALAT. Num. 7.

August.lib. de agone Christiano c. 30. in Ps. 142. tract. 46. in Ioan. princeps esset, procul dubiò vni ei non diceretur; sed cùm ipse tanquam princeps & caput reliquos virtute complecteretur, omnes concessum imperium cum illo participarunt. Nimirum bono vnitatis factum putat Augustinus, vt vni Petro sit hæc cura ex nomine demandata. *Imo verò*, inquit, *& in ipso Petro vnitatem commendauit. Multi erant Apostoli, & vni dicitur, Pasce oues meas.*

Idem de Past. c. 13. Aug. cont. ep. Fund. cap. 4. Quare in fidei suæ probationem vnum Petrum, ac vnam Romanorum Episcoporum successionem, ad quos nimirum hæc verba proximè pertineant, proferre satis ducit contra Manichæos. *Multa sunt*, inquit, *quæ me in Ecclesia retinent: Tenet ab ipsa sede Petri, cui oues suas pascendas Dominus commendauit vsque ad præsentem Episcopatum succesßio Sacerdotum.* Etsi igitur Apostoli comparatione reliquorum fidelium pastores, tamen comparatione Christi, qui vices suas peculiari quodam fauore demandarit Petro oues sunt, quare vt eleganter ita verè censet Chrysostomus, Fratres ei suos hac oratione commendatos, *Pasce oues meas.* Etsi enim negat Spalatensis nomine fratrum, Apostolos intellexisse Chrysostomum, ac de reliquis fidelibus interpretatur, planum est vt eruditè probat Bellarminus de Apostolis omninò fuisse loquutum, cùm statim ab eo munere sibi iniuncto, de Ioanne sollicitus fuerit, ac à Domino quæsierit,

Hom. 87. in Ioan. Supra nu 6. Domine *Hic autem quid?* Propterea scilicet *in cursu exundantis orationis*, ad hunc lapidem impegisse facundissimum Patrem, criminatur Spalatensis, cui cùm id vnum constitutum sit veritatem vt funditùs tollat, mendaciis se recreat, vana mysteria consectatur, & tradita à Patribus dogmata grauissima, leuitatis facit plena ac futilitatis. *Primum*, inquit, *mysterium huius Christi actionis erit mysterium vnitatis Collegij Apostolici, ne ipsum collegium dissolueretur. Cùm enim Petrus solus ex duodecim Apostolis negasset Christum expressè, poterant reliqui illum meritò excludere, vitare, abiicere, & consequenter dissoluere vnitatẽ illam collegij Apostolici, cuius vinculum Christi institutione factus fuerat Petrus, vt explicatum est à nobis cum Hieronymo & Optato, capite præcedenti num. 20. 21. Explicat hoc mysterium satis fusè Optatus Mileuit. &c.*

Spalat. Num. 8.

Atqui Patres quos pro hac sententia citat, longè aliter explicant mysterium vnitatis, quàm sartam tectámque voluerit Christus his ad Petrum verbis, *Pasce oues meas*, docent enim Petrum impositum caput Ecclesiæ, vt cæteris non liceret ab eius se societate & communione quocunque prætextu subducere.

Optat. li. 2. Audiat Optatum; *Dubitare non potes scire te in vrbe Roma Petro primo Cathedram Episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium Apostolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus est: in quo vna Cathedra, vnitas ab omnibus seruaretur, ne cæteri Apostoli singulas sibi quisque defenderent, vt iam schismaticus & peccator esset, qui contra singularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica quæ est prima de dotibus sedit prior Petrus.* Quod igitur posterioribus libris contra Donatistas vrget lapsum Petri nihil offecisse summæ Petri dignitati, præcedentium quædam est confirmatio. Eo loci enim agit Optatus causam Episcoporum Catholicorum, quos veluti traditores traducerent Donatistæ, hoc est, quos timore tormentorum adductos libros sacros tradidisse hostibus Christiani nominis, qui eos flammis abolendos commisissent, criminarentur, nec obstinatissimis hæreticis iustam causam esse cur siue veri siue ficti criminis odio vnitatem scinderent ostendit. Exemplo Petri, cuius cùm extaret grauissimum crimen in Christum admissum, tamen neque ab ipso Christo, neque ab Apostolis esset repudiatus. Sic igitur argumentatur Optatus. Non excidit

lib. 7.

Petrus

Petrus dignitate ſua, ſed caput eſſe Apoſtolorum (ita enim illum indigitat) perſeuerauit etiam poſt admiſſum ſcelus, quo grauius non fuerit crimen eorum quos traducitis etiamſi ſacrilegium admiſſum concedatur. Quid eſt igitur quod vos Donatiſtæ Catholicos premitis & inſectamini, quaſi horum communione polluantur, ac contaminentur? An polluit collegium Apoſtolorum negator Domini Petrus, quem conſtat non ſolùm veniam conſecutum, ſed & in priori gradu retentum à Chriſto? Annon eò priori dignitati reddito, Apoſtolis omnem ſubmurmurandi occaſionem ademit Chriſtus? Verba Optati ſunt, *Vnitatem ipſum Chriſtum videmus præpoſuiſſe vindictæ ſuæ, qui magis omnes diſcipulos ſuos voluit in vno eſſe, quàm quod offenſus fuerat vindicare, dum nollet ſe negare, promiſit ſe apud Patrem negaturum eſſe, qui ſe negaret apud homines. Et cùm hæc ita ſcripta ſunt, tamen bono vnitatis Beatus Petrus, cui ſatis erat ſi poſtquam negauit, ſolam veniã conſequeretur, & præferri Apoſtolis omnibus meruit, & claues regni cælorũ cõmunicandas cæteris ſolus accepit.* Et rurſus, *Apoſtoli cæteri bono vnitatis per charitatẽ noluerunt à communione Petri recedere, eius ſcilicet, qui negauerat Chriſtũ. Quod ſi maior eſſet amor innocentiæ quàm vtilitas pacis & vnitatis, dicerent ſe non debere cõmunicare, vt ſupra dictum eſt, B. Petro, qui negauerat Magiſtrum & Dei filium Dominum: Poſſent non communicare, vt ſupra dictum eſt beatiſſimo Petro: poſſent contra illum recitare verba Chriſti, qui promiſerat ſe negaturum apud Patrem eum qui ſe coram hominibus denegaſſet.* Paulò pòſt, *Potuit vtique caput Apoſtolorum ita ſe gubernare, vt nihil incurreret quod doleret; ſed ideo in vno titulo eius multa videntur errata, vt poſſit oſtendi bono vnitatis omnia debere Deo ſeruari.* Non potuit illuſtrior locus pro authoritate Petri firmanda proferri. Primùm enim Optatus de perſona Petri, ex qua vnitatis retinendæ (ſunt hæc illius verba) vel faciendæ iuxta Euangelij lectionem ratio Sumatur, loqui ſe profitetur, itaque ad perſonam pertinere putat, quæ ſunt de Petro in Euangelio explicata: Bono vnitatis non ſolùm eum veniam conſecutum delicti, ſed & amplificationem honoris nactum vt præferri omnibus Apoſtolis meruerit; & regni cœlorum claues cæteris communicandas ſolus acceperit, prædicat. Cenſet ergo Petrum authoritate reliquis antecelluiſſe: Addit potuiſſe *Caput Apoſtolorum ita ſe gubernare, vt nihil incurreret quod doleret, ſed ideò in vno titulo eius multa videri errata, vt poſſit oſtendi bono vnitatis omnia debere ſeruari.* Poſtremò ſeruatæ illi dignitatis cauſam hanc aſſignat. *Intercluſa eſt malitiæ via, ne Apoſtoli animo licentiam iudicandi acciperent, & ſeuerè contemnerent eum qui negauerat Chriſtum, inter innocentes peccator accipit claues, vt vnitatis negotium firmaretur. Prouiſum eſt vt peccator aperiret innocentibus, ne innocentes claudant contra peccatores.* Vides igitur Petrum eius ſententia prælatum innocentibus Apoſtolis, & eo facto munitam aduerſus ſchiſmata Eccleſiæ vnitatem, cuius bono perſeuerarit Petrus, caput eſſe Apoſtolorum. Hinc ad finem libri gloriatur nil habere Donatiſtas, quo efficere poſſint mendacium eſſe *Cathedram Petri, & claues regni Cælorum à Chriſto conceſſas eſſe, vbi eſſet Catholicorum ſocietas.* Hæc vnitatis commendatio eſt ab Optato inducta; vt intollerabilem Donatiſtarum faſtum profligaret. Itaque eius ſententia ea vnitas caput depoſcit, cuius interuentu illæſa ac illibata perſeueret, in ſimili ſententia eſſe Auguſtinum illa produnt, quæ ſunt ſuprà à nobis explicata, *In ipſo Petro*, inquit, *vnitatem commendauit, multi erant Apoſtoli, & vni dicitur, Paſce oues meas.* Secundum myſterium profert Spalatenſis, quod ex Auguſtino ſe hauſiſſe prædicat, nimirum *propterea*

Optat. li. 7. cont. Parmen.

lib. de paſt. cap. 13. Spalat. Num. 9.

ſoli Petro ſeorſim paſturam committi, quia Petrus figura erat & typus omnium paſtorum, & totam Eccleſiam repræſentabat. Sed pridem monuimus Auguſtinum omnibus locis, quibus in Petro commendatam vnitatem, aut ipſum Petrum figuram fuiſſe Eccleſiæ, eius perſonam ſuſtinuiſſe, eius nomine claues accepiſſe ſcribit Primatum Petri commendaſſe, ac illuſtraſſe. Oſtendimus enim ſupra Auguſtinum iſta omnia ad primatum & Principatum Petri retuliſſe, ob quem perſonam ſuſtinuerit Eccleſiæ, ac propterea non eſt cur in his diutius immoremur. Satis ſit aduertiſſe mendacium eſſe ſplendidiſſimum, quod ille aſſerit, cenſuiſſe Auguſtinum *veniam negationis datam eſſe Petro illis verbis, Paſce oues meas*: Præceſſerat enim venia, vt ſtatim oſtendemus, & cùm hæc ei dicta ſunt, erat iam beneficio Chriſti omni ſcelere exemptus. Mirari verò ſubit, quî Petrũ *procuratorem* faciat *generalem Apoſtolorum, qui eorum nomine curam paſtoralem*
Num. 8. *acciperet*, cùm ſupra voluerit Chriſtum ei dixiſſe, *Paſce oues meas, ne alij eum à ſuo Collegio propter præcedens peccatum arcerent*; Ergóne eum procuratorem ſuum conſtituerant, de quo à ſuo cœtu eiiciendo cogitarent? Aut de eo repudiando ſtatuerent, quem ſuæ dignitatis procuratorem ſuum haberent? Quàm ſunt hæc ineptiarum plena. Reuertamur ad Auguſtinum, is proculdubio cùm vnitatem in Petro commendatam ſcriberet, Ambroſium ſequebatur Magiſtrũ ſui dogmatis: Nimirum vt eſt à nobis ſupra oſtenſum. Idcircò cùm Petro reliquos Apoſtolos & cum reliquis Petrum claues accepiſſe, cenſet magnus Pontifex, quod Petrus tanquam princeps ac caput reliquorum, communicandas eis claues, quæ eſt ſententia Optati, ſit conſecutus. Certè Ambroſius Petrum reliquis antelatum cenſet, cùm eſt ei à Chriſto dictum, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, eiuſque muneris dignitatem ad ſummum illum affectum quo Chriſtum proſequeretur refert. *Ideò*, inquit, *quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus*
Amb. li. 10. comment. in Luc. ad cap. 24. *antefertur*. Ac ſanè ipſius Ambroſij eſt ea diſtinctio de ouibus, & de ouiculis quam ſupra exagitabat Spalatenſis. *Tertiò*, inquit, *Dominus, non iam diligis me? ſed Amas me? interrogauit, & iam non Agnos, vt primò., quodam lacte paſcendos, ſed oues paſcere iubetur*; PERFECTIORES VT PERFECTIOR GVBERNARET; Quis hîc non videat Ambroſium totum eſſe in ornando Petro, ac eius priuilegiis recenſendis, quibus ſit omnibus antelatus? Proinde cùm Ambroſium imitatus ſit Auguſtinus, ac ſequatur, non eſt quod in eo hæreamus; conſentanea
SPALAT. Num. 10. ſcilicet magiſtri doctrinæ tradidit. Tertium myſterium in eo ponit Spalatenſis, quod dici poſſit, *Petro ſingulariter Chriſtum dicere, Paſce oues meas, hoc eſt Iſraëlitas, qui tunc ſoli erant Chriſti oues*; *vnde & dicebat, Non ſum miſſus niſi ad*
Matth. 10. *oues quæ perierunt domus Iſraël. Et Paulus ipſum Dominum vocat Miniſtrum*
15. Rom. 15. Ioan. 10. *Circumciſionis. Erant quidem & aliæ oues, nimirum Gentiles, ſed illæ nondum erant de ouili Chriſti. Volebat itaque Petrum inſtituere Apoſtolum præcipuè Iudæorum, nam deſignabat Paulum in præcipuum Apoſtolum gentium, iuxta illud: Qui operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt mihi & inter gentes. Et,*
Gal. 2. Ibid. Ibid. *Creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro Circumciſionis. Et Iacobus, Cephas & Ioannes qui videbantur columnæ eſſe, dextras dederunt mihi & Barnabæ Societatis; vt nos in Gentes, ipſi autem in Circumciſionem, &c. Non quod & Paulus non poſſet Iudæis annuntiare, quod & ſæpius præſtitit: & Petrus gentibus, quòd abundè & ipſe fecit, hæc enim erat communis poteſtas omnium & ſingulorũ Apoſtolorum, vt quod iam docui quiſque poſſet, vbicumque liberet, Euangelium prædicare: ſed quod præcipua Petri cura debuiſſet in Iudæos extendi, & in ipſos,*

quam-

Digitized by Google

quamdiu ſpes ipſorum conuerſionis aliqua ſupereſſet, exerceri; Pauli verò in Gentiles: Ideò Chriſtus Dominus ſicut ipſe non niſi Iudæis prædicauit, ita ad maiorem ipſorum confuſionem, poſt ipſius diſceſſum, primum & præcipuum Apoſtolorum ad ipſos præcipuè deſtinauit Petrum, dicens ei, Paſce oues meas. Quibus verbis ſolos ipſi Iudæos commendaſſe mihi videtur ex dictis probabiliſsimum: Neque video oppoſitionem vllam quæ alicuius ſit momenti; Si enim quis inferret, igitur Petrus non habuit poteſtatem in Gentiles; negarem illationem, illam enim æqualem habuit cum cæteris; ſi quidem etiam ipſi dictum fuit, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Et, Euntes docete omnes Gentes, &c. Quod verò interdum Patres aliqui dicant totius Eccleſiæ paſturam illis verbis contineri, non facit quominus etiam hæc interpretatio de ouibus domus Iſraël ſuam habebat probabilitatem, cùm non modò non repugnet ſacris ſcripturis, ſed etiam illis vel maximè conformetur. At noſtri Pariſienſes grauiſſimè de hoc Spalatenſis dogmate cenſent, *Hæc propoſitio*, inquiunt, *in verbo*, ſolos Iſraëlitas, *hæretica eſt, & ignorantiam craſsiſsimam authoris prodit.* Itaque nullum hic ſubeſt myſterium, ſed iudicio doctiſſimorum Patrum, craſſum mendacium ex authoris ignoratione profectum. Et quidem mendacium eſt ſpectatiſſimum ſolos Iſraëlitas tunc fuiſſe oues Chriſti eo ſenſu quo de ouibus ſuis eſt loquutus Chriſtus; Nam eadem ſignificatione eſt ab eo dictum, *Alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere.* Quo loco proculdubio de Gentilibus loquitur, quorum Magos Regis Meſſiæ incunabula adorantes, *primitias* fuiſſe, ſacri interpretes notant. Neque eorum ſententiam labefactat, quod opponit Spalatenſis Gentiles, nondum fuiſſe de ouili Chriſti: namque ſi de iis tantùm ouibus loquitur Chriſtus, quæ actu erant in ouili ſuo, quas oues commendauit Petro? Certè ſolos Apoſtolos, ac alios pauciſſimos fideles, qui ſoli iam in Chriſtum crederent. Et ita quidem cùm Apoſtolos gubernationi Petri ſubducere molitur, eis maximè Petrum caput imponit: iam verò ſi & eas oues complectitur, quæ poteſtate erant oues, Quemadmodum de Iudæis eſt pronunciatum, *Non ſum miſſus, niſi ad oues quæ perierunt domus Iſrael*, ita quoque de Gentibus eſt pronunciatum: *Alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere.* Et hîc rurſus noſtri Pariſienſes aduertunt Spalatenſem totum eſſe in imminuenda dignitate Petri, ac eius veluti odio exacerbatum ipſas euertere ac funditùs tollere Scripturas. Nam ſi hîc ſoli ſunt Iudæi curæ Petri commiſſi, detraxit aliquid priori dignitati Chriſtus, tantum abeſt vt auxerit: namque illis verbis, *Sicut miſit me Pater & ego mitto vos, &c.* vnà cum reliquis nactus erat poteſtatem prædicandi vbiuis gentium, Euangelij, hic verò ad ſolos Iudæos dirigitur: ergo eſt imminutus eius magiſtratus, & arctata ampliſſima poteſtas. Hæc ne aliquis ſcripſerit ſobrius? Ipſe Spalatenſis fatetur poteſtatem fuiſſe *datam Petro prædicandi Gentibus, & ineptè eius Apoſtolatum Iudæa definiri, ac circumſcribi.* Quid igitur tergiuerſatur, & illi ſolos Iudæos commendatos, comminiſcitur? Hoc eſt ineptire. Porrò quod attinet ad locum, *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierant domus Iſraël*, nodum ſoluit Auguſtinus, ac de præſentia corporali Chriſti eſt doctè interpretatus. SECVNDVM SPECIEM CORPORIS, *Non ſum miſſus*, inquit, *niſi ad oues quæ perierant domus Iſraël, quomodo habet alias ad quas non eſt miſſus, niſi quia ſignificauit per præſentiam corporalem non ſe miſſum*

Cenſura Pariſienſis.

Ioan. 10.

Aug. tract. 31. in fin.

exhibere niſi ſolis Iudæis, qui viderunt & occiderunt, & multi tamen inde, & antea, & poſtea crediderunt? Itaque ſententia Auguſtini Chriſtus miſſus non erat, vt præſentiam, conuictum familiarem, miracula, & ſigna, aliis quàm ouibus Iſraël exhiberet; erat miſſus etiam ad Gentiles, vt eos ſanguine ſuo redimeret, & per prædicationem Apoſtolorum ad ſuum ouile perduceret: *Non enim eſt diſtinctio Iudæi & Græci, nam idem Dominus omnium*, æquè pro omnibus mortuus eſt Chriſtus. At aliis teſtimoniis Scripturarum agit Spalatenſis. *Quare enim*, inquit, (*obſecro*) *Petrus ſuam primam ſcribit Epiſtolam electis aduenis diſperſionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Aſiæ & Bithyniæ, hoc eſt, Iudæis qui in Chriſtum crediderunt? Aduenas enim diſperſionis eoſdem intelligit, quos & Iacobus vbi ait, Iacobus duodecim tribubus quæ ſunt in diſperſione ſalutem.* Fateor non capio vim argumenti. *Petrus*, inquit, *ſcripſit Iudæis diſperſionis, qui in Chriſtum crediderant.* Ergo cùm ei dictum eſt, *Paſce oues meas*, Iudæos intellexit Chriſtus. Componat Syllogiſmum pari forma; Paulus egregiam epiſtolam ad Hebræos ſcripſit, Iacobus quoque duodecim tribubus *quæ eſſent in diſperſione ſuam ſcripſit, ergo Paulus & Iacobus paſtores fuerunt Iudæorum.* Et gentium & Iudæorum, mi Antoni, Apoſtoli fuerunt, & prius illud præceptum, *In viam gentium ne abieritis*, poſteà ſoluit ac obliterauit Chriſtus his verbis, *Euntes in mundum vniuerſum, &c.* Sed in conuertendis Iudæis ſuam operam impenſiſſimè ponebant Apoſtoli, tum quod fratres eſſent eodem parente Abrahamo ſati, quo ſenſu dixit Paulus, quanquam Gentiũ Apoſtolus ſe optaſſe *Anathema eſſe à Chriſto pro fratribus*: tum quod eorum opera ad gentes adducendas etiamnum vterentur: Ad eos enim vbiuis gentium diſperſos primùm ſe recipiebant, & ſi morigeros nanciſcebantur in partem miniſterij vocabant, quod ſcripturarum præſidio inſtructi eſſent, & ipſi conuertendis gentibus operam nauarent non pœnitendam, ſed par erat impoſitum illis præceptum de vtroque populo in ouile Chriſti cogendo. Pergit aduerſarius: *Nonne ipſemet Petrus ſuas præcipuè partes eſſe ſatis apertè innuit, vt Euangelium Iudæis prædicaret, & hanc præcipuam ſuam vocationem eſſe verbo & factis confirmat? Verbo quidem dum ait: Vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam. Et poſteà tantoperè laborat in ſe excuſando iis qui diſceptabant aduerſus illum, qui erant ex circunciſione dicentes: Quare introiſti ad viros præputium habentes? Incipiens autem Petrus exponebat illis ordinem dicens: Ego eram in ciuitate Ioppæ orans, &c.* Nunquam videre mihi hominem contigit qui impudentius importunas ſuas merces obtruderet. Petrus cùm contra priuatum ſenſum ex Domini præcepto ad Cornelium Centurionem Romanum & gentilem ſeſe contuliſſet, impoſitum ſibi ab Angelo munus prædicat, ſcrupulum profert Iudæorum quibus religio eſſet *coniungi aut accedere ad alienigenam*, id ſibi impedimento non fuiſſe, ne accederet vrgẽte Dei præcepto ſignificat: ergo Petrus ſuas eſſe partes innuit Iudæis prædicare, ac ſe Iudæorum Apoſtolum prodere. O acutum dialecticum! Ex communi religione Iudæorum argumentatur Petrus, imò definitè de prædicatione non loquitur, ſed de quocunque familiariori conuictu, & vult Spalat. eum ex ſui priuati Apoſtolatus ratione texere argumentũ, quàm eſt argutus! Dicat verò, nonne de omnibus in vniuerſum Iudæis dixit Petrus, *abominatum eſt viro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam*? Vnde igitur habet, vnde colligit, hic ſe Iudæorum Apoſtolum prodere? Deinde, *Petrus cùm excuſat ſe iis qui erant de*

1. Pet. 1.

Iacob 1.

Rom. 9.

Act. 10.

Act. 11.

de circumciſione quod ad viros præputium habentes introiſſet; tum, inquit, *Iudæorum* ſe Apoſtolum prodit; ô mirum acumen? Quaſi verò eam excuſationem non adornaſſet Petrus, vt ſcandalum Iudæorum amoueret, animóſque eorum molliret, qui grande nefas ab eo admiſſum crederent? Nitebantur certè illi communi religione Iudæorum, neque aliquid de priuato Apoſtolatu Petri cogitabant; vtrobique igitur & cùm apud Cornelium de ſua ad eum profectione præfaretur, & cum apud Iudæos ſe purgaret, quod *ad viros præputium habentes introiſſet*, hoc omninò ſibi voluit ſe cùm Iudæus eſſet, inſita gentili religione Gentium congreſſum deuitaturum fuiſſe, niſi cœleſti oraculo edoctus eſſet, vt quod Deus ſanctificaſſet ipſe commune non diceret. Somnia ergo ſunt quæ de priuato Iudæorum Apoſtolatu comminiſcitur Spalatenſis. Et certè accuſabatur Petrus, non quod cùm Iudæorum Apoſtolus eſſet à Chriſto conſtitutus, ſed quod cùm eſſet Iudæus, ſpreta patria religione, familiarius egiſſet cum Ethnicis quam ferrent inſtituta Gentis. Gregorius eam Petri propugnationem, humilitatis fuiſſe contendit; Spalatenſis timorem opprobrat magno Apoſtolo, vtri credemus? Verba Gregorij ſunt; *Certè Petrus poteſtatem regni Cæleſtis acceperat, vt quæcunque in terra ligaret, vel ſolueret, eſſent in cælo ligata vel ſoluta, ſupra mare ambulauit; ægrotantes vmbra curabat, peccantes verbo occidebat, mortuos oratione ſuſcitabat: & quia ex admonitione Spiritus ad Cornelium gentilem fuerat ingreſſus, contra eum quæſtio à fidelibus facta eſt, cur ad gentiles intraſſet & comediſſet cum eis, & cur eos in baptiſmate ſuſcepiſſet, &c. Et poſt pauca: Si enim cùm à fidelibus culparetur, authoritatem quam in ſancta Eccleſia acceperat attendiſſet, reſpondere poterat, vt Paſtorem ſuum oues quæ ei commiſſæ fuerant, reprehendere non auderent: (reprehendebatur verò à Iudæis conuerſis qui erant propriæ ipſius oues) Sed ſi in querela fidelium aliquid de ſua poteſtate diceret, profectò doctor manſuetudinis non fuiſſet. Humili ergo eos ratione placauit, atque in cauſa reprehenſionis ſuæ etiam teſtes exhibuit dicens: Venerunt autem mecum ſex fratres iſti. Si ergo Paſtor Eccleſiæ Apoſtolorum Princeps ſigna, & miracula ſingulariter faciens non dedignatus eſt in cauſa reprehenſionis ſuæ rationem humiliter reddere: quantò magis nos peccatores, cùm de re aliqua reprehendimur, reprehenſores noſtros ratione humili placare debemus?* Vides magnum Pontificem commendantem Petri ſummam humilitatem, qui vt ſe doctorem manſuetudinis exhiberet, purgare ſe voluerit apud inferiores: Sed demus timoris non humilitatis fuiſſe eam purgationem, quid habet Spalatenſis, quod in eo timore ſummi Apoſtoli reprehendat? Timuit ne puſillos offenderet, *ne periret infirmus in eius ſcientia frater pro quo Chriſtus mortuus eſt, ne cæco offendiculum poneret.* Quis ſempiternum laudis teſtimonium tam inſigni charitati dare recuſet? An num Chriſti verba ſunt? *Videte ne ſcandalizetis vnum ex his puſillis, qui ſcandalizauerit vnum ex puſillis iſtis, expedit ei, vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à ſcandalis. Neceſſe eſt enim, vt veniant ſcandala, verumtamen væ homini illi per quem ſcandalum venit.* Præterea duplex eſt hic error Spalatenſis: Primùm enim, *illi parùm videtur laudabilis illa humilitas, vt ſuperior rationem reddat ſuis inferioribus etiam benè & prudenter factorum*, & Gratianum aduocat teſtem: ſed nihil eum iuuat Gratianus: Verba eius ſunt, *Petrus poteſtatem regni acceperat, & tamen idem Apoſtolorum primus querimoniæ contra eum à fidelibus factæ, cùm ad gentes intraſſet,*

Greg. lib. 9. ep. 39. in dic. 4.

Rom. 14. 1. Cor. 8. Leuit. 19. cap. 14.

Matth. 18.

Num. 10. 1. q. 7. c. Petrus.

non ex poteſtate officij, quà poſſet dicere oues paſtorem ſuum non accuſent, nec reprehendant, ſed ex ratione diuinæ virtutis quà gentiles acceperant, Spiritum ſanctum reſpondit. Et certè quidem ſi benè aduertiſſet Spalatenſis, ſunt iſta ex ea ipſa Epiſtola Gregorij ſumpta[1], quam ſuperius adduxit, ſed procorum Penelopes inſtar pro hera ancillam iniit, ac gloſſam textus loco habuit: cùm ne quidem gloſſa ipſa illi faueat. Habemus enim Chriſtum ipſum, Paſtorem paſtorum in Euangelio apud Iudæos ſæpius ſe purgantem, tum vt calumniatoribus ſuis ora obſtrueret, tum vt puſillis ſatisfaceret: quo facto oſtendit, quanquam *prudenter factorum non ſemper ex officio rationem inferioribus reddere teneantur ſuperiores*, poſſe tamen *ex charitate* illis ſatisfacere. De Cypriani loco poſterius videbimus. Alter error eſt Spalatenſis, quod hanc purgationem Petri, *eius Apoſtolatui qui Iudæos propriè amplecteretur*, tribuat, cùm tamen eius rei ne gry quidem in Scripturis habeatur. Certè cùm Paulus Petrum Iudaizantem reprehenderet, non ei Apoſtolatum quem inter Iudæos gereret, ſed ipſum Iudæi nomen obiecit: *Si tu*, inquit, *Iudæus cùm ſis* (non ait cùm Iudæorum ſis Apoſtolus, quod aliquantò plus ponderis haberet) *gentiliter viuis, & non iudaicè, quomodo gentes cogis iudaizare?* Quod ſi quorum quis offenſionem metuat, horum proprium eſſe Apoſtolum argumentetur Spalatenſis, habemus iam & ipſum Paulum Iudæorum Apoſtolum, namque, *Timotheum*, iam antè Chriſtianum, *apprehendens circumcidit propter Iudæos qui erant in illis locis.* Ac rurſus, *Aſſumptis viris qui votum habebant ſuper ſe, ſanctificauit ſe cum illis, & impendit in illis, vt raderent capita ſua*; nimirum vt Iudæorum animos leniret, oſtenderétque non ſe diſceſſionem à Moyſe moliri. Somnia ſunt igitur quæ profert Spalatenſis. Neque verò ex eo quod *Paulus Gentium vocatur Apoſtolus*, ſola Iudæa Petro relinquitur, & peſſima fide Gregorium Nazianzenum pro hac inepta ſententia teſtem citat. Nazianzenus cùm quæ ſibi ab Arrianis obiicerentur dilueret, inter cætera *peregrinum ſe & exterum præconem* dictum conqueritur ab his, qui nimium circumſcripti & carni addicti eſſent. Vt iniuriam propulſet, vrget peregrinos fuiſſe Apoſtolos & multarum vrbium, ac ciuitatum hoſpites in quas diuiſi eſſent. Hoc cùm probaret; *Sit ſanè*, inquit, *Petri Iudæa, quid Paulo cum Gentibus commune?* Non igitur Apoſtolatum definit Petri, ſed eius Patriam explicat, aliàs & Pauli Apoſtolatui gentes detraheret. *Quid Paulo*, inquit, *cum gentibus commune?* Porrò tum ille, tum Ambroſius, tum reliqui etiam Patres Petro Iudæam aſcribunt, Paulo Gentium oras ac ipſam vniuerſitatem, quòd nimirum præcipuus labor Petri in Iudæis ad fidem contrahendis fuerit, Paulus verò conuertendis ſe gentibus totum dederit. Quòd igitur ſingulari quodam Dei beneficio Petrus quidem in conuertendis Iudæis eximia quadam gratia polleret, in conuertendis vero Gentibus Paulus emineret, ac aliquanto fœliciorem operam poneret, ille Iudæorum, hic gentium ſcribitur Apoſtolus. Nimirum Spiritus ſancti peculiares dotes his titulis celebrantur, quibus effulſerunt ſummi Apoſtoli in diuerſas mundi oras dimiſſi. Cæterùm & Petrum in Gentibus ex Apoſtolatus officio laboraſſe tam eſt omnibus Scripturas legentibus obuium, vt in eo probando operam ponere ſit planè ſuperfluum.

Ioan. 6. Matth. 15. & alibi paſſim.

Gal. 2.

Act. 16. Act. 18.

Greg. Naz. orat. 24. adu. Arr.

Act. 9. Act. 26. Rom. 1. 11. 15. 16. Gal. 1. Eph. 3. 1. Tim. 2. 2. Tim. 1. & 4.

SPALAT. Num. 11. Quartam explicationem venditat Spalat. *Cur Chriſtus ſeorſim dixerit Petro, Paſce oues meas, Vt*, inquit, *eidem Petro, & quaſi ſatisfactionẽ iniungeret erroris*

trinæ

trinæ negationis; & ſimul etiam eidem animos adderet, ne ſuis fædis negationibus nimium confuſus, in barathrum deſperationis laberetur. Cùm verò tantus lapſus nullum alium ex Apoſtolis notaret, niſi ſolum Petrum; *quaſi ad ipſius curationem bonus medicus accedens, cum eo ſeorſim loquitur, & trinam ardentiſſimi in Chriſtum amoris confeſſionem voluit elicere, qua trinæ deleret ille notam, & infamiam negationis: vt paſſim* Patres *obſeruarunt*. Itáne verò, cùm huius deſperationis non venerit vlli Sanctorum Patrum in mentem, ille hic eius aculeos, & timorem magno Apoſtolo, qui crimen lachrymis iam antè diluiſſet, affingere audet? Colligeteipſum, Marce Antoni, antequam diceret Chriſtus Petro, *Paſce oues meas*, multa alia præceſſerant quæ ad depellendam deſperationem cumulatiſſimè ſufficerent. Poſt admiſſum ſcelus benignioribus & humanioribus oculis reſpexerat Petrum Chriſtus, lachrymas veri doloris nuncias expreſſerat, & ipſe Petrus *egreſſus foras fleuerat amarè*, demum ſtatim à reſurrectione Petro ſoli, ac rurſus cum aliis agenti apparuerat Chriſtus, Pacem nunciarat, & vulnera oſtenderat, ac quod te maximè aduertere oportuit, iam antè erat ei cum pleniore Apoſtolatus munere poteſtatem remittendorum peccatorum impertitus his verbis, *Accipite Spiritum Sanctum, ſicut miſit me* Pater, *ita ego mitto vos*: quibus omnibus ita confirmatus, & recreatus fuit Petrus, vt cùm piſcantibus Apoſtolis ad littus ſe oſtendiſſet Chriſtus, miſerit ſe in mare ad eum celerius properaturus. Inhumanioris ergo, & durioris fuerit animi poſt hæc omnia eum in deſperationis barathrum incluſiſſe. At verò portenti ſimile ſit, *ſatisfactionem erroris & culpæ, paſtoralem curam intellexiſſe Chriſtum*: Non eſt illa ſatisfactio culpæ, ſed decus, ornamentum ac dignitas eius, cui demandatur. Et quidem hîc mirari ſubit, quî venerit ei in mentem Petrum deſperationis arceſſere, quem ſuperioribus myſteriis *procuratorem* fecerit *generalem Apoſtolorum*. Sed ea prætermiſſa deſperatione, te conuenio, Marce Antoni, & quæro abs te, num verum cenſeas quod ſuperius dixiſti, *Petrum nomine omnium Apoſtolorum tanquam procuratorem generalem illis verbis accepiſſe hanc dignitatem, ſeu curam paſtoralem*? Id ſi verum ſit, certè abſurditatis plenum eſt, *Petrum nomine Apoſtolorum pro errore trinæ negationis, tanquam procuratorem generalem eorum ſatisfeciſſe*. Neque enim illo crimine implicabantur. Non igitur illis verbis, *Paſce oues meas*, quibus illa poteſtas daretur moneri potuit, vt culpæ ſatisfaceret, ac iniuriam Domino illatam aut compenſaret, aut reſarciret.

Matth. 26.

At à ſe ſtare Patres Auguſtinum, Cyrillum, Nazianzenum & Chryſoſtomum clamat. Os igitur illi non aureum, ſed planè ferreum eſt. Verba Auguſtini ſunt, *Redditur negationi trinæ, trina confeßio, ne minus amori lingua ſeruiat, quàm timori: & plus vocis elicuiſſe videatur mors imminens, quàm vita præſens, ſit amoris officium paſcere Dominicum gregem; ſi fuit timoris indicium negare paſtorem*. Hic primùm nulla deſperationis mentio. Deinde Auguſtinus non in verbis, *Paſce oues meas*, ſed in verbis *diligis me plus his*, *Tu ſcis quia amo te*, compenſationem, & ſatisfactionem culpæ Petri ponit, *Redditur*, inquit, *negationi trinæ trina confeßio*, vt ſcilicet quod alio loco tribuitur Auguſtino, *trina Confeßione amoris, deleret trinam negationem timoris*: *Tertiò*, *Confiteatur per amorem, qui ter negauerat per timorem*. Itaque ea ſatisfactionis, & compenſationis impoſita conditio præceſſit demandatam ouium curam. Petrum ſcilicet amore ante flagrantem, *Domine*, enim inquit, *tu ſcis quia amo te*, digni-

Aug. tract. 123. in Ioan.

Serm. 43.

De vtilit. pœnit. c. 1. non eſt Auguſtini.

tate ſummi paſtoris ornatum voluit Chriſtus. Cyrillus, Nazianzenus, ac Chryſoſtomus idem cum Auguſtino ſentiunt; *Terna*, inquit Cyrillus, *confeßione Petri trinæ negationis delictum euacuatum eſt*: In trina ſcilicet confeſſione Petri totam Petri ſatisfactionem ponit. Nazianzenus quoque; *Ieſus Petrum ſuſcepit, ac per triplicem interrogationem & confeßionem triplicem abiurationem ſanauit.* Chryſoſtomus verò ne quidem in ſpeciem Spalatenſi fauet, *Si amas me*, inquit Chryſoſtomus, *fratrum curam ſuſcipias: & quam in omnibus dilectionem oſtendiſti, & qua delector, nunc oſtende; Et animam quam pro me poſiturum dixiſti, hanc pro ouibus meis trade.* Propterea etiam mollius rem tractaſſe addit Spalatenſis, *Hunc arbitror etiam fuiſſe Chryſoſtomi ſenſum; quando ſoluens quæſitum illud, cur, omißis aliis, Petro ſoli loquatur Dominus, Simon Ioannis, &c. Paſce oues meas: mollius rem tractans, ait; ſimul vt ei oſtenderet iam ſibi fiduciam habendam: tanquam enim negationis obliuiſceretur, fratrum curam ei committit; neque negationis meminit, neque exprobrat, tantùm dicit, ſi amas me, fratrum curam ſuſcipias. Item, quando dixit: Poſt lapſum enim illius denegationis, cui nullum malum poterit cõparari, priori eum reddidit Eccleſiæ, & totius orbis Eccleſiæ ſolicitudinem curamque commiſit: &, quod plus eſt, vltra omnes Apoſtolos erga Dominum eum oſtendit habere charitatem.* Cyrillus quoque, *Quoniam Petrus*, inquit, *ter in paßione negauit, nunc ab eo trina dilectionis Confeßio petitur, vt trina negatio æquali confeßionis numero compenſetur.* Acutè ergo & eruditè monet Becanus hæc tria diſtinguenda eſſe, trinam negationem Petri quæ eſt eius peccatum, trinam confeſſionem quæ ſatisfactio, & compenſatio eſt delicti, curam ouium quæ præmiũ eſt, & dignitas Eccleſiaſtica, nemo enim niſi imperitus, ac ſtolidus, curam ouiũ ac ſummam dignitatem quam quis ſit conſecutus, ſatisfactionẽ pro ſcelere dixerit. Addo firmum ex hac doctrina Patrum, non poſſe ab aduerſario duci argumentum: Neque enim litteralis eſt expoſitio eorum, qui trinam hanc Chriſti interrogationem, & trinam hanc Petri confeſſionem idcircò factam cenſent, vt trinæ negationi in procinctu paſſionis factæ, Petrus æquali cõfeſſionis numero ſatisfaceret, ſed planè moralis, allegorica, ac à litteræ ſenſu nonnihil exorbitans vt piã doctrinam ſtatuat, ad quam non dubito etiam reſpicere potuiſſe Chriſtum. Id ipſe Cyrillus ſatis innuit; Namque eam traditurus, *Altius quiddam*, inquit, *hæc oratio certè parturit*, apertè oſtendens ſe litteram præternotare velle, ac ſublimiorem quemdam ſenſum conſectari: Chryſoſtomus autem quem nullo iudicio protulit Spalat. cùm more ſuo in litteram adhæreſceret, eámque lumine genuinę interpretationis illuſtraret. *Ter*, inquit, *interrogat, & ſemper idem præcipit dicens, Paſce, vt demonſtret quanti ouium ſuarum curam faciat.*

Cyrill. in Ioan. l. 12. c. 64.

Greg. Naz. orat. 99. in ſancta lumina.

Chryſoſt. hom. 87. in Ioan.

Chryſoſt. hom. de Iona.

Cyrill. in Ioan. lib. 12. c. 64.

SPALAT. Num. 12.

Quintũ myſteriũ venatur Spal. *Quinta expoſitio*, inquit, *eſſe poteſt vt dicamus, propterea cum ſolo Petro Dominũ loqui, & ſeorſim ipſi paſturam ouiũ commendare, quia ex vndecim, ſicuti ipſe præcipuus erat, tot nominibus iam à nobis declaratis, ita præcipuam curam prædicationis ipſi cõmitti, qui maximè omnium, qui tunc aderant, debebat in ipſius Domini vinea laborare.* Atqui mi Antoni, qui Petro plus impoſitum laboris cenſeas, cur non eidem plus tributũ authoritatis fatearis; Vtrumque ſcilicet te docent, Leo, Gelaſius, Nicolaus & Lanfrancus à te citati. Retexamus illorum teſtimonia. *Cui*, inquit, *Leo, cùm præ cæteris ſoluendi, & ligandi poteſtas tradita ſit, paſcendarum tamen ouium cura ſpecialius mandata eſt. Ibidem, Sed huius muneris (prædicationis Euangelicæ) Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro*

Leo ep. 93. ad Vienn.

Petro Apoſtolorum omnium ſummo, principaliter collocaret. Item: Beato Apoſtolo Petro, inquit, ſupra cæteros, poſt regni claues, ouilis dominici cura demandatur. Leo ſer. 1. de Aſcen. *Gelaſius, Et qui,* (*Chriſtus*) *hoc faciendi, inquit, ſolus habuit poteſtatem, beato Petro principaliter mandat Apoſtolo, quodcunque ligaueris, &c. Item Nicolaus; Ipſum enim, inquit, cuius nos, licet immeriti, vicem ſuſcepimus principaliter, & ſpecialiter, vniuerſalis Eccleſiæ curam diuinitùs accepiſſe, etiam nobis tacentibus, credimus. Et ad Theodoram; Statuentes, inquit, pedes veſtros in Petra, ſuper quam Dominus principaliter ſuam conſtruere delegit Eccleſiam. Eodem modo loquitur Lanfrancus; Denique, inquit, ipſe Dominus honorificè alloquitur eam* (*ſedem Apoſtolicam*) *in Euangelio ſuo dicens; Tu es Petrus, &c. Et, Tibi dabo claues, &c. Quæ tametſi de paſtoribus ſanctæ Eccleſiæ dicta eſſe credantur, præcipuè tamen de Romana Eccleſia intelligenda eſſe ſacri Canones, & Pontificum decreta teſtantur.* Gelaſius in Commonitorio Nicol. ep. 8. tom. 3. Id. ep. 14. Lanfran. de Euch. cont. Beren. apud Baro. to. 11. anno 1059. nu. 17. Vides vt hi Patres aſſerant *præ cæteris* Apoſtolo Petro ouium curam commiſſam, *ſupra cæteros* eminuiſſe, ac cœleſtis regni claues, & ligandi ac ſoluendi poteſtatem *principaliter, & ſpecialiter*, vt loquuntur, ei mandatam fuiſſe, Et quid non? Inſigniter autem eos deprauat, quippe qui velit *illam præſtantiam Petri ac excellentiam in vno labore Petri*, quo certè Paulo inferior fuit, poſitam eſſe. Nihil ſcilicet eum mouent illa verba, *præ cæteris, ſupra cæteros* quæ ad laboris eminentiam inflectit. Atqui non ſignificarunt Patres præ cæteris, vel ſupra cæteros debuiſſe laborare, ſed illi *præ cæteris, & ſupra cæteros traditam eſſe poteſtatem ligandi, & ſoluendi, & demandatam curam Eccleſiæ:* Sed audiat Leonem eo ipſo loco quem profert in ſceleratum caput fulmina torquentem, ac vibrantem. *Petro*, inquit, *quiſquis principatum æſtimat denegandum, illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatem, ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ ſeipſum in inferna demergit.* Hoc ille impendentis capiti ſuo vltionis omen habeat. Interim apud ſe cogitet, & animo repetat, num illud *non ſit iuriſdictionem & principatum Petri aſſerere*, quod ille tamen malè aſſumere Monarchicos, quos vocat, deſperata quadam cauillandi libidine, impudenter contendit! Vult igitur hanc eſſe vim verborum Chriſti ad Petrum, *An me plus his diligis? Igitur & tu plus his paſce, & plus his labora.* Non verò illam quam vrgent Orthodoxi, quandoquidem tu Petre me his plus diligis, eſto ouium mearum ex ordine paſtor, qui cæteris legem ponas, & ſumma Eccleſiæ meæ gubernacula tractes. Atqui à Catholicis ſtant antiqui Patres, quos initio capitis protulimus, manet ergo eorum inuictum argumentum. Et quod ait aduerſarius; *Magis & minus non variare ſpeciem*, id quidem verum eſt, cùm magis & minus idem genus, & eandem formam conſequuntur, quod in habitu & diſpoſitione Philoſophi oſtendunt. At id verum non eſt, cùm in diuerſa genera includuntur, & à diſtinctis formis manant. Et vt verum ſit in Phyſicis non ſemper, in Ethicis, & moralibus obtinet. Ratio autem regiminis par non eſt in Petro, & in cæteris, ſed veluti genere morali diſtinguuntur, cùm alia ſit ratio capitis, alia membrorum. Simili argumento euicerit Regem ſereniſſimum non eſſe caput magnæ Britanniæ, quod nimirum iuxta ſuum illud *magis ac minus* ei cum regni proceribus ſit communis adminiſtratio regnorum, quibus tamen ſummo iure eum imperare voluerit Deus Optimus Maximus. Sed nimirum toto genere diſtinguitur poteſtas regia à poteſtate miniſtrorum. Fallitur autem ex eo maximè quod in Apoſtolis *ſolam prædicandi Euangelij authoritatem* attendat, nec conſideret aliam eſſe præterea regi- Eod. nu. 12.

minis ad cuius clauum assideat Petrus, & gubernacula summo quodam iure pertractet: itaque illa eius comparatio de eiusdem familiæ seruis, parum est ad rem, nisi illam familiam cogitet, *supra quam Dominus fidelem, & prudentem seruum constituerit*, & caput imposuerit, quod facit Chrysostomus loco ab eo adducto, ac perperam relato. Nos suprà facundissimi Patris veriorem sensum eruimus, ac protulimus; legat si lubet. Eodem respexit, posteriore loco quem citat. *Quid autem Petrus?* inquit ille, *Basis Ecclesiæ; ille vehemens amator Christi; ille sermone indoctus, & Rhetorum victor, ille imperitus qui tamen Philosophis obturauit os; ille qui Græcanicam sapientiam non aliter quàm aranearum telam dissoluit, qui terrarum orbem peragrauit; qui sagenam misit in mare, & piscatus est orbem?* Enumerat labores Petri, amorem erga Christum, reportatas de Philosophis victorias, & piscationem orbis. At vult eius qui basis esset Ecclesiæ hos fuisse labores & triumphos, quod si non attendit, aut certè dissimulat Spalatensis, liceat illi delirare.

Chrysost. hom. 4. de verb. Isa.

Spalat. Num. 13.

In tuto igitur sunt trophæa, monumenta ac triumphi Petri, neque ea ille quidem loco mouere potuit, tantùm abest vt euerterit ac funditùs sustulerit. Victoriam tamen in eo ponit, *quod verba, Pasce oues meas, diuersos sensus patiantur, & ad res diuersas inflectantur.* Vrget illud Iurisprudentum, *Textum qui plures habeat intellectus, non esse allegabilem*, sed videat ne omnia Christianæ religionis placita homo Atheõs euertat, cùm teste Augustino, scriptura penè vniuersa quatuor vt minimum admittat sensus. Sunt enim qui in litteram adhæreant; sunt qui altius quiddam spirent, sunt qui in moribus ac Tropologia excutienda versentur; Cùmque Apostolus quæ sunt de duobus Abrahæ filiis historicè dicta ad allegoriam trahat, illius iudicio probari non potuerit reipsa Abrahamum duos filios habuisse. Illi sanè exciderat ratio, cùm hæc scriberet, ac tam imprudenter profunderet. Ad rem igitur quod attinet; Respondemus varios illos sensus, non quidem quos ille per summam audaciam contra Patrum placita inuexerit, sed quos magna illa Ecclesiæ lumina ad pietatem illustrandam, & mentes hominum informandas cogitarunt, vno niti sensu literali, vt vocant, ac historico cuius vim nullæ allegoriæ infregerint.

Spalat. Num. 14.

Ita præclarè asserta est Ecclesiæ spiritualis Monarchia, & putida illa Spalatensis Aristocratia explosa. Annuere mihi ille videtur, facit enim quod facere solent qui in iudiciis causa ceciderunt: ad contumelias se conuertit, Senensem ac maximè magnum Annalium parentem vexat Baronium. Quod attinet ad Senensem, hominem traducit, quod *præter potestatem ordinis, & Apostolatus tertiam excogitarit, quæ instar regni esset*, & quod Hieronymum fecerit suæ sententiæ astipulatorem, qui nimirum dixerit, *Propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio.* Opponit, *Hieronymum non dicere Petrum fuisse institutum caput, vt ipse sua authoritate, & potestate supra cæteros, contentiones dirimeret, & schismata tolleret: sed Petrum caput esse institutum, vt inde vnitas collegij Apostolici à reliquis cognosceretur, atque ex tali vnitate se in vnitate corporis illius absque scissione, & schismate, conseruarent.* Hæc illius sunt commenta, de quibus ne quidem somnians ipse cogitarit Hieronymus. Discat verò ex epistola ad Damasum quo spectarit summus vir, cùm Petrum vnum Ecclesiæ impositum caput, cuius opera schismatum omnes depellerentur occasiones, describeret. Causa scribendæ Epistolæ fuit schisma Orientis, & Antiochenæ Cathedræ laceratio, quod ipse initio Epistolæ prodit. *Quoniam*, inquit, *vetusto*

Eod. num.

Oriens

Oriens inter ſe populorũ furore colliſus, &c. Quid igitur in his Orientis turbis vir tam pius, tam Orthodoxus cogitat? Cathedram Petri ſibi conſulendã ducit. *Ego,* inquit, *nullum primum* (melius præmium) *niſi Chriſtũ ſequens Beatitudini tuæ, id eſt, Cathedræ Petri communione cõſocior,* (en ſpectatam ab eo vnitatis rationem,) *ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio,* en agnitam poteſtatem. Vſum deſideras, en tibi in ſcrupulo de hypoſtaſibus. *Diſcernite ſi placet obſecro, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi iubetis.* Tanti ſcilicet facit ſucceſſoris Petri authoritatem, vt id amplexurum ſe, quòd ille præſcripſiſſet, profiteatur. An non ergo eius eſſe dirimere contentiones Eccleſiæ perſuaſum Hieronymo? At quem non mouerent poſtrema piiſſimi & afflictiſſimi Patris verba: *Obteſtor beatitudinem tuam per crucifixum mundi ſalutem, per homouſion Trinitatem, vt mihi epiſtolis tuis ſiue tacendarum, ſiue dicendarum hypoſtaſeon detur authoritas.* Ergo non otioſum fontem vnitatis ſpectauit Petrum, aut Petri ſucceſſores Hieronymus, ſed ſumma copia exuberantem, ac ſuæ poteſtatis riuos in vniuerſum orbem diſpertientem. Verùm itaque eſt, formandæ vnitati conſtitutum caput Petrum non ſolùm qui eam oſtenderet, ſed & qui præſenti authoritate ſchiſmatum ſeditioſos motus comprimeret, nec proinde Senenſis in explicando Hieronymo eſt hallucinatus. Quod attinet ad inuictiſſimum veritatis athletam, & propugnatorem Baronium exuiſſe omnẽ pudorem in viro grauiſſimo, & laudatiſſimo laceſſendo videtur importunus, ac flagitioſus iſte Antonius. Eum enim *veluti mente captum, ac delirum traducit, ambitus poſtulat, cæcitatis inſimulat,* quod acerrimum ſe Petri dignitatis aſſertorem præbuerit. Vno verbo eas contumelias profundit, quæ non niſi ab impuræ belluæ furore profligati ſſimorum quorumcumque furoribus inflammato, cogitari potuerint. Perge, mi Antoni, Perge, Romanam illam peſtem, ac Reipublicæ procellam tuum cognominem imitari. Baronij pij manes, quos tam acerbè ſollicitaſſe nulla ſit tibi religio, his tuis calumniis non mouentur. Atque cùm eius memoria apud omnes pios etiam antè efflоreret, efflоreſcit iam magis importuna iſta tua exagitatione, adeoque vt preſſa palma fit tua infeſtatione, valentior.

Hiero. Damaſ. ep. 57.

Spalat. Num. 15.

DISCVSSIO
NONI CAPITIS
LIBRI PRIMI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Propugnantur & à calumniis Spalatenſis vindicantur omnes prærogatiuæ Petri, quæ vel ex ſcripturis habentur, vel ex ſerie traditionis aſtruuntur, mutatio nominis: In Apoſtolorum enumeratione primus locus. Inceſſus ſuper aquas. Reuelatio. Firmitas Petræ. Tributi penſitatio. Nauis & piſcationes. Confirmatio fratrum. Apparitio Chriſti poſt reſurrectionem. Lotio pedum. Prædictio mortis Petri. Contentionis occaſio. Inſtructio pro omnibus. Interrogationes, & reſponſiones pro omnibus. Gladij ius. Vigilantia. Inſtructio de correptione fraterna. Matthiæ Apoſtolatus. Prima prædicatio. Primum miraculum. Percuſſio Ananiæ. Viſitatio Eccleſiarum. Gentium prima conuerſio. Publica oratio pro Petro. Præſidentia in Concilio. Viſitatio Pauli. Corinthiaca diſſenſio. Baptiſmus à Chriſto habitus, & Epiſcopatus. Dieclio Simonis Magi. Romana ſedes. Domine quò vadis. *Fundatio ſedium Patriarchalium. Feſtum Cathedræ. Nomen Petri in formatis. Cardinales à Turrecremata, Bellarminus, & Baronius vbique defenſi.*

SPALAT. Num. 1.

ENAVIGAVIMVS, Deo duce, ex tribus ſyrtibus: & quod fuit ſummum Dei erga Eccleſiam ſuam beneficium, nuſquam in ſcopulum Petroſum, viſibilis Monarchiæ Eccleſiaſticæ, ideo periculoſum impegimus. Nauigatio tamen nondum abſoluta eſt, & reſtant multi ſcopuli, qui nobis ſunt abſque vllo periculo prænauigandi; & ij quidem non amplius latentes, ſed ſatis prominentes; vt non niſi cæcus ad eos faciat naufragium: ij verò ſunt multæ Petri prærogatiuæ; quas neque ad promiſſionem, neque ad inſtitutionem Petri primatus, quicquam poſſe, fatetur Bellarminus; ſed ad confirmationem duntaxat dicti primatus, eas ſe afferre profitetur. Caietanus verò non niſi duobus locis Euangelicis de Petri primatu agi verè & propriè, Matth. 16. & Ioan. 21. aſſerebat. Quod ſi his locis primatus hic non probatur, vt ipſum non probari fusè docuimus, fruſtra alia afferuntur: ſed & illa iam conſideranda producamus. Prima igitur prærogatiua Petri, ſit mutatio nominis, quod ex Simone dictus fuerit à Chriſto Cephas; hoc eſt Petrus. Sed primatum hinc colligi nullum ſatis iam ſupra oſtendi; nam alijs etiam Chriſtus, & nomina, & cognomina mutauit, ſiue addidit. Et ſi quid præeminentiæ in Petro mutatio nominis poteſt indicare, nihil aliud ad ſummum indicabit, niſi Petrum fuiſſe inſignem Apoſtolum, imò etiam primum eo modo quo fuſiùs capite 5. declaraui. Quod ſi nominis Cephæ ſignificatum conſideremus, is ſiue ſit Petra Syriacè, ſiue caput Græcè, parum refert; nam Petra & fundamentum Eccleſiæ non minus fuerunt alij Apoſtoli, vt capite 6. diſputaui: Et caput Apoſtolorum fuit Petrus, quia primus erat ætate, vocatione, & dignitate; non authoritate & iuriſdictione; vt capite 5. eſt explicatum.

Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 17. Caiet. tract. de Rom. Pont. inſt. c. 1.

Ioan. 1. Sup. cap. 6. nu. 51.

FELICISSIMVM

FELICISSIMVM nauigationis curſum tenuiſſe ſe, ac propitio cœlo fluctus ſuperaſſe Piratæ arbitrantur, cùm populati ingentem ac opulentam nauim, & crudeliſſima ſtrage edita in inſulas ſuorum latrociniorum ſedes, nullo naufragio ſe receperunt. Archipirata Spalatenſis ſimiles iam agit triumphos, *Enauigaſſe ſe Deo duce ex tribus ſyrtibus, nec in ſcopulum Petroſum*, ſic os impudens ſpiritualem Eccleſiæ Monarchiam Chriſti ſpectabile imperium vocat, *ſummo Dei beneficio impegiſſe* gloriatur: Nimirum prædatoria illa vi, & animo ſpoliatam voluit Petri Nauim, & vt non perfecerit, perfeciſſe ſe homo vanus, & furioſus mentitur. Neque his contentus, belli vt ipſe putat reliquias perſequitur. *Phaleras* vocat, prærogatiuas Petri in Euangelium incluſas, vnde eas eruerint orthodoxi. Ad illas profligandas aggreditur, ſed infeliciſſimo, ac miſerrimo, vt videbitur, exitu. Vt ſummam hominis audaciam ac vanitatem retundamus & proteramus, primùm monendus eſt nobis lector in his prærogatiuis, quod ipſe vltrò agnoſcit, nó ponere Catholicos ſuæ cauſæ præſidium, ſed ornamenta agnoſcere, quibus hoc Eccleſiæ firmamentum veluti ſtellis diſtinguatur, ac efflореſcat. *Prima*, inquit, *prærogatiua Petri, ſit mutatio nominis, quod ex Simone dictus fuerit à Chriſto Cephas, hoc eſt Petrus. Sed primatum hinc colligi nullum ſatis iam ſupra oſtendi; nam alijs etiam Chriſtus & nomina & cognomina mutauit, ſiue addidit. Et ſi quid præeminentiæ in Petro mutatio nominis poteſt ĩndicare, nihil aliud ad ſummũ indicabit, niſi Petrum fuiſſe inſignem Apoſtolum, imò etiam primum, eo modo quo fuſius cap. 5. declaraui. Quod ſi nominis Cephæ ſignificatum conſideremus, is ſiue ſit Petra Syriacè, ſiue caput Græcè parum refert; nam Petra & Fundamentum Eccleſiæ non minus fuerunt alij Apoſtoli, vt cap. 6. diſputaui: Et caput Apoſtolorum fuit Petrus, quia primus erat ætate, vocatione & dignitate; non authoritate & iuriſdictione, vt cap. 5. eſt explicatum.* Valdè igitur eius iudicio otioſa fuit nominis mutatio, & tamen affectaſſe eam Chriſtum author nobis eſt Tertullianus, cuius verba non grauabor aſcribere: *Itaque*, inquit, *affectauit chariſſimo diſcipulorum* (Petro) *de figuris ſuis peculiariter nomen communicare.* Rem autem paulò antè ſic expreſſerat: *Mutat & nomen Petro de Simone; quia & creator Abrahæ, & Saræ, & Auſeæ nomina reformauit, hunc vocando Ieſum, illis ſyllabas adijciendo. Sed & cur Petrum? Si ob vigorem fidei, multæ materiæ ſolidæque nomen de ſuo accommodarent. An quia & Petra & lapis Chriſtus? ſi quidem & legimus poſitum eum in lapidem offendiculi, & in petram ſcandali. Omitto cætera. Itaque affectauit chariſſimo diſcipulorum, de figuris ſuis peculiariter nomen communicare, puto propriùs quàm de non ſuis.* Sed etſi hac noui nominis impoſitione nulla aut exigua facta eſt honoris, & poteſtatis acceſſio Petro, impoſuit ergo nobis Cyrillus, qui eximios honores ex ea collegerit. *Nec Simon*, inquit, *fore iam nomen ſibi, ſed Petrus docet, vocabulo ipſo commodè ſignificans, quod in eo tanquam in Petra lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.* Igitur haud rem exigui momenti putat Petrum mutatione nominis conſecutum, vt ei tanquam lapidi firmiſſimo tota Eccleſiaſtici ædificij moles imponeretur ſuſtinenda! *At*, inquit Spalatenſis, *alijs etiam Chriſtus & nomina & cognomina mutauit, ſiue addidit*; Filios Zebedæi credo intelligit, qui Boanerges, hoc eſt filij tonitrui à Chriſto dicti ſunt. Sed hęc ſunt ei expẽdenda. Primùm non fuiſſe hoc eorum nomen proprium, cùm vtrique tributum ſit; Deinde non tam nomen illud fuiſſe, quàm

Ioan. 1. Sup. c. 6. nu. 51.

Tertull. l. 4. contr. Marcion. c. 13.

Cyrill. li. 2. cap. 12. in Ioan. Καὶ Σίμων ἐκεῖνος ἐπὶ τῷ ὀνόματι τῆς πέτρας ἐσεσθαι συλλογίζεται. φερωνύμως γὰρ ἀπὸ τῆς πέτρας καταγόμενος Πέτρος, ἐπ' αὐτῷ δὴ μᾶλλον ἀνὰ τὸ αὐτοῦ διανοεῖται οἰκοδομεῖν ἐκκλησίαν.

eſt paſſim. *Dauid & populus qui cum eo erat*, inquit Scriptura, *Dauid, & ſexcenti viri qui cum eo erant, Michaël & Angeli eius, Iudas & qui cum eo erant.* Neque enim ex eadem ſcriptura probauerit Michaëlem, vel Dauidem, iure ætatis, aut vocationis his qui eis accenſeantur, antelatos fuiſſe. Sibi igitur ſomnia fingit. 1. Reg. 30. 4. 2. Mach. 8. 1. Apoc. 12. 7.

Tertia prærogatiua eſt, inquit Spalatenſis, *quod Petrus vnà cum Domino ſuper aquas ambulauit. Et poſt reſurrectionem ſe miſit in mare, & natando ad Ieſum venit. Allegorias hîc ex Bernardo affert Bellarminus pro Petri principatu. Sed iam toties diximus per ſenſus myſticos, & allegoricos nihil probari. Et actus hi Petri ſolum Petri feruorem propriè & proximè manifeſtant.* Ergo illi friget Bernardus feruentiſſimus pietatis aſſertor: non verebor tamen paucula eius verba attexere. *Gradiens*, inquit, *ſuper aquas vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit Petrus, qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet, ſi quidem aquæ multæ populi multi.* Addo hîc eximium quiddam Petro conceſſum, quod nulli ſanctorum contigerit vnquam agnoſcere reliquos Patres. Ambroſius quidem, ſeu potius Maximus Taurinenſis, niſi hic ex illo eſt mutuatus, cenſet maius hoc fuiſſe miraculum Petri ſupra aquas ambulantis, quàm filiorum Iſraël per mare rubrũ ſiccis itineribus incedentium. *Quanto*, inquit, *hic melius vbi ambulãte Petro, nec mutatur vnda, nec labitur, nec ſolidatur aqua, nec refugit, &c. Illic vt portaretur per mare populus Iſraël, meatum ſuum natura perdiderat, hîc portatur in aquis Petrus, & curſum ſuum fluenta non perdunt.* Chryſoſtomus verò, *Nam etſi mare*, inquit, *Moſes ſcidit, ſed Petrus ſuper maria deambulauit.* Quod tam magno miraculo tribuit, vt alibi ſcripſerit permiſiſſe Chriſtum eum ventis turbari, ac procellis exagitari, adeo vt timeret; ne ſcilicet reliqui Apoſtoli hæc futuræ poteſtatis indicia ei inuiderent. *Hinc*, inquit, *cæteri ſolamen conſecuti ſunt, nam ſi in duobus fratribus commoti fuerant, multò magis id moleſtè tuliſſent* (nempe vni Petro conceſſum, vt maris vndas pedibus calcaret) *nondum enim*, addit facundiſſimus Pater, *gratia ſpiritus roborati, facilè mouebantur, gratia verò accepta non tales nempe fuerunt*; παντα χῦ γὰρ τῶν πρωτείων ἀναχωροῦσι, & in concionibus eum anteponunt. Vides in hoc miraculo primatum ſubolfeciſſe Chryſoſtomum, qui aut ab ætate, aut vocatione Petri eſſe non poſſit. Sed ſit Topicum hoc argumentum ac probabile, ab eo vno haud ducimus præſidium.

Spalat. Num. 3. Bellar. ibid. cap. 19. Matth. 14. Ioan. 21. Bernar. l. 2. de Conſid. ad Eugen. Ambr. ſer. 47. habetur quoque inter ſer. Maxim. Taur. Chryſoſt. hom. 57. in Matth. Εἰ γὰρ ἡ θάλαττα ἔχειν Μωϋσῆς, ἀλλὰ Πέτρος ἐπὶ τῆς ὑγρᾶς ἐβάδισεν. Id. hom. 51.

Quarta prærogatiua Petri eſt, inquit ex Bellarmino Spalatenſis, *illa peculiaris reuelatio facta ſoli Petro. Nos verò ſatis oſtendimus Petrum in reuelatione, neque primum, neque ſolum fuiſſe priuilegiatum: nam prius Nathanaël confeſſus eſt Chriſtum filium Dei. Sed deprimit hanc confeßionem Bellarminus, quod fuerit confeßio filij Dei, eo ſenſu quo homines iuſti vocantur filij Dei: Petrum verò confeſſum filium Dei proprium & naturalem. Ego tamen Bellarmino dicenti, & non probanti filium Dei eo ſenſu intelligi in confeßione Nathanaëlis, non credam:* Atqui non eſt iſta ſententia priuata Bellarmini, ſed Chryſoſtomi, Theophylacti & Euthymij, quos ille duces ſequitur; *Etſi ijſdem verbis*, inquit Chryſoſtomus, *& Petrus & Nathanaël vſi ſint, non tamen idem ambo ſenſerunt:* (quid potuit clarius dici?) *ſed Petrus filium Dei tanquam verum Deum: Nathanaël tanquam hominem tantùm*

Spalat. Num. 4. Bellar. li. 1. de Rom. Pont. c. 19. Matth. 16. Sup. ca. 6. num. 31. & ſeqq. huius Ioan. 1. Chryſoſt. hom. 20. in Ioan. Οτι τὰ μὲν ῥήματα τὰ αὐτὰ ἐφθέγξαντο, καὶ ὁ Πέτρος, καὶ ὁ Ναθαναὴλ· οὐ μὴν τὰ αὐτὸν δὲ διανοήματα εἶπον. ἀλλ' ὁ μὲν Πέτρος ὁμολόγησεν υἱὸν τοῦ Θεοῦ, οὐ τὸν τυχόντα ἄνθρωπον ψιλὸν, καὶ ἐπὶ τοῦτο ἀνῆλθε, μᾶλλον δὲ ἕως τούτου τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀνήγαγε. τὸ δὲ, υἱὸς τοῦ Θεοῦ, ἐστὶν ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραὴλ. ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ υἱὸς, οὐ τὸν Ἰσραὴλ δὴ βασιλεὺς μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς οἰκουμένης ἁπάσης. ἐπὶ ἀπὸ τούτου τοῦτο δῆλον, ἀλλὰ ἐκ τῶν ἑξῆς. τῷ μὲν γὰρ Πέτρῳ, οὐδὲν ὕστερον προσέθηκεν ὁ Χριστὸς, ἀλλ' ὡς ἀποδεξάμενος αὐτοῦ τὸ πίστευμα. τὸ δὲ ἀκολούθως ἔφασαν, ἐπὶ τῇ ὁμολογίᾳ ἐκείνου· ἐκεῖνος δὲ οὐδὲν τοιοῦτον ἐπήνεσεν, ἀλλὰ καὶ ἐπετίμησεν. ὡς γὰ πολλοῦ τινος, καὶ τοῦ βλέπειν μέσου τῇ ὁμολογίᾳ λείποντος, τὰ λοιπὰ προσέθηκε. τί γάρ φησι;

confeſſus eſt, quod ex conſequentibus conſtat. Addit enim, Tu es Rex Iſraël, filius autem Dei non modò Iſraël, ſed vniuerſi terrarum orbis rex eſt. Quod etiam inde oſtenditur, quod Petro nihil amplius addidit Chriſtus, ſed tanquam perfecto in fide Eccleſiam ſuam eius teſtimonio ædificaturum pollicitus eſt; Nathanaël autem tanquam priori in parte deficienti ſubdidit. Videſne vt Chryſoſtomus nihilo ſecius quàm Bellarminus cenſeat confeſſionem Petri longè præſtare confeſſioni Nathanaëlis, & ab eo omnino diuerſam eſſe. Similia habet Theophylactus: *Nathanaël igitur*, inquit, *auditis illis ſentire cœpit magnitudinem Domini, quantum tunc poſſibile erat, & fatetur illum filium Dei, verumtamen quamuis filium Dei fateatur, non tamen ſicut Petrus. Nam Petrus quidem confeſſus filium Dei vt Deum verum, ideo & beatus prædicatur & Eccleſia Dei concreditur: Nathanaël verò vt hominem nudum quidem eum fatetur, gratia autem propter virtutem adoptatum in filium Dei: & hoc manifeſtum eſt ex eo quod ſubditur, Tu es ille Rex Iſraël: vides quod nondum venerat ad perfectam cognitionem veræ deitatis vnigeniti. Etenim quaſi amicum Dei, & quaſi regem Iſraël eum credit eſſe. Quod ſi eum verum Deum eſſet confeſſus, non dixiſſet eum regem Iſraël, ſed regem vniuerſi.* Itaque Chryſoſtomo imponit Spalatenſis, dum eum contra venientem inducit, aſſerit quidem Nathanaëlem amplexatum eſſe fidem de filio Dei rege Iſraël, ſed teſtimonium aut vim confeſſionis Petri illi non tribuit. Auguſtinum eadem fraude deprauat, cùm idem voluerit quod reliqui, *Nathanaël*, inquit Auguſtinus, *talem vocem protulit, Tu es filius Dei viui, Tu es Rex Iſraël, qualem tanto poſt Petrus, quando ei Dominus ait, Beatus es Simon Bariona, &c.* Hic talem vocem dicit Auguſtinus, ſed tali ſenſu non dicit Auguſtinus; atque ſi eius ſunt qui illius nomine circunferuntur ſermones, quibuſque ipſe Spalatenſis ſæpè abutitur Petrum omnino præfert, non vni Nathanaëli, ſed omnibus in vniuerſum Apoſtolis. *Hic eſt Petrus*, inquit, *qui diuina reuelatione prior eam vnitatem meruit confiteri dicens, Tu es Chriſtus filius Dei.* Sed hæc ſunt ſuprà à nobis vberiùs tractata.

Theoph. in c. 1. Ioan.

Παλιν εἰ καὶ ἐξ ἀποκαλύψεως ἔμαθε τὴν θεότητα τοῦ Κυρίου, ἀλλ' οὐχ ὡς ὁ Πέτρος. ὁ μὲν γὰρ Πέτρος υἱὸν θεοῦ αὐτὸν ὁμολογεῖ, ὡς θεὸν ἀληθῆ, διὸ καὶ μακαρίζεται, καὶ πᾶσι τοῖς ἐκλεκτοῖς πιστεύεται· ὁ δὲ Ναθαναὴλ ὡς ἄνθρωπον ψιλὸν αὐτὸν ὁμολογήσας, χάριτι δὲ καὶ ἀξιώματι θεοποιηθέντα τοῦ θεοῦ, καὶ οὕτω δηλονότι ἐκ τῆς ὑπαγορεύσεως, σὺ εἶ ὁ βασιλεὺς τοῦ Ἰσραήλ, &c.

Aug. tract. 7. in Ioan.

Ser. 124. de Temp.

SPALAT. Num. 5. Bellar. ibid. cap. 19. Matth. 16. Orig. tract. 1. in Matth.

Quinta prærogatiua, addit Spalatenſis, *vbi dicitur; Et portæ inferi non præualebunt aduerſus eam. Promittitur enim perpetua ſtabilitas, inquit Bellarminus, non ſolùm Eccleſiæ vniuerſæ; ſed etiam Petræ, qui erat Petrus.* Quid igitur contrà Marcus Antonius? *Origenes quidem*, inquit, *fatetur ſtabilitatem promitti, & Eccleſiæ ſuper Petram fundatæ; & ipſi Petræ ſuper quam Eccleſia fundatur: Sed non dicit Petram eſſe Petrum.* Nimirum Origenem nobis profert allegoriis, quibus modò nihil probari dicebat ludentem, nec videt iis locis quibus ſeriò agit Petrum Petram Eccleſiæ illi haberi. *Vides*, inquit, *magno illi Eccleſiæ fundamento, & Petræ ſolidiſſimæ* (arrigat aures) *ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam quid dicatur à Domino.* Valdè igitur bardus ſit qui hoc neget. Locum Auguſtini illi antea eripuimus, reſponſionem ex ſuperioribus petat.

In ep. ad Rom.

SPALAT. Num. 6. Bellar. ibid. c. 10. & Bar. to. 1. an. 33. nu. 32. Matth. 17.

Sexta prærogatiua vbi Dominus iubet ſolui tributum pro ſe, & Petro, illum ſumens, ait Chriſtus, da eis pro me & te. Hic tamen locus, inquit Spalatenſis, *vix topicum præbet argumentum Petri principatus confirmandi: ſufficit enim quicunque Petri primatus, vt quod eſſet propter ætatem & primatum vocationis, veluti caput & procurator generalis cæterorum Apoſtolorum.* Videamus igitur num hæc quoque ſit Patrum, qui hunc locum explicarunt ſententia. Certè conſtans

eſt eorum doctrina, Chriſtum pro ſolo Petro, ac ſeipſo, non verò pro aliis Apoſtolis voluiſſe tributum, nempe ſtaterem, ſeu didrachmum ſolui, quod Petrum familiæ ſuæ, hoc eſt tum collegio Apoſtolorum, tum etiam Eccleſiæ principem impoſuiſſet, ac caput conſtituiſſet. Ita author quæſtionum noui & veteris Teſtamenti, qui certè non eſt Auguſtinus, licèt fortaſsè Auguſtino antiquior. Verba eius ſunt: *Saluator cùm pro ſe, & Petro dare iubet didrachma, pro omnibus ſoluiſſe videtur, quia ſicut in Saluatore erant omnes cauſæ Magiſterij, ita & poſt Saluatorem in Petro omnes continentur, ipſum enim conſtituit caput eorum, vt eſſet paſtor gregis dominici.* Quæſt. 75. Nihil illuſtrius, aut clarius dici potuit. Tergiuerſatur tamen Spalatenſis, ac primùm recocta crambe nos excruciat, atque authorem illum quiſquis ſit contendit nihil aliud voluiſſe, *quàm Petrum fuiſſe caput, id eſt primum, & quaſi procuratorem, ac repræſentatorem cæterorum.* Terrendis nobis crederes hæc portenta inducta; Cui ergo Patrum vnquam venit in mentem huius procurationis? Certè illa Petri cum Chriſto collatio, in cauſis Magiſterij, maius aliquid ſonat. *Sicut*, inquit, *in Saluatore erant omnes cauſæ Magiſterij, ita & in Petro poſt Saluatorem omnes continentur.* Propterea certè faſtidit eum Spalatenſis, & magna contentione eiicit. *Si*, inquit, *propriè intellexit Petrum* (id nimirum eum illi facit inuiſum) *ſolum fuiſſe dominici gregis, & præſertim cæterorum Apoſtolorum paſtorem, valeat. Nam contra ſcripturam, & Patres, nemo audiendus.* Benè iſtud *contra ſcripturam, & Patres, nemo audiendus*; atqui & ſcriptura, & Patres hoc ipſum docent: Quod attinet namque ad ſcripturam; An Matthæus citra aliquem ſenſum dignitatis Petri, docet Chriſtum rogatum, vt tanquam Pater familias didrachma ſolueret, mandaſſe Petro vt capto piſce, aperiret os eius, & ſtaterem quem inibi reperiſſet tolleret? *Illum*, ait Chriſtus, *ſumens da eis pro me & te.* Cur non addidit, & pro ſociis ac collegis tuis? Chryſoſtomus certè quem mutilum exhibet aduerſarius. *Vidiſti*, inquit, *honoris excellentiam.* Chryſoſt. hom. 59. in Matth. Ac ibidem, vt ſupra monuimus, indicat Marcum Petri diſcipulum, egregium hanc Petri laudem præteriiſſe, ne magnifica de Magiſtro diceret, idque Petri modeſtiæ deputat. Ipſe Spalatenſis honore auget; Petrum, cùm pro Eccleſia ſoluiſſe eum ex Auguſtino contendit. Id enim pro Eccleſia præſtitit *propter primatum, quem in diſcipulis habuit, & quia tanquam caput vniuerſi corporis figuram gerebat.* Certè eò loci inter Petrum, & Chriſtum non diſtinguit Auguſtinus. *Quid eſt*, inquit, *pro me & te? Ipſe Chriſtus Petrus, Eccleſia Chriſti, Eccleſiæ quatuor Euangelia.* Aug. ſer. 6. de verb. Apoſt. Porrò Hieronymus ex Chriſti facto colligit Apoſtolos, excellentiam & præſtantiam Petri ſubodoratos: *Quia*, inquit Hieronymus, *viderant pro Petro & Domino, idem tributum redditum; ex æqualitate pretij, arbitrati ſunt omnibus Apoſtolis Petrum eſſe prælatum, qui in redditione tributi Domino fuerat comparatus; ideo interrogant quis maior ſit in regno cælorum?* Hieron. ad c. 18. Matth. Neque verò obſtat quod vrget Spalatenſis ſtatim addidiſſe Hieronymum; *Videns autem Ieſus cogitationes eorum, & cauſas erroris intelligens, vult deſiderium gloriæ, humilitatis contentione ſanare.* Error enim diſcipulorum in materia prælationis Petri haud quaquam accipiendus eſt, ſed in deſiderio gloriæ, quo contra Petrum exarſerint. Id optimè explicat Hieronymus; *Cauſas erroris intelligens, &c. voluit deſiderium gloriæ humilitatis contentione ſanare, & propterea aduocans paruulum ſtatuit eum in medio eorum.* Certè non ſemel Apoſtolos hoc gloriæ deſiderio abreptos, vt

Εἶδες τὸ ἀκρο-θίνιον τῆς τιμῆς.

Εἶπεν δὲ καὶ αὐτὸς πρωτότοκος ὢν.

etiam Petro primatum quem ex multis indiciis collegiſſe ſibi viderentur, inuiderent; docet ſcriptura. Nam vt omittam ſubortam ſtatim à transfiguratione contentionem, dum Capharnaum proficiſcerentur, conſtat filios Zebedæi, qui aliquanto Chriſto cæteris cariores viderentur, ambitionis ardore titillatos, Petro non obſcurè inuidiſſe, ac de primis ſedibus in regno Chriſti obtinendis cogitaſſe. Somniaſſe autem eos, ac animo concepiſſe temporalem quandam Monarchiam; quod aduertit Bellarminus, & impugnat Spalatenſis, tam certum eſt quàm certum eſt primas ſedes in regno Chriſti affectaſſe. Nam quod ſubornatam à filiis matrem filiorum Zebedæi petiiſſe à Chriſto innuit Matthæus; *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus quidem ad dexteram tuam, alius verò ad ſiniſtram in regno tuo*; ad pompatici regni ſedes ab his affectatas omnino referendum eſt, vt & iſta diſcipulorum Monarchiam temporalem ſpirant. *Nos ſperabamus quod ipſe eſſet redempturus Iſraël.* Marcus fratrum factum paulò aliter refert, ipſoſque ſic inducit ad Chriſtum loquentes; *Da nobis vt vnus ad dexteram tuam, alius verò ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua.* Quibus verbis, vt obſeruat Chryſoſtomus, nihil ſpirituale ſibi depoſcebant, ſed eximios, & glorioſos cuiuſdam regni temporalis honores quos animo concepiſſent. Audiantur igitur Patres. Chryſoſtomus: *Quid porro*, inquit, *eſt quod petunt? Alius te docebit Euangeliſta. Nam quoniam, inquit, propè Hieruſalem erant, credebantque regnum Dei iam iam euenturum, quod huius vitæ ac ſeculare opinabantur.* Hieronymus: *Vnde opinionem regni habet mater filiorum Zebedæi: vt cùm Dominus dixerit, Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, & Scribis, & condemnabunt eum morte, & tradent gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & ignominiam paſſionis timentibus diſcipulis nunciaret, illa gloriam poſtulet triumphantu?* Luculentiſſimè Theophylactus. *Opinabantur filij Zebedæi, quod vadens Hieroſolymam Dominus regnaturus eſſet regno quodam temporali, &c.* Certè inualuiſſe eam opinionem de Monarchia temporali Chriſti, & Apoſtolorum eam labem & maculam fuiſſe, quòd Petro ſummam illius regni potentiam inuiderent, nemo negauerit, qui aut Euangelium, aut Patres probè nouerit. Hieronymus quidem exiſtimat Apoſtolos animum induxiſſe, vt crederent ſtatim à reſurrectione ſtabiliendum. Chryſoſtomus verò, & Theophylactus haud attendiſſe ad ea quæ à Chriſto de flagellis, de morte, & paſſione eſſent pronunciata, ſed regnum citra ſanguinem parandum cogitaſſe. Omnes tamen regnum temporale affectaſſe perhibent, vt proinde contra eorum ſententiam hæc ad Eccleſiaſticum regimen torſerit Spalatenſis, improbus ſcilicet Patrum interpres. Vexat certè Hieronymum, ac eum ſomnolentiæ poſtulat, quod ex æqualitate precij arbitratos Apoſtolos Petrum ſibi prælatum ſcripſerit, atque cùm exiſtimet didrachmum de quo ageretur fuiſſe penſitationem tributi in vſum templi vrget *æquam fuiſſe pauperum, & diuitum conditionem in eo penſitando*, ſed cùm ex ſcripturis non probet fuiſſe hoc tributi genus, & alij melioris notæ authores ſentiant, operam non perdemus in eo refellendo. Sufficit Hieronymum in noſtra eſſe ſententia nempe, penſitatione eiuſdem tributi ſanxiſſe Chriſtum primordia, ac initia primatus Petri. Chryſoſtomum etiam negligentiæ arceſſit, ſatis verò nobis eſt Apoſtolis prælatum Petrum cum Hieronymo facundiſſimum Patrem docuiſſe. Ex Chriſti igitur facto, duo præclara

Matth. 20.

Luc. 24.

Chryſoſt. hom. 66.

Ἀλλὰ τί ποτέ ἐστιν ὃ αἰτοῦσι; ἄκουσον τοῦ εὐαγγελιστοῦ τοῦτο σαφῶς ἐκλαλοῦντος. διὰ γὰρ τὸ ἐγγὺς εἶναι Ἱερουσαλὴμ, ᾠήθησαν ὅτι ἡ βασιλεία τοῦ θεοῦ, ἣν ἀφαιρεῖται, πάντα ἤκουσαν. ἐνόμιζον γὰρ ὅτι ἐπὶ θύραις αὐτῶν ἡ αἰώνιος.

In Comment. ad ca. 20. Matth. Theoph. in Matt. c. 20.

Ἐνόμιζον οἱ τοῦ Ζεβεδαίου, ὅτι ἰὼν ἐπὶ τὴν Ἱεροσόλυμα ὁ χριστὸς, βασιλεύσει αὐτίκα βασιλείαν.

Petri priuilegia eliciunt Orthodoxi ; vnum quod Eccleſiæ Vicarium caput, adeoque Apoſtolorum princeps ſit deſignatus à Chriſto, pro quo, & pro ſe didrachmum ſoluerit. Alterum quod in Petro vniuerſum Eccleſiæ corpus, vniuerſa familia, domus & ouile Chriſti, tanquam in paſtore, & principe contineatur, vt qui cum Petro non ſit, ſit quoque à Chriſto alienus.

Septima prærogatiua, ait Spalat. *ſumitur ex naui Petri, & ipſius duplici piſcatione: Nam in vtraque naui & piſcatione, inquit Bellarminus, quæ apertiſſimè totius Eccleſiæ ſtatũ ſignificant, ſemper Petrus princeps inuenitur.* Hanc firmãt Ambroſius: *Hanc igitur*, inquit, *ſolam Eccleſiæ Nauem aſcendit Dominus, in qua Petrus Magiſter eſt conſtitutus dicente Domino, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Item Gregorius: *Petri nauiculam ait eſſe Eccleſiam Petro commiſſam.* Sed figuratas locutiones Patrum ablegat Spalatenſis, nec magni momenti eſſe in ea re de qua diſputatur contendit. At non aduertit, vt non inducant ad ſtabiliendum ſenſum ſcripturæ hiſtoricum, valere tamen ad eruendum ſenſum Patrum: Neque enim Ambroſius, aut Gregorius de Magiſterio Petri, aut de Eccleſia ei commiſſa cogitaſſent, cùm piſcationem Petri illuſtrandam ſuſcepiſſent, niſi fuiſſet illis conſtitutum Petrum magiſtrum Eccleſiæ impoſitum, & gregem ei fuiſſe commiſſum. Etſi enim piæ allegoriæ ab hiſtoria, vt plurimùm recedunt, tamen à veritate nunquam aberrant. Sed excipit Spalatenſis *figuram qua ſunt vſi, venuſtatem ſuam in eo habere, quod nauis cuiuſcumque illa ſit Eccleſiam repræſentet. Petrum verò*, inquit, *eatenus Magiſtrum Ambroſius in ea poſuit, quatenus ei dictum fuit, ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Atqui vnum ſpectauit Petrum Ambroſius, vt cùm *Magiſtrum* dixit proculdubio omnibus, qui naui veherentur, aut etiam ad remos ſudarent, cùm ipſe gubernacula tractaret, prælatum eum ſignificarit. Quid enim ? An non illa verba Chriſti, *Duc in altum*, ad vnum Petrum refert? *Etſi aliũ*, inquit, *imperatur, vt laxent retia ſua, ſoli tamen Petro dicitur, Duc in altum, hoc eſt in profundum diſputationum, quid enim tam altum quàm altitudinem diuitiarum videre, ſcilicet Dei filium, & profeſſionem diuinæ gubernationis? &c.* Alludit nimirum magnus vir ad confeſſionem Petri, quam eius propriam & peculiarem fuiſſe non obſcurè commonſtrat. Haud igitur negamus reliquos Apoſtolos tanquam proxima à Petro Eccleſiæ fundamenta, tanquam ſtrenuos remiges, in hac naui ſudaſſe, homines piſcatos fuiſſe, populos ad Eccleſiam militantem adduxiſſe, ad Eccleſiam triumphantem perduxiſſe, ſed Nauclerus & gubernator eſt huic naui impoſitus Petrus, atque ſi myſteria nobis conſectanda ſunt, piſcationis ipſius quis futurus eſſet prouentus, non obſcurè ſignificauit Chriſtus, cùm poſt ingentem illam capturam piſcium, attoniti ſpectarent Magiſtrum Apoſtoli, ac præ cæteris miraretur Petrus. Namque ad Petrum conuerſus, *Noli*, inquit, *timere ex hoc iam eris hominis capiens*; quod ſcilicet ſingularis ille piſcator & maximus paſtor futurus eſſet. Non quòd ille vnus plures ad fidem (quam eſſe prærogatiuam Petri hoc facto adumbratam ineptè comminiſcitur Spalatenſis) adducturus eſſet quàm cæteri. Nam in hoc genere non veretur Paulus ſe cuicunque alteri præferre ; *Abundantius*, inquit, *omnibus laboraui* ; ſed quod ille vnus moderandæ piſcationi orbis princeps, & caput eſſet præficiendus, vt iam reliqui piſcatores, Ioannes, Andreas, & alij quibus ipſe dixerat, *faciam vos fieri piſcatores hominum*, ab illo vno nauis magiſtro penderent, nec eis fas eſſet contempta naui Petri ſin-

SPALAT. Num. 7. Bellar. de rom. Pont. li. 1. c. 20. & Baron. to. 1. an. 31. nu. 63. Ambr. de mirabilibus ſer. 11. Greg. li. 7. Moral. c. 14.

Lib. 3. in c. 5. Luc.

Luc. 5.

1. Cor. 15.

Pſ.103. gularia nauigia, hoc eſt, ſingulares cathedras, vt loquitur Optatus, in hoc *mare magnum & ſpacioſum nauibus*, inducere. Stat ergo à nobis myſterium, quanquam probabili argumento.

Spalat. Num.8. Luc.22. *Octaua prærogatiua ponitur in illis Chriſti verbis, Simon ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret ſicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Excipit Spalatenſis Leonem primum ad primatum Petri, quem ille vt natu maior & vocatione primus inter Apoſtolos gerebat, reſpexiſſe. At ſuprà oſtendimus, vt verum eſſet quod tamen ſine probatione aſſeritur, Petrum aut ætate, aut vocatione anteuertiſſe Apoſtolos, tamen citra ſummam impudentiam non poſſe pro eo genere primatus teſtem induci Leonem. Quare cùm hanc reſponſionem proſpiceret Spalatenſis, addendum ſibi putauit. *Leonem eloquentiſſimum oratoria vſum amplificatione.* At me herclè malus amplificator eſt Marcus Antonius, cui nulla ſit religio Leonem deprauaſſe. Quod autem addit ſe ſuprà oſtendiſſe, *Dominum cùm pro Petro rogaſſe ſe diceret, ad eius lapſum potius quàm ad dignitatem reſpexiſſe*, prærogatiuam Petri non euertit, & partim verum eſt, partim falſum: verum eſt ad lapſum quoque Petri reſpexiſſe, quod innuunt Ambroſius, Theodoretus, Theophylactus, & alij capite 6. adducti; falſum autem eſt eum his verbis *depreſſiſſe*, nec honore auxiſſe. Audiamus iam Patres. Author quæſtionum noui & veteris Teſtamenti, quem mullus antiquorum in hoc dogmate erro-

Quæſt.79. ris inſimulauit vnquam: *Pro Petro rogabat Saluator, pro Iacobo autem & Ioanne non rogabat? Manifeſtum eſt in Petro omnes contineri; Rogans enim pro Petro pro omnibus rogaſſe dignoſcitur. Semper enim in præpoſito populus aut corripitur, aut laudatur.* Et quia ſermones Auguſtini palato Spalatenſis blandiuntur, habeat & hoc de ſermonibus qui Auguſtino tribuantur teſtimonium. *To-*

Serm.124. *tius corporis morbum in ipſo capite curat Eccleſiæ, & in ipſo componit omnium membrorum ſanitatem.* Non vterer his teſtimoniis, niſi Spalatenſis iis eſſet vſus.

Ambr. in Pſ.43. Grauiſſimum verò teſtimonium Ambroſij non præteribo: *Vide*, inquit, *quid dicat Dominus, & intellige; Ventilatur Petrus, incidet in tentationes, ſed Eccleſiæ præponitur poſtquam tentatus à diabolo eſt; ideoque antè ſignificat Dominus, quid ſit illud quod poſtea eum elegit dominici gregis paſtorem; Nam huic dixit, Tu autem conuerſus confirma fratres tuos.* Videt igitur Marcus Antonius, ſi illi vlli oculi, ſi vlla lux affulget, Ambroſij iudicio verbis illis, *confirma fratres tuos*, ſignificari Petrum dominici gregis eſſe paſtorem à Chriſto conſtitutum. Theophylactus rem dilucidè explicat; *Manifeſtus*, inquit, *verborum ſenſus eſt, quod cùm te diſcipulorum principem fecerim, tu cùm poſt negationem fleueris, & reſipueris, confirma reliquos. Hoc enim te decet, qui poſt me Eccleſiæ Petra & firmamentum es.* Vana ſunt & futilia quæ aduerſus Theophylactum, vt à vero ſenſu abducat, excipit, *Non fuiſſe eum adeo rudem, vt neſcierit in diuinis ſcripturis Petrum ſolum non fuiſſe poſt Chriſtum Eccleſiæ Petram & fundamentum.* Non ſanè non fuit adeò rudis, vt id non teneret, ſed nec ea ſtupiditate fuit, vt inter hæc cœleſtis Hieruſalem fundamenta, Petrum in celſiore illo faſtigio ſpeculæ paſtoralis, vt loquitur Auguſtinus, non aduerteret. Hoc cùm videret eum diſcipulorum principem fecit, ac ei confirmandorum non reliquorum fidelium ſolùm, ſed etiam Apoſtolorum curam commiſſam ſcripſit. Et ne quod facit Spalatenſis abnegatam fidē aliquis Petro opprobraret, anteuertendam obiectionem duxit.

Theoph. in Luc. ad c. 22. Τοῦτ' ἔστιν, ὅτι ἐπειδὴ σὺ τῶν μαθητῶν ἐξάρχεις ἐγκαινιζόμενος ὑπομενεῖς με, κλαύσας, καὶ εἰς μετάνοιαν ἔλθῃς, στήριξον τοὺς λοιπούς. τοῦτο γὰρ πρέπει σοι ὡς μετ' ἐμὲ ὄντι ἀπαλλαγῆς πέτρᾳ καὶ σταίματι.

Rogaui

Rogaui pro te, vt non deficiat fides tua. Quamuis enim, inquit Theophylactus, *breui tempore concutiendus sis, sed habes recondita semina fidei etiamsi folia abreperit Spiritus inuadentis; sed radix viuet, & non deficiet fides tua.* Claudamus hanc prærogatiuam testimonio Leonis. *Commune erat omnibus Apostolis periculum de tentatione formidinis, & diuinæ protectionis auxilio pariter indigebant. Quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere, & tamen specialis à Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Petri propriè supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus*, SI MENS PRINCIPIS *victa non fuerit. In Petro ergo omniũ fortitudo munitur, & diuinæ gratiæ ita ordinatur auxilium, vt firmitas, quæ per Christum Petro tribuitur, per Petrum Apostolis conferatur.* Orationis vehementissimæ hæc sunt fulmina à magno Patre nulla amplificatione, sed summo veritatis amore, in hæreticos contorta. Leo ser. 3. de assumpt. suaad Pōt

Cæterùm non vnus Leo, sed omnes penè Patres oratione Christi Ecclesiæ Petri impetratum, vt eius fides non nutaret subindicant, dum ad Romanam Ecclesiam perfidiam non posse habere accessum prædicant. Audi magnum Cyprianum de schismaticis Episcopis loquitur;) *Nauigare audent ad Petri Cathedram, atque Ecclesiam principalem, vnde vnitas Sacerdotalis exorta est, vt profanas literas ferre, nec cogitare eos esse Romanos, quorum fides Apostolo prædicante laudata est, ad quos perfidia non possit habere accessum.* Audi & Hieronymum illum disertissimum veritatis vindicem; *Profligato à sobole mala patrimonio apud vos solos incorrupta Patrum seruatur hereditas.* Audi & huius sedis, & Hieronymi infensissimum aduersarium Rufinum de Ecclesia Romana: *Neque hæresis vlla illic sumpsit exordium, vt mos ibi seruatur antiquus.* Audi mellifluum Bernardum: *Oportet ad vestrum referri Apostolatum pericula quæque & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim quæ de fide contingunt: Dignum namque arbitror, ibi potissimùm resarciri damna fidei, vbi non possit fides sentire defectum. Hæc quippe huius prærogatiua sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est; Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua. Ergo quod sequitur à Petri successore exigitur: Et tu aliquando conuersus confirma fratres tuos.* Non igitur negamus communi oratione etiam pro reliquis Apostolis Patrem rogasse Christum, vt eos seruaret, *Ego pro eis rogo*, inquit Christus, *Pater sancte serua eos in nomine tuo*, sed pro ea ratione quam Patres inducunt, specialius tamen pro Petro rogauit, vt eius non deficeret fides, quod ei tanquam Capiti à quo authoritas regiminis in successores esset deriuanda, cura incumberet omnes per orbem pastores confirmandi. Cypria. l. 1. ep. 3. ad Cornel. Pap. Hier. ad Damas. Rufin. in Symbolum initio. Bern. ep. 190. ad Innoc. Pap. Ioan. 17.

Nona prærogatiua quod Christus resurgens primùm omnium ex Apostolis Petro apparuerit. Sed multæ, inquit Spalatensis, *possunt assignari causæ, quarum nulla supremum supponat Petri Principatum.* Sed primùm fallitur Spalatensis, ac reliquos fallit, si nos Primatum Petri hac vna ratione ostendere putet. Fatemur ex vna aut altera prærogatiua nó elici hunc Primatum, sed cùm à nostris singulæ inducuntur, id fit, vt probabile argumentum ducatur Christum eximio amore prosecutum Petrum, ac de eo maximè sollicitum fuisse, vnde facilè coniiciatur, plus in illum dignitatis, & authoritatis contuliſſe. Chrysostomum si consuluisset aduersarius, cecidissent squamæ de oculis eius; *Itaque*, inquit, *Petro primùm apparet; Nam qui primus Christum est confessus, iure etiam dignus est habitus qui primus videret resurrectionem.* Factũ audis, causam accipe. *Propterea*, inquit facundissimus Pater, *neque simul visus est omnibus, neque in initio multis, sed vni soli pri-* SPALAT. Num. 9. a Chrysost. hom. 38. 1. Cor. 15. Διὰ τοῦτο τῷ Πέτρῳ φαίνεται πρῶτον ὁ χριστὸς ἀναστὰς ἐμοὶ δοκῶ· ἵνα ἐπειδὴ Χριστὸν, εἶπεν, ἐπέγνω ἐκ τῶν ἀποκαλύψεων ἠξιώθη καὶ τοῦτο ἰδεῖν. Idem ibi. Διὰ τοῦτο οὔτε ἅμα πᾶσιν ὤφθη

φθη, οὔτι ἐν ἀρχῇ πλείστη, ἀλλ' ἐπὶ μέσῃ τριάκοντα, ἐν τούτῳ τῷ χορυφαίῳ πιστεύων, ἐν τοιούτῳ.

mùm, eique Coryphæo omnium & fideliſsimo. Scio ſententiam eſſe multorum primùm Chriſtum ſanctiſſimæ Virgini, ac demum Magdalenæ apparuiſſe, nec repugnamus; ſed de viris, ſeu de Apoſtolis nobis ſermo eſt; & ſententiam noſtram firmat Apoſtolus. *Reſurrexit*, inquit, *tertia die ſecundum Scripturas, & viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim.* Sed & Lucas ſcribit duos diſcipulos, quibus in Emaus proficiſcentibus ſe videndum præbuiſſet Chriſtus, Hieroſolymam reuerſos Apoſtolis dixiſſe, *Surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*, quo loco illuſtrius volunt eſſe Petri teſtimonium, quod nimirum primas inter Apoſtolos teneret. Et certè Theophylactus non obſcurè hanc rationem eſſe vult, quorſum primùm Chriſtus apparuerit Petro, *Quod ſcilicet omnium Apoſtolorum Princeps eſſet*, ac proinde dignus cui reliqui fidem haberent. Vides, Marce Antoni, quàm eſt à te imprudenter dictum, *non eſſe adeò certum quod à nobis aſſumitur* (Petro primùm apparuiſſe Chriſtum) *quum etiam negari poſsit vbi contrarium conuinci ex Euangelio non poteſt, niſi ex defectibilibus coniecturis.* Ergo debiles coniecturæ Scripturæ, & Patrum teſtimonia tibi videntur. At vrget alias cauſas eſſe potuiſſe, cur ei primùm appareret Chriſtus, & primùm illam ſuam ineptiſſimam *de primatu ætatis & vocationis* profert, quæ nulla Scripturæ authoritate fulciatur. Addit id quoque factum, *quia maximè indigebat conſolatione*, ob dolorem ingentem ex trina negatione conceptum, & firmat authoritate Hieronymi, & Gregorij. At non proficit, quandoquidem nil prohibet vnius rei plures ſubeſſe cauſas. Chryſoſtomus certè hanc non diſſimulauit, imò principem eſſe voluit, cur Petro primùm Chriſtus apparuerit, ſed noſtram quoque non tacuit. *Non propter hoc autem*, inquit, *apparet ſoli Petro*, SED ET INSVPER QVONIAM, ἀλλ' ἐπειδὴ, *ipſum negauerat, ex abundantia eum conſolans, & oſtendens eum non eſſe repulſum ante alios eum hac dignatus eſt viſione, & primò* (attende Marce Antoni) *oues tradidit.* Videt Spalatenſis, vt vtrumque ſociauerit Chryſoſtomus: Videt ignorationé mirationis ſuæ cauſam extitiſſe, neque enim ſi hæc benè perpendiſſet, mirari ſubiiſſet, cur Bellarminus Chryſoſtomum pro ſua ſententia protuliſſet.

1. Cor. 15.
Luc. 24.
Theoph. ad c. 15. in 1. Corint.
Hier. ad c. vlt. Mar.
Greg. hom. 21. in Euāg.
Chryſoſt. hom. 38. in 1. ad Cor.

Οὐ διὰ τοῦτο καὶ φείδεται πρώτῳ μόνῳ, ἀλλ' ἐπειδὴ ἠρνήσατο αὐτὸν, ἵνα ἀφανίσῃ τὴν ὑπόνοιαν, ἵνα μὴ δόξῃ διὰ τοῦτο ἀπιέναι, ἐπειδὴ ἠρνήσατο· ἀλλὰ καὶ ἵνα μὴ δόξῃ διὰ τὸ ἀπιέναι, καὶ ἐπειδὴ ἠρνήσατο, καὶ διὰ τοῦτο ἐκβάλλειν αὐτὸν τῆς ἀποστολῆς· καὶ ἵνα μὴ δόξῃ διὰ τὸ ἐκβάλλειν, καὶ διὰ τοῦτο ἀπιέναι.

Decima prærogatiua ex lotione pedum; Sed non conſtat in Euangelio, inquit Spalatenſis, *Petrum fuiſſe primum, & Iudam aliqui anteponunt, vt Chryſoſtomus & Theophylactus.* Oppoſuerat Bellarminus hos Patres aſſerere nullum alium præter Iudam paſſurum fuiſſe, vt ſibi ante Principem Apoſtolorum pedes lauarentur: Telum leui iactatione declinare ſe putat Spalatenſis. *Reſpondeo Iudam de impudentia taxari ab his Doctoribus, quia Petrus omnes ætate & primatu ordinis & vocationis, vt millies dictum eſt, præcedebat; ſed eſto, fuerit primus lotus: Hoccine mirum vt maior natu inter illos, & tot nominibus primus, primus etiam lauaretur? Certè Hieronymus, ne in hoc quidem concedit Petro primatum; dum loquens de Chriſto ait: non enim venit vt miniſtraretur ei, ſed vt miniſtraret, in Petri pedibus cunctorum Apoſtolorum peccata abluens. Facit ergo Hieronymus Petrum quaſi figuram, & typum omnes Apoſtolos in illo actu repræſentantem.* Itaque ad nauſeam vſque futilem illam ſuam diſtinctiunculam de primatu ætatis & vocationis inculcat. Fruatur ſua inſania: Nos ab hoc priuilegio præſidium aliud non ducimus, quàm eximios honores habitos Petro: Ille non inficiatur, ſed ad *ætatem & vocationem* refert dubias certè cauſas, nos ad principatum quem Petro Scripturæ & Patres aſſerunt, vtris igitur credendum? Audiamus Auguſtinum expendentem illa Petri verba ad Chriſtum lotionem pedum inſtituentem:

Spalat. Num. 10. Ioan. 13.
Bellar. ibid.
Hier. l. 14. in Iſai. c. 53.
Aug. tract. 56. in Ioan.

Tu mihi lauas pedes; Nec putare debemus hoc Petrum inter cæteros formidasse, atque recusasse, cùm id alij ante ipsum libenter, vel æquanimiter sibi fieri permisissent, facilius quippe sic accipiuntur ista verba Euangelij, quia cùm dictum esset, cæpit lauare pedes discipulorum & extergere linteo, quo erat præcinctus; deinde subiunctum est, Venit ergo ad Simonem Petrum, quasi aliquibus iam lauisset, & post eos veniisset ad primum. Quis enim nesciat primum Apostolorum esse beatissimũ Petrum? Sed non ita intelligendũ est, quod post aliquos ad illum venerit, sed quod ab illo cæperit: quando ergo pedes discipulorũ lauare cæpit, venit ad eum à quo cæpit, id est ad Petrũ. Neque verò confugerit Spalat. ad inane illud suum de ætate præsidium; verba enim illa Augustini, *Quis enim nesciat primum omnium Apostolorum esse beatissimum Petrum*, exploratam omnibus Christianis Petri authoritatem spirant, de qua idem Augustinus dixerit alio loco, *Quis nescit illum Apostolatus principatum cuilibet Episcopatui præferendum?* Et quidem hoc sensu pronunciauit Hieronymus. *Christum in Petri pedibus cunctorum Apostolorum peccata abluisse*, nimirum quod cum sacratissimo illi cætui caput eum imposuisset, ab eo summa illa beneficia in alios deriuarentur.

De Bapt. cont. Don. lib. 2. cap. 1. Hier. li. 14. in Esa. c. 53.

Vndecima prærogatiua, quòd Petro mors crucis prædicitur, vt qui & nomen Petræ, & officium gubernandi Ecclesiam à Christo habuerat, in morte etiam ei conformaretur, Argumentum est valdè topicum, inquit Spalatensis. Sed neque nos [illegible]κὸν dicimus.

Spalat. Num. 11. Ioan. 21.

Cæterùm hoc priuilegium magni-faciunt Patres, & sunt qui oraculum oraculo addant. Aiunt enim cùm Petrus vltimis ætatis suæ ac prædicationis temporibus Romæ ageret, & periculum mortis à Neronis tyrannide immineret, illi suis precibus authores fuisse fideles, qui vices capitis dolerent, vt Roma abscedere[illegible], sed egresso & aliò profectionem instituenti occurrisse Christum diuinitus, ac ab eo quæsiisse Apostolum quo se conferret, respondisse Christum, *Vado Romam iterum crucifigi*, ac tandem intellexisse Apostolum esse Romam sibi repetendam, & crucis supplicium imitatione magistri subeundum. Certè Tertullianus verba Christi, ad Petrum, *cùm esses iunior cingebas te, &c.* interpretans, *Tum Petrus*, ait, *ab altero Cingitur, cùm cruci astringitur.* Similiter Cyrillus, & Chrysostomus eum locum interpretantur de morte Crucis, quam summo pastori ouium suarum prænunciarit, vt qui eius esset constitutus Vicarius, similem exitum consequeretur. Hæc Primatum Petri non inducunt, fatemur, sed ei lucem magnam afferunt, cum pastoris sit animam ponere pro ouibus, & summi pastoris, pastorum Principem Christum in mortis ordine æmulari.

Ioan. vlt. Tertull. in Scorp.

Duodecima prærogatiua est, quod *concessi Petro eximij honores occasionem dederint contentioni*, quæ inter Apostolos cohorta sit de Primatu, huius discussionem in alium locum reiicit Spalatensis: quare est à nobis quoque differenda, & in alium locum reiicienda.

Spalat. Num. 11.

Decima tertia prærogatiua, inquit Spalatensis, *quod Christus doctrinam quam omnibus Apostolis & discipulis tradebat, per Petrum voluit in alios deriuari. Vnde Matth. 18. scribitur, Aspiciens Iesus in discipulos suos, dixit Simoni Petro, Si peccauerit in te frater tuus, &c. Ita Turrecremata, sed locus hic in Euangelio ita non legitur; quamuis in antiquis Missalibus ita legeretur: Iam enim expuncta sunt illa verba: (Aspiciens Iesus in discipulos suos, dixit Simoni Petro) si tamen etiam legitima adhuc essent, Petrum tanquam reliquis seniorem, & primum duntaxat supponerent.* Sed vt illa verba explodantur, quis non videat Petro insinuatam

Spalat. Num. 13. Turrecr. l. 2. de Eccl. cap. 5.

Digitized by Google

doctrinam, quæ potiſſimùm ad ſummum Eccleſiæ paſtorem ſpectaret, quæque ad poteſtatem clauium maximè pertineret? Eam tamen non vrgemus, quod illi Primatus Petri non innitatur, ſed aliundè petatur certè illo loco promiſſas Apoſtolis claues omnes interpretes aduertunt.

SPALAT. Num. 14. Turrecr. lib. Matth. 19. Ioan 6. Matth. 16. Luc. 12.

Decima quarta, quod ipſe Petrus fere ſemper aut interrogare Chriſtum, aut reſpondere pro omnibus ſit ſolitus; quippe veluti omnium princeps: vt quando dicit; Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te, quid ergo erit nobis? Et cùm diſcipulis multis abeuntibus dixit, Domine ad quem ibimus? &c. Item, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Item, Domine ad nos dicis hanc parabolam, an ad omnes? Cui Dominus; Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus

Sander. l. 6. viſib. mon. cap. 4. Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 9.

ſuper familiam ſuam, vt det illis in tempore tritici menſuram? Quaſi dicat, inquiunt Sanderus & Bellarminus, omnibus quidem loquor, ſed tibi maximè quem ſupra familiam meam conſtitutum, etiam aliorum curam ſuſcipere volo. Omnibus tamen his locis abundè ſatisfacit Petri primatus ætatis, vocationis & excellentiæ; nec non magna, quam cum Chriſto habebat familiaritas. Vltimi verò loci ſenſus quem aſſerunt eſt voluntarius, atque parum Euangelico textui congruens: Multa enim dederat Chriſtus documenta ad vitandam hypocriſim, auaritiam, ſolicitudinem temporaliũ, ad faciendam eleemoſynam, caſtitatem ſectandam; vigilandum ad incertam mortis horam, atque circa hæc interrogat Petrus, ſua ordinaria familiaritate, & feruoris promptitudine, num ad ipſos, an verò ad omnes illa diceret. Tunc ſubintulit Chriſtus de fideli diſpenſatore; quaſi reſpondens ſe potiſſimùm cum ipſis loqui, & ad ipſos Apoſtolos parabolas illas præcedentes dirigere, qui erant inſtituti diſpenſatores

Matth. 28. Suprà c. 2. num. 10.

verbi Dei, & facti Euangelij prædicatores: Omnibus enim, & non ſoli Petro, dicendum fuerat; Euntes docete omnes Gentes: vnuſquiſque igitur ipſorum erat diſpenſator ille fidelis, & non Petrus ſolus: & Petrus interrogauerat, Ad me dicis?

Cypr. lib. 1. epiſt. 3. ad Cornel.

non ad me: & Chriſtus reſpondit, ad illos ea ſpectare. Atqui primùm Patres aliò quàm ad ætatis aut vocationis primatum, retulerunt, potiſſimùm verò illa verba, *Domine ad quem ibimus!* Sic enim Cyprianus, *Petrus tamen*, inquit, *ſuper*

Cyril. li. 4. in Ioa. c. 18. Cyril. Catech. 11.

quem ædificata, aliàs ædificanda, *ab eodem Domino fuerat Eccleſia, vnus pro omnibus loquens, & Eccleſiæ voce reſpondens, ait, Domine ad quem ibimus?* Similiter Cyrillus, *per vnum qui præerat omnes reſpondent.* Hæc certè alium primatum quàm vocationis, aut ætatis arguunt, & quidem cùm expenderent Patres confeſſionem Petri, de qua Matth. 16. Principis Apoſtolorum in ea edenda partes egiſſe Petrum docuerunt. Cyrillus Hieroſolymitanus: *Omnibus*, inquit, *Apoſtolis reticentibus (ſupra vires enim erat hæc doctrina) Petrus Princeps Apoſtolorum & ſupremus Eccleſiæ præco, dicit ad ipſum, Tu es Chriſtus filius Dei viuentis.* Alius Cyrillus, *Cùm Saluator à diſcipulis quæreret, Quem me eſſe dicitis, Petrus, vt Princeps Apoſtolorum caputque cæterorum*, (certè nec ætas, nec vocatio etiam tempore antegreſſa Principis & capitis dignitatẽ conciliant,) *Primus exclamauit, Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Auguſtinus hîc quoque *vnitatis commendationem* quæ Principi inſisteret ſubodoratus, *Reſpondet Petrus vnus*, inquit, *pro omnibus.* Rurſus: *Ipſe enim Petrus in Apoſtolorum ordine primus, in Chriſti amore promptiſſimus, ſæpè vnus reſpondet pro omnibus.* Neque verò intellexit Auguſtinus primũ reſpondiſſe quà ſeniorem, aut antè vocatum, ſed quà Principem, & authoritate ſummum; namque ſe ipſe ita explicat, vt Spalatẽſi non relinquatur tergiuerſandi poteſtas. *Idem ergo Petrus*, inquit, *à Petra cognominatus, vniuerſalu Eccleſiæ figuram portans, Apoſtolatus principatum portans.* Si quis eſſet in Spalatenſi ve-

Παίτοι ὁ ἀποστολικώτατος. ὑφ' ἑνὸς μὲν τοῦ Δεσπότου τὸ μάθημα, Πέτρος ὁ πρωτοστάτης τ ἀποστόλων δὲ καλλίστας κορυφαῖος κήρυξ, φησὶ πρὸς αὐτόν. σὺ εἶ ὁ Χριστὸς, ὁ υἱὸς τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος.

Cyril Alex. li. 12. c. 64. Aug. ſer. 31. de verb. Apoſt. Id. ſer. 13 de verb. Dom. cap. 1.

ritatis ſenſus, aut pietatis amor, proculdubio his fulminibus terreretur, & poſita animi obſtinatione tam apertis verbis aſſentiretur. Quod autem Bellarminũ & Sanderum obiicit hallucinatos in explicatione verborum Chriſti, *Quis eſt fidelis ſeruus, & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam*; quod eorum ſenſum eſſe voluerint, quaſi diceret Chriſtus, *Omnibus quidem loquor, ſed tibi maximè quem ſupra familiam meam conſtitui, aliorum quoque curam ſuſcipere volo*, eius inſcitiam aut potius nequitiam prodit; Nec enim eum fugere debuit ad Petrum quoque hunc locum apertè retuliſſe Chryſoſtomum. Nec propterea ſolum Petrũ diſpenſatorem fidelẽ agnoſcimus, verumetiam omnes omnino non ſolùm Apoſtolos, ſed & probos Antiſtites ac Paſtores ab omni hypocriſeos labe alienos; ſed ſolùm vrgemus pertinere antonomaſticõs illa verba, ad eum qui vniuerſæ Chriſti familiæ ſit impoſitus rector, & ſummus œconomus. Certè Cyprianus Cornelium Pontificem *præpoſitum ſeruum* vocat.

Bell. l. 1. de Rom. Põt. cap. 9. Sand. l. 6. de vilib. Mon. Eccl. c. 4. Luc. 12. lib. 2. de Sacerd. initio. Cyp. ep. 55. ad Cornelĩ fratrẽ: alàs lib. 1. ep. 3.

Decima quinta prærogatiua, inquit Spalatenſis, *quod docente Domino fraternam correptionem, Petrus dixerit, Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Vbi Petrus, inquit Echius, tanquam futurus Præſes Eccleſiæ, fraternæ correptionis modum diligenter, præ aliis quæſiuit Apoſtolis. Quæſiuit Petrus, quia & ſenior, & feruentior, & familiarior Chriſto quàm cæteri: & os erat Apoſtolorum, omniumque nomine ſæpè multa & quærit, & reſpondet.* Sed cogitandum fuit Spalatenſi cœleſti inſtinctu, hæc quæſiuiſſe Petrum, non quia ſenior eſſet, quod ad hoc nihil ætas faciat, nec quia familiarior, quod Ioanni, & Iacobo ac omnibus in vniuerſum ſat eſſet familiaritatis cum humaniſſimo Magiſtro, vt rem tam ſalutarem ab eo quæreretent ingenti occaſione oblata, ſed quod abundè eum omnibus præſidiis inſtructum vellet Chriſtus, & cumulatiſſimè informatum diſciplina Eccleſiaſtica, cuius ipſe futurus eſſet moderator; quæſiuiſſe igitur *vt os, & caput* Apoſtolorum.

Spalat. Num. 15. Matth. 18. Echius li. 1. de Prim. Petr. c. 50.

Decima ſexta in Petri gladio, ſolus enim gladium habere inuenitur, quo regni poteſtas ſignificatur. Sed eſt ſenſus merè figuralis, & allegoricus; imò & contortus, nimiumque violentus: de quo nobis erit lib. 6. diſſerendum, ait Spalatenſis. Atqui ſi quid violentiæ inſit in ea interpretatione, authorem habet Bernardum virum mehercle mitiſſimi ingenij, & ab omni aſſentatione alieniſſimi, ſed de hac ſententia poſterius videbitur, nec enim eam hîc Spalatenſis perſequitur, alio loco de ea dicturus.

Spalat. Num. 16. Luc. 22. Sand. de vilib. monar. li. 6. c. 4.

Decima ſeptima; quod tribus dormientibus, vni tamen Petro dicitur à Chriſto, Simon dormis? quia Prælatum qui cæteris etiam dormientibus præſit, maxima decet vigilantia. Reſpondeo, inquit Spalat. *ſoli Petro obiici ſomnolentiã, quia ipſius maxima fuerat iactantia. Ita Chryſoſtomus*; Omnes, inquit, *dormiebant, & Petrum coarguit, occultius eum de his reprehendens quæ fuerat locutus, ac ideo (mecum) non otiosè adiecit, ſed quaſi diceret; Vigilare mecum non potuiſti, & mecum mori poteris?* Chryſoſtomi rationem amplectimur, ſed quis neget vnius eiuſdemque rei poſſe plures ſubeſſe cauſas? Et quidem qui in Petro potiſſimùm ſomnolentiam argui exiſtimarunt, ad id attenderunt, nimirum ſummos Eccleſiæ Paſtores, quibus tot curæ ſint & tot populi commiſſi, non debere ſomno lautius indulgere, ſed vigilare, ac ouibus ſuis ſedulò proſpicere, iuxta illud diuini Paſtoris Iacob, *Diu noctuque æſtu vrebar, ac gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis.* Sed hæc myſtica Topicum ſubiiciunt argumentum, atque duntaxat probabile ac ornatui ſubſeruiens.

Spalat. Num. 17. marc. 16. Sand. ibid. & Echius l. 1. cap. 50. Chryſoſt. hom. 84. in matth. Gen. 31.

Digitized by Google

SPALAT. Num. 18. Marc. 16. Bar. tom. 1. ann. 34. nu. 182.

Decima octaua, inquit Spalatenſis, *quod Chriſtus ſuam Reſurrectionem iubet annuntiari Petro nominatim: Dicite diſcipulis, & Petro: vt ſciret, inquit Baronius, ſe ſuis negationibus ſuum Primatum non amiſiſſe. Ego tamen hæc non ad Primatum, ſed ad Apoſtolatum referri, cap. 8. præcedenti, ſatis docui. Voluit nimirum Chriſtus Petrum ſpeciali modo conſolari, quia ille ſolus ipſum abnegarat, vnde & meritò deſperare poterat, ſe videlicet, ne in numerum quidem diſcipulorum amplius reponendum, qui ſe diſcipulum eſſe Chriſti iam negarat. Ita Theophylactus in hunc locum. Et Gregorius homil. 21. in Euang. & alij. Hæ ſunt prærogatiuæ Petri, quas ex Euangeliis collegerunt ſuprematus ipſius aſſertores. Iam ad alias properemus.* Atqui ad prærogatiuam nonam oſtendimus & Chryſoſtomum, & Theophylactum, præter allatam ab aduerſario cauſam, etiam docuiſſe, Petro primùm ſe videndum exhibuiſſe Chriſtum ſtatim à reſurrectione, vt factas ei de primatu pollicitationes haud quaquam irritas fore, ſuaderet.

Hæc igitur habuimus dicenda pro confirmatione prærogatiuarum Petri, quas ex Euangelio collegerunt Orthodoxi. Hic verò coronidis vice addiderim malè eas oppugnaſſe Spalatenſem, *Quod ex eis ſeorſim ſumptis non poſſet Primatus Petri euidenter conuinci*; Neque enim ſingulis illis nititur authoritas Petri, ſed veluti proluſiones quædam, & præcurſiones quibus ſuam mentem aperuerit Chriſtus, inducuntur argumento à ſimili ducto. Solent enim Imperatores, ac Reges eos quibus vel imperium vel regnum ſunt relicturi, aut ſummam aliquam præfecturam tradituri, aliis primùm honoribus augere, & eorum opera vti, tum in præcipuis Imperij, & regni officiis, tum in honeſtiſſimis legationibus obeundis, ac his veluti gradibus illis ad ſummum dignitatis faſtigium viam munire, vt quibus aliquis eſt aulæ ſenſus exploratum iam eſſe poſſit, hos fauores auguſtioris cuiuſdam poteſtatis eſſe initia ac indicia. Ad hunc igitur modum, cùm Chriſtus Rex Regum, ac Dominus Dominantium vnum Petrum animo deſignaſſet, cui Eccleſiæ ſuæ gubernacula tractanda committeret, hunc præ cæteris & ornauit, & amplificauit ſemper, quo ſignificaret ſe eum præ illis magnifacere, & ad ſupremam dignitatem euehere velle. Iam ad ea priuilegia ſcrutanda ac excutienda, quæ tum ex actis Apoſtolicis, tum ex Sanctorum Patrum libris colliguntur, aggreditur Spalatenſis, eóque nos vocat. Premenda ſunt nobis importuni hominis veſtigia.

SPALAT. Num. 19. Act. 1.

Decima igitur nona prærogatiua eſt, inquit, *vbi Petrus, tanquam Pater familias, colligit in vnum cœtum diſcipulorum, & vnum eligendum eſſe docet in locum Iudæ. In quem locum Chryſoſtomus: Quàm, inquit, agnoſcit Petrus commiſſum ſibi gregem! Quam in hoc choro Princeps eſt?* Contrà Spalatenſis exiſtimat primùm locum Actorum nihil ſibi aduerſari, Demum in Chryſoſtomum & Euthymium

Num. 19.

inuehitur, & de Chryſoſtomo quidem ſic cenſet. *Chryſoſtomus magis videtur nobis aduerſari, qui ſanè, vbi agebatur de locis fundamentalibus, quæ primatum abſolutum Petri videbantur erigere, ac ſtabilire, à communi ſententia, & interpretatione nunquam deflexit. Interdum tamen, vbi orationem auream ſuam exuberare permiſit, plurimum inclinare videri poteſt in ſupremum Petri principatum; oratoriè potius quàm Theologicè, quod ſingulariter fecit conſiderans hanc primam Petri actionem poſt Chriſti Aſcenſionem.* Itaque ſententia Spalatenſis Chryſoſtomus è Theologo in Rhetorem degenerat. Sed hîc meritò quæreret Iuriſconſultus, *cui fini?* An igitur diuinum, ac planè aureum os ornandum ſuſceperat Pontificem? An Conſtantinopolitanus, hoc eſt regiæ ciuitatis, quæ ſedes etiam

illis

illis temporibus Romanæ Ecclesiæ æmula, plerumque atque infensa fuit, Episcopus, sui loci immemor, vt Romanis parasitaretur in Petri laudes excurrendum sibi duxerit, vt eos deuinciret qui tantum Apostolum suæ dignitatis principem, & authorem facerent? Apage istas ineptias. Sed vt facundissimum Patrem ab his contumeliis vindicemus, integrum locum proferamus, & ostendamus citra pompam & apparatum orationis, qui non hîc quàm alibi maior pro veritate depugnasse. *Quàm*, inquit, *agnoscit Petrus commissum sibi regem? Quàm in hoc choro princeps est?* Potuitne aliquid pro Primatu Petri apertius dici? Excipit tamen Spalatensis. *Sed ne hîc quidem*, inquit, *adeò absolutè Chrysostomus Petrum pronunciat Principem, quin simul ferè contraria multa interserat; vt facilè liqueat pompam tantùm & apparatum orationis adhiberi; sic enim loquitur; Surgens Petrus in medio discipulorum dixit, &c. quàm est feruidus? Quàm agnouit creditum à Christo gregem? quàm in choro princeps est? Et vbique primus omnium incipit loqui? Quæ doctor hic de feruore & primatu dicit, planè ea de primatu ordinis, ætatis, & feruoris, facilè intelliguntur; quod verò ait, Quàm agnoscit creditum à Christo gregem? ad verba Euangelij, non ad sensum, oratoriè referuntur. Apertissimè enim iam à nobis cap. præcedenti ostensum est, etiam Monarchicis consentientibus, pasturam ouium æquè omnibus Apostolis fuisse à Christo commissam; quia tamen soli Petro seorsim dictum est, Pasce oues meas, atque hoc aliis causis, non quod ipsi soli oues Christi pascendæ committerentur, hic iam aurea facundia tanti doctoris exundauit, quasi ipsi soli cura Pastoralis fuerit iuncta. Atque hæc ad ornatum tantùm ab ipso dici facilè est conuincere: nam alioqui nihil est ad rem, quod Petro dictum fuerit, Pasce oues meas: vt propterea Petrus primus proposuerit de successore Iudæ agendum. Agebatur enim duntaxat de adimplendo numero duodenario Collegij Apostolici; quod Collegium non erat ille grex, quem pascendum Petrus susceperat; quorsum ergo dicit Chrysostomus, Quàm cognoscit creditum à Christo gregem? Si actus hic Petri actus fuisset pasturæ, optimè diceret, cùm tamen non sit actus pasturæ, illa seruiunt tantùm ad ornatum.* Primùm ergo obiicit illa verba Chrysostomi, *Quàm agnoscit creditum sibi à Christo gregem, frustra & otiosè, ab eo iactata, cùm Petrus solùm de implendo numero duodenarij Collegij Apostolorum, à quo Iudas excidisset, ageret, quod non videtur ad curam eius pertinuisse, cùm collegium Apostolorum ad eam non spectarit.* Hæc nimirum sunt Spalatensis somnia, non Chrysostomi pronunciata; Si quidem Chrysostomo Apostoli in numero ouium quarum pascendarum cura sit demandata Petro, habentur; Quicquid enim dicat aduersarius, cùm fratrum curam ei commissam dicit, proculdubio Apostolos potissimùm intelligit ei commendatos. Propterea etiam suprà Rhetoricatum eum dixit. *Videtur*, inquit, *Chrysostomus in decursu exundantis orationis innuere Petrum ex concessa sibi fratrum cura à Christo quæsiuisse de Ioanne, hic autem quid? Sed sicut*, inquit, *manifestum interrogationem illam ex sola curiositate profectam, & nihil curæ fratrum in se continere; ita illa transcursim à Chrysostomo dicta, non sunt cum rigore accipienda. Nam alia quæ ibidem hic doctor dicit de commissa Petro fratrum cura, facilè intelliguntur de fratribus, fidelibus videlicet, non de Apostolis, quicquid dicat Bellarminus: commissionem etenim hanc fratrum curæ accepit Chrysostomus in illis verbis Christi, Pasce oues meas: oues verò pascendæ erant, populi conuertendi.* Nescias igitur in Apostolum ne Petrum qui in-

Chrysost. hom. 3. in Act. Apost. Ὡς ἐμπεσὼν πρὸς τὸν Χριστὸν ὁ πάνσοφος, καὶ ὡς ἁπτόμενος.

SPALAT. Nu. 6. ca. 8. Caiet. tract. de author. Papæ & Conc. c. 3.

Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 25. vbi de Chrysost.

Digitized by Google

consulto quodam æstu cognoscendarum earum rerum quæ ad se non pertinerent, abreptus, de his quæsierit, an in Chrysostomũ contumeliosior sit, qui aut rem manifestam, atque expositam non viderit, aut tam parũ attenderit, quid loqueretur vt veritati apertissimæ per imprudentiam aduersaretur. Sed his omissis discere poterat Spalat. ab ipso Chrysostomo, quosnam fratres intelligeret accõplecteretur, *Si Dominus*, inquit, *suos discipulos fratres appellauit, multò magis conuenit vt Petrus suos condiscipulos appellaret, qua propter & omnibus præsentibus sic locutus est.* Fratres igitur Petri, iudicio Chrysost. Apostoli sunt eius condiscipuli.

Chrysost. hom. 3. in Act. Apost. Εἰ ὁ κύριος, [ἀπλῶς] ἀδελφοὺς ἐκάλεσεν, πολλῷ μᾶλλον οὗτος. [διὸ καὶ] πάντων παρόντων οὕτω φησί.

Secundò obiicit factum Petri vocantis discipulos ad electionem noui Apostoli, *actum pasturæ*, vt ille barbarè dicit, *non fuisse*; nimirum diuersos pastoralis curæ actus non intelligens, ad vnius prædicationis munus eam totam reuocat, ac contrahit, & coangustat. Nos verò suprà ostendimus ex Ezechielis oraculo Pastorum esse quoque officium præesse, moderari, regere, iudicare, prouidere, ac omnibus modis consulere gregi, vt proinde ab eo munere alienum nó sit, quod hic præstat Petrus; Neque verò vllus sanæ mentis negauerit cogitare de gregis commodis, atque curare ne ei, vel aliorum pastorum cura vel quicquam rerum necessariarum desit, ad summum pastorem pertinere.

Insigniter autem in *decursu exundantis orationis* mentitur Spalatensis, cùm audacissimè pronunciat fateri Catholicos, quos monarchicos republicanus vocat, *Pasturam ouium æquè omnibus Apostolis fuisse à Christo commissam.* Hoc illius commentum est, & impostura, vt ex his quæ supra dicta sunt facilè æstimari potest ac iudicari. Pergit iam Chrysostomum vexare; additque, cùm quæsisset, *Cur Petrus non postularit à Christo, vt ipsi daret aliquem in locum Iudæ substituendum paucis his verbis respondere, iam Petrus erat seipso factus melior: Innuit ergo*, inquit ille, *erraturum fuisse aliquà arrogantia, si hoc præsumpsisset, Arrogantia autem & præsumptio non fuisset, si Petrus à Christo relictus fuisset totius Monarcha Ecclesiæ, ad ipsum namque spectasset ministrorum ordinatio.* Hic monstra fingit sibi; Primùm enim non sequitur Petrus seipso factus melior, noluit solus precibus postulare à Christo aliquem in locũ Iudæ sufficiendum, ergo atrogantia & præsumptio nó fuisset si id tentasset: Potuit enim solus id rectè præstitisse, melius verò ac rectius fecisse quod socios adhibuit, censet Chrysostomus; sunt enim si nesis rectè factorum distincti quidam ordines, & gradus, 1. Cor. 7. *Qui matrimonio iungit virginem suam benefacit, & qui non iungit melius facit.* Verum est igitur potuisse Petrum pro summa illa sua potestate, aliquem in demortui Iudæ locũ sufficere, sed ineptè concludit, non potuisse ergo arrogantiæ postulari si suffecisset. Quid enim inficiari ne potest in regno ad vnum Regẽ ferendarum legũ ius pertinere? Quis autem negauerit temerè atque arroganter facturum Regem si nullo consilio publico, nullo priuato adhibito constituere de regno solus velit? Fieri igitur potuit, vt cùm totius Ecclesiæ spiritualis Monarcha Petrus esset, atque ad ipsum spectaret ministrorũ ordinatio, inniti tamen prudentiæ suæ non deberet, neque nisi arroganter vti posset potestate sibi à Christo tradita, *vt enim omnia liceant, non omnia expediunt.* Hæc igitur vera mens est Chrysostomi; in quæstione ponit cur discipulorum cœtum coëgerit, vt communibus suffragiis postularent aliquem à Christo in locum Iudæ sufficiendũ, nec ipse solus id postularit, ac demũ respondet id eius animo insedisse, *Quia erat Petrus seipso factus melior*; hoc est ab omni audaciore conatu remotior & alienior;

Namque

Namque quò quis melior eſt, eò humiliora de ſe ſentit, ac minoris ſe exiſtimat, ac proinde vbi aliquid à Deo poſtulandũ occurrit, plus fidit omniũ orationi, quàm ſuæ priuatæ. Prudentiſſimè ergo Petrus & ex pij paſtoris inſtituto, cùm ſolus à Deo vnum aliquem poſtulare potuiſſet ſubſtituendum, maluit tamen cõmuni aliorum ſuffragio facere. Itaque ornandus hic eſt veris humilitatis laudibus Petrus, ſed propterea minimè eſt ſua dignitate ſpoliandus. Sanè eximia laus eius eſt, quod Princeps renunciatus Collegij Apoſtolorum ſeipſo melior euaſerit. Ambitiosè enim ſatis illud de Veſpaſiano Tacitus, *Solus omnium ante ſe Principum in melius mutatus eſt.* Poſtremò fœdam contradictionem Chryſoſtomo obiicit ex illis ipſius verbis. *Iam & illud conſidera quàm Petrus agit omnia, ex communi diſcipulorum omnium ſententia, nil authoritate ſua, nil cum imperio.* Quod enim ſuprà dixiſſet, *Quid? non licebat ipſi eligere? licebat & quidem maximè, verùm id non fecit, ne cui videretur gratificari*, exiſtimat eum repugnantia dixiſſe, atque his quidem poſtremis verbis cauillatur, *videri Petro hanc aſſeruiſſe authoritatem, vt pro ſuo arbitratu aliquem deligere poſſet, prioribus autem illam ei ademiſſe.* Sed inſignis eſt iſta deliratio. Significat Chryſoſtomus Petrum chori Apoſtolici planè principem fuiſſe; hoc arguunt poſtrema eius verba; ſed ſubindicat ſumma moderatione principem fuiſſe, quippe qui nihil ex priuata ſententia in maximi momenti negotio ſit aggreſſus, ſed fratrum ſuorum, & collegarum opem & preces depopoſcerit, ac eos in conſilium adhibuerit: Hæc verò minimè pugnant Sapientis probi, ac verè magni Imperatoris illud celebratur, *Æquius eſt vt ego tot taliumque amicorum Conſilium ſequar, quàm tot tantique amici meam vnius voluntatem.* Summa igitur illa moderatio Principatũ illuſtrat, non obſcurat. Ego verò dixerim hîc Petrum ſententia Chryſoſtomi bonum paſtorem egiſſe; quippe qui ſignificarit nolle ſe omnem ſibi vſurpare poteſtatem, ſed cum aliis partiri ac communicare, quod omninò eſt boni paſtoris, qualem ſe Moſes oſtendit, cùm quidam de Eldad & Medad prophetantibus indignarentur.

Tacit. de Veſpaſiano iudicium.

Capitol. in Marc. Aurel. Philoſ.

Iam commentitiam rationem affingit Chryſoſtomo, cuius intuitu dixerit magnus pater licuiſſe, maxime Petro aliquem vnum deligere, in quem Epiſcopatum Iudæ conferret, nimirum, *Quod ea eſſet ætate, dignitate, exiſtimatione, & aliis virtutibus Apoſtolis commendatus, vt ſi id tentaſſet illi acceptum gratumque haberent.* Quod attinet ad ætatẽ fruſtra illa inducitur, quippe quæ ad hoc negotiũ nil faciat, & Andreas, ac fortaſſe etiã Iacobus Alphæi natu maiores haberi poſſint. Quod verò ſpectat ad dignitatem planè verum eſt ea parte conceſſiſſe Petro reliquos, non ob eximias tantùm virtutes, quibus pares eis eſſent alij, vel etiam ſuperiores, vt de Ioanne exiſtimat Hieronymus; ſed ob impoſitam illi ouium curam, & coniunctam cum dignitate ſummam authoritatem, cuius meminit Chryſoſtomus his verbis, *Quàm agnoſcit creditum ſibi gregem.* At vrget Spalat. *de Petro paulò antè dixerat Chryſoſtomus, quanquam habebat conſtituendi ius par omnibus, Si igitur, inquit, in Petro erat ius par eligendi atque in cæteris, cæteri quoque in iure hoc eligendi erant Petro pares:* Nugæ ſunt hæ. Cenſet Chryſoſtomus vnum Petrum tantùm iuris habuiſſe, quantùm omnis ſimul Apoſtolorum & diſcipulorum chorus haberet; vnde colligendum fuit Spalatenſi illum ſufficiendi Apoſtoli in locum Iudæ poteſtatem habuiſſe: Neque enim negauerit ea poteſtate præditos fuiſſe Apoſtolos; An-

Num. 11.

Spalat. Num. 19.

non verò Capitis eſt iſta dignitas, vt vnus Petrus potuerit præſtare, quod omnes ſimul poterant? Neque enim vult Chryſoſtomus, id licuiſſe Petro, quod Andreæ, quod Ioanni, quod Iacobo ſeorſim ſpectatis, liceret, haud namque Petri dignitatem ornaret aut commendaret ſupra reliquos, quod tamen facit, ſed id demum ei licuiſſe pronunciat, quod omnibus in vniuerſum Apoſtolis liceret. Si non ſunt hæc eximiæ poteſtatis indicia, non video vnde potiora duci poſſint? Quid illa verò Chryſoſtomi, *Meritò primus omnium authoritatem vſurpat in negotio, vt qui omnes habeat in manu: Ad hunc enim dixit Chriſtus, Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos.* Hominis obſtinatiſſimi non frangunt contumaciam; Ferreum os! *Ecce iam rurſus*, inquit, *videtur ſibi contrarius, iſta fert ſecum eloquentia.* Cruce digna verba. Excordem enim oportuerit fuiſſe Chryſoſtomum, ſi eadem in ſententia ſecum ipſe pugnarit, imò ſi Petrum, pro principe Apoſtolorum non habuerit, cùm ea illi tribuerit quæ niſi in principem ſanctiſſimi cœtus quadrare non poſſint. Excipit rurſus importunus hoſtis; Atque *verba illa habere in manu Apoſtolos*, quæ ſunt à Chryſoſtomo vſurpata, *duplicem habere poſſe ſenſum*, garrit; *alterum quidem Apoſtolos vt minores Petro tanquam maiori & primogenito ſubeſſe; Alterum qui priorem hunc ſenſum conſequitur; Petrum fuiſſe certum in hoc quod proponebat libenter omnes eſſe conſenſuros.* Monitore opus non habet lector, qui eum doceat hanc barbariem à Chryſoſtomi calamo non eſſe; certè eam euertit, ac funditùs tollit homo eloquentiſſimus, rationem enim ſubiicit cur Apoſtolos in manu haberet Petrus. *Ad hunc enim*, inquit, *dixit Chriſtus, confirma fratres tuos;* propterea perfrictæ frontis aduerſarius eum repudiat, *dum verba illa, confirma fratres tuos*, inquit Spalatenſis, *ad præſens negotium applicat Rhetoricè, non repugno; Theologicè tamen obſtat, tum quod de Apoſtolis non videatur Chriſtus locutus, tum quod in negotio præſenti circa electionem vnius Apoſtoli locum confirmatio non habeat, neque indigebant Apoſtoli, vt ad hoc à Petro confirmarentur.* Cum portento res nobis eſt. Ait ſibi non videri illa verba, *confirma fratres tuos*, de Apoſtolis intelligi poſſe; Atqui quid ipſe de his ſtatuat, hic non quæritur, ſed omninò quid ſenſerit Chryſoſtomus, qui proculdubio nomine *fratrum*, etiã ipſos intelligendos exiſtimauit Apoſtolos. At *confirmatione hic opus non fuiſſe* vrget; Sed non videt ius ſummum eligendi ab eodem fonte deriuari, à quo oriatur confirmandi poteſtas, ac propterea hanc in negotio electionis, ritè vſurpatam. Poſtremò contendit *non eguiſſe confirmatione Petri, Apoſtolos, Eſto!* Atqui in ordine à Chriſto præſtituto illis ſtandum fuit, vt propterea quemadmodum Petrus tanquam ad grandes natu & domeſticæ procurationis participes filios cuncta retulit, ita hi eum pro capite colerent, quo tota Eccleſiaſticæ vnitatis moles niteretur. Iam Dionyſium malè ſanè ſubornatum ac inſtructum teſtem profert, vt oſtendat *Apoſtolos habuiſſe propriam ſingulos, in hac electione, authoritatem.* Audiamus egregium veritatis vindicem. *Atque etiam*, inquit, *ipſe diſcipulorum facilè princeps* (poterant hæc omitti) *cum decem condiſcipulis paribus* (nimirum de Apoſtolatu illi ſermo eſt) *& Pontificibus cùm ad ſupplendum perficiendumque condiſcipulorum duodecim numerum in Pontificio honore veniſſet, Deo electionem timidè religioſeque permiſit, cùm dixit, oſtende nobis quem elegeris, atque eum qui diuina ſorte diuinitus declaratus eſt, in ſanctum duodecim numerum qui Pontificum erat, admiſit.*

Chryſoſt. hom. 3. in Act. Apoſt. Εἰκότως, πρῶτος τῶν μαθητῶν ἀναδύεται τῆς ἀποστολικῆς ἀξιώσεως. μᾶλλον δὲ πάντων ἁπλῶς ὁ Χρυσόστομος. καὶ οὐκ ἐπιτρέπει τὸ εἶξαι τῷ ἀδελφῷ σου. Luc. 22.

Dionyſ. Areop. lib. de Eccl. Hierarchia Græcè eſt, αὐτὸς ὁ τῶν μαθητῶν κορυφαῖος: hoc eſt diſcipulorum ſummus.

Vel

Vel hæc satis erant ad frangendam hominis contumaciam, si aliquis in eo pietatis sensus fuisset, aut amor veritatis. Repugnat tamen; *Significat*, inquit, *hoc ita faciendum esse, Petrum, vti Primum ex ipsis & sensisse & aliis tradidisse.* Hæc dubium habent sensum; Petrum enim quoque *Primum*, faciunt, qui Principem Apostolorum agnoscunt, sed quicquid sit de eius mente, illud habeo compertum, Dionysium docere Petrum tanquam Coryphæum, ac Apostolici chori principem toti illi actioni moderatum esse, ipsumque Matthiam, collectis aliorum suffragiis, Apostolum renunciasse, ac in sanctum duodecim numerum admisisse, quod firmandæ nostræ de Primatu Petri sententiæ, satis esse possit.

Iam aggreditur Oecumenium, eumque etiã lacessit. *Oecumenius*, inquit, *suprà impropriè dixit præcepisse, alioquin textus sacræ scripturæ ei repugnaret, &c.* Paulò pòst addit; *Oecumenius de solo primatu personali Petri est intelligendus.* Itáne verò tibi licet authores, aliò quàm velint, inflectere! Debet sanè intelligi Oecumenius de eo primatu quem ipsemet clarè ac disertè explicat. *Surgit Petrus*, inquit, *non Iacobus, vt is cui præsidentia discipulorum commissa erat, neque vllus orationi Petri contradixit, sed mox ad eius præceptum constituerunt duos quos dignissimos eo gradu existimabant vt vnum eorum, Deus ipse designaret;* Vides, Antoni, hæc duo complexum Oecumenium, *Præsidentiam discipulorum, & præceptum Petri*, quibus ni fallor, *Primatus* eius astruitur. *At impropriè locutus est*, inquis; Scilicet cui pietas cordi non sit, quique à disciplina Ecclesiæ præstituta abhorreat. Neque verò placitum eius euertit Scriptura, quæ vt præceptũ huiusmodi & *præsidentiam* hîc apertè non tradit, non obscurè tamen indicat, cùm Petrum inducit actioni moderantem. *Oportet*, inquit, *ex his viris qui nobiscum sunt congregati, &c. testem resurrectionis eius nobiscum fieri vnum ex istis. Et statuerunt duos.* Certè Augustinus à Beza hoc nomine vexatus non, *statuerunt duos*, numero plurali, sed statuit numero singulari, legit, & ad vnum Petrum refert, *non periculoso errore*, vt improbissimus Aristarchus censet, cùm teste Chrysostomo eius rei penes eam esset potestas, sed quod hoc ipsum quod alij authore Petro fecissent, id quoque Petrum fecisse censeri posse, non immeritò arbitraretur.

SPALAT. Num. 19.

Aug. l. 1. de Act. cum Felic. c. 4. Beza ad illũ locum Chrysost. hom. 3. in Act.

Vigesima prærogatiua, Petrus *primus incipit concionari, & promulgat Euangelium, etiam aliis audientibus. Quid tum!* inquit Spalatensis. *Erat primus in ordine Apostolorum, primus ætate, primus feruore & zelo: vnde Chrysostomus Primus verbum Dei prædicat, qui primus est omnium.* Audio Petrum primum omnium Christum prædicasse, hæc enim habent verba Chrysostomi; sed Petrum primum omnium ætate, feruore & zelo, quæ tamen vero primatui non obsint, non audio, nec horum quicquam profert Chrysostomus. Verba eius sunt, *Sicut Petrus inter Apostolos primus Christum prædicauit; sic inter ciuitates, sicut iam dixi, hæc prima (Antiochia) tanquam coronam admirabilem Christianorum tulit appellationem.* Dixerat autem superius, de Antiochia, *ciuitatum sub orienti positarum, caput esse nobilissimum.* Torqueat si potest ista ad suum ætatis primatum. Cæterùm Chrysostomus, Petrum illa oratione quam primam ad Iudæos habuit, communem Apostolorum vocem edidisse, quod os esset eorum piè & eruditè obseruat. *Communem vocem edebat*, ait, *ac Petrus omnium erat os, sed astabant illi undecim testimonio suo comprobantes, quæ ab illo dicebantur.* Sic autem eorum os fuisse accipiendum est, vt quemadmodum

SPALAT. Num. 20. Act. 2. Chrysost. hom. 3. ad pop. Ant. Ibid. Καὶ τοῦτο Πέτρος ἐν πᾶσι τοῖς ἀποστόλοις πρῶτος ἐκήρυξε τὸν Χριστόν. οὕτως ἐν πᾶσι τοῖς πόλεσι, καθάπερ ἔφθην εἰπών, αὕτη πρώτη, ἅτε τιμὴν τινα θαυμασίαν τοῦ Χριστοῦ ἀναδησαμένη πρωτεῖα.

Moyſes quà Princeps Synagogæ, primus omnium promulgauit legem, ita Petrus quà nouus Eccleſiæ Princeps, poſt acceptum Spiritum ſanctum, primus Iudæis publicarit Euangelium.

Act. 36. Firmat eundem primatum Petri primùm ab eo editum in confirmationem Euangelij miraculum, ſanando claudum, potentiſſimis iſtis verbis, *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula*; Solet enim Deus eas poteſtates, quarum ſit ipſe author, etiam miraculis confirmare, cùm oſtentis Primatum Moyſis & Pontificatum Aaronis illuſtrarit, ac comprobarit. Ambroſius certè ex communi Eccleſiæ ſententia, & recepta doctrina piè luſit in genere miraculi; *Petrus*, inquit, *Petra eſt ſuper quam ædificatur Eccleſia, ideoque ſicut in Eccleſia fidei fundamentum continet, ita, & in homine membrorum fundamenta confirmat, & vt Chriſtianus iam non trepidus, & imbecillis poßit ſuper Petram Eccleſiæ, ſed robuſtus, & fortis incedere.* Dubitat primùm Spalatenſis, vtrum Ambroſij ſit ille ſermo, ſed cur negari poſſit eſſe eius cauſam nullam profert: Addit intellexiſſe eum, Petrum fuiſſe, *non ſolum, ſed præcipuum Eccleſiæ fundamentum, Alioqui*, inquit, *ſibi contradiceret, qui toties aliàs etiam Apoſtolos agnouit totius Eccleſiæ fundamenta.* Ita eſt, mi Antoni, & videris hîc ſapientior factus; Namque ſunt & reliqui Apoſtoli ſuo modo Eccleſiæ fundamenta, ſed principem locum in his fundamentis obtinet Petrus, atque, vt ſimpliciter dicam, fundamentum eſt præcipuum, non ratione ætatis, aut vocationis, vt tu nugaris, ſed ratione *eminentioris cuiuſdam authoritatis, & poteſtatis*, quam à Chriſto inter reliquos ſit conſecutus.

Num. 16. & 17.

Ambroſ. ſer. 69.

Spalat. Num. 21. Actor. 5. Bellar. vbi ſup. c. 22. Act. 5. *Vigeſima prima prærogatiua, vbi damnat hypocriſim, & fraudem Ananiæ & Saphiræ, & eos punit morte tanquam diuinus, & ſummus Iudex, inquit Bellarminus.* Excipit verò Spalatenſis: *Sed hoc etiam fuit miraculum ad conciliandam Euangelio authoritatem, & credibilitatem; Sicut & cætera, vt cùm ad ipſius vmbram concurrebant ægroti, & ſanabantur; illum enim qui primus erat Apoſtolorum, & qui maximè omnium laborabat in Euangelio, etiam maximè par erat miraculis corroborari.* In quem igitur melius hæc conueniant, quàm in ſupremum Eccleſiæ Principem, ac paſtorem, quem par fuerit ſummis miraculis ornari, ac fidelibus commendari? Certè Clemens Alexandrinus interfectionem Ægyptij quem Moyſes futurus Iudæorum legiſlator, ac princeps occiderit; cum Ananiæ, & Saphiræ ſupplicio confert; Et Concilium Aquiſgranenſe, & Caſſianus hic imperium Petri agnoſcunt, qui ore Apoſtolico Ananiam damnarit. Sed nemo luculentius Chryſoſtomo hanc cauſam egit, quem tamen non veretur homo perfrictæ frontis nobis opponere. Viſne igitur, Marce Antoni, iudice Chryſoſtomo ius hic experiri. *Erat*, *inquit*, ſic enim refers, *Petrus os omnium; cauſam fidei agit pro omnibus, doctrina ſua inſtituit omnes; ipſe præcipuus fidei aſſertor eſt, præcipuus Catechiſta habetur, & primus extitit verbi concionator, & primus coëgit Eccleſiam, tanquam non ex Hieroſolymitanis, & circumcirca habitantibus Iudæis; ſed ex Parthis, Medis, Phrygibus, Libycis, Ægyptiis, Arabicis, aduenis Romanis, & aliis, & qui omnium Paſtor fuit à Domino, inſtitutus ex omnibus nationibus cogere cœpit oues, docuit eos fidem ſimul, & Apoſtolicos mores, nempè renunciare omnibus, ſimul conuenire in oratione, & panis à Chriſto edocta fractione.* Non eſt hic tenor verborum Chryſoſtomi, ſcimus, ſed tua fide contra te vtimur; de Simone Mago poſtea agetur.

li. 1. Strom.

Chryſoſt. hom. 4. in Act. Apoſt.

Vigeſima

Vigesima secunda prærogatiua Petri est, vbi sic legitur; Factum est cùm Petrus transiret per omnes. In quem locum Chrysostomus: Quemadmodum, inquit, dux in exercitu obambulans considerabat, quæ pars sit coadunata, quæ suo aduentu egeat; vide vbique illum circumcursare, & primum inueniri. Ita Bellarminus. Baronius etiam hinc reperta prius pace Ecclesiæ, facit Petrum Ecclesiarum, quæ vbique ex gentibus collectæ erant, visitatorem: Non enim, inquit, de aliis Apostolis id scribit Lucas, sed de Petro; cuius tantùm muneris fuit vniuerso gregi prospicere: vt ex his etiam, sicut & multis aliis supremis aduocatis, luce clarius Petri in Ecclesia primatum inspicias. Hæc Baronius. Mihi verò illud tantùm luce solis clarius est, Petrum feruentissimum Euangelij Prædicatorem, obambulasse itineribus frequentissimis, vt munus suum obiret; & in hoc cæteros vndecim facilè superasse. Alium maiorem primatum non video; Neque aliud Chrysostomus voluit, & de hac visitatione plura dicam libris sequentibus. Hanc prærogatiuam vellicarat quoque Caluinus, & Catholicos stultitiæ coarguerat, *Qui ex iure visitandi Petri primatum colligerent.* Misero discipulo ac infelici Magistro Chrysostomum opponimus, *Quemadmodum*, inquit, *dux in exercitu* (ergo Christiani exercitus dux Petrus) *obambulans considerabat quæ pars sit coadunata, quæ ornata, quæ suo aduentu egeat; vide vbique illum concursantem, & primum inueniri; Quando eligendus Apostolus hic primus: quando loquendum Iudæis non Apostolos esse ebrios; quando curandus claudus, quando concionandum, hic præ aliis est, quando agendum contra Principes, quando contra Ananiam, quando ab vmbra sanationes fiebant, hic erat.* Vides, vt facundissimus Pater vbique primatum Petro tribuat. Existimat Spalatensis *Petrum se feruentissimum Euangelij prædicatorem præbuisse, obambulasse itineribus frequentissimis, vt munus suum obiret, & in hoc cæteros vndecim facilè superasse.* Itaque eius sententia excidit sua gloria Paulus, nec cæteris se amplius laborasse iam dicere potest. Alium tamen primatum non videt, quàm feruoris & ardoris. Atqui Chrysostomus haud otiosè illum cum exercitus duce munia sua diligentissimè obeunte contulisse credendus est, καθάπερ, inquit, τις στρατηγὸς περιὼν τὰς τάξεις ἐπισκοπῶν ποῖον ἐπισυνεσταλμένον μέρος. Hæc certè feruorem summi ducis non alicuius ex inferiori ordine commendant.

SPALAT. Num. 22. Act. 9.

Bellar. vbi sup. c. 22. Baron. to. 1. an. 39. nu. 26.

Infra lib. 4. c. 1. num. 18. 24.

Calu. ad ca. 9. act. Ap.

Chrysost. hom. 21. in act. Apost.

Καθάπερ τις στρατηγὸς περιὼν τὰς τάξεις ἐπισκοπῶν, ποῖον ἐπισυνεσταλμένον μέρος. ποῖον ἐν κόσμῳ. ποῖον ἐν ἀπορίᾳ δέοιτο περιουσίας. οὕτως καὶ αὐτὸς περιὼν ἐπεσκόπει. ὅτι ἐνταῦθα ἐδεῖτο τοῦ ἀποστόλου, ἔνθα πρῶτος. ὅτι διψυχοῦσι τοῖς Ἰουδαίοις φησὶ τὰ μὴ μεθύειν. ὅτι διεγηγέρται ἡ χολή. ὅτι ἀνωμοίωται, οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν. ὅτι ἐκεῖ τὸν ἐμπόρους, οὗτος. ὅτι ἐκεῖ Ἀνανίαν. ὅτι ἀπὸ σκιᾶς ἐίσοντο ἐγίνοντο, οὗτος ὧδε.

Vigesima tertia; Quod Petrus primus etiam aperuerit ad gentes ostium Euangelij: vbi ad Cornelium ingressus ei prædicauit, & ipsum baptizauit; Sed de hoc fortasse posset esse controuersia, vter prior gentibus prædicauerit, Petrusne an Paulus, de qua Bellarminus. Ego tamen facilè concesserim & crediderim, Petrum primùm, Gentilibus etiam, Euangelium prædicasse in Cornelio: atque hac de causa meritò, & Iudæorum & Gentilium Patrem posse appellari; sed quid hoc ad principatum? Fuit insignis Petri sollicitudinis prærogatiua, qua sollicitudine, & indefessa diligentia cæteros facilè superauit. Visio, inquit Bellarminus, illi soli ostensa est, qua mouebatur tempus esse prædicandi Gentilibus. Censet igitur Spalatensis sollicitudine, ac diligentia reliquos Apostolos viciisse, ac superasse Petrum: Hæc autem summa est eius inconstantia; Nam aliis locis asserit Paulum superasse omnes omninò Apostolos ea prærogatiua sollicitudinis, ac diligentiæ. Atqui Paulus iam erat Apostolus, cùm Petrus est Gentilibus concionatus: cùm itaque insignem hic prærogatiuam Petri agnoscat, proculdubio ea diligentiæ, ac laboris esse non potest, sed principatus, & authoritatis. Visionis priuilegium conuellere nititur, censetque non tantùm non fuisse priuilegium, sed etiam increpationis quandam, & obiurgationi s rationem præ se ferre, quâ Deus obstinatum ac

SPALAT. Num. 23. Act. 10.

Bellar. ibid. c. 23.

Iudæorum legibus nimium addictum, animum fregerit; Hoc aut em non video, quomodo ſtare poſſit cum his quæ ante paulò ſunt ab eo dicta; *Fuit*, inquiebat ſuprà, *inſignis Petri ſollicitudinis prærogatiua*: & rurſus, *fuit priuilegium quo primus, & maximus natu ex Apoſtolis, & feruentiſſimus executor meruit decorari.* Iam verò, *Hæc viſio*, inquit, *mihi quoque plus ſimplicis inſtructionis, & quaſi cuiuſdam increpationis, quàm laudis, & prærogatiuæ in Petro, videtur innuere.* Concilia iſta ſi potes.

Diluamus verò Apoſtolorum principi obiectum crimen; *Is*, inquit Spalatenſis, *Iudaiſmo addictiſſimus, vix poterat in Gentilium vocationem, ad diuinæ filiationis gratiam, inclinare. A qua illum auerſione, vt Chriſtus amoueret, nimium legalibus, quæ iam expirabant, addictum, viſione hac occurrit; non ſine illa redargutione; Quòd Deus purificauit, tu commune ne dixeris. Ac ne ipſe nimium fortaſſe in hac refractarius, reluctaretur, ter viſio illa, aut ſaltem hæc vox, repetita eſt.* Act. 10. Impudentiſſimè ſcripturæ teſtimonio abutitur, vt ſummum Apoſtolorum contumelia oneret: Non enim his verbis, *Quod Deus purificauit, tu ne commune dixeris*, A Deo eſt reprehenſus, quòd conuerſioni gentium obluctaretur, ac nonniſi ægrè morem gereret præcepto diuino de his adeundis; Neque enim tunc quidem de gentibus cogitabat, ſed cùm ſenſum viſionis minimè caperet, aſſereretque ſe nunquam immunda animalia comediſſe, quòd tenaciſſimus ſemper fuiſſet legis Moſaicæ, omnem ei ſcrupulum ademit diuina vox. Atque poſtquam eſt ad id à Deo edoctus, paruit dicto, ac ſe promptum, & expeditum ad eam legationem obeundam oſtendit. Immeritò ergo refractarius audit, & tanquam Deo immorigerus traducitur. Vexat hîc etiam Bellarminum Spalatenſis, tanquam *allegoriarum imperitum artificem*, quod nimirum hæc verba, *Macta, & manduca* ad officium *capitis retulerit, quia capitis eſt manducare, & per manducationem traijcere cibum in ſtomachum, & illum ſibi incorporare*; Eoque propterea, ſignificatum dixerit, *debere Petrum tanquam caput Eccleſiæ, infideles conuertere, & efficere membra Eccleſiæ.* Excipit igitur Spalatenſis, *Egò verò dicerem* (en quanti ſe faciat homo vaniſſimus) *potius os manducare, & in ventrem cibum traijcere, quàm caput. Et quamuis os ſit in capite, os tamen caput non eſt, ſicut neque oculi, neque aures, neque nares, quæ omnia vt membra à capite diſtincta ſolent numerari.* Atqui initio oſtendimus caput Philoſophis omnibus haberi totum illud quod collo ſuſtentatur, in quo propterea ſit os, cuius proinde opera tanquam partis officio in mandendo cibo vtatur. Symbolum Auguſtini, quod ſibi magis arridere dicit, expendamus. Verba Auguſtini ſunt, ſi tamen eſt Auguſtinus author 50. Homiliarum: *Vnde iam poſt remiſſionem peccatorum, quare non accipiantur gentiles in corpus Chriſti, quòd eſt Eccleſia Dei, cuius perſonam Petrus geſtabat? Petrus in multis locis apparet, quod perſonam geſtet Eccleſiæ; ſi Petrus figuram geſtabat Eccleſiæ, & Eccleſia corpus Chriſti eſt, recipiat in ſe quaſi in eſcam ſuam iam mundatas gentes, quibus peccata dimiſſa ſunt.* Aug. lib. 50. hom. 45. Quid igitur ſit in his verbis, quod Bellarmini allegoriam euertat: *Beatus Petrus*, inquit, *typum habuit Eccleſiæ Catholicæ*: Quorſum verò hunc typum geſſit, niſi quia claues accepit, & principatum in diſcipulis habuit, vt ipſe Auguſtinus aliis locis explicat, & meminit etiam hoc libro? De eo enim qui ab vniuerſo per aliquam hæreſim conſcinditur, ita ſcribit, *Si autem ad viſionem Petri non pertinet, nec ad claues quæ ſibi datæ ſunt pertinebit.* Vides, vt hoc nomine typum geſſerit Eccleſiæ, quod claues acceperit. Atqui non vt priuata quædam perſona, ſed tanquam princeps

ob

ob primatum quem habuit in diſcipulis claues accepit ſententia Auguſtini. Nihil ergo aduerſarium iuuat tanti Patris ſymbolum, etſi de illo maximè blandiatur, ac in eo triumphet vaniſſimè.

Vigeſima quarta, vbi pro Petro in carcere conſtituto oratio fiebat ſine intermiſſione ab Eccleſia, & liberatus eſt, quam orationem pro aliis in ſimili periculo conſtitutis, vt fuit Stephanus, & Iacobus, nõ legimus, ita ſine intermiſſione factam, vt pro Petro; ex quo colligunt indicium Petrum fuiſſe caput, quia multum intereſt vtrum membrum, an caput periclitetur. Reſpondeo, inquit Spal. *quia erat primus, & maximus Apoſtolus, & Eccleſiæ vtiliſsimus, qui incredibili ſua ſollicitudine, & immenſis laboribus pro Eccleſia toleratis, maximum etiam erga ſe Eccleſiæ conciliauerat amorem, ideoque ab ea fiebat oratio ſine intermiſsione pro eo.* Sed quis non videt de Iacobo quoque dici poſſe, eum fuiſſe maximũ Apoſtolum, Eccleſiæ vtiliſſimum, ac diligentiſſimum Euangelij præconem, qui etiam ingentes labores pro Eccleſia ſuſcepiſſet, eoque nomine omnium animos ſibi conciliaſſet? Hunc certè, ſummum vocat Chryſoſtomus: *Hi tres,* inquit, (Iacobus, Ioannes, & Petrus) *ſummi erant, maximè autem Petrus, & Iacobus.* Solum illud deeſſe videri poſſit, quod *primus Apoſtolorum* non eſſet: ſed benè in Petrum quadrat ea prærogatiua, non illo aduerſarij ſenſu, ſed quia princeps, & caput fuit reliquorum. Fauet ergo maximopere Petri dignitati hic locus, quo oſtenditur valdè ſollicitam fuiſſe Eccleſiam ob eius periculum, ne paſtoris interitus diſperſio eſſet totius gregis; *Magni amoris indicium, oratio,* inquit Chryſoſtomus, *Patrem omnes quærebant, Patrem manſuetum.*

SPALAT. Num. 24. Act. 12. Bellar. ibid. cap. 22.

Chryſoſt. hom. 26. in act. Apo. Τὸ κεφάλαιον τὸ πάντων τῶν καλῶν μάλιστα ἦν Πέτρος καὶ Ἰακώβου. Πατέρα πάντες ἐζήτουν, πατέρα ἥμερον.

Vigeſima quinta; *Primus in Concilio loquitur, & ſententiam eius Iacobus, omneſque alij ſequuntur. Et ab ipſo maximè cupiebat Paulus ſolutionem dubiorum de legalibus inſtitutis, de quibus Antiochiæ contendebant, vt aſſerit Theodoretus. Mihi tamen certum eſt in omni collegio Decanum primum dicere ſententiam, neque propterea eſt ſupremum aliorum caput, cum iuriſdictione.* Eſt quod Decani collegiorum huic ordinis Eccleſiaſtici interturbatori immortales habeant gratias, qui eorum dignitatem ad Petrum reuocarit; ſed Hieronymus aliquid amplius vidit quàm Spalatenſis, authorem enim decreti facit Petrum, non tanquam Decanum aliquem, ſed tanquam Principem Apoſtolorum, & poteſtate ſumma in eo conſeſſu pollentem, ac effulgentem; cui propterea alij omnes, etiam ipſe Iacobus Hieroſolymorum Epiſcopus aſſenſi ſint, & eius ſententiam ſecuti. Audiamus Magnum Eccleſiæ Doctorem poſt recitatam Petri ſententiam. *Tacuit,* inquit, *omnis multitudo, & in ſententiam eius Iacobus Apoſtolus, & omnes ſimul presbyteri tranſierunt, hæc non debent eſſe moleſta lectori, ſed & mihi, & illi vtilia, vt probemus antè Apoſtolum, Paulum, non ignoraſſe Petrum, principem huius decreti, legem poſt Euangelium non eſſe ſeruandam. Denique tantæ Petrus authoritatis fuit, vt Paulus in epiſtola ſua ſcripſerit: Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, &c.* Vides hîc maiorem Petri authoritatem quàm Decanorum. Propterea Theodoretus cenſet Paulum à Petro, ſcilicet tanquam ab huius controuerſiæ iudice ſolutionem quæſtionis petere voluiſſe. *Paulus præco veritatis, tuba ſanctiſsimi Spiritus,* inquit, *ad magnum Petrum cucurrit, vt ij qui Antiochiæ de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo adferrent ſolutionem.* Obiicit Spalatenſis, *Iacobum in eodem Concilio aliquid amplius decreuiſſe, quàm Petrus decreuerat, nimirum abſtinentiam à contaminationibus ſimulachrorum, & fornicationis, & ſuffocatis, & ſanguine.* Sed non vidit hæc de quibus ſententiam

SPALAT. Num. 25. Bellar. ibid. c. 22. Prærog. 19. Act. 15.

Hieronym. ep. 89. Auguſtino.

Ep. ad Leon.

tulerit Iacobus in Concilio propoſita non fuiſſe. Quæſtio ſi quidem propoſita conſeſſui ea fuit; *An circunciſio eſſet ad ſalutem neceſſaria iis, qui ex gentibus ad fidem conuerterentur?* De qua ſuum iudicium tanquam chori princeps interpoſuerit Petrus: Reliqua extra præſentem controuerſiam erant, vt quod de illis ſtatuit Iacobus primatum Petri, aut eius authoritatem infringere non poſſit: Neque enim ſummi iudices pluſquam quod eſt à litigantibus propoſitum dirimunt, ſed ad id ſolùm, de quo rogantur, reſpondere ſolent. Obiicit rurſus, *haudquaquam ſolius Petri nomine prodiſſe decretum*; Ita eſt, ſic enim eſt editum, *Apoſtoli & ſeniores fratres his qui ſunt Antiochiæ*, quod ſcilicet quæſtio toti Concilio eſſet propoſita, & in eo res acta eſſet omnium ſuffragiis. Certè ſiquidem vni Petro fuiſſet illa propoſita, nomine ſuo reſpondiſſet: ſed cùm omnes in decretum conſenſiſſent, par quoque fuit vt nomine omnium ederetur; Nam & hic Conciliorum Oecumenicorum mos eſt ſolemnis, vt quanquam vnus aliquis ſit qui nomine Pontificis conſeſſui præſit, omnium tamen Patrum nomine placita edantur. De ſententia Theodoreti quàm immeritò traducit aduerſarius, videbitur inferius.

Spalat. Num. 26. Gal. 1. Oecum. in c. 1. ad Gal. 1. Cor. 15.

Vigeſima ſexta, quod Paulus ad inuiſendum Petrum è longinquo Hieroſolymam venerit tanquam ad maiorem, vt loquitur Oecumenius. Quidni verò Paulus, inquit, *nouiſſimus Apoſtolorum, agnoſcat Petrum primum Apoſtolorum ſe maiorem ætate, vocatione, familiaritate Chriſti, rebus geſtis, & ipſa Apoſtolorum delatione, totque aliis prærogatiuis, ſed tamen omnibus perſonalibus, valdè inſignem? Quodque illum inuiſat officij gratia qui erat primus Apoſtolorum, nihil arguit abſoluti in Petro principatus: propterea enim, quia Petrus erat os, & princeps Apoſtolorum, hoc eſt primus ex ipſis, qui etiam omnium nomine ſoleret proloqui, agere & reſpondere; ideo Paulus eum præter alios, vt ſcribit Chryſoſtomus, viſurus aſcendit. Quod Pauli officium alibi melius explicans idem Chryſoſtomus ait, Quid hoc animo poſſit eſſe modeſtius? Poſt tanta taliaque benefacta, cùm nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce, ſed honore par erat illi, (nihil enim hic dicam amplius) tamen aſcendit velut ad maiorem ac ſeniorem, ſoluſque Petri conſpectus commouit illum, vt eò proficiſceretur.* Itaque ſtatuit Spalatenſis hunc honorem Petro detuliſſe Paulum, quod *ætate, vocatione, & familiaritate Chriſti, rebus geſtis, & ipſa Apoſtolorum delatione*, vt loquitur barbarus deſertor, *eſſet inſignis.* Quod attinet ad ætatem, & vocationem ſuprà oſtendimus vana ea eſſe erroris præſidia. Iam verò hoc vnum addimus hac ratione debuiſſe igitur Paulum non vnum Petrum inuiſiſſe, ſed omnes omnino Apoſtolos, cùm citra controuerſiam omnes ætate & vocatione ipſo ſuperiores eſſent. Atqui negat ſe quenquam illorum vidiſſe, niſi hunc Petrum, & Iacobum fratrem Domini. Quod attinet ad familiaritatem quis neſciat, quod pluribus aduerſus Iouinianum Hieronymus oſtendit, Ioannem qui ſupra pectus Domini in cœna recubuit, ſeruatori longè Petro fuiſſe familiariorem? Cur ergo ſaltem hunc non adiit Paulus? Iam verò ſi Apoſtolorum in eo ſequutus eſt ſenſum, qui Petro primas conceſſiſſent, quid hac ratione illuſtrius proferri poſſit ad Petri principatum ac dignitatem firmandam! An ex nihilo eſt quod faſces ſummiſerint collegæ ſuo? Certè qui toties de primatu contenderant magnos illos ſpiritus non poſuiſſent, nec Petro ceſſiſſent, niſi id eos facere præcepiſſet Chriſtus, cuius animo inſediſſet id ei authoritatis tribuere? Si ergo res à Petro geſtæ animum Pauli permouerunt, vt eius inuiſendi deſiderio teneretur; Proculdubio id in cauſa fuit, quod vbique,

Chryſoſt. hom. 87. in Ioan. Id. in ep. ad Gal. 1.

Gal. 1.

Hieron. l. 1. adu. Iouin.

vt

vt ex Chryſoſtomo oſtendimus, ſe Apoſtolici chori principem, & dominici ouilis paſtorem præbuiſſet, haudquaquam refragantibus ſociis in ordine à Chriſto ſtare iuſſis; Germanam ergo Paulinæ profectionis rationem veſtigarunt Patres, quos ineptiſſimè aliò quàm ipſi velint torquet Spalatenſis, *Petrus*, inquit Chryſoſtomus, *os erat Apoſtolorum, καὶ κορυφὴ τῦ χοροῦ, princeps, & vertex ipſius cœtus. Propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit.* Nugatur verò Spalatenſis, qui citra vllam imperij dignitatem hæc in Petro infuiſſe inaniter contendit; Illud ſi quidem, κορυφὴ τῦ χοροῦ, eximiam & cum poteſtate coniunctam dignitatem arguit; Etſi non me fugit Grammaticos nouatores in huius vocis interpretatione luſiſſe, & vt eius vim effugerent nugas conquiſiuiſſe, de quibus ſuo loco. Cæterùm aduertere oportuit Spalatenſem, hæc Chryſoſtomi verba dicta ad locum, qui maximè faceret ad primatum Petri, nempe ad locum illum, *Paſce oues meas, &c.* Sed inſtat aduerſarius, *Chryſoſtomum alio loco melius ſeipſum explicaſſe.* (hæret ſcilicet in iſtis) *Quid hoc animo poſſit eſſe modeſtius*, ait os verè aureum, de Paulo loquẽs, *poſt tanta taliaque benefacta, cùm nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce, ſed honore par erat illi (nihil enim hic dicam amplius) tamen aſcendit velut ad maiorẽ ac ſeniorem, ſoluſque Petri conſpectus cõmouit illum, vt eò proficiſceretur; Audiſne*, inquit Spalatenſis, *Paulum Petro honore ſaltem parem? Videſne Chryſoſtomum tacitè quodammodo Paulum Petro etiam præferre per illam valdè grauidam reticentiam, (nihil enim, inquit, hic dicam amplius?) ſi Doctor hic celeberrimus agnouiſſet Petrum Eccleſiæ totius Principem & Monarcham, illane potuiſſet dicere, tamen aſcendit velut ad maiorem & ſeniorem, ſoluſque Petri conſpectus commouit illum, vt eò proficiſceretur: Oportuiſſet autem dicere eum aſcendiſſe ad Petrum, tanquam ad caput totius Eccleſiæ, & ſuum verum & legitimum ſuperiorem, &c.* Atqui hic dat ſine mente ſonos, quod ſcilicet tanti Doctoris non ſit aſſecutus mentem, quæ omnino ex mente Apoſtoli pendet, quam ipſe doctiſſimè interpretatur. Tota illa epiſtola Apoſtolus veluti pro ſe cauſam dicit aduerſus falſos fratres, qui impenſius legi quàm Chriſto ſeruatori ſtuderent ac fauerent. Quod enim ij contra doctrinam Pauli ad circunciſionem, & cæteras Moſaicæ legis cæremonias Galatas traducerent, legemque cum Chriſto, impio commento coniungere niterentur, hoc vnum agebant, vt Pauli authoritatem qua impediebantur eleuarent, ac deprimerent; vtque populis fucum facerent, negabant illum verum Chriſti Apoſtolum, id eſt à Chriſto miſſum, quippe qui eum in carne non vidiſſet; ſed duntaxat eſſe Apoſtolorum diſcipulum, qui doctrinam illorum, nec ſatis intelligeret, nec fideliter referret. Subiiciebant verò cæteros Apoſtolos, quibus velut Chriſti conuictoribus, ac cumulatiore myſteriorum reuelatione donatis, maior fides eſſet adhibenda, aliud & ſentire & docere. Potiſſimùm verò Petrum, Paulo opponebant, qui cùm eſſet Antiochiæ, quanquam ea eſſet ciuitas Gentilium, non Iudæorum, ſeſe tamen à menſis Gentilium ſubduxiſſet, veluti eo facto commonſtrans à cibis lege prohibitis vbique, & ab omnibus ſine diſcrimine eſſe abſtinendum, proindeque adhuc retinendam legem, & eius cæremonias obſeruandas. Paulus itaque vt impudentia ora obſtruat, ita reſpondet, vt imprimis & dignitatem Apoſtolatus ſui aduerſus pſeudo Apoſtolos tueatur, & ſuæ doctrinæ cum legitimis Apoſtolis concordiam ex habita inter ipſos collatione comprobet. In aſſerenda igitur dignitate ſua, orditur à ſua vocatione, ſeque à Deo qui eum *ex vtero matris ſegregaſſet, vocatum per gratiam* vt tanquam Apoſtolus, & præco legiti-

Chryſoſt. hom. 87. in Ioan.

Eod. num. 26.

Gal. 1.

Digitized by Google

mus filium ſuum, fideique eius myſteria manifeſta mundo faceret, oſtendit: Additque hac vocatione fretum ſe, *non acquieuiſſe carni & ſanguini*, hoc eſt, vt interpretatur Tertullianus, *non retuliſſe ad carnem & ſanguinem*: Quibus verbis ipſos etiam Apoſtolos à quibus nil ſe accepiſſe non inaniter gloriatur, omnino cõplectitur. Abſtinuiſſe enim ab eorũ congreſſu ad triennium vſque, cùm tamen interea temporis egregiam, ac ſedulam operam Euangelio prædicando nauaſſet, neque ab opere ad quod eſſet vocatus abſtinuiſſet. Tum verò ne quis obiiceret non paria eum ſentire Apoſtolis, ſed aliam viam ingreſſum pugnãtia docere, vrget ſe vt hanc calumniandi anſam aduerſariis præriperet, triennio illo elapſo cum Apoſtolis ſuam doctrinam communicaſſe, maximè verò cum Petro, apud quem diebus quindecim manſiſſet; ſed ne ſuam cauſam deſeruiſſe videretur, ac locum reliquiſſe criminandi, ſaltem illo dierum interſtitio eum multa à Petro accepiſſe, ſpacium temporis notat, quod vtique addiſcendo Euangelio, quod aliis prædicandum eſſet, non ſufficeret. Hic ſcopus eſt Apoſtolo primo capite epiſtolæ ad Galatas. Quare Chryſoſtomus eodem reſpiciens vrget quoque ipſe Paulum, neque ab aliis Apoſtolis, neque ab Apoſtolorum etiam principe Petro inſtitutum in Euangelij doctrina; ſed quod ad Petrum profectus ſit id feciſſe *honoris, non diſciplinæ gratia.* Ait igitur primùm, *nihil opus habuiſſe Petro*, ſcilicet *pro confirmatione Euangelij*, quod ab ipſo Chriſto accepiſſet. Addit *honore parem fuiſſe; honore*, ſcilicet *Apoſtolatus*, à quo Euangelij prædicandi authoritas manaret: Innuit etiam ſi cum Petro conferatur, *poſſe plura afferri in quibus videatur præcelluiſſe*, quod nimirum à Chriſto haudquaquam mortali, & in terris agente, ſed ad gloriam Patris euecto, atque de cœlo intonante vocatus fuerit, aut ſi ad ipſius Euangelij profectum reſpicias, *quod abundantius omnibus laborauerit*, & plus in eo excolendo poſuerit operæ: haud igitur auſpicatò aggreſſus eſt Spalatenſis obſtetricari, & parturientem Chryſoſtomum adiuuare, vt eius reticentia nos percelleret, ac Paulum *nedum parem, ſed fortaſſe maiorem*, Petro faceret. Certè ſi grauida hoc ſenſu dicitur à Spalatenſi ea reticentia, è Chryſoſtomo grauida non eſt, ſed adulterino fœtu grauatur, & aluum impleuit neſcio quis impoſtor. *Atqui*, inquit Spalatenſis, *ſi Petrus Paulo maior fuit, debuit aſſerere Chryſoſtomus Paulum non ſolius reſpectus, ſed obedientiæ gratia acceßiſſe ad Petrum*: Reſpondeo quanto in honore habuerit Petrum Paulus abundè teſtatum Chryſoſtomus reliquit, cùm in eo conſpectu cuius deſiderio flagraſſe ſe Paulus affirmat, notauerit eximij aliquid cogitaſſe Apoſtolum, ſic enim loquitur, καὶ οὐκ, inquit, εἶπεν ἰδεῖν Πέτρον, ἀλλ' ἱστορῆσαι Πέτρον, ὅπερ οἱ τὰς μεγάλας πόλεις, καὶ λαμπρὰς καθαμαθόντες λέγουσιν; ἱστορῆσαι enim dicimur, cùm res incundas & ſuſcipiendas propius inſpicimus; Plutarchus in Lucullo; λέγεται γὰρ μὴ' εἰς Μέμφιν ἀναζεῦξαι. μὴτ' ἄλλο τῶν ὧν λιγυπτῷ θαυμαζομένων ἱστορῆσαι, eius ſcilicet incuriam, aut potius incurioſitatem notans. Proculdubio igitur ſententia Chryſoſtomi Apoſtolus eo verbo vſus, ſignificauit ſe Hieroſolymam rediiſſe viſendi Petri gratia, non vt cum eo ſuum Euangelium conferret, aut ab eo diſceret aliquid, ſed ſtudio propius cognoſcendi tantum virum quem ſcilicet Chriſtus, & Apoſtolorum ſummum principem, & Eccleſiæ ſuæ paſtorem conſtituiſſet. Totidem enim verbis habet iſta aliis locis Chryſoſtomus, vt ſuprà oſtendimus.

Lib. de Reſurre. c. 50.

SPALAT. Num. 26. Nondum herbam porrigit Spalatenſis, *Pergamus*, inquit, *audire Chryſoſtomum, Pauli modeſtiam ac ferè humilitatem, occaſione huius viſitationis exaggerantem. Vides, inquit, quemadmodum illis (Apoſtolis Petro & Iacobo) tribuit congruentem*

gruentem honorem; neque ſolùm non dicit ſeipſum illis meliorem; verùm ne parem quidem eſſe putat id quod ex ipſa profectione liquet; ſicut enim nunc multi fratrum noſtrorum ad viros ſanctos proficiſcuntur, eodem affectu tunc Paulus ad Petrum profectus eſt. Sanctitas ergo Petri, *non authoritas,* Paulum *traxit,* infert Spalatenſis. Ineptè ſanè quaſi ſanctitas, & authoritas in vnum eundemque Petrum coaluiſſe non potuerint, vt affectum Pauli permouerent, atque ad eum inuiſendum inuitarent. Notauit & hunc affectum Pauli Hieronymus, ac vtriuſque reſpectu nempe, & ſanctitatis & authoritatis hanc profectionem inſtituiſſe obſeruauit. *Venit* Paulus *videre* Petrum, inquit, *non vt oculos, genas, vultumque eius inſpiceret, vtrum macilentus an pinguis, adunco naſo eſſet, an recto, & vtrum frontem veſtiret coma, an* (vt Clemens in periodis eius refert) *caluitium haberet in capite. Nec puto Apoſtolicæ fuiſſet grauitatis, vt poſt tantam triennij præparationem, aliquid humanum in* Petro *voluerit aſpicere: ſed ijs oculis aſpexit, quibus & modò in Epiſtolis ſuis videtur: ijs oculis* Paulus *vidit* Cepham, *quibus nunc à prudentibus quibuſque* Paulus *ipſe conſpicitur. Quod ſi cui non videtur; cum ſuperiori ſenſu iungat hæc omnia; Quod nihil Apoſtoli ſibi contulerint: nam & quod iuſſus ſit ire Hieroſolymam ad hoc iſſe, vt videret Apoſtolum; non diſcendi ſtudio, qui & ipſe eundem prædicationis haberet autorem, ſed* HONORIS PRIORI APOSTOLO, *deferendi.* Quod igitur referente Spalatenſi addit Chryſoſtomus: *Nam iſti nunc* (qui ad viros ſanctos proficiſcuntur) *vtilitatis ſuæ gratia ſuſcipiunt peregrinationem. Beatus ille, non vt diſceret aliquid ab illo, neque vt correctionem aliquam acciperet profectus eſt, ſed tantùm vt videret eum, ſuaque præſentia honoraret*, nihil detrahit primatui Petri, quem maiorem Paulo facit, nedum ſeniorem, ſed eò ſpectat vt intelligamus Paulum non inuiſiſſe Petrum, vt ab eo doceretur; quod tamen voluerunt Eraſmus & Vatablus, ſed duntaxat vt ei tanquam Apoſtolorum vertici honorem haberet, quod ipſe Chryſoſtomus ſuprà docuit. Eodem ſenſu Auguſtinus hanc profectionem Pauli accepit: *Si,* inquit, *cùm euangelizaſſet Paulus in Arabia, poſtea vidit* Petrum, *non ideo vt per ipſum Petrum diſceret Euangelium, nam antè vtique eum vidiſſet, ſed vt fraternam charitatem etiam corporali notitia cumularet*: Et ſanè perridicula eſt obſeruatio Spalatenſis, qui inde colligit, *ſolam fraternam erga fratrem charitatem agnoſcere Auguſtinum, non erga ſuperiorem, ac totius Eccleſiæ principem.* Neque enim rurſus authoritas Petri huic fraternæ Pauli charitati obſtare potuit, cùm certum ſit omnes Apoſtolos, de quorum numero iam erat Paulus, fratres fuiſſe, ac omnes in eo officio pares. Si enim Chriſtus *non confunditur eos fratres vocare*, cur non & ipſi quoque inter ſe fratres dicerentur? Neque verò locus erat explicandi primatus Petri, cùm Auguſtinus in eo eſſet, vt oſtenderet Paulum non eruditionis, aut diſciplinæ gratia etiam ipſum ſummum Apoſtolorum conſuluiſſe, ſed fraternam charitatem hac ſua profectione coluiſſe. Non igitur *malignus fuit, aut in Petrum inuidus Auguſtinus*, vt malignè cauillatur Spalatenſis, etiamſi perſpectum ſibi Petri principatum hoc loco tacuerit; Eum ſi quidem ingenuè alibi expreſſit, atque in ipſo *Primatum Apoſtolorum* excellentiore gratia præfulſiſſe, non obſcurè docuit, ſed cùm ad rem minimè faceret, ab eo referendo abſtinuit. Alij tamen Patres expreſſerunt; Author Commentariorum qui nomine Ambroſij præferuntur, *Dignum fuit vt cuperet videre Petrum, quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat ſaluator curam Eccleſiarum; vtique vt aliquid ab eo diſceret, quia iam*

Hieronym. ep. ad Gal. c. 1.

Chryſoſt. hom. 87. in Ioan.

Aug. in ep. ad Gal.

Auth. Comment. qui nunc Amb. Præf. ad 1. c. ep. ad Gal.

ab authore didicerat, à quo & ipſe Petrus fuerat inſtructus; ſed propter affectum Apoſtolatus, & vt ſciret Petrus hanc illi datam licentiam, quam & ipſe acceperat. Veniens ergo ad eum, hoſpitio receptus eſt, & apud eum manſit dies quindecim, quaſi vnanimus & Coapoſtolus, &c. Hæc tamen ad ordinem, ætatem, & vocationem, quibus Apoſtolos reliquos anteuerterit Petrus, refert importunus & procax aduerſarius, putidis illis cauillationibus, quas ſuprà confutauimus, inſiſtens; cùm tamen hic author non patiatur ſe eò abduci. Quid enim ſibi volunt illa verba de Petro, *Quia primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat ſaluator curam Eccleſiarum?* An non aliud præ ſe ferunt quàm prioritatem illam *ætatis, vocationis, aut ordinis*, quam ad nauſeam vſque homo ſolidiori præſidio deſtitutus inculcat? An non ſublimiorem quendam principatum, & dignitatem ſpirant, omnium iudicio qui aliquid ſapiunt? Spalatenſis ipſe curam Eccleſiarum his verbis, *Paſce oues meas, ſpecialiter ac principaliter* delegatam agnoſcit κυρίως, ſcilicet, καὶ ἡγεμονικῶς, tanquam capiti & principi Apoſtolorum, qui in paſcendo, hoc eſt, regendo grege dominico, comparatione illius non niſi ſecundas partes habuerunt; Authoritatem verò hîc agnoſcit Hieronymus: *Tantæ*, inquit, *Petrus authoritatis fuit, vt Paulus in Epiſtola ſua ſcripſerit; Deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum.* Contendit tamen Spalatenſis, authoritatem hîc ſignificare exiſtimationem, qua motus Paulus acceſſerit ad Petrum officij tantùm gratia; Non nego *authoritatem* hoc ſenſu accipi poſſe, ſed hoc loco pondus & eminentiam dignitate, addo etiam potentia, ſcilicet ſpirituali partam, omnino ſignificat. Vrget enim aduerſum Auguſtinum, *Petrum principem fuiſſe huius decreti: Legem poſt Euangelium non eſſe ſeruandam*, ac demum *tantæ authoritatis fuiſſe* ait, vt eius inuiſendi gratia, Paulus Hieroſolymam profectus ſit. Eadem quoque Epiſtola Petrum *Principem Apoſtolorum*, facit, ac poſtquam de obliterandis, ac abolendis legalibus pronunciaſſet, *in eius ſententiam Iacobum Apoſtolum, & omnes ſimul presbyteros tranſiiſſe* ſcribit. Et quidem Spalatenſis hunc ipſum Hieronymum ferre non poteſt, qui exiſtimarit Paulum ad Petrum inſtructionis, & diſciplinæ gratiâ acceſſiſſe, quod infra Petrum Paulum hoc iure poni, haud æquis oculis videat. Sed hac de quæſtione alio loco videbitur. Addamus Theodoretum Græcorum doctiſſimum. In Epiſtola ad Leonem de Pauli profectione in hunc modum loquitur: *Paulus*, inquit, *præco veritatis, tuba ſanctiſſimi Spiritus ad magnum Petrum cucurrit, vt iis qui Antiochiæ de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo adferret ſolutionem.* Ac rurſus, *Principi Apoſtolorum quem par erat honorem tribuit.* Neſcio quid illuſtrius afferri poſſit pro ſententia Catholicorum, hanc Pauli ad Petrum profectionem pro primatu eius vrgentium: Reliqua de quibus hic Hieronymo litem mouet Spalatenſis, & de quibus acturum ſe libro 7. pollicetur, ſuo loco ponderabuntur, & examini ſubiicientur. Interim expendat lector, quid ſibi velint hæc deſertoris verba. *Feruor*, inquit, *diſputationis & diſſenſionis ſpiritualis cum Auguſtino, ſuper reprehenſione Petro à Paulo facta facilè Hieronymum traxit, vt plurimum Petro tribueret, & ei Paulum ſubmitteret.* Hoc ſcilicet eſt Hieronymum totum nobis aſſerere, & tamen non veretur homo inconſtantiſſimus eum poſtea in illorum numero ponere, qui contraria nobis doceant.

Hiero. ep. 89 ad Aug.

Theod. ep. ad Leonem.

Spalat. Num. 27. 1. Cor. 1.

Vltimò exagitat Baronium, qui ex diſſentione Corinthi orta aliquid collegerit pro primatu Petri, quod qui de Cepha gloriarentur, rem ad ſuum principium

Digitized by Google

pium reuocare velle viderentur: Atque ex eo probat quod nondùm Petrus Corinthiis prædicasset Euangelium, vt proinde hoc nomine cum Paulo & Apollo conferri non potuerit, qui idcirco ab ipso Paulo adducerentur, quod Euangelij fundamenta Corinthi posuissent. Excipit Spalatensis, *Totum in eo esse Paulum, vt fideles nullum sibi hominem tanquam caput ascribant.* Sed nos suprà monuimus id meritò feciſſe Paulum, nec propterea lædi primatum Petri. Proculdubio hæc verba; *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus, nunquid in nomine Pauli baptizati estis?* ostendunt huius dissidij, ac schismatis authores amplius progressos, quàm vt caput secundarium ac subalternum, vt vocant, sibi constituerent: Et vt rectè sentit Augustinus, ab aduersario frustra prolatus, *super homines ædificare volebant*, contempto Christo, vnde iure optimo à magno Apostolo sunt reprehensi. Nos verò qui Petrum caput Ecclesiæ dicimus, tam longè absumus ab illo seruatoris Christi contemptu, vt Petrum eius ministrum profiteamur & seruum, ac non nisi capitis secundarij, ac à Christo omninò pendentis loco, habeamus. Et certè festiuus est Spalatensis, qui quod legit in Chrysostomo, *Si Magistrum & Principem Apostolorum, & tanti populi admonitorem sibi arrogare non debebant, quantominus eos qui nusquam essent*; sic emendat: *Aduerte*, inquit, *verbum illud, Magistram, non referri ad Apostolos; Petrus enim non fuit magister Apostolorum, sicut ad eos refertur verbum princeps, fuit enim princeps id est primus inter Apostolos, sed refertur ad ipsos fideles & populum; statim enim vocatur etiam populi admonitor.* O acutum interpretem Patrum! Ego sanè ad aliquem ludi Magistellum remittendum censeo, qui eum Latinitatem doceat, & à quo discat orationis periodos aliquantò subtiliùs distinguere. Chrysostomus Petrum primum vocat, *Magistrum & Principem Apostolorum*, ac postea addit, *& tanti populi admonitorem.* Ergo hæc duo planè distingui debent, vt sit Petrus *Magister & Princeps Apostolorum*, ratione scilicet amplioris potestatis ad tollenda schismata ei concessæ, *& admonitor tanti populi*; hoc est Doctor omnium omnino fidelium. Hũc esse germanum sensum verborum Chrysostomi, vident omnes qui modò cœci non sunt. Sed Græca omnem scrupulum facilè exemerint. Locum sic expressit Latinus interpres: *Si Magistrum & primum Apostolorum, & qui tantum populum catechesi imbuerat, non oportebat inscribere, multò magis eos qui nihil sunt.* Quod verò attinet ad coniecturam Baronij, non verebor dissertationem viri doctissimi eam repudiantis ascribere. *Existimat*, inquit ille, *Cardinalis Baronius in Annalibus ad an. Domini 57. eos qui se dicebant esse Cephæ, perinde vt qui Christi, non id contentionis studio dixisse, sed potius ad hoc vt contentionem illam, & scissuram Ecclesiæ declinarent, rem ad suum principium reduxisse, dicendo se esse discipulos Petri, velut totius Ecclesiæ supremi post Christum pastoris & capitis: Quomodo qui dicebant se esse Christi, partes reuocabant ad caput, & pastorem Ecclesiæ primarium: sed hæc opinio refellitur ex Apostoli verbu, quibus satis declarat, tam eos qui dicebant se esse Cephæ, reprehensibiles esse, quàm qui Pauli vel Apollo nominibus gloriabantur. Primùm quia distinguit dicentes, Ego Cephæ; Ego autem Christi velut inter se diuisos. Nam secundum dictam opinionem non erant distinguendi, (vtpote animo & sententia concordes) qui se dicerent esse Cephæ, & qui Christi. Deinde quia subijcit: Nunquid Paulus crucifixus pro vobis? Aut in nomine Pauli baptizati estis? Non enim æquè dici poterat de Petro. Postremò quia sub finem 3. cap. vbi suam adhortationem qua prædictæ contentioni mederi voluit, conclu-*

Aug. ser. 13. de verb. Dom.

Hom. 3. in 1. Cor. c. 1.

Ibidem. Εἰ τὸν διδάσκαλον ἠγνόησαν τῶν ἀποστόλων, καὶ τοσοῦτον κατεγέλασται δῆμον ἐκεῖνον ὑπερφρονοῦντα, πολλῷ μᾶλλον τοὺς οὐδὲν ὄντας.

Estius ad 1. c. 1. ad Cor.

dit, rursus apertè Cepham annumerat illis hominibus, in quibus non sit gloriandum. Nemo, inquit, glorietur in hominibus. Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, sanè tertium hoc membrum, ego verò Cephæ, similiter vt primum & secundum cum vituperatione referri ab Apostolo; sententia est omnium commentatorum, ac præter hos Augustini; cuius in lib. de vnico baptismo cap. 5. hæc sunt verba: Temporibus Apostolorum, qui dicebant; Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego autem Cephæ; quamuis non per impiorum, sed sanctorum nomina, ipsi tamen impia schismata faciebant. Idem sermone 13. de verbis Domini: Volentes homines, inquit, ædificari super homines, dicebant: Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo; ego verò Cephæ: ipse est Petrus. Et alij qui nolebant ædificari super Petrum, sed super Petram: Ego autem suum Christi, &c. Dicendum igitur quosdam è Corinthijs Petri nomine se iactitasse, vel quod ab eo baptizati essent, vel potius quod eo prædicante non quidem Corinthi, sed alibi fidem Christi suscepissent: præsertim qui erant ex circumcisione; eo quod Petrum colerent, vt peculiarem suum Apostolum; sicut antè dixi: tametsi credibile est siue Iudæos, siue alios, eò propensius Petri nomine gloriatos fuisse, quod scirent, quanta esset illius dignitas & eminentia supra cæteros Apostolos. Restant aliæ octo coniecturæ, quas ex variis Orthodoxis Doctoribus colligit Cardinalis Bellarminus, sed quia mera traditione nituntur, nec expresè in scripturis habentur, non magnifiunt ab aduersariis, quibus *quod semper quid vbique quod ab omnibus est creditum*, etsi verè *Catholicum* est, non placet, nisi totidem verbis habeatur in Euangelio. Ne igitur tempus frustra teramus, erunt eæ nobis leuissimè percurrendæ.

Ad quæstionem responsio.

Spalat. Num. 18. Bellar. li. 1. de Rom. Pont. ca. 23. 24. Vinc. Litin. in Cõment. adu. Proph. heres. nouit. Epist. quæ inscrib. τὸ φῶς.

Prima est *quod Christus suis manibus dicatur Petrum baptizasse*, & authorem habet Euodium Antiochenum Apostolorum discipulum, si fides Euthymio & Nicephoro habeatur: Ego vt nullum præsidium posuerim in recentioribus illis Euthymio, & Nicephoro, nisi antiquorum scriptorum se tueantur authoritate, ita ingenuè dixerim non esse eis omnem omnino abrogandam fidem, quod eorum scripta, quorum testimonio vtuntur ad nos non peruenerint; quis enim dubitet multa superioris æui monumenta penes Græcos fuisse, quorum nunquam nobis copia facta sit? Quis neget temporum iniuria periisse multa, quæsi extarent, pondus & robur haberent? Sed de Euodio non laboramus, & quod ille Petrum manibus Christi baptizatum scripsisse dicitur, pro dogmate pio, non pro fidei articulo habemus: Neque ex eo aliud præsidium ducit Bellarminus, quàm vt omnes intelligant quanti etiam ipsi Græci Romanæ sedis hostes (in his enim sunt & Euthymius & Nicephorus) Petrum fecerint. De quæstione autem illa, vtrum Apostoli alio baptismate quàm ignis & spiritus baptizati fuerint, & vtrum aqua loti sint, sic statuimus; Posse vtramque partem citra errorem defendi, cùm in nullam expresè inclinet scriptura. Probabiliorem tamen esse sententiam Augustini, qui etiam aqua baptizatos docet, cùm probabile omninò sit Christum, quos *lumen* esse *mundi* voluerit, & *sal terræ*, suis primùm Sacramentis instituisse, ac vt cæteris nedum verbo, sed etiam exemplo præluceret, voluisse. Atqui hæc parum faciunt ad institutum. Quod verò negat Augustinus, *Dominum quenquam suis manibus baptizasse*, Euodij sententiam non euertit. Potuit enim Christus singulari priuilegio à communi lege Apostolorum principem, quod etiam de beatissima Virgine quidam asserunt, eximere.

Euth. ad 3. cap. Ioan. Niceph. lib. 2. hist. Eccl. c. 3.

Aug. ep. 108 Tract. 5. in Ioan.

Secunda

Secunda Petri prærogatiua extra ſacram Scripturam eſt, *Quod ſolus Petrus à Chriſto Epiſcopus fuerit ordinatus, & ipſe poſtmodumlios conſtituerit Epiſcopos.* Hæc potiſſimùm nititur doctrina omnium antiquorum, qui paſſim inculcant, *Eccleſiam Romanam eſſe matrem omnium Eccleſiarum, & ab ea omnes Epiſcopos habuiſſe conſecrationem, & dignitatem ſuam*, quod Bellarminus probat teſtimonio Anacleti, Cypriani, Innocentij, Concilij Carthaginenſis, Iulij I. & ſancti Leonis, qui id conceptis verbis aſſeuerant. Teſtimonium Anacleti reiiciunt aduerſarij, tamen alios eximios Patres repudiare non poſſunt. Primum igitur Cyprianus ; *Romanam Eccleſiam radicem, & matrem totius Eccleſiæ Catholicæ vocat, à qua Sacerdotalis vnitas exorta ſit.* Innocentius verò de Petro ſic loquitur : *Aquo ipſe Epiſcopatus, & tota authoritas nominis huius emerſit.* Et rurſus : *Quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres, & Coepiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis, & honoris authorem, deferre debere.* Item Iulius primus ; *Quam culpam incurrere non potuiſſetis, ſi vnde conſecrationis honores accipitis, inde legem totius obſeruantiæ ſumeretis, & beati Apoſtoli Petri ſedes, quæ nobis Sacerdotalis mater eſt dignitatis, eſſet Eccleſiaſticæ magiſtra rationis.* Leo quoque de Petro ; *Si quid cum eo commune voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quicquid alijs non negauit.* Atque iterum: *Huius muneris Sacramentum, ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſsimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua veluti in corpus diffunderet.* Hæc quidem clariſſimè oſtendunt Petrum ordinis Eccleſiaſtici veluti fontem eſſe, atque adeò luculentiſſimè probant omnem Epiſcoporum dignitatem à Petro manaſſe. Sed non deſunt viri Catholici & docti, qui cùm hoc poſtremùm agnoſcant, inficientur tamen Petrum reliquos Apoſtolos ad Epiſcopatum promouiſſe, contendantque æquè omnes à Chriſto Epiſcopos renunciatos eſſe; Itaque volunt idcirco *totã Epiſcopatus authoritatem, & nomen à Petro emerſiſſe*, vt loquitur Innocentius, quod Apoſtolis, quorum Petrus caput fuerit, ſucceſſerint: Ita non pugnat eorum ſententia, cum doctrina quam propugnamus. Sed meo iudicio propiùs à vero abſunt, qui *ſolum Petrum Epiſcopum a Chriſto renunciatum*, aſſerunt, cuius demum opera vſus ſit Chriſtus in aliis Apoſtolis initiandis, & ad Epiſcopatum promouendis. Certè Clemens Alexandrinus apud Euſebium, Iacobum Hieroſolymitanum Epiſcopum initiatum fuiſſe à Petro, Iacobo altero, & Ioanne, affirmat: & non malè colligunt viri docti inde manaſſe conſuetudinem, quæ in Eccleſia obtinuit, vt Epiſcopi à tribus item Epiſcopis conſecrentur ; ſed & ex eodem capite euincitur, non omnes Apoſtolos, quod ſuperioris ſententiæ aſſertores contendebant, Epiſcopos à Chriſto eſſe renunciatos, ac proinde veriſimile eſſe à Petro eum honorem eſſe conſequutos, vt hac ratione dictum ſit à melioris notæ ſcriptoribus, *ab eo ordinem Epiſcoporum originem duxiſſe.* At hoc *fabellam redolere*, occlamat Spalatenſis, atque vrget, *Scripturam nuſquam docere alia conſecratione initiatos Apoſtolos, vt Epiſcopi renunciarentur, quàm ſua ad Apoſtolatum vocatione, & miſsione, cùm eſt eis dictum à Chriſto, Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos. Illis*, inquit, *profectò dedit ſimul, his dictis, poteſtatem Epiſcopalem, hoc eſt, Apoſtolicam ordinariam quæ Epiſcopalis, & Apoſtolica poteſtas in eo tota conſiſtit, vt Euangelium prædicetur, & fideles in fide, & viuendi Chriſtiana ratione inſtruantur. Ad hoc autem conſecratione Chriſtus opus non habuit, ſicut nunc Canoniſtæ dicunt ; Solo verbo poſſe Ro-*

SPALAT. Num. 29. Bellar. li. 1. de Rom. Pont. c. 24.

Lib. 1. ep. 4.

Inno. ep. ad Conc. Cartha. quæ eſt 91. inter ep. Aug.

93. inter ep. Aug.

Epiſt. 1. ad Orient.

Ser. 3. de die anniuerſ. aſſumpt. ſuæ.

Franc. Vict. relect. 2. de poteſtate Eccleſiaſt.

Apud Euſeb. hiſt. Eccl. l. 2. c. 1.

Eod. nu. 29. Ioan. 20.

Angel. in lib. 1. cap. de sent. pass. & li. 2. ca. de crim. Sacr. Rebuff. in prax. benef. init. vbi de cler.

manum Pontificem facere aliquem Episcopum, & Sacerdotem; absque vlla alia ordinatione, & consecratione. Huic tamen potestati Apostolicæ, seu Episcopali, quasi accessoria addita fuit à Christo seorsim, omnibus tamen simul, & potestas conficiendi corpus Christi, quando in vltima cœna dixit eis; Hoc facite in meam commemorationem: & alia remittendi peccata, quando in omnes simul insufflauit, & dixit; Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, &c. Et sic plenè facti sunt omnes simul, absque vlla peculiari consecratione, & Apostoli, & Episcopi; de quo nobis erit fusiùs & exactiùs libris sequentibus, præsertim 2. & 5. disputandum.

Luc. 22. Ioan. 21.

Quod ad primum attinet, cùm est dictum Apostolis, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, iam erant Apostoli renunciati, & iam erant à Christo potestate prædicandi verbi Dei donati, vt ex Luca non obscurè colligitur; Atqui tum, hoc est cùm sunt Apostoli renunciati, ne quidem Sacerdotes erant, cùm ipse Spalatensis fateatur potestatem corporis Christi conficiendi, illis in cœna datam his verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, tantùm abest, vt in Episcoporum essent ordine: Non itaque Apostolatus per se spectatus includit, aut complectitur Episcopatum, sed vt Episcopatus sine Apostolatu esse potest, ita & Apostolatus sine Episcopatu, vt propterea rectè distinxerit Bellarminus, inter vtramque dignitatem, & Apostolatum quidem immediatè à Christo collatum omnibus Apostolis, Episcopatum verò mediatè vndecim, & immediatè soli Petro affirmarit. Quod attinet ad reliqua non eguisse Christum consecratione ad Episcopos constituendos Apostolos, tam est verum, quàm est falsum *Pontificem solo verbo posse Sacerdotem facere*, quicquid Canonistæ senserint; sed propterea non efficiet Spalatensis, vt cùm duodecim à se electos Apostolos renunciauit, eos quoque in Episcopos consecrarit; Non enim hîc de potestate Christi agitur, sed de ordine quem tenuerit iuxta vetustissimorum scriptorum sententiam, qui & ipsi scripturas diligentissimè legerant, & ex eis quæ nobis tradiderunt, didicerant; Multa etiam in Sacramentorum œconomia admisisse Christum, quæ non nisi, *ex serie traditionis* haberi possint, nos docet Augustinus; sed de his plura in sequentibus.

Cap. 10.

Matth. 26.

Aug. to. 4. de fid. & operi. b. c. 9

SPALAT. Num. 30. Baron. to. 1. an. 35. nu. 25.

Tertia prærogatiua, Quod Petrus Simonem Magum primus detexit, & postea damnauit, ac planè extinxit: Hanc vt eleuet Spalatensis, asserit id fecisse Petrum, *quia Petro & non alteri contigit negotium cum Mago. Quod si alteri*, inquit, *contigisset, idem præstitisset.* Et quandoquidem facilè opponi poterat diuinæ prouidentiæ dispensatione factum, vt Archihæreticum princeps Ecclesiæ conficeret, alium iam callem insistit: *Si tamen*, inquit, *Christi ordinatione id ita contigit, voluit primum Apostolorum, & Zelo fidei ac pietatis feruentissimum, hac prærogatiua decorare.* Igitur ea prærogatiua Petri est. Quidni igitur, vt principis & capitis fidei? An quod zelo fidei ac pietatis flagraret maximè, primatum eius, aut principatum ei adimit? An non potius hæc in primum Apostolorum bellè conueniunt? Sed duo minimè ferenda addit, vt Petri honores pessundet; Primum *Cyrillum Hierosolymitanum gloriam detecti Magi, non vni Petro tribuere, sed Paulum æqualem etiam ei in hoc negotio socium tribuere.* Alterum. *Fabulam hanc esse, aliquos dicturos à quodam non antiquissimo Hegesippo confictam*; Imò autumare videtur ipsum Cyrillum spurium esse authorem. Primum autem non erat quod vnum proferret Cyrillum huius historiæ testem, cùm infinitos propemodum alios Cyrillo haud inferiores adducere posset. Audiamus magnos Ecclesiæ doctores. Eusebius,

Sub

Sub ipſo Claudij imperio, benigna ac propitia Dei erga humanum genus prouidentia fortem, ac præpotentem, & reliquorum omnium Apoſtolorum propter virtutis amplitudinem facilè principem Petrum, Romam verſus ad eiuſmodi peſtiferam vitæ humanæ corruptelã (Simonem Magum) *delendam quaſi manu deduxit.* Hieronymus Euſebium ſequutus, [a] *Simon Petrus,* inquit, *Prouinciæ Galilææ, vico Betſaida frater Andreæ Apoſtoli, & Princeps Apoſtolorum, poſt Epiſcopatum Antiochenſis Eccleſiæ, & prædicationem diſperſionis eorum, qui de circumciſione crediderant in Ponto, Galatia, Cappadocia, Aſia, & Bithynia, ſecundo Claudij anno ad expugnandum Simonem Magum Romam pergit, ibique viginti quinque annis Cathedram Sacerdotalem tenuit, vſque ad vltimum Neronis annum, id eſt, decimum quartum, aquè & cruci affixus martyrio eſt coronatus, capite ad terram verſo, & in ſublime pedibus eleuatis; aſſerens ſe indignum qui ſic crucifigeretur, vt Dominus ſuus.* Ambroſius quoque, [b] *Idem Petrus poſtea victo Simone, cùm præcepta Dei populo ſeminaret, & doceret caſtimoniam, excitauit animos gentilium.* Auguſtinus, [c] *Iouem ſe credi volebat Simon Magus, Mineruam verò meretricem quandam Selenem, quam ſibi ſociam ſcelerum fecerat, imaginéſque & ſuam, & meretricis diſcipulis ſuis præbebat adorandas, quas & Romæ tanquam Deorum ſimulacra, authoritate publica conſtituerat; in qua vrbe eum B. Petrus vera omnipotentis Dei virtute extinxit.* Arnobius de Romæ incolis, [d] *Cùm,* inquit, *homines ſint Numæ regis artibus, atque antiquis ſuperſtitionibus occupati, non diſtulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coaleſcere Chriſtianæ. Viderant enim curſum Simonis Magi, & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Chriſto euanuiſſe; viderant inquam fidentem diis falſis, & ab iiſdem metuentibus proditũ, pondere præcipitatum ſuo, cruribus iacuiſſe præfractis. Poſt deinde perlatum Brundam cruciatibus, & pudore defeſſum, ex altiſſimi culminis ſe rurſum præcipitaſſe faſtigio.* Theodoretus: [e] *Simon Magus Romanos ſuis præſtigiis tanta admiratione effecit, vt etiam ænea columna honoraretur: Sed rurſus veniens diuinus Petrus, fraudis eum pennis nudauit, qui cùm eum tandem in miraculorum certamen prouocaſſet, & diuinæ gratiæ, & præſtigiarum diſcrimen oſtendiſſet, omnibus Romanis videntibus, eum ex magna altitudine, deturbauit, cùm oraſſet, & qui miraculum viderant, eos cepit ad ſalutem.* Philaſtrius Brixienſis: [f] *Simon cùm fugeret Beatum Petrum Apoſtolum de Hieroſolymitana ciuitate, Romamque veniret, ibique pugnaret cum B. Petro Apoſtolo apud Neronem Regem, deuictus vndique oratione B. Petri Apoſtoli, atque percuſſus ab Angelo, ſic meruit interire, vt eius magiæ mendacium cunctis pateſieret.* Seuerus Sulpitius: [g] *Namque eo tempore diuina apud vrbem religio inualuerat; Petro ibi Epiſcopatum gerente, & Paulo, poſtquam ab iniuſto præſulis iudicio Cæſarem appellauerat, Romam deducto, &c. Etenim tunc illuſtris illa aduerſus Simonem Petri & Pauli congreßio fuit: qui cùm magicis artibus, vt ſe Deum probaret, duobus ſuffultus dæmoniis euolaſſet, orationibus Apoſtolorum fugatis dæmonibus delapſus in terram, populo inſpectante, diſruptus eſt, &c.* En vt eximij hi teſtes, omni exceptione maiores, Petrum aſſeuerent *ad expugnandum Simonem Magum Romam profectum: Magum ab eo victum: Petrum vera Dei omnipotentis virtute impoſtorem extinxiſſe, Romanos adiiſſe, curſum Simonis Magi, & quadrigas igneas ore Petri difflatas.* Et quidem tota antiquitas pro indubitata hiſtoria hunc Petri cum Simone congreſſum habuit. An non igitur benè impudentem eſſe oportuit Caluinum, qui eum pro abſurda fabula habuerit? Non erat certè quod hanc Camarinam vt eum demereretur

Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 2. c. 13. Ἐπὶ τῆς αὐτῆς Κλαυδίου βασιλείας, ὁ μεγάλως ὑπὸ φιλοθρησκοτάτου θεοῦ προνοίας, ὁ κατὰ τῶν ὅλων ἀρετῆς ἰσχυρὸς καὶ δυνατὸς ἐπὶ τὴν μάχην τοῦ ἀποστόλων, ὁ πρώτιστος ἔν τε τοῖς ἁγίοις καὶ τῶν ἀποστόλων πανταχόθεν ἐπὶ τὴν Ρώμην, κατὰ τὸν πλάνον τὸν λυμεῶνα βίου χειμαγωγεῖ.

[a] Hier. l. de vir. illuſtr. cap. 1.

[b] Ambr. l. 5. ep. 32.

[c] Aug. ad quod vult Deum hæret. 1.

[d] Arnob. l. 2. adu. gentes.

[e] Theod. l. 1. hæret. Fab.

[f] Philaſtrius de Simone Mago.

[g] Seuerus Sulpitius ſacræ hiſtoriæ lib. 2.

Caluin. l. 4. c. 6. §. 15.

moueret Spalatenſis, qui etiam huc technas ſuas inuexit; namque vt Cyrillum Petro eriperet, lectorem cælare voluit quid Petro, quidve Paulo in ea conflictatione tribuiſſet eximius ſcriptor. Primùm namque habet quæ à Spalatenſi afferuntur, *Errorem autem latiùs ſe proferentem coarguerunt duo viri boni huc perlati; Petrus & Paulus Eccleſiæ præfecti, & Simonem ſeſe Deum oſtentantem, talémque exiſtimatum, confeſtim morte affecerunt. Nam cùm Simon ſeſe ſublimem in cœlos latum iri profiteretur, & in aërem dæmoniorum vehiculo ferretur, genibus prouoluti ſerui Dei, & concordiam illam præ ſe ferentes, quam Ieſus dixerat, Si duo ex vobis conſenſerint de omni re quacumque petierint, ſuccedet eis, conſenſionis telum, precum interuentu in Magum eiaculati ſunt, & in terram eum deiecerunt.* Sed poſtea ſubiicit: *Nihilque mirum videatur, tametſi mirabile ſit: Petrus enim is erat, qui claues cælorum circumferebat, nec admiratione dignum: Paulus enim is erat, qui ad tertium vſque cælum & paradiſum raptus, arcana verba audierat, quæ homini proloqui nemini licet.* Alluſit nimirum in facto Petri, ad illa Chriſti verba, *Tibi dabo claues regni cælorum*, quibus Petrum Principem Apoſtolorum, & regni cœlorum clauigerum factum, alibi oſtendit; [a] *Et Princeps Apoſtolorum*, inquit, *& regni cælorum clauiger Petrus*; atque alio nomine Paulum commendauit, quod nimirum *ad tertium vſque cælum & paradiſum raptus fuiſſet.* Non debuit Spalatenſis iſta prætermiſiſſe ſed candidum non gerit ille pectus. De Cyrilli verò opere quod addubitat, hoc ipſo inſcitiam ſuam prodit, nam præterquam quòd Hieronymus docet Cyrillum adhuc adoleſcentem has Catecheſes contexuiſſe, [b] Theodoretus, Damaſcenus, Ioannes Cyparisiotus, Michaël Glycas, genuinum Cyrilli Epiſcopi Hieroſolymitani partũ agnoſcunt, atque olim * oſtendimus planè ſtraminea eſſe argumenta, quibus eas conuellere nituntur aduerſarij. Audiamus nobilis Caluiniſtæ hac de re iudicium. [c] *Scio viros graues*, inquit, *propter huiuſmodi loca, cùm in myſtagogicis, tum in Catecheſibus negare opus id eſſe γνήσιον Cyrilli. Nos præter teſtimonia vetuſtiſſimorum auctorum, qui eius operis Cyrilli meminerunt, aut quædam etiam ex illo deſcripſerunt, Hieronymi, Theodoreti, Damaſceni, Photij Patriarchæ, aliorum, rationes plurimæ & validiſſimæ, vt aliter ſentiamus impellunt; de quibus agendi pluribus non eſt hic locus.* Sed vt ad congreſſum Petri cum Simone Mago reuertamur; ſcio Caluinum, & reliquos ſectarios duplici adhuc argumentorum genere huius hiſtoriæ veritatem impetere, ac labefactare; Ait primùm Caluinus *Auguſtinum aſſerere opinionem de contentione Petri cum Mago, falſam eſſe, multorum Romanorum iudicio*; ſed hæc eius vel ſumma ſtultitia eſt, vel oſcitantia. Locus Auguſtini ita habet; [d] *Petrus etiam*, inquit, *Apoſtolorum caput, cæli ianitor & Eccleſiæ fundamentum, extincto Simone qui fuerat diaboli, non niſi ieiunio vincendi figura, idipſum Romanos edocuit, quorum fides annunciatur vniuerſo orbi terrarum. Nunquid ergo cæteri Apoſtoli prandere Chriſtianos contra Petrum docuerunt in vniuerſo orbe terrarum: ſicut itaque inter ſe vixerunt concorditer Petrus, & condiſcipuli eius, ſic inter ſe concorditer viuant Sabbato ieiunantes, quos plantauit Petrus, & Sabbato prandentes, quos plantauerunt condiſcipuli eius. Eſt*

Cyril. Hier. Catech. 6. Παρεπιτιμῶντες ἐκ τῆς πλάνης, ἀγαθῶν ἀνδρῶν ὑπαρχόντων τῶν ἁγίων Πέτρου καὶ Παύλου, ἐξελέγξαντες αὐτὸν ἐπὶ ἐκκλησίας, ἐπιτιμήσαντες καὶ ἐπιπλήξαντες τὸν ἀνδρισάμενον τὸν Σίμωνα, περὶ οὗπερ ἐροῦμεν ἐπὶ βραχύ. ἐπαγγελλομένου γὰρ τοῦ Σίμωνος μετεωρίζεσθαι εἰς τὸν οὐρανούς, καὶ ἐπὶ ὀχήματος δαιμόνων ἐπ' ἀέρος φερομένου, γόνυ κλίναντες οἱ τοῦ Θεοῦ δοῦλοι, καὶ τὴν συμφωνίαν ἐνδειξάμενοι, ἣν εἶπεν ὁ Ἰησοῦς, ὅτι ἐὰν δύο ἐξ ὑμῶν συμφωνήσωσιν, ἐφ' ὁτῳοῦν πράγματι, οὗ ἐὰν αἰτήσωνται, γενήσεται αὐτοῖς παρὰ τοῦ πατρός· ἔβλητο δὲ τοῦ ἀνδρὸς ἐκείνου βέλος διὰ τῆς προσευχῆς πιστῶν ἁγίων καὶ τοῦ μάγου, καὶ πίπτει ἀνατρεπόμενος εἰς τὴν γῆν. καὶ οὐδὲν θαυμαστὸν καὶ ἐν ὀνείρῳ θαυμάσαι. Πέτρος γὰρ ἦν ὁ τὰς κλεῖς τῶν οὐρανῶν φυλάσσων. καὶ οὐ θαύματος ἄξιον. Παῦλος γὰρ ἦν ὁ εἰς τρίτον οὐρανὸν ἁρπαγείς, καὶ εἰς παράδεισον, καὶ ἀκούσας ἄῤῥητα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι.

[a] Catech. 17. Καὶ ὁ πρωτοπόλεμος τῶν ἀποστόλων, καὶ τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν κλειδοῦχος Πέτρος.

[b] Theod. Dial. 2. Damaſc. orat. 3. de imag. dec. 6. cap. 4. Glyc. part. 4. ann. f. 331.

* *In Apolog. pro Reſp. ad ſereniſſ. Magn. Britan. Regem contra Molinæum.*

[c] Caſaub. exerc. 16. ann. 34. num. 140. [d] Aug. ep. 86. ad Caſulanum.

quidem

quidem & hæc opinio plurimorum, quamuis eam perhibeant esse falsam plerique Romani, quod Apostolus Petrus cum Simone Mago certaturus, propter ipsum magnæ tentationis periculum, pridie cum eiusdem vrbis Ecclesia ieiunauerit, & consequuto tam prospero gloriosoque successu, eundem morem tenuerit, eumque imitatæ sint nonnullæ Occidentis Ecclesiæ. Non igitur congressum illum commentitium esse iudicat Augustinus, sed causam ieiunij Sabbathi, quæ niteretur ieiunio, quod Petrus Ecclesiæ antequam congrederetur indixisset, valdè incertam tradit, quod scilicet ij à quibus esset conscripta historia, neque diei Dominicæ qua initum esset prælium, neque ieiunij pridiè indicti, neque ad eius instar præstituti Christianis Sabbathici ieiunij meminissent. Alij Sectarij vrgent nihil de illa historia Tacitum, nihil Plinium, nihil Suetonium habere, ac præterea altum de ea esse silentium in Actis Apostolorum. At hæc summa improbitas est, tot Christianis scriptoribus quos protulimus nolle fidem habere, iisque historicos à religione Christiana abhorrentes, & nomini Christiano ad rabiem vsque infensos, quibusque studium esset, & sectam, & res præclarè gestas, maximè, quæ in commentitiorum deorum dedecus, vergerent, obliterare ac abolere, odio Ecclesiæ Romanæ anteferre. Quod verò in Actis Apostolicis eius nulla habeatur mentio, aduersarios non iuuat; Nam præterquam librum illum circiter annos septem ante congressum Petri cum Simone Mago à Luca absolutum, & ad finem perductum ostendunt nostri, Euangelista posteriori operis parte res gestas Pauli, aliis ferè prætermissis sibi scribendas proposuit, in iisque desudauit, ac reliquorum Apostolorum eximia & præstantia opera præteruolauit potius quàm omisit. Cæterùm non desunt qui pro hoc volatu Simonis & eius deiectione Suetonium, ac Dionem Chrysostomum testes proferant: Suetonij verba ex quibus id videatur colligi, ita habent in Nerone, *Icarus primo statim conatu iuxta cubiculum eius decidit, ipsumque cruore aspersit*: Dionis autem sic habent, *Multoque tempore nutriebatur intus apud eum in aula, tanquam volaturus.* Sed instar omnium esse debent à nobis adducti eximij Patres, quibus in illa narratione fidem abrogasse scelus sit, & piaculum.

Sueton. in Neron. Dion. Chrys. de pulchrit. orat. 21. Καὶ ὤχετο χρόνον τινὰ τραφεὶς ἔνδον παρ' αὐτῷ ἐν τοῖς βασιλείοις ὡς πτησόμενος. SPALAT. Num. 31.

Quarta prærogatiua, Quod Romæ sedem suam iussu diuino collocauerit, vbi erat Principatus mundi. Excipit Spalatensis, *Atqui verò quid si sedes illa aut magis, aut non minus dicenda sit sedes Pauli?* Aitque se plura dicturum libro quarto. Nos verò ostendemus non posse vtrumque eius assertum à summa improbitate, & inscitia vindicari, aut excusari,

Quinta, quod sub finem vitæ Petri Christus ei apparuerit, & dixerit; Venio Romam iterum Crucifigi: Significans Petrum esse suum Vicarium; & quod Petro fit, sibi ipsi fieri; Opponit Spalatensis. *Hanc quoque Hegesippi fictam fabulam multos censere;* Protestantes nimirum, & Ecclesiæ Catholicæ adeoque veritatis ipsius iuratos hostes: Quia tamen Ambrosius eius meminit illum reprehensione sua dignatur: Respondet igitur; *Si hæc coniectura valeret, multò magis valere ad idem probandum de cæteris, quod omnibus dixerit, Qui vos spernit, me spernit, &c.* Atqui mi Spalatensis concedimus, & reliquos Apostolos Vicarios fuisse Christi, ac proinde quod illi egerint Christi authoritate fecisse, sed eximio ac singulari modo Petrum Vicarium suum fecit Christus, cuius proinde labores & crucem, in qua etiam magistrum sit imitatus, peculiari quadam ratione suos labores, & suam crucem dixerit: facit itaque locus, facit persona, facit genus mortis, vt ex illis verbis Christi, *Venio Romam crucifigi*, intelligamus Petrum tanquam magnum Christi Vicarium, & Ecclesiæ vniuersæ pasto-

SPALAT. Num. 32. Hegesipp. de excid. Hier. l. 3. cap. 2. Ambros. Concione de Basilicis non tradendis. Luc. 10.

rem, maiori curæ ſeruatori fuiſſe propter ouium ſalutem, quàm fuerint reliqui.

Amb. de Baſilic. non tradendis.

Sed ne quis de hiſtoriæ veritate dubitet cum ſectariis, locus à nobis proferendus eſt Ambroſij: *Nocte*, inquit, *muro egredi cœpit, & videns ſibi in porta Chriſtum occurrere, vrbemque ingredi, ait: Domine, quò vadis; Reſpondit Chriſtus, Venio Romam iterum crucifigi; intellexit Petrus ad ſuam crucem diuinum pertinere reſponſum. Chriſtus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem paßione ſuſceptæ mortis exuerat. Intellexit ergò Petrus, quod iterum Chriſtus crucifigendus eſſet in ſeruulo; Itaque ſponte remeauit interrogantibus Chriſtianis, reſponſum reddidit, ſtatimque correptus per crucem ſuã honorificauit Dominũ Ieſum.* Hæc Ambroſius.

Spalat. Num. 33.

Sexta, quod ſolæ Eccleſiæ à Petro fundatæ ſint habitæ ſemper Patriarchales. Excipit Spalatenſis. *Nos de ſedibus Apoſtolicis, & Patriarchalibus agemus libro tertio; & oſtendemus ex magnitudine ſæculari ciuitatum; Patriarchales & Metropoliticas Eccleſias, iure humano potißimùm erectas, & inſtitutas.* Cùm ad certaminis locum peruenerimus, oſtendemus candorem defuiſſe deſertori, nec aliquid eum hac in controuerſia vidiſſe, cùm vrbium magnitudo non niſi *remotè*, vt loquuntur, ad Patriarchalium ſedium dignitatem Eccleſiis aſſerendam aliquid conferre potuerit, & præcipua cauſa illarum dignitatum Petri authoritate nitatur.

Spalat. Num. 34.

Septima prærogatiua, Quod Eccleſia vniuerſalis feſtum Cathedræ ſolius Petri, & non aliorum celebret. Excipit Spalatenſis. *Hoc ideo factum eſt, quia Petrus Euangelium Gentibus prædicauit, & primus Eccleſias in Gentibus, & Nationibus fundauit.* Atqui nos ſuprà docuimus hanc quoque prærogatiuam fuiſſe capitis Eccleſiæ, ac eius primi & præcipui paſtoris.

Spalat. Num. 35.

Octaua, quod in literis formatis antiqui ponerent nomen Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, & Petri, hoc pacto Π *Pater,* Υ *filius,* Α *Spiritus,* Π *Petrus.* Excipit Spalatenſis, adeoque hic græciſat. *Atticus*, inquit, *Epiſcopus, vt legitur in Concilio Chalcedonenſi ad finem exponit illis literis contineri Patrem, Filium, Spiritum ſanctum, & Petrum. Ita etiam Iuo Carnotenſis. Mihi tamen in illis elementis ſola Trinitas contineri videtur,* Πατὴρ, Υἱὸς, Ἅγιον Πνεῦμα. *Tertiam enim Trinitatis perſonam duplici dictione efferimus, ſiue Græcè, ſiue Latinè, hoc eſt, Spiritus ſanctus, ſiue ſanctus Spiritus. Petrum verò quartam Trinitatis perſonam facere, mihi videtur maxima ſaltem ſtultitia.* At quis neget ſummæ ſtultitiæ, adeoque non ferenda audacia, hominem ſemibarbarum, in explicatione litterarum Græcarum, ſe Attico Conſtantinopolitano Epiſcopo, antiqui moris callentiſſimo, præferre voluiſſe? Neque verò propterea Petrum, quartam Trinitatis perſonam, facit Atticus, niſi forte, pro ſpectatiſſima illa ſua ſubtilitate, exiſtimet quoque Spalatenſis, additam præterea quintam perſonam, imò ſextam Trinitatis in harum litterarum formula, quod ſtatim poſt Petrum, ſubiiceretur prima litera eius qui epiſtolam ſcripſiſſet, demum prima litera, eius ad quem ſcriberetur; Aliquanto ingenioſius alij ex aduerſariis commenti ſunt, Epiſcopum Atticum illuſiſſe cum ſuis formatis, illudque π ſignificaſſe ἀπὸ, quod eſt *à* vel *ab*, propterea additum eſſe nomen eius qui ſcripſerat Epiſtolam π. α. ἀπὸ Ἀττικοῦ, ab Attico. Acutè ſed parum verè, vt taceam immeritò præſtigiarum poſtulari Atticum, qui ſui temporis morem obſcurare non potuerit. Apage igitur iſtas nugas nugerrimas. Indigniſſima porro res eſt, vt potius figmentis Nouatorum fidem habeamus, quàm Attici, Iuonis, Burchardi, Anſelmi & Gratiani, haud nutantibus hac in parte teſtimoniis: Quanta autem cura eſſet formatarum in priſca Eccleſia norunt antiquitatis periti, atque extat apud Optatum locus, ex

Bellar. vbi ſup. cap. 24. Bar. tom. 3. an. 325. nu. 164. & 169. Iuo de cauſis Cler. par. 6. cap. 433. & 434.

quo abundè earum vſus colligatur. *Cathedra vnica quæ eſt prima de dotibus,* Optat. l. 2.
inquit, *ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, &c. Iulio ſucceſſit Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Syricus hodie, qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus orbis commercio formatarum in vna communionis ſocietate concordat.* Meminit & formatarum Auguſtinus. Cùm enim Fortunius quidam Epiſcopus Donatiſtarum, *vbique terrarum eſſe communionem ſuam*, coram Auguſtino aſſerere conatus eſſet, *Quærebam*, inquit, *vtrum epiſtolas communicatorias, quas formatas dicimus, poſſet* Aug. ep. 163.
quo vellem dare: & affirmabã quod manifeſtum erat omnibus, hoc modo facillimè illam terminari poſſe quæſtionem. Ac alio loco de Cæciliano, *Qui poſſet non curare* Ep. 162.
conſpirantem multitudinem inimicorum, cùm ſe videret, & Romanæ Eccleſiæ in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipſam Aphricam venit, per communicatorias litteras eſſe coniunctum, vbi paratus eſſet cauſam ſuam dicere, ſi aduerſarij eius ab eo illas Eccleſias alienare conarentur. Propterea ad calcem Epiſtolæ, *Apoſtolicam ſedem*, (Romanam intelligit) *totumque orbem Cæciliano communicantem*, inducit; *commercio*, ſcilicet, *formatarum*, vt loquebatur, Optatus. Vides, erudite lector, quàm fruſtra ſe torſerit deſertor, vt Petri prærogatiuas, tum quæ in apertiſſimis ſcripturæ verbis continerentur, tum quæ ex Patrum traditione haberentur conuelleret, labefactaret, ac funditus tolleret. Namque vt duræ ſilices, & cautes ſtant, neque fluctibus quibus tonduntur moueri poſſunt: ita, hæc eſt Petra quam non vincunt ſu- Leo ep. 89.
perbæ inferorum portæ. Præclarè in hanc ſententiã Leo, *Petro quiſquis*, inquit, *principatum æſtimat denegandum, illius quidem nullo modo poteſt minuere dignitatẽ; ſed inflatus ſpiritu ſuperbiæ ſuæ, ſemetipſum in inferna demergit.* Non horret Spalat? Vtinã Hilarij Arelatenſis quẽ eo loco perſtringit Leo, exemplo adductus diuinæ iræ fulmina, matura ac ſeria reſipiſcentia auertere ac Petrum propitiari curet. Neque verò quod etiam ſuprà monuimus exiſtimare debẽt aduerſarij, nos in his prærogatiuis cauſæ noſtræ præſidium ponere, quaſi ſingulæ ſeorſim ſpectatæ & ſepoſitis aliis probationibus, ad Primatum Petri firmandum ſatis eſſe poſſint; nituntur enim illæ principalibus; & potiſſimis illis de promiſſione & inſtitutione teſtimoniis, quibus ea authoritas aduerſus ſuperbas inferorũ portas tota munitur; atque ab eis hoc reſpectu ſpectatis probabile ducitur argumentum, ad ſententiam noſtram aſtruendam, ac fulciendam. Vitio verò verti nobis non debet, quod etiam his probabilibus argumentis vtamur, ſi quidem vt ab Ariſtotele etiam ſæpius monetur, *Summæ dementiæ adeoque ruſticitatis fuerit quacumque in materia argumenta certitudine, aut robore paria quærere his quæ in Mathematicorum diſciplinis traduntur*; cùm pro rei quæ probanda ſuſcepitur ratione, ſufficiat veriſimilia afferri, ac in aciem educi, ſi modò cum cordatis ac ſapientibus diſputatoribus res nobis ſit. Addimus verò etiam ipſas prærogatiuas Petri ſingulas, ac ſeorſim ſpectatas veriſimilem probationem nobis ſuppeditare, ſi ſumantur non præcisè, & abſtractè, & ab omnibus conditionibus, & circunſtantiis antegreſſis, vel concomitantibus, vel conſequentibus reuulſæ, ſed vt his aliis ſunt affectæ. Itaque euaneſcit in auras, ac in fumos abit typhus Spalatenſis, qui eas nobis eripuiſſe ſe pro ſumma illa ſua ſuperbia inſolentiſſimè gloriatur. Fruatur ſua inſania, & triumphum ſibi canat. Nos vices deſipientis miſeremur, nec iacturam aliquam, aut intertrimentum paſſos nos aut videmus, aut dolemus.

DISCVSSIO
DECIMI CAPITIS
LIBRI PRIMI.

DE TESTIMONIIS PATRVM PRO PRIMATV PETRI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Spalatenſem, nullum ducere poſſe è Sanctorum Patrum ſcriptis, ſui erroris præſidium: Refelluntur quæ ille profert vt lucem rebus eripiat, ac veluti noctem offundat; Plures Patres à calumniis vindicati: Fraudes Spalatenſis detectæ, potiſſimum in locis Cypriani; qui totus aſſeritur orthodoxis: Bellarminus defenſus: Conſpectus doctrinæ Patrum tum Græcorum, tum Latinorum, qui prioribus ſeculis, verum Petri Primatum, dignitate, authoritate ac poteſtate ornatũ propugnarunt, coluerunt, & obſeruarunt: Improbum Spalatenſis, de Orthodoxis iudicium, depulſum, ac profligatum.

SPALAT. Num. 1. Bellar. l. 1. de Rom. Pont. c. 25.

COLLEGIT *non paucos, poſtremus Monarchicorum Bellarminus, Patres & Græcos, & Latinos, qui Petrum Monarchiæ videntur fauere; quos omnes, & multos etiam præterea alios, ſiue eoſdem pluribus locis de hac re loquentes afferam ipſe hoc capite; ea tamen habita diſtinctione, vt primùm eos Patres, ſiue illa Patrum dicta in vnum faſcem congeram, quæ facillimam, imò apertiſſimam admittant expoſitionem, de ſolo primatu perſonali, quem nos Petro omnino concedendum oſtendimus capite quinto. Ipſum enim & primum Apoſtolorum, & principem fecimus, & maximè dignum, & primatum inter Apoſtolos habuiſſe, & eorum caput ac præſidem, ſiue vt Decanum extitiſſe, ac primogenitum inter fratres. Deinde aliquantò exactiùs ſingula dicta eorundem conſiderabo, quæ videantur veram quodammodo præ ſe ferre Petri Monarchiam; quamuis non pauca iam ſint à nobis in ſuperioribus & prolata, & explicata.*

CVM veteres Patres veræ fidei vindices, nominat Spalatenſis, ac eorum ſe authoritate tuetur, mihi videtur facere idem quod in Republica ſeditioſi ciues ſolent, cùm aliquos ex antiquis claros viros proferunt, quos dicant fuiſſe populares, vt eorum ipſi ſimiles eſſe videantur. Cùm enim vt illi Rempublicam, ſic hic Eccleſiam optimè conſtitutam, pertubare velit, Euſebios, Baſilios, Gregorios, Chryſoſtomos, Ambroſios, Hieronymos, Optatos, Auguſtinos profert, ac horum nominibus, tot Patrum, atque tantorum expoſitis, eorum ſe ſequi inſtitutum mentitur. Sed neque

que ſimile quidquam habet veterum illorum, neque eius calumnia conferenda eſt cum eximia ſanctiſſimorum Patrum doctrina, à qua palam defecit, vt Eccleſiam ac eius in terris ſummum Rectorem, Pontificem, liberius infectaretur. Cùm autem omnium ſæculorum teſtimoniis, ad temporum amuſſim, ac ſeriem, recenſitis, cauſam Catholicam muniiſſent noſtri, potiſſimùm verò Cardinalis Bellarminus, mirus harum rerum artifex. Non tulit aduerſarius pulcherrimam methodum, ſed omnia interturbauit, vt ſcilicet, quo vellet ipſe ordine, cum potentiſſimis aduerſariis congrederetur. Significat verò ſe id feciſſe alicuius lucis gratia, reuera vt omnia obſcuraret, perturbaret, confunderet. Premamus tamen eius veſtigia, cùm illius refellendi gratia, hic nobis labor ſuſceptus ſit.

Primùm profert Euſebium, è cuius Chronico hæc deprompſerat Bellarminus, *Petrus, inquit, Apoſtolus, naturâ Galilæus, & Chriſtianorum Pontifex primus.* Excipit Spalatenſis, *ſi primus vocatione factus eſt Apoſtolus, meritò primus Pontifex etiam dicitur: & quidem non Romanus, ſed Chriſtianorum; quia tam ipſe, quàm cæteri Apoſtoli indifferenter curam ſuſceperunt quorumcunque in toto mundo Chriſtianorum.* Atqui ſi hæc ſit prærogatiua omnibus omnino Apoſtolis communis, qua ratione *primus Chriſtianorum Pontifex* audit Petrus? Oſtendat ergo Spalatenſis Andream, Iacobum, Paulum ipſum, aut quemuis alium de numero Apoſtolorum *primum Pontificem Chriſtianorum* dictum, non ſecus ac Petrum? Certè vim vocis, *Primus*, non ſolùm reformidauit Beza, qui ad hæc verba Matthæi PRIMVS SIMON aſſumentum eſſe, commentus eſt, ſed & reliqui è Schola Caluini, qui in loco Chronici Euſebiani errorem ſubeſſe ſunt ſuſpicati. Itaque ab illis ſolidam & grandem iniit gratiam Ioſephus Scaliger, qui hæc verba, *Primus Pontifex Chriſtianorum*, expunxit; Sed vt non deſint qui ſtudio partium abreptum, virum doctiſſimum feciſſe credant, ego non exiſtimarim acrius eſſe pro illis verbis, quæ in Caſſiodoro non apparent, depugnandum; maximè cùm indubitatus locus ex hiſtoria Eccleſiaſtica proferri poſſit, qui mentem eius ſatis aperiat, ac quanti fecerit Petrum, oſtendat. Igitur interprete Ruffino ita habet locus, *Clementia diuinæ prouidentiæ probatiſſimum, omnium Apoſtolorum, & maximum, fidei magnificentia, & virtutis merito, Primorum Principem communem Petrum, ad vrbem Romam, velut aduerſum humani generis perniciem communem depugnaturum, deducit.* Græcus autem Euſebius ſic loquitur: *Benigna & propitia Dei, totius huius vniuerſitatis rectoris, erga humanum genus prouidentia, fortem ac præpotentem, & reliquorum omnium Apoſtolorum, propter virtutis amplitudinem facilè Principem Petrum, Romam verſus ad eiuſmodi peſtiferam vitæ humanæ corruptelam delendam quaſi manu deduxit.* Verba videntur paululùm immutata, ſed ſenſus in idem redit. Ac omninò apparet Ruffino, quo non infrequenter ſe tuentur aduerſarij, & in his Spalatenſis, Petrum nedum *Primum*, ſed, *Primorum Principem*, habitum. Opponunt tamen aduerſarij πρόμορον apud Euſebium nihil aliud ſignificare, quàm *Principem in dicendo*, vel *Principem ſermonum*; ac vt iſtud concedamus Petrum ſcilicet Principem in dicendo extitiſſe, quod ſcilicet os eorum eſſet, vt alij loquuntur, qua rima ſe quoque elabi poſſe arbitratur Spalatenſis; quæro ab eis quorſum in dicendo & loquendo primas illas partes ha-

SPALAT. Num. 2. Euſebius in Chron. an. 44.

Beza ad ca. 10. Matth.

Scalig. ad Chron. Euſeb.

Euſeb. li. 2. hiſt. Eccl. c. 13. ſeu 14. Η παντάληθης καὶ φιλανθρωπία τοῦ ὅλων τούτου κόσμου ἡγεμόνος, ἰσχυρὰν καὶ μέγαν τῶν ἀποστόλων, τὸν ἀφ' ἧς ἤνεγκε τῶν λοιπῶν ἀποστόλων πρόμορον Πέτρον ὅπη τὴν Ῥώμην, ὡς ὅπη πλικοῦτον λοιμῶδες βίου χαλεπαίνοντα.

buerit, nisi quod vt loquitur Chrysostomus; *Vertex & Coryphæus esset Apostolorum?* Fateor equidem loqui pro aliquo non semper *dominationis*, sed *ministerij* quoque, quod illi vrgent, signum esse posse, sed cùm is qui pro collegio loquitur, *Coryphæus*, *vertex* & *dux* audit, proculdubiò non nudi ministerij, sed & eminentiæ & Dominationis indicium est; Certè Chrysostomus prælocutorem reliquorum, ac sermonis ducem facit, quod Principis instar, *creditum sibi agnosceret gregem.* Sic enim ad illa verba, *Surgens Petrus, in medio discipulorum dixit; Quàm est*, inquit, *feruidus? quàm agnoscit à Christo, creditum gregem, quam in hoc choro* (Apostolorum) *princeps est? vt vbique primus omnium incipit loqui.* Cæterùm non video quorsum hîc Ducem sermonis, siue quod habet Casaubonus, *Reliquorum omnium prælocutorem*, interpretentur Sectarij, cùm de vno Petro, qui ad pestilentissimum hæresiarcham persequendum ac conficiendum, Romam sit numinis munere allegatus, loquatur Eusebius. Sed, vt ad Spalatensem regrediar, vt reliqua quæ ab Eusebio de Petro dicuntur in collegas Apostolos conueniant, quis non videat sigillatim & præcipua quadam ratione tribuisse Petro, tanquam scilicet χαρτέρῳ καὶ μεγάλῳ τῶν ἀποστόλων.

Chrysost. hom. 3. in Act. Καὶ ὁ τῶν ἁπάντων τούτων ἐκκρινὴς Πέτρος ὁ μέσῳ τῶν μαθητῶν ὢν. καὶ ὡς θερμὸς ἡ ὡς ἐμπιστευθεὶς παρὰ τοῦ Χριστοῦ ἡ τιμωλία, καὶ ὡς τῆς χορείας κορυφαῖος, ἀεὶ πρώτος ἄρχεται τοῦ λόγου. Casaub. exerc. 15. p. 372.

SPALAT. Num. 3. Basil. ser. de Iud. Dei.

Sequitur Basilius; *Ille*, inquit, *beatus qui cæteris prælatus Discipulis fuit, cui claues regni cœlestis commissæ.* Petrum scilicet subindicans; *Nos etiam*, respondet Spalatensis, *dicimus prælatum fuisse cæteris in hoc, quod primatum vocationis, & primogenituram habuerit, & pro figura ac typo totius Ecclesiæ fuerit assumptus, factusque inter Apostolos caput.* Atqui bone vir quantumuis oblucteris, qui in ratione *primogeniti & capitis*, reliquis Apostolis sit prælatus, proculdubio dignitate, authoritate & potestate eos anteuertit: Neque verò eius primatui aliquid detrahit, quod *vocatione* quoque eos antegrediatur, imò si verum fateri lubet, eum magis ea ratio illustrat. Sed hoc postremum vanum esse commentum supra ostendimus, vt non alia ratione Basilius prælatum Discipulis Petrum dixerit, quàm *quod claues regni cœlorum* cum eximia illa scilicet capitis dignitate, quam in Petri successore agnoscit, ac veneratur, à Christo sit consecutus. Quare etiam fundamenta Ecclesiæ in se recepisse Petrum prædicat. *Qui*, inquit, *quoniam fide præstabat, Ecclesiæ ædificationem in seipsum recepit.*

Basil. lib. 2. cont. Eunomium. Τὸν διὰ πίστιν ἀθρόως ἐφ' ἑαυτὸν τὴν οἰκοδομὴν τῆς ἐκκλησίας δεξάμενον.

SPALAT. Num. 4. Nazian. or. de mod. in disp. seru. Οὗτος τῆς Χριστοῦ μαθητῶν πάντων ὄντων ὑψηλῶν ἡ τῶν ἀλλοῖς ἀξιωτός μὲ πίστεως κλεῖσαι, καὶ τὸν θεμελίους τῆς ἐκκλησίας πιστώσασθαι, ὁ ἐν ἀγάπῃ φιλέσας, καὶ διὰ τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ ἀναπαυσάμενος, ἡ φλεγόμενος ἡ λευκὴ ἡ σεμνότητι.

Succedit Gregorius Nazianzenus: *Vides, inquit, quemadmodum ex Christi Discipulis, magnis vtique omnibus & excelsis, atque electione dignis, hic Petra vocetur, atque Ecclesiæ fundamenta fidei suæ credita habeat; ac reliqui Discipuli, posthaberi se, tranquillo animo ferant.* Excipit Spalatensis. *Nazianzeni*, inquit, *verba de sola præcedenti prælatione sunt intelligenda: nam omnes Apostolos æquè fundamenta fuisse iam probatum est: quod verò maximè, & præcipuè id Petro Dominus contulerit, non ægrè cæteri ferebant.* An verò cum ratione insanit iste? Dicit Nazianzenus *Ecclesiæ fundamenta fidei Petri concredita fuisse, & in hoc reliquis, quanquam aliàs excelsis, & ea electione dignis, prælatum fuisse*; & tamen hac parte pares omnino fuisse contendit insulsissimus disputator. Quis in eo sensum communem non desideret? Addit præterea Nazianzenus id eos *patienter tulisse*, & illos à modestia laudat; At quæ illa fuit eorum modestia, si nihil peculiare est Petro concessum! An ex eo quod parem cum illis esset sortitus dignitatem intelligere

ligere potuerunt, ſe illi poſthaberi? O nugas nugerrimas? Quod verò inter laudes Apoſtolorum ponit *ea electione dignos fuiſſe*, haud Petri ætati tributum oſtendit, *quod Petra ſit vocatus, & Eccleſiæ fundamenta ſibi credita habuerit*, neque enim ſi ætas ſpectabatur electione opus erat. Atque electionis quoque meminit Epiphanius Gregorio Comes additus, *Petrum, inquit, elegit vt dux eſſet diſcipulorum.* Sed hic quoque delirat Spalatenſis. *Quia*, inquit, *primus & ſenior nomine tantùm Dux & ſimilitudine, non iuriſdictione.* Igitur ne ſui oblitus eſt qui ſupra tantum patrem acerbè exagitauerit, quod Andream Petro ſeniorem fecerit? quomodo igitur iam Petrus ſenior? An non meminit Epiphanium docere, ex ſcriptura Andreæ ætate Petro ſuperiorem fuiſſe, quod dictum ſit Ioanni, *Erat verò Philippus de Bethſaida ciuitate Andreæ & Petri?* Cenſet enim Andream primò nominatum, quòd ætate prouectior eſſet, & natu grandior. *At*, inquit Spalatenſis, *nomine non iuriſdictione dux fuit*: verba non ſuccurrunt quibus hanc contumaciam excipiamus, & pro meritis caſtigemus. Addit ex eodem magno Patre, *Hic eſt* (Petrus) *qui audiuit, Paſce agnos meos; cui creditum eſt ouile*, & tamen nomine non iuriſdictione ducem & paſtorem ouilis fuiſſe garrit? ô Frontem! Cæterùm verba Epiphanij ſunt: [a] *Petrus à Chriſto audiit: Petre paſce agnos meos, Cui gregis eſt commiſſa cuſtodia: quem Domini ſui virtute fretus præclarè gubernat, ac regit*: Idem ſanctiſſimus Pater aſſeuerat Petrum *eſſe Petram ſuper qua ſit fundata Eccleſia*, idque, κατὰ πάντα τρόπον, modis omnibus. Verba eius rurſus ſunt: [b] *Princeps Apoſtolorum Petrus, qui Dominũ aliquando negauit. Quiquidem ſolidæ Petræ inſtar nobis extitit, cui velut fundamento Domini fides innititur: ſuprà quam Eccleſia modis omnibus extructa eſt: imprimis quidem, quòd Chriſtum Dei viui filium eſſe confeſſus eſt, idque vicißim audiit: ſupra hanc, ſolidæ fidei, Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Hîc ne igitur etiam nomine & ſimilitudine, nó virtute, Petram huiuſmodi eſſe dictũ aſſeuerabit? Annon hoc eſt vniuerſum aut euertere aut fruſtrari Euangelium? Similiter enim illa, *Quodcumque ſolueris, &c.* de nomine tantùm & ſimilitudine erunt. Sed quis patientem accommodauerit autem tam inepto nugatori? Addit Spalat. *Petro demandatã ouilis curam, nõ ſoli, ſed præcipuo, & principaliter & nomine prælatorũ Eccleſiæ quos repræſentabat.* Hæc, bono ſenſu, planè vera ſunt, etſi enim cùm eſt ei dictum, *Paſce oues meas*, cura ouilis eſt ei ſpeciali & eximia quadã ratione cõmiſſa, habent tamen & ſuas partes in paſcendo grege cæteri paſtores, cùm eis dictum ſit, [c] *Paſcite eum qui in vobis eſt gregem*, ſed eſt hoc onus impoſitum Petro tanquam præcipuo, hoc eſt tanquam primario Paſtori & principali, quia iure capitis dignitatem & authoritatem eſt à Chriſto conſecutus; qua ratione etiam paſtores omnium ſæculorum repræſentaſſe meritò creditur, quod quemadmodum in capite vigent omnes ſenſus, ita in eo veluti in radice ac ordinis ſui ſcaturigine *eminenter*, vt loquuntur, continerentur.

SPALAT. Num. 5. Epiph. hær. 57.

[a] Idem in Ancor. Ὁ ἀκούων παρὰ τοῦ ἀληθοῦς· Πέτρε, ποίμαινε τὰ ἀρνία μου. ὁ πανσυμφώνως πλὴν πείθωλον ἀγελαῖος ὁδηγῶν ἐπὶ τῷ δικαίῳ τοῦ ἰδίου δεσπότου.

[b] Contra Catharos hær. 59. Καὶ ὁ ἀποστόλων ἀρχὴ ἐστὶν ἄγιος Πέτρος, ὃς κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων, ἐς γέγονεν ἡμῖν ἀληθῶς στερεὰ πέτρα διαμένουσα ἐπὶ πίστει τοῦ Κυρίου, ἐφ' ᾗ ᾠκοδόμηται ἡ ἐκκλησία καὶ πύλαι ᾅδου οὐ κατισχύουσιν. σοὶ γὰρ μὲ ὅτι ὁμολογεῖ Χριστὸν τὸν υἱὸν τοῦ θεοῦ τοῦ ζῶντος, καὶ ἀκούει, ὅτι ἐπὶ τῇ πέτρᾳ ταύτῃ τῆς ἀνεψιᾶς πίστεως οἰκοδομήσω μου τὴν ἐκκλησίαν.

[c] Act. 20. SPALAT. Num. 6. Cyril. l. 12. in Ioa. c. 64.

Audiamus iam Cyrillum, *Vt Princeps, inquit, caputque cæterorum primus exclamat, Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Explicat, imò excruciat Cyrillum Spalatenſis, *Princeps*, inquit, *& caput ordine vocationis, & dignitate.* Certè doctiſſimus Cyrillus non obſcurè Andream Petro, *vocatione*, priorem facit, ſic enim ad illa verba, *Andreas inuenit primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei, Inuenimus Meßiam; Fratrem Petrum*, inquit, *Andreas breuiter, atque in ſumma, tanta re ſignificata ſeruauit, Inuenimus, inquit, Meßiam*: ergo ſaltem hoc Ioan. 1.

Cyrill. l. 2. in Ioa. c. 12. Φερωτόμως ἡ ἀπὸ τ πέτρας μετωνόμαζε Πέτρον, ἐπ' αὐτῷ γὸ ἔμελλε τ ἀπῆ θεμελιοῦν ἐκκλησίαν.

titulo non esset Andreæ præferendus Petrus, si tantùm vocationis ratio haberetur. Quod ad dignitatem attinet, eam certè illustrem esse oportuit in Petro, qui tanto Patre iudice sit à Christo electus, in quo *tanquam in Petra lapidéque firmissimo suam esset ædificaturus Ecclesiam.* Hoc sensu non repugnamus Petrum caput *dignitate* extitisse inter Apostolos, dignitate inquam, cum authoritate, & potestate coniuncta.

SPALAT. Num. 7. Chrysost. hom. 55. in Matth.

Prodit iam in medium Chrysostomus, *Petrum Ecclesiæ futuræ pastorem constituit: Præcipuum quidem*, inquit Spalatensis, *sed non solum.* Id & nos volumus Petrum scilicet præcipuè, hoc est, tanquam caput & principem Apostolorum, pascendi gregis primam curam suscepisse; cui tamen reliqui essent in eo munere obeundo sociandi; sed non pari dignitate, cùm is esset in collegio Princeps. Asserit rursus Chrysostomus, *orbis terrarum curam esse Petro demandatam:*

Idem hom. 87. in Ioan. Επειδὴ γὸ ἔμελλον τῆς οἰκουμένης πᾶσι ὑπερορᾶν ἀπεξῆς.

Sed statim, inquit Spalatensis, *hoc idem de reliquis quoque affirmat Apostolis; subdit enim; cùm essent orbis terrarum curam susceperuri, simul amplius esse non oportebat*: Sed non vidit, homo parum acutus, posterius hoc dictum ad Apostolos pertinere, *collectiuè*, vt loquuntur, spectatos, non autem *distributiuè.* Hoc enim indicant illa verba, *simul eos esse non oportebat, magnum enim fuisset mundo detrimentum*; vt sit sensus Chrysostomi, nec Ioannem, nec Iacobum, nec reliquos vnà cum Petro manere potuisse, quod orbis terrarum curam essent susceperuri; id est, quod essent in omnes orbis partes, hic quidem in Scythiam, ille in Æthiopiam, alius in Græciam, &c. Dimittendi & allegandi vt Euangelium ferrent & excolerent, cùm tamen idem facundissimus Pater de Petro seorsim spectato, dixisset, *Orbis curam ei fuisse demandatam*, Idem Petrum vocat *Caput & verticem Apostolorum*; Sed rursus nodum in scirpo quærit Spalatensis. *Fuit*, inquit, *Caput & vertex, quia erat præses inter reliquos Apostolos*: Non repugno, Grammaticorum enim, quos non consuluit Spalatensis, sententia, PRÆSIDERE, semper authoritatem quandam habet coniunctam, vt præses sit à summo principe secundus, & reliquorum veluti iudex aut Princeps; quare qui in Prouinciis Imperio Romano subiectis maximum Imperium post Principem habebant, *Præsides* dicebantur; Itaque hoc sensu, quod Petrus post Christũ maximum Imperium in Ecclesiam, & Apostolos ipsos sit consequutus, Spalatensi Præses haberi poterit, nobis non reclamantibus. De sententia verò Chrysostomi amplius videbitur inferius.

Hom. 87. in Ioan. Καὶ τ οἰκουμένην αὐτῷ φησι.

Idem ho. 2. in Psal. 50. Ὁ τύλος τ ἐκκλησίας, ὁ χριστὸς τ πίστεως, ὃ κεφαλὴ τ χορ τ ἀποστόλων ὁ Πέτρος.

SPALAT. Num. 8. Bellar. de Rom. Põt. li. 1. cap. 25. Euthymius in Ioan. cap. 21. Oecumen. in ca. 1. act.

Iam quid responderit Euthymio, & Oecumenio audiamus. Euthymium quidem ita loquentem inducit, *Petrus accepit præcedentiam* (præsidentiam habet Euthymius à Bellarmino citatus) *super discipulos.* Respondet verò, *considerabat præcedentiam ex ætate & vocatione. Ita & Oecumenius*; *Surgit*, inquit, *Petrus, non Iacobus, & velut feruentior, & velut is cui Discipulorum præsidentia commissa erat.* Aliquid dixisse nec planè tacuisse, respondisse existimat iste; Hi duo authores conspirantibus calamis scribunt *commissam esse præsidentiam Petro*, hoc est Petrum impositum præsidem Apostolis à Christo. Quo pacto igitur eam præsidentiam, vt verbis interpretis vtar, iuxta ætatem spectarint, an opus fuit priuata aliqua Christi designatione vt Petrus ætate anteuerteret reliquos Apostolos? Ad vocationem verò respexisse nihilo melius aut validius probauerit. Vterque sanè respexit ad loca, *Tibi dabo claues regni cœlorum*, *Pasce oues meas*, quibus Petrum præsidem ac prin-

principem Apoſtolis & Eccleſiæ impoſitum, tota credidit antiquitas. Euthymius certè pro oraculo inter Apoſtolos habitum Petrum tanquam ſummum principem prædicat. *Primum*, inquit, *apparuit Chriſtus Magdalenæ & alteri Mariæ, deinde his duobus, poſtmodum Petro, demum verò illis duobus. Sanè his non habita eſt fides, Petro verò tanquam* SVMMO ET COETERORVM PRINCIPI, *creditum eſt, & ita duo qui apud Lucam ab Emaus reuerſi ſunt, inuenerunt Apoſtolos dicentes, Surrexit Dominus verè, & viſus eſt à Simone.* Hæc ſi poteſt referat aduerſarius ad *præcedentiam vocationis*, quam tamen merum figmentum appellare non dubito. Vide Euth. ad cap. 16. Marc.

Sequitur Theophylactus ad illa verba, *Confirma fratres tuos*, *Quia*, inquit, *te habeo vt Principẽ Apoſtolorum, poſtquã negato me fleueris & ad pœnitentiã veneris, confirma cæteros; Hoc enim decet te, qui poſt me Eccleſiæ Petra es & fundamentum.* Reſpondet Spalatenſis. *Principem vocat diſcipulorum, id eſt primum, qui poſt Chriſtum præcipua Petra fuit, ſed non ſola & præcipuum fundamentum.* At ne ſic quidem elabitur. *Diſcipulorum* enim *Principem* Petrum vocat Theophylactus, Vt iam Spalatenſi probandum ſit aliquem ex Patrum numero, alium Apoſtolorum hoc nomine expreſſiſſe. Replicet igitur omnia Patrum monumenta, & oſtendat extitiſſe qui aliquem præter Petrum nominant *Principem Diſcipulorum*, aut qui aliquem præter Petrum nominauerit poſt Chriſtum *Petram* & *fundamentum Eccleſiæ* peculiari illa ratione quam expreſſit Matthæus, cuius teſtimonium verſat Theophylactus. Imò hoc effugium Spalatenſi eripuit Chryſoſtomi diſcipulus & imitator egregius, *Totius orbis*, inquit, *ouium præfecturam* Petro (Chriſtus) *committit, non autem alij, ſed huic tradit; primum quidem quia omnes præcellebat, & totius cœtus os erat, &c.* Vides vt reliquos Apoſtolos præfectura Petro conceſſa exuerit ac excluſerit Theophylactus. SPALAT. Num. 9. Theophyl. in Luc. cap. 22. Idem ad cap. 21. Ioan. Επιδὴ τίλος ἦν αὐτῷ τὰ τῆ ἀρείσυ, τῷ Πέτρῳ τὰν πρωτείαν τῷ τῶν ἀποστόλων πρεσβάτον ἐχαρίζετο, ἀκ ἄλλω δὲ, ἀλλὰ τούτῳ παρέδιδυ, πρῶτον μὲν, ὅτι πάντων ἦν κορυφαῖος, ἢ στόμα τῷ χορῷ πάντων.

Prodeat iam Damaſcenus. Eum ſic loquentem inducit Spalatenſis, *Petrum*, inquit, *dignum Eccleſiæ præſidem à Chriſto prædeſtinatum ſcribit, eique factam reuelationem tanquam qui Princeps futurus, erat & totius Eccleſiæ clauũ ſuſcepturus.* Excipit verò: *Hæc encomiaſticè dicta ſunt ex ſolis verbis Euangelicis, non ex ſententia, quam verba Euangelica contineant, erutа & amplificata. Et Petrum*, inquit, *vt præcipuum, non vt ſolùm Eccleſiæ præſidem extollunt, ſanè oratoriè non Theologicè.* Addit verò pro coronide impudentiæ; *Sed neque Damaſcenus tantæ eſt authoritatis, vt inter recentiores aut dormitantes, aut adulantes non poſsit interdum reponi.* O frontem! Quid? fortè Damaſcenus hòmo inter authores Græcos reponendus quanquam Damaſci natus Pontifici paraſitatus eſt, & ad voluntatem non ad veritatem eſt loquutus? Dic agè quibus artibus Pontifex ad amicitiam eius adrepſerit, & fauorem emereri ſtuduerit? Certè de homine Græcis addictiſſimo vix ac ne vix quidem cuiquam cordato iſtud perſuaſeris. Quantæ autem authoritatis eſſe debeat apud probos omnes, eruditiſſimi libri *de fide Orthodoxa*, ac reliqua opera ſummo ingenio elaborata, ſuſcepta pro auita pietate aduerſus impium Imperatorem certamina probè demonſtrant, ſed hoc nimirum eſt quod Spalatenſem torquet Damaſcenus nimium illi eſt orthodoxus, eumque propterea haud ſobrius, *inter dormitantes, & adulantes*, reponere non veretur. Quod ſcribit *oratoriè non Theologicè* eum loquutum, audacia eſt ab omnibus piis conſpuenda. Itáne igitur ſummus Theologus, ſic ſit Rhetoricatus, vt à ſincerioris Theologiæ SPALAT. Num. 10. Damaſc. orat. in Transfig.

placitis exorbitarit, eloquentiæ oſtentandæ impotenti æſtu abreptus? Quod addit, *Petrum vt præcipuum non vt ſolùm Eccleſiæ præſidem extuliſſe*, vanum eſt effugium, quo enim ſenſu Petrum Eccleſiæ moderatorem agnouit, nullum omninò *neque Apoſtolum neque Epiſcopum* eiuſdem principem fecit. Audiamus miraculis clarum, eremi cultorem, ſua fulmina vibrantem his verbis;

Damaſc. orat. de Transfig. Domini. *Hoc, inquam, Petre à Chriſto ſupplex contende, ab eo inquam, qui Eccleſiæ immaculatus ſponſus eſt, qui te cœleſtis regni clauicularium inſtituit, qui tibi vinciendorum ac ſoluendorum peccatorum poteſtatem conceſſit, quem tu diuino ore Dei viuentis filium prædicaſti, &c. Aſſumpſit Dominus Petrum vt Antiſtitem, qui totius Eccleſiæ gubernacula ſuſcepiſſet.*

Damaſcenus Ambroſio locum relinquit apud Spalatenſem. *Ambroſius*, inquit, *conſiderans illa Chriſti verba ad Petrum, Petre amas me, ita ſcribit; Is interrogatur de quo dubitatur: ſed Dominus non dubitabat qui interrogabat, non vt diſceret, ſed vt doceret, quem eleuandus in cœlum amoris ſui nobis velut Vicarium relinquebat; Sic enim habes; Simon Ioannis diligis me? Vtique tu ſcis Domine, quia amo te; Dicit ei Ieſus, Paſce Agnos meos. Benè conſcius ſui non ad tempus aſſumptum, ſed iam dudum Deo cognitum Petrus teſtificatur affectum. Quis eſt enim alius qui de ſe hoc facilè profiteri poſsit? Et ideò quia ſolus profitetur ex omnibus, omnibus antefertur. Maior enim omnibus charitas: Hucuſque Ambroſius.* Quid igitur ad iſta ſolis radio ſcripta Spalatenſis? *Ambroſius*, inquit, *nihil aliud in his dictis, intendit niſi oſtendere Petri excellentiam ſupra alios, in amando Chriſto; Senſus illius* addit *talis eſt. Quaſi dicat Petro Chriſtus; Petre quandoquidem tu me amas pluſquam cæteri, amorem hunc quem habes erga me, iam me diſcedente conuerte erga oues meas, vt ſicut me amas plus his; ita plus his mea vice, ama oues; (hoc enim eſt relinqui à Chriſto quaſi Vicarium amoris ipſius; nempè tu mea vice, & loco mei, ama meum gregem, & ſuccede mihi in ipſo amore erga gregem.) Et quia nullus erat ſibi conſcius, ſe adeò amare Chriſtum vt Petrus, ideò Petrus cùm ſolus profiteatur ſuprà omnes ſe amare Chriſtum, in hoc omnibus antefertur; videlicet, vt ei iniungatur pluſquam cæteris munus amandi, & paſcendi pro Chriſto oues; Nam ſicut inter virtutes maior eſt charitas; ita qui charitate excellebat omnes (etiamſi fortaſſe aliis virtutibus, alij vt Ioannes, ipſum ſuperarent) ex charitatis præcellentia omnibus antefertur in hoc, vt plus ei quàm cæteris oues commendentur. Hic eſt, ait, ſenſus Ambroſij, qui nihil facit ad primatum iuriſdictionis, fuitque aliquid perſonale in Petro, vt ſuprà docui. Idem verò Ambroſius, dum alibi ait, Primatum non accepit Andreas, ſed Petrus. Loquitur de primatu vocationis ad Apoſtolatum, & aliis perſonalibus præeminentiis Petri. Aliâ*, addit, *Ambroſij loca ſunt à nobis iam explicata.* At ne micam quidem ſalis habet importuna iſta explicatio. Equidem verum eſt Chriſtum Petri ſummum in ſe amorem ſpectaſſe, ac eius intuitu commendaſſe ei ouium curam; ſed duo hæc expendenda veniunt. *Chriſtum eleuandum in cœlum Petrum ſui amoris Vicarium reliquiſſe*; Et *Petrum omnibus aliis antelatum.* Ad quid igitur primùm, Chriſtus *eleuandus in cœlum, eum amoris ſui Vicarium reliquit*, niſi vt Chriſti vices obiret? Qui enim amoris Chriſti Vicarius eſt conſtitutus, eum quoque, *operis Vicarium*, relictum par eſt agnoſcere. Et vt fuerint cæteri Apoſtoli, *eiuſdem operis Vicarij*, quod clamat Eccleſia, ipſe tamen reliquis antefertur, quia nimirum ipſe, non alius, *primatum*

Spalat. Num. 11. Ambroſ. in Luc. cap. vlt.

Suprà c. 8. n. 12. huius.

Ambroſ. in 2. Cor. c. 12.

In præfatione Apoſtolorum.

matum accepit, vt author Commentariorum in epiſtolas Pauli, qui Ambroſij nomine præferuntur, agnoſcit. *Prior*, inquit, *ſequutus eſt Andreas ſaluatorem quàm Petrus*; *Et tamen primatum non accepit Andreas, ſed Petrus*: Ineptè ſiquidem Spalatenſis, *De primatu vocationis ad Apoſtolatum, & de aliis perſonalibus præeminentiis* interpretatur; Cùm contra primum vocatione faciat Andream: *Primus*, inquit, *Andreas ſequutus eſt Dominum*, credo vocantem. Atque id nos ſuprà abundè probauimus. Agmen claudat Leo; Sic igitur Leo referente Spalatenſi: *Cùm enim*, inquit, *beatiſſimus Petrus Apoſtolicum à Domino acceperit principatum*: *Apoſtolicus principatus*, inquit Spalatenſis, *eſt quod ſit primus Apoſtolorum, nam etiam eundem Petrum idem Leo vocat præcipuum Apoſtolorum*. Egregiè ſanè, nam qui verbi gratia Rex eſt Gallorum, aut Imperator Romanorum, is & primus, & præcipuus eſt in Gallia, aut in Imperio Romano; Eſſent ſanè iſta non reſponſionibus, ſed cachinnis excipienda, ſi ſummo iure ageretur. At multò iam maiora tentat, & quod ait ille, montes moliri ſua ſede parat. *Ad alia*, inquit, *Patrum loca difficiliora accedamus Græcorum prius, deinde Latinorum*, Primùm ad certamen vocat Origenem, *cui animus ſolido ex adamante creatus*. Origenes inquit, *Petro cùm ſumma rerum de paſcendis ouibus traderetur, & ſuper ipſum velut ſuper terram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo niſi charitatis exigitur*: Vim huius adamantis quî domat Spalatenſis? Hirci credo callido affuſo ſanguine. Ad populum Phaleras; *Certè*, ait, *verba illa Latini interpretis puto Ruffini*, (*ſumma rerum traderetur*) *Latinè amplam habent ſignificationem: libentius Græcum Origenis dictum conſiderarem ſi extaret*; *Arbitror enim aliquid modeſtius dici, nimirum Petro principaliter, & maximè paſturam ouium committi*; *Nam alioqui Origenes etiam inter Apoſtolos, perfectam poſuit æqualitatem, vt in præcedentibus ſuis locis oſtenſum eſt*. Facundiſſimus Eudæmon Ioannes ex Societate Ieſu, qui hominem propius norit, ridet hanc eius vaniſſimam iactantiam, qui cùm Græcas literas ne leuiter quidem attigerit, profiteatur ſe ad earum amuſſim Origenis dicta exigere velle. Interim Marce Antoni magnas gratias habe Ruffino, niſi malis Hieronymum agnoſcere Origenis interpretem, ſi ille Latina ſua verſione, Latinum tibi non dediſſet Origenem, eaque tibi præluxiſſet, planè tibi incognitus eſſet Origenes, & ignotis locis errares: Hunc tu tamen exagitas, quòd pro *modeſtiore dicto*, vt tu quidem arbitraris illud (*ſumma rerum*) repoſuerit: Nec his contentus addis, *Latinè amplam ſignificationem habere illa verba*: Sed ne erres! habent ampliſſimam. Atqui *ſummam rerum* omnino dicunt, in qua maxima & nobiliſſima pars rei conſiſtat, inde ſcilicet *ſummam imperij, alicui tradere*, quod hic expreſſit, ſiue Ruffinus, ſiue Hieronymus; quo ſenſu *ſummam accepiſſe* Velleius intellexit, *ſummos honores* conſequutum fuiſſe. Sed,

Quid iuuat ad ſurdas ſi cantet Phemius aures?

Dicit Origenem *etiam inter Apoſtolos ſummam poſuiſſe æqualitatem*, quo effato nihil poſſit eſſe abſurdius; Eminentiore enim ac auguſtiore ſemper inter Apoſtolos loco Petrum ponit, *Vide*, inquit, *magno illi Eccleſiæ fundamento, & Petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam, quid dicatur à Domino*; *Modicæ fidei*, inquit, *quare dubitaſti? Apoſtolorum* quoque *Principem* facit, adeoque his longè maiorem. Quod attinet ad explicationem verborum, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c.* qua hanc prærogatiuam Petri ad omnes omnino fideles torquet, ſuprà oſtendimus ſenſum literalem præteriolaſſe eum,

SPALAT. Num.12. Leo ep.7. Id.ep.66.

SPALAT. Num.13.

Orig. in ep. ad Rom. c.6.

Eudæm. Ioan.in admon.libro. M. Antonij de dominis.

Hom.25. & hom.17. in Luc.

vt allegorias conſectaretur, & his luderet : Atqui ex huiuſmodi allegoriis nullum fidei dogma, aut elici, aut aſtrui poſſe, ipſe Spalatenſis non ſemel his libris inculcat.

SPALAT. Num. 14. Chryſoſt. hom. 55. in Matth.

Adeamus Chryſoſtomum, *Chryſoſtomi dicta*, inquit Spalatenſis, *poſſunt plura proferri, quibus Petri videatur aſtrui Primatus. Petrum, inquit, futuræ Eccleſiæ paſtorem conſtituit. Et Deus concedere ſolus poteſt, vt futura Eccleſia tot tantiſque fluctibus impetu irrumpentibus, immobilis maneat, cuius Paſtor & caput homo piſcator atque ignobilis. Et Hieremiam vni genti Pater, hunc autem vniuerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit; & Petrus adeò abluit illam abnegationem;* Id. orat. 4. adu. Iud. *vt etiam primus Apoſtolorum fuerit factus, ac terrarum orbem totum ſubiecerit. Et ſurgens Petrus in medio diſcipulorum dixit, &c. Quàm eſt feruidus? quàm agnoſcit creditam à Chriſto gregem? quàm in hoc choro Princeps eſt? & vbique* Id. ho. 6. de laud. Pauli. *primus omnium incipit loqui, &c. Et, Non autem Paulus ſolus talis fuit, ſed ille quoque qui fuit Apoſtolorum caput.* Putat autem ſe euaſiſſe, inaniſſima diſtinctiuncula. *Hæc*, inquit, *vt plurimùm de ſolo perſonali Primatu Petri* intelligenda eſſe, & de *ſuprema Petri poteſtate Apoſtolica, qua tamen minorem cæteri Apoſtoli non habuerunt*; Sed certè cum priore teſtimonio dicat Chryſoſtomus, *Futuræ Eccleſiæ Petrum paſtorem conſtitutum; Et Hieremiam vni genti patrem, hunc autem vniuerſo terrarum orbi, Chriſtum præpoſuiſſe*; (reliqua enim quæ in Græco non habentur prætereo,) ad primatum perſonalem referri non poteſt, & cùm Petrum *primum Apoſtolorum, chori Apoſtolici principem, coryphæum Apoſtolorum, chori Apoſtolici caput*, aliis locis vocat, alio inflecti nequit, quàm vt intelligatur exiſtimaſſe Petrum omnibus Apoſtolis ſuperiorem fuiſſe, non verò procuratorem (neſcio vnde Spalatenſi id nomen, ſyndicum enim intelligit) egiſſe : velit enim nolit Spalatenſis, *Primum, præcipuum, principem, caput, coryphæum, & magiſtrum*, reliqui dignitate non æquant, nec ei poteſtate ſunt pares : non ſolùm actu, vt loquitur Spalatenſis, ſed nec habitu. Cæterùm magnos labores à Petro pro Eccleſia vbiuis gentium ſuſceptos ſuſpicimus, prædicamus ac laudibus in cœlum tollimus, in his tamen non acquieſcimus, ſed vlterius progreſſi, aſſerimus hoc nomine quod *à capite Eccleſiæ*, & *à magno duce*, qui omnes exercitus partes luſtraret, ſuſcepti ſint maiore adhuc in precio habendos eſſe. His fauet Euſebij locus, de quo ad initium capitis diximus : Hic verò nihil mutauerim; Aduerſarij enim veſtigia premo, illumque etiam deerrantem perſequor. *Beni-*

Euſeb. lib. 2. hiſt. c. 13. *gna & propitia Dei*, inquit, *totius huius vniuerſitatis Rectoris, erga humanum genus prouidentia, fortem ac præpotentem, & reliquorum omnium Apoſtolorum propter virtutis amplitudinem facilè principem Petrum, Romam verſus ad eiuſmodi (Simonis Magi) peſtiferam vitæ humanæ corruptelam delendam, quaſi manu deduxit, qui quidem vt pote generoſus & ſtrenuus Dei dux, diuinis armis obtectus, munituſque, eximiam & pretioſam tanquam mercaturam veri luminis mente ſola comprehenſi, ab oriente ad occaſum vſque deportauit, ipſamque Regni cælorum prædicationem, cæleſtem ſcilicet lucem, & ſalutarem animarum doctrinam palam diuulgauit.* Atqui hæc præſtitiſſe Petrum, non vt fieret Apoſtolorum princeps, ſed vt quam eſſet nactus ſpartam ornaret, hoc eſt vt creditos ſibi populos doctrinæ fulgore compleret, pro officio magni doctoris, Chriſtiana pietate imbueret, atque pro munere ſummi paſtoris, graſſantem lupum luporum rapaciſſimum, & ſi vis luporum omnium qui ouile Chriſti infeſtarunt crudeliſſimum parentem, à caulis arceret, ac auidis eius dentibus agnos excuteret, non obſcurè ſignificat

Euſebius,

Digitized by G

Euſebius, quem opto diligentius expendat Spalatenſis. Miror certè hoc Euſebij teſtimonio vſum, vt probaret Petrum *caput Eccleſiæ, & paſtorem*, Chryſoſtomo dictum, *non ſolùm quod primus eſſet Apoſtolorum, ſed etiam quod eſſet quaſi omnium procurator, aſſumptus & inſtitutus, & adeo diligens ac ſolicitus in Euangelica prædicatione.* Sedulitatem diligentiam, animi conſtantiam ac robur, indefeſſos labores Petri prædicat Euſebius, ſed nec in Euſebio, nec in Chryſoſtomo, vel exiguum veſtigium apparet procurationis aut ſyndicatus, quem nomine Apoſtolorum ſuſceperit Petrus.

Addamus iam Euthymium verbis Chryſoſtomi tonantem, *Si dicas*, inquit, *quomodo Iacobus ſedem Hieroſolymis accepit? Reſpondeo hunc (Petrum) totius orbis Magiſtrum eſſe conſtitutum. Vbi docet*, inquit Bellarminus, *ſicut Iacobus fuit Epiſcopus Hieroſolymorum, ita Petrum fuiſſe Epiſcopum totius orbis.* Excipit Spalatenſis. *Euthymius*, inquit, *vt ſolet, Chryſoſtomi verba tranſcripſit; Quod ſi quis, inquit, ipſe Chryſoſtomus percontaretur quomodo Iacobus ſedem Hieroſolymis acceperit; reſponderem quod Petrum totius orbis doctorem (Dominus) præpoſuerit. Hoc eſt ſi quis Iacobum & non Petrum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ à Domino præfectum cernens, quippe Eccleſiæ omnium Eccleſiarum primæ, & matri cæterarum, Iacobum Petro prælatum autumaret, ſciat Petrum fuiſſe Iacobo longè maiorem; quia hic vni vrbi alligatus eſt Pontifex, ille verò toti orbi datus eſt Magiſter. Quia nimirum Petrus vt Apoſtolus, ſicut & quilibet alius Apoſtolorum, indefinitè factus eſt totius orbis doctor & informator, hoc eſt Apoſtolicum in quamcunque orbis partem ei Euangelium deferre placuiſſet: Illi enim ſimul cum reliquis decem dictum eſt à Chriſto; Euntes docete omnes gentes; At verò Iacobus qui Apoſtolus ex duodenario numero non erat, vt paſſim ſupponit Chryſoſtomus, ſoli Hieroſolymitanæ Eccleſiæ particulari præfectus à Domino fuit. De quo Iacobo, ipſiuſque ordinatione erit nobis in ſecundo proximè ſequenti, libro cap. 2. diſſerendum.* Nos verò ſuo loco Iacobum hunc proculdubio ſententia etiam Chryſoſtomi, vnum fuiſſe ex numero duodecim Apoſtolorum docebimus, vt proinde Petrum eximio Apoſtolo, eoque fratre Domini maiorem fecerint, & Chryſoſtomus, & Euthymius, quod cùm is ſit ab Apoſtolis, ex Chriſti inſtinctu, Hieroſolymitanæ Eccleſiæ datus Epiſcopus, ipſe Petrus, ampliori dignatione, ſit totius orbis Magiſter à Chriſto creatus.

SPALAT. Num. 15. Euthym. in c. vlt. Ioan.

Chryſ. ho. vlt. in Ioan.

Matth. 28.

SPALAT. Num. 16.

Cyrillum Alexandrinum in hunc modum loquutum ſcripſerat Angelicus doctor; *Sicut Chriſtus*, inquit, *accepit à Patre ſceptrum Eccleſiæ Gentium, dux ex Iſraël, egrediens ſuper omnem principatum & poteſtatem, ſuper omne quodcunque eſt, vt ei cuncta curuentur; ſic & Petro, & eius ſucceſſoribus pleniſſimè commiſit, & nulli alij quàm Petro Chriſtus quod ſuum eſt plenum, ſed ipſi ſoli dedit.* Hæc ex Cyrillo ſanctus Thomas. Audiamus iam magnum Ariſtarchum; *Hoc dictum*, inquit, *cùm directè repugnet ſacræ diuinæ ſcripturæ Euãgelicæ, & c. neque tale dictum in Cyrillo reperiatur, confictum ipſum eſſe facilè crediderim, & ab aliquo Hieromonarchicorum antè Aquinatem dolo malo ſuppoſitum*: At tam falſum hunc Cyrilli locum aduerſari ſcripturæ, aut aliis eius authoris ſcriptis repugnare, quàm verum eſt hic nonniſi per ſummam iniuriam, virum ſanctiſſimum, Theologorum facilè principem, fraudis poſtulari à ſectariis. Exiſtimo igitur adhuc ſæculo magni Aquinatis, plurima monimenta Patrum Orientalium extitiſſe in Sicilia, quæ olim pars magnæ Græciæ fuit, atque cũ in illis partibus, maximè verò Neapoli, quæ vrbs non ita à Sicilia diſtat verſaretur Aquinas, incidiſſe illũ in multos

codices Græcos, ex quibus, opera Græcorum, qui Latinè ſcirent, plura hauſerit, quæ nonniſi in laborioſiſſimis eius ſcriptis inueniri queant: Id cuiuis deprehendere facilè fuerit, qui præclarum opus, cui CATHENÆ AVREÆ nomen dedit, terere voluerit. In eo enim haud ſolius Cyrilli, ſed & plurimorum aliorum, etiam vetuſtiorum, ſententias profert, quæ in eorum libris, qui ad nos peruenerint, non inueniantur: Hanc noſtram coniecturam vt reiiciat Spalatenſis, non tamen credo adeo impudenti eſt ore, vt fraudis arceſſere Angelicum doctorem magnum Eccleſiæ lumen non vereatur: Ipſe verò Aquinas ſatis emunctæ naris fuit, ad ſubolfaciendam fraudem, ſi quæ, antè eum, in eo loco proferendo ab aliquo plano facta fuiſſet. Iam Spalatenſis, vt Cyrillum oſtendat pares omnino feciſſe Apoſtolos, locum benè longum ex Commentariis in Geneſim profert, in quo, inquit Cyrillus *indiſtinctè & indifferenter, dat curam paſtoralem omnibus Apoſtolis.* Sed toto cœlo errat, nec eſt mètem tanti Patris aſſequutus. Cyrillus, Iacob figuram vult eſſe Chriſti, diſcipulos ſuos in diſperſionem gentium neglectis ob contumaciam Iudæis, dimittentis. Verba Iacobi ad paſtores, *Adhuc multa dies, Potate oues, & euntes paſcite*, à Chriſto quoque vſurpata contendit, cùm prædicandi Euangelij curam diſcipulis committeret, atque etiamnum præſtitiſſe eos quod ille iuſſiſſet, & ad quod, ipſe quoque Petrus, ſeniores populi cohortatus eſſet, his verbis, *Paſcite eum qui in vobis eſt gregem*; Sed pares in eo munere obeundo fuiſſe nuſquam dixit: etſi dixiſſet, intelligendus proculdubio foret *de proprio munere Apoſtolatus*, non *de externo regimine Eccleſiæ*, cuius principem & caput, non vno loco facit Petrum: Priore illo ſenſu Apoſtolos omnes columnas & firmamenta facit Eccleſiæ; Poſteriore de Petro ſic loquitur, vt *princeps caputque cæterorum*, vel, *cæteris præfectus* primus exclamat, *Tu es Chriſtus filius Dei*; Certè principi capiti, præfecto, pares cœteri dici non poſſunt, quibus eſt ille princeps, aut caput impoſitus.

Cyrill. li.11. in Ioan.

Geneſ.19.

1.Pet.5.

Lib.12. in Ioan.c.55.

Li.12.c.64.

SPALAT. Num.17.

Cyprianum iam quatit Spalatenſis, & cùm maximi fiat à Catholicis, ait eum *ad Petri primatum firmandum inuitum, ac reluctantem trahi ab illis*, quos homo ſolutioris linguæ, *Monarchicos* appellat: Expendamus ea loca quibus vſus eſt Bellarminus ad eum primatum conſtabiliendum. Hoc primum eius teſtimonium verſat, *Exordium ab vnitate proficiſcitur, Et primatus Petro datur, vt Eccleſia vna monſtretur.* Addit & hoc, *Eccleſia vna eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur; quomodo ſolis multi radij, ſed lumen vnum; & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum: Et cùm de fonte vno riui plurimi defluunt, numeroſitas licet diffuſa videatur exundantis copiæ largitate, vnitas tamen ſeruatur in origine: Auelle radium ſolis à corpore, diuiſionem lucis vnitas non capit; Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: à fonte præcide riuum, præciſus areſcet.* Vexat autem in primis Bellarminum, quod exordium de quo loquutus ſit Cyprianus, Petrum ſit interpretatus, in quo vno tanquam in fundamento à capite cœperit Eccleſia, cuius inde vnitas ſanciatur; Atque *hoc eſſe intolerabile* intonat, *cùm ſanctus Martyr apertiſſimè totam Eccleſiam, prout vna in ſolidum ſumitur, quæ deinde in particulares Eccleſias diſtribuatur, intelligat eſſe ſolem, radicem, fontem & de Petro ne ſomniarit quidem. Exordium*, inquit, *ab vnitate docebat proficiſci. At verò vnitatem eſſe Petrum, vel primatum Petro dari nuſquam dixit, aut intellexit*; idque ſuprà oſtendiſſe ſe gloriatur. Sed hanc accuſationem nos etiam ſuprà examinauimus, & inſoleſcentis aduerſarij ſuperbiam repreſſimus: Itaque hoc breuiter reſpondebimus,

Cypr.tract. de ſimpl. Præl. ſeu de vnit.Eccl.

mus,

mus, primùm ſuam vel inſcitiam, vel oſcitantiam, in legendo Cypriano, prodere Spalatenſem, cùm ad Eccleſiam non ad Petrum vniuerſalem *fontis, radicis, & ſolis*, rationem retuliſſe aſſerit. Si enim id verum eſt, omnino nihil probat Cyprianus, atque eodem reuoluitur, quod ſic oſtendo. Cyprianus cùm in Catholicæ Eccleſiæ vnitate, fidelium ſalutem eſſe poſitam videret, & inſurgentes hæreſes quæ ab ea abducerent comprimere ac obterere conaretur, hoc vnum ſibi ſumpſit probandum *Eccleſiam vnam eſſe*, hic illius operis ſcopus eſt: Vnitatem igitur Eccleſiæ probaturus *ad veritatis originem redeundum, Caput quærendum & magiſtri cæleſtis doctrinam ſeruandam* ſcribit, quæ omnia nimirum vnitatem Eccleſiæ clariſſimè oſtendant; *Quæ propterea*, inquit, *ſi quis examinet tractu longo atque argumentis opus non eſt. Probatio eſt ad fidem facilis compendio veritatis; loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis: & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt & ſoluta in cælis. Et iterum eidem poſt reſurrectionem ſuam dicit: Paſce oues meas. Super illum vnum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas.* Cypr. de vnit. Eccl.

Ne quis verò opponeret non vnum Petrum, ſed omnes omnino Apoſtolos parem poteſtatem à Chriſto nactos, occurrit obiectioni, eamque ſoluit; *Et quamuis*, inquit, *Apoſtolis omnibus poſt reſurrectionem ſuam parem poteſtatem tribuat & dicat; Sicut miſit me Pater & ego mitto vos; Accipite Spiritum ſanctum, ſi cui remiſeritis peccata remittentur illi, ſi cui tenueritis, tenebuntur; Tamen vt vnitatem manifeſtaret vnam Cathedram conſtituit, & vnitatis eiuſdem originem, ab vno incipientem ſua authoritate diſpoſuit. Hoc erant vtique & cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris, & poteſtatis, ſed exordium ab vnitate proficiſcitur.* Ibidem.

His expeditus quaſi cauſa per orata inſultat aduerſariis; *Hanc Eccleſiæ vnitatem qui non tenet, tenere ſe fidem credit? qui Eccleſiæ renititur & reſiſtit, in Eccleſia ſe eſſe confidit?* Poſtea verò in argumenti amplificationem excurrit; *Vna eſt Eccleſia*, inquit, *à Chriſto Domino ſuper Petrum origine vnitatis, & ratione fundata.* Ep. 70.

Iam igitur quæro à Spalatenſi. Si ex eo probat vnitatem Eccleſiæ, quod ipſa ſit fons, radix & ſol, vnde riui, rami & radij ducantur, nonne probat Eccleſiam eſſe vnam, quia vna eſt quo quid poſſit eſſet inſulſius? De Eccleſia enim in vniuerſum ſpectata quærit vnde vnitatem habeat; cùm ipſa *in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extendatur*, & explicat illis ſimilitudinibus; *Quomodo*, inquit, *ſolis multi radij ſed lumen vnum, & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum, &c.* Igitur in hoc corpore Catholicæ Eccleſiæ, aliquid eſſe oporteat, quod *ſolis* & *radicis*, adeoque *fontis* rationem habeat; Si verò illud Eccleſia eſt vniuerſalis; Ergo ipſa ſibi ratio eſt vnitatis, nec exordium à Petro, martyri Cypriano ducendum fuit: Maneat ergo Petrum huius vnitatis originem, & vinculum eſſe quod Cyprianus, vt oſtendimus, mille aliis locis docet; Hinc ſcilicet Cathedram Petri eam eſſe, *ex qua vnitas Sacerdotalis ſit exorta*, clamat: Sic enim ille ad Cornelium Pontificem Romanum, de Fortunato & Feliciſſimo, qui in Africa ab omnibus Orthodoxis Epiſcopis, damnati ac profligati, Romanam ſedem appellarant, ac ad eam prouocarant: *Poſt iſta*, inquit, *adhuc inſuper pſeudo Epiſcopo ſibi ad hæreticis conſtituto, nauigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem. Vnde vnitas ſacerdotalis exorta eſt, à ſchiſmaticis, & prophanis litteras ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos (quorum* Cyprian. ep. 55.

Digitized by Google

fides, Apoſtolo prædicante laudata eſt) ad quos perfidia habere non poſsit acceſſum. Quod attinet verò ad ea verba, *Primatus Petro datur*, quæ non eſſe Cypriani contendit, quid hac de re cenſeremus, aperuimus ſuprà. Certè ipſe Spalatenſis Petrum à Cypriano, huius vnitatis fontem inductum, vel inuitus cogitur fateri; Etſi enim mentem eius deprauat, tamen fatetur docere eum propoſitum, fuiſſe Petrum *in typum & figuram vnitatis*, qua de re neverbum quidem extat apud Cyprianum, quare ei acquieſcendū eſt in apertiſſimis verbis, quibus vnum Petrum, vnitatis Eccleſiæ *principium*, facit, non *typum*. Quod attinet ad illum locum, *Epiſcopatus vnus eſt, cuius à ſingulis pars in ſolidum tenetur*, erit aliàs eius diſcutiendi locus; hîc ſufficiat breuiter dixiſſe Epiſcopatum vnum eſſe, & eius *ab omnibus Epiſcopis partem in ſolidum teneri*, ſed non eodem gradu; Anima vna eſt, ac tota in totum corpus, ac ſingula membra diffunditur, nobilius tamen in capite, in diuiniori ſcilicet illa arce, in qua vigent omnes ſenſus, reſidere dicitur: Aliud igitur eſt *Epiſcopatus partem in ſolidum à ſingulis Epiſcopis teneri*, & aliud *omnes Epiſcopos pares eſſe, quod* exemplo Anglorum oſtendi poteſt; Epiſcopus Elienſis illis eſt in ſolidum Epiſcopus, & tamen qui Puritani non ſunt, haud facilè eum Cantuarienſi Archiepiſcopo exæquauerint, ſed vt ſuis Eccleſiis, ordo ab antiquo præſtitutus, conſtet, illi infra Primatem, quippe quo loco, dignitate, & authoritate, longè inferior ſit, conſiſtendum non inuiti decernent. At inſtat Spalatenſis, *Si Petrus princeps cum iuriſdictione ſuprà cæteros conſtituitur, non ergo erunt ei cæteri Apoſtoli pares in honore, iuriſdictione & poteſtate, ſed longè inferiores:* Reſpondeo pares non erunt inter ſe, quia Petrus vnitati firmandæ princeps delectus, ſed pares erunt comparatione reliquorum, ad quos illa ſe fundit poteſtas, honor & iuriſdictio: Aut propius ad mentem Cypriani; Pares non erunt in negotio vnitatis formando, quandoquidem ſententia Cypriani *ſuper vnum Petrū Chriſtus Eccleſiam fundauit, vt vnitatem monſtraret*, ſed pares erunt *in officio Apoſtolatus*, & his quæ ad eius dignitatem proximè, & intrinſecè pertinent: Hanc interpretationem ſubminiſtrauit nobis Hieronymus, cuius maioris lucis gratia lubet verba retexere. *At dicis*, inquit, *ſuper Petrum fundatur Eccleſia; licet idipſum alio in loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cuncti claues regni cœlorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur; tamen propterea inter duodecim vnus eligitur, vt capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.* Vides vt, ex æquo, Eccleſiæ fortitudinem ſuper omnes Apoſtolos ſolidari aſſerat magnus Pater, nec tamen inficietur vnum delectum, qui caput eſſet & princeps reliquorum, *vt nimirum capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.* Certè Cyprianum non intellexiſſe, ſe ex eo manifeſtè prodit Spalatenſis, quod Bellarminum vexat, qui ad Eccleſiam Romanam hæc eiuſdem ſanctiſſimi Martyris retulerit; *Scimus hortatos nos eſſe, vt Eccleſiæ Catholicæ matricem & radicem agnoſcerent. Vult*, inquit Spalatenſis de Bellarmino loquens, *propter Petri primatum Eccleſiam Romanam, hîc à Cypriano vocari matricem & radicem, ſed fallitur. Cyprianus, ſicut & ſupra ſibi ſemper ſimilis radicem & matricem Eccleſiæ Catholicæ, intelligit Eccleſiam totam vniuerſalem illam, quam ſuprà vnum Epiſcopatum in ſolidum nominabat; cuius partes eſſent Romana, Carthaginenſis & aliæ; illam quam ſuprà ſolem, fontem, radicemque dixerat; vbi de nulla ſingulari ſede loqueretur.* Eodem refert alium locum à Bellarmino prolatum; *Nos Eccleſiæ vnius caput, & radicem tenemus: Non enim*, inquit, *loquitur de Romana, ſiue alia ſingulari ſede, ſed de tota Eccleſia vniuerſali, de illa quæ eſt verè vna.*

Spal. nu. 17. Cypr. de vnit. Eccl.

Lib. 1. adu. Iouin. c. 14.

Spalat. Num. 17.

vna. Neque enim vllum nimirum indicium habemus, aut ex præcedentibus, aut ex conſequentibus, ibi Cyprianum de Romana loqui Eccleſia, ſed totius Eccleſiæ, quæ eſt caput, & radix ſingularum, dogma tutum vult eſſe contra Nouatianum, qui rebaptizabat Catholicos ad ipſum deflectentes, Vnicum eſſe in Eccleſia Catholica baptiſmum non amplius iterandum. Et infra; Explicans Cyprianus, inquit Bellarminus, quæ ſit hæc radix ait: Nam Petro primùm Dominus, ſuper quem ædificat Eccleſiam, & vnde vnitatis originem inſtituit, & oſtendit, poteſtatem iſtam dedit. Item, *Eccleſia quæ vna eſt, ſuper vnum qui claues eius accepit, voce Domini fundata eſt. Vbi clarè vides*, inquit Bellarminus, *Eccleſiam dici vnam, quia ſuper vnum Petrum fundata eſt. Explicat proculdubio priore loco Cyprianus, quæ ſit illa radix, ſed non docet hanc eſſe Petrum, vel ſedem Petri, ſed eſſe illam vnam totalem Eccleſiam, quæ vt vna eſſe monſtretur à Chriſto, Petro primùm & ædificatio promittitur, & poteſtas clauium datur, vt inde tanquam ex typo & myſterio, ortum haberet in diſcipulorum cognitione, vnitas Eccleſiæ, quam intendebat. Et poſteriori loco eſt eiuſdem dicti repetitio, nimirum ideo ſuper vnum Petrum, videtur Eccleſia voce Domini fundari, non quia reuera in vno Petro fundetur, ſed quia ex hoc habetur myſterium, Eccleſiam vnam totam eſſe debere, & non in ſectas diuiſam, &c.* Hæc Spalatenſis. Fatemur ſanè ſui ipſius ſemper ſimilem Cyprianum, ac ſemper orthodoxam tradidiſſe doctrinam; ſed etiam ſui ſemper ſimilem agnoſcimus Spalatenſem, qui nihil vnquam niſi nugas nugerrimas, & inanes fumos venditet: Si enim Eccleſiam vniuerſalem, *radicem Eccleſiæ Catholicæ, & matricem*, vocet Cyprianus, ergo *Eccleſia Catholica*, eius ſententia, *Eccleſiæ Catholicæ* radix erit, *& matrix*, cùm ea ipſa ſit vniuerſalis, nec niſi verborum hic ſit vlla diuerſitas, aut fortaſſe non meminit Spalatenſis, Catholicam & vniuerſalem idem planè eſſe: Quid ergo, iuxta Spalatenſem, potuit à Cypriano ineptius dici, quàm Eccleſiam vniuerſalem, Eccleſiæ Catholicæ radicem & matricem eſſe? An aliquid eſt in rerum natura, quod ſui ipſius radix ſit, matrix & origo? Committamus ſectarium cum ſectario, ſed illum longè doctiorem, & eruditiorem Spalatenſi. Caſaubonus igitur verſans illum locum & ſimiles Cypriani, quanquam in omne latus ſe vertat vt Petrum & Pontificem, ſua dignitate ſpoliet, tamen quod violare tantum Patrem non auderet, aut eius ſententiam funditùs euertere, ingenuè faſſus eſt eum de Eccleſia Romana loquutum; *Fateor*, inquit, *ſicut Petrus dicitur fuiſſe princeps Apoſtolorum, vt non ſemel demonſtrauimus; ita Eccleſiam Romanam priſcis temporibus fuiſſe habitam principalem, vt appellat Cyprianus epiſt. 55. id eſt, primam ordine; Vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt, ait ibidem Cyprianus, qui hoc ſenſu alibi Romanam Eccleſiam appellat Catholicæ radicem, matricem, caput*: Sed reuertamur ad Spalatenſem; certè quæ ei per imprudentiam exciderunt, mirè noſtram ſenſentiam firmant. Citat enim ex Cypriano: *Petro primùm Dominus ſuper quem ædificauit Eccleſiam, & vnde vnitatis originem inſtituit, & oſtendit poteſtatem iſtam dedit, vt id ſolueretur in cœlis, quod ille ſoluiſſet in terris.* Item, *Eccleſia quæ vna eſt, ſuper vnum qui claues eius accepit, voce Domini fundata eſt.* Quis enim non videat hæc noſtram fulcire ſententiam; ſed de integro à nobis repetentur infra, & vberius tractabuntur cap. 11. Reliqua quæ profert Spalatenſis verba ſunt, & ſine mente ſoni; De Cathedra poſtea ſumus acturi, & Romanam eam dictam

Caſaub. exercit. pag. 756.

Cypr. ep. 73 ad Iubaian.

Infra ad caput 12.

eſſe, *à qua Sacerdotalis vnitas ſit exorta*, ſumus probaturi. Hoc certè locis omnibus contendit florentiſſimus Martyr Cyprianus.

SPALAT. Num. 18. Bellar. lib. 1. de Rom. Pont. c. 25. Optat. li. 2. cont. Parm.

Optatum totum Romanum iam nobis eripere conatur Spalatenſis, detortis, ac ad hæreſim deflexis, iis locis quibus Catholici vtuntur. Prior locus eſt quem integrum proferre voluit, quaſi de eo aliquid detraxiſſet Bellarminus ; *Ergo quia*, inquit, *probamus eam eſſe Eccleſiam Catholicam, quæ ſit in toto terrorum orbe diffuſa, eius iam commemoranda ſunt ornamenta ; & videndum vbi ſint quinque dotes, quas tu ſex eſſe dicis ; inter quas Cathedra eſt prima : vbi niſi ſederit Epiſcopus, coniungi altera dos non poterit, qui eſt annulus. Videndum eſt qui, & vbi prior Cathedra ſederit : ſi ignoras, diſce ; ſi noſti erubeſce ; ignorantia tibi aſcribi non poteſt : Reſtat ergo vt noueris : ſcientem errare peccatum eſt : nam ignorantibus nonnunquam ſolet ignoſci. Igitur negare non potes ſcire te, in vrbe Roma Petro primò Epiſcopalem Cathedram eſſe collatam, in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus ; vnde & Cephas appellatus eſt : In qua vna Cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas quiſque ſibi defenderent ; vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram, alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica, quæ eſt prima de dotibus ; ſedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, &c. Liberio Damaſus, Damaſo Siricius hodie, qui noſter eſt ſocius: cum quo nobis totus orbis commercio formatarum, in vna communionis ſocietate concordat. Vides nomen capitis, inquit Bellarminus, & Petri Cathedram ac ſucceſſorum, vnicam totius Eccleſiæ Cathedram nominari.* Hæc veriſſima ſunt. Tamen Spalatenſis Optatum primum arceſſit capitis, quod CEPHAS *caput* ſit interpretatus. *Cephas*, inquit, *vt caput ſignificet, non patitur Ioannes, quenquam interpretari.* Itaque hîc non à Spalatenſi modò, ſed à reliquis quoque Sectariis putidi erroris poſtulatur ſummus vir, quod contra Euangelij vocem, vt illi putant, Cephas, caput ſit interpretatus. Sed & fallunt, & falluntur, qui huius errati eum inſimulant ; Et ſi enim magnis viris aſſentior, qui optatum putant ad affinitatem vocabulorum κεφαλή, & Cepha alluſiſſe ; Nego tamen eum adeo rudem fuiſſe, non dicam linguarum, ſed ipſius Euangelici textus, quem certè Latinum habuit, vt Cephas caput ſit interpretatus. Præſto erat illud Ioannis, quod vel errantem in viam reuocaret, vt in vulgata habetur ; *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Habuit igitur huius vocis Cephas interpretationem ex Euangelio, vt ridiculum ſit opinari eum ad hunc lapidem impegiſſe. Cenſeo igitur non præcisè ad vocabulum, Cephæ, ſed ad totam ſeriem verborum Chriſti reſpexiſſe, ex qua colligere ſe rectè putarit, Petrum *caput eſſe Apoſtolorum*, quòd à Chriſto dictus ſit *Petra, ſuper quam is ſuam ædificaturus eſſet Eccleſiam :* Cùm non alia ratio ſit capitis in corpore, quàm fundamenti in ædificiis. Addo, potuiſſe aliò reſpexiſſe Optatum, quàm ad verba Chriſti, nempe ad illud Canticorum, *Caput eius aurum Cephas*, quod poſtea Philo Carpatius eſt de Petro interpretatus. *Quod aurum ipſum Cephas dicitur*, inquit Philo, *quod Petrus vel firmitas interpretatur, ſtabilitatem eorum fidei aptiſſimè declarat, ſiue quod Petrus, qui & Cephas caput Eccleſiæ ipſius ſponſæ aliquando futurus erat.* Nam ita quoque legiſſe ætate Optati, pleroſque doctiſſimos viros ex Ambroſio conſtat, qui verſionem Aquilæ & Symmachi refert, & probat, duobus ſuorum operum locis.

Ioan. 1.

Cap. 5. Philo Carpatius in Cantica, ad illud, *caput eius aurum Cephas.* Ambr. in Pſal. 118. Conc. 15. & Præf. in lib. de Offic.

Ait

Ait enim eos legiſſe in Cantico, *Caput eius aurum Cephas*, ſiue, *Caput eius aurum lapis*, ſiue etiam, *Caput eius lapis precioſus*. Sed demus ſpectaſſe verba Chriſti Optatum; Demus & illud, hallucinatum eum, in interpretatione vocis, *Cephas*, ſtat tamen inconcuſſa eius ſententia, quam alio loco nudè & ſimpliciter, nullo ad eam fulciendam adducto peculiari ſcripturæ loco, proponit, *Petrum*, ſcilicet, *eſſe caput Apoſtolorum*. Addit Spalatenſis Optatum, *non intelligere illam Cathedram particularem Romanam, ſed Cathedram vniuerſalem, quatenus poteſtas hæc vnica eſt, in ſolidum, in omnibus Eccleſiæ Rectoribus in toto orbe*. At ſi hæc vera ſunt, cur ergo mentio ab eo facta ſit, vrbis Romæ, & Epiſcopatus quem ibi geſſerit Petrus? Quorſum Petro tanquam Romano Pontifici, CAPITIS, nomen attributum? Quorſum illi vni Cathedræ, cæteræ alligatæ, etiam quæ eſſent à reliquis Apoſtolis fundatæ, quibus etiam ſententia Optati interdictum eſſet, *ne ſingulas ſibi quiſque defenderent: vt iam ſchiſmaticus, & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram* (Petri) *alteram collocaret?* Quî verò fieri potuit, vt Apoſtolus aliquis, Cathedram extra Eccleſiam toto orbe diffuſam, cogitaret? Cæterùm etiam impegit hic Spalatenſis, immaniterque errauit, cùm *Eccleſiam Romanam, Cathedram particularem dixit*; Iure enim *communionis & poteſtatis*, Catholica omnino cenſeri debet ſeu vniuerſalis, non quidem *formaliter*, vt loquuntur, (vniuerſæ Eccleſiæ ex omnibus terræ angulis collectæ proprium iſtud eſt) ſed *eminenter* quâ *radix, matrix, fons*, & veluti *centrum* totius poteſtatis Eccleſiaſticæ, & vnitatis Sacerdotalis, vt ex Cypriano oſtendebamus, non verò ſola *participatione vniuerſalitatis*, quod in omnes priuatas Eccleſias conuenit, quæ hoc nomine, Catholicæ, dici quoque poſſunt, quòd cum vniuerſali communicent, eiuſque veſtigia, tum in doctrina, tum in diſciplina premant, ac ſequantur. Sed pergamus; Si Romana Eccleſia, *matrix*, non eſt reliquarum Eccleſiarum, cur longam illam Romanorum Pontificum ſeriem homo Afer contexuit, quo probaret ſe, in *Siricij Pontificis Romani* communione eſſe, vt ſe in vera, ac legitima Eccleſia eſſe oſtenderet? Cur *formatarum*, meminit quæ id euincerent? Hac igitur ratione ſeriem Romanorum Pontificum ad Petrum reuocat, non tanquam ad ſingularem Apoſtolum, ſed tanquam *ad Eccleſiæ* caput, vt ex eius verbis ſatis intelligitur. Nam quod habet Spalatenſis, *Optatum ſe ad Petrum reducere*, (illius refero verba) *non quia Petrus erat vnus, ſingularis, & primus Apoſtolus, ſed quia erat Apoſtolus, quia ſucceſsio à quocunque, ſiue ab vno, ſiue à pluribus, ſiue ab omnibus eſſet Apoſtolis, Cathedram legitimam conſtituat*; abſurdum eſt abſurdorum abſurdiſſimum. Nullus enim Epiſcopus Apoſtolis ſucceſſit, *præcisè*, quâ Apoſtoli erant, vt ipſe admittit Spalatenſis, alioquin parem Apoſtolis fuiſſet conſequutus poteſtatem, nempe condendi libros ſacros, vbiuis gentium cum plena authoritate prædicandi, patrandi miracula, &c. quæ quàm abſint à facultate & poteſtate Epiſcoporum, nemo prudens non aduertit; ſed duntaxat in parte officij, quæ poſtea à nobis explicabitur: Quod autem addit, *ſucceſsionem quæcunque tandem illa fuerit, ſi modò Apoſtolum aliquem, aut omnes, habuerit authorem, potuiſſe veram Cathedram conſtituere*; id demum verum eſt, quandiu in Cathedræ Petri communione, quod tantopere vrget Optatus, illa conſiſtit. Id illius Macrobij, quem Romæ ſuppoſitum à Donatiſtis Epiſcopum ſcribit; exemplo patet. Namque cùm à legitimo Romano Pontifice

Lib. 7.

Cap. 11. num. 1.

Apud Optatum ibid.

damnari ſuam ſectam improbiſſimi hæretici cernerent, atque hoc nomine præiudicium ſuæ cauſæ fieri viderent, quod qui Cathedræ Petri non communicaret, Catholicus haberi minimè poſſet, commodiſſimam hanc ſuppoſitionem rati, hunc dolum machinati ſunt, vt Macrobium illum Romæ Epiſcopum crearent, quò his artibus ſimplicioribus fucum facerent, ac ſe in ſucceſſoris Petri communione eſſe probarent: Laruam verò detrahit doctiſſimus Epiſcopus: *Si Macrobio* (is erat Epiſcopus Donatiſta Romæ) *dicatur vbi illic ſedeat: nunquid poteſt dicere in Cathedra Petri? Quam neſcio ſi vel oculis nouit, & ad cuius memoriam non accedit, quaſi ſchiſmaticus contra Apoſtolum faciens, qui ait; memoriis ſanctorum communicantes: Ecce præſentes ſunt ibi duorum memoriæ Apoſtolorum; Dicite ſi ad has ingredi potuit, ita vt obtulerit illic, vbi ſanctorum memorias eſſe conſtat.* Atque vt obiter iſtud attingam, *Memoriam Petri*, ſanctiſſimas *Apoſtoli reliquias*, vocat, quæ Romæ in ea Eccleſia quam ipſe rexiſſet colerentur, atque eò inflectit locum Pauli, qui teſte Beza ſic eſt à pluribus acceptus, vt illic non *neceſſitates ſanctorum*, quod habet vulgata, ſed *memorias ſanctorum* ſint interpretati. Locus Apoſtoli eſt Romanorum 12. τῶν χρείας τῶν ἁγίων κοινωνοῦντες, *neceſſitatibus ſanctorum communicantes*, ad quem locum ſic Beza. *Ambroſius legit memoriis*, τῶν μνείας, *ſed perperam ni fallor, quamuis ita Latinos codices habuiſſe ſcribat Origenis interpres, vt Eraſmus annotauit*; Atqui mira hæc fraus eſt Bezæ. Is codicem Claromontanum ſæpiſſimè laudat, quo ſit vſus in reſtituendis veris lectionibus, atque is codex nobis viſus, τῶν μνείας habet, cur ergo diſſimulauit, cur cùm locum interpretaretur, eius lectionis non meminit? Timuit ſcilicet ne Orthodoxis fauiſſe videri poſſet, qui olim hoc teſtimonio vterentur, ad reliquiarum cultum ſanciendum, ac firmandum. Audiat igitur optimum antiquitatis interpretem Auguſtinum, & falli eum pro illa ſua ſumma audacia pronunciet; *Communicatis*, inquit ille Catholicos alloquens, *membris Apoſtolorum, communicatis memoriis ſanctorum.* Quis niſi cœcus hic antiquum morem colendarum reliquiarum, quem ſumma pietate Hieronymus, aduerſus Vigilantium, ſeculo Auguſtini, acerrimè propugnauerit, non agnoſcat? Sed hæc παρεργῶς. Ad Optatum reuertamur; Is igitur vt fruſtra eſſe Donatiſtas probet, qui communionem Petri prætexerent, quod Macrobium illum ſuum Epiſcopum Romæ ſuppoſuiſſent, oſtendit illum ſpurium partum, fœtum Petri non eſſe, quippe qui eius in Cathedra non ſit, nec fortè oculis viderit, aut memoriam inuiſerit, hoc eſt locum in quo ſanctiſſimum corpus coleretur, ſcilicet eum pſeudo Epiſcopum legitima ſucceſſio deficiebat, vt propterea qui in eius communione eſſent, non poſſent ad Petrum ſuæ fidei, aut etiam diſciplinæ, originem referre. Quod autem idem Optatus, *Alias etiam Aſiæ, & Africæ Eccleſias numerat, quæ memoriis ſanctorum communicarent*, id certè meritò facit, quod ſcilicet in Cathedræ Romanæ communione perſeuerarent. Itaque vt tandem abſoluamus *nexum, vinculum, caput, & originem*, vnitatis Eccleſiaſticæ, tum Petrum, tum Pontifices Romanos legitimos Petri ſucceſſores cenſet Optatus, & hanc primam eſſe dotem Eccleſiæ Catholicæ lucæ meridiana clarius probat: nimirum *Petrum bono vnitatis primùm accepiſſe claues, & Apoſtolis communicaſſe.* Hoc ferè ipſe Spalat. agnoſcit, *Prima dos*, inquit, *vniuerſalis Eccleſiæ eſt Cathedra, id eſt, poteſtas per ſucceſſiones legitimè*

Rom. 12.

Beza ad illum locum.

Aug. ſer. 49 in Euang. ſecun. Ioan.

Num. 18. in fine.

legitimè propagata: & hæc in Africam per Petrum Româ peruenit. Itaque vnaquæque Eccleſia particularis Catholica, de vna hac vniuerſali Cathedra, (addat Romana & Catholicus eſt) *participat, & per illam in vnum corpus cum tota vniuerſali Eccleſia coaleſcit.* Sed quod Optatus clarior eſſet ea parte, quàm vt tenebræ eius dictis, offundi poſſent, alia via eius fulgorem obſcurare eſt conatus; Poſtquam enim de ordinaria poteſtate multa inſipienter effudiſſet, hunc colophonem, & coronidem impoſuit ſuis deliriis; *Quoniam,* inquit, *poteſtatem hanc ordinariam Petrus (vt putat Optatus, neſcio quam benè) primùm cœpit Romæ exercere, ideo Romæ primùm Cathedram Petrus poſuiſſe ab eodem aſſeritur. Non ergo putauit Optatus Antiochenam Petri Cathedram, Romanam tempore præceſſiſſe.* Quàm lepidè! quàm acutè! quaſi verò cuiquam noſtrum, exciderit vnquam, Antiochiæ fuiſſe Cathedram Petri, à qua vnitatis origo duceretur? Nimirú cùm de ea vnitate agitur, non à quacunque Cathedra, quam inſederit Petrus, ſed ab ea in qua, morte ſua Principatum Apoſtolicũ ſanxerit, ac ſacrauerit, præſidium ducimus. Hæc verò Romana eſt, non Antiochena, vt propterea meritò in ea primũ ſediſſe Petrũ vrgeat Optatus. Properemus iam ad alios, *Arnobius Afer & ipſe,* inquit Spalatenſis, *ita fertur ſcripſiſſe; Ecce Apoſtolo pœnitenti ſuccurritur, qui eſt Epiſcoporum Epiſcopus, & maior gradus redditur ploranti, quàm ſublatus eſt deneganti. Quod vt doceam, illud oſtendo quod nullus Apoſtolorum nomen paſtoris accepit, ſolus enim Dominus Ieſus Chriſtus dicebat, Ego ſum paſtor bonus: hoc ergo nomen ſanctum, & ipſius poteſtatem nominis, poſt reſurrectionem ſuam Petro pœnitenti conceſſit: & negatus negatori ſuo, hanc quam ſolus habuit tribuit poteſtatem; vt non ſolùm recuperaſſe quod amiſerat probaretur, verùm etiam, & multò melius pœnitendo, quàm negando perdiderat, acquieuiſſe. Opus tamen illud in Pſalmos* (opponit Spalatenſis,) *Arnobij non eſſe, facilè comprobatur; vt benè norunt ſapientes. Authoritas igitur viri antiquiſſimi prætenſa, in hoc nos non moueat. Sed & dictum ipſum parum mouet; Nam & Epiſcoporum Epiſcopum nullum admittit Cyprianus; & non nomen paſtoris immediatè, ſed actus paſcendi fuit tunc Petro commiſſus: Paſce; ſed idem eſt, Docete, &c. vt iam probaui. Et omnes Apoſtoli fuerunt paſtores, neque verum eſt Petrum plus accepiſſe quàm perdiderat: Idem enim quod promiſſum ei fuerat accepit: & ſi quid amiſerat illud ſolùm recuperauit. Quæ omnia iam ſunt à nobis probata, & explicata.* Sed primùm quòd ad authorem attinet; Spalat. cum Eraſmo lis eſt, qui falſus iudicij, hunc Arnobium putauit illum eſſe antiquiſſimum Arnobium Lactantij præceptorem, qui Imperij Romani habenas moderante Diocletiano floruit. Nos qui fidem Eraſmi non ſequimur, hallucinatum eum dicimus, ac ſequioris ſæculi ſcriptorem hunc facimus Arnobium, virum tamen doctrina ſingulari, & Orthodoxa pietate. Quod verò ei Cyprianum opponit, qui *Epiſcopum Epiſcoporum* non admittat, hoc certè limatiſſimi eius iudicij, indicium eſt. Cyprianus, vt ſuo loco oſtendetur, *Epiſcopum Epiſcoporum* in Africa non admittit; Ergo in Eccleſia non agnoſcit! quàm inconſequenter! quaſi verò Eccleſia Carthaginenſis, aut alia Africana ſit, cùm Romana conferenda? *Diſtat, diſtat,* mi Spalatenſis, *Cathedrarum gratia,* vt loquitur Auguſtinus, nec vllus, eodem teſte, dubitauit vnquam *illum Petri Apoſtolatum principatus, cuilibet Epiſcopatui eſſe præferendum.* Vt ergo in Africa, *Epiſcopus Epiſcoporum,* nullus fuerit; (quanquam primas Africæ, adeoque omnium Africanorum Antiſtitum caput, ipſe Cyprianus pro iure ſcilicet Carthaginenſis Epiſcopi audierit) proinde non ſequitur Ec-

Spalat. Num. 19. Arnob. in Pſ. 138.

Cypr. in Conc. Carthag.

Aug. li. 2. de Bapt. cont. Don. c. 1.

cleſiæ Romanæ Pontificem *Epiſcoporum Epiſcopum*, non fuiſſe Cypriano habitum. Maximè cùm Tertullianus quem Magiſtrum vocitabat, hoc titulo nolens, volens Romanum Pontificem ornarit: ſed de hoc quoque titulo vberius poſtea. Reliqua ſunt à nobis ſuprà profligata.

SPALAT. Num.20. Sequitur Hieronymus, cui os oblinire rurſus conatur Spalatenſis, ſed eum vetamus in ore piiſſimi, doctiſſimi, & abſtinentiſſimi viri quidquam ponere, quod temetum redoleat; Emaculatiſſimum ſcilicet locum, non ſolùm inquinare, ſed etiam inficere eſt conatus. *Hieronymus*, inquit, *licet expreſsè dixerit Eccleſiæ fortitudinem, ex æquo ſuper omnes Apoſtolos ſolidari; quia tamen idem ibidem ſubdit, Petrum electum in caput; locum hunc Monarchiei pro Petri primatu iactant plurimùm. Sed myſticam ibi à Hieronymo illis verbis exprimi vnitatem; ſatis ſuprà docui. Pergit tamen Hieronymus; Sed cur non Ioannes electus eſt virgo? Ætati delatum eſt, quia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens, ac penè puer, progreſſæ ætatis hominibus præferretur. Prælatus ergo*, inquit, noſtrorum argumentum retexens, *Petrus eſt, ſaltem Ioanni: ſi Ioanni, ergo & Apoſtolis, vt vult Echius. Præfertur ſanè Petrus & Ioanni, & cæteris, in eo tantùm quod Petrus, & non Ioannes, aut alius aſſumptus fuerit in caput myſticè, & figuraliter duntaxat, ac typum, & ſymbolum vnitatis. Obijcies verba Hieronymi hæc eſſe; Ne hominibus penè puer præferretur. Ergo Petrus prælatus eſt hominibus: quod non ſignificat eum eſſe præ aliis aſſumptum in typum, ſed verè præfectum, & in ſuperiorem deputatum. Reſpondeo præfectum fuiſſe primatu primogeniti, primi Apoſtoli, & dignitate ſuprà alios; non authoritate & iuriſdictione, aut poteſtate in alios: ſemper tamen in figuram, & typum, vt ſchiſmatis, inquit idem Hieronymus, occaſio tolleretur. Hic ille Hieronymus eſt, qui dixit, vt Plato fuit princeps Philoſophorum; ita Petrus fuit Apoſtolorum. Ecce tibi in quo ſenſu Hieronymus fecerit Petrum caput Apoſtolorum; in eo enim caput eſt, in quo princeps.* Sed immane quàm ab Hieronymi ſcopo aberrat? Certè non viri ſanctiſſimi, & doctiſſimi ſenſum, ſed ſua inſomnia perſequitur. In verbis igitur Hieronymi hæc ſunt obſeruanda; cùm magnus vir virginitati, quam violare, euertere, ac de gradu deiicere tentaret impurus Iouinianus, impenſius faueret, eam ab amore Chriſti in Ioannem virginem commendandam, ac illuſtrandam duxit: Primùm igitur hoc telo petit aduerſarium. Præſtantiori quodam amoris affectu, inclinauit Chriſtus in Ioannem, quàm in quemcumque alium Apoſtolum, quod is virgo eſſet; ſignum eſt itaque, maiore in precio, eſſe Deo virgines, ac cœlibes, quàm coniugatos. Excipit Iouinianus, negatque Ioannem virginem; cur ergo chariſſimus Chriſto fuerit, longéque plus cæteris diſcipulis amatus, quærit Hieronymus? Petrum longè chariorem excipit hæreticus, eiuſque rei probationem affert, *Quod non Ioannes, ſed Petrus à Chriſto electus ſit, cui Eccleſiæ moles tanquam fundamento imponeretur.* Argumentum hoc modo diluit Hieronymus: *Ex æquo ſuper omnes Apoſtolos Eccleſiæ fortitudinem ſolidari*, ac proinde *Apoſtolatus dignitate*, pares eſſe importuno aduerſario reſpondet, atque eo quidem reſpectu alteri alterum non præſtare, ſcilicet in illo eſſentiali munere Apoſtolatus. Admittit tamen alia ratione pares non fuiſſe cum vnitatis Eccleſiaſticæ bono, ex duodecim æqualium numero, vnum Petrum elegerit Chriſtus, qui gubernacula tractaret, *vt ſcilicet capite conſtituto ſchiſmatis tolleretur occaſio.* Id cùm pro ſe arriperet Iouinianus, ac quæreret;

Hier.li.1.in Iouin.

Supra c.7. nu.21.

Ech.l.1.de Prim. Petri c.3.

Hier. adu. Pelag.l.1:

Cur

Cur non Ioannes virgo, ſi modò virginitatis matrimonio præſtabat, *eſſet electus*: Reſpondet Hieronymus; *Ætati delatum, quia Petrus ſenior erat, ne adhuc adoleſcens ac penè puer progreſſæ ætatis hominibus præferretur, &c.* Itaque ex teſtimonio Hieronymi habemus vnum Petrum *ex duodecim electum, qui caput eſſet Apoſtolorum:* Atqui ſi tum eſt à Chriſto electus, cùm omnes eſſent Apoſtoli renunciati, eodemque gradu honoris potirentur, proculdubio non iam ratione ætatis aut prioris vocationis, quod ad nauſeam vſque inculcat importunus iſte aduerſarius, eſt caput Apoſtolorum declaratus. Muneris ergò crediti Petro hanc rationem affert, *Vt ſchiſmatis tollatur occaſio.* Non igitur typus & ſimulachrum tantum fuit vnitatis, ſed & eius vinculum & nexus, neque nomine tantùm, ſed reipſa eam poteſtatem & authoritatem eſt conſequutus, quæ tollendo ſchiſmati par omninò eſſet. Neque enim in typo, ſed reipſa profliganda fuere, ac ex tota Eccleſia exterminanda ſchiſmata. Addit Hieronymus Petro hunc honorem potius habitum quàm Ioanni, quod non deceret eum, *Qui penè puer eſſet, hominibus præferri;* Propterea quòque illum qui prouectior eſſet ætate electum. Igitur eius ſententia illud quo Petrus præ adoleſcente ornabatur, res erat ab ætatis dignitate diſtincta. Si enim conſtitutum eſſet Hieronymo Petrum ſolius ætatis intuitu, & vocationis, caput eſſe Eccleſiæ, an non planè imprudenter & ſtultè diſputaret, quare non potius Ioannes eſſet electus, vt ſcilicet *ætate aut vocatione* Petrum anteuerteret? Itaque concidit illa moles ineptiarum, quas in hanc diſputationem coniecit aduerſarius. Namque vt abſoluamus ad *tollendum ſchiſma* planè requiritur, authoritas, iuriſdictio, & poteſtas, in eos qui turbas ciere poſſunt ac tumultus in Eccleſia concitare. Locum Hieronymi illuſtrabit Aurelius Caſſiodorus: *Sanè Dominus Ioanni prætulit Petrum, nec affectum ſubtraxit diſcipulo, quem diligebat, Petro conferens principatum; Claues regni cœlorum Petro contulit, vt cœlum aperiret, & clauderet: Ioanni verò nobis aperiendi ſua arcana pectoris facilitatem reſeruit. Petro commiſit curam & regimen Eccleſiæ ſuæ: Ioanni verò curam & cuſtodiam matris ſuæ. Petrus ergo ſublimior: ſed Ioannes certior. Non audet Petrus inquirere à Domino, quis eum traderet: Ioannes autem innuente Petro (quod Princeps Apoſtolorum inquirere verebatur) confidenter interrogat. At*, inquit Spalatenſis, *hic ille Hieronymus eſt, qui dixit, vt Plato fuit Princeps Philoſophorum, ita Petrus fuit Princeps Apoſtolorum: Ecce tibi*, inquit, *in quo ſenſu Hieronymus fecerit Petrum caput Apoſtolorum, in eo enim caput eſt, in quo princeps.* Breuiter ſcilicet pro edictorũ ratione. Quid igitur? Hieronymus tã demiſſè de Petri Primatu ſenſerit? Non perſuadebis. Cuius enim eſt imago hæc & ſuperſcriptio eius, *Beatitudini tuæ, id eſt Cathedræ Petri communione conſocior; ſuper illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit prophanus eſt. Si quis in arca Noè non fuerit, peribit regnante diluuio. Et quia pro meis facinoribus ad eam ſolitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine diſterminat, nec poſſum ſanctum Domini, tot interiacentibus ſpatiis, à ſanctimonia tua ſemper expetere, ideò hic collegas tuos Ægyptios confeſſores ſequor, & ſub onerariis nauibus parua nauicula delitèſco. Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum: Quicunque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Ad locum ex Dialogis aduerſus Pelagianos, reſpondeo debuiſſe integrum proferri, ſi bona fide agendum ſibi ſtatuerat Spalatenſis: ita igitur habet, *Vt ille* (Plato) *Princeps Philoſophorum, ita hic Apoſtolorum fuit, ſuper quem* (audiſne bone vir) *Eccleſia*

Aurelius Caſſiodorus libro de amicitia capite: *quali diſcretione beneſaciendi ſunt amici.*

Hier. ep. 57. ad Damaſ.

Dial. 1.

Domini ſtabili mole fundata eſt, quæ nec impetu fluminis, nec vlla tempeſtate concutitur. Non ergo querimur hæc verba ex Critobulo, qui Pelagianorum perſonam ſuſtineret, ac cauſam vehementius, additis etiam eloquentiæ floſculis, propugnaret, officina eſſe deprompta, cui propterea ab orthodoxo ſit obiectum eum rhetoricatum, cùm hæc eloqueretur. Pura puta verba Hieronymi eſſe fatemur, ſed impenſè nobis fauent, ſi modò ex mente tanti doctoris æſtimentur. Hic enim cùm de dogmate fidei ageretur, Paulum & Petrum adducit, & Paulum quidem cum Ariſtotele, Petrum verò cõfert cum Platone, quem pro Principe haberent philoſophorum Scholæ. Atque hoc poſtremum addit *vt Plato, &c.* certè vt dignitatem Petri illuſtraret, & ſummam eius authoritatem ſupra reliquos Apoſtolos oſtenderet; Si enim de ſola doctrinæ prærogatiua contendit, cur hoc de Paulo non dixit, quem ſexcentis locis longè Petro doctiorem facit? Sed demus totum locum de doctrina intelligendum, fueritque huius reſpectu Petrus inter Apoſtolos idem quod Plato inter Philoſophos; An propterea eius primatus euertitur? Non potuit poteſtate antecelluiſſe qui doctrina Princeps eſſet; Hæc nimium abſunt à mente Hieronymi, quem de poteſtate loquutum euincunt illa de Eccleſia ſuper eum tanquam *ſuper firmam Petram* fundata, ab ipſo inducta.

Spalat. Num. 21. Auguſt. in Pſal. 108.

Auguſtinus iam aduocatur; *Auguſtinus*, inquit, *qui nihil illuſtre in Petro per ſe in propria perſona ſumpto agnouit, niſi id ad totam Eccleſiam referretur, cuius figuram in omnibus maioris momenti rebus ipſum ſemper geſtare contendit, non poteſt niſi ipſe ſibi repugnet, Petri ſupremum vſque aſſerere Principatum. Nihilominus videtur interdum aliquid in hoc genere proferre vt dum ait, Ecce vbi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis ſanctis didicimus Apoſtolum Petrum in quo Primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, &c. Reputat Auguſtinus excellentem gratiam in Petro, quod primus fuerit admiſſus in Apoſtolatum, & hinc præeminentiam habuerit; ex hoc enim primatu ſequutum eſt quod ſæpius idem tradidit Auguſtinus, vt figuram totius Eccleſiæ ſemper geſtauerit; quem alibi dicit. In primatu Apoſtolorum Martyrij gloria coronatũ eſſe. Addit tamen priori loco Auguſtinus. Puto quod ſine vlla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quantum attinet ad Martyrij gloriam. Cæterùm magis vereri debeo ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit illum Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum? Sed & ſi diſtat Cathedrarũ gratia, vna eſt tamen Martyrum gloria.*

Aug. l. 2. de bapt. cont. Donat. c. 2.

Idem l. 7. de bapt. c. 1.

Idem l. 2. de bapt. c. 1.

Hæc tam clara, tam aperta, tam illuſtria pro Primatu Petri teſtimonia obſcurare nititur, & pio lectori tenebras offundere, vt ſibi ſummum doctorem vindicet. *Hunc locum*, inquit, *Auguſtini tractans Bellarminus ſic loquitur. Obſeruandum hoc loco eſt multum omnino ex ſententia Auguſtini Petri Cathedram præſtare particularium Epiſcoporum Cathedris: cùm veritus ſit ne contumeliam Petro videretur facere, ſi cum eo compararet Cyprianum; qui tamen non ſolùm Epiſcopus, ſed etiam Primas erat totius Africæ. Ego verò*, inquit, *multum omnino obſeruo ex ſententia Auguſtini, non Petri Cathedram, præſertim ſi quis Romanam intelligat; ſed Petri Apoſtolatum, ſiue, vt loquitur Auguſtinus, principatum Apoſtolatus, particularium Epiſcoporum Cathedris præſtare. Si enim quicumque Apoſtolatus excedit poteſtate quancumque particularem Cathedram, cùm Apoſtolus quilibet in toto mundo poſſit ſuum Apoſtolatum exercere, quod Epiſcopi iam non poſſunt, niſi in limatis Diœceſibus ſiue prouinciis aut regnis: quanto magis*

Bell. l. 1. de Rom. Põt. cap. 25.

Digitized by Google

magis primi & præcipui Apoſtoli, aliorum pluribus nominibus principis Apoſtolatus, ſingularem quamcunque Cathedram *excedet? Quod ſi nomine Cathedræ Petri, intelligat ipſius Apoſtolatus poteſtatem, nihil de Romana Eccleſia dictum erit; Latius enim extendit ſe Petri, & cuiuſcunque Apoſtoli Apoſtolatus, vt ſupra & ſequenti ſecundo libro oſtendam, quàm Romana, aut quæcumque alia Cathedra Epiſcopalis.* At repugnat Auguſtinus, ſeque de Cathedra Eccleſiæ Romanæ in qua ſederit Petrus, cuique Cathedrarum omnium Principatum tribuerit, loqui omnino ſignificat. *Quis enim*, inquit, *neſcit illius Apoſtolatus Principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum, ſed etſi diſtat* (audi diſtat de præſenti) *Cathedrarum gratia, vna eſt tamen Martyrij gloria.* Igitur Cathedram cum Cathedra contulit, & Romanam quippe cui inſediſſet Apoſtolorum princeps Carthaginenſi planè prætulit: At vt hæc Spalatenſis contumaciam non frangant, quid faciet eidem Auguſtinio cauſam legitimi Epiſcopi Carthaginenſis aduerſus nefarios Donatiſtas propugnanti. *Erat*, inquit, *tranſmarinis vicina regionibus, & fama celeberrima nobilis Carthago, vnde non mediocris authoritatis habebat Epiſcopum Cæcilianum, qui poſſet non curare conſpirantem inimicorum multitudinem, cùm ſe videret & Romanæ Eccleſiæ*, IN QVA SEMPER APOSTOLICÆ CATHEDRÆ VIGVIT PRINCIPATVS, *& cæteris terris, vnde Euangelium ad ipſam Africam venit per communicatorias literas eſſe coniunctum, vbi paratus eſſet cauſam ſuam dicere, ſi aduerſarij eius ab eo illas Eccleſias alienare conarentur.* Vides vt Auguſtinus Principatum Apoſtolicæ Cathedræ ad ſua vſque tempora in Romana Eccleſia floruiſſe aſſeueret. Id verò ad *Apoſtolatum perſonalem*, vt vocat Spalatenſis, Petri, qui cum ipſo interierit, referri non poteſt. Hinc ſcilicet perpetuo Romanam Eccleſiam *ſedem Apoſtolicam*, atque *ſedem Petri Apoſtoli*, vocat, vt eius ſententia perſpicuum ſit, *Eccleſiam Romanam à Petro fundatam, omnium Eccleſiarum Principem eſſe.* Sed hæc vberius poſtea tractabuntur.

Sup. c. 8. n. 5. & hoc c. 10. n. 16.

Aug. ep. 162.

Obiicit Spalatenſis eundem Auguſtinum poſteà paululum immutaſſe ſententiam, ac præcedentia ſic extuliſſe, *Nec ideo tamen quiſquam nunc in Eccleſia quantumlibet profecerit Petri Apoſtolatui conferendus eſt. Vbi* (inquit Spalatenſis) *ſanè idem dicit, & tamen nullam Cathedræ mentionem facit, quam tamen vocem Cathedræ ſubdolè inſeruit Bellarminus.* Mirus eſt impoſtor & præſtigiator, Spalatenſis, cuius hic eſt viſus fruſtratus ac oculi decepti, cùm alios fallere ſtatuiſſet; nec enim toto capite vigeſimo quinto libri quem profert, meminit huius poſterioris loci Bellarminus, ſed dumtaxat priorem verſat, in quo Cathedræ Petri expreſſa mentio habetur. Cæterùm quòd, Cathedræ, poſteriore loco non meminerit Auguſtinus, id certè fecit quod de omnibus omnino Chriſtianis, nec priuatim de Epiſcopis loqueretur. *Non ſolùm itaque*, inquit, *malos Catholicos nullo modo comparamus, ſed nec bonos facilè coæquamus Beato Cypriano.* Quod verò obiici poſſet *erraſſe Cyprianum*, Reſpondet Auguſtinus hoc eius ſanctitati non officere, quod *vt minus aliquid viderit, in vnitate tamen firmiſſimè permanſerit*; idque exemplo Petri probat, qui etiam ſi aliquando fecerit quod non debuit, non ſolùm Phariſæi comparandi ei non eſſent, ſed nec quiſquam alius, *Neque enim Phariſæi*, inquit, *cæci, quamuis dicentes aliquando quod fieri debeat, comparandi erant Apoſtolo Petro, quamuis dicenti aliquando quod fieri non debeat. Non ſolùm autem iſtorum aridítas illius viriditati conferenda non eſt, ſed nec aliorum fructus illius vbertati adæquandus eſt. Gentes enim ne-*

Aug. de bapt. cont. Donat. l. 6. cap. 3.

Bellar. l. 1. cap. 25.

Auguſt. de bapt. cont. Donat. l. 6. cap. 2.

Idem ibid.

Gal. 2.

mo iudaizare nunc cogit, nec ideo tamen quiſquam nunc in Eccleſia quantumlibet profecerit, Petri Apoſtolatui conferendus eſt. Itaque cùm omnes omnino Chriſtianos, quantumuis perfectos, cum Petro conferendos non eſſe oſtendere eſſet illi conſtitutum, non fuit neceſſe Cathedræ, quam alibi expreſſiſſet, meminiſſe. At verò hic quoque multa alia habet Spalat. animaduerſione digna, ſed cenſuram præripuit nobis, iſtaque occupauit doctiſſimus Becanus, qui hic aduerſarium conficit; Lubet pauca ad verbum tranſcribere, ne ſapientiſſimus & eruditiſſimus Pater ſuo labore per nos fraudetur. Is igitur in reſponſione Spalatenſis ad teſtimonia Auguſtini multa aduertit non ſolùm abſurda, ſed etiam contradictionis plena. *Hac reſponſione,* inquit, Spalatenſem cõpellans, *teipſum iugulas. Primò quia concedis Petrum poteſtate Eccleſiaſtica (de hac enim ſermo eſt) excedere Cyprianum, & omnes alios Epiſcopos Eccleſiarum particularium. Maior igitur ex tua conceſſione eſt poteſtas Eccleſiaſtica in Petro, quàm in aliis Epiſcopis; At hoc eſt quod non contendimus. Secundò concedis eundem Petrum poteſtate Eccleſiaſtica excedere alios Apoſtolos; Sic enim argumentaris; Si alij Apoſtoli poteſtate Eccleſiaſtica excedunt Epiſcopos; Ergo multò magis Petrus. Quæ conſequentia non valeret, niſi Petrus eadem poteſtate excederet alios Apoſtolos. Sicut patet in ſimili exemplo; Nam qui ſic infert; Si aër excedit calore terram & aquam, ergo multò magis ignis; ſine dubio ſupponit, ignem habere plus caloris quàm aërem. At hunc exceſſum poteſtatis in Petro nos vrgemus. Si ergo illum concedis, non nobis, ſed tibi contrarius es. Tertiò affirmas quemlibet Apoſtolum Eccleſiaſtica poteſtate excedere quemlibet Epiſcopum, cùm quilibet Apoſtolus in toto mundo poſsit ſuum Apoſtolatum exercere, quod Epiſcopus non poteſt, niſi in limitato regno aut prouincia. At alibi contrarium aſſeris, nempè Apoſtolos & Epiſcopos in poteſtate & iuriſdictione æquales eſſe: Et non differre, niſi accidente. Sic enim ſcribis lib. 2. c. 1. n. 3. Quoſcunque igitur Apoſtoli eligebant, & ad Eccleſias regendas mittebant, ij proculdubio, parem cum ipſis Apoſtolis poteſtatem accipiebant, ſi vim ipſam inſtitutionis ſpectemus. Et ibid. n. 5. Neque ego inuenio inter verum Apoſtolum & Epiſcopum aliud diſcrimen, niſi quod Apoſtolus ſit qui Chriſtum prædicat tanquam teſtis oculatus, ab ipſomet Chriſto immediatè miſſus, Epiſcopus verò ſit qui eundem prædicat vt teſtis inſtructus, & fide illuminatus, ac miſſus à Chriſti miniſtris. Et iterum n. 7. in fine. Apoſtoli dum alios ad fundandas vel regendas Eccleſias mittebant, eos ad Epiſcopatum euehebant, totumque ipſorũ officium, cum tota poteſtate miniſteriali eis committebant; Vna illa propria perſonali dignitate excepta, quod eſſent teſtes oculati vitæ & Reſurrectionis Chriſti; ab eoque immediatè vocati & miſsi ad Euangelizandum. Vides opinor contradictionem in hac duplici tua aſſertione. Vna Apoſtoli excedunt poteſtate Epiſcopos: Altera, Epiſcopi ab Apoſtolis parem poteſtatem accipiebant. Vel Apoſtoli Epiſcopis à ſe miſsis committebant totum ſuum officium cum tota poteſtate. Reſpondebis forte vtramque veram eſſe diuerſo ſenſu. Apoſtolos enim & Epiſcopos habere parem poteſtatem in habitu; non tamen parem in actu; Igitur priorem aſſertionem veram eſſe de poteſtate in actu, poſteriorem de poteſtate in habitu. Sed hanc ipſam reſponſionem tu ipſe euertis. Nam lib. 2. c. 5. n. 26. ſic habes. Prædicandi poteſtatem in toto terrarum orbe, ſicut Apoſtoli non habebant, niſi habitu; Actu verò ibi, vbi iam inter ſe conuenerant, ſeu vbi eos Spiritus ſanctus eſſe volebat; Ita Epiſcopi habitu habent eandem vniuerſalem poteſtatem iure diuino, eo ipſo quo ſunt facti ritè Epiſcopi; actu tamen non ſunt Epiſcopi, niſi ſuæ particularis Eccleſiæ in qua illos Spiritus ſanctus poſuit. Et ibidem.*

Becan. cõt. Marc. Ant. pag. 108. & ſeq.

Ità

Ita & iurisdictio in habitu est vniuersalis iure diuino in vno quoque Episcopo: in actu verò non est, nisi particularis, sicut erat etiam in Apostolis. Hìc planè idem statuis de Episcopis & Apostolis: tum quoad potestatem & iurisdictionem in habitu, quæ in vtrisque vniuersalis & illimitata est, tum quoad potestatem & iurisdictionem in actu, quæ in vtrisque particularis & limitata est. Nihil ergo discernis. Manet igitur vera contradictio quam posui. Addo ex tuis verbis manifestè colligi duo alia absurda. Vnum est Paulum nec Apostolum fuisse, nec Episcopum. Non Apostolum, quia non fuit oculatus testis vitæ & Resurrectionis Christi. Nec Episcopum, quia nõ est immediatè missus à ministris Christi, sed ab ipso Christo. Alterum aliquos Episcopos habere maiorem potestatem & iurisdictionem quàm Apostolos, si non in habitu, saltem in actu. Nam Apostoli, vt iam dixisti, non habebant iurisdictionem in actu, nisi particularem & limitatam. At aliqui Episcopi habent indifferentem & non limitatam, vt fateris lib. 2. cap. 1. n. 11. his verbis. Quicunque ab Apostolis Episcopi fiebant, ij eandem cum ipsis Apostolis in solidum authoritatem accipiebant; & sanè vniuersalem in habitu & illimitatam: in actu verò aliqui indifferenter quocunque eos Spiritus sanctus aut Apostoli dirigebant, terrarum orbem circumibant: alij verò certis locis consistere iubebantur. Hìc distinguis inter Episcopos; Aliqui habent potestatem in actu, limitatam ad certum locum; alij indifferenter ad totum orbem terrarum. At Apostoli ex tua sententia non habebant nisi particularem. Minus igitur habebant quàm aliqui Episcopi ab ipsis ordinati & missi. Hactenus Becanus. Reuertamur ad Spalatensem, alium Augustini locum à nostris pro Primatu Petri adductum, expendentem. *Alium prætereà locum*, inquit, *proferunt Augustini, vbi ait, Totius corporis morbum in ipso capite curat Ecclesiæ, in ipso vertice componit membrorum omnium sanitatem.* Addit Spalatensis: *Caput, & Verticem Apostolorum, non renueret, puto, Augustinus, vocare Petrum, quia fuit primus, & præses Collegij Apostolici; dignitate, non potestate; Sed caput, & verticem Ecclesiæ, Augustinus verò, nisi caput & ipse haberet morbum & sanandũ, nunquam vocaret Petrum: qui nihil illustre in Petro agnoscit, nisi vbi sit ipse figura Ecclesiæ. Sermonem itaque illum Augustinus nunquam agnoscet suum. Multò minùs sanum caput habuit, qui libellum de vera, & falsa pœnitentia Augustino appinxit; in quo inter alia putida, similiter Petrus vocatur caput Ecclesiæ post Domini Ascensionem. Afferunt prætereà dictum quoddam ex opere quod tribuitur Augustino, quæstionum veteris & noui testamenti q. 75. quod sic habet: Sicut in Saluatore erant omnes causæ magisterij, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur, ipsum enim constituit caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici. Hoc dictum huc vsque extensum nos suprà exposuimus. Addit tamen idem author ibidem: Manifestum est in Petro omnes contineri; rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in præposito populus, aut corripitur, aut laudatur. In doctrina Augustini hæc de Petro exponenda sunt, quatenus Petrus typus esset, & figura omnium Prælatorum, & in solum vnitatis mysterium cæteris præpositus.* At Elleboro purgandus omninò est, qui non meminerit Augustinũ in laudibus Stephani Pontificis ponere, quod ad illa quæ nó rectè scripserat Cyprianus, nedum *non consenserit, verùm etiam contra scripserit ac præceperit*; qui non meminerit Augustinum in *Ecclesia Romana* (sede scilicet Petri) *semper Apostolicæ Cathedræ viguisse, Principatum* scripsisse; qui non meminerit successoris Petri authoritatem *de sanctarum scripturarum authoritate depromptam* plus ponderis, etiam apud hæreticos, habituram, pronunciasse, quàm *ipsa pro-*

Eod. nu. 25.

Idem de vera & falsa pœn. c. 3.

Sup. c. 9. n. 6.

De bapt. lib. 5. c. 23.

Ep. 162.

Ep. 92.

uinciarum Concilia; Quî enim potuit Stephanus præcipere contra Cyprianum tot Episcoporum fretum præsidio, si caput non fuit & Princeps Episcoporum quà Petri successor? qua ratione quoque *in Ecclesia Romana semper viguit Principatus Cathedræ Apostolicæ*, si Petrus nunquam caput Ecclesiæ fuit; Quomodo est authoritas Pontificum Romanorum *ex authoritate scripturarũ deprompta*, si nusquam appareat eam potestatem fuisse Petro concessam? Certè quod attinet ad nomen Capitis extat in epistolis Augustini: *Petrus etiam*, inquit, *Apostolorum Caput, cœli ianitor & Ecclesiæ fundamentum, extincto Simone, qui fuerat diaboli, non nisi ieiunio vincendi figura, idipsum Romanos edocuit, quorum fides annunciatur vniuerso orbi terrarum.* Hîc non de dignitate, sed de potestate agitur, cùm ieiunium Sabbathi, authoritate Petri indictum Ecclesiæ, prædicaret Vrbicus ille, cuius argumentum retexit Augustinus, ac præterea illa adduntur quæ potestatem spirent, *Ianitor enim cœli & fundamentum Ecclesiæ* eodem loco vocatur Petrus, vt significetur caput fuisse propter coniunctam cum primatu potestatem. Itaque nisi aliæ subessent causæ expungendi ex albo operum Augustini, & sermonem illum & libellum *de vera & falsa pœnitentia*, quàm *quod caput Ecclesiæ etiam post Ascensionem, Petrum* nuncupant, imperitum censorem hîc ageret Spalatensis. Sed spuria non defendimus, tantummodo hominis vanitatem notamus, qui, Augustino indignam, pronunciet doctrinam à Hieronymo, Cyrillo, Gregorio Nazianzeno, & Optato, traditam. Authorem quæstionum veteris & noui testamenti, qui tamen Augustinus non est, licet Augustino fortasse etiam antiquior, ad amussim interpretationum, quibus vim intulit Augustino, exigit Spalatensis. Sed audiatur & euanescent illæ nebulæ. *Afferunt*, inquit, *dictum quoddam ex opere, quod tribuitur Augustino, quæstionum veteris & noui testamenti q. 75. Quod sic habet; Sicut in Saluatore erant omnes causa Magisterij, ita & post Saluatorem in Petro omnes continentur; ipsum enim constituit caput eorum, vt pastor esset gregis Dominici. Hoc dictum hucusque extensum nos supra exposuimus. Addit tamen idem author ibidem: Manifestum est in Petro omnes contineri; rogans enim pro Petro, pro omnibus rogasse dignoscitur. Semper enim in præposito populus aut corripitur, aut laudatur. In doctrina Augustini hæc de Petro exponenda sunt, quatenus Petrus typus esset, & figura omnium Prælatorum, & in solum vnitatis mysterium cæteris præpositus.* Sed nihil de typo & figura prælatorum. Caput & pastorem gregis Dominici, in *quo post Saluatorem contineantur omnes causæ Magisterij*, agnoscit Petrum non omninò malus author.

Aug. ep. 86.

Pigeret referre Leonem, quem aduersarij maledictis perpetuò incessunt, quod Pontificatus *fimbrias dilatarit*, quem minimè audiendum in propria causa clamitant, cuius pias voces *rugitum Leonis* vocant; sed quando eo dementiæ progressus est Spalatensis, vt vires ingenij periclitandas, in hoc quoque deformando ac deprauando, dignum sua fama crediderit, cogimur quasi soli lucem inferre. Principio autem vellicat sapientissimum scriptorem Spalatensis: *Leo*, inquit, *sæpius libenter facundiam suam admirabilem in Petri Primatum facilè permittit excurrere; & quamuis non rarò, vt in superioribus est ostensum Petrum præcipuum & principalem faciat Apostolum, cui non quidem soli, sed specialius oues sint commissæ, nihilo minus tamen interdum etiam videtur Petrum absolutum facere Ecclesiæ Principem, oratorio more, Petri dignitatem amplificando: Cumque Romanus esset Pontifex adhuc libentius & facilius humanitate aliquid suggerente, id præ-*

Spalat. Num. 22.

Leo ep. 93. ad Vienn.

id præſtitit quod in ſuæ dignitatis ornamentum redundaret, vt cùm dicit, Petrum in conſortium indiuiduæ vnitatis aſſumptum à Chriſto Petram nominatum, quæ erat ipſe Chriſtus. Atqui ne quidem per ſomnium cogitauit Leo Petrum *vnum ex Trinitate facere*, & dictum ita molliuit ipſe Caſaubonus, vt hanc maculam abſterſerit, qua eum priores ſectarij aſperſerant: *Huiuſmodi ſententiæ*, inquit, *adeo manifeſtè impiæ & blaſphemæ vel veniſſe vnquam ſancto viro Leoni in mentem, credat per me qui volet, ego nunquam in animum inducam, vt vel de eo ſuſpicer*: poſtea verò magna circuitione vſus, tandem exponit Leonem de coniunctione Petri paſtoris Eccleſiæ cum Chriſto, *non quatenus eſt vna è tribus Sacroſanctæ Trinitatis perſonis, ſed quatenus etiam ipſe licet diuerſo modo eſt Eccleſiæ paſtor*: Addit ſic quoque *eſſe duram locationem*; ſed pace ſummi Grammatici dixerim, lubrica hac, atque ambagioſa coniectatione, opus non fuiſſe ad tuendam Leonis famam; Non enim ſcripſit Leo Chriſtum aſſumpſiſſe Petrum in conſortium indiuiduæ Trinitatis, ratione *naturæ, eſſentiæ, aut ſubſtantiæ*, quod Sectarij ſomniant; ſed *participatione quadam nominis & dignitatis*, quod ſcilicet Chriſtus eum voluerit *Petræ & fundamenti* Eccleſiæ nomine, ſecum quanquam diſpari iure cenſeri. Hæc de mente ſunt Leonis. Sic enim ad illa verba, *Tu es Petrus*, Chriſtum cum Petro facit loquentem, *Cùm ego ſim inuiolabilis Petra, ego lapis angularis qui facio vtraque vnum, ego fundamentum, præter quod nemo poteſt aliud ponere: tamen tu quoque Petra es, quia mea virtute ſolidaris, vt quæ mihi poteſtate ſunt propria, ſint tibi mecum participatione communia.* En cõſortium Trinitatis, quod inuexit Leo de Petro agens. Iam ad illuſtriora teſtimonia pro Petri Primatu, nihil aliud reponit quàm Pettum *ætate, vocatione, dignitate, familiaritate Chriſti, & quia fuit diligentior in fideles, fuiſſe præpoſitum, hoc eſt prælatum, ſiue antelatum reliquis*; hiſque ineptiſſimis commentis tutum ſe putat ab impetu Leonis; Sed hæc toties ſunt à nobis refutata, vt pudeat iam in his terendis operam ponere; Quod ait *de ætate & vocatione*, aut falſum omninò eſt aut incertum; Nam Andream Petro ætate maiorem adeoque etiam vocatione priorem plerique Patres faciunt, Epiphanius, *Andreas*, inquit, *prior in Dominum incidit, quo Petrus erat ætate iunior.* Author commentariorum qui Ambroſij nomine præferuntur; *Prior*, inquit, *ſecutus eſt Andreas Saluatorem quàm Petrus; & tamen primatum non accepit Andreas, ſed Petrus.* Quod attinet ad familiaritatem cum Chriſto hanc occupauit Ioannes; *Plus*, ait Hieronymus de Ioanne, *amatur à Domino, & recumbit ſuper pectus Ieſu. Et quod Petrus, qui vxorem habuerat, interrogare non audet, illum rogat vt interroget.* Gregorius Nazianzenus; *Ioannes*, inquit, *impenſiùs amatur, & ſupra pectus Ieſu requieſcit, &c.* Ac infrà. *Petrus aliquid percunctari cupit, & Ioannem capitis nutu proponit. Diligentiæ* laudem ſibi vindicauit Paulus, qui ſe *abundantius alijs laboraſſe* prædicat. Itaque reſtat dignitas, qua præ cæteris effulſiſſe admittimus, ſed hæc fuit cum ſumma authoritate, ac poteſtate, coniuncta; quo nil poſſit eſſe illuſtrius, accedente potiſſimum tum Chriſti inſtitutione, tum Petri ſanctitate & præſtantia. Hoc igitur ſibi voluit Leo omnibus locis, quos miſerè lacerat Spalatenſis. Ait primò: *De toto mundo vnus eligitur Petrus, qui & vniuerſarum gentium vocationi & omnibus Apoſtolis, cunctiſque Eccleſiæ Patribus præponatur; vt quamuis in populo Dei multi Sacerdotes ſint multique Paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.* Ait ſecundò, *Sed huius mu-*

Leo ſer. 3. de aſſumpt. ſua ad Põt.

Caſaub. p. 455.

Serm. 3. de anniu. die aſſumpt. ſuæ.

Epiph. hær. 51. Ἡ πωλώτατος τῷ Ἀνδρέᾳ ἀφῆτα μεγίστα, μικρότερον ὄντος τοῦ Πέτρου τῷ χρόνῳ ἐκλήθη.

Ad cap. 12. poſteriores ad Corint. Lib. 1. adu. Iouinian.

Greg. Naz. orat. 26. Χριστὸς πυθόμενος τί Πέτρος, καὶ Ἰωάννου περιαλλόμενος διὰ πίστιν.

Eod. nu. 22. Leo ſerm. 3. aſſumpt. ſua ad Põt.

Leo ep. 93. ad Vienn. Leo ep. 84. ad Anastas. quæ tom. 1. ep. decret. Rom. Pōt. par. 2. est 88.

neris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in Beatissimo Petro Apostolorum omnium summo, principaliter collocaret. Tertiò; *Magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent, sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia; & rursus quidam in maioribus vrbibus constituti solicitudinem susciperent, ampliorem per quos ad vnam Petri sedem Vniuersalis Ecclesiæ cura confluaret, & nihil vnquam à suo capite dissideret.* Quartò, *Cùm enim beatissimus Petrus Apostolicum à Domino acceperit Principatum, &c.* Quintò, *Oportet dilectionem*

Leo ep. 7. to. 1. par. 2. epist. decr. Rom. Pōt.

tuam toto corde perspicere, cuius Ecclesiæ gubernaculis te Dominus voluerit præsidere, & eius meminisse doctrinæ, quam præcipuus Apostolorum omnium beatissimus Petrus per totum mundum quidem vniformi prædicatione, sed speciali magisterio in Antiochena & Romana vrbe fundauit. Sextò; *Quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris, fuit quædam discretio potestatis, &*

Idem epist. 66. ad Max. Antioch.

cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est vt cæteris præemineret. Itaque etiam manus dare, & herbam porrigere cogitur Spalatensis; *Interim tamen*, inquit, *Fateor Leonem Petri Primatum super totam Ecclesiam libenter admittere: & fortasse esse primum*, (hoc splendidum est mendacium, vt suo loco videbitur) *qui Romanum Papatum ad Petri Primatum reduxerit.* Quid ergo necesse fuit tot amfractus & tot diffugia, quæsisse? Quid necesse fuit, barbarum tortorem, tot tormenta admouisse, vt contrariam sententiam exprimeret, & sensum magni Patris ad suum errorem curuaret ac inflecteret? Igitur frustra & Leonem, & seipsum torquet homo mirè in humanus.

Leo ep. 88.

Spalat. Num. 23. Maxim. ser. 3. de Apost.

Maximum aliquantò mollius excipit, Rhetoricatum eum dicit his verbis; *Quanti ergo meriti, inquit, apud Dominum suum Petrus erat, vt ei post nauiculæ paruæ remigium, totius Ecclesiæ gubernacula traderentur.* Illis quoque. *Hic est Petrus cui Christus ascensurus ad Patrem pascendas oniculas suas, ouesque commendat.* Excipit autem; *Illa priora conueniunt etiam Andreæ & filiis Zebedæi: Iamque docuimus illa verba, Pasce oues meas, soli quidem Petro dicta, in omnibus tamen æquè verificata; & omnes Apostolos æquè gubernacula totius Ecclesiæ accepisse. Quia tamen ob mysterium soli Petro seorsim dicta fuerunt, hinc concionatores sumunt locum amplificationis in Petri exaltationem. Sed ne quid nimis. Posteriori itaque loco nihil noui habet Maximus, sola recensет verba Euangelij.* Illa priora, inquit, *conueniunt etiam Andreæ & filiis Zebedæi*, Falsum falsissimum, vt quod addit probasse se *omnes Apostolos æquè gubernacula totius Ecclesiæ accepisse*. Gubernacula Ecclesiæ non tractarunt filij Zebedæi aut reliqui Apostoli, ea capitis authoritate, qua præditum fuisse Petrum est à nobis inuictissimis rationibus probatum: Neque hic amplificatione vlla quæ sit concionum propria vsus est Maximus, sed exegit omnia ad amussim Scripturæ, cuius clarissimis sententiis oratio eius distinguitur ac efflorescit.

Spalat. Num. 24.

Gregorium & Adrianum summos Pontifices nescio qua fronte proferat. Scilicet ei constitutum est omnes omninò Patres torquere, ac veluti immani membrorum distractione deformare, sed morem geramus importuno aduersario, ac eos audiamus. *Gregorius*, inquit, *& cum ipso Hadrianus ita loquitur:*

Greg. l. 4. epist. 32. & Hadr. ep. 3. tom. 2.

Cunctis Euangelium scientibus liquet, quod beatissimo & omniū Apostolorū Principi Petro, Dominica voce totius Ecclesiæ cura commissa est. Item; *Ecce claues regni cœlestis accepit, potestas ei ligandi atque soluendi tribuitur: cura ei totius Ecclesiæ & principatus tribuitur. Sed ibidem, Vbinam cura hæc totius Ecclesiæ fuerit Petro commissa*

commiſſa. Idem Gregorius addit: Ipſi quippe dicitur, inquit, Petre amas me? Paſce oues meas: Ipſi dicitur, Ecce Satanas expetiit cribrare vos ſicut triticum, & ego pro te rogaui Petre, &c. Ipſi dicitur, Tu es Petrus, &c. Et, Tibi dabo claues, &c. Quæ omnia, inquit ille, *quomodo intelligenda ſint, & quomodo & quem Primatum Petro tribuant, iam fuſè eſt in præcedentibus explicatum; Et ſi Petro totius Eccleſiæ cura eſt tributa, eadem etiam aliis Apoſtolis tributa eſt: & principatus in Eccleſia Petri eſt typicus tantùm & figuralis: atque ad ſummum comparatiuus, quia plus aliis vndecim prædicauit, & latius Euangelium extendit.* Atqui ſupra oſtendimus eſſe omnes iſtas hominis delirantis ineptias quæ tenebras offundant clariſſimis ſcriptoribus, *veri*, non *typici*, *Primatus Petri* rationes expendentibus, vt magni Apoſtoli authoritatem non ſuis laboribus partam, ſed Chriſti largitione conceſſam explicent.

Succedit Beda ex quo hæc profert. *Vidit, inquit, cordis ſimplicitatem, vidit animi ſublimitatem, cuius meritò cunctæ eſſet præferendus Eccleſiæ. & Ditauit eum vocabulo quod totius Eccleſiæ Præſuli congrueret.* Alibi. *Ideò, inquit, beatus Petrus qui Chriſtum vera fide confeſſus, vero eſt amore ſecutus, ſpecialiter claues regni cælorum & principatum iudiciariæ poteſtatis accepit; vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicumque ab vnitate fidei, vel ſocietatis illius quolibet modo ſemetipſos ſegregant, tales nec vinculis peccatorum abſolui, nec ianuam poſſint Regni cæleſtis ingredi. Specialiter*, inquit Beda, *ſicut & ſupra Leo*, excipit Spalatenſis, *& hoc alios Apoſtolos non excludit à poteſtate iudiciaria & clauiū, quamuis Petrus principatum quendam, typicum intellige & figuralem, præ cæteris obtinuerit.* Sed & ſanctiſſimum hunc virum Angliæ magnum decus torquet ac deformat Spalatenſis, & quod ille *ſpeciatim* de vero Primatu Petri dicit, ad errorem ſuum *de typico & figuratiuo* primatu magna iniquitate deflectit; ſed ſeipſum clariſſimè explicat Beda pro quo fortaſſe Bezam intellexit, tantùm abeſt à Bedæ mente vaniſſimum eius interpretamentum. Nos ſupra ad amuſſim ſcriptorum Bedæ Petri ſummum principatum, qui in Eccleſia Romana eius ſententia perſeueraret, exegimus, eò lectorem remittimus. Theodorum Studitã etiam excruciat, ſed perſeuerat in tormentis confeſſio veritatis, *Quandoquidem Petro magno*, inquit, *Chriſtus Deus poſt claues Regni cælorum, paſtoralis etiam principatus contulit dignitatem, &c. Vt videlicet*, inquit, *eſſet Princeps, hoc eſt primus inter Paſtores*; Sed hæc omninò verum principatum exprimunt, vt & iſta eiuſdem ad Paſchalem PP. *Audi Apoſtolicum caput, à Deo electe, clauiger regni cælorum, Petra fidei ſupra quam fundata eſt Eccleſia Catholica.*

SPALAT. Num. 25. Beda hom. in Vigil. S. And. Idem hom. in feſto SS. Pet. & Paul.

Apud Bar. tom. 9. ann. 809. nu. 18.

Iam mellifluus Bernardus Religionis decus ac deliciæ in hoc certamen vocatur. *Bernardus*, inquit, *de Principatu Petri videtur planius locutus, & non ſemel, ait enim, Locus in quo ſtas terra ſancta eſt; Locus Petri eſt, locus Principis Apoſtolorum, vbi ſteterunt pedes eius; locus illius eſt, quem conſtituit Dominus Dominum domus ſuæ, & principem omnis poſſeßionis ſuæ. Item, Inſtar Domini gradiens ſuprà mare vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit; qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet, ſiquidem aquæ multæ, populi multi. Item. Peccauit peccatũ grande Petrus Apoſtolus, & fortaßis quo grandius nullum eſt; & tam velociſſimè quàm facillimè veniam conſecutus eſt, & ſic vt nihil de ſingularitate ſui Primatus amitteret. Item. Et fortè præſentes cæteri condiſcipuli erant, cùm committens vni, vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno paſtore. Et poſt pauca. Denique Iacobus qui videbatur columna Eccleſiæ, vna contentus eſt Hieroſolyma, Petro vni-*

SPALAT. Num. 26. Bern. epiſt. 237. Idem lib. 2. de conſid. cap. 8. Idem Ber. ſer. 1. in feſto SS. Pet. & Paul. Idem l. 2. de conſider.

uersitatem cedens. Et posteà. Signum singularis Pôtificij Petri, per quod non Nauem vnam, vt cæteri quisque suam, sed sæculum ipsum susceperit gubernandum. Audiamus iam ferreum censorem magno supercilio, tantum Doctorem Orthodoxorum quasi familia submouentem, ac in parasitorum circulos amandantem ac ablegantem; *Bernardus*, inquit, *certè in illud incidit sæculum, cùm iam Monarchia Ecclesiastica aliquas radices, sed nondum nimis altas fixerat; vt propterea non tam authoritas Bernardi quàm argumenta, & rationes ipsius sint inspicienda. His verò locis aut sensus mysticos tantùm & allegoricos, nihili in hoc negotio faciendos profert; aut aliqua supponit, quæ tamen parum habent firmitatis, & facilè iis contraria ex diuinis Scripturis possunt elici; vt quod dicit de Iacobo; nam si is Apostolus erat, soli Hierosolymæ vi sui Apostolatus alligatus non fuit; & quod de cæteris asserit, quemque suam habuisse Ecclesiam, stare non possunt cum Euangelio; in quo omnibus Apostolis dictum est, Euntes docete omnes gentes;* Scilicet criminatores sectarios sequutus est parum sincerus Antistes qui Bernardum tenebris Ægyptiacis oppressum, Tyrannidem sub Pontificatu Romano latentem, non planè agnouisse occlamant, Sed hos tenebriones nil moramur; Iste noster primùm in Bernardo cauillatur, *eum sensus mysticos & allegoricos proferre, qui nihili in hoc negotio faciendi sint*: Atqui primum etsi efficax argumentum non ducatur ab allegorico sensu; Ipsa tamen allegoria sensum & mentem authoris promit, & explicat, vt proinde vi veritatis coactus exclamarit Casaubonus, *sic est vt Baronius obseruat; Existimat Sanctus Bernardus Christum quando dixit Petro, Pasce oues meas, curam vniuersæ Ecclesiæ illi & successoribus ipsius Episcopis Romanis commisisse.* Contraria scripturæ, eum tradidisse, (quod fortasse verecundior non dixisset Casaubonus) asseuerat Spalatensis, & illud de *Iacobo Apostolo solis Hierosolymis alligato*, traducit tanquam Apostolicæ dignitati iniurium. At de hoc cauillo videro infrà. Certè historiæ Ecclesiasticæ, & doctissimorum Patrum authoritate nititur hæc assertio piissimi Bernardi. Locum, *Euntes docete omnes gentes* expendimus, & de prædicatione verbi ac Sacramentorum administratione, non de iurisdictione regiminis, intelligendum vident omnes qui modo aliquid vident. Obierunt verò ac lustrarunt omnes terras Apostoli, si *collectiuè* spectentur, non si *distributiuè*; Neque propterea negauerimus singulos, vbiuis gentium ex officio Apostolatus potestatem habuisse prædicandi, sed cùm id imbecillitas humana non pateretur suas quisque regiones, ita volente, ac negotio moderante Spiritu sancto, sortiti sunt.

Exerc. 16. p. 266.

Spalat. Num. 27.

Bern. l. 1. de consid. cap. 6.

Idem de consid. l. 2. cap. 6.

Act. 3.

Iam è tenebris in lucem effert Bernardum Spalatensis. *Dixi tamen*, inquit, *nondum admodum altas* (ô frontem) *tempore Bernardi, fixas habuisse radices hanc Romanam Hieromonarchiam: Vnde & liberè Papæ Romano dicebat vir sanctus, In criminibus non in possessionibus potestas vestra; quoniam propter illa, & non propter has accepistis claues, &c. Item, Si sapis eris contentus mensura quam tibi mensus est Deus; nam quod amplius est, à malo est. Disce exemplo prophetico præcedere, non tam ad imperitandum quàm ad facilitandum quod tempus requirit. Disce sarculo tibi opus esse non sceptro. Et post pauca: Nam quid tibi aliud dimisit sanctus Apostolus? quod habeo hoc tibi do; quid illud? vnum scio, non est aurum neque argentum cùm ipse dicat. Argentum & aurum non est mihi. Et post pauca rursum. Esto vt alia quacumque ratione hæc tibi vindices, sed non Apostolico iure. Nec enim tibi ille dare quod non habuit potuit;*

tuit ; Quod habuit hoc dedit, ſolicitudinem, vt dixi ſuper Eccleſias. Nunquid dominationem? audi ipſum , non dominantes, ait , in clero , ſed forma facti gregis. Et ne dictum ſola humilitate putes , non etiam veritate , vox Domini eſt in Euangelio, &c. Omitto multa, ait Spalatenſis, *ſimilia Bernardi dicta opportunioribus locis afferenda. Etſi ergo in Petro aliquem primatum poſuerit hic ſanctus Abbas , maiorem quàm antiquitas , Monarchiam tamen tam amplam, & latè patentem in ipſo Petro non agnouit ; in Romanis tamen Pontificibus vſurpationem nonnullam ſentiebat & abuſam*. Hoc ſcilicet eſt Margaritas pedibus, inſtar lutulentæ ſuis, proculcare & fœdare. Suum illum olim diſcipulum Eugenium prudentiſſimis monitis informat piiſſimus Pater, faſtum, Ambitionem φιλοπμίαν, ſæculi ſolicitudines quæ à melioribus & ſanctioribus eum abducerent, auaritiam, ſuperbiam, militias ciuiles , omnem denique mundanam pompam extrudere, ac liminibus excludere tentat, ne his veluti peſtibus ſanctiſſimi tribunalis, ſummæ dignitatis faſtigium euertatur, ac ipſa poteſtas perdatur. Ergo Eccleſiaſticam Monarchiam cuius tamen propriè , *non in poſſeßionibus, ſed in criminibus* ſit poteſtas, non agnouit? Igitur qui de Regno & Republica ſcripſerunt, qui moderata Imperia eſſe voluerunt , qui Principes ne ad immodicum modum inſoleſcerent monuerunt , qui eos ab omni animi elatione, & reliquis cupiditatibus ſunt dehortati præſtantiſſimi Philoſophi, Spalatenſis ſententia regiam maieſtatem violarunt, euerterunt , perdiderunt? Quis ſapiens animum induxerit, vt in cõtumeliam Regũ hæc ab illis dicta aut ſcripta accipiat? Hos igitur imitatus Bernardus, pro eximio illo quo erat in Eugenium affectu, citra contumeliam, conuicium aut maledictum , vt ſanctiſſimam authoritatem illis ſordibus purgaret , quæ magna faſtigia inquinare ſolent, ad eum quatuor de conſideratione libros miſit, quibus , iuſti & moderati Pontificis, effigiem, ſumma charitate expreſſam, magni Eccleſiæ parentis oculis ſubiecit , vt præclaris illis monitis ſe non Conſtantini , ſed Petri ſucceſſorem recognoſceret, huius humilia veſtigia premeret, non illius faſtum conſectaretur. Dic igitur Spalatenſis, ſunt ne iſta , hominis , Pontificiam dignitatem inſectantis ? *Age*, inquit Bernardus ad Eugenium, *indagemus adhuc diligentius , qui ſis quam geras videlicet pro tempore perſonam in Eccleſia Dei. Quis es? Sacerdos magnus, ſummus Pontifex. Tu Princeps Epiſcoporum , tu hæres Apoſtolorum , tu Primatu Abel, gubernatu Noë , Patriarchatu Abraham , ordine Melchiſedech , dignitate Aaron , authoritate Moyſes, iudicatu Samuel , poteſtate Petrus , vnctione Chriſtus. Tu es cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem & alij cœli ianitores & gregum paſtores , ſed tu tantò glorioſius , quantò & differentius , vtrumque præ cæteris nomen hereditaſti. Habent illi ſibi adſignatos greges ſinguli ſingulos , tibi vniuerſi crediti , vni vnus. Nec modò ouium , ſed & Paſtorum tu vnus omnium Paſtor. Vnde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum , ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè & indiſcretè totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre, Paſce oues meas. Quas? illius vel illius populos ciuitatis, aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed adſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil. Et fortè præſentes cæteri condiſcipuli erant, cùm committens vni, vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno paſtore ſecundum illud: Vna eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea. Vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent , ſed*

Bern. de conſider. ad Eug. lib. 2. cap. 8.

diuiſionem recedentes ab vnitate, inde eſt quod alij ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes, ſcientes Sacramentum. Denique Iacobus qui videbatur columna Eccleſiæ vna contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſitatem cedens. Pulchrè verò ibi poſitus eſt ſuſcitare ſemen defuncti fratris, vbi occiſus eſt ille. Nam dictus eſt frater Domini. Porrò cedente Domini fratre, quis ſe alter ingerat Petri prærogatiuæ? Ergo iuxta canones tuos alij in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipſos qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne ſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo cælum claudere, tu ipſum ab Epiſcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcuſſum Priuilegium tuum tibi tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis. Accipe aliud quod nihilominus prærogatiuam confirmat tibi. Diſcipuli nauigabant, & Dominus apparebat in littore: quodque iucundius erat in corpore rediuiuo. Sciens Petrus quia Dominus eſt, in mare ſe miſit, & ſic venit ad ipſum aliis nauigio peruenientibus. Quid iſtud? Nempè ſignum ſingularis Pontificij Petri, per quod non nauem vnam, vt cæteri quique ſuam, ſed ſæculum ipſum ſuſceperit gubernandum. Mare enim ſæculum eſt, naues Eccleſiæ. Inde eſt quod altera vice inſtar Domini gradiens ſuper aquas vnicum ſe Chriſti Vicarium deſignauit, qui non vni populo, ſed cunctis præeſſe deberet. Siquidem aquæ multæ, populi multi. Ita cùm quiſque cæterorum habeat ſuam, tibi vna commiſſa eſt grandiſſima nauis facta ex omnibus ipſo vniuerſalis Eccleſiæ toto orbe diffuſa.

Doleret Spalatenſi ſibi præteritum aliquem ex numero Catholicorum Doctorum, quem non vexaſſet, ac maledictis inceſſiſſet. Hugonem Ætherianum ſibi vix de nomine notum, valdè contemnit, quod homo in aula Imperatoris Græci Emmanuelis Comneni diu verſatus, non recentiores illos, ſed antiquiores Patres ſequutus, Primatum quoque ipſe Petri propugnarit & amplificarit. *Quibus ex rebus liquidò claret*, ait, *quòd Petrum, eiuſque ſucceſſorem Chriſtus Principem & caput, non modò Latinorum, & Græcorum, Occidentis, & Septentrionis vniuerſi: verùm etiam Armenorum, Arabum, Iudæorum, Madianitarum, & totius Orientis, & meridiani climatis in perpetuum, conſtituit.* Eius reiiciendi cauſam ſibi eſſe dicit, *quod nulla proferat, ſui dicti, quibus nitatur, fundamenta*, ſcilicet illum, niſi in Bellarmino, non legit. Quòd verò addit *de Primatu Petri aſſertiones in Eccleſia Catholica nullas ſibi obſeruatas, niſi poſtquam Romani Pontifices cœperunt ſuum Primatum, prætendere, promouere, & dilatare*, ipſa impudentia eſt impudentius, nec in homine qui tot triuiſſe libros videri velit, excuſationem vllam admittit. Namque luce meridiana clarius oſtendimus, omnes omninò Patres qui ab initio naſcentis Eccleſiæ floruerunt, in noſtra ſententia fuiſſe; Quod ſi ante Tufrecrematam, non fuit qui ex profeſſo hanc diſputationem maioribus commentariis illuſtraret, id certè in cauſa fuit, quod ante illa infœliciſſima tempora quibus Eccleſiæ procella & peſtis Lutherus exortus ſit, vel certè Vvicleſus nullus fere in toto occidente, *illa quæſtione* vt loquitur. Auguſtinus, *pulſaretur*; Ante Arrij tempora de *Conſubſtantialitate* filij, nulli ſcripſerunt; ante Macedonij, nulli de diuinitate Spiritus ſancti; Ante Sabellij, nulli de Trinitate, &c. Scilicet vt habet magnus Auguſtinus, hæreticorum improbitate fit, vt diligentiores in propugnandæ fidei Catholicæ capitibus ſe præbeant Orthodoxi;

SPALAT. Num. 28.

Hugo Eutherianus de proceſſione Spiritus ſancti, lib. 3. c. 17.

Multi

Multi ſenſus ſcripturarum ſanctarum latent, inquit magnus Pater, *& paucis intelligentioribus noti ſunt, nec aſſeruntur commodius, & acceptabilius, niſi cùm reſpondendi hæreticis cura compellit.* Ad Pſ.67.

Quod autem de *Monarchia magna Petri, aucta, & in immenſum amplificata*, garrit, homini ſubirato & à furore ebrio condonandum, quanquam hoc minimè ferendum quod homo illiberalis, *ex mille ſexcentis ſæculis*, nobis ſolos ſexcentos reliquerit. Quaſi verò oſtendere poſſit homo obtuſus ſæculo Bernardi, aut etiam ſuperioribus factam aliquam fidei, aut doctrinæ conuerſionem; Thraſoniſmos igitur deſertoris prætereamus, qui vt in illa hæreticorum coliuuie regnaret omnium ſæculorum Patribus bellum indixit; Nos hic commentitia alicuius Melchiadis ſententia non tuebimur. Recentiorum Pontificum Nicolai, Leonis noni, Innocentij tertij, Clementis quinti, aut Ioannis vigeſimi ſecundi dictis, quanquam orthodoxis, piis, & ad omnium ſæculorum fidem limatis, cauſam iſtam non propugnabimus, aut exornabimus: In veterum orthodoxorum, quorum illi veſtigia preſſerunt, placitis acquieſcimus, quanquam & ſuo loco recentiores iſtos Pontifices à calumniis tenebrionum, fauente Deo, vindicabimus. Sit hic veluti conſpectus doctrinæ Patrum de Petri primatu. Ex Græcis Origenes, Petrum, *Principem Apoſtolorum*, [a] *Magnum Eccleſiæ fundamentum, & Petram ſolidiſſimam, ſuper quam Chriſtus fundarit Eccleſiam*, [b] vocat, [c] *cui Dominus ſummam rerum de paſcendis ouibus, tradiderit*; Cyrillus Hieroſolymitanus Petrum, *Principem Apoſtolorum, & ſupremum Eccleſiæ præconem*, [d] *Regni cælorum* Clauigerum [e] prædicat. Baſilius Petrum, *quod fide præſtaret, Eccleſiæ ædificationem in ſe recepiſſe* [f] cenſet. Gregorius Nazianzenus, Petrum *Eccleſiæ columen*, [g] *Ex Chriſti diſcipulis, magnis vtique omnibus, atque electione dignis, Petram vocatum* [h] *qui Eccleſiæ fundamenta, in fidem ſuam acceperit*, celebrat. Epiphanius, Petrum *à Chriſto ſuorum diſcipulorum principem electum*, [i] *qui quidem ſolidæ Petræ inſtar nobis extiterit, cui veluti fundamento fides Domini, innitatur, ac ſupra quam Eccleſia modis omnibus extructa ſit*, [k] pronunciat; Facundiſſimus Chryſoſtomus Petrum, *Primum Apoſtolorum à Chriſto conſtitutum*, [l] *columnam fidei, fidei baſim, Apoſtolici chori caput*, [m] *cui orbem terrarum ſubiecerit*, [n] *vniuerſum mundum tradiderit*, [o] *ac ouium quas effuſo ſanguine acquiſiuiſſet, curam commiſerit*, [p] agnoſcit. [q] Caſſianus Chryſoſtomi quondam Diaconus, quamquam Latinè ſcripſit, Petrum, *Inter Magiſtros, Magiſtrum, Eccleſiæ Romanæ rectorem, Principem Apoſtolorum, vt fidei, ita Sacerdotij, Principatum habentem, Primum Apoſtolorum pro omnibus reſpondentem*, inducit. Cyrillus Alexandrinus: [r] *Petrum hoc nomine nuncupatum, quo vocabulo ipſo commodè ſignificaretur in eo tanquam in Petra, lapideque firmiſſimo, Eccleſiam Chriſti eſſe ædificandam, Petrum omnibus præfuiſſe, ac ordine maiorem fuiſſe*, propterea que *pro omnibus re-*

Spalat. Num.28.

Spal.nu.29.

CONSPECTVS DOCTRINÆ PATRVM.

[a] Hom.17. in Luc.

[b] Hom.5. in Exod.

[c] Ad cap. 6. epiſt. ad Rom.

[d] Cyrill. Catechef. 11.

[e] Idem Catech.17.

[f] Baſil.adu. Eunom.lib.2.

[g] Gregor. Nazian. orat. 7.

[h] Idem orat. 26.

[i] Epiphan. hæreſ. 51.

[k] Idem hæreſ. 59.

[l] Chryſoſt. in Pſal. 129.

[m] Idem hom. 2. in Pſal. 50.

[n] Idem ho. in Petr. & Eliam.

[o] Idem hom. 87. in Ioan.

[p] Idem lib. 2. de Sacerd.

[q] Caſſian. de Incarn. lib. cap. 12.

[r] Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 12.

ſpondiſſe; *Diſcipulorum* præterea *Principem, ac caput*, ſeu *præfectum* fuiſſe cla-
[a] Iſid.Peluſ. li.1.ep.142. lib.2. ep.58. & 99. Τῶν μαθητῶν ἢ ἀποστόλων, τῆ χορηγῷ ἢ κορυφαίων.
mat. Iſidorus Peluſiota; [a] *Diſcipulorum, Apoſtolorum, chori Apoſtolici, coryphæum, hoc eſt anteſignagnum & præſulem*, quod habet interpres, deſcribit. Sozo-
[b] Sozom. lib.7.cap.4. Πέτρου ὁ κορυφαῖος ἢ ἀποστόλων.
menus, [b] *Apoſtolorum principem à magno Imperatore*, Theodoſio ſcilicet, [c] *vo-catum* refert. Theodoretus; [d] *Apoſtolorum principem, cui etiam Paulus quem par eſſet honorem habuerit*, nuncupat. Synodus Calchedonenſis; [e] *Petrum ter beatiſſimum Petram, & crepidinem Catholicæ Eccleſiæ, & rectæ fidei fundamentum* prædicari ſuſtinet: Theophylactus; [f] *Totius orbis præfecturam Petro commiſſam, & à Chriſto habitum eum principem Apoſtolorum* inculcat. Oecumenius [g] & Euthy-
[c] Theod ad c.1.epi.ad Galat.
[d] Chalced. act.3. Μετὰ τῆς περιμακαρίστου, καὶ πανυμνήτου Πέτρου ἢ ἀποστόλων, ὃς ὑπὲρ πάντα, καὶ κρατὴς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, καὶ ὀρθοδόξου πίστεως ὁ θεμέλιος.
mius, [h] *Petro præfecturam à Chriſto commiſſam*, eundem *Paulo maiorem, ampliori honore à Chriſto cumulatum*, vno verbo, *cæterorum principem, ac ſummum* venerantur. Et tot tamque illuſtria Græcorum pro primatu Petri teſtimonia, Spalatenſis obſtinatiſſimum animum non frangunt, nec vt ei, à ſanctiſſimis & eruditiſſimis Patribus primatum, delatum concedat, inducunt, quis hic non ſtupeat? quis ferreum os, & pectus non demiretur, non execretur? Sed nec Patres Latini in ornando Petro parciores fuere; Tertullianus eum [i] *ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum, claues regni cælorum, & alligandi atque ſoluendi in cœlis, & in terris poteſtatem conſequutum*; *In ipſo extructam Eccleſiam, id eſt per ipſum, ipſum claues habuiſſe*, tam in caſtris quàm extra caſtra Eccleſiæ ſcribit: Cyprianus; [k] *Vnam Eccleſiam & Cathedram vnam ſuprà Petrum fundatam, Petro ſuper quem Dominus fundauerit Eccleſiam, vt inde vnitatis originem inſtitueret & oſtenderet poteſtatem iſtam datam, vt id ſolueretur in terris quod ille ſoluiſſet; ſuper illum vnum ædificatam Eccleſiam, & illi paſcendas oues mandatas* affirmat. Hilarius, [l] *Petrum primum filij Dei confeſſorem, Eccleſiæ fundamentum, cæleſtis regni ianitorem, & in terreno iudicio iudicem cœli, eius arbitrio claues æterni aditus tradi, cuius terreſtre iudicium præiudicata authoritas, ſit in cœlo*, cenſet: Ambroſius; [m] *Amoris Chriſti Vicarium Eccleſiæ relictum, Petram dictum, quod primus in nationibus fidei fundamenta poſuerit, & tanquam ſaxum immobile totius operis compagem molemque contineat*, tradit. Optatus Mileuitanus; [n] *Petrum Apoſtolorum caput, & principem celebrat*; Hieronymus conſentientia loquitur, rationemque addit eius præfecturæ, *vt ſcilicet ſchiſmatis tolleretur occaſio*, quam ille alius non prætermiſerat; Auguſtinus, [o] *Petrum primum omnium Apoſtolorum, qui propter Apoſtolatus ſui primatum geſſerit Eccleſiæ figurata generalitate perſonam, cuius Apoſtolatus principatus ſit omni Epiſcopatui præferendus, adeoque caput Apoſtolorum, in quo primatus Apoſtolorum excellenti gratia præfulſerit*, laudat. Maximus; [p] *Poſt nauiculæ paruæ remigium totius Eccleſiæ gubernacula ei tradita*, prædicat: Arno-
[e] Theoph. ad cap.21. Ioan. Ἐπειδὴ τέλος εἶχεν αὐτῷ τὰ τοῦ ἀείσου τῷ Πέτρῳ ἢ θεμελίου.
[f] Idem ad c.22. Luc. Ὅτι ἐπειδὴ οἱ τῶν μαθητῶν ἔξω χορὸν ἔχω.
[g] Oecum. ad c.1. act. ad.c.1.ep. ad Galat.
[h] Euth.ad c.11.Ioan. ad cap.16. Marc.
[i] Tertull. de præſcrip. c.22. de pudicit.c.21.
[k] Cypr. li.1. ep.8. ep.73. de vnit. Eccleſ.
[l] Hilar.ad Pſal. 131. Item ad ca. 16. Matth.
bius [q] Romanus, ac cum eo Eucherius Lugdunenſis, [r] *Epiſcopum omnium Epiſcoporum* facit. Neque in horum numero eſt aliquis Pontifex Romanus, qui in cauſa ſua loquatur; Et tamen poſt tot etiam Latinorum Patrum teſtimonia, frontem perfricat, pectus obfirmat, non concedit, non fatetur, reluctatur, obſiſtit, hos inuictiſſimos cuneos perrumpit, ac cum impudentiſſimo hæretico has voces mittit; *Omnes quidem ſic, ſed non ego ſic*; *Quid ergo tu*, dicamus nos cum Bernardo, [s] *quid melius affers, Quid ſubtilius inuenis! Quid ſecretius tibi reuelatum*

[m] Ambroſ. ad cap. 24. Luc. ſer.47. [n] Opt. lib.2.& 7. [o] Aug. tract.56. in Ioan. tract.124. lib.2. contr. Donat.cap.1. [p] Maxim. ſerm.3. in Natiu. SS. Apoſt. Petri & Pauli. [q] Arnob. ad p.138.
[r] Eucher. Lugdun. ſerm. in Vigil. S. Petr. [s] D. Bernard. ep.190. ad Dominum Papam Innocent.

Digitized by Google

latum iactas, quod præterierit ſanctos, effugerit ſapientes? Aquas furtiuas & panes abſconditos puto apponet nobis iſte. Nonne os loquens talia iuſtius fuſtibus tunderetur, quàm verbis refelleretur? Illi certè circa pectus æs triplex eſſe oporteat, qui his non moueatur. Expunximus verò vana illa ſuffugia, quibus Patrum dicta ad *primatum ætatis, vocationis, virtutis, & honoris* inflectere ac curuare eſt conatus. Certè nec tormentis exquiſitiſſimis, has voces expreſſerit, aut extorſerit ab eximiis illis veri primatus, ac principatus Petri propugnatoribus; Sed necdum eſt contentionum finis, quibuſdam malè acceptis ſcripturæ locis ſe tueri parat proximo capite: ad quod diſcutiendum iam aggrediamur; Nam quæ homo iratus in Concilium Conſtantienſe * effundit, ſuo loco * profligabuntur, & magnæ ſynodi authoritas aduerſus putidas illas criminationes defendetur; Nec enim alio nomine eſt illam inſectatus, quàm quod præcurſorem ſuum, ac prodromum Ioannem Hus, qui contra doctrinam vetuſtiſſimorum & ſanctiſſimorum Patrum, *Petrum non fuiſſe caput Apoſtolorum, nec plus authoritatis habuiſſe, quàm habuerint cæteri*, garriret, damnarit, & iuſtiſſimo anathemate percuſſerit. Quis verò eum ferat Catholicos, quos Monarchicos contumelioſiſſimè vocat vexantem, atque inſimulantem, *non ex vlla erga ſanctum Petrum deuotione, ſed vt ſub Petri nomine Romanum Pontificem Deum in terris faciant*, in Petri prærogatiuis amplificandis verſari? Addit, *Petrum in cælis ad tanta laudum Encomia, quæ ei à noſtris tribuuntur, ſi ita dicere fas eſt erubeſcere.* Eſt verò grauiſſimè à parente eloquentiæ dictum, *Qui ſemel verecundiæ fines tranſilierit, eum benè & nauiter oportere eſſe impudentem.* Penetrauit ne in intimos animorum noſtrorum receſſus, an habet nos confitentes? Apage hanc audaciam, Deum in terris Pontificem non facimus, Petro nullos honores tribuimus, qui non ex viſceribus ſcripturæ, & orthodoxorum Patrum ſcriptis eruantur. Sed iam excutiamus quæ ille ex ſcriptura profert.

* Num. 31. 32.
* Ad cap. 12.

SPALAT. Num. 33.

DISCVSSIO
VNDECIMI CAPITIS
LIBRI PRIMI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Spalatenſem inſigniter abuſum ſcripturarum teſtimoniis ad primatum Petri euertendum: Explicatur diligenter locus, Reges Gentium dominantur, &c. *Item alius,* Nolite vocari Magiſtri: *Apoſtolos in errorem abreptos pompaticum aliquod regnum Chriſti, ſibi cõfinxiſſe & exambiiſſe, ac proinde de glorioſo illo primatu contendiſſe: Omnes quidem Apoſtolos Paſtores fuiſſe Eccleſiæ, ſed celſiore faſtigio fuiſſe Petrum: Chryſoſtomus in hanc rem adductus: Septem Diaconorum renunciatio ab omnibus Apoſtolis facta expenditur: Soluitur locus Actorum de miſſo Petro cum Ioanne ad Samaritas à reliquis collegis Apoſtolis: Item alius de ſententia pro abrogandis legalibus à Iacobo pronuntiata: Quas partes in eo Conſilio habuerit Petrus: Quo iure Paulus Antiochiæ Petrum reprehenderit: Fuiſſe errorem Petri conuerſationis, non prædicationis ex Tertulliano: Quid de hac re ſenſerint Auguſtinus, & Cyprianus: Impij Spalatenſis ioci in Petrum: De collega & fratris nomine: Soluuntur argumenta ex aliis Patribus de epiſtola ad Galatas: Et obiter de abolendis Hæreticorum libris: Quo ſenſu reliquos Apoſtolos, maximè verò Paulum cum Petro contulerint Patres.*

SPALAT. Num. 1.

APPETITVS *naturalis humanus propriæ excellentiæ, & in alios dominatus, Apoſtolorum animos adhuc imperfectos, nec parum nec rarò titillauit. Qui enim Meſſiam dominatione temporali Regem Iſraël in mundo regnaturum, ex ſacris ſcripturis non benè intellectis, & communi Hebræorum intelligentia exiſtimabant, magnas ſibi apud Chriſtum, quem Meſſiam agnouerant, dignitates pollicebantur, quippè qui ipſius primi eſſent aſſeclæ, & familiares; & cùm duodecim eſſent, inter ipſos etiam vnum aliquem primum locum habiturum, varijs humanis coniecturis autumabant. Petrum enim Ioannem & Iacobum ſæpiùs in maiorem quandam familiaritatem à Chriſto adhibitos cernebant: Petro verò ſeorſim inſignia promiſſa facta audierant: Ioannem ſingulariter dilectum animaduertebant. Hinc varijs oblatis occaſionibus, modò internis angebantur cogitationibus, quiſnam eſſet ille, qui primas apud Chriſtum in regno obtineret:* Luc. 9. *Intrauit autem cogitatio in eos quis eorum maior eſſet. Modò verò* Marc. 9. *etiam eandem inter ſe mouebant quæſtionem: Quid in via tractabatis? At illi tacebant, ſi quidem in via inter ſe diſputauerant, quis eorum maior eſſet. Modò ex Chriſto ipſo hoc idem curioſius inquirebant, vt diceret ipſe, quemnam ex ipſis ad ſupremam apud ſe dignitatem deſignaret;* Matth. 18. *In illa hora acceſſerunt Diſcipuli ad Ieſum dicentes: Quis putas, maior eſt in regno cœlorum? Modò audacter primas ambientes* Marc. 10. *aliqui ex ipſis, ſiue per ſe ipſos, ſupremas petunt dignitates; Accedunt ad eum Iacobus, & Ioannes filij Zebedæi dicentes: Magiſter volumus, vt quodcunque petierimus facias nobis: At ille dixit eis; Quid vultis vt faciam vobis? Et dixerunt, Da nobis vt vnus ad dexteram tuam, & alius ad ſiniſtram tuam ſedeamus in gloria tua.*

Siue

Digitized by Google

ſiue per ipſorum matrem, quæ quia fortaſſe erat Chriſti matertera, & ipſum ſecuta fuerat à Galilæa miniſtrans ei, cùm quibuſdam aliis mulieribus ex propriis facultatibus, id promeruiſſe ſibi videbatur, vt ei in filiis grates penderet, qui nihilominus & ipſi, relictis retibus & Patre, ipſum ſequebantur. Acceſsit igitur ad eum Matth. 8. 27 Matt. 20. *mater filiorum Zebedæi, cùm filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo, qui dixit ei quid vis? ait illa, Dic vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dextram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Modò verò in apertam erumpunt contentionem. Ad menſam enim quando cum Chriſto poſtremum comedebant paſcha, audito iam ex ore Chriſti ipſum à Deo eſſe clarificandum, & videntes Ioannem diſcipulum Chriſto* Ioan. 17. *dilectiſsimum iuxta ipſum aſſediſſe, & in ſinu eius recubuiſſe, eadem omnes agitati ambitione, de eodem primatu cœperunt contendere; nam facta eſt, & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe maior.*

SIcvt qui maria infeſtant Piratæ, ſolent in locis vadoſis, occultiſque ſcopulis nocte obſcuriore ignium ſpeciem oſtentare, quo nauigantes ſpe confugiendi ad portum allectos, ad naufragia deducant; ſic Hæretici, inquit, magnus Origenes falſæ ſuæperſuaſionis dogmata ſcripturis ſacris illuſtrant, vt ſalutis ſuæ cupidos, hac luminis ſpecie ad fidei & ſalutis ſuæ naufragium inuitent, & tandem pertrahant. Non recedit à perditiſſimorum latronum more Spalatenſis, ſed eos imitans ſcripturis ſacris veluti luminibus quibuſdam vtitur, ad fallendos incautos. Et quidem vt conſtitutum à Chriſto ordinem euertat, & Petrum ſui primatus dignitate nudet, omnia loca profert in quibus videri poſſit ſeruator, Apoſtolorum, qui de primatu aliquando contenderint, ambitionem repreſſiſſe ac omnino damnaſſe. Primùm igitur aduertit huius gloriæ cupidos Apoſtolos, nullum non mouiſſe lapidem, vt hunc ſibi pompaticum principatum, quem animo præcepiſſent, aſſererent ac vindicarent. Id verò nos vltro fatemur, ſed nonniſi inconſtantiſſimè à Spalatenſi dicitur, cùm ſuperius contrarium docuerit, Bellarminumque, hoc ipſum aſſerentem impugnandum ſuſceperit. Ad illum locum, *Reſpondet Bellarminus*, inquit Spalatenſis, *erraſſe quidem Apoſtolos, quia temporalem principatum ſomniabant, & hunc errorem Dominum ſæpe correxiſſe: De hoc tamen temporali mundi huius principatu Apoſtolos, tunc nihil cogitaſſe, ſed de ſola Petri prælatione ſuprà ipſos Apoſtolos, ſatis eſt apertum; Aiunt enim, Quis putas maior eſt in regno cœlorum?* Quî hæc conſtare poſſunt lector erudite? Interim victoriam iam nobis concedit Spalatenſis, qui omnibus locis, quibus ad euertendum primatum Petri, ſine iudicio vtitur, contendit Apoſtolos *principatum aliquem temporalem ſomniaſſe*. Si enim hæc vera ſunt; Ergo non ſuſtulit Chriſtus primatum Petri, aut Monarchiam Eccleſiaſticam euertit, ſiquidem ea non eſt temporalis, ſed ſpiritualis, neque ad normam ſæcularis alicuius principatus exigitur, ſed totâ in charitatis, & humilitatis ſtudiis occupatur. Sic igitur intelligendus eſt locus Lucæ, in quo apparet aduerſarium præſidium erroris poſuiſſe. *Reges gentium dominantur eorum, &* Orig. c. 12. ep. ad Rom. Spalat. c. 9. nu. 6. Num. 2. in fine 3. & 4. Luc. 22. v. 12. *qui poteſtatem habent ſuper eos benefici vocantur, vos autem non ſic*, inquit Chriſtus ſeruator, *ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor: & qui præceſſor eſt ſicut miniſtrator; nam quis maior eſt qui recumbit, an qui miniſtrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat*. Namque cùm Chriſtum ad mentem diſcipulorum, reſpondiſſe negare non poſſit, ei quoque conceden-

dum ſit, hic Chriſtum de dominatu terreno, ac de eo imperio cui ſoleat eſſe comes ſuperbia & faſtus, ac typhus ſæculi, loquutum, ac proinde ſublatum ſolùm voluiſſe, violentum huiuſmodi imperium ab Eccleſia ſua, & omnem de eo Apoſtolis cogitationem eripuiſſe his verbis, *Vos autem non ſic*: Fatemur autem non eſſe hoc ſenſu in Eccleſia dominatum vllum regium, ſed mite prorſus, & ſanctitatis plenum imperium, quo ipſe Chriſtus Rex Regum, & Dominus dominantium, delectatus ſit, vt etiam hic principatus magis in obſequendo, quàm in præcipiendo, in miniſtrando, quàm in imperando, poſitus eſſe videatur; Proinde tamen omnis dominatus de Eccleſia nó tollitur, quẽ mille locis aſtruit ſcriptura, *Obedite præpoſitis veſtris, &c. Qui præeſt in ſolicitudine præeſt, &c. Quis eſt fidelis ſeruus, & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* ſed ſola imperia violenta, quæ vt ait ille, *nemo continuit diu*, profligantur. Propterea notant interpretes, non Regum Iudæorum exempla protuliſſe Chriſtum, ſed Regum Gentium; Quanquam enim habuit etiam Iudæa ſuos tyrannos, nihilominus quod, tum Patriis inſtitutis ac legibus ſanctiſſimis, tum crebris Prophetarum monitis, in officio continerentur, rariora extant apud eos crudelitatis, & ſæuitiæ exempla. Regum itaque Gentium, ea propriè labes erat, quippè qui viribus imperij per inſolentiam abuterentur, omnaque, non ex legum præſcripto, ſed ex animi libidine facerent: Qua de re extat perilluſtris locus, apud eloquentiæ Romanæ principem, *Nemo noſtrûm ignorat*, ait, *etiamſi experti non ſumus conſuetudinem regiam; Regum autem*, inquit, *ſunt hæc Imperia. Animaduerte & dicto pare, & præter rogitatum, ſi quærare; Et illæ minæ, ſi te ſecundo limine offendero, moriere, &c.* Si quis igitur regio iſto more, hoc eſt crudeliter, & ſæuè in Eccleſia imperare vellet, merito tyrannidis accerſeretur, quippè qui à moderatione, humilitate, & charitate, à Chriſto præſtituta omnino recederet. *Reges Gentium dominantur eorum, vos autem non ſic*, id eſt non ad modum illorum ſuperbè, inſolenter, inclementer, & ſæuè. Non ſuſtuliſſe autem omnem dominatum, vel ex eo oſtendi poteſt, quod ſtatim ſubiecerit, *Qui maior eſt veſtrûm, ſit in vobis ſicut minor*; Quid enim neceſſe fuit moderationis leges maiori præſcribere, ſi nullus inter eos futurus erat maior? Sed occurrit Spalatẽſis, *Hic tamen ſenſus eſt omnino detortus. Nam idem ſignificant iſta verba; Qui maior eſt inter vos, fiat ſicut minor, quod illa alia; Si quis vult primus eſſe, erit omnium nouiſſimus, & omnium miniſter. Et illa, Qui minor eſt inter vos omnes, hic maior eſt. Quibus verbis nullum ponit, aut ſupponit Chriſtus realem primatum, imò omnem aufert ſicut & illis; Reges Gentium dominantur eorum, Vos autem non ſic. Nam ne putarent ipſum eos vocaſſe ad dignitates & præfecturas, quæ dominium in alios, & imperium exercerent; expreſsè prohibet ipſis dominatum, hoc eſt Præſulatum, cum propriè dicta Iuriſdictione; Separatque eos, & plurimum vult differre à Regibus in Regimine, Vos autem non ſic, vt pluribus explico lib. 5. cap. 2.* Reſpondemus planè eundem ſenſum eſſe omnium iſtorum locorum, ac in ſingulis, non dominatũ, ſed imperandi affectum, non dignitatem, ſed ſtimulos gloriæ, damnari. Similia extant paſſim in ſcripturis loca. De futuro Rege Hebræorum, in Deuteronomio; *Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos, neque declinet in partem dexteram vel ſiniſtram, &c.* Et de omnibus in vniuerſum eximia poteſtate præditis, *Rectorem populi te conſtituerunt, noli extolli, eſto in illis quaſi vnus ex illis.* Quibus omnibus locis ſcriptura tum Reges, tum Præſules, ac præpoſitos Eccleſiarum, officij admonet, faſtum, arrogantiam funditus tollit, humilitatem, modeſtiam, charitatem,

Hebr. 11. Rom. 12. Matth. 24.

Pro Rabirio.

Spalat. Num. 5.

Deut. 17. Eccl. 32.

tem, & reliquas virtutes ſuadet, ſed dignitatem, authoritatem, & imperium non euertit, quin potius firmat, quando ei leges ponit, atque moderatum eſſe cupit. Certè vix exiſtimo attendiſſe, ad ea quæ ſcriberet Spalatenſis, cùm hæc chartis mandaret; Quis enim vnquam vel fando audiuit, vel legendo didicit, *minorem humilitate*, in Eccleſia Dei, *officio ac dignitate, maiorem* eſſe? Facit id quidem ad ſanctitatem, ſed ad authoritatem minimè. Sæpius enim in Eremi incolis, ac cultoribus reſideret illa Eccleſiaſticæ dignitatis præſtantia, ac eminentia, quippè quorum mentes ab omni ambitionis ſenſu, remotiores eſſe ſoleant. Fatemur equidem ſuperbum, arrogantem, ac inſolentem, præſulem ſeipſum planè euertere, ac ire perditum; *Si enim*, inquit Hieronymus, *deſpecto opere ſolam aſpexerit dignitatem, citò corruit turris in Siloa, & excelſa Cedri fulmine feriuntur, & erecta ceruix frangitur, & Cygnus extento collo, & in ſublimè ſe tendens, inter immundas volucres deputatur.* Propterea tamen gradu non excidit; Contra verò qui humilitatem colit, qui faſtu nullo turget, & vt loquitur Chriſtus, *Qui minimus eſt*, verè ſanctitate maior eſt, hocque gradu, coram Deo, reliquis præſtat. Sed niſi hæc animi moderatio dignitatem conſequatur, ad illamque accedat, eam proculdubio non facit. Faſtus nimirum, & humilitas, inſolentia, & moderatio animi, accidentariæ quædam res ſunt, quæ inſtitutum principatum conſequantur, eique vel vitio, vel virtute imperantis adhæreſcant; non autem principatum conſtituant. Non igitur vult Chriſtus eum in Eccleſia ſua eſſe omnibus officio, & dignitate maiorem, qui humilitate ſola præſtet, ſed eum omnino qui cum dignitate effulgeat, animi etiam demiſſione reliquos anteuertat. Hunc ſcilicet verè & munere, & officio, & merito maiorem prædicat, qui ſcilicet *humilitate decreſcat, faſtu nullo turgeat*, vt loquitur Hieronymus; Et ſanè eam eſſe mentem Chriſti ipſe Spalatenſis, volèns nolens agnoſcit, ſic enim Chriſtum inducit loquentem, *Nam ſi ego qui ſum veſtrûm, & totius Eccleſiæ caput, & Rex ſpiritualis, ad hoc natus, & miſſus à Patre; nihilominus totus occupor, non in imperando, aut dominando, ſed in miniſtrando; quantò magis vos qui eſtis meri miniſtri mei, in hoc ſolo debetis inſiſtere, & toti in miniſterium ad quod vos elegi incumbere? Ego autem in medio veſtrûm ſum, ſicut qui miniſtrat; Iam tandem ergo capite, vos inaniter de primatu inter vos, contendere, & decertare, qui omnes non ad dominandum, ſed ad miniſtrandum, & ſeruiendum à me electi eſtis, & ordinati. Nolite vocari Magiſtri, alias dixerat, vnus eſt enim Magiſter veſter, omnes autem vos fratres eſtis.* Quis igitur neſciat Chriſtum verè caput, ac Dominum fuiſſe Apoſtolorum? Quis neſciat eum ſumma in eos authoritate præditum fuiſſe? *Vos*, inquit, *vocatis me Magiſter & Domine, & bene dicitis, Sum etenim.* Igitur vt quadret exemplum oportet eos, quibus imitandus præponitur, dignitate quoque, & authoritate pollere, quod indicant illa verba, *Qui maior eſt inter vos, fiat ſicut minor*; à quorum ſenſu non recedunt illa, *Si quis vult primus eſſe, erit omnium nouiſſimus & miniſter*, vt nec illa, *Qui minor eſt inter vos omnes, hic maior eſt*, cùm ex illis id ſolùm habeatur, humilitatem in miniſtris Chriſti ſummopere commendari, ac præſtantiſſimæ dignitatis ſummum eſſe ornamentum. Hæc igitur dominatum, aut primatum non euertunt, ſed potius firmant, cùm etiam leges ponat Chriſtus, quibus rectè poſſit obiri, & ſanctè adminiſtrari.

Hieron. in Sopho. c. 3.

SPALAT. Num. 5.

Luc. 22.

Matth. 23.

Ioan. 13.

Eod.nu.5. Matth.23. At vrget Spalatensis dictum à Christo, *Nolite vocari Magistri*; *Alias*, inquit, *dixerat Christus, vnus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis*; *Nullus itaque Apostolus est reliquorum Apostolorum Magister, sed omnes sunt inter se fratres. Vbinam igitur Petri primatus, & superioritas inter Apostolos?* Sed hic locus Spalatensem iugulat, non enim officium aut dignitatem parentis, aut Magistri tollit, sed fastum & arrogantiam eliminat.

Hieron. in Matth. c. 23. v. 8. Audiat Hieronymum qui locum Commentario illustrat; *Nec Magister, nec Pater vocandus alius*, inquit, *nisi Deus Pater, & Dominus noster Iesus Christus. Pater quia ex ipso sunt omnia*; *Magister, quia per ipsum omnia, vel quoniam per dispensationem carnis eius, omnes reconciliati sumus Deo. Quæritur aduersum hoc præceptum, quomodo doctorem gentium Apostolus se esse dixerit; aut quomodo vulgato sermone, maximè in Palæstina, & Ægypti Monasteriis se inuicem Patres vocent. Quod sic soluitur*; *Aliud esse natura Patrem, vel Magistrum, aliud indulgentia. Nos si hominem Patrem vocamus, honorem ætati deferimus, non authorem nostræ ostendimus vitæ. Magister quoque dicitur, ex consortio veri Magistri. Et ne infinita replicem, quomodo vnus per naturam Deus, & vnus Filius non præiudicat cæteris, ne per adoptionem Dei vocentur & Filij*; *ita & vnus Pater, & Magister non præiudicat aliis vt abusiuè* (id est impropriè comparatione scilicet Dei) *appellentur Patres & Magistri.* Itaque sententia Hieronymi his verbis non damnantur, qui ex Christi indulgentia Patris, aut Magistri nomen vsurpant, sed qui, præterito Deo,

Maldon. ad illum locum. hunc sibi honorem vindicant. Rectè autem aduertit Doctissimus Maldonatus, Christum non prohibere Patrem, aut Magistrum, vel vocari, vel vocare, in terris absolutè, sed comparatè ad Deum, & ad Pharisæos, de quibus loquebatur. Ad Deum quidem, vt comparatione illius neminem putemus, neque Patrem, neque præceptorem esse posse, & ne istos honores, & amoris titulos illius honori amorique præferamus. Ad Pharisæos verò ne eo modo quo illi, id est ambitiosè, glorioseque aut præceptores, aut Patres appellemur, aliosue appellemus, vt illi appellabant, qui dicebant, *Ego quidem sum Pauli, Ego autem Apollo*, vt suo quisque Magistro gloriaretur. Et quidem non obscurè Paulus significat, & Patres, & Magistros esse in Ecclesia, Corinthiis scribens; *Si*, inquit, *decem millia Pædagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres*; *Nam in Christo Iesu per Euangelium ego vos genui*, nimirum aliis qui apud Corinthios Euangelium promulgarant, *Pædagogorum* honorificum nomen concedit; Se vero *Patrem* appellat, vt suam in eos charitatem, ac beneuolentiam prodat; Non igitur damnauit Christus nomen *Magistri aut Patris*, sed solùm supercilium Pharisæorum, à suæ Ecclesiæ Patribus, ac Magistris, abesse voluit: Similiter primatum non sustulit, sed ambitiosos spiritus discipulorum suorum, qui sceptra, coronas & thronos in Pompatico aliquo Messiæ regno, cogitarent, repressit, *Reges Gentium*, inquit, *dominantur eorum, vos autem non sic, sed qui maior est vestrûm, erit sicut minor.*

1. Cor. 3.

1. Cor. 4.

Spalat. Num. 6. Neque verò aliter hunc locum accipiunt Origenes, aut Bernardus, quos profert Spalatensis, vterque enim fastum illum regium damnat, sed neuter negat esse in Ecclesia veram prælationem, vt suo loco ostendemus.

Spalat. Num. 7. At instat Spalatensis, *Dicant mihi Monarchici, si apertè Dominus Petrum*

trum constituit, aut saltem designauit Monarcham Ecclesiæ, quando ei coram omnibus dixit, Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam: &, Tibi dabo claues regni cælorum, vt ipsi contendunt; Cur postea cogitant, & disputant, & inquirunt, & contendunt, quis ipsorum sit maior? Cur Ioannes & Iacobus petunt primas sedes apud Christum, si iam Petro datam, aut saltem promissam, & obligatam sciebant primam sedem? Cur indignantur decem, inter quos erat & Petrus, audita duorum fratrum petitione? &c. Matth.20. Respondemus sacræ Monarchiæ hosti, ac perduelli, etiam post promissa Ecclesiæ gubernacula Petro, adhuc de primatu contendisse Apostolos, quod scilicet insedisset eorum animis, totosque eos dementasset, opinio de regno temporali à Christo excitando, in quo se celsiores honores consecuturos arbitrarentur: Quare cùm se iturum Hierosolymam, ibique crucifigendum significaret, fidem illi non habebant; *Ignorabant*, inquit Lucas, *verbum istud, & erat reuelatum ante eos*, Græcè παρακεκαλυμμένον, id est, occultum: Cùm itaque rem omnium manifestissimam, & à seruatore suo toties inculcatam, & expressam minimè intelligerent, ac nihilò seciùs de primatu contenderent; haud mirum sit minus attendisse illos ad ea quæ circa Petrum gesta essent. Quod si hæc importuno aduersario non satisfaciant, vicissim dicat nobis, cùm toties ambitionem discipulorum repressserit Christus, adeoque significarit, nullos regios honores, in terris illis cogitandos; quid est quod rursus hanc litem mouerunt, & quod etiam in ipso procinctu mortis Christi, easdem turbas exciuerunt? Annon quod *animales essent*, nec mysteriorum vim, adhuc tenerent? Simili igitur errore, etsi meminisse poterant, Petrum à Christo designatum caput Ecclesiæ, illis verbis, *Tu es Petrus, &c.* tamen quod ambitioni suæ frena laxarent, nihil de eo cogitarunt, sed imperio cuidam pompatico inhiantes, ad id consequendum omnia studia sua contulerunt. Nihil igitur hic opus Baronium aduocare, cùm res per se clara sit, ac perspicua *Christum* scilicet *in Ecclesia sua, veram animarum præfecturam* constituisse, à qua tamen animum abduxissent Apostoli, vt regium quoddam solium sibi fingerent, ad cuius dextram aut sinistram in regno Christi federent, ac inde potentiam suam, & gloriam ostentarent. *Discipuli*, inquit Chrysostomus, *nondum spiritus gratia corroborati, facilè mouebantur* (vt omnibus locis à Spalatensi adductis, Matth. 17. & 20. Item Luc.) *gratia verò accepta tales non fuerunt, sed vbique Petro primatum præbent*: Vanissimum igitur hoc illorum somnium, omnibus locis quibus ad tollendum primatum Ecclesiasticum, abusus est Spalatensis, refellit Christus, sed tantùm abest ab euertendo illo principatu, vt ei *quem esset ad eum dignitatis gradum euecturus*, leges posuerit, eumque ad humilitatem, modestiam, & charitatem, informarit; *Qui maior est vestrûm*, inquit, *fiat sicut minor, & qui præcessor est, siue dux, siue rector, sicut ministrator.* Chrysost. hom. 51. in Matth. Luc.9. Matth.16. Luc.9. Οὔπω γὰρ τοῦτο πνεύματος ἐξαιρέτου. μετὰ γὰρ ταῦτα πολλοὶ πολλάκις. πανταχοῦ γὰρ τὸν ἡγούμενον παραχωροῦσι τῷ Πέτρῳ.

Hæc certè clarissimè ostendunt, quicquid deliret Spalatensis, primatum inter discipulos non solùm à Christo, non esse prohibitum & improbatum, sed omnino ab eo esse, & institutum, & commendatum. Spalat. Num.8.

Alias iam machinas admouet, &, vt ipse loquitur, *aliunde demonstrare* contendit, *in sacris scripturis Petrum nullum habuisse supra cæteros principatum*; *Occurrit mihi*, inquit, *ille Euangelij locus, vbi Christus inquit, Si* Spalat. Num.9. Matth.18.

[a] Chryſoſt. hom. 61. in Matth. Chryſ. ad c. 16. Matth. hom. 55. Ἀφ' ὧν μάθοι τὶς ἂν ἴδοι, τί, ἢ ἁμαρτήματα λῦσαι, καὶ τὸ ἀπειθοῦντα ἢ ἀκλησίαν ποιῆσαι ἐν τοσούτῳ κυμάτων ἰμείλῃ, ἢ ἄνθρωπον ἁλιέα πίστεως πόσης ἀπορῆται στρῶσαι τῆς οἰκουμένης πολεμούσης ἀπάσης, παῦσαι αὐτῷ ἐπαγγέλλεται δύσιν. καθάπερ ὁ πατὴρ περὶ τελευταίων διαλέγεται ἔλεγε. ὡς σὺλον χαλκοῦν, καὶ ὅσοι τεῖχος τίθημι αὐτόν. ἀλλ' ἐκεῖνον μὲν, ἐπὶ ἔθνει· τοῦτον δ' πανταχοῦ τῇ οἰκουμένῃ. οὐδὲν ἀφαιρεῖται τοὺς λοιποὺς βουλόμενος τὸν ἡγεμόνα τιμᾶν καὶ ἀξιοῦν.

[b] Chryſ. ho. 3. in Act. Εἰκότως περὶ τοῦ πρώτου τοῦ σχήματος ἀναστὰς. ἀτὶ δ' αὐτὸς πάντας ἰσχυρίζεται. SPALAT. Num. 10. Act. 6.

te non audierit, dic Eccleſiæ. Chryſoſtomus hoc loco nomine Eccleſiæ dicit, intelligi Præſules & Præſidentes ; Ergo præter Petrum erant alij Eccleſiæ Præſules & Præſidentes ; Ergo non ſolus Petrus ; puta Apoſtoli & Presbyteri, & de his omnibus ſimul ſumptis ſub nomine Eccleſiæ ſubinfert Chriſtus; Quæcunque alligaueritis, &c. & non dicit amplius ſoli Petro ibidem præſenti, imò cùm quo fortaſſe immediatè tunc loquebatur ; Quodcumque ligaueris, &c. Quis itaque non videt Petrum etiam à Chryſoſtomo, includi in numero Præſulum & Præſidentium, non verò præferri, nec præfici ? Andabatarum more pugnat Spalatenſis, quis enim vnquam Catholicorum Apoſtolos ex albo Præſulum eraſit ; quis pro veris paſtoribus Eccleſiæ non habuit, quis eis conceſſas claues à Chriſto iuit inficias ? At hæc non pugnant cum primatu Petri, quem in numero quidem Præſulum ponit Chryſoſtomus, ſed tanquam coryphæum, principem & caput, cui priuato quodam iure claues regni cœlorum, cum plenitudine poteſtatis ſunt traditæ : Ita ſanè ad Matth. Chryſoſtomus ; [a] *Nam quæ Deus concedere ſolus poteſt, peccatorum ſcilicet remiſſionem, & vt Eccleſia tot tantiſque fluctibus impetu irrumpentibus, immobilis maneat, & piſcator homo terrarum orbe reluctante adamantis naturam firmitate ſuperet, hæc inquam omnia quæ ſolius Dei ſunt, ſe pollicetur daturum. Ita & Pater ad Hieremiam dicebat : ſicut columnam ferream, & ſicut murum æneum poſui te ; ſed ipſum quidem genti vni Pater, tunc autem vniuerſo terrarum orbi Chriſtus præpoſuit.* Prætuliſſe autem Petrum reliquis, tam eſt clarum & apertum, vt in meridie cæcutiant, qui iſtud non vident ; Sic enim cùm de ſufficiendo collega in locum Iudæ differentem inducit; [b] *Merito*, inquit, *primus omnium authoritatem vſurpat in negotio, vt qui omnes habeat in manu.* Poſſemus alia ſexcenta teſtimonia, ex eodem facundiſſimo ſcriptore proferre. Itaque habemus Petrum ſcripturæ, & Patrum ſuffragiis, *Principem, & coryphæum Eccleſiæ.* Videndum eſt iam nobis, vtrum primatum aliquando in terris geſſerit ; Exercuiſſe enim negat, ac pernegat, Spalatenſis, iuratus veritatis hoſtis.

Primùm obiicit, *initio naſcentis Eccleſiæ Diaconos non à Petro ſolo, ſed ab omnibus Apoſtolis communicatō inter ſe concilio renunciatos. In diebus illis, habet diuina ſcriptura, creſcente numero diſcipulorum, factum eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim multitudinem diſcipulorum dixerunt ; Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres viros, ex vobis boni teſtimonij ſeptem plenos Spiritu ſancto & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus : Nos verò orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus. Et placuit ſermo coram omni multitudine, & elegerunt Stephanum virum plenum fide, & Spiritu ſancto, & Philippum, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum aduenam Antiochenum. Hos ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus.* Eſt hoc argumentandi genus portentoſum ; In renunciandis ſeptem Diaconis Petrus primatem non egit, ergo nuſquam egit ? Egit ſanè in ſuffectione noui Apoſtoli in locum Iudæ : Egit cùm primus de eliminandis legalibus inſtitutis, pronunciauit, cùm ſuam ſuorumque condiſcipulorum cauſam magna authoritate coram principibus Sacerdotum defendit;

Egit

Egit cùm diuinæ iræ fulmina in Ananiam, & Saphiram contorſit; Egit cùm Archihæreticum, & Principem Apoſtatarum Simonem, & damnauit, & extinxit; Egit, egit ſexcentis aliis locis, quorum fulgorem non obſcurarit Diaconorum inſtitutio, ab Apoſtolis communicato conſilio facta. Cæterùm ad argumentum reſponderat Cardinalis Bellarminus, id factum, vel *Petro authore*, vel *certè conſentiente*, *Conſentiente* non repugnat Spalatenſis, quippè vnus de duodecim erat Petrus, cuius proinde ſententia, vt & reliquorum expectari debuerit, *Authore* negat, *ariolarique* Cardinalem ait, *quod huius rei non meminerit Lucas in Actis*; Sed eum fugit ratio quandoquidem Lucas, nulla inuidia, præteriiſſe potuit, quæ à Petro eſſent in hac Diaconorum creatione peracta, quòd tam multa de illo ſcripſiſſet, ex quibus colligi poſſet, quis eſſet illi inter Apoſtolos locus; Et præterea potuit etiam Petrus collegio Apoſtolorum, hanc curam integram reliquiſſe, nec pluſquam ſuum ſuffragium contuliſſe, vt ſuam humilitatem omnibus approbaret: Et certè hoc ipſo ſenſu exiſtimauit Chryſoſtomus, eundem Petrum, cùm penes eum eſſet poteſtas ſufficiendi aliquem in locum Iudæ demortui, noluiſſe tamen id præſtare, *ne cui videretur gratificari*. Non eſt igitur quod ab Euangeliſtæ ſententia præſidium ducat: Equidem, vt rectè aduertit Bellarminus, officeret iſtud primatui Petri, ſi à Luca memoriæ mandatum eſſet, eo vel inuito, vel reluctante à reliquis Apoſtolis, renunciatos Diaconos; At nihil horum eſt à Luca dictum. Inſtat tamen Spalatenſis, *negatiuè ſaltem præiudicare primatui Petri textum Lucæ, quia eius teſtimonio cernimus actionem ad ipſius primatum pertinentem ab omnibus Apoſtolis fieri, & non à Petro ſolo: quam proculdubio ipſe ſolus feciſſet, & facere aut committere aliis debuiſſet, ſi ipſi ſoli totius Eccleſiæ regimen plenarium commiſſum fuiſſet; fuit enim illa vna ex maximè principalibus actionibus ad regimen Eccleſiæ pertinentibus; Hinc*, inquit, *colligimus Petrum ſolum toti Eccleſiæ non præfuiſſe*. Quaſi verò neceſſe ſit etiam in caſtigatiſſimis Monarchiis, omnia ab vno principe præſtari, & non plura vel auguſtiori conſilio, vel Senatui, vel aliis ſummis Magiſtratibus permittantur, de quibus edicant, decernant, ſtatuant? Sufficit nimirum illa omnia principi probari. Fortaſſe verò vrgebit haud ſolum Petrum manus impoſuiſſe Diaconis, ſed reliquos quoque Apoſtolos, coniunctis operis id quoque præſtitiſſe, verùm nec ex eo habebit pares fuiſſe, ſiquidem etiam cùm in Sacerdotij munus aliquem initiant Epiſcopi, Preſbyteri omnes quotquot adſunt manus ei vnâ cum Epiſcopo imponunt. Extat ea de re Canon Concilij Carthaginenſis, *Presbyter cùm ordinatur, Epiſcopo eum benedicente, & manum ſuper caput eius imponente, etiam omnes Presbyteri qui præſentes ſunt manus ſuas, iuxta manus Epiſcopi, ſuper caput illius teneant*; Qui mos etiamnum in Eccleſia durat. Peto igitur à Spalatenſi, vtrum cùm Archiepiſcopus ſacris aliquem initiaret, Preſbyteros qui ſuam operam coniungerent, ac cum eo manus imponerent, ſibi pares haberet? Itaque vt cum Petro reliqui manus Diaconis impoſuerint, non proinde æquales ei haberi poſſint. Poſſem addere & in baptiſmo, & in confirmatione, adeoque in ipſa delictorum expiatione, ac lapſorum reconciliatione poſt impoſitas ab Epiſcopo manus Preſbyteris, Diaconos, ac etiam Subdiaconos itidem manus impoſuiſſe, ac præeuntem Epiſcopum ſecutos fuiſſe. Sed hæc multiplicem & ſcrupuloſam habent diſputationem, nec ad hoc meum propoſitum pertinent.

Hom. 3. in Acta. Ἀλλ' ἵνα μὴ δόξω χαρίζεσθαι, τοῦτο οὐ φημί. Eod. nu. 10. in fin.

Conc. Carthag. 4. c. 3.

Secundò obiicit locum Actorum, *Cùm autem audiſſent Apoſtoli, qui erant*

SPALAT. Num. 11.

Act.8. *Hieroſolymis, quod recepiſſet Samaria verbum Dei, miſerunt ad eos Petrum & Ioannem.* Hoc argumentum ſi quid in eo ſit ponderis Arianorum dogma fulcit, qui Filium Patre minorem ex eo probare contendunt, quod à Patre mitti, paſſim in ſcriptura legatur; *Conuicti*, inquit Auguſtinus, *ad illud ſe conuertunt, vt dicant, maior eſt qui mittit, quàm qui mittitur, proinde maior eſt Pater Filio, quia Filius à Patre ſe miſſum aſſiduè commemorat:* Reſpondent autem Orthodoxi maiorem eſſe qui mittit, quàm qui mittitur, cùm qui mittit vel ex imperio mittit, vt pote maior, aut ex conſilio quippè ſapientior, Filium verò à Patre, nec ex imperio, nec ex conſilio, ſed conſpiranti & concordi voluntate mitti. Hinc facilè ſolui poterat argumentum Spalatenſis, ſed non ſuſtinet hic aduocari diuinas miſſiones; *Cùm ſimus*, inquit, *in humanis*, quaſi verò Ariani non ex humanis miſſionibus, hoc ſuum argumentum contexerent: Satisfaciamus tamen importuno aduerſario ex ordine rerum humanarum, prætermiſſis miſſionibus diuinis: Cùm altare excitaſſent ad tumulos Iordanis filij Ruben, & filij Manaſſe, de eis tollendis, ac delendis cogitauerunt reliquæ tribus Iſraël. Antequam autem bellum indicerent, *miſerunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari Sacerdotis* (ſummi ſcilicet) *& decem principes cum eo*, qui ſceleris atrocitatem eis ob oculos ponerent. Nunquid igitur ſententia Spalatenſis, turba illa & multitudo, maior fuit ſummo ſuo Pontifice, aut Tribuum principibus? Ille quidem aſſerere non audet; propterea hic *miſsionem*, non agnoſcit: *Hoc*, inquit, *non eſt mittere, ſed rogare*, & tamen *miſiſſe* filios Iſraël Phineem, & principes ſuos aſſerit ſcriptura, vtri credemus? Scripturæ an deſertori? At vt à libro Actorum Apoſtolicorum non recedamus, fideles Antiochiæ poſt excitatas turbas de legalium obſeruatione, *ſtatuerunt vt aſcenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex illis, ad Apoſtolos & Presbyteros in Hieruſalem, ſuper hac quæſtione.* Nunquid igitur fideles illi Paulo, aut Barnaba ſuperiores, vel etiam æquales erant? Eſt itaque quoddam miſſionis, genus quod precibus non imperio mittentis nitatur, quicquid in contrarium clamitet Spalatenſis.

Lib.2. de Trinit.c.5.

Vide S.Th. 1.p.q.45. art.1.

Ioſ.22.

Act.15.

SPALAT. Num.12. Act.15. Tertiò obiicit nobis hunc ipſum quem vrgemus locum; *Orta*, inquit, *grauiſſima quæſtione Eccleſiaſtica, num Circunciſio eſſet adhuc neceſſaria, illis præſertim qui ex gentibus ad Chriſti fidem conuertebantur, Paulus & Barnabas ſtatuerunt, vt aſcenderent ad Apoſtolos & Presbyteros in Hieruſalem ſuper hac quæſtione. Cur (quæſo) ad Apoſtolos & Presbyteros, & non ad Petrum? Si Petrus ſolus locum Chriſti propriè tenebat, ad ipſum erat confugiendum, & non ad Apoſtolos & Presbyteros. Quid tibi videtur (lector,) dum pro grauiſſima quæſtione recurritur ad Apoſtolos & Presbyteros, & non ad vnum quempiam, ſapit ne tibi hoc Monarchiam, an Ariſtocratiam? Si Chriſtus Monarchiam in ſua Eccleſia reliquit, cur illa Ariſtocraticè ab Apoſtolis & Presbyteris gubernatur? Sed videamus an fortaſſe ad Petrum ſolum peruenerint, & ab eo ſolutionem quæſtionis acceperint. Cùm autem, inquit Lucas, veniſſent Hieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & ab Apoſtolis & Presbyteris, ſiue ſenioribus.* Bis peccat in hoc argumento; Primùm quod exiſtimet, *non potuiſſe hanc quæſtionem ad Apoſtolos deferri, perſeuerante ſtatu Monarchico in ordine, & collegio Apoſtolorum;* Namque verbi gratia Regimen Gallorum, planè regium eſt, & Monarchicum, & tamen quis neſciat ſummi ponderis negotia, vel ad Senatum & Curiam, vel ad ſanctius Concilium, à quo

Digitized by Google

à quo plerumque etiam abſit Rex deferri, vt de his iudicium ſuum interponant. Secundò fallitur aut potius fallit, quod nulla Capitis aut Principis munia obiiſſe Petrum hac occaſione data arbitretur. Propoſita enim quæſtione, cùm magna conquiſitio fieret, ſurgens Petrus dixit ad eos; *Viri fratres vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire Gentes verbum Euangelij & credere. Et qui nouit corda Deus, teſtimonium perhibuit, dans illi Spiritum ſanctum ſicut & nobis, & nihil diſcreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum; quod neque patres noſtri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Ieſu Chriſti credimus ſaluari, quemadmodum & illi.* Hac ſiquidem oratione, Petri Primatus ſplendeſcit. Eius porrò tantam vim fuiſſe ſcribit Hieronymus, vt Petrum faciat decreti Apoſtolici authorem, *Tacuit omnis multitudo, & in ſententiam eius,* inquit Hieronymus, Iacobus Apoſtolus, *& omnes ſimul presbyteri tranſierunt.* Hoc diſſimulare non debuit, vt nec illud Theodoreti *Paulus præco veritatis, tuba ſanctiſſimi Spiritus ad magnum Petrum cucurrit, vt iis qui Antiochiæ de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo afferret ſolutionem.* Nam ex eis colligitur, vt egregij ſcripturæ interpretes aduertunt, in conſeſſu Apoſtolorum, ſiue ij conſulantur ſiue decernant, Collegas Petrum veluti ſui chori præſidem ac Coryphæum ſemper ſuſpexiſſe, cuius primæ partes eſſent in definiendis ac dirimendis, quæ occurrerent, controuerſiis. Etſi igitur Cyrillus Apoſtolis decretum quo legalia ſublata ſunt, & pax reddita Eccleſiis tribuat, Petrum nō excludit, quem Apoſtolorum Principem non ſemel agnoſcit. Hic verò facetus cauillator, & vrbanus ſcurra iocatur, quanquam illepidè, ſic enim de decreto Apoſtolorū ad Antiochenos per Paulum, Barnabam, Iudam, & Silam miſſum, *Cuius nomine,* inquit, *fuit expeditum illud Breue? an Petri, & ſub annulo Piſcatoris? Minimè verò. Audi. Scribentes per manus eorum Apoſtoli, & ſeniores fratres iis qui ſunt Antiochiæ & Syriæ & Ciliciæ fratribus ex Gentibus ſalutem:* Et paulò pòſt: *Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis.* Nos ſeriò reſpondemus nomine Concilij, datum, ac promulgatum, quo quæſtio adeo perplexa, & mille meandris implicita, communi Apoſtolorum Concilio, ſolueretur. Sed quorſum non eſt expreſſum nomen Petri, ſi modo ille cāput erat Apoſtolorum? Reſpondeo hunc ſemper morem obtinuiſſe in Eccleſia Dei, vt quæ ſolemnioribus Synodis eſſent conſtituta, nomine conſeſſus, non verò Pontificis, etiamſi illic ſuos legatos haberet, qui cœtui ſuo nomine præeſſent, ederentur, publicarentur, & populis proponerentur, vt nimirum conſenſus Eccleſiæ Antiſtitum, ab omni cauillatione remotior eſſet, & crederent omnes tergiuerſandi locum amplius non eſſe, quandoquidem de ea re iudicium ſuum interpoſuiſſent ſummates Eccleſiarum. Ita factum cenſe in conſeſſu Apoſtolorum.

In Act. Ap. c. 15. v. 7.

Ep. 11. inter Epiſtolas Auguſti. Theod. ep. ad Leon.

Quartò opponit nobis illam Pauli libertatem, qua in reprehendendo publicè Petro vſus eſt. *Maxima,* inquit, *illa Pauli libertas in reprehendendo publicè Petro, quod Gentes cogeret iudaizare mihi videtur, plurimum Petri primatui derogare. Veram enim & non ex compoſito ſimulatam vt voluit Hieronymus, fuiſſe illam reprehenſionem cum Cypriano, Auguſtino, & aliis plurimis admittit etiam Bellarminus. Et Hieronymus acerrimus in hac re contra Auguſtinum diſputator, victus fortaſſe momentis rationum, alias & ipſe videtur ſubſcripſiſſe. Ait enim, Digna pœnitentia (Oneſimus) maculas vitæ prioris abſterſit, in tantùm, vt is Apoſtolus conuerſionis eius teſtis fieret, qui quondam Petrum increpauerat,*

Spalat. Num. 13. Gal. 2.

Bell. li. 1. de Rom. Pōt. cap. 16.

Hier. in ep. ad Phil.

non recto pede in Euangelij veritate gradientem. Citra ambages ac circuitionem ſeriam fuiſſe, nec ſimulatam reprehenſionem à Paulo Petro factam, cum Auguſtino aſſeueramus, nec dubitamus Hieronymum, qui in contraria ſententia fuerit, palinodiam cecinisſe, vt ex tertio aduerſus Pelagianos dialogo ipſe colligit Auguſtinus, ep. ad Oceanum. Sed malè inde haberi putat Spalatenſis, Paulũ Petro proinde parem fuiſſe, aut ſuperiorem. Eſt enim quidem correctionis & reprehenſionis modus, qui etiam inferioribus permittatur, vt ſuperiores moneant, ac ab errore dehortentur; *Duplex eſt correctio*, inquit magnus Aquinas, cuius mentem rectè omninò expreſſit Becanus, *vna iuſtitiæ, quæ fit per inflictionem legitimæ pœnæ: Altera charitatis, quæ fit per fraternam correptionem. Prior conuenit ſolis prælatis, reſpectu ſubditorum, quia requirit iuriſdictionem quæ in ſolis Prælatis eſt. Poſterior conuenit tam ſubditis, quàm Prælatis, quia eſt actus charitatis, quæ ad omnes proximos, ſiue ſubditos ſe extendit. Tenemur enim omnes ex charitate diligere; ac proinde omnes peccantes corripere, ſeruatis iis circunſtantiis, quas charitas exigit. Non exigit autem charitas, vt eadem libertate & authoritate corripiamus Prælatos, quà ſubditos; Sed exigit, vt Prælatos cum reuerentia & ſubiectione: ſubditos cum manſuetudine & patientia, quantum fieri poteſt, obiurgemus.* Fuit igitur hæc reprehenſio Petri à Paulo *non ex authoritate*, ſed *ex libertate charitatis*, vt loquitur Auguſtinus, ſuſcepta, & inſtituta; vt proinde ex eo non habeatur Petro ſuperiorem fuiſſe, cùm proculdubio ſuperiores etiam ab inferioribus, & minoribus corrigi poſſint. At inſtat Spalatenſis, *Quomodo debitam ſeruauit Paulus reuerentiam erga ſupremum totius Eccleſiæ Caput, erga vnicum, verum, & proprium Chriſti Vicarium, erga illum ad cuius ſolius nutum Vniuerſa totius Eccleſiæ ſpectaret gubernatio, vbi palam in faciem ei reſiſtit, obiurgat, increpat? Eſto, errauerit, error tamen ſupremi Principis à ſubdito eius palam, & cum authoritate non reprehenditur; ſed vtendum eſt priuatis inſinuationibus cum magna prudentia & reuerentia. Ac ſanè ſi inter Paulum & Petrum non fuiſſet paritas, ſed Petrus fuiſſet totius Eccleſiæ Princeps, non video quomodo Paulus poſſet à magna imprudentia, & nimia audacia atque arrogantia imò & procacitate excuſari.* Eſt hæc obiectio ex penu impiiſſimi Porphyrij depromptа, qui teſte Hieronymo, *Pauli arguit procacitatem, quod Principem Apoſtolorum Petrum auſus eſt reprehendere, & arguere in faciem.* Reſpondemus autem Paulum nihil procaciter egiſſe, ſed periclitanti fidei ſumma prudentia, & citra contumeliam Petri ſubueniſſe, ac ſuppetias tuliſſe. Quod citra contumeliam Petri eum reprehenderit, vel ex eo ſuaderi poteſt, quod ipſe ad Timotheum ſcripſerit, *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt Patrem.* Atqui ſententia etiam Spalatenſis ſeniorem agnouit Petrum, non igitur eum procaciter arguit, aut vexauit; *Reſtitit tamen in faciem*, hoc eſt coram & in præſentia, nimirum quia periculum erat, ne pernicioſa ſimulatione ingens aliquod detrimentum fides acciperet. Rationem hanc in commentario reddit Auguſtinus: *Quod addit coram omnibus*, inquit, *neceſsitas coegit vt omnes illius obiurgatione ſanarentur: Non enim erat vtile errorem qui palam noceret in ſecretò emendare. Sciendum eſt enim*, inquit ſanctus doctor *quod vbi immineret periculum fidei, etiam publicè eſſent prælati à ſubditis arguendi. Vnde*, inquit, *& Paulus qui erat ſubditus Petro, propter imminens periculum ſcandali circa fidem publicè Petrum arguit.* Propterea etiam Auguſtinus Paulum à libertate charitatis, Petrum verò, à benigna pietate humanitatis, laudat. *Ipſe Petrus*, inquit, *quod à Paulo fiebat vtiliter libertate charitatis, ſancta ac benigna pietate humilitatis accepit. Atque ita rarius ac ſanctius*

Hieron. Dial. 1. cõt. Pelag. ca. 8.
Auguſt. ep. 260.
D. Tho. 2. 2. q. 33. ar. 4.
Aug. ep. 19. ad Hieron.
Eod. nu. 13.
In epiſt. ad Gal. & ep. 89.
1. Tim. 5.
Aug. in ep. ad Gal.
S. Tho. 2. 2. q. 33. art. 4. ad 1.
Aug. ep. 19. ad Hieron.

Digitized by Google

exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur, si cubi forte recti tramitem reliquissent, etiam à posterioribus corrigi; quàm Paulus, quo confidenter auderent, etiam minores maioribus, pro defendenda Euangelica veritate, salua fraterna charitate, resistere. Insuper illud in Petro laudat ac miratur, quod liberam Pauli reprehensionem, tanta mansuetudine, & humanitate acceperit, quanta pastorem Ecclesiæ decuit, nec dubitat asseuerare fuisse Petrum obiurgatore suo mirabiliorem, & ad imitandum difficiliorem, quòd *scilicet multo mirabilius sit & laudabilius vtiliter accipere corrigentem, quàm audacter corrigere deuiantem.* Humilitatis ergo laudem consecutus est Petrus, vt sanctæ libertatis Paulus, qui tamen ab omni procacitate abfuerit. Eidem ep.

Tibias iam inflat Spalatensis, ac grandius quiddam spirat. *Sed ex alia etiam causa*, inquit, *reprehensio hæc à Paulo facta Primatui Petri obest plurimùm. Iste ne est ille Petrus, id est, illa Petra super quam fundanda erat Ecclesia, cui soli volunt Monarchici post Christum inniti totum Ecclesiæ ædificium; nunc verò factum ruinosum fundamentum, non ambulat rectè ad veritatem Euangelij? Destruebat profectò, si Paulo credimus, non ædificabat Ecclesiam, dum gentes ad fidem venientes iudaizare compellebat. Ex quo & conuersis Christus nihil proderat: & conuertendi à conuersione absterrebantur, nimia legalium austeritate. Hic ne ille Petrus, cui commissa dicitur cura vel ipsorũ Apostolorum verbis illis Christi: Confirma fratres: Nunc verò iam post susceptum plenè principatũ, ipse eget confirmatione, correptione, & instructione à nouissimo Apostolorum? Decipiebant nos igitur illi, qui ad Petri personam nos docebant illa Christi verba spectare: Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam; & portas inferi aduersus hanc Petram, quæ sit Petrus, non præualituras. Et benè dicebat Augustinus, (quod sæpè, sed nunquam satis à me inculcatur.) Nihil illustre dari Petro in ipsius persona, nisi id ad totam Ecclesiam referatur. Sed & de hoc rursum erit nobis lib. 7. agendum.* Non potuit aut odiosius aut insolentius hic Petri lapsus exagitari. Itaque iudicio Spalatensis tam atrox fuit eius scelus, vt hoc facto ostenderit eas laudes quibus in Euangelio esset ornatus, ad se minimè pertinere. Apage hanc bestiam, montem contingentem ac inquinantem. Erasse Petrum cum Augustino sentimus, & ex composito ac simulatè fuisse hanc disceptationem institutam negamus, nec nos mouent quæ sunt in contrarium aut à Baronio, aut etiam à Hieronymo disputata; Sed cum errorem leuiorem fuisse, quàm qui Principem Apostolorum sua dignitate spoliarit, aut nudarit, constantissimè asseueramus. In fide certè nullo modo errauit. Rectè omninò Tertullianus. *Cæterùm si reprehensus est Petrus, quod cùm conuixisset Ethnicis, postea se à conuictu eorum separabat personarum respectu, Vtique* CONVERSATIONIS *fuit vitium non* PRÆDICATIONIS. Quòd igitur tum de Petro, tum de assectis Petri scripsit Paulus, *non rectè eos ambulasse ad veritatem Euangelij*, eo minimè trahendum est vt putemus Petrum in dogmate fidei erasse, proculdubio enim idem sentiebat quod Paulus, & tantùm imprudentia facti lapsus est; quoniam simulatione sua præbuit, noxij erroris occasionem, gentibus; nam cùm lege neglecta promiscuè cum illis ediisset, *priusquam venissent quidam à Iacobo, sub aduentum illorum qui æmulatores essent legis, subduxit se à conuiuiis & mensis gentilium*, quo facto facilè multis persuasit legis obseruatione Christianos teneri, cum nimirum tantus Apostolus eam sibi obseruandam duceret. Nocuit igitur Petrus non tam vicio suo, quam exemplo. Nam quod ad factum ipsum attinet obseruatio legalium, citra quidem opinionem neces- SPALAT. Num. 14. SPALAT. Nu. 15. 16. 17. 18. contra Baronium. De præscr. cap. 23. Gal. 2.

ſitatis, peccatum tunc temporis non fuit; Namque ipſe Paulus pari cum Petro,
Act. 18. Act. 16. ſimulatione aliquando vſus Timotheum circuncidit, & *caput ex voto ſibi totondit.* Verùm in eo, Petri culpa fuit, quod cùm Paulus prudentiſſimè, & citra ſcandalum iſta admiſiſſet, ille contra per ſummam imprudentiam legi indulſit, cùm minimè oporteret, propterea quod ex ipſius facto prona eſſet occaſio gentibus declinandi ab Euangelica veritate. Hoc Paulus vocat *non iuſtè ambulare*, Græcè ὀρθοποδοῦν, *non recto pede incedere ad veritatem Euangelij.* Deſinat igitur hic nugator quærere, *Hic ne ille eſt Petrus, cui commiſſa dicitur cura vel ipſorum Apoſtolorum, ſuper quem ædificatam Eccleſiam dicunt?* Humanus hic lapſus prærogatiuas Petri non euertit, neque vberiores illæ gratiæ quibus à Deo perfuſus eſt eum, propterea ἁμάρτητον faciunt; Peccauit, ſed errore veniabili. Moyſem populi Iſraëlitici ducem Aaronem ſummum Synagogæ Pontificem, quis neſciat grauius deliquiſſe! An verò propterea Magiſtratu exciderunt? Cæterùm tantum abſunt à Petro lacerando Cyprianus & Auguſtinus, quos profert Spa-
Num. 19. & 20. latenſis, vt cùm vterque lapſum Petrum dicat, ambo eius *modeſtiam, charitatem & patientiam* demirentur, ac laudibus in cœlum ferãt, qui nil cõmotus tam graui tamque ſeria, poſterioris Apoſtolorum, obiurgatione, æquo animo eam tulerit, nec ſe, authoritate ſua, defenderit. Cyprianus quidem hunc in modum lo-
Cyp. ep. 71. ad Quintum. quitur, *Non eſt*, inquit, *de conſuetudine præſcribendum, ſed ratione vincendum, nam nec Petrus quem primùm Dominus, elegit & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum Paulus de circunciſione poſtmodum diſceptaret, vindicauit ſibi aliquid inſolenter, aut arroganter præſumpſit, vt diceret ſe Primatum tenere, & obtemperari ſibi à nouellis & poſteris ſibi potiùs oportere. Nec deſpexit Paulum quod Eccleſiæ prius perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis admiſit, & rationi legitimæ quam Paulus vindicabat facilè conſenſit, documentum ſcilicet nobis, & concordiæ & patientiæ tribuens, vt non pertinaciter noſtra amemus, ſed quæ aliquando à fratribus & collegis noſtris vtiliter, & ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera & legitima, ipſa potius noſtra ducamus.* En præclaræ vocis teſtimonium quod in-
Eod. nu. 19. quinaſſe tentarat Spalatenſis; *Obſerua*, inquit, *obſecro lector Petrum circunciſionem gentibus neceſſariam cenſuiſſe*; O ſceleſtum os! Quid ergo ſibi volunt
Act. 15. illa Petri verba in Concilio Apoſtolorum: *Nunc quid tentatis Deum imponere iugum ſuper ceruices diſcipulorum, quod neque Patres noſtri, neque nos portare potuimus, ſed per gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti credimus ſaluari quemadmodum & illi?* Diſceptatio igitur quam Petro hîc cum Paulo fuiſſe aſſerit Cyprianus, ex eo nata erat, quod cùm paria ſentirent, facto tamen & exemplo à communi doctrina recederet Petrus, inuecta periculoſa ſimulatione, quæ gentilibus
Aug. li. 1. de bapt. cont. Donat. c. 1. occaſio eſſet erroris; Propterea Auguſtinus Cyprianũ illuſtrans. De *Circunciſione agere* (non docere) *ſolitum Petrũ aliter quàm veritas poſtularet* refert; Siccine verò propugnandam ſuſceperat Circumciſionem, qui totam illam molem cæremoniarum lege præceptarum *iugum importabile*, & Chriſtianis excutiendum vocat,
Hier. ep. 89. vt ſe ſola gratia Chriſti ſaluari agnoſcant? Certè Hieronymus ex Scriptura docet ante ſuſceptam illam diſputationem *Apoſtolum Paulum, non ignoraſſe Petrum Principem huius decreti*, LEGEM POST EVANGELIVM NON ESSE SERVANDAM.
Ep. ad Hier. Auguſtinus quoque clariſſimè hac de re perſcripſit Hieronymo. *Neque enim*, inquit, *negamus in hac ſententia fuiſſe iam Petrum, in qua & Paulus fuit; Non itaque tunc eum quid in ea re verum eſſet, docebat, ſed eius ſimulationem, qua gentes iu-*
Apud Hier. epiſt. 89. *daizare cogebãtur*, nimirum vt habet idem Auguſtinus apud Hieronymum, *non docentis imperio, ſed conuerſationis eius exemplo arguebat.* Obſeruandum ſecundò

Digitized by Google

monet Spalatenſis, *Petrum quippe reum reprehenſionem patienter tuliſſe*, id verò haud citra honoris præfationem profert Cyprianus. *Nam nec Petrus*, inquit, *quem primùm Dominus elegit, & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam*, (audiſne iſta?) *vindicauit ſibi aliquid inſolenter aut arroganter præſumpſit, vt diceret ſe Primatum tenere, &c.* Hæc enim idcircò in medium adduxit, vt illuſtriorem redderet patientiam Petri, qui cùm inter Apoſtolos ea dignitatis prærogatiua effulgeret, vt eſſet ſuper eum ædificata Eccleſia, & Primatum teneret, abſtinuerit tamen ab omni Primatus ſui oſtentatione & inani iactatione, ac collegæ rectà monenti acquieuerit; ſi autem nec ſupra Petrum ædificata fuit Eccleſia, nec ipſe Primatum tenuit, qui potuit iudicio Cypriani habere ſe aduerſus Paulũ inſolentius, ac ſuæ dignitatis oſtentatione, eius depellere reprehenſionẽ? Hoc itaque *ſummæ patientiæ & humilitatis* propoſito exemplo, Collegas ſuos Cyprianus hortatur, vt Principis Apoſtolorum imitarentur modeſtiam, vt quemadmodum ipſe cùm primus eſſet, Primatum tamen inſolenter non iactitaſſet, neque Paulum meliora afferentem ſpreuiſſet, ſic nec ipſi ſuam ſententiam, ita mordicus retinerent, vt alios præ ſe contemnerent. Cæterùm Primatum Petri adeoque Eccleſiæ Romanæ agnouiſſe Cyprianum ſupra fuſè oſtendimus. Tertiò in Cypriano obſeruandum cenſet Spalatenſis eius ſententia, *Petrum fuiſſe errori obnoxium, quem ſi admonitus defendiſſet, pertinacem futurum fuiſſe.* Hîc diſtinguendum illi fuit de errore, ſi enim de errore in fide aut de lapſu lethali illi ſermo eſt, proculdubiò à Cypriano & à tota Theologorum Schola recedit, ſi de errore aliquo veniabili in quem, non ſatis prudenter in re perplexa libratis & penſitatis omnibus circonſtantiis, incurrere potuerit, admittimus. Nam vt rectè monet doctor S. *Licet Spiritus ſanctus in Apoſtolos deſcendens in Pentecoſte, eos deinceps confirmauerit in prudentia & gratia, vt euitarent omnia peccata mortalia, non tamen vt omnia venialia effugerent.* Addo verò Petrum à Spiritu ſancto illuſtratum non potuiſſe pertinaciter, tanquam ad ſcopulum adhæreſcere, ad illum ſuum errorem quanquam veniabilem; Non enim id patiebatur vbertas illa gratiarum, quæ in eum ſacro die Pentecoſtes exundarat. Quartò monet obſeruandum in Cypriano *Paulum fuiſſe fratrem & Collegam Petri*; Sed quis vnquam de eo dubitauit? An non Apoſtolus fuit Paulus eidem ſcilicet, cum Petro collegio addictus? Ergo & *frater* & *collega* fuit Petri. Cæterùm quod attinet ad nomen *fratris* Petrus prima illa ſua ad fideles concione, haud ſolos Apoſtolos, ſed & reliquos diſcipulos pro ſumma ſua in omnes charitate, proque magni Apoſtoli moderatione fratres vocat, *Viri fratres*, inquit, & tamen credo omnes diſcipulos Petro pares non faceret Spalatenſis. Sed & Chriſtus, *Non confunditur fratres eos vocare dicens, Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* Quis ergo mortales homines ei æquauerit? Certè commentarius qui Ambroſij nomine præfertur, Theodoretus & Chryſoſtomus obſeruant verbo illo non *Confunditur* non *Erubeſcit*, diuinam perſonam atque naturam obſcurè indicari, vt ſignificare voluerit Apoſtolus Chriſtum cùm Deus eſſet, ac totius mundi conditor, adeò tamen ſe deieciſſe noſtra mortalitate ſuſcepta, vt haud quaquam erubuerit homines fratres ſuos vocare. Quod vt rectè aduertit Commentarius Ambroſio aſcriptus, non naturæ, ſed benignitati & humilitati tribuendum eſt; Propterea etiam *primogenitus in multis fratribus*, appellatur, quo eius ſupra reliquos dignitas, eminentia, ac præſtantia, indicatur. *Fratris* igitur nomen æqualitatem non inducit. Namque etiam cùm de conſtituendo aliquando Rege in

Cypr. ad Quintum.

Ad c. 2. ep. ad Galat.

Heb. 2. 11.

Ad Hebr. cap. 2. ἐπαισχύνεται.

Deut.17. Iſraël ageret Deus, hoc vnum addidit, *Nec eleuetur cor eius in ſuperbiam ſuper fratres ſuos*, cùm tamen nemo dubitet Regem celſiore loco,& authoritate ſemper fuiſſe quàm fuerit reliqua plebs. Et quidem Eraſmus rectè notauit nomine fratris æqualitatem poteſtatis inter Epiſcopos non ſignificari,ſed ſocietatem *Miniſterij*,ac etiam *doctrinæ*. Quod verò ad *Collegæ* nomen attinet,nec ipſum æqualitatem inducit inter eos qui Collegæ dicuntur ; Certè vt à Collegis Cypriani non recedamus Concilio Africano omnes Epiſcopi , Aurelij Carthaginenſis Antiſtitis ac Africæ Primatis *Collegæ* vocantur,& tamen nullus niſi rerum Eccleſiaſticarum valdè rudis neſcit, tantam fuiſſe eius Primatus ſuprà reliquos eminentiam, vt nec Epiſcopis nec ipſis Primatibus Numidiæ & Mauritaniæ licuerit, aliquid illo inconſulto agere, vt eſt Canonibus eiuſdem Concilij ſancitum. Memini etiam preſbyteros Epiſcoporum *Collegas* dictos Concilio Carthaginenſi quarto, neque tamen induci poteſt Spalatenſis, vt credat preſbyteros Epiſcopis pares eſſe. Deſinat ergo ex verbo Collegæ æqualitatem colligere: Sed vt ad Petrum & Paulum reuertamur, diximus Collegas omninò fuiſſe ratione Apoſtolatus, ſed in regenda Eccleſia Paulum faſces ſummiſiſſe Petro, cui paſcendas oues ſuas, altiori quodam iure, commendaſſet Chriſtus. Rem exemplo faciemus illuſtriorem. Sæculo Auguſti cùm penes eum rerum ſumma eſſet, ſæpè in gerendo conſulatu Collegas habuit Senatores Romanos. Erant illi Auguſti in conſulatu collegæ ; At Imperij dignitate pares non erant, quando is præter Conſulatus honores Imperator aut mitiore vocabulo Princeps quoque audiret. Ad hunc igitur modum Paulus Collegio Apoſtolorum adſcriptus proculdubio Petri hoc nomine collega fuit, ſed alia ratione collega non fuit, quia vni Petro Eccleſiæ gubernacula,pro authoritate capitis,tractanda tradidit Chriſtus. Abeunt igitur in fumos quæcunque ex huius nominis communione collegit Spalatenſis, vt Primatum Petri violaret.

Conc. Afric.c.11.22. & 31.

Can. 20.

Conc. Carth. 4. cap.25.

SPALAT. Num. 10. Lib. 2. de bapt. cont. Donat. c.1.

Nunc nobis audiendus eſt Auguſtinus, & à ſordibus quibus eum inquinauit Spalatenſis repurgandus ; Auguſtinus igitur cùm ab his qui baptiſmum ab hæreticis collatum ne nauci quidem facerent, & contra receptam doctrinam damnarent, authoritate Cypriani, premi ſe videret, non tam vt Cypriani authoritatē eleuaret quàm vt obſtinatiſſimos aduerſarios frangeret, ſic de ea eſt loquutus. *Non me terret authoritas Cypriani, quia reficit humilitas Cypriani. Magnum quidem meritum nouimus Cypriani Epiſcopi & Martyris,ſed nunquid maius quàm Petri Apoſtoli & Martyris? De quo idem Cyprianus in Epiſtola ad Quintum ita loquitur. Nam nec Petrus*,inquit, *quem primum Dominus elegit , & ſuper quem ædificauit Eccleſiam ſuam, cùm ſecum Paulus de circunciſione diſceptaret,poſtmodum vendicauit,ſibi aliquid violenter aut arroganter aſſumpſit,vt diceret ſe Primatum tenere,&c.Ecce*,inquit, *vbi commemorat Cyprianus,quod nos etiam in ſcripturis ſanctis didicimus,Apoſtolum Petrum*, IN QVO PRIMATVS APOSTOLORVM TAM EXCELLENTI GRATIA PRÆEMINET (audiſne Spalatenſis?) *aliter quàm veritas poſtulabat de Circunciſione agere ſolitum , à poſteriore Apoſtolo Paulo eſſe correctum. Si ergo potuit Petrus contra veritatis regulam quam poſteà Eccleſia tenuit cogere Gentes iudaizare, cur non potuit Cyprianus, &c.* Ex his verbis primùm colligit Spalatenſis; *Paulo cum Petro de Circumciſione certamen fuiſſe*,adeoque *Paulum pro veritate , Petrum verò pro errore grauiſſimo pugnaſſe* , quod teſte eodem Auguſtino , *ſi quiſquam nunc cogat circuncidi aliquem more Iudaico,& ſic baptizari , multò amplius deteſtetur hoc genus humanum quàm ſi aliquis cogatur rebaptizari.* Sed errorem ex errore nectit ipſe Spalatenſis ; Diſceptationem Pauli

cum Petro de Circunciſione fuiſſe nullus inficiatur, ſed Petrum aliud docuiſſe quàm Paulum Auguſtinus non docet, tantummodo innuit quod Scriptura quoque tradit *egiſſe eum aliquid aliter quàm veritas Euangelij poſtularet*, ſiquidē ſubduxit ſeà menſis gentilium, ne Iudæos offenderet. Verba Auguſtini ſunt. *In Scripturis ſanctis didicimus Apoſtolum Petrum, in quo Primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet, aliter quàm veritas poſtulat de Circunciſione agere ſolitum, à poſteriori Apoſtolo Paulo eſſe correctum.* Idem Auguſtinus alibi adueꝛſus Hieronymum diſputans, ac Petrum proculdubiò peccaſſe contendens, etiam eius peccatum facti fuiſſe, non doctrinæ, non obſcurè docet. *At enim*, inquit Hieronymum refellens, qui ex compoſito & citra culpam Petrum à Paulo reprehenſum ſcripſiſſet, *ſatius eſt credere Apoſtolum Paulum aliquid verè non ſcripſiſſe, quàm Apoſtolum Petrum non rectè aliquid egiſſe; Hoc ſi ita eſt dicamus, quod abſit, ſatius eſſe credere mentiri Euangelium, quàm negatum à Petro Chriſtum.* Vides vt ſapientiſſimus Pater dicat Petrum *non rectè aliquid egiſſe*, minimè verò *non rectè aliquid docuiſſe*. Perpetuò etiam eadem epiſtola inculcat, non *feciſſe Petrum quod facere debuit*, ſed nuſquam eo rem trahit, vt dicat *aliter docuiſſe quàm debuerit*. Itaque nec Auguſtino nec Cypriano venit in mentem, Petrum contra Pauli doctrinam docuiſſe Circunciſionem eſſe obſeruandam, ſed dumtaxat aliquid egiſſe, quod tum Pauli tum ſuam de legalium ceſſatione doctrinam euerteret. Itaque, vt obſeruabamus ex Tertulliano, vitium illud fuit *conuerſationis*, non *prædicationis*. Neque Spalatenſis vel verbum vnum proferre poteſt, quod Petro exciderit ad inceſſendam doctrinam Pauli de Circunciſionis abrogatione, & legalium ceſſatione. Solo ſcilicet exemplo peccauit, ſubducens ſeà menſis Gentilium, vt ſuis contribulibus gratificaretur. Quod verò vt inuidia oneret Petrum vrget ex Auguſtino, tantó Patri tam grande nefas videri illam de obſeruatione circunciſionis doctrinam, *vt minore loco Anabaptiſmum habeat*, inſcitiam eius prodit: Neque enim Auguſtinus vel per ſomnium cogitauit ſæculo Apoſtolorum, quo ea diſceptatio exorta ſit, horribilius fuiſſe flagitium circuncidiſſe hominem baptizatum, quàm eum rebaptizaſſe: Loquitur enim de ſuo ſæculo Auguſtinus; *Si quiſquam*, inquit, *nunc* (nunc) *cogat circuncidi aliquem more Iudaïco, & ſic baptizari, multò amplius deteſtatur hoc genus humanum, quàm ſi aliquis cogatur rebaptizari. Qua propter cùm Petrus illud faciens à Paulo poſteriore corrigitur, & pacis atque vnitatis vinculo cuſtodito ad martyrium prouehitur, &c.* Quod vt plenius intelligatur, ſciendum eſt Auguſtinum in grauiſſima illa quæſtione de qua cum Hieronymo illi res fuit, docuiſſe, legis illas moroſas obſeruationes, vt vocat Tertullianus, ſub tempus quidem paſſionis Chriſti, nullos amplius obligaſſe; quod moriente Chriſto interierit etiam totus ille vmbratilis cultus. Legalia igitur inſtituta tunc quidem mortua agnoſcit, ſed eorum obſeruationem (citra opinionem neceſſitatis) haud damnat ante ſufficientem Euangelij promulgationem, cui cùm eſt cumulatiſſimè ſatisfactum, *mortifera*, vt ille quidem loquitur, fuiſſe cenſet. Igitur tantùm abeſt vt ſæculo Petri earum obſeruationem perniciem animabus attuliſſe docuerit, vt etiam crediderit Apoſtolos, & in his Paulum illa ſeruaſſe (citra tamen opinionem neceſſitatis) ad commendationem, *vt non tanquam deteſtanda, & ſimilia Idololatriæ, vitarentur*. Cùm igitur Circunciſionis obſeruationem, deteſtandū crimen facit, de ſuo tempore loquitur, atque de poſterioribus ſæculis,

Aug. ep. 117. inter ep. Hier.

In Spal. nu. 20.

quibus opera Apoſtolorum & diſcipulorum eſſet ſufficientiſſimè promulgatum Euangelium; quod quia non vidit Spalatenſis, eum parum æquum cenſorem Petri, nobis dedit. Aliud iam molitur. *In his Auguſtini dictis*, inquit, *præterquàm quod confirmat & ipſe de Circunciſione fuiſſe etiam tunc illam diſſenſionem; illud potißimum etiam vellem obſeruari, Auguſtinum ſicut & Cyprianum inter Paulum & Petrum nullam aliam maiorem diſtantiam reperiſſe, niſi quod Petrus eſſet prior, Paulus poſterior nempè tempore in Apoſtolatu. Ac de hoc Petri errore multis aliis in locis agit Auguſtinus; præſertim libro quarto, &c.* Reſpondeo etſi Auguſtinus & Cyprianus hanc ſolùm diſtantiam, vt loquitur Spalatenſis, inter Petrum & Paulum in hac diſputatione obſeruaſſent, quod ille prior, iſte poſterior tempore in Apoſtolatu eſſet, id feciſſent quod dignitas Apoſtolorum nullum aliud diſcrimen inter eos admitteret; quâ Apoſtoli enim omninò pares authoritate erant, ſed præter Apoſtolatus dignitatem elucebat in Petro dignitas Capitis, quæ aduentitium quiddam eſt ad Apoſtolatum. Sed certè non fecerunt, nam vterque aliud diſcrimen inter ſummos Apoſtolos ponit quàm temporis & vocationis: Namque Cyprianus *Dominum ſupra Petrum ædificaſſe Eccleſiam* obſeruat, & Auguſtinus in eo *excellenti gratia præeminere Primatũ Apoſtolorum* ſcribit, quæ duo ad dignitatem Capitis pertinent. Sed expendantur illa Auguſtini verba, quæ Spalatenſis ſibi præteruolanda duxit. *Puto quod ſine vlla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quantum attinet ad Martyrum coronam. Cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus ſim; Quis enim neſcit illum Apoſtolatus Principatum* (qui ſcilicet in Petro effulſerit) *cuilibet Epiſcopatui eſſe præferendum?* An non in his effulget Principatus Petri, qui ad annorum ſeriem, aut ad ordinem vocationis, referri non poſſit? Hæc vera eſt & germana tum Cypriani tum Auguſtini ſententia, à qua immane quàm aberrauit Spalatenſis odio Pontificis in partes hæreticorum abreptus. Simili inſania Macarium Ægyptium, Gloſſam interlinearem, Gelaſium & Gregorium Romanos Pontifices in ſuam ſententiã pertrahere nititur; Quòd verò in Petri facto errorem agnouiſſe eos ait, *de errore conuerſationis* concedimus, de errore *prædicationis* negamus. Sed præterea in Gloſſæ & Ambroſij teſtimonio aliud obſeruat, nimirum parem eos feciſſe Paulum Petro, qua de re etiam prolixius in ſequentibus diſputat. Igitur vrget verba Gloſſæ ad locum Pauli, *In faciem ei reſtiti nimirum Petro*, *Gloßa*, inquit, *interlinearis ad illa verba hanc continet explicationem, quod non auderet niſi ſe non imparem ſentiret; Quæ verba Gratianus tribuit Hieronymo hoc pacto; Paulus Petrum reprehendit, quod non auderet, niſi ſe non imparem ſciret.* Tuam verò fidem Spalatenſis vel titulus Canonis te docere potuit, non de *paritate dignitatis*, ſed *ſanctitatis*, intellexiſſe Gratianum. Ita enim habet. *Maiores & minores non dignitate, ſed vita, intelligi oportet.* Accedit & eiuſdem interpretatio. *Hoc*, inquit, *non de officio Eccleſiaſticæ dignitatis*; ſed *de puritate vitæ & ſanctitate conuerſationis intelligitur*; *Solus enim Petrus inter Apoſtolos primatum gerebat*; Quam ſuam interpretationem firmat duobus Auguſtini teſtimoniis: Priore quo *ſecundum honorum vocabula, quæ iam in Eccleſia obtinerent, ſe maiorem Hieronymo dicit, quod Epiſcopus eſſet, minorem verò in multis, hoc eſt in ſanctitate vitæ*, in qua modeſtiſſimus Antiſtes ſe con-

Spalat. Num. 20.

Spalat. Num. 21.

2.q.7. cap. Paulus.

ſe concedere Hieronymo aſſeueraret; Altero quo Cyprianum Petro *martyrio æqualem* facit, *inferiorem verò poteſtate.* Senſus igitur Gloſſæ (nec enim in Hieronymo illa verba habentur) hic eſt: Paulus non auderet Petrum reprehendere, niſi ſe non imparem ſciret, *innocentia ſcilicet vitæ*, quia *omni vitio carere debet, qui in alium paratus eſt dicere*, ſed parem poteſtate fuiſſe neceſſe omnino non fuit, quia etiam, vt verè docet Theologorum Schola, ab inferioribus moneri poſſunt ſuperiores, maximè cùm fidei ex eorum erratis aliquod ingruit periculum. Sed præſidium iam ducit ab Ambroſio Spalatenſis, *Quis eorum*, inquit Ambroſius, *auderet Petro primo Apoſtolo, cui claues regni cælorum Dominus dedit reſiſtere, niſi alius talis qui fiducia erectionis ſuæ ſciens, ſe non imparem conſtanter improbaret, quod ille ſine conſilio fecerat? Ergo*, inquit Spalatenſis, *vera fuit reprehenſio de vero errore, & Paulus id non feciſſet, ſi Petrum ſupremum Eccleſiæ Monarcham agnouiſſet, ſed quia parem nouerat palam obiurgat.* Hic rurſus tuam fidem Spalatenſis. Ambroſius enim ille tuus haud obſcurè præfert Petrum non ſolùm Paulo, ſed etiam omnibus Apoſtolis, quod quidem attinet ad dignitatem & iuriſdictionem, quæ duo his verbis ſignificantur. *Petro primo Apoſtolo, cui claues regni cælorum Dominus dedit*; Atque cùm poſtea Paulum non imparem dicit, *ad meritum electionis reſpicit. Qui, inquit, fiducia electionis ſuæ ſciret ſe eſſe non imparem*, quod inſinuarat quoque Paulus initio Epiſtolæ ad Galatas. *Paulus*, inquit, *Apoſtolus non ab hominibus, neque per homines, ſed per Ieſum Chriſtum*, quod nimirum ſicut Petrus immediatè à Chriſto renunciatus eſſet Apoſtolus, ita quoque eundem honorem immediatè à Chriſto eoque glorioſo, nactus eſſet Paulus. Tantùm autem abeſt, vt quod vult Spalatenſis, Paulum ab obiurgando Petro deterrere potuerit Petri magnitudo, aut ſumma poteſtas, vt hanc quoque ei ſtimulos, ad Petrum coarguendum, addidiſſe crediderit ille Ambroſius. *Ideò*, inquit, *in ſolum Petrum inuehitur, vt in eo qui primus eſt diſcant cæteri.*

Amb. in ep. ad Gal. c. 2.

Amb. ad c. 2. ep. ad Galat.

Gelaſij verba iam expendamus: *Gelaſius*, inquit, *Romanus Pontifex, antequam ſibi Eccleſia Romana ſupremam Monarchiam adſcriberet, ita loquitur; Sanctus Petrus primus Apoſtolorum, ſic exiſtimans noui teſtamenti gratiam prædicandam, vt à legis veteris non recederet inſtitutis, quædam per ſimulationem legitur inter Iudæos Gentilésque geſſiſſe. Numquid ideò aut illa eius ſequenda ſunt, quæ meritò, & coapoſtolus eius facta redarguit, & poſteà conſequenter ipſe vitauit, paritérque aſſumenda ſunt cum his, quæ (vt potè primus Apoſtolus) ſalubria prædicauit? Nunquid nam aut eius recta doctrina, cum his quæ humanitus acciderant repudianda eſt; aut illa adhuc imbecillis inſcitia, cum perfecta eius ſuſcipienda eſt doctrina?* At primùm falſum falſiſſimum eſſe quod aſſumit; Ante Gelaſij tempora Eccleſiam Romanam ſupremam Monarchiam (ſpiritualem intelligimus) ſibi non aſcripſiſſe, quæ ſunt à nobis ſupra diſputata ſatis oſtendunt. Et quod attinet ad verba Gelaſij Petrum quædam per ſimulationem geſſiſſe ſcribit, ſed errorem vllum docuiſſe non ſcribit, ac præterea Petrum *primum Apoſtolum* vocat, quod quo ſenſu dixerit iſta eiuſdem Pontificis oſtendunt. *Nullus*, inquit, *veraciter Chriſtianus ignoret vniuſcuiuſque Synodi conſtitutum, quod vniuerſalis Eccleſiæ probauit aſſenſus, non aliquam magis exequi ſedem præ cæteris oportere, quàm primam, quæ & vnamquamque Syno-*

SPALAT. Num. 22. Gelaſ. tom. de anath. vin. init.

Epiſt. 13. ad Epiſc. Dardaniæ.

dum auctoritate confirmat, & continuata moderatione custodit, pro suo scilicet principatu, quem beatus Petrus Apostolus Domini voce perceptum, Ecclesia nihilominus subsequente & tenuit semper, & retinet.

SPALAT. Num. 23. Greg. hom. 18. in Ezec. Rom. 7.

Iam verò liberius inuehendi in Pontificem occasionem captans Spalatensis, locum Gregorij profert, in quo ita ad verbum magnus Pontifex: *Certè Paulus*, inquit, *qui se legi mortuum per legem dicit, quia vt in Christo crederet, ei hoc & lex ipsa prædicauit, magno fidei ardore succensus, præcepta legis tenere carnaliter noluit, Circuncisionem in gentibus fieri vetuit. Et cùm Petrus Apostolus seruari adhuc in Circuncisione legis consuetudinem vellet, ei in faciem restitit; eumque hac in re fuisse reprehensibilem dicit. Et in hoc eius studium, discipulis loquens non solùm culpam, sed quod est magis, hypocrisim, id est simulationem nominat. Ecce Paulus in Epistolis suis scripsit Petrum reprehensibilem; Et ecce Petrus in Epistolis suis asserit Paulum in iis quæ scripserat admirandum. Certè enim nisi legisset Petrus Pauli epistolas non laudasset; si autem legit quia illic ipse reprehensibilis dicitur inuenit. Amicus ergo veritatis laudauit etiam quod reprehensus est, atque ei ad hoc ipsum placuit, quia in his non placuerat quæ aliter quàm debuerat sensit. Pulchra est illa Gregorij (etiam Romani Pontificis) obseruatio*, inquit Spalatensis, *Petrum legisse Pauli epistolas, easque laudasse, licet in iis videret vniuerso orbi promulgari se fuisse reprehensum à Paulo, quia & erat reprehensibilis. Mirum verò quod Petrus, hoc est summus Ecclesiæ Monarcha, & supremus Christi ac Dei Vicarius, illam Pauli Epistolam ad Galatas, in indicem expurgatorium statim non coniecerit. Quippe ipsum primum & supremum Papam adeo deprimentem, & ipsius errores exaggerantem. Certè Petri successores tales Epistolas & libros, qui ipsorum errata & reprehensiones rationabiles continent, iam ferre nolunt; proscribunt eos, & diris deuouent. Expectandum profecto, vt si planè nostri Papæ viderint ex Euangelio Canonico papatum destrui, Euangelium etiam ipsum in prohibitorum librorum indicem detrudant. Hæc obiter. Quomodo ergo tota Ecclesia super vno Petro dicenda est inniti, qui adeo labilis est, vt in ipso limine offendat?* Scilicet non solùm Pontificem, sed & Petrum ludibrio habet, quem ironicῶs *summum Ecclesiæ Monarcham, & supremum Christi ac Dei Vicarium* vocat, vt discas ex eorum numero esse de quibus Apo-

Iudæ epist. Catholica.

stolus, *Dominationem spernunt, maiestatem blasphemant*, &c. Et vt crimen crimine cumulet, sceluisque sceleri addat, *Paulum Petrum deprimentem, & ipsius errores odiosius exaggerantem inducit*; sed propius ad rem. Dolet illi infames suos libros in Indicem scriptorum improbatæ lectionis à Pontifice relatos, eoque impudentiæ prouehitur, vt vaticinari audeat futurum aliquando vt Romani Pontifices, Euangelium in librorum prohibitorum Catalogum, detrudant; sed est impia omnino, blasphema ac sacrilega impurissimorum scriptorum, cum Epistolis Pauli aut Euangelio collatio. Euangelia & Epistolas Pauli suspicit, veneratur, adorat Pontifex, ac in his Deum loquentem agnoscit; sed nefarios libros, erroribus scatentes, damnatissimis hæresibus refertos, quibus Christus ipse, Ecclesia sanctissima eius sponsa, Augustissima Ecclesiæ Sacramenta proscinduntur, lacerantur, violantur, deformantur nedum prohibendos, sed & flammis abolendos iure optimo censet, & in horum numero pestilentissimos illos commentarios DE REPVBLICA omnium

nium omninò errorum labe inquinatos ac fœdatos ponit. Si enim charitas aut amor religionis ad monita quædam Eccleſiaſtica ſcribenda impuliſſet, ſi poteſtati pepercisſet, de vitiis ſolùm dixiſſet, tuliſſent illum Pontifices, vt olim tulerunt Damianum, Bernardum ac pleroſque alios ſanctiſſimos Patres, qui magna libertate in deprauatos aulæ mores inuecti ſunt, ac etiam credo pro ſumma ſua pietate Greg. XV. gratias illi habuiſſet: Sed odij, inuidiæ, adeoque furoris œſtro percitus fræna linguæ laxauit, ſacram poteſtatem à Chriſto conſtitutam vexare, violare ac funditus euertere non erubuit; nec his contentus bellum Chriſto ipſi in Euchariſtia degenti, ac reliquis ſanctiſſimæ Eccleſiæ Sacramentis indixit. An non igitur dignus eſt qui in libris pœnam luat quam infami fuga declinarit, & à capite ſuo auerterit? Præſcripſerũt de ea re leges Romanæ, quibus cautum eſt vt libri qui maledictis & conuiciis in Magiſtratus ſcaterent, flammis traderentur; Romæ itaque Athenis ac vbiuis gentium ſemper animaduerſum eſt, in authores librorum libroſque ipſos qui religionem quoquo pacto ſoluere viderentur. Hanc igitur labem cùm aſperſerit iſtis ſuis commentariis impuriſſimis, quid aliud illi expectandum fuit quàm vt vel ſaltem in improbatæ lectionis librorum indicem detruderentur? Ipſe meliori menti redditus exuat Patrem vt agat Conſulem, & impios illos fœtus ac infœlices partus diris & furiis deuotos mactet, enecet, interficiat; eos imitatus *qui cùm eſſent curioſa ſectati contulerunt libros, & combuſſerunt coram omnibus*, vt eſt in Actis Apoſtolicis annotatũ: Sed de his plus ſatis. Ad ſuſceptam de Primatu Petri diſputationem reuertamur. Agnouiſſe probaſſe, adeoque eius præſidio authoritatem ſuæ ſedis firmaſſe Gregoriũ, nemo qui vel oſcitantius illum legerit, dubitare poteſt, & ſexcenta in eam rem eius proferimus teſtimonia, quanquam hoc loco eo vno quo vtitur Spalatenſis, contenti ſimus; Humilitatis enim Petri rationem reddens hanc fuiſſe ait: *Quatenus qui primus erat in Apoſtolatus culmine, eſſet primus in humilitate*, ac infra Petrum *Apoſtolorum Principem* indigitat. Pergit Spalatenſis Paulum cum Petro committere, *Huic Paulinæ reprehenſioni*, inquit, *ſubnecto etiam. Tum quod idem Paulus, cùm inſigniores Apoſtolos nominat, Petrum aliis poſtponat, vt vbi primo loco ponit Iacobum, poſt illum Cepham & deinde Ioannem. De quibus tribus & non de Petro ſolo dicit. Qui videbantur columnæ eſſe. Iacobo ergo & Ioanni Petrum exæquat; Tum quod Iacobus Cephas & Ioannes dextras dederint ſocietatis ipſi Paulo & Barnabæ; vt hi in gentes, illi verò in Circunciſionem ferrent Euangelium. Iſtæ dextræ Societatis Petri ſummum imperium non admittunt. Tum demum quod Paulus dicat; Nihil minus fui ab iis qui ſunt ſuprà modũ Apoſtoli. Quæ verba maximum faciunt Primatui magno Petri præiudicium.* Atqui quod attinet ad ordinem quo recenſentur Iacobus Cephas & Ioannes in epiſtola ad Galatas, ſi Complutenſia Biblia Græca conſuluiſſet, deprehendiſſet primo loco poni Cepham. Quod ne nuperum commentum dicat, Commentarios legat Chryſoſtomi, Hieronymi & Auguſtini in illum locum. Item Theodoretum adeat in epiſtolam ad Romanos, ac rurſus Hieronymum de Scriptoribus Eccleſiaſticis & contra Heluidium, videbitque primo loco ab omnibus iſtis ſcriptoribus recenſeri Petrum. Non ſum tamen neſcius Theodoretum Iacobum quoque primo loco alibi retuliſſe. Cuius quidem poſterioris lectionis hanc rationem aſſignant, quod Iacobus primus Hieroſolymis Paulum exceperit, priorque certior factus fuerit de glorioſis Pauli in

Act. 19. Eodem nu.

Gal. 2.

2. Cor. 12.

Theod. in c. 15. ep. ad Rom.

Proœm. in ep. ad Eph. & in ep. ad Hebr.

ſerendo Euangelio laboribus. Namque aduertunt interpretes priori illa profectione Pauli, qua Antiochia Hieroſolymam ſe contulit vna cum Barnaba, vt eleemoſynas fratrum Antiochenſium eò deferret, ad ſubleuandam inopiam eorum qui in Iudæa fame vexarentur, vnum Iacobum Hieroſolymis reperiſſe, quod eo tempore Iacobus Ioannis frater eſſet ab Herode de medio ſublatus, Petrus carceribus mancipatus, reliqui Apoſtoli diſperſi, proptereáque volunt primum meminiſſe Iacobi, cui primùm innotuiſſet; Alij factum volunt quod Hieroſolymorum eſſet Epiſcopus, alij quod frater Domini, alij quod eximia & ſingulari ſanctitate quæ omnibus ſtupori eſſet & miraculo, effulgeret; Sed vt iſta omittamus quàm imbecillum eſt Spalatenſis argumentum? Vnum profert locum (nec illum omninò certum cùm repugnent doctiſſimi interpretes) in quo Petrus non primo loco ponitur, & non aduertit ſexcentis aliis Euangelij locis primum in Apoſtolorum ſerie numerari. Fidem habeat vel vni Mathæo; *Nomina*, inquit, *Apoſtolorum ſunt hæc, primus Simon Petrus*, atque quidem eo loco Paulum habuiſſe Petrum, vel ex eo colligi poteſt quod eadem epiſtola ad Galatas aſſerit ſe aſcendiſſe Hieroſolymam vt videret Petrum, ſcilicet interprete Chryſoſtomo, *quia os erat Apoſtolorum* & Princeps, & vt habet Commentarius qui Ambroſij nomine præfertur, *Quia primus erat inter Apoſtolos.* Quòd attinet verò ad verba Pauli, *Iacobum & Ioannem inter columnas Eccleſiæ cum Petro reponentis*, malè hinc colligit Spalatenſis, proinde æquales eos fuiſſe; Quaſi verò inter columnas ipſas templorum & ædificiorum non poſſit vna aliis grandior, excelſior & ſublimior eſſe? Certè fruſtra eſt Spalatenſis in his minutioribus colligendis. Perſtat tamen ac rurſus vrget *Iacobum, Cepham & Ioannem dextras ſocietatis ipſi Paulo & Barnabæ, vt hi in gentes, illi verò in Circunciſionem Euangelium ferrent dediſſe, Iſtæ dextræ ſocietatis* inquit, *Petri imperium non admittunt*; Itáne tibi videtur, neſcis igitur quid Paulo ſint dextræ ſocietatis, quando quidem ab eo vſurpatæ ſunt, non ad eam æqualitatem quam tu ſomnias inter Apoſtolos inducendam, ſed ad ſignificandam conſpirationem & conſenſum doctrinæ & animorum. Certè quod Latinus interpres dixit Societatis, Græcè eſt κοινωνίας, hoc eſt Communionis, quo ſenſu etiam Optatus Mileuitanus Syricium ſummum Pontificem *ſuum ſocium* dixit; Non quod Mileuitanum Epiſcopum Romano Pontifici exæquaret, ſed quo eiuſdem fidei communionem inter eos intercedere ſignificaret. Atque veteri conſuetudine receptum fuit, vt ſummi Imperatores etiam gregarios milites, commilitones ſuos vocarent, hoc eſt eiuſdem militiæ, quanquam non eodem gradu, ſocios. Præterea hîc de re ad Apoſtolatum intrinſecè pertinente, nempè de propagando Euangelio agitur, quo in munere obeundo non ſolùm ſocij, ſed & pares fuerunt Apoſtoli. Hoc egregiè expreſſit Tertullianus hunc Pauli locum ita illuſtrans. *Denique*, inquit, *vt cum authoribus* (Petrum Ioannem & Iacobum intelligit) *contulit & conuenit de regula fidei, dextras miſcuere, & exinde officia prædicandi diſtinxerunt, vt illi in Iudæos, Paulus in Gentes & nationes.* Poſtremò contra Primatum Petri obiicit Spalatenſis gloriationem Pauli; *Nihil minus fui*, inquit, *ab iis qui ſunt ſupra modum Apoſtoli*; nec videt Paulum hic de authoritate & iuriſdictione non contendere, ſed ſe aduerſum pſeudo Apoſtolos tutari, qui eum, Apoſtolum Chriſti eſſe pernegarent, quod ſcilicet Dominum in carne non vidiſſet, vt ſit is ſenſus verborum

Chryſoſt. hom. 87. in Ioan.

Gal. 2.

Tertul. l. 4. aduerſus Marc. c. 2.

2. Cor. 12.

Digitized by Google

rum eius. Quod ad gratiam & functionem attinet Apoſtolici muneris nihilominus inferior fui, nihil minus præſtiti, quàm illi qui ſuprà modum ſunt Apoſtoli, id eſt Apoſtolorum primi & præcipui, quique etiam cum Domino in carne ſunt verſati. Parem igitur ſe facit in Apoſtolico munere, doniſque ei connexis, cuiuſmodi erant gratia miraculorum, ſigna, portenta, & virtutes, ſed poteſtatem aut iuriſdictionem non attingit; Quo circa nil locus derogat prærogatiuæ Petri. Certè toto capite Paulus viſiones, & reuelationes Domini, infirmitates ſuas, contumelias, neceſſitates, perſecutiones & anguſtias pro Chriſto, ſigna quoque ſui Apoſtolatus in omni patientia ſignis, prodigiis & virtutibus profert, & enumerat, ſed poteſtatis aut iuriſdictionis nuſquam meminit; vt impoſturæ meritò arguatur Spalatenſis, qui illum eo torſerit, ac ad infringendum primatum Petri, eius ſententiam curuarit.

Iam totum cum Petro componit Paulum, virumque viro committit; *Si*, inquit, *Petro dicit, Paſce oues meas, vnde ei totius Eccleſiæ cura commiſſa intelligatur; Paulus ipſemet fatetur ſe premi cura, & ſollicitudine omnium Eccleſiarum.* Puderet in his immorati, niſi importuno aduerſario eſſet ſatisfaciendum. Curam omnium Eccleſiarum ſibi demandatam à Chriſto, *ex officio* ſuſcepit Petrus: De omnium Eccleſiarum ſalute, *ex zelo & charitate* ſollicitus fuit Paulus; Ergo planè ſunt æquales, quis ad has ineptias non rideat? Cura ſcilicet & ſollicitudo omnium Eccleſiarum ei ex officio incumbit, qui poteſtatem in eas nactus ſit, pro eis Domino rationem redditurus; Cura verò & ſollicitudo omnium Eccleſiarum, ex zelo ſuſcepta locum quoque in illis habet qui charitate vigent, etiamſi nulla in Eccleſia iuriſdictione polleant aut emineant: Atqui quidem de poſteriori iſta ſollicitudine loquutum Apoſtolum verba eius manifeſtant; Namque rationem reddens vrgentium illarum curarum, quibus premeretur; *Quis*, inquit, *infirmatur, & ego non infirmor, quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Quibus verbis omnes omnino interpretes tum Græci, tum Latini ſignificatam volunt COMMISERATIONEM, quæ profecto ex charitate oritur; vt probarit Paulus ſe charitatis, veluti facibus inflammatum, omnium Eccleſiarum ſollicitudine exarſiſſe, quod non ſolùm aliorum imbecillitatis commiſeratione tangeretur, ſed perinde afficeretur, ac ſi ipſe eadem ægritudine laboraſſet. Cùm igitur Petro non ſolùm ex charitate, ſed & ex officio incubuerit cura omnium Eccleſiarum, non propterea Paulus (quod quidem ad iuriſdictionem attinet) eum æquauerit, ſed ex zelo & charitate eam ſollicitudinem admiſerit; quia aliud eſt quod ex officio præſtamus, aliud quod ex zelo ſuſcipimus, illud eſt iuriſdictioni connexum, hoc ex charitate pendet. Omni ſcripturæ præſidio deſtitutus conuertit ſe ad Patres Spalatenſis; *Præſtat*, inquit, *in his comparationibus Patres audire. Irenæus. Ipſius, inquit, Dei, Petrus erat Apoſtolus, cuius & Paulus. Vbi*, inquit, *Petrum reducit ad paritatem cum Paulo.* Irenæus eo loci aduerſum eos diſputat, qui dicerent ſolum Paulum ex Apoſtolis veritatem cognouiſſe, eoſque conuinci, à Paulo ipſo, oſtendit, quod aſſeueret ipſum Deum operatum Petro in Apoſtolatu circunciſionis, & ſibi inter gentes; Additque, *Ipſius ergo Dei Petrus erat Apoſtolus, cuius Paulus; Et quidem Petrus in circunciſione annunciabat Deum, & Dei Filium hunc, & Paulus in gentes.* Ergo pares eos facit, quæ eſt iſta inconſequens conſecutio? An non ſeniores; Preſbyteri, ac reliqui diſcipuli? An non Silla, Apollo, & reliqui eundem Deum, eundem Chriſtum prædica-

SPALAT. Num. 24. Ioan. 21. 2. Cor. 11.

2. ad Cor. c. 11.

Irenæus l. 3. adu. Hær. c. 13.

quid ex eo colligat Spalatenſis. Nazianzenus inanis gloriæ, ſtudium hominibus magno ad virtutem impedimento eſſe contendens, poſtmodum addit, *Morbum autem ſanare, ac reprimere, Petri cuiuſdam aut Pauli fuerit, magnorum inquam illorum Chriſti diſcipulorum, qui vna cum gubernatione, tam in ſermone quàm in opere gratiam acceperunt*, ac præterea recenſitis iis qui ob leges ferendas, vel ob Prophetiæ munus, vel ob rei militaris imperium, vel ob aliam quandam eiuſmodi adminiſtrationem populi antiſtites fuerunt, velut Moſes, Aaron, Ioſue, Elias, Elizæus, Iudices, Samuel, Dauid, Prophetarum multitudo, Ioannes Baptiſta, duodecim Apoſtoli, eorumque poſteri, vnum Paulum deligit ſermonis ſui, vt loquitur conſcium; Sed Petrum aut Paulum æquales in iuriſdictione fuiſſe non dicit; Certè cùm Eliam, Elizæum & Prophetarum multitudinem iis accenſet, qui præfecturæ munus, ſuis quiſque temporibus obierint, ſatis oſtendit ſe de æqualitate gubernationis minus ſollicitum fuiſſe; quanquam & prædicationis munus ad gubernationem ſuo modo ſe fundit. Cyrillum Hieroſolymitanum iam profert de Petro & Paulo ſic diſſerentem; *Errorem*, inquit, *Simonis Magi latius ſe proferentem, coarguerunt duo viri boni huc perlati Petrus & Paulus Eccleſiæ præfecti*, ſed nec hic æqualitatem inter eos inducit, *differt enim ſtella à ſtella in claritate*, ac ſuprà eum ipſum locum verſantes, oſtendimus Cyrillum Petrum *Apoſtolorum Principem* agnouiſſe, *cui claues regni cælorum à Domino traditæ ſint.*

Nazianz. in Apologetico circa medium. Ἱάσασθαι δὲ καὶ σῶσαι τὸ νόσημα, Πέτρου τινὸς ἦν καὶ Παύλου, τῶν μεγάλων Χριστοῦ μαθητῶν, οὓς μετὰ τὸν λόγον καὶ ἔργον κυβερνήσεως εἰλήφατον τὸ χάρισμα.

Cyril. Hier. Catech. 6.

Veniamus ad Ambroſium, quem pro ſe etiam citat Spalatenſis, *Vna*, inquit, *gratia fulgebat in his quos ſpiritus vnus elegerat*; *Nec Paulus inferior Petro, quamuis ille Eccleſiæ fundamentum, & hic ſapiens Architectus, ſciens veſtigia credentium fundare populorum. Nec Paulus inquam indignus Apoſtolorum collegio, cum primo quoque facilè conferendus, & nulli ſecundus; Nam qui ſe imparem neſcit, facit æqualem.* Sed primùm fallitur in ſenſu verborum illorum, *Vna gratia fulgebat in his quos ſpiritus vnus elegerat.* Neque enim de Petro & Paulo illic ſermo eſt Ambroſio, ſed de Paulo & Barnaba. Quod verò Paulum non inferiorem Petro ſubdit, verum eſt de *gratia Apoſtolatus*, & de reliquis donis, ac laboribus ei connexis, de quibus omnino loquitur, ſed *de poteſtate iuriſdictionis*, adeoque *de regimine Eccleſiæ*, ne quidem tortus à Spalatenſi diceret Ambroſius, qui illis verbis, *Petre amas me, Paſce oues meas*, Petrum *cæteris antelatum*, ac à Chriſto amoris *ſui Vicarium*, nobis relictum aliis locis ſcribit. Hoc certè loco, quo Petrum cum Paulo confert, Petrum Eccleſiæ fundamentum prædicat, Paulum verò ſapientem Architectum: Atqui credo inter fundamentum & Architectum aliquid intereſt diſcriminis, vt proinde noſtram diſtinctionem conuellere non poſſit aduerſarius, & ipſe veluti eam nobis ſuppeditet; Nam *in ſubſtantialibus Apoſtolatus æqualitatem*, intellexiſſe patres obſeruat, quod nos libenter admittimus, ſed aduentitium quiddam eſſe ad Apoſtolatum, *poteſtatem regiminis*, qua vnus ad auertenda ſchiſmata inter reliquos effulget, agnoſcimus. Firmat verò noſtram diſtinctionem de gratia Apoſtolatus, & donis ei connexis, quod ex eodem Ambroſio ſecundo loco profert, *Beati Petrus & Paulus*, inquit Ambroſius, *eminent inter vniuerſos Apoſtolos, & peculiari quadam prærogatiua præcellunt. Verùm inter ipſos, quis cui præponatur incertum eſt; Puto enim illos æquales eſſe meritis, qui æquales ſunt paſſione.* Hic enim luce meridiana clarius apparet de meritis, virtutibus, laboribus, ac reliquis gratiæ donis, non verò de iuriſdictionis authoritate loqui Ambroſium. Poſtremò prouocat ad Leonem, quem

Amb. lib. 2. de Spiritu ſancto in fine.

Ambr. ſer. 66. de Nata. Pet. & Pau. & Aug. ſer. 27. de ſanct. & Maxim. ſer. 54.

Leo ſer.1. in Nata.SS. Pet.& Pau.

ſic de Petro & Paulo loquentem inducit; *Quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra prouexit, vt eos in corpore qui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtitueret lumen oculorum. Vbinam caput illud viſibile?* inquit Spalatenſis, *ſi membrum tantummodo eſt Petrus ex æquo cum Paulo, nempe oculus in Eccleſia, caput non erit.* Sed vt quod ſentio liberè dicam, res ſimilis monſtri eſt, Leonem qui ſexcentis locis Petrum *omnibus Apoſtolis, & cunctis Eccleſiæ paſtoribus præpoſitum*, ſcribit, teſtem huius æqualitatis, quam inter Petrum & Paulum ſomniat Spalatenſis proferri; Et ſuprà clariſſimo eiuſdem Patris teſtimonio oſtendimus, Petrum totius Eccleſiæ ſpectabile caput illi habitum; Hic verò propterea Petrum & Paulum, *tanquam geminum lumen oculorum in Eccleſiæ corpore* poſuit, quod illos cum Chriſto conferat æterno Eccleſiæ capite, à quo lucem ſint mutuati qua Eccleſiam colluſtrarunt. Sed hic rurſus aduertere debuit aduerſarius, vt duo lumina Eccleſiæ cenſeantur Petrus & Paulus, propterea æqualitatem inter eos admittendam non eſſe. Sol & Luna duo ſunt clariſſima ſydera & lumina cœli, nec tamen Luna ſolis ſplendorem exæquat.

SPALAT. Num.25.

Sed nondum iurgiorum finis, Antitheſibus iam nos vexat; *Extollitur*, inquit, *Petrus, quod interdum à Chryſoſtomo præſertim vocetur os Apoſtolorum; Extollitur etiam Paulus, qui ab Ambroſio dicitur os Chriſti. Rurſum extollitur Petrus, quod dicatur fundamentum & ſtabilimentum Eccleſiæ: Extollitur etiam Paulus ab Ambroſio, dum Pauli vocationem Eccleſiæ firmitudinem eſſe dixit: Extollitur Petrus, quod Chriſtum plus dilexerit quàm cæteri decem: Extollitur etiam in hoc Paulus, vel ipſum Petrum ſuperaſſe, de eo enim ait Chryſoſtomus; Paulus Chriſtum dilexit, adeo vt nemo vehementius.* Antequam autem ad ſingula reſpondeamus. Obſeruandum eſt multa tribui Petro, quæ etiam Paulo tribuantur, propter communem Apoſtolatus dignitatem, qua vterque tam inſigni gloria effulſit, vt difficile ſit cenſere quis, cui, ſit hac parte anteferendus. Cæterùm vt plurimum propter capitis authoritatem, qua Paulum vicit Petrus, cum eis eadem tribuuntur, non eodem reſpectu tribuuntur, ſed in Paulo quidem Patres ſedulitatem, diligentiam, curas, peregrinationes, eximiam ſapientiam, virtutes, ſigna, prodigia, reuelationes & ærumnas, & labores in diſſeminando Euangelio ſuſceptos, ſpectant, à quibus eum commendent: Cùm verò Petrum iiſdem laudibus ornant, ad primatum, principatum & ſupremam poteſtatem, quam à Chriſto ſit conſecutus, reſpiciunt. Cæterùm fallitur & fallit in referendis authoribus Spalatenſis, *Petrus*, inquit, vocatur à Chryſoſtomo, *os Apoſtolorum*, Paulus ab Ambroſio, *os Chriſti*; Ita eſt ſanè, ſed non collimauit aduerſarius; Vocatur à Chryſoſtomo Petrus, *os Apoſtolorum*, quod vt ipſe interpretatur, *tanquam reliquorum coryphæus*, pro eis loqui eſſet ſolitus, & eadem eſt Cyrilli ratio; *Per vnum*, inquit, *qui præeſt, omnes reſpondent.* At Paulus *os Chriſti* vocatur ab Ambroſio, propterea quod Euangelium diuinum illud os, gentibus ſuggerente Chriſto prædicarit, ſed nec laudem illam peculiarem eſſe Pauli vult Ambroſius; *Os*, inquit, *erat Chriſti Apoſtolus, qui dicebat; An experimentum quæritis eius qui in me loquitur Chriſtus? Os eius Prophetæ per quos loquebatur futura*, vt iam appareat nil ſolicitum fuiſſe Spalatenſem, vtrum quæ proferret ad rem facerent, necne. Dicitur Petrus Eccleſiæ *fundamentum & ſtabilimentum*, Ambroſius quoque aſſeuerat vocationem Pauli, *firmitudinem Eccleſiæ fuiſſe*, ſed non eadem ratione. Petrus fundamentum Eccleſiæ habetur, quod dictum ſit ei à Chriſto, *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, quibus verbis ſuprà inuictiſſimis rationibus

Ambr.li.2. de Pœn. c.7. Ambr.li.de Iſaac & anima cap.4. Chryſoſt. l.3.de Sacer. non longè ab init.

Ambr.li.2. de Pœnit. c.7. 1.Cor.13.

Ambr.de Iſaac & anima c.4.

tionibus oſtendimus gubernatorem, ac moderatorem Eccleſiæ vniuerſæ eum deſtinatum, Pauli verò *vocatio Eccleſiæ firmitudo* vocatur, quod diuina luce colluſtratus egregios pro Eccleſia Dei labores ſuſceperit, eam aduerſus pſeudo Apoſtolos magna conſtantia, ac zelo defenderit, ac nihil non geſſerit, vt omnes Chriſto lucri faceret. Sed neque hæc paria ſunt. Extollitur Petrus, *quod Chriſtum dilexerit plus quàm cæteri decem.* Extollitur & Paulus à Chryſoſtomo, quod eo *nemo vehementius* dilexerit Chriſtum, vt etiam ſuperaſſe Petrũ videatur. Sed hæc quoque ad rem non faciunt; Placuit Chriſto cùm ne quidẽ in numero fidelium eſſet Paulus, ſummum Petri in ſe amorem totius Eccleſiæ ſuæ præfectura remunerari; Hoc enim ſignificant illa verba, *Si diligis me plus his, Paſce oues meas, Paſce agnos meos*; At ſummum Pauli amorem, eodem munere compenſandum non duxit, quem tamen ſine præmio non reliquit, ſed gratiam quoque ei rependit; *Repoſita eſt*, inquit, *mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus*; At Dei dona liberrimè hominibus communicantur, nec nobis permittitur curioſius veſtigare, cur omnibus omnino Apoſtolis Petrum prætulerit. Neque verò exiſtimant Theologi præfecturas Eccleſiæ *excellentia amoris* niti, aut etiam *ſanctitate vitæ*, ſed inſtitutione Chriſti, quæ arcanas quidem habet rationes, ſed nuſquam iniquas. Extollitur Petrus, quod fuerit *Petra & firmamentum Eccleſiæ*; Extollitur etiam in hoc Paulus ab eodem Chryſoſtomo, dum dicitur *columna Eccleſiæ, Petra, ferro & adamante fortior*; Sed non aduertit Spalatenſis, nomen Petræ metaphorarum licentia, non vno ſenſu iis locis vſurpari. Vt ad Petrum refertur *Eccleſiæ fundamentum* poſt Chriſtum præcipuum notat; vt ad Paulum *inuictum animi robur*, ad perferendos labores in diſſeminando & propagando Euangelio, & confirmandis in fide Chriſti cultoribus; qua de re loquitur Ambroſius. Vocatur Petrus à Chryſoſtomo *coryphæus Apoſtolorum, eodem titulo inſignitur & Paulus*; Non memini me legere Paulum coryphæum Apoſtolorum, vel in Chryſoſtomo, vel in alio ſcriptore. Equidem huius rei veſtigia nulla deprehendi in toto contextu, ac ſerie homiliæ 18. quam citaſſe videtur Spalatenſis. Hoc quidem de ſe ipſo inducit Paulum loquentem, Ἐγώ φησιν ὁ διδάσκαλος ὁ κῆρυξ. Sed κῆρυξ non coryphæum, ſed concionatorem ſignificat. Equidem omnibus locis à Spalatenſi prolatis Chryſoſtomus ferè à doctrina, & prædicatione Paulum commendat. Petro dicitur *Eccleſia commiſſa*, Paulum verò, ait idem Chryſoſtomus, electum à Deo, *cui res orbis, myſteria cuncta, vniuerſamque diſpenſationem* concederet. Sed hic rurſus quod eſt de prædicatione dictum, ad gubernationem transfert Spalatenſis. Verba Chryſoſtomi de Paulo ſunt, *Hunc ſibi Deus ex Iſraëlitis delegit, cui omnem prædicationem, cui res orbis, &c. concederet.* Neque hîc de *iuriſdictione* illi ſermo eſt, qua tamen excelluiſſe Petrum docet, cùm ei Eccleſiam commiſſam, prædicat.

2. Tim. 4.

Chryſ. ad Rom. hom. 18. *Ego doctor & prædicator.*

Ad c. 2. ep. ad Galat. Hom. in illud Apoſtoli dictum, *vtinam tolerraſſetis paululum, &c.* Ἀπαιτεῖ μὲν φιλῶ τοὺς ἁγίους, μάλιστα δὲ καὶ παρέσεται Παῦλον, τὸ πλεῖστον δὲ ὀλλυγᾶς, καὶ σκάπτει καὶ οἰκέτιον, καὶ τυμβωρύχον καὶ λῃστοῦ.

Iam non paria, ſed multò illuſtriora ſenſiſſe de Paulo Chryſoſtomum, quam de Petro oſtendere, aggreditur Spalatenſis: *Quid verò*, inquit, *amplius ſentiat de Paulo in comparatione Petri, idem Chryſoſtomus. Audiamus*; *Quemadmodum igitur*, inquit, *præputij nomine deſignat gentes, ita & circunciſionis nomine Iudæos, iamque ſe cæteris honore parem oſtendit, nec ſe reliquis illis, ſed ipſi ſummo comparat, declarans quod horum vnuſquiſque parem ſortitus ſit dignitatem.* Certè Pauli ſe amantiſſimum vbique prodit Chryſoſtomus, ac illius hæc eſt oratio. *Omnes equidem amo ſanctos, maximè verò ſanctum Paulum, vas electionis, tubam cæleſtem, ſponſæ Chriſti ducem, ac pronubum.* Vt igitur ſummo in Paulum amori

aliquid tribuiſſet, in prodigiis non poneremus. Sed tantùm abeſt vt hoc affectu abreptus, imminuerit Petri gloriam, vt etiam eum non ſemel Paulo prætulerit, non modò in præfecturæ præſtantiori dignitate, quam citra controuerſiam Petro tribuit, ſed etiam in Apoſtolicis virtutibus. Videatur in primis elegans homilia eius, in illud Pauli, *Reſtiti ei*, Petro, *in faciem*; Certè vnum Petri factum expendens, quo ſæuientibus in Chriſtum Iudæis magna libertate, maieſtatem ac diuinitatem Seruatoris tutatus ſit, rebus omnibus, & à Ioanne, & à Paulo, præclarè geſtis anteponere non dubitat: *Quamuis Ioannes*, inquit, *quamuis Iacobus, quamuis Paulus, quamuis alius quiuis, deinde facinus aliquod egregium ediderit, hic omnibus antecellit, qui viam cæteris ſua fiducia ſtrauit, & ingreſſum aperuit, illiſque conceßit, vt tanquam flumen, quod magno cum vndarum impetu ferretur, confidenter intrarent, & eos qui aduerſarentur, ſecum traherent, eorum verò qui beneuolè audirent, animas perpetuò rigarent. An igitur ille poſt crucem talis fuit? nonne ante crucem cunctis fuit ardentior? nonne os fuit Apoſtolorum? nonne ſilentibus cunctis ipſe loquebatur? Quem me dicunt homines eſſe filium hominis? ait Chriſtus: & alij quidem Heliam dicebant, alij verò Hieremiam, alij verò vnum ex Prophetis. Vos verò, quem me eſſe dicitis? inquit: tum reſpondens Petrus dixit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Vos, dixit, & pro omnibus ipſe loquutus eſt. Nam quemadmodum pro toto corpore os loquitur, ſic Apoſtolorum lingua erat Petrus, & pro omnibus ipſe reſpondit. An igitur hic tantum fuit talis, alibi verò de hoc ſtudio remittit? nequaquam, ſed per omnia, & in omnibus eundem ardorem oſtendit.* Quicquid autem ſit de reliquis virtutibus, nuſquam in adminiſtratione Eccleſiæ, parem Petro facit Paulum; Imò contendit Paulum ipſum Petrum præ omnibus honoraſſe, & omnibus prætuliſſe argumento ducto ab affectu, quo eſſet in omnes ſanctos Paulus, *Qui ſic*, inquit, *erga omnes affectus erat, ſciebat & quanta honoris prærogatiua Petro deberetur, eumque præ cæteris omnibus colebat hominibus, & dignus erat, ita erga illum affectus erat: Atque hoc inde conſtat. In illum totius orbis terrarum oculi erant conuerſi, Eccleſiarum vniuerſæ terræ cura ab anima illa pendebat, de rebus innumeris quotidie ſolicitus erat, vndique illum circumſidebant, procurationes, præfecturæ, correctiones, conſilia, cohortationes, doctrinæ, mille negotiorum expeditiones: & omnibus illis omißis Hieroſolymam ſe contulit, nec illius ſuſcepti itineris alia fuit occaſio vlla, niſi vt Petrum videret, ſicut ait ipſe: Aſcendi Hieroſolymam videre Petrum, ſic ipſum honorabat, & omnibus præferebat.* En quo honore proſequendum Petrum, iudicio Chryſoſtomi, duxerit Paulus. Vellem verò, notaſſet Spalatenſis, qua in re magnificentius loco quē profert, ſenſerit de Petro quàm de Paulo. *Se comparaſſe cum Petro Paulū* ait, *prætuliſſe* non docet; Præterea hîc Petrū cum reliquis decem conferens, *ſummum*, illum facit. Cùm igitur ſupra decem non ſit Paulus, infra Petrum eſt, quod attinet ſcilicet ad dignitatem capitis; Quod enim attinet ad dignitatem Apoſtolatus præcisè, & per ſe ſpectatam, & Petro, & reliquis decem omnino par eſt, nec ab iis aliquid accepit; à Chriſto non ſecus, ac illi vocatus, ac omnibus Apoſtolatus prærogatiuis ornatus; quod duobus prioribus capitibus Epiſtolæ ad Galatas, magna ſui Apoſtolatus commendatione contra pſeudo Apoſtolos neruosè oſtendit.

Serm. 61. in illud, *In faciem Petro reſtiti.*

Καὶν Ἰωάννης, καὶν Ἰάκωβος, καὶν Παῦλος, καὶν ἄλλος ὁτιοῦν μέγα τοιοῦτον ἀνύσῃ, ἀπάντων τούτων πλείονα τῦ, ὁ πρόδρομος αὐτῶν τῇ παῤῥησίᾳ, καὶ διανοίξας καὶ εἰσελθὼν, καὶ τοὺς ἀντιτεταγμένους παραλαβών, καὶ τὸν μὲν ἀκαρτέρητον τὴν ψυχὴν ἀφεὶς ἀλλαχοῦ, ἐπὶ σὲ δὲ πολλῷ θερμοτέρῳ ῥεύσας πνεύματι, μετὰ πολλῆς ἀδείας ἐπιστὰς, καὶ τὸν μὲν ἀκαρτέρητον παραπείσας, τὴν δὲ μετ' εὐτόνου ἀκαυάντου τῆς ψυχῆς ἀφεὶς ἀλλαχοῦ. ἐπὶ σὲ δὲ πολλῷ μᾶλλον θερμοτέρῳ πνεύματι, καὶ

nititur, & quæ Chryſoſtomus diuerſis locis, *de ſumma Pauli charitate*, vt priore teſtimonio: *de ſuſceptis per totum terrarum orbem peregrinationibus, vt Euangelium diſſeminaret, populos luce Euangelij colluſtraret, fame tabeſcentes veritatis alimento reficeret, ex tyrannide Diaboli ad Chriſtum reuocaret, pro iis ſacra faceret, omneſque omnino Chriſto lucrifaceret*, vt poſterioribus omnibus teſtimoniis: ille ad principatum Pauli refert, credo etiam ſuprà Petrum: Sed non videt homo parum acutus, vim huius principatus poſuiſſe Chryſoſtomum non in *fulgore potentiæ*, ſed *in fulminibus linguæ*, quod tamen eum docuiſſe potuit vltimo ab eo prolatus Chryſoſtomi locus; *Dauid*, inquit, *vno tantum lapidis ictu Goliath deiecit. At ſi egregia Pauli facinora expendas, pueri facinus illud inuenietur: quantumque inter paſtorem, & belli ducem intereſt, tantum inter verumque diſcriminis eſſe conſpicies. Hic enim non lapidis iactu Goliath proſternebat, verùm ſola voce totam Diaboli phalangem opprimebat, atque vt leo rugiens, ignemque è lingua emittens, ſic ipſe à nemine ſuſtineri poterat, aſſidueque quo quò gentium tranſiliebat.* Superius quoque dixerat; *Non ita multæ illæ tubæ in Hierichuntinæ vrbis muros incidebant, eoſque ſolo æquabant, vt vox eius reſonans Diabolica præſidia proſternebat, atque hoſtes ad ſuas partes traducebat. At poſtquam ingentem captiuorum copiam collegiſſet, armiſque eos induiſſet, exercitum ſuum rurſus efficiebat, ac per eum eximias palmas obtinebat.* Vnde liquidò conſtat gubernationem hanc Pauli, quam extollit Chryſoſtomus, in ſermonis efficacitate poſitam eſſe, ac potentia linguæ, quæ orbem terrarum conuerterit. At cùm idem facundiſſimus Pater orbi terrarum Petrum impoſitum principem, & caput conſtitutum docet, authoritatem illis verbis, *Tibi dabo claues regni cælorum*, Et, *Paſce oues meas*, &c. expreſſam & explicatam innuit ac ſubindicat. Propterea iniuriam magnam facit Chryſoſtomo Spalat. quippè qui exiſtimet nonniſi imminutione magiſtratus Petri, potuiſſe eum Paulum eximiis illis laudibus exornaſſe. Etſi enim quæ de Paulo dicit, in ſpeciem paria videantur, iis quæ à nobis afferuntur pro firmando primatu Petri, longa tamen intercapedine diſtant, diuerſoque omnino ſenſu accipiuntur, vt ex ſuperioribus patet, quo referre poſſis, licet improbante Spalatenſi, quod ſiue Ambroſius, ſiue Maximus dicit, *Petro clauem potentiæ tributam, Paulo verò ſcientiæ.* Quod enim hanc diſtinctionem reiicit Spalatenſis: *Quaſi*, inquit, *& Petro fidei non fuerit facta reuelatio, & Paulus cum maxima authoritate Eccleſias non rexerit*, friuolum eſt: Nam Apoſtolica quidem authoritate Maximus fuit Paulus, ſed Apoſtolorum caput non fuit, vna cum reliquis Petro commendatus ac commiſſus. Petrus verò etſi ſumma fidei myſteria cognouit, quippè quem Pater cœleſtis docuerit, haud ægrè tamen ſcientiæ, ac ſapientiæ palmam Paulo concedit, ab eaque eum commendat; *Chariſſimus*, inquit, *frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis.* Quare non habet Spalatenſis, quod conqueratur de Ambroſio, aut Maximo, qui Paulo ſcientiæ clauem tribuerint. Cæterùm etiam coronidis vice gratias habemus aduerſario, pro ſuſceptis in ornando Paulo laboribus, cùm faciant quoque iſta ad Eccleſiæ Romanæ commendationem, quippè cuius dignitas haud ſolius Petri, ſed & Pauli gloria ſplendeſcat, ac effloreſcat. Fundatorem enim vtrumque agnoſcit, vtque Petrum authorita-

Hom 12. in 2. Cor. 6.

Chryſ. ho. 25. in ep. ad Cor. 2. c. 11. Δαυὶδ ὁ Γολιὰθ, τοσαύτην ἐσχηκὼς λίθου μόνον ἰσχύν. ἀλλ' εἰ τὰ Παύλου κατορθώματα ἐξετάσειας, παιδὸς ἔργον εὑρήσεις τὸ κακοῦργον, ἡλίκον τὸ μέσον, πανοῦργον ὄψει τὸ διάφορον.

tis ſuæ fontem, ita Paulum eius quam ſeruat doctrinæ cum collega ſatorem prædicat, vtriuſque martyrio decorata. Audiat magnum Irenæum, *Quoniam*, inquit, *valdè longum eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ, à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ, & conſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annunciatam hominibus fidem per ſucceſſiones Epiſcoporum peruenientem, vſque ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui quoquò modo vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem, & malam ſententiam, præterquam oportet colligunt.* Et rurſus: *Fundantes igitur, & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt, &c.* Quod Euſebius etiam retexit: *Beati Apoſtoli vbi fundamenta Eccleſiæ præclarè poſuerant, & eam prouidè ſapienterque exædificauerant, Lino Pontificatus miniſterium concrediderunt.* Audiat & Tertullianum; *Statu fælix* Eccleſia Romana, inquit, *cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine profuderunt, vbi Petrus Paſſioni Dominicæ adæquatur, vbi Paulus Ioannis exilio coronatur*; Augentur igitur ac amplificantur honores Eccleſiæ Romanæ, cùm Pauli merita prædicantur, ac laudibus ipſe in cœlum tollitur, vt propterea rem nobis gratiſſimam fecerit Spalatenſis, qui Paulum Petri collegam, ac fratrem chariſſimum eximiis laudibus ornarit, quanquam hoc nomine ſceleratè egerit, quod vnanimes in prælia armare fratres impio conatu tentarit.

Iren.l.3.c.3.

Lib.5.hiſt. Eccl.c.6. Θαυμαλιώτατον οὖν καὶ οἰκοδομώτατον ἀποστόλων μαθεῖν ἀπόστολον ἐκλογίας, λίνῳ τῷ ἐπισκοπῆς λειτουργίαν ἐπιχείρισαι. Tertull.de præſcript. adu.hæret.

Perſequamur reliqua, atque finem huic capiti tandem imponamus. Alios iam Patres in aciem educit: *Dionyſius Areopagita*, inquit, *qui alias Petrum vocauit Apoſtolorum facilè principem, hoc eſt primum inter Apoſtolos, primatum hunc non intellexit cum ſuprema poteſtate ſuprà cæteros; Nam alio loco prius poſuit Iacobum quàm Petrum, dum ait ſcribens ad Timotheum: Aderat autem & Domini frater Iacobus & Petrus, ſumma & antiquiſſima Theologorum ſummitas.* Itaque ſententia Spalatenſis iſta non cohærent; *Antiquiſſimum eſſe ac ſummam Theologorum ſummitatem* κορυφὴν, & *principem* eſſe Eccleſiæ; O nos bardos qui id non intelligeremus. Sed inſtat, *Prius poſuit Iacobum*; Et hic quoque acumen ſuum prodit Spalatenſis, qui non viderit hanc eſſe gradationem, & amplificationem quæ in digniore acquieſcat? Sic Paulus; *An non habemus poteſtatem mulierem ſororem circunducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas?* Ad quem locum Chryſoſtomus; *Vide*, inquit, *Sapientiam eum qui eſt coryphæus, & primus poſterius poſuit, nam quod eſt ex capitibus validius tunc ponit, neque vnum erat adeo mirandum oſtendere alios, hoc facere ſicut eum qui ſtat in primo loco, & cui ſunt creditæ claues regni cælorum.* De alio Dionyſij teſtimonio egimus ſuprà.

Apud Damaſc.orat. 2. de dorm. Deipar.

1.Cor.9. Μὴ οὐκ ἔχομεν ἐξουσίαν ἀδελφὴν γυναῖκα περιάγειν, ὡς καὶ οἱ λοιποὶ ἀπόστολοι, καὶ οἱ ἀδελφοὶ τοῦ Κυρίου, καὶ Κηφᾶς. Chryſ.ho. 21.in 1.ad Cor. c.9. Οὐκ σοφίαν, ἀλλὰ κορυφαῖον αὐτὸν τότε τίθησι.

Secundo loco Clementem nobis obiicit; *Qui, inquit Euſebius, lib. 6. hypotypoſeon refert, Petrum, Iacobum, Ioannem poſt Seruatoris ad cælum aſcenſum, cùm eſſent à Domino ſummum dignitatis gradum adepti, non de gloria & honore contendiſſe inter ſe, ſed vno conſenſu Iacobum iuſtum Hieroſolymorum Epiſcopum deſignaſſe: Non ergo*, inquit Spalatenſis, *ſolus Petrus, ſed ſimul Iacobus, & Ioannes ſummum dignitatis inter Apoſtolos locum à Chriſto habuerunt, vt ſcripſit Clemens*: Sed facilè fuit Spalatenſis, didiſciſſe ab eodem Clemente, quis

Spalat. Num.27. Areopag.li. de Hierar. Eccl.

Spalat. Num.28. Euſeb.hiſt. lib.2.c.1.

Digitized by Google

quis ille fuerit dignitatis ſummus gradus, ad quem à Chriſto inter reliquos ſint prouecti, *Iacobo iuſto*, inquit referente eodem Euſebio, *Ioanni & Petro Dominus poſt aſcenſionem ſuam ſingularem quandam impertiit cognitionem, quam illi reliquis Apoſtolis tradiderunt; Reliqui autem Apoſtoli 70. diſcipulis.* Non igitur de eminentiori potentia, quam illi tres ſint conſecuti, ſed de præſtantia cognitionis agit Clemens, qua ſcilicet vult hos tres excelluiſſe; à Chriſto vberiori præ reliquis reuelationum gratia donatos. Euſeb. ibid. ex lib 7. hypotypoſ. Clementis.

Tertiò obiicit nobis Iuſtinum, *Iuſtini etiam Martyris*, inquit, *dictum quoddam de Simone Petro obſeruo, quod mihi videtur cum Petri Monarchia, non ſatis benè cohærere: De illo enim ait; Qui vnus Apoſtolorum erat. Quod ſi Petri Apoſtolatus, fuiſſet cum ſumma in Eccleſiam Monarchia coniunctus, certè Petrus non debuiſſet vnus Apoſtolorum dici, quod ſignificat æqualitatem; ſed ex maiori ipſius dignitate debuit nominari.* Credo locum intelligit qui in Dialogo cùm Tryphone Iudæo habetur; neque enim alium librum Iuſtini, contra Iudæos credo vidit ille, ſi fortè etiam hunc vidit. Locus eſt huiuſmodi. *Ex diſcipulis ſuis*, inquit Iuſtinus, *vnum Chriſtus Simonem prius nominatum, Petrum appellauit; quod ſe per Patris ſui cœleſtis reuelationem Filium Dei eſſe cognouerit:* Quid verò hæc faciunt contra Primatum Petri? An non vnus ex diſcipulis Ieſu omnium confeſſione erat, cùm ei eſt dictum à Chriſto, *Beatus es Simon Bariona, &c. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam?* Debuit ſanè Spalatenſis, à tam putidis argumentis abſtinuiſſe. Eod. nu. 28. Iuſtin. adu. Iud. Iuſt. Mart. Dial. cum Tryph. Iud. pag. 327. nouæ edit. Καὶ ὅτι ἓν τῶν ἐκ τοῦ Χριστοῦ κυ̃ ἀπὸ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ ἀπεκάλυψεν ἐπιγνόντα αὐτὸν ὑπὸ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τῶν ὅλων τὸν Σίμωνα πρώτον κληθέντα, ὀνομάσαντα Πέτρον.

Quartò Hieronymum nobis obiicit, *Hieronymus*, inquit, *dictum illud Pauli: Paulus Apoſtolus non ab hominibus; & illud, Ego Euangelium ab homine non accepi: Obliquè in Petrum dicta eſſe poſſe accipi aſſeuerat. Quid verò eſt obliquè in Petrum, niſi Paulum à Petro non dependiſſe, ſed per ſe ſeorſim ſuam plenam Apoſtolicam authoritatem habuiſſe.* Atqui Hieronymus non in ſolum Petrum, ſed & in cæteros collegas Apoſtolos, vtrumque dictum accipi poſſe aſſeuerat, ſcilicet quod veluti ſubindicet Paulus non ab Apoſtolis ſibi traditum Euangelium, ſed ab ipſo Ieſu Chriſto, qui & illos Apoſtolos elegerat, & ſe præterea nullius, pro lege, authoritate moueri, qui Chriſtum ſolum Euangelij habeat præceptorem: Sed hæc quidem probant Paulum parem Petro, ac reliquis in Apoſtolatus dignitate fuiſſe, quod nimirum non ſecus, ac illi Apoſtolus renunciatus fuerit, *non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem,* & quod Euangelium prædicarit, quod ab homine non acceperit, neque didicerit, ſed *per reuelationem Ieſu Chriſti.* Non verò probant dignitate capitis æqualem Petro fuiſſe. Et quidem ſcopus Apoſtoli tota epiſtola ad Galatas, alius non eſt quàm vt refellat pſeudo Apoſtolos, qui vt fidem ei detraherent, illum *extra duodecim Apoſtolos ventilabant,* vt loquitur Hieronymus, & neſcio vnde ſubito prorupiſſe, vel à maioribus ordinatum aſtruebant. Itaque vt eos hac authoritate confunderet, *Paulus, inquit, Apoſtolus non ab hominibus, neque per hominem, &c.* Sed inſtat Spalatenſis; *Ac ſanè ſi Petrus ſupremus Eccleſiæ paſtor ſolus fuiſſet à Chriſto inſtitutus, vt eſſet paſtor omnium ouium etiam Apoſtolorum, ad eum & non ad Ananiam miſiſſet Saulum inſtruendum; Sed ne primatum ſibi Petrus, quem ambierant filij Zebedæi arrogaret, Saulum euehit ad Apoſtolatum inſcio & in-* SPALAT. Num. 29. Gal. 1. Hier. in ep. ad Gal. init. Gal. 1. Hier. ad illum locum. Act. 9. Matth. 20.

consulto Petro, eique curam totius fermè mandat Gentilitatis à Petro omnino independenti, eumque pastorem longè maioris gregis præcipuum instituit, quam fuerat Petrus institutus. Est hæc vt impudentissima, ita vanissima Spalatensis coniectura; Si enim ratio præcisa spectetur, cur vni Ananiæ ea prouincia demandata sit, factum est quia Damasci, quo se receperat Saulus à Deo prostratus, & obcœcatus in via, tunc temporis ageret, neque alius occurreret. *Erat autem ibi quidam discipulus Damasci nomine Ananias*, inquit Act. 9. sacer textus, *& dixit ad illum in visu Dominus, Vade in vicum qui vocatur Rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tharsensem*: Non abnuo tamen Ananiam, qui nec Apostolus esset, nec forsan de primis 70. discipulis destinatum à Deo, & ad Paulum missum, vt liberius aliquando dicere posset eximius Apostolus, *non ab homine accepisse se, vel didicisse Euangelium*; sed id factum ne Petrus primatum sibi arrogaret, quis in animum induxerit, cùm ante esset ei dictum à Christo, *Pasce oues meas, Pasce agnos meos?* Neque verò Paulum vllatenus à Petro in Apostolatus dignitate, aut prædicandi Euangelij potestate, *dependisse*, volumus, sed suo munere fungi potuisse extra vnitatem, cuius fons, origo & caput esset Petrus, constantissimè negamus: Nimirum Apostoli in munere Apostolico, quod ad essentiam eius, & dona ei intrinsecè connexa attinet, pares omnino fuere, & hoc vno superabat Petrus, quod auertendis schismatibus, & eorum occasionibus amputandis, esset princeps & caput Apostolorum constitutus, vt ex Hieronymo suprà monebamus. Nescio autem quem ampliorem gregem Paulo creditum, quam Petro somniet aduersarius; Gentes fortè intelligit; quasi verò ad eas non sit quoque amandatus Petrus, *vt ostium in eis Euangelij panderet*, & non sit Romæ, ac in reliquis occiduis partibus Euangelium concionatus? Nihil aliud igitur ex Epistola ad Galatas, & Hieronymi Commentariis colligere potuerit Spalatensis, quam Paulum *in nullo fuisse Petro inferiorem*, quod spectat ad munus Apostolatus, & dona ei intrinsecè connexa, quod libenter concedimus.

Spalat. Num. 30. Auct. tract. 66. & 108. In Ioan.

Quintò Augustinum nobis obiicit, *qui duobus locis Petrum Christi discipulum, & membrum Christi vocat, non verò caput visibile.* Ergo ne eius iudicio, & Magistrum Christi, & caput Christi vocare debuit? Confert Petrum cum Christo, cum discipulum vocat, & vnum facit ex membris Christi; *Ergo*, ait Spalatensis, *caput visibile Ecclesiæ non agnouit*, quasi verò non & ipsum caput spectabile Ecclesiæ membri rationem induat cum Christo collatum? Potuit sanè ab istis nugis abstinuisse, si mens ei sana fuisset. Certè priore loco agit Augustinus contra Arianos, qui dicerent *tantum distare filium à Patre, quantum distaret Apostolus Christi à Christo*, hocque cùm refellendum sumpsisset subintulit, *Si ergo attendas Christum in Petro, inuenies discipuli præceptorem, si autem attendas Patrem in filio, inuenies vnigeniti genitorem.* Quid hæc officiunt primatui? Posteriore verò loco versans illa verba Ioannis, Tract. 66. *dicit ei, Simon Petrus Domine quò vadis? Sic vtique*, inquit, *hoc dixit Magistro discipulus, & Domino seruus tanquam sequi paratus.* Quid igitur rursus hæc officiunt Petri Primatui? Cæterùm Augustinus diligenter librato lapsu Petri aduertit in *ipso primo Apostolorum*, demonstrare voluisse Christum, *neminem de se præsumere debere.* Ergo *Petrum primum Apostolorum habuit.*

Et

Et hoc rurſus probant illa verba à Spalatenſi prolata, *Quod*, inquit, *ad ipſum* (Petrum) *propriè pertinet, natura vnus homo erat, gratia vnus Chriſtianus, abundantiori gratia vnus idemque primus Apoſtolus.* Non contentus dixiſſe Petrum Apoſtolum, eum primum facit, idque abundantiori gratiæ deputat: Non igitur primatum illius, primatum vult eſſe ætatis aut vocationis, quod in his cumulatior aut abundantior gratia non ſpectetur, ſed amplioris poteſtatis, qua excelluiſſe Petrum, non obſcurè indicat. Non eſt igitur quod cauſetur Spalatenſis, *Nullam hîc factam mentionem viſibilis capitis, &*, vt loquitur, *Vicarij generalis*: Ea enim dignitas quam requirit, in PRIMI nomine abundè continetur.

Ad Chryſoſtomum iam ſe conuertit Spalatenſis, *Habemus*, inquit, *& in Chryſoſtomo locum inſignem, vbi excitat ipſemet tale quæſitum; Quid eſt cur Dominus omiſſis aliis, Petrum ſolum affatur? Petre amas me? Paſce oues meas. Certè*, addit ille, *ſi Chryſoſtomus Petrum agnouiſſet eſſe ſolum Chriſti Vicarium, & Monarcham Eccleſiæ, in promptu habuiſſet ſui quæſiti ſolutionem; & tamen ne verbum quidem de hac Monarchia. Sed aliàs hinc inde ſui quæſiti venatur ſolutiones.* Eſt ſanè hic locus Chryſoſtomi inſignis pro primatu Petri; Hanc enim quæſiti ſui reſponſionem affert, referente Spalatenſi, *Quia Petrus erat eximius, ac præcipuus inter Apoſtolos, eorumque os & coryphæus.* Quid eſt igitur eſſe Petrum eximium, præcipuum, os, & coryphæum, Apoſtolorum, quam ſummum inter eos obtinere locum, & dignitatem capitis, quam etiam expreſſis verbis illi tribuit Chryſoſtomus? Nam quæ de *dignitate perſonali ob ætatem, vocationem, & feruorem*, inſulſiſſimè profert, ſunt à nobis ſuperius diligentiſſimè refutata & profligata.

SPALAT. Num. 30. Hom. 87. in Ioan.

Cyrillum iam aduocat quem ait, præſtat audire; *Paulus certè, inquit, ſapientiſſimus fundamentum dicit eſſe Ieſum Chriſtum, & qui in ipſum credunt, velut lapides precioſos ſuperſtrui, ait, in ſanctum Templum, in ædificium Dei, in ſpiritu. Proinde ſanctos myſtagogos virtutum varietate, & pulchritudine intelligibili reſplendentes, lapidibus precioſiſſimis comparat; & alios dicit in fundamenta poſitos eſſe ſanctæ ciuitati, alios in propugnacula, alios portarum, & munitionis vſum ac locum ſupplere. Atque hæc quidem de ciuitatis præfectis, quos nobis hæc deſcribit oratio. Quomodo ergo potuit*, inquit Spalatenſis, *idem aſſerere ſoli Petro, & non aliis Chriſtum ſuas vices commiſiſſe in gubernanda Eccleſia, qui eiuſdem Eccleſiæ præfectos ex æquo plures, omnes nimirum ſanctos Apoſtolos agnoſcit?* Eccleſiæ plures præfectos non quidem *ex æquo*, ſed pro ſua quemque ratione eam adminiſtrantes, agnoſcit Cyrillus. Nec nos negamus Eccleſiæ fundamenta fuiſſe Apoſtolos, quod ille aſſerit, ſed horum fundamentorum præcipuum, ac potiſſimum ſub Chriſto eſſe Petrum oſtendimus, quod ille quoque docet; expendens illa verba, *Tu vocaberis Cephas. Nec Simon*, inquit, *fore iam nomen ſibi, ſed Petrus prædicat, quod in eo tanquam in Petro lapideque firmiſſimo ſuam eſſet ædificaturus Eccleſiam.* Cæterùm qua ratione vt illi fundamenta Eccleſiæ dicantur, qua etiam ratione Petrus, priuato quodam iure hoc nomen ſibi vindicet, docuimus ſuprà.

SPALAT. Num. 31. Li. 5. in Eſa. c. 54.

Lib. 2. in Ioan. c. 12. Καὶ Σίμωνα ὄν ἀπὸ καλῆς ἀρχῆς συλλαβεῖν, φησὶν ὁ Κύριος ὄν ἀπὸ τῆς πίστεως μετωνόμασε Πέτρον, ἐπ' αὐτῷ γὰρ ἔμελλε τὴν ἀπὸ Σιμωνος ἐκκλησίαν.

Reſtat nobis excutiendus Ambroſius; Vrget ergo primum Spalatenſis locum ex Commentariis in Exodum, in quo ſic habet; *Non debebat, inquit, filius Dei (didrachmum) non debebat & Petrus in adoptionem à Patre adſcitus; Propterea*

SPALAT. Num. 32. Ambroſ. in Exod. c. 30.

ergo, inquit Spal. *ſolùm Petrus fuit priuilegiatus ex Ambroſio, vt non teneretur ad tributum, quia erat filius Dei adoptiuus; & non quia erat Vicarius Chriſti, & ipſius locum tenens, caputque totius Eccleſiæ ſaltem deſignatus. Cur Ambroſius quod longè maius eſt tacet; & quod minus eſt commemorat? quia illud maius non nouerat.* Ergo ſententia Spalatenſis, pugnant adoptari, ſeu in locum filij aſciſci, & poteſtatis heredem fieri; Certè non eramus tam acuti, vt iſtud videremus. Tiberium Auguſtus adoptauit, ergo Conſulem ac heredem Imperij non conſtituit? Quis diuinarit? Pudet harum ineptiarum.

Ambroſ. in Pſ. 43. Vrget ſecundò *locum ex Commentariis in Philoſophos, in quo propoſitis illis verbis, Paſce oues meas, ſic loquitur; Meritò Petrus Sacerdos eligitur, quia ſparto charitatis diuinæ triplici ſe ligauit. Non eſt ergo*, inquit, *factas illis verbis, Paſce oues meas; niſi Sacerdos? non caput Eccleſiæ? non Vicarius ſupremus Chriſti?* Si quæ vis ſit in hoc argumento, haud ſolius Petri ſupremam authoritatem, ſed & ipſius quoque Aaronis ſummum Pontificatum euerterit, ac funditus ſuſtulerit Ambroſius; Creberrimè eum in ſcriptura Aaron *Sacerdos* audit; Sacerdos ſcilicet generis nomen eſt, quod ambitu ſuo Pontificem Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Preſbyteros complectitur. Ipſe Eccleſiaſticus Aaronem laudibus in cœlum tollens, ac communicata ei à Deo eximia dona recenſens: *Dedit*, inquit, *illi Sacerdotium gentis*; Ita vt non poſſit niſi imperitiſſimè ex nomine *Sacerdotis*, colligi Petrum non fuiſſe in Apoſtolorum ordine ſummum.

Idem Amb. de Incar. c. 4. Vrget tertiò alium locum eiuſdem Ambroſij, *Statim loci non immemor ſui primatum egit, primatum confeßionis vtique non honoris, primatum fidei non ordinis.* Sed non aduertit Spalatenſis primùm hæc ab Ambroſio dici de Petro cùm ſolum *deſignatione*, non verò, vt vocant, *actuali poſſeßione* primus eſſet; Nimirum in terris agente Chriſto nullum ſibi honoris, aut ordinis primatum vindicare debuit Petrus, qui à Chriſto non ſecus, ac reliqui penderet, ſed expectandum illi erat tempus, quo in cœlum remeaturus, Vicarium eum ſui amoris in terris relinqueret. Addo verò quæ verior eſt, & germanior eius loci explicatio, Ambroſium ad vnam confeſſionem à Petro editam, cùm reliqui Apoſtoli vulgi opinionem retuliſſent reſpexiſſe, atque hoc tãtùm ſibi voluiſſe, non ſuſtinuiſſe Petrum, vt alius hanc gloriam ei prẽriperet, ſed primum voluiſſe Chriſti dignitatem, cuius notione eum Pater imbuiſſet profiteri, adeoque ſic geſſiſſe primatum non honoris, ſed fidei, non ordinis, ſed confeſſionis: *Hoc eſt dicere*, inquit Ambroſius,

Lib. de Incarn. c. 4. *Nunc nemo me vincat, nunc meæ partes ſunt, debeo compenſare quod tacui, debeo prodeſſe quod ſilui, lingua mea non habet ſpinas, ſine impedimento fides debet exire.* Hoc ſcilicet eſt in quo primatum geſſiſſe, dicit Petrum non honoris, non ordinis, ſed confeſſionis, & fidei; Proinde ad reliquas actiones Petri referri non debet. Eſt enim valdè inconſequens hæc conſequentia, Petrus, cùm eſt Chriſtum Dei viuentis filium profeſſus, non egit principatum ordinis aut honoris; Ergo nuſquam egit: Sed his fallacibus concluſiunculis delectatur Spal. Cæterùm Ambroſius in hoc Primatu fidei & confeſſionis non acquieſcit, ſed eum viam muniiſſe primatui, ordinis, honoris, ac poteſtatis, quem poſtea ſit conſecutus, non obſcurè oſtendit. *Hic eſt ergo Petrus*, inquit, *qui reſpondit præ cæteris Apoſtolis, imò pro cæteris, & ideo fundamentum dicitur, quia nouit non ſolùm proprium, ſed etiam commune ſeruare.* Vides cenſere Ambroſium Petrum, *Quod præ cæteris, imo*

imo pro cæteris reſpondiſſet, *fundamentum* eſſe dictum, quibus verbis diſtinguit Primatum fidei & confeſſionis à Primatu poteſtatis, & illum priorem poſterioris cauſam fuiſſe declarat.

Agmen claudit Petrus Bleſenſis; *Addo teſtimonium recentiorum*, inquit Spalatenſis, *nimirum Petri Bleſenſis, autoris valdè grauis, qui eo tempore ſcribebat quo Monarchia Romana iam ſe plurimùm erexerat. Fuit enim Bernardo Clareuallenſi contemporaneus. Idem confirmatur, inquit, Petri facto, qui cùm Roma fugiens, Saluatorem ſibi occurrentem interrogaſſet; Domine quò vadis? Audiuit, vado Romam iterum crucifigi: vbi exprimitur Chriſtum quodammodo in eo crucifigendum, quem ſibi adoptauit in membrum. Si author hic Petrum agnouiſſet ſupremum Chriſti Vicarium, proculdubio dixiſſet, ideo Chriſtum ſe in Petro crucifigendum protuliſſe, quia Petrus ipſius in terris geſtaret perſonam, eiuſque vices in terris plenè gereret. Ait tamen ideo hoc à Chriſto dictum, quia Petrum adoptauerat in membrum. Et hoc eſt donum commune cum omnibus Apoſtolis, & fidelibus, non verò Petri proprium, qui membrum non caput viſibile vocatur. Huc ſpectant Patres omnes quoſcunque ſuprà cap. 3. huius libri protuli, ad æqualitatem inter omnes Apoſtolos, etiam cum Petro, probandam. Qui hanc aſtruunt æqualitatem illi profectò omnes à Primatu illo Petri abhorrent. Eundem Primatum tollunt ea quæ ex Auguſtino conſiderabam ſuprà cap. 4. n. 4. & cap. 5. nu. 5. & ex Ambroſio eodem cap. 5. nu. 4. Atque ita quod hoc capite decimo propoſuimus, iam habemus, vt puto, confirmatiſſimum.* Adeo ne igitur eum fuiſſe fungum, vt qui Bleſenſem ſuarum eſſe partium crediderit? Bleſenſem, inquam, cui Petrus ſit *clauicularius cœli, Iudex mundi, Vicarius Chriſti, ac Princeps cœtus Apoſtolici?* Nunquid verò hæc eiuſdem Bleſenſis non tam verba quàm fulmina, Spalatenſem non terrent? *Nonne Petro Apoſtolo*, inquit Cæleſtinum nomine reginæ Angliæ compellans, *& in eo vobis à Deo omne regnum, omniſque poteſtas regenda committitur? Benedictus autem Dominus, qui talem poteſtatem dedit hominibus. Non Rex, non Imperator, aut Dux à iugo veſtræ iuriſdictionis eximitur.* Acrurſus in eandem rem. *Porrò Princeps Apoſtolorum adhuc in Apoſtolica ſede regnat & imperat, & in medio conſtitutus eſt iudiciarius: illudque reſtat, vt exeratis in maleficos, Pater, gladium Petri, quem ad hoc conſtituit ſuper gentes & regna.* CHRISTI *crux antecellit Cæſaris aquilas: gladius Petri gladio Conſtantini, & Apoſtolica ſedes præiudicat imperatoriæ poteſtati. Veſtra poteſtas à* DEO *eſt an ab hominibus? Nonne* DEVS *Deorum locutus eſt vobis in Petro Apoſtolo dicens, Quodcunque ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: Quodcunque ſolueris ſuper terram erit ſolutum & in cœlis?* Quod attinet verò ad locum ex tractatu de conuerſione Pauli quem vrget aduerſarius, vitioſa planè eſt argumentatio iſta; Bleſenſis, ait Petro dictum, *Vado Romam iterum crucifigi, vt exprimeretur Chriſtum quodammodò in eo crucifigendum, quem ſibi adoptaſſet in membrum*, non autem vt exprimeretur ideo crucifigendum quod Petrus ipſius in terris geſtaret perſonã, eiuſque vicem in Eccleſia gereret? Ergo pro Chriſti Vicario eum non habuit: Quid igitur Vicarius Chriſti, membrum non eſt Chriſti? Addo verò ſupremæ dignitatis Petri non meminiſſe Bleſenſem, quod ad rem quam ſuſcepiſſet tractandam illa non faceret. Sumpſerat enim probandũ in vniuerſum Chriſtum eo eſſe affectu in diſcipulos, vt ſe in illis perſecutionem pati, cùm paterentur, diceret. Non erat igitur quod Petrum in huius rei exemplum adducẽs, eius principatum

SPALAT. Num. 33. Pet. Bleſ. tra. de cõu. S. Paul.

Ser. in feſt. S. Pet. ad vincula.

Ep. 145.

Ep. 146.

Matth. 16. 19.

venditaret; sed omninò depoſcebat locus, vt in numero membrorum Chriſti quibus caput compateretur, poneret. Verba illius ſunt ad illud, *Saule Saule quid me perſequeris? Qui in Euangelio ait. Quamdiu ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis, iniuriam ſuorum ſuam reputat. Nec in his verbis ſe morti, aut perſecutioni ſtetur obnoxium, cùm ſit immortalis & impaſsibilis, ſed exprimitur affectio caritatis erga diſcipulos, quos cùm prius dilexiſſet, in finem dilexit eos. Idem confirmatur Petri facto, qui cùm Roma fugiens Saluatorem ſibi occurrentem interrogaſſet, Domine quò vadis, audiuit: Vado Romam iterum crucifigi. Vbi exprimitur* CHRISTVM *quodammodo in eo crucifigendum, quem ſibi adoptauit in membrum. Membris itaque ſuis compatiens, Saulo in diſcipulos eius debacchanti* CHRISTVS *iraſcitur.* Nihilo igitur felicius in Bleſenſi verſatus eſt aduerſarius, quàm in reliquis Patribus, quos immaniter tortos eò non adegerit vnquam, vt vocem contra Petrum mittant, & mendacio patrocinentur.

Petrus Bleſenſis tractatu de cõuerſ. ſancti Pauli.

DISCVSSIO
DVODECIMI CAPITIS
LIBRI PRIMI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Monarchia commendatur ac illuſtratur: Ea contineri Eccleſiam oſtenditur: Quicquid ex ſacris litteris à Spalatenſi affertur, diluitur ac profligatur: Dubia & perplexa ſententia Spalatenſis, de forma regiminis Eccleſiæ: Eius in eâre inconſtantia notata, & ineptia depulſa: Defenduntur rationes Orthodoxorum pro Monarchia: Veterem Eccleſiam Monarchia delectatam: Naturâ geminum opus eſſe: Teſtimonia ſapientum pro eius præſtantia ac dignitate: Monarchiam ſacram planè colligi ex Euangelio, ac ſemper in Eccleſia obtinuiſſe: Excutiuntur ac refelluntur quæ à Spalatenſi pro Ariſtocratia & Democratia contra earum impugnatores afferuntur.

SPALAT. Num. 1.

TOTA *huius primi libri quæſtio erat, de forma Reipublicæ Eccleſiaſticæ; & quicquid hactenus eſt à me vndecim præcedentibus capitibus diſputatum, ad hanc formam Reipublicæ indagandam pertinebat; eoque tot diſputationibus, & ſatis prolixis, iam arbitror deuenimus, vt planè aſſerere debeamus, Eccleſiam totam, etiam militantem in terris, ſub vno capite ſuo vero, & proprio, qui eſt Chriſtus Dominus, regi & gubernari, verâ & propria monarchia. Si tamen miniſteriale Eccleſiæ regimen, per mortales homines Chriſti Miniſtros exercendum conſideremus, ipſum non Monarchicum, ſed quodammodo Ariſtocraticum eſſe à Chriſto inſtitutum, iam manifeſtani: ſiquidem abundè probaui Chriſtum ſuam Eccleſiam Apoſtolis omnibus æquè commendaſſe, eoſque ad hoc neceſſaria poteſtate omnes æquè ador-*

adornaſſe. Ex quo manifeſtum redditur Chriſtum, non Monarchicam, ſed potius Ariſtocraticam formam regiminis Apoſtolis omnibus, tanquam ſuis Miniſtris reliquiſſe, nihil tamen interim variata vera forma Monarchiæ, qua ipſe Rex ſolus & caput Eccleſiæ adhuc in ea perſeuerat.

THEMISTOCLEM patria pulſum, ac Xerxem, ad cuius aulam confugiſſet, adire volentem, tantiſper moratus eſt Artabanus, magnæ apud ſuos æſtimationis vir, donec illum iis informaſſet quæ eſſent ei præſtanda, antequam regem aut intueretur, aut alloqueretur: Veritus enim ne homo in Republica natus, ac gloriæ Regum infenſus, Perſarum qui *maieſtatem Imperij ſalutis tutelam* crederent patria inſtituta, aut conuelleret aut labefactaret, vt cultus in regem etiam exteris exemplum proderet, ſapientiſſima oratione eſt adhortatus. O *hoſpes, inquit, hominum inter ſe leges plurimùm differunt, aliáque apud alios honeſta habentur, ſed omnibus pulchrum domeſtica inſtituta ſeruare ac retinere. Vobis igitur propoſitum eſt libertatem atque æqualitatem maximè admirari, nobis verò cùm multæ ſint leges, illa omnium honeſtiſſima eſt, obſeruare regem, ſimulacrumque Dei omnia ſeruantis adorare.* Quod igitur ille in negotio regum vſurpauit, non ineptè quoque aſſerendis ſummorum Eccleſiæ Pontificum honoribus accommodauerimus atque aptauerimus; ſunt enim illi Dei viuæ ac ſpirantes imagines, quæ eius ſapientiã oſtendant, ac potentiam referant: Verùm nó eſt ſola Pontificũ ſpiritualis dignitas nobis propugnanda, ſed etiã regum temporalis maieſtas defendenda, per illius enim latus hanc quoque petit, & in vniuerſum Monarchiam præſtantiſſimam regiminis formam dehoneſtare, aut etiam funditùs euertere molitur Spalatenſis. Sed ordiamur à ſacra monarchia, cui iam militamus. Hanc igitur ſacram monarchiam oppugnaturus pro Ariſtocratia diſſerentem Apoſtolum inducit. *Hanc*, inquit, *Ariſtocratici regiminis in Eccleſia formam egregiè deſcribit Apoſtolus, dicens, Et quoſdam quidem poſuit Deus in Eccleſia, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum interpretationes ſermonum. Nunquid omnes Apoſtoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur? Æmulamini autem chariſmata meliora.* Et quia reſponderat Cardinalis Bellarminus, illo loco, *enumeraſſe Paulum varia dona quæ eſſent in Eccleſia, non verò delineaſſe Hierarchiam Eccleſiaſticam*, vrget aliũ locum. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus Miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.* Sed Bellarminum non bona fide retulit Spalatenſis: Primùm enim docuerat Bellarminus *Pontificatum ſummum vtroque loco diſertè*, ſunt enim illius verba, *poſitum*, & quidem Epiſtola ad Epheſios *Apoſtolorum* nomine expreſſum, quod ſumma poteſtas non ſolùm data eſſet Petro, ſed etiam reliquis Apoſtolis, & his quidem vt tanquam extraordinario munere & cum eis interituro illa fungerentur: Petro verò vt ei tanquam paſtori ordinario ſuccederetur, reuocata tandem ad vnum Apoſtolica authoritate, vnde Sedes Petri κατ' ἐξοχὴν *Apoſtolica* dicta ſit; Quod & multorum Patrum teſtimonio firmarat. Erant ergo hæc prius à Spalatenſi excutienda & refellenda. Sed his prætermiſſis expendamus teſtimonia Pauli; Dico igitur illis locis Apoſtolum

Apud Plutarch. in vita Themiſtoclis.

SPALAT. Num. 2.

1. Cor. 12.

Epheſ. 4.

Bellar. de Rom. Põt. lib. 1. cap. 9.

non *tam de Eccleſiaſtica Hierarchia*, quod aduertit Bellarminus, aut Eccleſiaſticorum munere, ordine, poteſtate & iuriſdictione diſſerere, quàm de *chariſmatibus*, quibus ſurgens Eccleſia illis ſuis initiis à Spiritu ſancto ornaretur, excitatis ſummis viris, qui propagando Euangelio operam nauantes, diuinis illis præſidiis fidem munirent. Hoc ſuadetur, quia multorum meminit quæ in Eccleſia eſſe deſierunt: Cùm igitur accuratam Eccleſiaſticæ Hierarchiæ delineationem, minimè moliretur, ſatis ei fuit in genere meminiſſe earum poteſtatum quæ in Eccleſia vigerent, quod in eis reliquæ recluderentur.

Addò igitur ſecundò, neutro loco Apoſtolum etiamſi Eccleſiaſticam Hierarchiam deſcribendam ſumpſerit, quod vult aduerſarius, omnes functiones aut munia Eccleſiaſtica complexum fuiſſe; Hoc fateri cogitur Spalatenſis, ſiue ille Puritanus ſit, ſiue Anglo-Caluiniſta iam audiat. Oſtendant enim hic Puritani ſuos Seniores & ſuos Diaconos, Anglocaluiniſtæ verò ſuos Primates, ſuos Archiepiſcopos, ſuos Epiſcopos. Dicent Puritani, hîc non recenſeri ſuos ſeniores & ſuos Diaconos, quod propoſitum ſit Apoſtolo eos referre *qui laborent in verbo*, quod illi non faciunt; Atqui priore loco plurium quoque meminit Apoſtolus, vt eorum qui dono curationum effulgerent, & eorum qui opitularentur infirmis, ac eorum curam ſuſciperent, qui in verbo non laborarent, cur non ergo Diaconorum & Seniorum, quoque meminit? Proculdubiò igitur fatendum eſt Puritanis non eam Eccleſiæ imaginem depinxiſſe Apoſtolum quam illi habeant; Anglocaluiniſtæ pro ſuis Primatibus Metropolitis, Archiepiſcopis, Epiſcopis reſpondebunt, nomine eos Paſtorum & Doctorum comprehendi, & reluctantibus Puritanis atque id obſtinatiſſimè inficiantibus idem recinent, quod eſt ab eis pro ſuis Diaconis & Senioribus vſurpatum, nempè quia Metropolitarum, Primatum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum munus non in verbi & ſacrorum adminiſtratione, ſed in regimine & iuriſdictione occupatur eorum non meminiſſe Paulum, qui eos ordines dumtaxat explicandos ſuſcepiſſet, *qui laborarent in verbo*, & eo munere proximè defungerentur. At quantò nos æquiore iure reſpondere poſſumus, idcircò prætermiſſum ſummum Pontificem, quod quanquam ea poteſtas proferendo Euangelio, & verbo Dei propagando deſtinata ſit, id tamen magis præſtet regimine & iuriſdidictione, quàm verbi aut Sacrorum adminiſtratione? Sed hæc omnia miſſa facimus; Atque rotundè reſpondemus nullo modo conſequi, quia cùm commodè hîc recenſeri potuiſſet ſummus Pontifex, recenſitus tamen non ſit, idcircò in Eccleſia eum tunc non fuiſſe. Eſt enim aliis locis ea poteſtas expreſſa, maximè verò illo, *Paſce oues meas*, *Paſce agnos meos*. Et ſolet præterea Scriptura, vt aduertit Auguſtinus, multa præterire breuitatis cauſa, *quæ ex ſerie traditionis ſunt intelligenda*: Certè ſuppoſititius Ambroſius, qui nomine Apoſtolorum *Epiſcopos* hîc intelligendos cenſet, vnum Pontificem ſummum, qui Eccleſiæ vniuerſæ præſit, agnoſcit; *Cùm*, inquit, *totus mundus Dei ſit Eccleſiæ, tamen domus eius dicitur*; *cuius hodie Rector Damaſus*, inquit ille. Et Baſilius qui *Eccleſiæ gubernationes per Spiritum ſanctum peragi*, nobis adnitentibus, docet, Petrum *Petram* facit *ſuper quam fundata ſit Eccleſia*. Ignatium cùm non magnifaciant aduerſarij, potuit ab eo proferendo abſtinuiſſe Spalatenſis, tamen reſpondemus retuliſſe quidem illum negotia Eccleſiæ ad Collegium Apoſtolorum, *ſed Ariſtocraticum* non dixiſſe, neque enim, quod putat Spalatenſis Collegium ſemper Ariſtocraticum eſt, cùm ex collegarū numero vnus ſoleat deligi, qui

Lib. de fide & oper. c. 9.
Comment. qui præf. nomine.
Ambr. in 1. Cor. 11.
Vide in 1. ad Tim. c. 3.
Baſil. de SS. c. 27.
Idē in Eſa. ad cap. 2.
Ignat. in ep. ad Philadelph.
Apud Spal. eod. nu. 2.

Digitized by Google

qui etiam in rebus gerendis, authoritate reliquis præſtet, quòd in Collegio Apoſtolorum factum à Chriſto oſtendit Hieronymi dictum toties inculcatum, *ex duodecim vnus eligitur, vt Capite conſtituto ſchiſmatis tollatur occaſio.*

Vanus eſt autem Spalatenſis, qui toto numero tertio, vt Bellarminum vexet, quod in quæſtione poſitum eſt tamquam probatum aſſumit, nempè *Chriſtum Ariſtocratiam, non verò Monarchiam in Eccleſia præſtituiſſe*: Quanto verò validius ex ſapientia Chriſti ordinatiſſimam illam regiminis formam, Monarchiam ſcilicet, delegiſſe contendit doctiſſimus Cardinalis? Nam quod *à Chriſto non eam delectam, ſed tyrannide Romanorum Pontificum in Eccleſiam inuectam* dicit deſertor, verba ſunt hominis ſplendidè mentientis, aut etiam delirantis. Quæ enim tanta vnquam fuit temporalis Pontificum Romanorum poteſtas, vt toto quidem Oriente reclamãte, & tam multis Occidẽtis Epiſcopis, vt ille exiſtimat renitentibus Eccleſiam vniuerſam ſibi ſubiicere pronum eis fuerit? An non contra vel id munus eſſe Chriſti oſtendit, quod poſt tot ſæcula duret ac perſeueret nobiliſſima Cathedra, cui tot Imperatores, tot tyranni, tot hæretici, tot ſchiſmatici, bellum nefarium indixerint; & de ea euertenda tam ſæpè cogitarint? Nimirum ad hanc proximè pertinet illud Chriſti; *Portæ inferi non præualebunt aduerſus eam?* Hæc enim, teſte Auguſtino, *eſt illa Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Ad calcem huius ſectionis cõtendit aduerſarius, *Corpus Eccleſiæ ſpectatum cum Chriſto Monarchiæ formam habere, ſed ipſorum miniſtrorũ corpus, ſecluſo Chriſto, ſpectatum Ariſtocratiæ cuiuſdam ſpeciem præ ſe ferre*, atque vt his præſtigiis nos ludificet, rurſus pro ſumma illa ſua ſolertia in poſtulatione principij verſatur, ac *Chriſtum nullum ſuæ authoritatis Vicarium reliquiſſe aſſumit*: Hoc vbi probauerit, Monarchiam non ſolùm euerterit, ſed & verba Chriſti, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, de Euangelio eraſerit, ac ſuſtulerit.

SPALAT. Num. 3.

Bellar. in li. cõtra Marſilium.

Aug. Pſ. in cont. part. Donat.

Cæterùm non potuit incogitantiam ſuam apertiùs prodidiſſe, quàm allato pro ſua Ariſtocratia contra Monarchiam loco illo, *Fidelis ſeruus & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illis cibum in tempore, &c. Si autem dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire, & cœperit percutere conſeruos ſuos, manducet autem & bibat cum ebrioſis, veniet Dominus ſerui illius, &c. Diuidet eum, partémque eius ponet cum hypocritis.* Quod vt plenius intelligatur, primùm quidem aduertendum eſt, quod monuerat Bellarminus, ea verba ad Petrum proximè pertinere, ſiquidem cùm paulò ante Dominus dixiſſet, *Beati ſunt ſerui illi, quos cùm venerit Dominus inuenerit vigilantes*, quæſiuit ab eo Petrus, *Domine ad nos dicis hanc parabolam an ad omnes?* Reſpondit autem Dominus Petro, *Quis putas eſt fidelis diſpenſator & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Quibus verbis innuiſſe videtur Petro ſolicitudines & curas, quibus diſtineri eum par eſſet, familiæ ſuæ œconomum, & diſpenſatorem impoſitum. Secundò aduertendum eſt alluſiſſe Chriſtum ad veterem familiarum morem, in quibus mos iſte obtineret, vt qui omnium ſeruorum fideliſſimus deprehenderetur, à Patre familias, omnibus in vniuerſum ſeruis, præponeretur, ac præficeretur. Qua itidem ratione, antequam Petrum gubernaculis Eccleſiæ admoueret Chriſtus, quæſiuit ab eo, *Diligis me plus his?* vt ſcilicet dignus agnoſceretur quem reliquis præferendũ ac præficiendum duxiſſet. Tertiò obſeruandum eſt non ſolùm Monarchiam non euertiſſe hoc loco Chriſtum, ſed illam firmaſſe; Namque ſignificat Dominus ſe loqui de eo ſeruo, qui vnus omnibus ſeruis ſuis præſit, quique ſoli Domino ſuo

SPALAT. Num. 4. Matth. 24. & Luc. 12.

Ioan. 21.

ſubiiciatur, quare cùm familiæ ſuæ eam ſimilitudinem accommodet, proculdubio innuit ſe vnum è famulorum numero domui ſuæ præpoſiturum, qui ſe vnũ iudicem agnoſcat; Atque quidem ſe iudicem addit, ne ſibi indulgeat Oeconomus, néve Imperio ſibi conceſſo per inſolentiam abutatur, aut conſeruos violet, aut ebrietati vaccet, aut denique omnia ſuſque deque vertat in familia, quippe cui ratio reddenda ſit ei, *in cuius manus horrendum ſit incidiſſe*, quique norit potentes potentiſſimis tormentis mulctare. Non igitur Chriſtus ſuſtulit de Eccleſia Monarchiam, quod facilè in tyrannidem degeneraret; ſed ne quis ea inſolenter in conſeruorum ſuorum continentia abuteretur, Tyrannis comminatus eſt, & denunciatione periculi terrorem incuſſit Eccleſiæ præfectis, quos illa gloria dementaret. Significauit igitur, quanquam ſua potentia freti, ac ſupra reliquos poſiti, omnium hominum cenſuram effugerent, non poſſe tamen vnius Dei iudicium declinare aut ei ſe ſubducere; qui contumelioſi Oeconomi partem cum Hypocritis poſiturus ſit. Qua de re extat Canon, *Si Papa ſuæ, & fraternæ ſalutis negligens, deprehenditur inutilis, & remiſſus in operibus ſuis, & inſuper à bono taciturnus, quod magis officit ſibi, & omnibus, nihilominus innumerabiles populos cateruatim ſecum ducit, primo mancipio gehennæ, cum ipſo plagis multis in æternum vapulaturus.* Ineptiſſimè ſcilicet & inſulſiſſimè Sectarij, & in his Beza hæc ita acceperunt, vt exiſtimarint Bonifacium Papam qui author Canonis non eſt, ſed Bonifacius Moguntinus Epiſcopus his verbis enormem, ac planè furioſam ſibi tribuiſſe poteſtatem animas cateruatim pro libito in infernum detrudendi; cùm contra Bonifacius infernum interminetur ſcelerato Pontifici, ac improbo rerum Domini ſui adminiſtratori. Sed vt ad argumentum reuertamur, certè iudice Ariſtotele, ac aſſentientibus omnibus Philoſophis, non Ariſtocratiæ, ſed Monarchiæ παρέκβασις & φθορὰ eſt Tyrannis. Quare cùm de ea poteſtate, quæ in tyrannidem degenerare poſſit, ſermonem habuerit Chriſtus, omninò Monarchiam, non verò Ariſtocratiam intellexit. Improbè igitur ad Monarchiã tollendam hoc loco abuſus eſt Spalatenſis. Quòd addit ex Cameracenſi de *Monarchia Ariſtocratia temperanda*, id quoque verum exiſtimat Bellarminus, vt argumento ſit nos hîc *nullum violentum imperium* ſomniare.

Canon. Bonifacij Ep. Mogun. diſt. 40. c. 6.

Spalat. Num. 5.

Iam quod res ſit infamiæ plena, ab Oecumenicis Conciliis, quorum in numero Conſtantienſe ponitur Anathemate afflicta dogmata, propugnaſſe, hanc à ſe inuidiam amoliri tentat Spalatenſis, oſtendereque nititur *nihil ſibi cum Ioanne Hus, cuius impiæ aſſertiones ſint illo Concilio diris deuotæ, eſſe commune*, ſed laterem lauat. Conferantur dogmata, & planè videbitur non tam ouum eſſe ouo ſimile, quàm ſunt iſta illis ſimilia. Prima aſſertio Ioannis Hus, cuius hîc meminit eſt, *Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe vnum Caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militanti Eccleſia conuerſetur, & conſeruetur.* Secunda eſt; *Chriſtus ſine talibus Capitibus monſtruoſis per ſuos veraces Diſcipulos per orbem terrarum, melius ſuam Eccleſiam regularet.* Tertia eſt, *Apoſtoli & fideles Sacerdotes Domini, ſtrenuè in neceſſariis ad ſalutem regularent Eccleſiam, antequam Papæ officium foret introductum; ſic facerent deficiente, per ſummè poſsibile, Papa, vſque ad diem iudicij.* Annon igitur vniuerſa hæc totidem penè verbis retexit toto hoc opere Spalatenſis, & quidem adeo infœlicem in hac iniuria depellenda operam ponit, vt ſe amplius ac amplius irretiat, planéque reum ſe criminis faciat, cuius cauſa ſit damnatus Huſſitarum patronus. Præterea ſcilicet omni pudore poſito in Concilium debacchatur: *Reſpondeo,*

Concil. Conſt. ſeſſ. 12.

Spondeo secundò, inquit, *eos, tametsi aliquid simile cum meis assertionibus continerent, damnatos tamen non esse legitimè; quia eorum singulorum examen non apparet; sed in confuso simul cum multis aliis sunt in sententia contra Ioannem Hus, sub huiusmodi censura notati; Non esse Catholicos, nec tanquam tales esse dogmatizandos, sed ex eis plures esse erroneos, alios scandalosos, aliquos piarum aurium offensiuos, pluresque eorum esse temerarios, & seditiosos, & nonnullos eorum esse notoriè hæreticos. Erant igitur hi tres articuli ex illis qui dicuntur aurium offensiui, quia turgent odio fortasse nimio erga Romanum Pontificem, & videntur acerbius, & sine charitate prolati. Doctrina tamen in eis contenta, nimirum in Ecclesia non dari vnum caput supremum, & Monarcham, præter Christum: Christum suam Ecclesiã per multos ministros, sine vno isto Monarcha mortali, regere perfectè & gubernare, est doctrina Catholica, à sanctis Patribus hactenus egregiè explicata, & confirmata. Et fatetur Gersonius multos articulos horum, tunc damnatos in Concilio Constantiensi, posse ad bonum sensum trahi: Sed & Concilium Constantiense nostri Romani non recipiunt, quod sanè Caietanus flammis dandum esse asserit: quia nimirum Ecclesiam in capite quoque reformare volebat, & quia Papam Concilio suppositit. Cur etiam itaque flammis non erit dandum, dum articulos istos verissimos, & maximè Catholicos damnat; & assertorem eorum dat flammis?* Solemnis nimirum iste mos est omnium hæreticorum, Oecumenicas Synodos à quibus sint eorum profligata dogmata, erroris, iniustitiæ ac tyrannidis insimulare & postulare. His maledictis Arrius Nicænam Synodum onerauit, Macedonius Constantinopolitanam, Nestorius Ephesinam, Dioscorus Chalcedonensem. Quod autem scribit Gerson, *potuisse multos articulos in Concilio Constantiensi damnatos ad bonum sensum trahi*, nõ iuuat Spalatẽsem; Censet quidem Gerson, si subtilitatibus locus fuisset, potuisse vtique adminiculo Logicæ excogitari aliquem eorum articulorum sensum qui errore careret, sed cùm Theologis ad certam regulam loqui fas sit, hoc est citra ambages, Concilium vtique grauiter ac seriò de illis iuxta tenorẽ verborum censuisse. Quod verò addit, *nec Romanos Concilium Constantiense recipere*, immanis est impostura. Inspiciatur Catalogus Conciliorum Oecumenicorũ nouæ editionis Romanæ, item Colonienſis, & de calumnia constabit; certè in vtraque Oecumenicis annumeratur. Quod ad Caietanũ attinet, falsum falsissimum vnquam asseruisse eum flammis esse dandum Concilium Constantiense, *quod Ecclesiam in capite reformare voluerit*: Sed cùm quædam placita Patrum Constantiensium atque etiam Basilienſium sibi opposuisset, illa primùm molire tentauit, interpretationes adhibuit, in meliorem sensum flexit, atque cùm ipse sibi obiici posse videret, esse ista à mente Patrum remotiora, spectanda esse tempora monuit, quibus cusa essent eiusmodi decreta, & aduertendum non semper fuisse in illis Conciliorum Oecumenicorum vim & robur; ac tandem vt se expediret addidit. *Dico secundò quod si honorem veritatis recusant, falsa, erronea, ac igni obnoxia sunt.* Sed hæc Spalatensem non iuuant, qui cum mendacio patrocinetur, *veritati honorem dare recusat.* A numero sexto ad duodecimũ mirum se ineptiarum artificem, & fumorum venditorem ostendit: Primùm persuadere nititur nos *Christum absentem facere, atque regimine Ecclesiæ excludere*, Huncque *errorum omnium fontem dicit*; sed vanum hoc hominis commentum est centies à nobis profligatum, non enim abest Christus, sed cùm inuisibili modo perpetuò Ecclesiæ suæ prospiciat spectabilem pastorem, Vicarium scilicet Caput, Petrum ac Petri successores reliquit. Secundò addit, *perfectam esse in*

Gerson ser. pro viag. Reg. Rom. par. 2. dir. 3. Caiet. Opusc. 1. cap. 8.

Caiet. tra. 1. cap. 8.

Spalat. Num. 6.

Digitized by Google

Eccleſia Monarchiam, quæ ſcilicet vnum Chriſtum habeat Caput, tamen cogitatione poſſe ſeiungi Chriſtum, vt deſinat in quandam regiminis formam, quæ neque ſit propriè amplius Monarchica, neque Ariſtocratica, neque Democratica, ſed mixtum quoddam etiam quoad nomen deſcriptionemque valdè imperfectum: Quid autem ſibi iſta velint planè non video; Totus erat ſupra, vt probaret Eccleſiæ regimen eſſe Ariſtocraticum, hic neque Monarchicum, neque Ariſtocraticum, neque Democraticum eſſe contendit. Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis. Addit verò *ſe id in Ariſtocratia ſpectaſſe, vt Optimatum gubernatione vnius Pontificis authoritatem conuelleret, plebem perinde Magiſtratu ſubmoueret:* Cæterùm *abeſſe ab illa ſua Ariſtocratia proprietates veræ Ariſtocratiæ, quia ſcilicet reuera regimen eſt Monarchicum ſub Chriſto, & in vera Monarchia quærere aliam formam regiminis eſt importunum.* Annon igitur importunus, qui Ariſtocratiam in Eccleſiam inducere connitatur? Pergit deſipere. *Ait habere rurſum Eccleſiam in terris Monarchiam alio duplici ſenſu, primo quia ſingulæ Eccleſiæ Monarchicè ab vno Epiſcopo gubernantur: Epiſcopi ſubiiciantur ſuo Metropolitano, Metropolitanus Primati, Primates cum reliquis ſuo Patriarchæ.* At quorſum non addidit etiam Patriarcham ſummo Pontifici ſubiici, qui huius ordinis Princeps ſit? Et quidem cùm Petro dictum ſit, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos,* cùm ſedes Patriarchales primis Eccleſiæ temporibus nullæ habitæ ſint, niſi quas ipſe fundaſſet, non debuit ſummæ authoritatis faſtigiũ præteriri, cum eo totus Hierarchicus ordo nitatur. Ignatius quidem Epiſtola ad Trallianos (de eius ſinceritate non diſputo) ait *Epiſcopum omnem Principatum & poteſtatem ſupra omnes* (ſuos ſcilicet miniſtros, inquit Spalatenſis,) *obtinere tantum quantum poteſt obtinere homo, Chriſti miniſter.* Sed non erat cur proinde nihil relinqui Romano Põtifici contenderet. Eſt ſumma Epiſcopi in ſuos miniſtros poteſtas, ſed ipſe viciſſim ſuperiori poteſtati nempè Pontifici paret, qui tamen in eius patrimonium non inuolat, nec inuadit fines illius, quandiu in ordine ſtat, & illa ſua poteſtate non abutitur, ſed cùm exorbitat, errantem in viam reducit. Hieronymi etiam locus nobis fauet; *Singuli*, inquit, *Eccleſiarum Epiſcopi, ſinguli Archipresbyteri, ſinguli Archidiaconi, & omnis ordo Eccleſiaſticus ſuis Rectoribus nititur;* Nam ſummũ in hoc ordine Rectorem Pontificem agnoſcit Romanum, vt ex duabus ad Damaſum Epiſtolis, ac ſexcentis aliis locis oſtenditur; Certè eodẽ ſæculo author cõmentariorum, qui Ambroſij nomine præfertur, eundem Damaſum, non ineleganter *domus Dei, quæ eſt Eccleſia, Rectorem* vocat. *Scribo tibi,* inquit, *vt ſcias quomodo Eccleſiã ordines, quæ eſt domus Dei, vt cùm totus mundus Dei ſit, Eccleſia tamen domus eius dicatur*, CVIVS HODIE RECTOR EST DAMASVS.

SPALAT. Num. 7.

SPALAT. Num. 8.

Hieron. ad Ruſt. ep. 4.

Ambr. ſup. ad ca. 3. ep. 1. ad Tim.

Secundò vrget Spalatenſis, *Monarchiam, cœtum Apoſtolorũ, adeoque omnium Epiſcoporũ hoc nomine vocari poſſe, quod teſte Cypriano Epiſcopatus omnes partiales vnicus ſint Epiſcopatus, & omnes priuatæ Eccleſiæ vna Eccleſiæ vniuerſalis.* Sed Cypriani teſtimoniũ primo loco prolatum Spalatenſem iugulat. *Deus,* inquit, *vnus eſt, & Chriſtus vnus, & Eccleſia vna, & Cathedra vna, ſupra Petrum Domini voce fundata.* Iniecta enim de vna Cathedra ſupra Petram fundata mentio, Petrum ſpectabile Caput Eccleſiæ, huius vnitatis principium, originem, &, vt ipſe loquitur, exordium innuit. Quod autem addit Cyprianus: *Nam & ſi Paſtores multi ſumus, vnum tamen gregem paſcimus:* id planè verum eſt, quia ſinguli Epiſcopatus, veluti portio ſunt gregis Chriſti, ſuo priuato paſtori credita, ſed id ordinem & ſubiectionem inter paſtores

SPALAT. Num. 9.

Cypr. lib. 1. epiſt. 8.

Idem Cyp. l. 3. epiſt. 13.

Digitized by Google

ſtores minimè tollit; Nam & Cyprianus tanquam Africæ Primas Collegis ſuis Epiſcopis etiam ius dicebat, ac eorum conſeſſui moderabatur: Quandoquidem etſi *vnum Epiſcopatum* dixit, *cuius à ſingulis in ſolidum pars teneatur*, tamen non dixit omnes Epiſcopos pari aut gradu aut dignitate eſſe, nec certe in ſententia Spalatenſis dicere potuit, cùm Metropolitas, Primates, ac Patriarchas in Hierarchia Eccleſiæ à ſe delineata reponat. Neſcio verò quo ſenſu Monarchiam dicat Spalatenſis, *cætum omnium Miniſtrorum qui vni non pareant, ſed dumtaxat inter ſe colligentur, conſpirantibus votis in Eccleſiæ curam incumbentes*; Namque cùm plures imperant, quanquam vnanimes, quanquam in vnam curam incumbentes, quanquam omni vinculorum nexu cohærentes, *Monarchia* non eſt quæ omnium Philoſophorũ iudicio vno capite à multitudine ſeiuncto, nititur; Sed pudet in his quiſquiliis immorari. Poſtremò etiam Democratiæ in Eccleſia ſuas partes tribuit, plebemque in conſortiũ vocat ſummæ poteſtatis, quippe quã velit etiam *actiuè & executiuè concurrere ad aliquem excommunicandum; ad eligendos Eccleſiæ miniſtros*, etſi ſuperis placet, *ad quæſtiones fidei tractandas*, ſed quia hæc ab eo gratis dicuntur, gratis quoque refelluntur. Pollicetur ſe reliquis libris de his accuratius acturũ, videbitur ſuo loco. Sed Anatomen hanc habe doctrinæ Spalatenſis, erudite lector. *Monarchia in Eccleſia non eſt admittenda, Monarchia in Eccleſia obtinet, Ariſtocratia in Eccleſia regnat, Ariſtocratia in Eccleſia propriè non eſt, Democratia etiam in Eccleſia ſuas partes habet*, ac tandem, *In Eccleſia neque eſt Monarchia, neque Ariſtocratia, neque Democratia, ſed mixtũ quoddam etiam quoad nomen deſcriptionémque valdè imperfectum*: O barbariem, ô veſaniam! Scio Cardinalem Bellarminũ aſſerere Eccleſiæ regimen *temperatum eſſe ex omnibus tribus formis, cùm primùm Monarchia in vno Pontifice effulgeat, Ariſtocratia in Epiſcopis, qui veri Principes & paſtores ſunt ſuarum plebium, Democratia verò in Chriſtiana multitudine, cui ad honores Eccleſiaſticos, via non ſit præcluſa, & poßit quiuis de eius numero, ſi modo dignus ſit, etiam ad Epiſcopatum promoueri.* Sed ſic Monarchiam temperat Bellarminus, vt tamen primas & ſummas partes ei tribuat; Spalatenſis verò adeo perturbatè & confusè omnia tradit, vt in hoc illo *ſuo mixto imperfecto*, quod nobis obtrudit, neque pedem neque caput agnoſcas: Et tamen de Hierarchia Eccleſiæ rectè ſtatuiſſe ſe inaniter gloriatur. Vt fidem faciat aggreditur ad diſſoluenda argumenta, quæ ſunt à noſtris, pro aſtruenda Monarchia, vſurpata. Primùm igitur vt Eccleſiæ gubernationé Monarchicam eſſe probent Orthodoxi hoc argumento vtuntur, *Monarchia omniũ Philoſophorum iudicio omnibus regiminis formis excellit, ſed certum eſt Eccleſiam Dei à ſapientißimo Principe Chriſto inſtitutam optimo & excellentißimo regiminis genere gubernari; Ergo proculdubio Monarchia in ea obtinet.* Maiorem propoſitionem negare non audet Spalatenſis; Sed excipit, *hîc minimè queri quid Philoſophorum aut mundi ſapientum iudicio melius ſit, ſed quid Chriſtus melius duxerit*; Prætuliſſe verò illum Ariſtocratiam Monarchiæ, ac præſtantiorem in Eccleſia iudicaſſe contendit; ſed immaniter errat, Primùm enim noſtri humanam ſapientiam non aduocant, ſed ad naturam ipſam prouocant, cuius cùm author ſit Deus, non poteſt non eſſe ordinatiſſimum opus. Nam quod Homerum, Ariſtotelem, Stobæum, Iſocratem, Plutarchum, & ſimiles proferunt, idcircò faciunt quod hæc illorum erudita dicta Οτι κάλλιστον ἡ μοναρχία,

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς,

non tam illorum placita ſint, quàm naturæ iudicia, *Nam ſi naturam propiùs in-*

Item tract. de ſimplic. prælat.

Specimen ineptiarum aduerſarij.

Argumenta Orthodoxorum pro Monarchia. 1.

Bodin. Method. hiſt. pag. 385.

Digitized by Google

ſpiciamus, inquit ex politicis non nemo, *Monarchiam vbique intueri licebit. Videmus enim vt à minimis auſpicer, in apibus Regem, in armentis ducem, in gregibus hircum aut arietem ſectarium* (*vt inter grues ipſas vnam reliquæ ſequuntur*) *& in ſingulis rerum naturis vnum aliquid excellere: Sic adamantem inter gemmas, aurum inter metalla, Solem inter ſydera, denique Deum vnum, mundi Principem & authorem: quinetiam inter malos genios, vnum aliquem eminere aiunt. Sed ne longius progrediamur, quid eſt aliud familia, quàm vera Reipublicæ imago? Hæc tamen vnius imperio continetur.* Certè Ariſtoteles, Homeri teſtimonio quo Monarchiæ præſtantiam declarauit Vlyſſes,

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς,

Ariſto. 12. Metaph. ad fin. Vnum eſſe in vniuerſo primum motorem Deum, confirmare non dubitauit. Quod verò vrget Spalat. *Chriſtum contra mundi ſapientes pronunciaſſe, ac Ariſtocratiam Eccleſiæ ſuæ longè vtiliorem iudicaſſe*, falſum falſiſſimum eſſe nos ſuprà oſtendimus, & *poſtulatione*, vt vocant, *Principij*, iterum peccat. Quod verò addit, *incommodis quæ ex regimine illo ferè Ariſtocratico* (meram enim Ariſtocratiam pronunciare non audet) *oriri poſſent, nec tamen in Monarchia inuenirentur, ſatis prouiſum, inſtitutione Epiſcoporum in ſingulis Eccleſiis, qui eas monarchicè moderentur*, argumentum non ſoluit, nam intra priuatarum Diœceſeõn fines ſe continet Epiſcoporum poteſtas, nec ad Eccleſiam vniuerſam ſeſe fundit. Non autem hîc de Eccleſiis priuatis agitur, ſed de *Catholica*, id eſt de ea quæ in toto orbe obtinet. Huius igitur regimen Monarchicũ eſſe debere, vel ex eo colligimus, quod ſinguli Epiſcopatus, ſingulis ſuis rectoribus nitantur, ſed de hoc argumẽto videbitur in-

Spalat. Num. 13. ferius. Hic iam aliquid reponendũ teſtimoniis Philoſophorũ atque Theologorum, quos in cauſa Monarchiæ teſtes adduxit Bellarminus ducit Spalat. Dicit igitur primùm, *multa adduci teſtimonia à Monarchicis ſapientum, quæ potius multorũ per ſe ſingulorum diuiſim regnare ſimul & imperitare conantium confuſionem reprehendunt; quàm veram Ariſtocratiam Optimatum, qui non ſinguli, ſed omnes ſimul exerceant gubernationem.* Id quia non docetur, refutatione non indiget; Præterea non aduertit confuſionem huiuſmodi, quæ ex hominum de Principatu contendentium ambitione naſcitur, facilius vitari in Monarchia quàm in Ariſtocratia, in qua cùm multi imperent, pronum eſt cuique dominatũ appetere, & pro eo conſequendo lites aliis mouere. Addit ſecundò, *Pleraque non totalem & vniuerſalem, ſed partialem tantùm quam in Eccleſia non neganus, laudant & ap-*

Cyprianus tract. de Idol. vnit. *probant Monarchiam. Quale eſt quod dicit Cyprianus, Rex vnus apibus, dux vnus in gregibus, & in armentis rector vnus. Et Hieronymus, in apibus Principes ſunt,*

Hieron. ad Ruſticum ep. 4. *grues vnam ſequuntur ordine litterato; Imperator vnus, Iudex vnus Prouinciæ; Roma vt condita eſt duos fratres ſimul habere Reges nõ potuit, & parricidio dedicatur; Singuli Eccleſiarũ Epiſcopi, &c. Singula enim apum examina habent, vt fertur, ſuũ Regem, non tamen omnes apes totius mundi ſunt ſub vnico Rege. Ita de gregibus, de armentis, de gruibus, de exercitum Imperatoribus, de iudicibus Prouinciarũ, de ſolius Romanæ ciuitatis Rege, de Epiſcopis, &c.* Hoc pacto eleuaſſe ſe tum Cypriani tum Hieronymi authoritatem putat, ſed nõ videt tum Cyprianũ, tum Hieronymũ, tũ Iuſtinũ, tũ Athanaſiũ, ex vnius imperio quod ſit cõſortis expers, tanquã ex optima & præſtantiſſima regiminis forma euincere voluiſſe vnũ in vniuerſo Deum ſtatuendũ, qui totam illã magnã molem verſet ac moderetur, quod argumẽto ſit eos non ad priuatas gubernationes Monarchiæ præſtantiã coarctaſſe, ſed in vniuerſum eſſe excellentiſſimã regiminis formã pronunciaſſe. In eadẽ autẽ ſententia

fuiſſe

fuisse Hieronymum discat ex ipsius verbis, nam postquam dixisset, *In Apibus Principes sunt, &c.* insuper & hoc addidit, *In domo vnus Dominus, in quamuis grandi exercitu vnius signum exportatur*; Non illum fugit, Ecclesiam vniuersam vnum esse Dei viuentis exercitum; Est enim *illa veluti castrorum acies ordinata*: Ergo quantumuis grandis sit iste exercitus, rectè sub vnius Imperatoris qui Christi vices gerat, signis collocatur; Eadem ratione Hieronymus, *Quantumuis ampla sit domus, vnius imperio continetur*: Nec ad rem facit quod hîc repetit Spalatensis, *Ecclesiam vniuersalem ex multis priuatis coalescere, quæ singulæ suos rectores habeant*, nam præterquam quod supra monuimus, non iam illis Ecclesiis, sed Ecclesiæ vniuersæ ex iis omnibus conflatæ ac constitutæ consulendum esse prouisione rectoris, qui toti vniuersitati imperet, & schismatum occasiones rescindat; Ecclesia etiam vniuersalis vna est non secùs ac armentum vnum, ac propterea vnum quoque Principem deposcit, qui singulos Episcopos in varias Diœceses distractos in officio coutineat. Sic sanè vt Spalatensis exempla refellamus pater familias magno gregi vnum supremum pastorem præficit, cui inferiores pastores pareant, ac obsequantur; & amplissimæ vineæ etiam vnus agricola præficitur, qui quod solus eam colere non possit, alios colonos accersit, qui tamen ab eius nutu pendeant, si modò vineam ei credidit vineæ Dominus. Concidunt ergo similitudines à Spalatensi allatæ pro Anarchia sua stabilienda.

Hier. ad Rust. ep. 4.

Secunda nostrorum ratio quam impugnandam suscepit Spalatensis est, *Illa forma regiminis in Ecclesia ponenda est, quæ est omnium ordinatissima, Monarchia est huiusmodi, namque est in ea ordo maior & gubernatio magis ordinata quàm in Aristocratia aut Democratia, cùm in ea omnes vni subiiciantur, vnusque solus præsit, Ergo in Ecclesia ponenda est.* Excipit Spalatensis, *se ordinem non in multitudine & subordinatione graduum, sed in eo collocare, vt sint, & qui subiiciantur, & qui præsint*, additque *hoc esse in omni Republica cuiuscumque formæ sit*; At extra chorum saltat; Non enim contendunt nostri in Aristocratia aut Democratia ordinem nullum esse, sed longè in Monarchia esse præstantiorem. Hoc postremum si negat, rerum naturam conuertat quæ hoc ordine delectatur. Certè multò libentius in vnius se Imperium tradunt homines, quàm in multorum. Etsi verò *proclive sit vnum reliquis imperantem in tyrannum euadere*, quod obiicit Spalatensis, possunt quoque plures, vt Trium-viratus ostendit, potestate sua in ciuium perniciem insolentissimè abuti. Neque verò summo Pontifici propterea fræna laxantur, *quod actorum suorum rationem vni Deo sit redditurus*, & adeò vitiosum est argumentum ex eo capite ductum, vt Monarchiam quoque Regum euertat, si quid habeat ponderis, nam suprà omnem censuram positi sunt, vnde est illud Dauidis regis Deum alloquentis, *Tibi soli peccaui*, quod scilicet nullus mortalium, sed solus Deus scelerum pœnas à rege repetere posset. Est certè timoris diuini potentissimum frænum, quo etiam rigidæ ceruices cohiberi, ac in officio contineri possint; nihil ergo Aristocratiam iuuant quæ sunt hîc à Spalatensi nullo iudicio effusa.

Spalat. Num. 14. 2. Argu. Orthod.

Pſal. 50.

Tertia ratio qua nituntur nostri quamque impugnat Spalatensis est, quia, *Coniunctio inter ciues certius & facilius obtinetur, si vni parendum sit, quàm si multis: vix enim fieri potest vt multi, quorum vnus ab alio non pendeat, de rebus iisdem, eodem modo iudicent; Si igitur alius aliud imperet, aut alicui non parebitur, aut in varia studia populum scindi oportebit.* Excipit Spalatensis, *hoc suam Aristocratiam Ecclesiasticam*, non oppugnare, *In ea enim*, inquit, *singuli nostri opti-*

Spalat. Num. 15.

mates, hoc eſt Epiſcopi, nihil poſſunt toti Reipublicæ imperare: & lex ſeu imperium ab illis in totam Rempublicam aut nullum emanat, aut vnicum, & idem omnibus in ipſum vel maiori parte conſentientibus. Atque ita hoc incommodum in ea non eſt timendum. At primùm ſi nullum ab eiuſmodi Ariſtocratia imperium in totam Eccleſiam manat, certè vniuerſæ Eccleſiæ regimen cenſeri non poteſt, cùm oporteat gubernatores in ſubiectos ſibi populos imperio pollere, quo pro rerum opportunitate vtantur. Quod verò addit *futurum vt omnibus conſentientibus, vel ſaltem maiori parte ſanciantur decreta, ſi quæ ferenda ſint*, incertò euentu nititur, nam cùm in ea multi imperent, longè facilius à ſeipſis diſſidebunt quàm vnus à ſeipſo; Sed en potentiſſimum argumentum. Præterea inquit, *præceptum omne & ſanius & ſalubrius à multis, vt plurimùm prodibit, quam ab vno; plus enim vident oculi quàm oculus, & faciliùs eſt vt vnus ex animi perturbatione ad legem iniquam ferendam moueatur, quàm multi. In noſtro etiam caſu qui veram Ariſtocratiam in Eccleſia non habemus, huic incommodo adhuc meliùs proſpectum eſt, dum ſingulis Eccleſiis ſingulos Epiſcopos præfici debere eſt compoſitum & mandatum; ac vetitum ne quis in alienam meſſem falcem immittat.* Vidi Caluiniſtas & Schiſmaticos, qui hoc Achille maximè gloriarentur ac triumpharent; *Ecce*, inquiunt *plus vident oculi quàm oculus*; Primum autem procliuè eſſet reſpondere hoc naturæ axioma meræ Monarchiæ fortaſſe nonnihil præiudicare poſſe, in qua penes vnum preciſè ſit rerum omnium arbitrium, Monarchiam verò Ariſtocratia temperatam, qualis ſit Eccleſiaſtica, in qua Epiſcopi & reliqui Eccleſiæ proceres, Pontificem iuuant, nihil lædere, cùm huius generis Monarchia etiam plures oculos habeat, quàm illa Ariſtocratia; Sed propius ad rem reſpondeo, pro more Scholarum; *Plus vident oculi quàm oculus*, cùm par lumen eſt in ſingulis, concedo; Cùm impar eſt atque oculus oculos luminis præſtantia ſuperat, nego. Dico igitur non eſſe par lumen in reliquis cum ſummo
Luc. 22. Pontifice, namque vni ei in perſona Petri dictum eſt, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*, quare ea luce colluſtratus plus eius oculus cernit quàm multorũ oculi; Certè vltimum Spiritum trahente Synagoga, cùm reliqui Sacerdotes,
Ioan. 11. Scribæ & Phariſæi à ſcopo aberraſſent, vnus Caïphas collimauit: *Vos*, inquit, *neſcitis quicquam, expedit vobis vt vnus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat*; *Hoc autem à ſemetipſo non dixit*, inquit ſacer Euangeliſta, *ſed quod eſſet Pontifex anni illius.* Diſtinctionem autem noſtram de paritate & imparitate luminis firmare poſſumus exemplo Lincei, qui tanta oculorum acie fuit vt nouiſſimam lunam primámque eodem die in ſigno Arietis conſpiceret; Hunc igitur aſſumamus, & cum multis vnum conferamus. Addantur centum oculis mille oculi, qui aciem in cœlum intendant, nunquid propterea Orientem & Occidentem in ſigno arietis Lunam intuebuntur? Non oculorum multitudo, ſed vis luminis in videndo ſpectari debet.

Spalat. Num. 16. Bellar. ibid. cap. 2. in princ. Appendicis vice addiderat Bellarminus, *Vbi in amplis familiis multis ſeruis idem miniſterium aſſignatur, negligenter negotia procurari, quod vnus aliis prouinciam communem relinquat. Rex autem*, inquit, *qui ſcit à ſe vno pendere omnia, cogitur nihil negligere.* Opponit Spalatenſis, *iſtud in ſua Ariſtocratia locum non habere, in qua cùm plures ſeruentiores & fideliores miniſtri operi manum admouent, aliorum negligentiam ſua diligentia ſarciunt*, additque *ſic inter eos diuiſas operas vt quiſque agro ſuo excolendo omnem laborem impendat.* Sed nemo non videt in Monarchia hoc cumulatius atque adeo felicius præſtari; Namque cùm vni ſit

red-

reddenda ratio, quiſque ſibi proſpicit, ac ſuperioris poteſtatis reuerentia adductus, ne in eius offenſionem incurrat omnem diligentiam abhibet, & hoc à ſe dedecus amoliri ſtudet. At inſtat Spalatenſis, *Minori detrimento Domini, vnum aliquem exturba famulorum manus remittere, quàm ſi is in quem tota domus recumbat, officio ſuo deſit*, additque *facilè torpere Pontifices, quod cùm non ſint Eccleſiæ ſuæ Domini, res illius minus ad ſe pertinere putent, nec velint in re aliena ſuos ponere labores*; Sed quod ad primum attinet, hoc ipſo argumento euertitur Monarchia temporalis, in qua facilior eſt lapſus vnius regis, quàm in Ariſtocratia multorum Optimatum: Quod attinet verò ad ſecundum, non aduertit Spalatenſis Spiritum ſanctum, ſupremæ poteſtatis authorem torpentem Pontificem ſolere excitare, & vt nihil proficiat, non deeſſe alios miniſtros, qui hoc detrimentum, eodem Spiritu ſancto impellente, ſarciant; Non dubitamus verò ingentem oportere eſſe charitatem Pontificis, vt eum omnium Eccleſiarum cura remordeat, ac ſollicitum habeat; Sed axioma eſt Philoſophorum, *eum qui eſſe rei impertiatur, illa quoque largiri, quæ huiuſmodi eſſe conſequantur*; Chriſtus ſummæ poteſtatis author non deeſt ſuis Pontificibus, pro quibus etiam eſt Patrem precatus, eos ſancti Spiritus igne inflammat, incendit, & ad opus alacres reddit. Sed paulò grauiora argumenta expendamus.

Aſſerunt noſtri *Eccleſiam vnicum ouile eſſe, cuius propterea vnicus quoque debeat eſſe paſtor, & is quidem viſibilis cùm* dixerit Chriſtus; *Alias oues habeo, quæ non ſunt ex hoc ouili; Illas me oportet adducere, & fiet vnum ouile, & vnus paſtor*; Loqui enim eum de ſpectabili aliquo paſtore cuiuſmodi fuit Petrus, non de Deo ex eo probant, quod *loquatur de ouili, in quo aliquando gentes non fuerint, cùm tamen & Iudæi, & Gentes in eo ſemper ouili fuerint, cuius paſtor ſit Deus.* Excipit Spalatenſis; *Hunc paſtorem eſſe Chriſtum Deum & hominem, qui initio quidem paſtor fuit Iudæorum, mox verò etiam Gentilium ad fidem conuerſorum*; Atqui Chriſtum quidem paſtorem, tum Iudæorum, tum Gentilium agnoſcimus; ſed cũ in cœlum ſe receperit ante adductas in vnum ouile illas alias oues, hic quæritur quis ſit ille paſtor qui poſtquam aduectæ ſunt, eas curandas acceperit, vt eſſet vnum ouile, & *vnus paſtor*, ſpectabilis ſcilicet, vt erat ſpectabile ouile. Sed diligentiori examine opus non eſt; Quis enim ſpectabilem eum paſtorem non agnoſcat in verbis Chriſti, *Paſce oues meas*, *Paſce agnos meos*? Et quidem Spalatenſis *oues Iudæos* ſuprà dicebat, *agnos verò Gentiles*; Iam ergo agnoſcat Petrum vtriuſque populi in ouile Chriſti coacti paſtorem à Chriſto renunciatum. Quod verò ait *etiam Gentiles prædeſtinatos ad ſalutem fuiſſe, non ſecus ac Synagogam, Chriſti ouile verè mundum & ſanctum cùm dixerit Chriſtus*; *Alias oues habeo, non habebo, &c.* Immanis eſt error, neque enim prædeſtinatio ſanctos, aut mundos facit, ante temporalem ad fidem vocationem, Sacramentorum ſuſceptionem, & iuſtificantis gratiæ conſecutionem; Cuius ratio eſt, quia ſcilicet *prædeſtinatio nil ponit in prædeſtinato, ſed in prædeſtinante tota manet*, vt docent Theologi. Sed hæc non ſunt præſentis inſtituti. Perſequamur noſtram de vno paſtore viſibili ouili Chriſti impoſito ſententiam; Firmat eam Bellarminus teſtimonio Cypriani in hunc modum differentis, *Idcirco Dominus inſinuans nobis vnitatem de diuina authoritate venientem, ponit & dicit; Ego & Pater vnum ſumus. Ad quam vnitatem redigens Eccleſiam ſuam, denuò dicit, & erunt vnus grex & vnus paſtor. Si autem grex vnus eſt, quomodo poteſt gregi annumerari, qui in numero gregis non eſt? aut paſtor haberi quomodo poteſt, qui manente vero paſtore, &*

SPALAT. Num.17. Bellar. ibid. c.9. Ioan.10.

SPALAT. Num.18. Cypr. lib.1. ep.6.

in Eccleſia Dei ordinatione ſuccedanea præſidente, nemini ſuccedens, & à ſe incipiens, alienus ſit & prophanus. Non fert Spalatenſis Bellarminum, qui hunc paſtorem à Cypriano commendatum Cornelium intelligat; *Quomodo*, inquit, *obſecro Cyprianus ſi non delirat, poteſt hoc loco intelligere vnicum paſtorem totius vniuerſalis Eccleſiæ eſſe Cornelium Romanum, contra quem aliam Cathedram Nouatianus erexerat?* Sed quomodo ipſe Spalatenſis, ſi modo ipſe ſanus eſt, inficiari poteſt Cyprianum, pro ſpectabili paſtore Eccleſiæ vniuerſæ, habuiſſe Petrum

Cypr. de vnit. Eccl. de quo dixerit; *Loquitur Dominus ad Petrum, Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & ſuper iſtam Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ligaueris ſuper terram erunt ligata & in cælis, & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cælis: Et iterum eidem poſt Reſurrectionem ſuam dicit; Paſce oues meas. Super vnum illum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas mandat oues ſuas.* Hæc clariſſimè oſtendunt falſum falſiſſimum eſſe quod occinit Spalatenſis, *noluiſſe vnquam Cyprianum agnoſcere in Petro ſupremi paſtoris curam.* Quod autem de Petro dixit, non dubitauit quoque de Cornelio affirmare; Cùm eum pro legitimo Petri hærede,

Cypr. ep. 52 & ſucceſſore haberet; *Factus eſt*, inquit, *Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti eius iudicio, de Clericorum penè omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc affuit, ſuffragio, de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio; cùm nemo ante ſe factus eſſet, cùi Fabiani locus, id eſt, cùm* LOCVS PETRI, *& gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret.* Propterea inepta eſt accommodatio illa quam ſomniat Spala-

Supra. tenſis, vt Eccleſiam Romanam, *quam matricem & radicem Eccleſiarum* vocat Cyprianus, *à qua ſit exorta Sacerdotalis vnitas*, in priuatarum ordinem cogat detracta capitis dignitate. Siquidem Cyprianus pro conditione Eccleſiæ, de qua illi ſermo eſſet, loquutus eſt; Cùm igitur Romanam omnium Eccleſiarum *matricem* agnoſceret; Propriiſſimè de eius Pontifice intellexit, quod eſt à Chriſto de vno paſtore ſui ouilis dictum. Et quidem ſi de aliqua priuata Eccleſia diſputationem inſtituiſſet, in qua Nouatianus ſchiſma feciſſet, accommodatione illi opus fuiſſet, quo verba, *fiet vnum ouile, & vnus paſtor*, eò curuaret, & vni paſtori priuato aptaret, ſed cùm de Romana Eccleſia, quæ omnium Matrix eſt Eccleſiarum, illi ſermo eſſet, accommodatione opus non habuit, ſed rotundè loquutus eſt. Quo ſenſu etiam Hieronymus ad Eccleſiam Romanam retulit, quæ de Ec-

Hier. Damaſ. epi. 57. cleſia in vniuerſum ſunt dicta; *Beatitudini tuæ*, inquit, *id eſt Cathedræ, Petri cõmunione conſocior; ſuper illam Petrã ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluuio: Et quia pro meis facinoribus ad eam ſolitudinem commigraui, quæ Syriam iuncto Barbariæ fine diſterminat; nec poſſum ſanctum Domini, tot interiacentibus ſpatiis à ſanctimonia tua ſemper expetere, ideo hic collegas tuos Ægyptios confeſſores ſequor, & ſub onerariis nauibus parua nauicula deliteſco; Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit,*

Spalat. Num. 19. *hoc eſt qui Chriſti non eſt Antichriſti eſt.* Pergamus; *Aliud argumentum ex Cypriani Epiſtola pro ſua Monarchia ducit Bellarminus quod tale eſt*, inquit Spala-

Bellar. vbi ſup. c. 9. tenſis; *Poſteaquam Cyprianus*, inquit Bellarminus, *docuit arcam Noë typum fuiſſe Eccleſiæ, inde probat Nouatianum non potuiſſe fieri huius arcæ gubernatorem, quia iam Cornelius factus erat; & Nauis vna vnum Rectorem poſtulabat non plures.* Impoſturæ Bellarminum arceſſit Spalatenſis, excipitque nec citaſſe verba, nec ſenſum tradidiſſe Cypriani: quod Cyprianus eo loci, ne ſomniarit quidem

quis

quicquam de Cornelio gubernatore arcæ; *Verba Cypriani*, inquit, *non recitat, quia nobis vt suspicor imponere studuit. Quæ enim Bellarminus Cypriano hic appingit, apud Cyprianum nunquam in eo sensu ea reperies. Dicit enim arcam Noë fuisse typum Ecclesiæ; & quemadmodum nemo tunc saluari per aquam potuit, qui in arca non fuerit; ita, inquit, per baptisma viuificari non potest, qui in Ecclesia non est. Vt hoc pacto excludat Nouatianistas, & datis mox aliis ad hoc symbolis & exemplis pergit ostendere, quamuis in hoc piè ipse Cyprianus erraret à Nouatiano baptizatos, baptismum verè non suscipere; & ait, Propter quod cùm sola Ecclesia, habeat aquam vitalem & baptizandi, atque abluendi hominis potestatem, qui dicit apud Nouatianum baptizari, & sanctificari aliquem posse, prius ostendat & doceat Nouatianum in Ecclesia esse, aut Ecclesiæ præsidere. Ecclesia enim vna est, quæ vna & intus esse, & foris non potest. Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit; Si verò apud Cornelium fuit, qui Episcopo Fabiano legitima ordinatione successit; & quem præter Sacerdotij honorem Martyrio quoque Dominus glorificauit, Nouatianus in Ecclesia non est, nec Episcopus computari potest, qui Euangelica & Apostolica traditione contempta, nemini succedens à se ipso ordinatus est; habere namque, aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in Ecclesia non est. Hæc Cyprianus. Qui nec somniauit quidem quicquam de Cornelio gubernatore arcæ; sed propterea probat Nouatianum non esse in Ecclesia: Neque prælationem vllam tenere in Ecclesia, quia Cornelius illi Ecclesiæ particulari nempè Romanæ, præsidebat legitimè, in qua Nouatianus sibi ipsemet, absque legitima electione & successione sedem fixerat. At in vnaquaque Ecclesia, vnus tantum est legitimus Episcopus, legitima successione ordinatus. Proculdubio*, inquit Spalatensis, *eodem argumento vsus fuisset Cyprianus, si Nouatianus schisma fecisset in quacunque alia Ecclesia, in qua esset proprius legitimus Episcopus; Sed de Romana loquitur, quia in Romana schisma fecerat Nouatianus, non autem loquitur de tota Ecclesia vniuersali.* Respondeo, si modo ex verbis Cypriani erui possit sensus, quem persequitur Bellarminus, non posse illum citra contumeliam impostura postulari; Erui autem posse sic ostendo. Nouatianum aquam vitalem, atque baptizandi & abluendi hominis potestatem, non habere, ex eo probat Cyprianus, quod *Nouatianus in Ecclesia non sit, nec ei præsidere possit*: Probat autem in Ecclesia non esse, quia Ecclesia vna est, vt vnus arcæ typus ostendit, ac proinde apud diuersos esse non possit; quare, inquit, si apud Cornelium fuit Ecclesia, apud Nouatianum non fuit. Ea certè Ecclesia, quam apud Cornelium esse contendit, illa ipsa est de qua superius contestatum esse Petrum, cùm de baptismo ageret, *vnam arcam Noë typum fuisse vnius Ecclesiæ*, scripsit. Cùm ergo asserat Cornelium non solùm in ea Ecclesia esse, sed etiam præesse, quod *Fabiano Episcopo legitima ordinatione successerit*, proculdubio huius arcæ Rectorem facit. Quod verò existimat Spalatensis; *Cyprianum eodem vsurum fuisse argumento, si in alia Ecclesia Nouatianus schisma fecisset*, falsum est si absolutè dicatur. Potuit, vt suprà monui, id quoque ad quamcumque aliam Ecclesiam, accommodatione quadam trahi, scilicet quia vnitatis participatione singulæ gaudent, sed absolutè ac præcisè, nonnisi de Roma dici potuit. Siquidem conuenit istud in Romanam, tanquam in *fontem, & principium vnitatis*, quæ ab ea in alias deriuetur: Propterea namque & Cyprianus, & reliqui Episcopi erroris de rebaptizandis hæreticis patroni cùm vni Ecclesiæ commissam esse *aquam vitalem baptismi* probare vellent, Petrum Cathedræ Romanæ primum decus proferebant, atque super eum vnum

Bellar. de Rom. Pont. l. 1. c. 9.

Cypr. ad Iuba. ep. 73. fundatam Ecclesiam vrgebant. Ita enim Cyprianus ad Iubaianum; *Manifestum est autem*, inquit, *vbi & per quos remissa peccatorum dari possit, quæ in baptismo scilicet datur. Nam Petro primùm Dominus super quem ædificauit Ecclesiam, & vnde vnitatis originem instituit & ostendit, potestatem istam dedit, vt id solueretur in cœlis, quod ille soluisset in terris.* Firmilianus quoque qui acerbius & contumeliosius quàm Episcopum deceret, in Stephanum scripsit; *Qualis*, inquit, *error sit,* Inter epist. Cypr. ep. 75 *& quanta sit cæcitas eius qui remissionem peccatorum dicit apud Synagogas hæreticorum dari posse, nec permanet in fundamento vnius Ecclesiæ, quæ semel à Christo suprà Petram solidata est, hinc intelligi potest, quod soli Petro Christus dixerit; Quæcunque ligaueris super terram erunt ligata & in cœlis.* Adeoque ipse Firmilianus commotior in Stephanum, stultitiæ eum postulat, quod plura baptismata inducens ipse sua vineta cædat, ac Cathedram cui præsit in diuersas partes distrahat. Ibidem. *Atque ego*, inquit, *in hac parte iustè indignor ad hanc tam apertam & manifestam Stephani stultitiam, quod qui sic de Episcopatus sui loco gloriatur, & se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta Ecclesiæ collocata sunt, multas alias Petras inducat, & Ecclesiarum multarum noua ædificia constituat, dum esse illic baptisma sua authoritate defendit. Nam qui baptizantur, complent sine dubio Ecclesiæ numerum. Qui autem baptisma eorum probat, de baptizatis & Ecclesiam illic esse confirmat. Nec intelligit obfuscari à se, & quodammodo aboleri Christianæ Petræ veritatem, qui sic prodit & deserit vnitatem.* Itaque primam rationem vnitatis Ecclesiæ *in Cathedra Romana* ponebant illi, ac propterea cùm Cornelium Ecclesiæ Romanæ præesse, contra Nouatianum contenderet Cyprianus, etiam eum Rectorem Ecclesiæ, cuius arca Noë typus fuisset agnoscebat, qui scilicet *successionem Petri super quem Ecclesiæ fundamenta collocata essent teneret*, vt de Stephano fatetur Firmilianus; Namque etiam Cornelium *Petri locum* occupasse, disertis verbis docet.

Spalat. Num. 20. Sequitur alia nostrorum ratio apud Spalat. *Vrgent vlterius*, inquit, *si in singulis Ecclesiis ministris omnibus & Parochis, ac toti clero inferiori præest vnus Episcopus; Episcopis verò omnibus vnius Prouinciæ vnus Metropolitanus, & in Maioribus vrbibus Primates & Patriarchæ; Cur non debet toti Ecclesiæ vnus præesse, cui Primates quoque & Patriarchæ subijciantur? Respondeo Hierarchiam hanc, & subordinationem inter Episcopos ab ipsamet Ecclesia, solo iure humano Ecclesiastico ad vitandas confusiones esse introductam; Alioquin ex primaria institutione omnes hi æquales sunt in potestate iure diuino, vt fusè lib. 2. & 3. disputabo. Et quamuis ad vitandam, vt dixi, confusionem inducta sit hæc Hierarchia, in tantum tamen inducta est, inquantum sufficit ad prædictum finem. Schismatibus autem sufficienter occurritur, si alij aliis subijciantur, quousque commodè Hierarchicum hoc regimen exerceri possit. Itaque in vna Ecclesia vni Episcopo subduntur Parochi, & illius Ecclesiæ Ministri iure diuino. Plures verò Episcopi illius Prouinciæ iure Ecclesiastico vni subduntur Archiepiscopo, seu Metropolitano. Metropolitani plures plurium Prouinciarum vni similiter primati eiusdem regionis. Primates verò vni Patriarchæ eiusdem regni seu plagæ orbis terrarum: qui verò sunt in longè diuersis regnis, & plagis terræ cùm non possint commodè frui beneficio vllius qui sit ab ipsis plurimùm dissitus, idcirco Ecclesia primas sedes, quæ suprà se alias sedes non haberent fecit plures sedes Patriarchales.* At primùm immanis error est, vt alio loco docebitur, reliquos saltem ministros, Presbyteros scilicet, æquare Episcopis, qui proculdubio iure diuino illis sunt maiores ac superiores; Ac rursus, vt demus reli-

quos

quos huius Hierarchiæ ordines authoritate Eccleſiaſtica (certè ſedes Patriarchales à Petro conſtitutas tota antiquitas nos docet) inuectos, quæro quorſum ſunt inuecti, niſi quod ex eorum inſtitutione magna ad Eccleſiam redundaret vtilitas, & quod iſtud ad Eccleſiaſticæ diſciplinæ conſeruationem faceret, vt ipſe agnoſcit Caluinus? Cur igitur non admittitur quoque vnus à Chriſto bono vnitatis, vt loquuntur, inſtitutus, qui reliquis præſit? At inquit Spalatenſis, *Concedo itaque in vna Prouincia vnum eminere Archiepiſcopum, quia commodè ab vno poteſt regi, & ſic de regionibus ac regnis; non tamen propterea conceſſerim Eccleſiam vniuerſam cùm ſit vna, ab vno vniuerſali debere regi gubernatore; quia ciuitas & Prouincia, & regnum commodè hoc regimine vnius poteſt frui, non ſic totus mundus. Et Hierarchia iſthæc atque ſubordinatio nonniſi commoditatis gratia, & vt confuſiones multaque incommoda vitarentur, eſt, vt dixi, ab ipſa Eccleſia iure humano Eccleſiaſtico introducta.* Id certè verum eſſet, ſi diceremus Pontificem omnia per ſe immediatè peragere, nec comminiſtrorum ſuorum opera vti, ſed cùm συνεργοῦς habeat Epiſcopos, Archiepiſcopos, Patriarchas, Cardinales, qui ſummæ poteſtati ſubiaceant ac ſubordinentur; tollitur impedimentum quod volens ſibi fingit aduerſarius. Cæterùm quod vnus tanto oneri ſufficiat, non humani ingenij viribus, ſed gratiæ Dei deputandum qui Monarchiam fulciat; Præclarè enim Syneſius; *Diuina enim hæc, & ſingularis prouidentia eſt, vnius interuentu propè infinitorum hominum curam ſuſcipere.* Alia noſtrorum argumenta perſequitur Spalatenſis, *Inſurgunt præterea*, inquit, *propagationem Eccleſiæ à Monarcha fieri, cui incumbat ſollicitudo conſeruandi totius Eccleſiæ corporis & propagandi; & ab alio id fieri non poſſe. Imò reipſa per Romanos tantùm Pontifices Eccleſiam eſſe poſt Apoſtolos propagatam; Quomodo enim, inquiunt, prædicabunt niſi mittantur? Mittere autem in alienas Prouincias non eſt Epiſcoporum particularium, qui certis ſuæ Diœceſis finibus continentur, extra quos nullum ius habent. Sed certè*, inquit, *aut falluntur, aut nos fallere, iſta dicendo, conantur; oſtendam enim ſuis locis in ſequ. lib. 2. & 4. Epiſcopos etiam particulares, magnam totius vniuerſalis Eccleſiæ curam geſſiſſe; & de iure diuino ſicut Apoſtolorum ſingulorum fuit illimitata poteſtas, quod iam explicuimus, ita Epiſcopos quoſcumque in quacunque parte potuiſſe fidem Chriſti dilatare. Et in hiſtoriis ita etiam nos facto ipſo poteſtatem hanc exercuiſſe, conſtare oſtendam, & Patriarchas poſtea omnes, ac Primates & Metropolitanos in hoc ex officio ſpeciali, inuigilaſſe, ſingulos in ſuis regionibus, regnis & Prouinciis, ac vlterius etiam circa ipſas ſuas regiones, vt nouis ab eis miſſis Apoſtolis, & Prædicatoribus ac Epiſcopis, nouas ad fidem Chriſti reducerent, quæ circa ſe eſſent nationes. Romanos verò Pontifices in partibus terræ occiduis tantùm, & non in aliis, ſed neque ſolos hanc olim feciſſe fidei propagationem, facilè conceſſerim; quia in toto Occidente ſolus Romanus Pontifex ſummum habet Patriarchatum. Sed de his omnibus etiam plura poſtea.* Nos verò oſtendemus hoc non ferendum eſſe, in Eccleſia Dei paradoxum, quod, ab ipſis Eccleſiæ incunabulis, conſtitutam diſciplinam funditùs euertat. Neque enim vnquam vllum Epiſcopum agnouit Eccleſia, cui ſua Diœceſis ſuique limites non eſſent præſcripti, cuique prohibitum non eſſet alienos fines inuadere; Nam vt ſint in pleriſque aliis Apoſtolorum hæredes Epiſcopi, certè plenitudinem poteſtatis Apoſtolicæ, quippè quæ cum illis interierit, non acceperunt. Quod verò *miſiſſe eos aliquando concionatores & prædicatores ad gentes, quibus veræ fidei lux non affulſiſſet*, contendit Spalatenſis, vltrò concedimus, quod ſcilicet tam pio, tamque

Lib. 4. c. 4. §. 4.

Eod. num. 20.

De Prouidentia. Θεία γὰρ αὕτη, καὶ μεγαλομερὴς πρόνοια, ἑνὸς ἀνδρὸς ἐπιμελεῖσθαι πολλῶν μυριάδων ἀνθρώπων.

SPALAT. Num. 21.

Digitized by Google

religioso opere rem gratissimam & acceptissimam Pontifici Christi Vicario, in cuius communione agerent facere se certò scirent, vt propterea accederet eius consensus, aut tacitus, aut expressus ; Sed & fatendum est, aduersario hanc præcipuam & potissimam Romani Pontificis laudem esse ; *Præsertim*, inquit Innocentius primus, *cùm sit manifestum, in omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam, atque Siciliam insulasque interiacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos, quos venerabilis Apostolus Petrus, aut eius successores constituerint Sacerdotes? Aut legant si in his Prouinciis alius Apostolorum inuenitur, aut legitur docuisse. Quod si non legunt, quia nusquam inueniunt, oportet eos hoc sequi quod Ecclesia Romana custodit, à qua eos principium accepisse non dubium est, ne dum peregrinis assertionibus student, caput institutionum videantur omittere.* Excipit Spalat. *hæc tantum præstitisse in occiduis partibus;* Quod nimirum Orientis Patriarchæ, hac in parte vices Pontificis implerent; Sed quis nesciat sæpissimè à Romano Pontifice Orientis Episcopos flagitasse, vt ad eos mitterent viros, qui authoritate ab eximia sede sibi tradita, turbas in Ecclesiis suis excitatas sedarent ac comprimerent? Audi magnum Basilium sic loquentem, *Visum est autem mihi consentaneum, vt scribatur Episcopo Romæ, vt quæ hîc geruntur consideret, & sententiam suam expromat. Et quoniam difficile est, vt communi ac Synodico decreto aliqui illinc mittantur, ipse sua authoritate in ista causa vsus, viros eligat ad ferendas quidem itineris molestias idoneos : verùm iuxta ad hoc quoque accommodos, vt mansuetudine & facilitate ingenij eos, qui distorti & obliqui apud nos sunt, corrigant, aptè & dispensatoriè sermonem attemperantes, omniaque secum habentes, quæ in Arimino ad ea rescindenda, quæ illic per vim & violentiam gesta sunt.* An hoc minoris sit potentiæ quàm ad Gentes concionatores misisse?

Inno.1.ep.1 to.1. Conc.

Basil ad Ath. magn.ep.52

Ἐσαν. Ἢ γὰρ ἀκόλουθον ὑπὲρ τῶν ἐν τῇ Ἑῴᾳ τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, ὑπὲρ πάντων τῶν ἐν παντὶ τόπῳ, ἢ ἰδίων γράμμα, ἵνα ἐπιδὴ ἀπὸ κοινοῦ καὶ συνοδικοῦ δόγματος ἀποκλῶσι πολλοὶ τῶν ἐκεῖθεν, αὐτὸν αὐτοπρεπῶς περὶ τοῦ πράγματος, ἐκλεξάμενον ἄνδρας ἱκανοὺς μὲν ἀδοιπορίας πόνους δυνηθῆναι, ἱκανοὺς δὲ καὶ ἐπιτηδείους πρὸς διορθώσεις τῶν διεστραμμένων παρ' ἡμῖν τρόπων, ὑπομιμνήσκοντα καὶ τὸ ἐπιεικὲς ἔθος τῶν ἐκεῖθεν, καὶ πάντα ἔχοντας μὲθ' ἑαυτῶν τὰ ἐν Ἀριμίνῳ πραχθέντα, ὅπως λύσωσι τῶν κατ' ἀνάγκην ἐκεῖ γενομένων.

Vellicat, & aliud nostrorum argumentum Spalatensis ; *Addunt*, inquit, *vnitatem fidei postulare necessariò Monarchiam, vt sit vnus iudex in rebus & controuersiis fidei, cui omnes acquiescere teneantur. Quasi verò Christus Dominus suum spiritum & suam assistentiam, quam promisit in suo discessu corporali, vni soli homini obligarit; & non potius omnibus Apostolis & successoribus dixerit. Ecce ego vobiscum sum vsque ad consommationem sæculi; totaque Ecclesia, & non solus Romanus Pontifex dicatur à Paulo, Columna & firmamentum veritatis.* Sed hæc sunt futilitatis plena ; Non enim negamus Spiritum sanctum Apostolos olim luce veritatis perfudisse, & etiamnum Episcopos perfundere, quippè qui semper controuersiarum à nobis habiti sunt iudices : sed inter Apostolos vnum Petrum huius veritatis propugnandæ antesignanum facimus, cui dictum sit, *Tu es Petrus, &c. Et portæ inferi, &c. Ecce ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua : Tu conuersus confirma fratres tuos ;* Inter Episcopos verò successor Petri eadem prærogatiua effulget. Quod verò expugnatarum hæreseon laudem & gloriam Conciliis tribuit Spalatensis, contra laudem & gloriam Pontificis non facit, quippè qui Concilia illa aut indixerit, aut indicenda curauerit, illis per suos legatos præfuerit, ac demum pondus & robur sua authoritate eorum decretis addiderit, *Nec enim licuit sine eius sententia, Ecclesiis decreta statuere*, vt habent Sozomenus, Socrates, & Theodoretus. Sed erit aliàs de hac re nobis differendum. Propterea Concilium sextum Oecumenicum omnium ante celebratarum Synodorum, potiorem gloriam Pontificibus tribuit, sic enim habet. *Arius diuisor atque partitor Trinitatis, insurgebat; & continuò Constantinus semper Augustus, & Syluester laudabilis magnam, atque insignem in Nicæa Synodum congregabant, per quam*

SPALAT. Num.22. Matth.vlt. 1.Tim.3.

Concil.6. Oecum. action.18.

Ἄρειος διαιρετὴς καὶ τμητὴς ἐφίστατο. καὶ παραυτίκα Κωνσταντῖνος ὁ

ipsa

ipſa Trinitas tam fidei ſymbolum dictauit, quamque aduerſus Arianam malitiam ſententiam promulgauit; Et iuſta pœna errantem Eccleſiæ locis indignis, ſed illi condignis cruciauit. Macedonius ſpiritus denegabat Deitatem & dominantem conſeruum prædicabat: Sed Maximus Imperator Theodoſius & Damaſus fidei adamas, protinus obſtiterunt, quorum ſolidam mentem aggreſſiones, atque conflictus alienarum ſectarum nullatenus fauciarunt. Gregorius & Nectarius in hac regia vrbe conuentum congregabant, &c. Dum Neſtorius & iterum Cœleſtinus, & Cyrillus ille quidem Chriſtum diuidebat & partiebat, hi verò cum Domino conſpirantes, vna cum ſceptrorum Domino diuiſorem deiiciebant; Deinde Eutychetis inſania delirante alteram fabulam, ipſiuſque Saluatoris humanitatem penitus recuſante, &c. Leonis igitur tuba tanquam leonis rugitus viriliter vociferans ex Roma, &c. Martianus ſacratiſſimus Imperator, & Anatolius Conſtantinopolitanus antiſtes, &c. Sicut & Vigilius poſt hæc Iuſtiniano piiſſimo conſonuit & quintum Concilium conſtitutum eſt, vt eorum opuſcula, quæ latenter reperta ſunt repleta abominatione, anathematizarentur.

ἐπισκέψεως, ὃ Σιλβέστρος ὁ ἀοίδιμος τῶν ἐν Νικαίᾳ μεγάλων ἐν πεῖ Κλεπίου συνέλεξεν συνόδων, ἢ ἵνα τί ποτε τὸ τῆς πίστεως ὑπερόριον σύμβολον, πῶς τὸ Ἀρειανῆς κακοτεχνίας ἐστηλίτευσε, καὶ τὸ θεῖον πνεῦμα τὴν ἐκκλησίας ἄρχον οὐ τιμᾷς, ἀλλ' ὁμοτίμοις ἀνέμοις τοῖς ὑπομαρίσασι, &c.

Reſtat *non contemnendum* noſtrorum argumentum, vt vocat Spalatenſis, in quo diluendo prolixam operam ponit; Nos paucis contrahemus. *Non contemnendum adhuc*, inquit Spalatenſis, *illud, habent Eccleſiaſticæ Monarchiæ patroni, cui nituntur argumentum, nimirum Eccleſiam Chriſti, quæ nunc eſt in terris ſub Euãgelio eandem prorſus eſſe, quæ olim fuit ſub natura & ſub lege. Quod ſi vetus illa Eccleſia Monarchiæ ſemper formam, reſpectu humanæ viſibilis gubernationis retinuit, quæ primùm à ſingulis Patriarchis incipiens ab Adamo, ſubſequentibus Seth, Noë, Melchiſedech, Abraham, Iſaac & Iacob, in vtroque foro erecta fuit: Deinde ſub lege à Moyſe, Aaron & ſtirpis ipſius ſummis, & ſingulis Sacerdotibus ſucceſſiuè, in ſpiritualibus ſemper fuit gubernata: in temporalibus verò ab eodem Moyſe, Ioſue, Iudicibuſque pluribus, ac tandem Regibus, vſque ad Chriſtum fuit adminiſtrata; cur eadem forma regiminis adhuc non perſeuerat? Hoc argumentum fusè de more tractat Sanderus, tractat & Bellarminus.* Reſpondet primò non diffiteri ſe, vnam eandemque eſſe eſſentialiter Eccleſiam, ſed accidente differre, ac propterea poſſe in vtraque regiminis modum eſſe diuerſum, addit verò ex ſententia Gratiani, *multa Iudæis fuiſſe conceſſa quæ nunc prohibeantur*; Atqui iſta vim & robur argumenti non infringunt; Eſto enim accidente differat Eccleſia noui teſtamenti ab Eccleſia veteri, quis tamen vel per ſomnium cogitauit, vnquam huius diſcriminis rationem eſſe, quod veteris teſtamenti Eccleſia Monarchia contineretur; Noui verò Ariſtocratia? Alias mi Spalatenſis, quære rationes huius accidentariæ diuerſitatis. Si ſexcentis tibi opus ſit, eas tibi facilè Patres ſuppeditabunt. Statu differunt; Illa enim in vmbra fuit, hæc in rerum veritate; Illa carnalia habuit ſacrificia; Hæc in ſpiritu Deum colit; Vno verbo eſt dogmatum & rituum, & Sacramentorum in vtraque maxima diuerſitas; Sed hæc minimè probant non potuiſſe eadem regiminis forma vtramque contineri: Et certè ineptus eſt Spalatenſis, qui huc locum Gratiani flexerit, in quo Danielis factum expendit. Loquitur enim concinnator decreti de miraculis, hoc eſt de iis rebus quæ extraordinario quodam modo olim in veteri lege contigerunt, & in his ponit factum Danielis, quò oſtendat *ſubditis non licere Prælatos accuſare, redarguere aut iudicare*, quamquam ille nulla legitima poteſtate functus, iudices à populo conſtitutos, de falſo teſtimonio conuicerit, &c. *Hu*, inquit, ita reſpondetur; *Miracula & maximè*

SPALAT. Num. 23.

Sander. de viſib. Mon. lib. 2. c. 3. & l. 4 c. 3. & 4. Bella. l. 3. de verbo Dei c. 4. & l. 1. de Rom. Pont. c. 2. 3. 9.

2. q 7. c. ſi nos §. Item Daniel.

veteris teſtamenti ſunt admiranda, non in exemplum noſtræ actionis trahenda:

Spalat. Num.25. in fine. 2.q.7.c. nos ſi §. Item. 1.Reg.15. *Multa enim, inquit Gratianus*, vt refert Spal. *concedebantur tunc, quæ nunc penitùs prohibentur; Tunc enim Samuel Agag pinguiſſimum Regem Amelec in fruſta diuidendo concidit; Nunc nulli Eccleſiaſticorum iudicium ſanguinis agitare licet: Tunc Phinees Iudæum coëuntem cum Madianita interfecit, & reputatum eſt ei ad iuſtitiam, hodie Sacerdotibus in perniciem ſui officij verteretur.* Sed hinc argutatur noſter; *Modus ergo regiminis*, inquit, *fuit valdè diuerſus, & concedit*

Sander.l.2. de viſib. mon. c.3. *Sanderus, dum ait. Si hoc ita euenisſet in veteri teſtamento, tamen nulla ratio cogeret, vt idem in nouo teſtamento fieret, cùm mutata ſit ratio Eccleſiaſtici regiminis.* An igitur veteris Eccleſiæ Monarchiam inter miracula accenſet? An non magis illius formam, naturæ geminum opus, agnoſcit, quæ vnum in vna familia Dominum, vnum in vno corpore caput, vnum in gregibus ac armentis ducem, vnum in cœlo ſolem, vnum in orbe Deum, aut probat, aut agnoſcit.

Spalat. Num. 26. & 27. Propterea aliud diuerticulum quærit; & primùm Eccleſiam veteris teſtamenti *in duplici ſtatu* conſiderat, ante legem ſcriptam, & poſt legem ſcriptam; *Et quidem*, ait, *ante legem ſcriptam vix nos vnam Eccleſiam vniuerſalem formare*

Spalat. Num.28. *poſſe viſibilem & conſpicuam*; Poſt verò legem fatetur quidem *conſpicuam fuiſſe formam Synagogæ, ſed eam partialem Eccleſiam fuiſſe, cùm extra Synagogam eſſent plèrique Gentiles fideles*, contendit, adeoque *ipſius Pontificem non eius Pontificis, qui in noua lege totius Eccleſiæ gubernacula tractaturus eſſet, ſed Epiſcoporum qui priuatas quoque Eccleſias recturi eſſent, figuram fuiſſe*, multorum Patrum etiam teſtimonio probare nititur. Sed nec iſta nos quicquam lædunt; Nam vt ante legem ſcriptam fideles in varias terras diſperſi, non ita inter ſe coïerint vnquam, vt vnius eiuſdemque Eccleſiæ facies illis ſæculis obſeruari potuerit, tamen certum eſt familias Patriarcharum, in quibus cultus Dei, & pietas maximè vigerent, haud Ariſtocratiæ, ſed MONARCHIÆ ſpeciem præbuiſſe, quippè in quibus adnitente etiam Spalatenſi, illo æuo primogenitorum iura perſeuerarent: Poſt verò legem ſcriptam, etſi rurſus vt priuata Eccleſia ſpectetur Synagoga, quippè extra quam multi pij Gentiles ſalutem ſint conſecuti, tamen ampliſſima fuit Eccleſia, quæ etiam ita tradente ſcriptura multitudine, & numero *ſtellas cæli, & arenam maris* æquaret. Rectè ergo ex forma regiminis in rebus ad religionem, ſpectantibus illi numeroſiſſimæ genti præſtituta argumentantur noſtri, vt ſimilem formam in Eccleſiam inducant; Nam præterquam, quod typus quidem fuit Synagoga Eccleſiæ, etiam par eſt credere Deum Optimum Maximum florentiſſimum populum optimo regimine, maximè verò in ſpiritualibus contineri voluiſſe.

Spalat. Num.29. Non eſt ergo quod Spalatenſis Anacletum, Damaſum, Leonem, Concilium Spalenſe, Hieronymum, Concilium Aquiſgranenſe, Theodulphum. Floriacenſem aut Iuonem accerſat, vt Aaronem & ſummos Synagogæ Pontifices, no-

Bella. l.1.de Cler. c.4. ſtrorum Epiſcoporum figuram fuiſſe oſtendat; Hoc enim vltro cum Bellarmino concedimus; ſed id non efficit, vt noſtri quoque Pontificis figura non fuerint; Meminiſſe enim debet Spalatenſis, ex priuatorum Epiſcopatuum Monarchia, etiam vniuerſæ Eccleſiæ Monarchiam confirmaſſe ſuprà Bellarminum, vt proinde, etiam in priuati Pontificis ordinem coactus Aaron, potuerit ſummi noſtri Pontificis typus ac imago quædam eſſe.

Sed

Digitized by Google

Sed vrget locum Cyrilli Spalatenſis, *Tabernaculo*, inquit, *præficit Aaron & filios eius cum eo; Cuſtodient, inquit, Sacerdotium ſuum, & omnia quæ pertinent ad altare, & quæ ſunt intra velum, id eſt illa ſecretiora ac myſtica magis, & eorum officia qui diuino altari præſto erant. Ac perſpicuè quidem ea figura ad Chriſtum pertinet, quem conſtituit Pater ſuper domum ſuam, cuius domus nos ſumus. Cæterùm non incongruè illi Aaron in ſacris operibus adminiſtro, ſanctum illum & admirabilem chorum Apoſtolorum, quodammodo cooperantium atque miniſtrantium Chriſto, ſignificare poterunt, Dei namque cooperatores fuerunt & aſſeruatores, diſpenſatoreſque myſteriorum Dei, atque miniſtri etiam per quos credimus. Aaron igitur*, inquit Spalatenſis, *aut Epiſcopum quemque particularem repræſentabat, aut ſi alium Epiſcopis ſuperiorem, is fuit Chriſtus, vt optimè Cyrillus explicabat.* Reſpondeo proculdubio Aaronem Chriſti typum fuiſſe, ſed vt iudicio Spalatenſis, hoc non prohibet figuram quoque fuiſſe noſtrorum Epiſcoporum, ac impedimento non eſt quominus noſtri etiam Pontificis typus fuerit, ſcilicet hic ſacrificia Aaronica non ſpectamus, ſed modum adminiſtratæ à Pontifice Aaronico ex præſcripto Dei veteris Synagogæ, quo ſenſu aliquanto illuſtrius ſummum Pontificatum Eccleſiæ, quam ſingulares Epiſcopatus refert ac repręſentat. Nam vt hoc obiter dicam Synagogæ (quoquomodo ſpectetur) non vnus aliquis Epiſcopatus ſucceſſit, ſed Eccleſia vniuerſa, quæ vt faſſus eſt ſuprà Spalatenſis, *eſſentia vna eſt Eccleſia cum ipſa Synagoga*: ſed Eccleſia quidem amplior, quippè quæ vtrumque populum complectatur, Iudæum & Gentilem, cùm hæc vnum admitteret populum Iudæorum. In hoc tamen vtriuſque diſcrimine vanus ac ſtultus fuerit; *Qui ex quo Pontifex Aaronicus nullis ſummis Sacerdotibus præfuerit, & vnicum dumtaxat templum habuerit ſuæ potentiæ domicilium, ac definitam ſedem*; colligendum ſibi putarit Pontificis noſtri, quem vnum Patriarchis, Metropolitanis, Epiſcopis, templis ac Eccleſiis præficiamus figuram ſatis egregiam, aut illuſtrem non eſſe; Sufficit enim nobis huiuſmodi Pontificis Aaronici poteſtatem, ad omnes omnino Synagogas Iudæorum, etiam toto orbe diſperſas, ſeſe fudiſſe, quæ ſiquidem templis caruerunt, nec ſummos vllos Pontifices, ſed duntaxat Archiſynagogos, qui nec Sacerdotes eſſent, nec in Eccleſiaſtica Hebræorum Hierarchia cenſerentur, haberent, eorum temporum illa conditio fuit, cùm extra Hieruſalem ſibi ſacrificari prohibuiſſet Deus, ſed ſi toto orbe templa habuiſſent Iudæi, ac inferioris ordinis Pontifices, proculdubio hi ſuæ Hierarchiæ principem agnouiſſent ſummum Pontificem Hieroſolymitanum. Verùm vt hanc quoque rationem conuellat Spalatenſis, maioribus eam tormentis quatit; Vrget igitur *ſummi Sacerdotis poteſtatem vltra Sacerdotes & Leuitas non ſe extendiſſe, ac in ſacrificiorum, Altaris, Tabernaculi, ac Templi miniſterio totam fuiſſe occupatam*: Additque in Synagogis, aut circa Synagogas, nihil vnquam Pontifices habuiſſe iuris ac muneris; Et quia hanc ſententiam iugulat factum Sauli, qui *literas accepit à principe Sacerdotum ad Synagogas*, vt fideles vexaret, ac *vinctos perduceret Hieruſalem*; occurrit Spalatenſis, *Illas Epiſtolas non fuiſſe principis Sacerdotum, ſed totius Concilij cui ille præſidebat*, additque *grauiſſimas de religione cauſas in Concilio agitari ſolitas, vt ex Chriſti & Stephani damnatione liquidò conſtat.* Atqui hoc eſt victoriam nobis aſſerere; Siquidem cùm Concilio præeſſet Pontifex, & ad Concilium etiam remotiſſimarum Synagogarũ negotia referrentur, planum eſt, in omnes omnino Iudæos poteſtatem habuiſſe Pontificem, in his ſcilicet

SPALAT. Num. 30. Cyr. l. 13. de ador. in Spir. & ver.

Num. 31. in fine.

SPALAT. Num. 32.

Ioan. 11. Act. 5.

quæ ad religionem & legis cultum pertinerent. Certè quanta eſſet Pontificis in conſeſſu Sacerdotum & Phariſæorum authoritas, ex inito aduerſum Chriſtum Concilio abundè colligitur. Nam Caypham Pontificem cæteris præſcribentem videre ſit; *Vos*, inquit, *neſcitis quicquam, expedit vt vnus de populo moriatur, & non tota gens pereat*. Atque in eius ſententiam reliqui tranſierunt. Sed nec eius poteſtatis prærogatiuas, diſſimulauit Euangeliſta. *Hoc*, inquit, *à ſemetipſo non dixit, ſed quod eſſet Pontifex anni illius*. Vt ergo ad Concilium cauſas religionis retulerint Iudæi, non propterea excidit ſuo imperio Pontifex, quippè qui ipſi Concilio ad quod referrentur præſideret, & moderaretur. Sed nondum arma ponit Spalatenſis. Multis probat *Archiſynagogos, hoc eſt Synagogarum præfectos, nec Sacerdotes fuiſſe, nec ex illo ordine Hierarchico miniſtrorum aut tribu*, atque inde colligit *ſummo Pontifici ſubiectos non fuiſſe*. Reſpondemus equidem Archiſynagogos Sacerdotes neceſſariò non fuiſſe, imò nec ex Sacerdotum tribu, ſed id ex locis à Spalatenſi prolatis, probari negamus. His enim vtitur; *Moyſes enim, inquit Iacobus, à temporibus antiquis, habet in ſingulis ciuitatibus qui eum prædicent in Synagogis, vbi per omne Sabbatũ legitur. Princeps Synagogæ*, addit Spal. *ſeu Archiſynagogus is aſſumebatur, qui doctrina, & legis intelligentia eſſet inſignis: neque propterea aut ipſe, aut quicunque alius qui in Synagoga diſputaret, erat ex certa tribu, aut ex vllo certo ordine Hierarchico Miniſtrorum. Ita enim Chriſtus celebrabat Synagogas, & docebat, & magnificabatur ab omnibus, & traditus eſt illi liber Iſaiæ Prophetæ, &c. Et ipſe teſtatur dicens; Ego ſemper docui in Synagoga. Item, Apoſtoli prædicabant verbum Dei in Synagogis Iudæorum. Sed neque Chriſtus, neque Apoſtoli erant Leuitici ordinis Sacerdotes, neque in hoc ſubdebantur Principi Sacerdotum. Vanum ergo prorſus eſt, quod dicunt Monarchici, ſummum Iudæorum Pontificem omnibus Archiſynagogis præfuiſſe, & totius mundi Synagogas gubernaſſe*. Hæc verò ſolùm euincunt cuique ſcientia, & legis intelligentia prædito licuiſſe in Synagogis Iudæorum conciones habere, ac verbum Dei & legere, & interpretari; At hoc non ſoli Archiſynagogi præſtabant, ſed aliis quoque hoc munus aut iniungebant, aut concedebant, quò referri debet, quod habet ſcriptura tum Chriſtum, tum Apoſtolos *in Synagogis docuiſſe*. Neque enim Archiſynagogos eos fuiſſe quis dixerit. Quod attinet verò ad Archiſynagogos, quos de numero Phariſæorum & Scribarum fuiſſe docti viri aſſerunt, procul dubio Pontifici ſubiiciebantur, & quoquo loco eſſent ab eius authoritate pendebant, vt non obſcurè ex loco Actorum à Spalat. fruſtrâ impugnato, colligitur.

Ioan.12.

Spalat. Num.33. Act.15.

Luc.4.

Ioan.18. Act.13.14. 17.

Spalat. Num.33. At vehementius vrget, *Quæro*, inquit, *vlterius in quo gubernatio hæc conſiſtebat. Certè alia non potuit eſſe niſi in inſtructione, quia nullum aliud erat in Synagogis exercitium niſi doctrinale, vt vidimus; Atqui ſummum Sacerdotem non fuiſſe legis vnicum interpretem facile eſt comprobare: primùm quia ſic legimus in Hieremia. Ibo igitur ad Optimates (non dicit ad Pontificem) & loquar eis, ipſi enim cognouerunt viam Domini, iudicium Dei ſui*. At quis tam cœcus eſt, vt non videat doctrinæ curam, ac iudicium ad ſummum Pontificem maximè pertinuiſſe? ac propterea in rationali iudicij, quo eius pectus contegeretur, cùm tabernaculum ingrederetur; *Doctrinam & veritatem*, volente Deo, *poſitam fuiſſe?* Hoc illa Malachiæ verba innuunt, *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem de eius ore requirent, quia Angelus Domini exercituum eſt*. Quod maximè de principe Sacerdotum intelligendum, nullus ſanus negauerit. Sed obiicit Spalatenſis, non fuiſ-

Mal.2.

ſe

ſe eum vnicum legis interpretem, atque profert locum Hieremiæ; *Ibo ad Optimates (non dicit,* inquit, *ad Pontificem) & loquar eis, ipſi enim cognouerunt viam Domini iudicia Dei ſui*, quod argumento eſt eos legem tenuiſſe, & interpretatos eſſe. Reſpondemus non fuiſſe Pontificem vnicum legis interpretem, ſed præcipuum & potiſſimum, quomodo in Eccleſia Dei, nec ipſe Pontifex Romanus ſolus ſcripturæ interpretes eſt, ſed etiam eo officio funguntur Epiſcopi & Doctores: verũ vt hi interpretationes ſuas Pontificis cenſuræ ſubiiciunt, ita & in veteri lege in iudicio ſummi Pontificis reliqui acquieſcebant. Locus Hieremiæ ad rem non facit; Aliud ſiquidem eſt, noſſe viam Domini, & iudicia Dei ſui, aliud verò interpretari, & ex Cathedra, vt loquuntur, viam Domini, & iudicia Dei proponere, ac ad ea populum edocere. Viam Domini ſcire Optimates tenebantur, interpretari non poterant, niſi de numero eſſent, aut Sacerdotum, aut Doctorum. Sed inſtat Spalatenſis; *Ioſaphat Rex conſtituit in Hieruſalem Leuitas & Sacerdotes, & Principes familiarum ex Iſraël, vt iudicium & cauſam Domini iudicarent, &c. Omnem cauſam quæ venerit ad vos fratrum veſtrorum, qui habitant in vrbibus ſuis inter cognationem & cognationem, vbicunque quæſtio eſt de lege, de mandato, de cæremoniis, de iuſtificationibus, oſtendite eis, vt non peccent in Dominum, &c.* Hic verò merito fraudis poſtulatur; Cur enim in hac enumeratione eorum, quibus iudiciorum cauſam mandaſſet Ioſaphat, obuium ſibi Pontificem præteriit. An non poſt conſtitutos minorum Gentium iudices Pontificis authoritatem commendauit piiſſimus princeps? An non hæc illius ſunt verba, *Amarias autem Sacerdos & Pontifex veſter in his quæ ad Deum pertinent, præſidebit?* Quid potuit clarius dici; nonne igitur vel hæc fidem faciant dubia, ſi quæ emerſiſſent in rebus ad religionem ſpectantibus, ad vnum ſummum Pontificem referenda fuiſſe?

Hierem. 5.

2. Par. 19.

Ioſephus à nobis ſtat, *Lex, inquit, Sacerdotibus in communi quidem res præcipuas diſpenſare permittit; ſummo verò Pontifici aliorum Sacerdotum principatum competenter iniungit.* Sed refragatur Spalatenſis; quia, inquit, Ioſephi iudicio *ſummus Pontifex non niſi ſuper Sacerdotes habuit principatum, & ſanè Eccleſiaſticum, non ciuilem.* Sed nec nos poteſtatem ciuilem Pontifici ſuprà Epiſcopos tribuimus, ſed ſacram & Eccleſiaſticam. Quod verò ad vnos Sacerdotes Pontificis Iudaici poteſtatem coarctat, imperitiſſimè facit. Nam tum Scribæ, tum Phariſæi, tum reliqui ſacrorum miniſtri, aut legis interpretes & doctores, ab vno pendebant Pontifice, qui etiam magno illi conſeſſui (Sannedrin Hebræi, Græci verò Synedrion vocãt) præeſſet. Hoc ex Ioanne, Marco, & Actis Apoſtolicis adeo eſt perſpicuum, vt illuſtrati non debeat. Quod verò Prophetas Pontificis iuriſdictioni eximit, nos non lædit, fuit enim extraordinaria eorum miſſio, vt propterea miraculis ad ſui confirmationem indigeret, nos verò de his qui ordinarij eſſent miniſtri loquimur, ad quos ſe Pontificis funderet poteſtas. Igitur quæ de Prophetis munia Sacerdotalia extra ordinem obeuntibus, hîc recenſet Spalatenſis, ad rem non faciunt. Addo verò, quod etiam monuit Auguſtinus, Prophetas extra ordinem miſſos, ne ſchiſma facere viderentur, ſemper coluiſſe ordinem Sacerdotum, & honorem habuiſſe Pontificibus, nec ab eorum ſacris vnquam abhorruiſſe.

Spalat. Num. 34. Ioſeph. li. 2. cont. Apio. Τοῖς ἱερεῦσι τὰ κοινὰ μὲν τὰ εἰς χρείαν διανέμειν ὁ ἀρχιερεὺς παρῄνεσε, τῷ δὲ πάντων ἡγεμόνι καὶ ἀρχιερεῖ καὶ πιστευθῆναι τῆς ἄλλων ἐπιμελείας.

Ioan. 11.

Num. 34. & 35.

Aug. ſexc. loc. vide ep. 162.

Sed vehementius iam inflat pro Ariſtocratia Spalatenſis, eamque in populo Iſraël, ſublata omni Monarchiæ imagine, per Moyſen obtinuiſſe, ac efflоruiſſe

Spalat. Num. 36. & 37.

contendit; Namque post repræsentatam Monarchiam Mosis, quam tamen
SPALAT. Num. 37. in fin. ægrè admittit, addit postquam ille concessisset fatis; *Noluisse Deum successorem eximij legislatoris, vnicum esse hominem, puta supremum Sacerdotem Aaron, aliumue ex ipsius in Pontificatu summo successoribus; sed Optimatum numerum competentem, qui Aristocraticè, & ab omni Monarchico Dominio remotissimi, Rempublicam regerent Hebræorum. Atque hoc erat,* inquit, *illud quod diximus Consistorium, seu Concilium; cuius institutio diuina ordinatione ita se habet.* Sed Synedrij leges ignorasse se omnino prodit; Nam primùm, etsi fateor admissos aliquando in eum consessum, etiam eos qui ex ordine Sacerdotali & tribu Leui non essent, tamen prima eius institutio fuit, vt si fieri posset, è solis Sacerdotibus & Leuitis constaret, vnde & in Iosephi scriptis, & pluribus sacræ scripturæ locis, appellatione Sacerdotum intelligitur ipsum Synedrium, neque reliquis filiis Israël in
Ioseph. l. 4. antiq. Iudaic. ca. 8. eùm Senatum vnquam aditus patuit, nisi cùm è numero Sacerdotum, aut Leuitarum non reperirentur, qui Senatorum numerum implerent: Quum ergo iu-
Οἱ δικασταὶ μὲν τῶν ἐν ἅπασι πραγμάτων ἀποφαινόντων, συμβαίνει δὲ πολλὰ τοιαῦτα τοῖς ἀνθρώποις, ἐκλέξαντα ἀπὸ πάντων τῶν φυλῶν εἰς τὴν ἱερὰν πόλιν, ἢ συνιόντες ὁ τε ἀρχιερεὺς καὶ ὁ προφήτης, καὶ ὁ γραμματεύς, καὶ τὸ δικαστικὸν ἀποφαινέσθωσαν. dicio Spalatensis in vniuersos Sacerdotes, Leuitas & templi ministros summum ius habuerit Pontifex, adeoque eorum comparatione quidem Monarcha fuerit, quis dubitet potissimum cùm de religione ageretur, eum in eo consessu, ac Concilio primas partes habuisse? Certè Concilio ac Synedrio præsedisse in causa religionis suprà agnouit Spalatensis, atque ex Conciliis aduersus Christum & Stephanum initis confirmauit. Non sum nescius habuisse eum Senatum suum principem ordinarium, qui Hebræis est Nasi; sed cùm de religionis grauissimis quæstionibus ageretur, proculdubio ei præerat Pontifex; Ac propterea Iosephus à Spalatensi prolatus eius mentionem faciens, primo loco Pontificem ponit; *Si,* inquit, *iudices nesciant de negotio ad se delato pronunciare, sicut interdum accidit, in sanctam vrbem integram causam relegent: tum verò Pontifex, & Propheta vna cum Senatu, quod visum fuerit decernant.*

Igitur ex huius consessus & Synedrij apud Iudæos institutione, suam Aristocratiam probare, aut etiam fulcire, non potest; Locus Deuteronomij, vt legenti planum fit, eam euertit. Verba Dei sunt, *Si difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & iudicium inter portas tuas videris verba variari; Surge & ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus; Venieſque ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore; quæresque ab eis qui indicabunt tibi iudicij veritatem: & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum, neque declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.* Etiam quæ de Amaria sunt à nobis ex sententia Iosaphati piissimi Regis adducta, illam Aristocratiam euertunt. *Amarias*
2. Paral. 19. *autem Sacerdos & Pontifex vester in his, quæ ad Deum pertinent, præsidebit: Porrò Zabadias filius Ismahel, qui est dux in domo Iuda, super ea opera erit, quæ ad regis officium pertinent, habetisque Magistros Leuitas coram vobis, confortamini & agite diligenter.* Sed vt in priori testimonio vim verborum, *Qui autem superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, & decreto Iudicis, morte morietur homo ille, & auferes malum de Israël,* effugiat, diuerticula quærit; Ait igitur, *vel singulare sumi collectiuè pro plurali, vel præsidem totius Concilij innui, qui nomine eiusdem Concilij decreta eius publicaret;* Prius non probauit, posterius concedimus, nempè Synedrij principem signi-
SPALAT. Num. 38. Deut. 17.

ſignificari, nimirum Pontificem: Nam etſi, vt ſuperius monebamus, Principem ſuum ordinarium habuit ille Senatus, iſque fuit qui ex Synedrorum numero ſapientiſſimus haberetur; tamen cùm res difficillimæ quæ perplexos tenerent iudices ad eum deferrentur, Pontifex in Concilium conueniebat, atque ei pro ſumma poteſtate præſidebat. Quod autem Baronius ſcribit Sanedrin Principem ordinariũ ἀρχιερέα quoque hoc eſt *Principem Sacerdotum* vocatũ nobis probari non poteſt, & à noſtris quoque deſeritur. Impoſuit illi Pſeudo-philo, quem tamen & præſtigiarum & impoſturæ aliis locis poſtulat. Cenſet Planus iſte Herodem deleto Synedrio, quod aliquando vt cauſam diceret, in illud ſe ſiſtere iuſſus eſſet ſuffeciſſe Ananelum, quem Annam putat Baronius, eidem Concilio; Non negamus Herodem adoleſcentem in hoc iudicio poſtulatum, ſed quæ adduntur de conſtituto Principe Sacerdotum, ac in locum Principis Synedrio ſuffecto, præſtrictoris ſomnia ſunt, qui viro optimo & doctiſſimo errandi anſam præbuit.

SPALAT. Num. 39. Thalmud. tract. de Synedrio.

Baron. to. 1. an. 31. nu. 10.

Adhuc lacertos mouet Spalatenſis, *Ne putes ibi Monarchiam aliquam in illo ſacerdotis imperio contineri, memineris adiungi illi imperio etiam Iudicis decretum; vt qui noluerit obedire & imperio Sacerdotis & decreto Iudicis, is morte mulctaretur. Non enim legendum* (ex decreto) *ſed* (& decreto) *vt habent Biblia Hebræa, & correcta vulgata editio Latina. De hoc Concilio aliqua etiam ſupra attigimus, ac oſtendimus num. 22. tempore etiam Chriſti & Apoſtolorum, cauſas Religionis in hoc Concilio Hieroſolymitano fuiſſe pertractatas. Nam & ad hanc iudiciorum diſtinctionem, vt alia eſſent ordinaria in cauſis ordinariis per iudices Ciuitatum ordinarios; alia verò grauiora penes hoc Concilium, mihi videtur Chriſtus Dominus reſpexiſſe, quando dixit; Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio, qui autem dixerit fratri ſuo Racca, reus erit Concilio, &c.* Sed piget in his quiſquiliis immorari. Primùm enim negari poteſt, nomine Iudicis alium intelligi debere, quàm eum ipſum qui in hoc edicto vocatur *Sacerdos eo tempore miniſtrans Domino*. Sed eſto intelligatur Iudicis nomine Iudex Politicus, diuerſuſque à Sacerdote, cuius ibidem fit mentio, numquid propterea ſummus Iudex non erat ille Sacerdos? Certè adeò iudicem eum fuiſſe hic locus prodit, vt Deus per iudicis decretum eum mori iuſſerit, qui ſuperbia elatus imperium & ſententiam illius eſſet aſpernatus. Erat igitur totum pondus iudicij in Sacerdote, & quod ille ſemel ſtatuiſſet, id adeo ratum in externo foro fuit, vt detrectanti obedire, mors impenderet. Eruditè Bellarminus aduertit Sacerdoti, *ſententiam definitiuam* illo loco tribui, *executiuam* verò Iudici; Etſi enim legatur, *& decreto*, non *ex decreto*, tamen cùm nullius decreti à Iudice prolati fiat mentio, ſed tantùm ſententiæ à ſacerdote latæ, quæ idcircò etiam decretum Iudicis appellatur, quod Iudex Pontificis authoritate adductus in eam tranſiret, ac executioni mandari iuberet, planè conſtat ſummam, illius Iudicij, penes Pontificem fuiſſe.

SPALAT. Num. 39.

Quod verò reclamantibus Thalmudiſtis negat, *Herodem Synedrio poteſtatem ſanguinis abſtuliſſe*, ad noſtras diſputationes non pertinet, ſed vt chartas impleret, adeoque immanium voluminum author haberetur, hæc veluti parerga ſibi tractanda duxit. Dicam tamen quod ſentio. Exiſtimo igitur ex verbis Iudæorum ad Pilatum, *Nobis non licet interficere quenquam*, non obſcurè colligi iudiciorum capitalium poteſtate illos tum caruiſſe, quod etiam ipſi eorum Magiſtri Rabini agnoſcunt, vt ex libris Talmudicis plerique viri docti demonſtrarunt; ſcilicet paulò antè, ea exciderant, fuerátque eis adempta iniquitate Ro-

SPALAT. Num. 40.

Ioan. 18.

manorum. Hoc docet Chryſoſtomus; *Quare*, inquit, *Iudæi Chriſtum non occiderunt, ſed ad Pilatum adduxerunt? Præcipua cauſa erat, quod parte maxima dominationis ſuæ fuerant priuati, quum eſſet eorum Reſpublica in Romanorum poteſtate.* Itaque Chryſoſtomum, cuius ſe authoritate tuetur, non legerat Spalatenſis. Obiicit tamen *patere ex Euangeliis Iudæos condemnaſſe Chriſtũ, & mortis reum feciſſe. Conuenerunt enim in Concilium vt eum dolo tenerent & occiderent: & reum mortis condemnauerunt.* Reſpondeo plumbeam eſſe huius argumenti aciem; Nam quidem Iudæi *cognitionem de crimine* habuerunt, alioqui cauſam, cur aliquem occidi poſtularent, reddere non potuiſſent; At *pronunciandi ſententiam cum effectu* ius non habuerunt. Dices; Stephanum non ſolùm reum mortis pronunciarunt, verùm etiam lapidibus obruerunt. Reſpondeo rabie non iure id feciſſe. Sed iſta non ſunt huius inſtituti. Quia igitur in Monarchia euertenda inanem operam poſuit Spalatenſis, videamus quibus argumentis ſuam Democratiam, aut etiam Ariſtocratiam tueatur. Democratiam primùm propugnat, & tela infœliciſſimæ ac deterrimæ regiminis formæ à ſapientiſſimis viris inflicta, ab eius corpore reuellere conatur. *Aduerſus Democratiam*, inquit, *ſic inſurgunt: Primùm quia in Democratia Magiſtratus à plebe conſtituuntur, & ab illa authoritatem ſumunt. Item: Appellare licet à ſententia Magiſtratus ad populum: Præterea à leges quibus Reſpublica gubernanda eſt à Magiſtratu proponuntur, ſed à populo iubentur; Denum accuſari & iudicari à populo poſſunt ipſius Magiſtratus & puniri; Quæ in Eccleſiaſtico regimine non reperiuntur; Reſpondeo non eſſe in Eccleſia veram democratiam & completam, ſed in aliqua parte tantùm, &c.* Atqui vt eligendi Eccleſiæ miniſtros, ius populo aſſereret, primùm oſtendendum illi fuit, non in ouium numero eum eſſe: Namque ouibus nullomodo conuenit, vt regant, ſed vt regantur: Fateor equidem aliquando datum populo, vt teſtimonium de vita & moribus eligendi ferret, ſed ius ſuffragij vnquam habuiſſe, nego ac pernego: Neque verò aliud ex ſcriptura colligitur, cùm ei miniſtrorum electio defertur. Et quidem in 7. Diaconorum electione dictum eſt ab Apoſtolis multitudini, *Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, &c.* Sed quis non videat non tam per ſuffragium, quàm per teſtimonium de vita & moribus, hoc eos vſurpaſſe? Certè Concilium Laodicenum antiquiſſimum, omninò prohibet *electionem Epiſcoporum per plebem fieri*, ſed hæc vberius alio loco tractabuntur, atque quid de ea re ſenſerint Cyprianus, Leo, & alij, aperietur. Quod de *appellatione ad populum* etiam in iudicio hæreſis addit, tam eſt præter vſum, praxim & ſapientiam Eccleſiæ, vt monſtri aliquid ſimile in eam inducere videatur. Quis enim vel fando audiuit iudicaſſe aliquando populum de fide? An verò propterea non ſunt Laici de Eccleſia, quia ius iudiciorum non habent? An omnia membra in corpore oculi ſunt? Ouium certè, vt dixi, eſt non paſcere, ſed paſci. Præclarè in hanc ſententiam Gregorius Nazianzenus de ordine in Eccleſia conſtituto verba faciens. *Alij*, inquit, *Dominantur & præſunt: alij parent & reguntur.* Ac rurſus: [a] *Hunc ordinem*, ait, *reuereamur ô fratres, hunc tueamur & conſeruemus. Alius auris ſit, alius lingua, alius manus, alius aliud quiddam. Alius doceat, alius diſcat, alius propriis manibus bonum operetur, vt habeat quod egentibus impertiat, alius præſit ac plebem moderetur, &c.* Ac demum ad retundendos & comprimendos inſolentiores Laicorum conatus, hæc addit:

Chryſoſt. hom. 82. in Ioan.

Τίνος ἕνεκεν αὐτὸν οὐκ ἀπέκτειναν, ἀλλ' ἐπὶ τὸν Πιλᾶτον ἀγαγόντες ἐμάλιστα μὲν τὸ πλῆθος τῶν ἀρχόντων ἐξ ἐξουσίας ἐστερήσαντο λοιπὸν, ὑπὸ Ῥωμαίοις τῶν πραγμάτων ὄντων.

Matth. 26.

Matth. 14.

SPALAT. Num. 41. Bell. li. 1. de Rom. Pōt. cap. 6.

Act. 6.

Conc. Laodic. can. 12. & 13.

Orat. 26. de moder. in diſp. ſeru.

Τὸ μὲν γὰρ ἄρχειν, καὶ πρωτοκαθεδρίζειν, τὸ δὲ ἄρχεσθαι καὶ ὑπωπτεύειν.

[a] Idem ibid. Ταύτην αἰδώμεθα τὴν τάξιν ἀδελφοὶ ταύτην φυλάττωμεν. ὁ μὲν ἦν τὸ ἀκοὴ, ὁ δὲ γλῶττα, ὁ δὲ χεὶρ, ἄλλο τι. ὁ μὲν διδασκέτω, ὁ δὲ μανθανέτω. ὁ δὲ ἐργαζέσθω τὸ ἀγαθὸν ἐκ ἰδίας χειρὸς, ἵνα μετάδοσιν τοῦ δεομένου ἔχῃ τοῦ χρῄζοντος.

Quid

Quid paſtoris munus tibi arrogas, cùm ouis ſis? Quid caput efficeris, cùm pes ſis? Quid exercitum ducere aggrederis, in militum ordinem aſcriptus? &c. Quod verò *quædam ab eius acceptatione pendent*, id fit quia illa in adiaphoris ab Eccleſia ponuntur, quæ ſi pro imperio iuberet, proculdubio, populo parendum eſſet: Breuior ſum in his & ſimilibus nugis refellendis, quas hîc congerit Spalatenſis, tum quia adeo ſunt iſta omnia abſurda, vt refutatione non indigeant, tum etiam quia infra plenius habituri ſumus de iure populi, in rebus Eccleſiaſticis diſputationem.

Idem ibid. Τί σκωπτὸν ποιῆς παιμένα, πρόβατον ὤν; τί χέρνιβι κεφαλὴν, τὸν ποδαγρικὸν στρατηγεῖν ἐπιχειρεῖς, πεπαιμένος ἐν στρατιώτου;

Poſtremum noſtrorum argumentum contra Democratiam iam verſat: *Deinde*, inquit, *illud afferunt argumentum, Democratiam eſſe peßimam ex tribus formis Reipublicæ, & diuinam ſapientiam dedecere, vt deterrimum regimen in ſua Eccleſia eſſe velit. Reſpondeo deterrimum eſſe regimen populare, ſi naturam corruptam ſpectemus, nullis extraordinariis viribus adiutam. Si verò ei adſit à Deo nouum lumen, & nouum auxilium ſupernaturale, tota concidit difficultas. Ita eſt in Eccleſia: Deus enim Spiritum ſuum toti Eccleſiæ promiſit, non alligando ipſum certis perſonis, ſiue certo generi perſonarum, puta ſolis presbyteris, aliiſve Clericis ad miniſteria Eccleſiaſtica deputatis, ſed ipſum voluit eſſe per omnes, licet non per ſingulos diffuſum: Et conſenſus totius Eccleſiæ in aliquo articulo non minus intelligitur in Laicis, quàm etiam in Presbyteris & Prælatis. Sunt enim etiam Laici in Eccleſia, imò ex Eccleſia, ipſiuſque ſolidam & maiorem partem conſtituunt.* Atqui lumen illud pro conditione perſonarum impertiri ſolet Deus & attemperare, nec vnquam eſt populis conceſſum, vt regendæ ac moderandæ Eccleſiæ pares eſſent. Contra verò paſtorum opera & adminiculo lucem demittere illuſtrandis populis; Euangelium nos docet; *Vos eſtis lux mundi*; dixit, non plebi, ſed Apoſtolis Chriſtus; Elegantiſſimè Auguſtinus verſans illa verba; *Suſcipiant montes pacem populo, & colles iuſtitiam. Montes*, inquit, *excelſæ animæ ſunt: colles, paruulæ animæ ſunt. Sed ideo montes excipiunt pacem vt colles poßint excipere iuſtitiam. Quæ eſt iuſtitia quam colles excipiunt? Fides, quia iuſtus ex fide viuit. Non autem exciperent minores animæ fidem, niſi maiores animæ quæ montes dictæ ſunt, ab ipſa ſapientia illuſtrarentur: vt poßint paruulis traiicere quod poßint paruuli capere, & viuere ex fide colles, quia montes paces ſuſcipiunt. Ab ipſis montibus dictum eſt Eccleſiæ, Pax vobiſcum.* Sed aliquantò neruoſius & magis in rem noſtram Gregorius Nazianzenus; *Ordo*, inquit, *in Eccleſiis quoque conſtituit, vt alij oues ſint, alij paſtores, alij præſint, alij ſubſint ac pareant, alius velut caput ſit, alius pedes, alius manus, alius oculi, alius aliud quoddam corporis membrum, ad totius Eccleſiæ concinnitatem & vtilitatem, vel inferius, vel præſtantius.* Itaque ſtramineis ſuis argumentis Democratiam à ſapientiſſimorum hominum vituperatione, ac iuſtiſſima reprehenſione non vindicauit Spalatenſis; Ac rectè omnino Xenophon, qui ad bellicam laudem etiam literarum gloriam adiecit, pronunciauit, *popularem potentiam virtutibus omnibus inimicam eſſe, nec aliter ſtabiliri aut retineri poſſe quàm bonis aliis obiectis.*

SPALAT. Num 42.

Aug. tract. 1. in Euang. Ioan.

Orat. 26. de moder. in diſp. ſeru. Τάξις καὶ ἐν ἐκκλησίαις, τὸ μὲν ἄνω τι τιμιον, τὸ δὲ ποιμένας διδάσκει. καὶ τὸ μὲν ἄρχειν, τὸ δὲ ἄρχεσθαι. καὶ τὸ μὲν ὄφθαλμὸν εἶναι κεφαλὴν, τὸ δὲ πόδας, τὸ δὲ χεῖρας, τὸ δὲ ὁπόσα μέλη, τὸ δὲ ἄλλό τι τῶν μελῶν τοῦ σώματος, πρὸς τὸ τῆς ἐκκλησίας εὐαρμοστίαν καὶ τὸ συμφέρον, ἢ ὑπερέχοντα, ἢ ὑπερεχόμενα.

Audiamus peritè iam aduerſarium pro Ariſtocratia diſſerentem: *Ariſtocratiam noſtram*, inquit, *Eccleſiaſticam Monarchici ſic impugnant; Optimates vel ſunt Laici, puta Principes; vel Eccleſiaſtici, puta Epiſcopi: & apud neutros eſſe regimen Eccleſiaſticum contendunt. Non apud Principes ſæculares, quia Apoſtolis ſuccedunt Epiſcopi, & quia ſcimus ex hiſtoriis ab Epiſcopis excommunicatos aliquos Principes. Nos verò principes etiam includimus in Eccleſiaſtica Democratia, ſicut &*

SPALAT. Num. 43. Bell. li. 1. de Rom. Pōt. cap. 7.

Prælatos omnes; tota enim Eccleſia includit omnes fideles, etiam ipſos paſtores, ſiue ſpirituales, ſiue temporales: ſicut in temporali Democratia non eſt ſola plebs, ſed ſunt etiam illi qui in ipſa ſunt nobiliores & doctiores. Seorſim tamen Principibus Laicis non committimus regimen Eccleſiæ, vt ipſi propriè ipſam propria authoritate regant. Committemus tamen ſub loco Principibus Laicis fidelibus curam & ſuperintendentiam rerum & perſonarum Eccleſiaſticarum, cum magna interim authoritate & poteſtate, ſi non directa ſaltem indirecta: Ita vt in quolibet regno, Rex poßit meritò in bono ſenſu Catholico, dici eſſe caput, id eſt ſupremus Gubernator Eccleſiæ totius Regni ſui: Dum videlicet cogere etiam poteſt Eccleſiaſticos, vt muneri ſuo ſatisfaciant, vt reforment Clerum & Eccleſias, vt fidem & Religionem ſartam tectámque conſeruent, vt hæreſes & ſchiſmata comprimantur, & vbicunque generaliter Rex cernit ab Eccleſiaſticis poſſe aut bonum ciuile commune promoueri, aut boni communis ciuilis obſtacula impediri, imò etiam vbi videt ſpirituale ſuorum ſubditorum bonum aliquid pati detrimenti, ex officio poteſt, & tenetur omnem mouere lapidem, vt & pacem communem commodáque Reipublicæ ſeruata Dei lege, conſeruet, & vt ſalus animarum non periclitetur. De quo ſuis locis in ſequentibus, præſertim lib. 6. fusè diſputabo. Interim moneo argumentum illud ab Hiſtoriis deſumptum, de Theodoſij, aliorúmve Principum à ſacris excluſione, Ariſtocratiam hanc, etiam inter Optimates vel ipſi Principes ſeculares reponerentur, non oppugnare. Quid enim obſtat, quin Senatus totus Optimatum, iudicare & punire poßit ſingulos Senatores eiuſdem Senatus, ſi delinquant? Dices ab vnico Epiſcopo Theodoſius fuit punitus, & non à toto aliquo conuentu. Reſpondeo, Ariſtocratiam Eccleſiaſticam in eo à propriè dictâ, hoc eſt, Ciuili Ariſtocratiâ deflectere, vt ſuprà docui num. 6. quod & omnes, & ſinguli Prælati habeant plenam authoritatem Eccleſiaſticam: quia omnes in ſolidum vnicam regunt Eccleſiam. Mihi verò non tam pro Ariſtocratia quàm contra Ariſtocratiam diſſerere videtur; Nam primùm quod attinet ad Principes Laicos, *Si Rex in quolibet Regno bono ſenſu dici poteſt caput Eccleſiæ*, Ergo eius erit ſtandum ſententiæ; Ergo penes eum erit rerum Eccleſiaſticarum arbitrium; Ergo à nullo Epiſcopo excommunicari poterit; Et tamen legimus Ambroſium Mediolanenſem Epiſcopum, Theodoſium ſummũ Imperatorem ſacris abſtentum Eccleſiæ ingreſſu prohibuiſſe: vbi hîc Optimatum illa prædicata authoritas, & tantopere celebrata Ariſtocratia? Manus certè dare cogitur aduerſarius. *Reſpondeo*, inquit, *Ariſtocratiam Eccleſiaſticam in eo à propriè dicta*, hoc eſt Ciuili *Ariſtocratia deflectere, vt ſuprà docui num. 6. quod & omnes & ſinguli Prælati habeant plenam authoritatem Eccleſiaſticam, quia omnes in ſolidum vnicam regunt Eccleſiam.* Itaque eius iudicio illa ſua Ariſtocratia, Ariſtocratia non eſt, Quod autem de Regibus vt illis adularetur dixit, *bono ſenſu illos Eccleſiæ Capita vocari poſſe*, tam eſt abſurdum, vt Caluinum ipſum huius dogmatis puduerit. *Magiſtratus*, inquit, *ſi pius eſt, eximere ſe nolet à communi filiorum Dei ſubiectione, cuius non poſtrema pars eſt Eccleſiæ ex verbo Dei iudicanti ſe ſubiicere, tantùm abeſt, vt iudicium illud ab Eccleſia tollere debeant. Quid enim honorificentius*, ait Ambroſius, *quàm vt Imperator Eccleſiæ filius eſſe dicatur? Imperator enim bonus intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt.* Propterea ſcilicet prioris æui Patres Eccleſiæ Proceres, Spalatenſis inſolens pronuntiatum tanquam vocem antichriſtianam repudiare, anathemate percellere, adeóque Imperatores, Reges, Principes ac huius generis Magiſtratus interdicta eis ſacrorum procuratione, ad Ciuilia negotia, & res prophanas magna animorũ conſtantia ablegare, atque aman-

Calu. Inſt. lib. 4. cap. 1. para. 4.

Amb. epiſt. 32.

amandare non dubitaſſent. Sic enim cùm de Athanaſio Antiſtite Alexandrino exauthorando, cogitaſſet Conſtantius Conſtantini Magni filius, ac de ea re Oſio Cordubenſi Epiſcopo præſcripſiſſet, reſpondit priſcæ fidei antiſtes. *Ne te miſceas*, inquit, *Imperator rebus Eccleſiaſticis, neque nobis in hoc genere præcipe, ſed potius ea à nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit; nobis quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit.* Sic eundem Conſtantium in re non diſſimili excepit Leontius Tripolitanus Epiſcopus. [a] *Miror*, inquit, *quomodo ad alia vocatus, aliis rebus te immiſceas: Militaribus enim & politicis rebus præfectus, in his quæ ad ſolos Epiſcopos pertinent præeſſe vis.* Magnus porrò Athanaſius monſtri loco habens, quod idem Conſtantius iudicium de rebus fidei vſurpaſſet, Antichriſtum eum pronunciat. [b] *Quid hic*, ait, *quod Antichriſti ſit omiſit? Si quidem iam denuo, in locum Eccleſiaſticæ cognitionis ſuum palatium tribunal earum cauſarum conſtituit, ſeque earum litium ſummum Principem & authorem facit.* Et paulò pòſt. [c] *Quis videns*, inquit, *eum in decernendo Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere iudiciis Eccleſiaſticis non meritò dicat illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ à Daniele prædicta eſt?* Sic & Valentinianum Iuniorem repreſſit Ambroſius. [d] *Noli te grauare*, inquit, *Imperator, vt putes te in ea quæ diuina ſunt, Imperiale aliquod ius habere. Noli te extollere. Scriptum eſt: Date quæ Dei ſunt Deo, quæ Cæſaris ſunt Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ?* Idem Ambroſius ab Imperatore rogatus, vt cum Auxentio in palatio de rebus fidei ageret, diſſereret ac diſputaret, reſpondit; *Si tractandum eſt*, inquit, *tractare in Eccleſia didici, quod maiores fecerunt mei. Si conferendum de fide, ſacerdotum debet eſſe iſta collatio; ſicut factum eſt ſub Conſtantino, qui nullas leges ante præmiſit, ſed liberum dedit iudicium Sacerdotibus.* Item eodem loco, *Quando*, inquit, *audiſti, clementiſſime Imperator, in cauſa fidei Laicos de Epiſcopo iudicaſſe? Ita ergo quadam adulatione curuamur, vt ſacerdotalis iuris ſimus immemores? & quod Deus donauit mihi, aliis putem eſſe credendum? At certè ſi vel ſcripturarum ſeriem diuinarum, vel vetera tempora retractemus, quis eſt qui abnuat in cauſa fidei, in cauſa, inquam, fidei, Epiſcopos ſolere de Imperatoribus Chriſtianis, non Imperatores de Epiſcopis iudicare?* Rurſus in eam rem Athanaſius: [e] *Si*, inquit, *Iudicium eſt Epiſcoporum, quid commune cum eo habeat Imperator? Sin contrà iſta minis Cæſaris conflantur, quid opus eſt hominibus titulo Epiſcopis? Quando à condito æuo auditũ eſt? quando iudicium Eccleſiæ ab Imperatore authoritatem ſuam accepit? aut quando vnquam hoc pro iudicio agnitum eſt? Plurimæ antehac Synodi fuere, multa iudicia Eccleſiæ habita ſunt: Sed neque Patres iſtius modi res Principi perſuadere conati ſunt, nec Princeps ſe in rebus Eccleſiaſticis curioſum præbuit: Paulus Apoſtolus habebat amicos in Cæſaris familia, non tamen eos in iudicio ſocios aſſumpſit.* Sic cùm Valentis Imperatoris Præfectus Eulogium preſbyterum hortaretur, vt cum Imperatore communicaret, reſpondit inuicti animi Sacerdos: [f] *Nunquid cum Imperio eſt etiam Sacerdotij dignitatem Imperator conſequutus? Nos verò paſtorem*

Athan. in ep. ad Solitariam vitã agentes. Μὴ πίθοι σεαυτὸν εἰς τὰ ἐκκλησιαστικά, μηδ' ἐγὼ περὶ τούτων ἡμῖν παρκελεύου. ἀλλὰ μᾶλλον παρ' ἡμῶν σὺ μάνθανε ταῦτα. σοὶ βασιλείας ὁ θεὸς ἐπιχείρισιν, ἡμῖν τὰ τῆς ἐκκλησίας ἐπίστευσε.

[a] Suidas in verbo Leontius. Θαυμάζω, φησὶν, ὅπως ὑπὲρ ἅπαντα παθὼν, ἐπίεις ἐπιχειρεῖς. ἐφαπτικὰν δὲ τὴν πολιτικὴν σχέσιν πρὸς τὰ τῆς ἐκκλησίας πράγματα, ἐπισκόπου δὲ περὶ τὰ εἰς μόνους ἐπισκόπους ἥκοντα διατεθρύλλητος.

[b] Athan. vbi suprà. Τί καὶ οὗτος τῆς ἀντιχρίστου παρελίπετο; ἢ τί πάλιν ἐκεῖνος ἐπεσπάσατο τούτου πλέον; ἢ πῶς ἐκεῖνος ἦλθεν ἐπὶ ἐρήμην θέσει ἀπόστολον ὄντα, μαθήσεις ἀπ' αὐτοῦ περὶ τούτου ἢ ὁδόν; ἢ δὲ πάλιν αὖ τὴν ἐκκλησίαν εἰς τὰ παλάτια θέσις ἑαυτὸν τοῦ χρίσεως

φεύγελαῖτα· ἢ τίνων μᾶλλον ἐξαφάγει. [c] Ibidem. Τίς βλέπων αὐτὸν ἐξαφάγοντα τὰ νομιζόμενα ἐπισκόπων, καὶ φεύγοντα τὰ ἐκκλησιαστικὰ κρίνοντα, οὐκ ἀκολούθως εἶπεν περὶ τοῦ Δανιὴλ ἐρημώσεως βδέλυγμα τῆς ἐρημώσεως.

[d] Ambr. epiſt. 33. ad Sororem.

[e] Athan. in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes. Εἰ μὲν ἐπισκόπων ἐστὶ κρίσις, τί ὄφελος κοινὸν ἔχει πρὸς τοῦτο βασιλεύς; εἰ δὲ βασιλέως ἐστὶν ἐπιτέλη, τίς ἐτοῦδε χρεία τῶν λειμμάτων ἐπισκόπων; πότε μὲν ἐν τῇ αὐτοῦ; ἐκείνη τοιοῦτο; πότε κρίσις ἐκκλησίας παρὰ βασιλέως ἔχει τὸ κύριος, ἀ ὅλως ἐγκέκλη τοῦτο τὸ κείμενον πολλαὶ συνόδοι περὶ τούτου γεγόνασι, πολλὰ κείμενα τῆς ἐκκλησίας γέγονεν, ἀλλ' οὔτε αὐτὸ ἀφισάντησι ἐπὶ ποτε περὶ τούτου βασιλεῖ, οὔτε βασιλεὺς τὰ τῆς ἐκκλησίας πεπεργάσατο. Παῦλος ἀπόστολος εἶχε φίλους τοὺς ἐν τῇ Καίσαρος οἰκίᾳ, ἀλλ' οὐκ ἐν κρίσει αὐτοὺς ἐποιήσατο. ἀλλ' ἐν τοῖς κείμενα τούτοις κοινωνοὺς παρελάμβανε.

[f] Vide Theodor. lib. 4. cap. 16. Μὴ γὰρ ἔφη ἡ μὲν τῆς βασιλείας ἡ δὲ τῆς ἱερωσύνης μετέλαχεν;

habemus, cuius nutum sequamur. Pigmenta igitur cóquirat Spalatensis, & dogma illud suum, *Rex est caput Ecclesiæ*, purpurisso, ceruſa ac ſtybio incruſtet, bonum ei ſenſum non affinget. Sed tantorum Patrum iudicio ſemper inter Antichriſtianas voces cenſebitur. Sunt igitur Reges ac Principes, fidei vindices, pietatis aſſertores, religionis defenſores, ſed ius aut imperium in ſacra non habent, ac omnino ab eorum tractatione arcentur ac prohibentur: quare Oziam Regem incenſum adolere volentem, magna conſtantia ab aris depulit Azarias Sacerdos: *Non est tui officij*, inquit, *Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed sacerdotum, hoc est, filiorum Aaron, qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium: egredere de sanctuario, ne contempseris: quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo.* Cumque, ait ſacer textus, *Iratus Ozias, tenens in manu thuribulum, vt adoleret incensum, minaretur Sacerdotibus, statim orta est lepra in fronte eius coram Sacerdotibus, in domo Domini super altare Thymiamatis.* Horrendum exemplum, dignumque in quod magni principes intueantur. Sunt certe Reges & Imperatores legũ diuinarũ cuſtodes, atque ipſorum eſt edictis ac pœnis prohibere, è mundoque eliminare blaſphemias, ſchiſmata, hæreſes, ſacrilegia. At legum diuinarum interpretationem, & iudiciorum Eccleſiaſticorum poteſtatem ad eos pertinere, aut penes eos eſſe, planè eſt Antichriſtianum, vt de Conſtantio pronunciauit Hilarius. Percurramus reliqua. *Oppugnant demum nostram Aristocratiam*, inquit Spalatenſis, *& Ecclesiasticum regimen præcipuè penes Episcopos esse non posse, his conficere conantur argumentis. Primò non est locus in Scripturis quo potestas Ecclesiastica detur Collegio vlli, seu conuentui, aut Concilio Prælatorum. Secundò Ecclesia ferè semper careret Rectoribus, nec esset vllus cui sit curæ commune bonum: Omnes enim Prælati inter se pares ponuntur, & commune bonum curare non possunt, nisi vel simul congregentur, vel communi consensu Magistratum aliquem eligant qui hoc præstet: Congregatio verò Conciliorum fit rarissimè, & cum maximo incommodo. Magistratus autem talis nullus reperitur institutus; Patriarchæ etenim etiam ipsi singulis suis clauduntur regionibus, neque extra illas (vt nos ponimus) potestatem habent vllam. Tertiò, Si est Aristocratia Episcoporum in Ecclesia, quo plures conuenient ad Concilium, eò validius decernent; & tamen fuerunt interdum Concilia minoris numeri, validiora aliis numerosioribus. Quartò, Hæreses & schismata ac factiones ab Optimatibus potius excitantur, quàm à plebeis; Ideoque in Ecclesia adhuc peior est Aristocratia quàm Democratia. Ad hoc*, inquit, *Respondeo, iam abundè me probasse omnibus Apostolis æquè commissum fuisse à Christo regimen Ecclesiæ, quando eis dictum est, Sicut misit me Pater, & ego mitto vos; Et, Euntes docete omnes gentes. Apostolis verò successerunt Episcopi omnes, & omnes in solidum regunt Ecclesiam, & concordi numerositate vnum gregem pascunt, vt optimè explicabat Cyprianus.* Ego verò dico, nec probaſſe, nec probare vnquam poſſe eam fuiſſe æqualitatem inter Apoſtolos, quæ vnum Collegij Caput tolleret; *Inter duodecim enim vnus est electus, vt capite constituto schismatis tolleretur occasio.* Neque verò rurſus vnquam probarit Apoſtolis, in plenitudinem poteſtatis, ſucceſſiſſe Epiſcopos, quare hîc quoque illi hæret aqua. Secundò obiicit ſibiipſi, *Ecclesia fere semper careret Rectoribus, nec esset vllus cui sit curæ commune bonum, omnes enim prælati inter se pares ponuntur, & commune bonum curare non possunt, nisi vel simul congregentur, vel communi consensu Magistratum aliquem eligant qui hoc præstet, &c.* Ac reſpondet; *Commune bonum à singulis promouetur, & ab omnibus in solidum,*

Lib. 2. Paralipom. 26.

Spalat. Num. 44. Bell. li. 1. de Rom. Pōt. cap. 8.

Spalat. Num. 45.

Ioan. 20. Matth. 28.

Hier. lib. 2. adu. Iouin.

& ex

& ex officio vnuſquiſque Epiſcopus tenetur bonum totius Eccleſiæ vniuerſalis procurare; Sed & hoc falſum eſſe ſuo loco oſtendetur, cùm Epiſcopi definitas ſedes habeant, nec liceat illis, alienos greges inuadere. Tertiò obiicit ſibi: *Si eſt Ariſtocratia Epiſcoporum in Eccleſia, quo plures conuenient ad Concilium, eò validiùs decernent; & tamen fuerunt interdum Concilia minoris numeri, validiora aliis numeroſioribus.* Reſpondet, *Oſtendam poſteà lib. 7. Concilia minora ordinariè corrigi à maioribus; etſi interdum minus Concilium melius ſenſit quàm maius, etſi etiam maius interdum errauit in quo minus non errauit; tamen error illius maioris damnari non potuit, niſi adhuc à maiori numero Epiſcoporum, ſiue Conciliariter congregatorum, ſiue ſingulariter & diuiſim in ſuis Eccleſiis reſidentium, & Eccleſiæ totius Catholicæ veritatis ſenſum exprimentium. Contingere enim poteſt, vt ſexcenti Epiſcopi eſſent in Concilio congregati, & vnicus in aliquo angulo mundi, ſiue Epiſcopus, ſiue Presbyter, ſiue etiam Doctor Laicus errorem aperiat, & diſſentiat, ac reclamet; quem poſteà tota ſequatur Eccleſia, & conſequenter à maiori numero Optimatum illi ſexcenti corrigantur, ipſiſmet etiam correctioni ſubſcribentibus, & ita numerum benè ſentientium adaugentibus: Sed de hoc plura poſteà lib. 7.* Igitur eò relabitur vt Ariſtocratiam ſuam rurſus tollat, quia vult ab vno *Optimates ſuos omnes corrigi*; ſed nugæ ſunt iſtæ; Conciliorum ea lex eſt ordinaria, vt à maioribus minora corrigantur, fatemur: ſed vt illa pleniora & maiora iudicij pondus habeant inter Orthodoxa à Pontifice cenſeri debent, vt in cauſa Concilij Ariminenſis eſt aliquando demonſtratum. Ipſorum certè Oecumenicorum Conciliorum cogendorum & confirmandorum authoritas penes ipſum Pontificem eſt, nec citra eius conſenſum poſſunt vlla decreta Eccleſiis ſanciri, vt ex veteri inſtituto docent Socrates, Sozomenus, & Theodoretus. SPALAT. Num. 46.

Quartò opponit ſibi *Hæreſes & Schiſmata, ac factiones ab Optimatibus potius excitantur, quàm à plebeis; ideoque in Eccleſia adhuc peior eſt Ariſtocratia quàm Democratia.* Reſpondet, *facilius eſſe vt vnus ſubuertatur & in hæreſim prolabatur; & ſic ſua ſuprema authoritate & impunitate plurimos corrumpat; quàm vt multi decidant à fide. Etſi inter Optimates Eccleſiæ diſſenſio hæc ſurgit, iam dixi remedium eſſe in maiori parte Eccleſiæ per totum orbem diffuſæ, quæ habet aſſiſtentiam illam ſancti Spiritus, à qua Eccleſia tota dicitur eſſe Columna & firmamentum veritatis, & diſſentiones, vbi maior pars negotium decidit, facilè ſedantur, &c.* At non aduertit vni illi dictum, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua*; Hac enim promiſſione fretus errorum ſcopulos facilè deuitat, quod reliquis adeò obuium non ſit. Neque verò ſopiendorum ſchiſmatum aliud vnquã remedium fuit, quàm inuocatio ſummæ poteſtatis, quæ ceruices domaret ſuperbas: Propterea Baſilius Pontificem Romanum adeundum in Orientis ſchiſmate cenſuit, qui authoritate ſua acta Concilij Ariminenſis reſcinderet, vt eſt ſupra à nobis obſeruatum. Propterea quoque Hieronymus in Antiochiæ tumultibus & totius, vt vocat, *orientis colliſione* ad Damaſum confugit, atque eius opem demiſſè implorat: *Hinc*, inquit, *præſidiis fulta mundi Ariana rabies fremit, hinc in tres partes ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat. Monachorum circa manentium antiqua in me ſurgit auctoritas. Ego interim clamito, ſi quis Cathedræ Petri iungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi hærere ſe dicunt. Poſſem credere, ſi hoc vnus aſſereret: nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcircò obteſtor beatitudinem tuam per crucem Domini, per neceſſarium fidei noſtræ decus, per paſſionem Chriſti, vt, qui Apoſtolos honore ſequeris, ſequaris & merito:* SPALAT. Num. 47. 1. Tim. 3. Luc. 22. Hier. ep. 58. ad Damaſum.

ita in ſolio cum duodecim iudicaturus ſedeas, ita te alius ſenem cum Petro cingat, ita municipatum cœli cum Paulo conſequaris, vt mihi litteris tuis, apud quem in Syria debeam communicare, ſignifices. Noli deſpicere animam, pro qua Chriſtus mortuus eſt. An non igitur ſummi viri & magna Eccleſiæ lumina à Monarchia, non verò ab Ariſtocratia aut Democratia in Eccleſiarum turbis præſidium petendum oſtendunt? Sed de his aliàs. Tandem & Ariſtocratiæ & Democratiæ labes agnoſcit, adeoque quantumuis renitatur gloriam Monarchiæ concedit præſtantioris regiminis.

Quod verò coronidis vice addit ſecum contra *Pontificem ſentire, pleroſque Eccleſiæ Romanæ Epiſcopos* in hominis vaniſſimi inſomniis pono, *qui tertiam partem ſtellarum cauda ſua traxiſſe ſe ſibi fingat.* At cœlo ſuo, firmamento illo veritatis, non mouentur præclariſſima ac conſtantiſſima ſydera: Inerrantium hæc ſtellarum labes ſit, & hominum, iuxta Apoſtoli ſententiam, *æternæ caligini reſeruatorum.*

Apoc. 12.

Iudæ epiſt. Canonica.

Digitized by Google

DISCVSSIO
PRIMI CAPITIS
LIBRI SECVNDI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Inter Miniſtros Chriſti vnum eſſe ſupremum ex acierum, nauigiorum & ouilium ordine ac œconomia oſtenditur: Chriſtum haud quaquam Eccleſiam deſeruiſſe, ſed miniſtros ei cõſtituiſſe: In his eminere Apoſtolos, varia atque multiplici authoritate præditos, qui ad Epiſcopos ſuam poteſtatem integram & florentem tranſmiſerint: Subeſſe tamen diſcrimen inter Apoſtolos & Epiſcopos: Vnde habeatur, oſtenditur: Poteſtatem initiandi, ordinandi & mittendi Epiſcopos in Eccleſia vigere; Epiſcopos certa quadam ratione ac poteſtatis circunſcriptione in locum Apoſtolorum ſucceſſiſſe: Apoſtolos nunquam Ariſtocraticè rexiſſe Eccleſiam: ſed Petrum caput ſuum ſemper veneratos fuiſſe. Petri fuiſſe ordinariam poteſtatem, Apoſtolorum extraordinariam: Propterea quoque Petro cenſeri ſuccedere Epiſcopos; Quo ſenſu eorum ſucceſſio ad reliquos quoque Apoſtolos referatur: Vnum Pontificem directè ſucceſſiſſe Petro.

SI Eccleſia eſt Caſtrorum acies ordinata, non eſt ſine Ducibus, Tribunis, & Centurionibus, aliiſque Militiæ Præfectis: ſi eſt grex, & ouile, habet neceſſariò & Paſtores: ſi eſt Nauis, adſunt nautæ, & gubernatores: Chriſtus verò Dominus eſt quidem huius exercitus ſupremus & ſolus Imperator: huius ouilis verus Paſtor bonus: huius Nauis vigilantiſſimus gubernator: is tamen per alios Duces minores, Paſtores, & Nautas, Eccleſiam ſuam regit, paſcit, & gubernat. Eam verò, dum ipſe ageret in terris, Apoſtolis à ſe electis regendam, & gubernandam ipſum commiſiſſe ſatis probauimus libro præcedenti. Neque ſatis ille, qui ipſamet eſt increata Sapientia, huic ſuæ Eccleſiæ proſpexiſſet; ſi ſolis eam Apoſtolis ita commendaſſet, vt illis extinctis, quippe mortalibus, nulli alij ſuccederent in eodem munere gubernandi. SPALAT. Num. 1. Cant. 6. Ioan. 10.

NAVIGIA, vno eodémque vento flante & impellente, tum Occidentem tum Orientem verſus ferri poſſe, olim quidem in naturæ miraculis ponebamus; ſed iam omnem mirationem Spalatenſis detraxit, atque rem haud difficilem eſſe probauit; Namque iiſdem planè argumentis quibus Orthodoxi Eccleſiam Monarchia contineri validiſſimè probant, efficere ſe poſſe exiſtimauit eadem in Eccleſia Ariſtocratiam obtinere. *Si*, inquit, *Eccleſia eſt caſtrorum acies or-* Cant. 6.

Num. 1. *dinata non eſt ſine ducibus, Tribunis, & Centurionibus, aliiſque Militiæ Præfectis. Si eſt grex & ouile, habet neceſſariò & paſtores; ſi eſt nauis, adſunt nautæ & gubernatores.* Contrà noſtri, *Si Eccleſia caſtrorum acies eſt ordinata, vtique præter Centuriones, Tribunos, & inferioris ordinis duces, Imperatorem habere debet, ad quem rei militaris ſumma referatur, quique exercitui quid facto opus ſit ſignificet ac decernat.* Hæc enim caſtrorum lex eſt. Item, *ſi Eccleſia eſt grex, & ouile, certè præter minores illos opiliones paſtorem habet vnum ſummum, ad quem proximè pertineat ouium curam gerere, eas paſcere ac fouere*; hæc enim ouilium eſt œconomia. Rurſus; *Si Eccleſia nauis eſt, vtique præter nautas, vnum habet ſummum nauclerum, qui naui præſit, ac cuique nautarum ſua munia præſcribat*; Ita enim in nauigiis fieri ſolet. Ac proinde vnus eſt in ea Imperator, vnus paſtorum Paſtor, vnus Rector ſummus, ſcilicet Pontifex, cui exercitum hunc regendum, hoc ouile curandum, hanc nauim moderandam, commiſerit Chriſtus. Nam quod Chriſtum ſummum Imperatorem, ſummum Paſtorem & ſummum Nauclerum eſſe vrget, hoc nos quoque fatemur, ſed ad rem non eſt, cùm tractabilis Eccleſiæ, ſpectabile caput quæramus, cui ſcilicet Chriſtus in cœlum receptus, ac extra hominum commercium, corpore poſitus, vices ſuas demandarit, ac ſuo nomine Eccleſiæ ſuæ præeſſe voluerit; Vno verbo illum ipſum quærimus, cui dictum eſt, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, Confirma fratres tuos; Paſce oues meas, Paſce agnos meos.* Vtique igitur Apoſtolis ac eorum ſucceſſoribus Eccleſiam ſuam regendã commiſit, ſed Apoſtolorum caput Petrum, *Epiſcoporum Epiſcopum* eſſe voluit, vt ſcilicet ſummi moderatoris interuentu omnis ſchiſmatum occaſio ab Eccleſia amoueretur. Ergo non ſolùm reliquis Apoſtolis quærendi ſunt ſucceſſores, quos eſſe Epiſcopos nullus Orthodoxus dubitat, ſed maximè Petro ſuus aſſignandus eſt, in totius Eccleſiæ procuratione. At linquamus tantiſper Petrum & Pontificem, vt de Apoſtolis & Apoſtolorum ſucceſſoribus agamus. Sic igitur Spalatenſis.

Matth. 16. Luc. 22. Ioan. 21.

SPALAT. Num. 2. Pſal. 2. Matth. vlt. *Non deſerit Chriſtus ſponſam ſuam, non deſerit hereditatem quam à Patre poſtulauit & impetrauit, ſed ſpiritu ſuo perpetuò præſens eam ipſemet regit adhuc & gubernat tanquam caput & Dominus; cui promiſit ſe ad futurum omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi. Vtitur tamen miniſtris & operariis, qui ipſius nomine, ea exhibeant miniſteria, quæ opere peraguntur corporali. Hos iam oſtendi fuiſſe primos ſanctos Apoſtolos, ab ipſomet Chriſto electos, & ad hoc munus aſſumptos, qui tamen vt ipſi etiam poſſent aliquo modo eſſe perpetui in Eccleſia, omnibus diebus, vſque ad conſummationem ſæculi, dedit eis poteſtatem, vt & ipſi poſſent alios eligere, & aſſumere ad idem opus, ſicut & ipſe eos elegerat & aſſumpſerat; Dixit igitur illis: Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos. Cum commiſsione & mandato generali; vt ſicut ipſe habuit à Patre mandatum docendi, inſtruendi, & cõuertendi mundum, ad cognitionẽ ipſius veri Dei & Miniſtros ad hoc neceſſarios, neceſſaria authoritate inſtructos deputandi; ita & ipſi haberẽt idem officiũ, & mandatũ cum eadem poteſtate, Miniſtros eligendi; & ita ſucceſsiuè vſque ad conſummationẽ ſæculi, continuata ſucceſsione. Debuit ergo in Eccleſia manere poteſtas hac adeò neceſſaria, pro miniſtrorum inſtitutione: & re vera manſit, & manet per legitimas ſucceſsiones, ab Apoſtolis ipſis, à Chriſto tradita, cum authoritate eiuſdem in alios tranſmittendæ: & ita benè ordinatam, & inſtitutam ſuam Chriſtus in terris reliquit Eccleſiam; cui nihil deeſſet ad optimum regimen, & perfectiſsi-*

Lib. 1. præc. c. 1. n. 16. & c. 2. init.

Ioan. 20. Ioan. 14.

mam

Digitized by Google

mam ipſius gubernationem. Eccleſia enim ſine his (nempe ſine clero) non eſt, vt ait Ignatius: & Cyprianus ſentit Eccleſiam eſſe plebem ſuo ſacerdoti adunatam, & gregem ſuo Paſtori adhærentem. Hieronymus quoque Eccleſiam non eſſe dixit, quæ non habeat Sacerdotem. Hæc ordine diluamus. Verùm omnino eſt non *deſeruiſſe Chriſtum Eccleſiam ſuam ſponſam, eique etiamnum de cœlo proſpicere, ac inuiſibili aſpiratione eam fouere, opera potiſſimum ſui ſancti ſpiritus, qui eam omnem veritatem doceat*; Verùm quoque eſt *vti eum o[illegible] ariis & miniſtris*, qui impulſu interioris influxus acti, iis defungantur muneribus, quæ viſibili miniſterio & conſentanea ſint & neceſſaria; Verùm quoque, Apoſtolis tanquam huius militantis Eccleſiæ anteſignanis eam prouinciam primùm demandatam, & ne intercideret illa dignitas factam illis poteſtatem renunciandi alios, ac admittendi in huius honoris conſortium, quorum opera, vſque ad mundi interitum, paſtorum ordo duraret; ne ſcilicet aliquando Eccleſia ſuis curatoribus deſtitueretur. Nec enim illa in terris ſine paſtoribus perſeuerare poteſt, aut in gradu conſiſtere: Rectè namque Cyprianus ſentit *Eccleſiam eſſe plebem ſuo Sacerdoti adunatam, & gregem ſuo paſtori adhærentem*: Probè quoque Hieronymus dixit, *Eccleſiam non eſſe quæ non habeat ſacerdotes.* Verùm rurſus eſt *Apoſtolos varia atque multiplici authoritate præditos*, Epiſcopatus poteſtatem integram & florentem ad paſtores tranſmiſiſſe, ab iiſque tanquam à primis Epiſcopis omnem Eccleſiaſtici ordinis ſeriem eſſe deductam. Hoc non obſcurè ex Actis Apoſtolicis colligitur, in quibus eſt expreſſum Apoſtolos præfeciſſe Eccleſiis Epiſcopos & presbyteros, qui creditũ ſibi populum & Sacramentis perficerent, & doctrina imbuerent. Quod autem monet Spalatenſis, *non omnem miſſionem ab Apoſtolis factam Epiſcopum facere*, hoc nos quoque damus; eſt enim ſolemnis ritus conſecrationis & manuum impoſitio neceſſaria: ſed vtrum Barnabàs & Paulus fuerint ab Eccleſia Epiſcopi ordinati, cùm Spiritus ſancti mandato *ſunt ſegregati ad opus ad quod aſſumpſerat eos Deus*, videro proximo capite. Hoc verò falſum falſiſſimum eſt quod obtrudit Spalatenſis, *Non aliud inueniri inter Epiſcopum & Apoſtolum verum diſcrimen, quàm quod Apoſtolus is ſit qui Chriſtum prædicat, tanquam teſtis oculatus ab ipſomet Chriſto immediatè miſſus*; *Epiſcopus verò ſit, qui eundem prædicat, vt teſtis inſtructus, & fide illuminatus, ac miſſus à Chriſti miniſtris*; *Niſi*, inquit Spalatenſis, *Apoſtoli nomen in latiori accipiamus ſignificatione pro quocunque miſſo, ſicut & Chriſtus ipſe à Paulo dicitur Apoſtolus, & Pontifex confeſſionis noſtræ: & ab eodem Epaphroditus vocatur Philippenſium Apoſtolus: & Barnabas non à Chriſto immediatè, ſed ab Apoſtolis miſſus, & ad Euangelizandum deſtinatus, Apoſtoli tamen nomine vnà cum Paulo inſigniatur: Andronicus & Iunias, cognati Pauli, nobiles in Apoſtolis Romæ fuiſſe dicuntur: multos Diſcipulos fratres, Paulus vocat Apoſtolos Eccleſiarum:* Huius enim pronunciati falſitas oſtenditur. Primùm quod Apoſtoli ea verbi diuini prædicandi authoritate effulſerint, quæ nullis terminis eſſet circumſcripta, adeò vt eis liceret liberos Canonicos conſcribere, noua dogmata toti Eccleſiæ proponere, à quibus etiamnum nefas ſit, vel Angelo de cœlo aliud docente vlla ratione diſſentire: Hoc igitur quis conceſſum credat Epiſcopis? Præterea Apoſtolorum authoritas nullis erat definita ſedibus, ſed longè lateque ſe per totum orbem & ad omnium gentium fundebat populos; At intra certos cancellos cohibetur Epiſcoporum poteſtas, ſuoſque terminos habet, extra quos ei vagari non liceat: Namque vſu, etiam iam ab initio naſcentis Eccle-

Ignat. ep. 2. Cypr. l. 4. epiſt. 9. Hier. adu. Lucif.

Spal. nu. 2. Pſal. 2. Matth. vlt.

Cypr. li. 4. ep. 9. Hier. adu. Lucif.

SPALAT. Num. 3.

Num. 4.

Act. 13.

Num. 5.

Heb. 3.

Philip. 2.

Act. 14. Rom. 16.

2. Cor. 8.

Apoſtolorũ ſumma poteſtas.

ſiæ, receptum eſt vt certis Eccleſiis ſinguli Epiſcopi præficiantur. Quo facit lo-
Ep. ad Tit. 1.cap. cus Apoſtoli ad Titum ſcribentis: *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut & ego diſpoſui tibi.* Ex his namque verbis apparet Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores vni loco addictos, intra cuius terminos eorum poteſtas contineretur. Toti quidem inſulæ, centum vrbibus nobili, præfectũ Titum videmus, qui videlicet veluti Archiepiſcopus ei moderaretur, ſed præterea eum hortatur Apoſtolus, vt κατὰ πόλιν, *oppidatim presbyteros conſtituat*, quos Epiſcopos intelligimus vſitata paulo phraſi. Propterea conſuetudine Eccleſiæ, tum Archiepiſcopi tum Metropolitæ & Primates, ac etiã Patriarchæ certas habebãt & conſtitutas aut ciuitates, aut Prouincias, aut Diœceſes, quibus moderarentur ac ius dicerent, neque licebat illis alienũ inuadere gregem. Hac Eccleſiæ praxi vtitur Hieronymus aduerſus Ioannem Hieroſolymitanum Epiſcopũ, qui ad Theophilũ Alexandrinum Patriarcham Apologiam ſcripſerat, ſuæque cauſæ veluti iudicẽ fecerat, parumque ad veritatẽ vt palpum ei obtruderet, addiderat, eum *omnium Eccleſiarum, maximè Hieroſolymitanæ curã ſuſtinere:*
Hieron. ep. adu. Ioan. Hier. Epiſcopum. *Tu*, inquit Hieronymus, *qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilij Canonibus veteris, &c. Reſponde mihi ad Alexandrinũ Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? ni fallor hoc ibi decernitur*, (ſcilicet ex more antiquo Eccleſiæ) *vt Palæſtinæ metropolis Cæſareæ ſit, & totius orientis Antiochia.* Conciliũ verò Conſtantinopolitanum Nicæni veſtigia premens, ſic edicit, *Epiſcopi ad Eccleſias quæ ſunt extra ſuam diœceſim, ſuoſque limites non accedant, nec incolas confundant, &c.* Propterea
Conc. Cõſtant. Can. 2. Τοὺς ὑπὲρ διοίκησιν ἐπισκόπους, ἢ τὰς ἐκτὸς ἐκκλησίας μὴ ἐπιτείνειν, μηδὲ συγχέειν τὰ ἐκκλησίας. etiam magnæ Synodi Nicæna Canon eſt, ὥστε μὴ ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν μήτε ἐπίσκοπον, &c. Vt *nec etiam Epiſcopus à ciuitate in ciuitatem tranſeat*, quem locum verſans Hieronymus ex eorum ſententia qui eo vterentur, vt probarent
Hie. ep. 83. ad Ocean. locum Pauli, *Epiſcopũ oportet vnius vxoris eſſe virum*, intelligendũ eſſe, *quaſi nemini liceret duobus Epiſcopatibus præeſſe*, innuere videtur illum Canonem editũ, *ne virginalis pauperculæ, ſocietate contempta, ditioris adulteræ quæreret Epiſcopus complexus*; At quî potuit eſſe illa ditior, adultera, ſi cuiuſuis Epiſcopi ad omnes Eccleſias ſeſe fundit poteſtas? Imò quî potuit Concilium Nicænum vni certo loco Epiſcopum addicere, cui authoritate diuina eſſet in omnes Eccleſias
Calced. Can. 5. citra vllarum limitationem ius conceſſum? Nugæ nugerrimæ. Certè Concilio Calchedonenſi is Canon Concilij Nicæni confirmatur, & paſſim in reliquis Synodis decernitur, *ne vllus Epiſcopus audeat ab vna prouincia in aliã tranſire, & aliquos in Eccleſiis ordinare.* Ergo vel iniuriam ſummam Epiſcopis fecerunt Synodi
Antioch. Can. 13. 21. & 22. Oecumenicæ, vel certè ex vi ſui Epiſcopatus, nõ ad omnes omnino Eccleſias, ſed ad certas quaſdã eorũ ſe porrigit poteſtas, vt proinde liquidò conſtet in *plenitudine poteſtatis* Apoſtolis non ſucceſſiſſe. Quod Spalat. de Apoſtoli nomine monet præter rem eſt, qui enim propriè, qui extenſo vocabulo Apoſtoli dicantur, eſt
Nu. 5. & 6. omnibus notum. Proprij nominis duodecim habemus qui Chriſto familiariſſimè conuixerunt, & ab eo ſunt in totum orbem prædicandi Euangelij gratia dimiſſi. At multò plures numerantur, qui Apoſtoli audiunt, protracta nominis ſignificatione, & ad eos qui minus propriè eſſent Apoſtoli accommo-
Num. 6. Philip. 2. data, qua ſignificatione nulli dubium eſt Martialem, ſi modo inter 72. diſcipulos recenſeatur, Apoſtolum poſſe dici, cùm Epaphroditum Philippenſium Apoſtolũ dicere nõ dubitauerit Paulus. At verò hæc, vt dixi, ad rem non faciunt,
Spalat. Num. 7. ſed παρεργῶς inducuntur. Perſequitur Spalatenſis. *Hanc verò poteſtatem miſſiuam, & ordinatiuam Epiſcoporum, eſſe in Eccleſia, iure diuino & Euangelico*

docu-

documento inſtitutam, ſi quis mihi non credit, eam in illis Chriſti verbis fundanti; ſicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos; credat Cypriano illa ſcribenti: Nouatianus in Eccleſia non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt; qui Euangelica, & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſeipſo ordinatus eſt. Ordinatio ergo Epiſcopi, quam Eccleſia tunc ſeruabat, non ſolùm ex Apoſtolica, ſed etiam ex Euangelica traditione emanabat. Vis verò cognoſcere qualemnam ordinationem ſeruaret tunc Eccleſia in Epiſcopis inſtituendis? Conſule eundem Cyprianum, & ab ipſo audies, Epiſcoporum tunc fuiſſe Epiſcopos creare: ſic enim de creatione Cornelij Epiſcopi Romani ſcribit: Et factus eſt Epiſcopus à plurimis Collegis noſtris, qui tunc in vrbe Roma aderant. Euangelicam verò ego traditionem aliam non obſeruo clariorem, quàm verbis illis expreſſam: ſicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos. In quæ verba Cyrillus Alexandrinus ita ſcribit: Ordinauit his verbis orbis Doctores, & diuinorũ myſteriorum miniſtros; quos vt luminaria ad illuſtrationem non Iudæorum regiones ſolummodo miſit, quæ iuxta Legalis mandati menſuram, à Dan, vſque Berſabee patebat, vt ſcribitur; ſed vniuerſum terrarum orbem illuminare iußit. Verax igitur eſt Paulus dicens; Non ſibi aliquem honorem accipere, niſi vocatus à Deo ſit. Sicut igitur Chriſtus mittendo Apoſtolos, eos ad Apoſtolatum euexit, & tanquam Aaron vocauit, ita ipſi Apoſtoli, accepta eadem poteſtate, dum alios ad fundandas, vel regendas Eccleſias mittebant, eos ad Epiſcopatum euehebant, totumque ipſorum officium, cum tota poteſtate miniſteriali, eis committebant; vna illa propria perſonali dignitate excepta, quod eſſent teſtes oculati vitæ, & Reſurrectionis Chriſti, ab eoque immediatè vocati, & miſſi ad euangelizandum: quam ego perſonalem illorum dignitatem Apoſtolatum poſt hac vocarim libenter, qua ab eis ſeparata, reliqua ſit in eiſdem tota dignitas & poteſtas Epiſcopalis, vt fuſius etiam ſequenti capite ſecundo explicabo. Poteſtatem initiandi, ordinandi, & mittendi Epiſcopos in Eccleſia vigere ſoli hæretici negant, & Spalat. cum Puritanis, non cum Catholicis hic res eſt. Hi enim Nouatianum cum Cypriano damnant, *Nouatianus in Eccleſia non eſt*, inquit Cyprianus, *nec Epiſcopus computari poteſt, qui Euangelica & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens à ſe ipſo ordinatus eſt.* Quod verò traditionem quam vrget Cyprianus, aliam eſſe nolit quàm illa verba, *Sicut miſit me Pater, ego mitto vos*, dubiam habet fidem, ſed de ea re inter nos non quæritur; Et locus Cyrilli à Spalatenſi citatus aliò etiam eam traditionem referre videtur; Meminit enim loci Epiſtolæ ad Hebræos, *Nemo aſſumat ſibi honorem niſi vocatus à Deo tanquam Aaron.* Verba Cyrilli ſunt ad illud Chriſti, *Sicut miſit me Pater, &c. Ordinauit his verbis orbis Doctores, & diuinorum myſteriorum miniſtros, quos vt luminaria ad illuſtrationem non Iudæorum regionis ſolummodo, miſit, quæ iuxta legalis mandati menſuram, à Dan, vſque Berſabee patebat, vt ſcribitur, ſed vniuerſum terrarum orbem illuminare iußit. Verax igitur eſt Paulus dicens; Non ſibi aliquem honorem accipere, niſi vocatus à Deo ſit.* Sed nec verbum quidem habet Cyrillus, ex quo colligi poſſit, Apoſtolos Epiſcopis à ſe inſtitutis plenitudinem poteſtatis, quàm à Chriſto, etiam quà Apoſtoli, eſſent conſecuti, tradidiſſe.

Cypr. l. 1. ep. 6.

Cypr. l. 4. ep. 2.

Cyrill. in Ioan. l. 12. c. 55.

Heb. 5.

Cypr. l. 1. ep. 6.

Heb. 5.

Cyrill. l. 12. c. 55. in Ioan.

Heb. 5.

Verùm hic totos nos authoritatibus Patrum obruit Spalat. vt ex eorum ſententia probet, *Epiſcopos Apoſtolorum ſucceſſores*; Atqui operam ludit, & gratis ſe hoc negotio implicat; quis enim orthodoxus iuit vnquam inficias? *Clemens*, inquit, *primus Romanus Epiſcopus, ſiue quicunque ille ſit de Petro ita ſcribit; Epiſcopos ergo, vicem Apoſtolorum gerere, Dominum docuiſſe dicebat, & reliquorum*

SPALAT. Num. 8.

Clem. ep. 1.

Anacl.ep.2. *discipulorum vicem tenere Presbyteros debere insinuabat. Anacletus similiter; Ipsis quoque (Apostolis) decedentibus, inquit, in locum eorum successerunt Episcopi. Et*

Constit. Apost.l.8. c.vlt. *in Constitutionibus Apostolicis, ita loquentes inducuntur Apostoli: Sed à Domino*

Sixt.1.ep.2. *edocti consequentiam rerum, Episcopis Pontificatus munera assignauimus. Sixtus primus; Apostolorum dispositione, ordinante Domino, Episcopos primitus constitu-*

Cypr.l.1. ep.10. *tos esse asserit. Cyprianus; Hoc enim vel maximè, inquit, frater, & laboramus &*

Id.l.4.ep.9. *laborare debemus, vt vnitatem à Domino, & per Apostolos nobis successoribus tra-ditam, quantum possumus, obtinere curemus. Item; Christus dicit ad Apostolos, ac per hoc ad omnes præpositos, qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt. Qui vos audit, & Clarus à Muscula Episcopus, in Concilio Carthaginensi apud Cypria-*

August.de bapt.contr. Donat.l.7. c.43. *num & Augustinum ita loquitur; Manifesta est sententia Domini nostri Iesu Christi, Apostolos suos mittentis, & ipsis solis potestatem à Patre sibi datam permitten-tis, quibus nos successimus eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes, &c. In Concilio verò Romano sub Syluestro, ponitur admonitio: Non debere quenquam*

Hier. ep.13. *Domini discipulis, id est, Apostolorum successoribus detrahere. Hieronymus; Epi-scopi, inquit, & Presbyteri habeant in exemplum Apostolos, & Apostolicos viros;*

Id.ep.54. *quorum honorem possidentes, habere nitantur & meritum. Item; Apud nos, inquit, Apostolorum locum Episcopi tenent; apud eos (Montanistas) Episcopus tertius est.*

August.de verb.Dom. serm.24. Luc.10. *Augustinus; Si solu, inquit, Apostolis dixit; Qui vos spernit, me spernit, spernite nos: si autem sermo eius peruenit ad nos, & vocauit nos, & in eorum loco constituit nos; videte ne spernatis nos. Dictum Psalmi; Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij,*

In Psal.44. *exponunt Hieronymus, Augustinus, & Euthymius; Pro Patribus Apostolis, Ec-*

Greg. in Euang. hom.26. *clesiam habuisse filios Episcopos. Gregorius; Horum profecto, inquit, (Apostolo-rum) nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent, ligandi atque soluendi authoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Audis Episcopos sortiri in regimine*

Chrys.ser. de Anathe: *Ecclesiæ, eundem gradum quem tenuerant Apostoli? Chrysostomus anathemati-zandi potestatem ab Apostolis, ad successores eorum nimirum Episcopos transisse*

Ioan. Damasc. de imag.ora.2. *asserit. Ioannes Damascenus ligandi & soluendi potestatem, non Regibus, sed Apostolis, & eorum successoribus, & Pastoribus, & Doctoribus, Christus dedit. Mitto recentiores innumerabiles, & Concilia plurima; est enim vniuersalissimus totius Ecclesiæ Catholicæ consensus, penes Episcopos, Ecclesiasticum regimen illud ipsum residere, quod Apostoli sancti à Christo Domino ordinarium acceperunt.*

Spalat. Num.9. Hæc Spalatensis, qui etiam rem ita persequitur. *Testimonia hæc, vti re vera est, ita plenam, imò plenissimam esse supponunt potestatem Apostolicam, in nobis Episcopis, eam prorsus quæ fuit in Apostolis, secluſis tamen Apostolorum propriis, & peculiaribus priuilegiis, quæ fuerunt Apostolis ipsis, vt iam exposui, personalia. Sicut enim Apostoli simul, & in solidum Aristocraticè curam gerebant Ecclesiæ, cum potestate æquali & vniuersali; ita Episcopi omnes, simul & in solidum eandem regunt Ecclesiam, singuli cum plena potestate. Et sicut Apostolus quisque, plenè erat Episcopus, & independenter vnus ab alio, sed immediatè à solo Christo, cuius om-nes æquè ministri erant: ita Episcopi. Et hoc omnino sibi volunt testimonia omnia prolata. Neque in hoc nobis hîc diutius immorandum esset, positis iam nostri 1. lib. præcedentis solidis fundamentis, & seruata deductione modo facta, nisi nos nostri Hieromonarchici hîc non parum interturbarent, qui vt vidimus lib. 1. nostro cap.3. num.20. & 33. negant successionem Apostolis omnibus, vno excepto Petro; cui soli succedi contendunt, idque à solo Romano Pontifice, in tota potestate ordinaria Ec-clesiastica. Ita omnium Monarchicorum nunc princeps, & compilator Bellarminus:*

Volunt

Volunt enim totam illam plenam Apoſtolicam poteſtatem, ad vnicum Romanum Pontificem tranſiiſſe; reliquos verò Epiſcopos, Apoſtolicam quidem habere poteſtatem, ſed illam certis finibus, ac reſtrictionibus limitatam, & à Romano Pontifice dependentem. Diſtingunt enim duplicem poteſtatem in Apoſtolis: Alteram cum tota plenitudine, ratione Apoſtolatus; vt poſſent in toto mundo eam non minus quàm Petrus exercere; quamuis, inquiunt, in Petro eſſet poteſtas hæc ordinaria, in aliis verò Apoſtolis vt delegata. Ac propterea à Petro ad ſucceſſores, cum eadem plenitudine tranſmittenda; alij verò Apoſtoli eam item plenam, ſine ſucceßione tamen haberent. Alteram Epiſcopalem ſecluſo Apoſtolatu, & ſine plenitudine, ſed cum dependentia à Petro. Succeßionem, itaque reſpectu prioris poteſtatis non dant Apoſtolis reliquis, ſed ſoli Petro: eam verò dant reſpectu poſterioru, adeo vt Epiſcopi omnes ſint Apoſtolorum ſucceſſores, non ſecundum plenitudinem poteſtatis, ſed in parte ſollicitudinis; Romanus verò ſolus Pontifex Petro ſuccedat in plenitudine poteſtatis. Bellar. de Rom. Pont. l. 1. c. 9. & l. 4. c. 25.

Sanctiſſimis iſtis Patribus aſſentimur; ſed hæc teſtimonia, quicquid blateret Spalatenſis, *pleniſsimam Apoſtolicam poteſtatem* in Epiſcopis, nec inducunt, nec ſupponunt. Neque enim vel Cyprianus, vel Clarus à Muſcula, vel Auguſtinus, vel Gregorius, vel Hieronymus, vel Chryſoſtomus, vel Damaſcenus, vt de aliis taceam, exiſtimarunt Epiſcopos, inſtar Apoſtolorum in Eccleſiam vniuerſalem poteſtatem accepiſſe, ſed ad definitas ſuarum Prouinciarum ſedes, eam poteſtatem quam ab Apoſtolis accepiſſent, coarctarunt. Hoc adeo clarum eſt, vt mirer Spalatenſem non aduertiſſe: Quis enim neſciat Cyprianum, Auguſtinum, Chryſoſtomum, intra fines ſuos ſe continuiſſe, nefaſque duxiſſe in collegarum patrimonium inuolaſſe? Certè Chryſoſtomus à Theophilo, & Ægypti Epiſcopis vexatus, grauiter conqueritur apud Innocentium Pontificem Romanum, præter ius & æquum illos iudicium de Conſtantinopolitano Epiſcopo ferre voluiſſe: *Neque enim*, inquit, *congruum eſt, vt hi qui in Ægypto ſunt, iudicent eos qui in Thracia.* Dilatet igitur quantum volet ſuas fimbrias Spalatenſis, ſe etiam vniuerſalem Epiſcopum *plena poteſtate Apoſtolica* præditum iactet, & Thraſili cuiuſdam inſtar, ſua eſſe omnia prædicet, vereor ne aliquid detrahant ampliſſimæ dignitati Angli, quibus credo non ſit conſtitutum pati, vt in meſſem alienam falcem mittat homo peregrinus & extorris. Age igitur mi Antoni pro iure tibi à Chriſto conceſſo, & ab Apoſtolis in te deriuato, vniuerſalem Epiſcopum te oſtenta in Anglia, Cantuarienſis Archiepiſcopi fines peruade, vineam eius excole, ſyluas cede, ac citra eius facultatem initia ſacris, præfice Eccleſiis, de moribus clericorum ſtatue; erit qui hæc tuæ charitatis officia benignè interpretetur, erit qui te egregiè excipiat; Nec enim ad amuſſim verbi Dei effictis, ac dedolatis Epiſcopis in mentem vnquam venerit, te eo iure prohibere, quod tibi cum Apoſtolis eſſe commune, tot clariſſimis teſtimoniis probaueris. Nobis verò qui tibi non credimus, liceat tua commenta reiicere ac exſibilare. Itaque vt preſſius agamus; Spalatenſis commentum eſt *Apoſtolos Ariſtocratiè rexiſſe Eccleſiam:* Hoc enim ipſa falſitate falſius ſuprà oſtendimus, atque eius rationes euertimus; Sed vt ſuam ſententiam fulciat iam aggreditur ad refellendam eam doctrinam, quam tradunt noſtri de poteſtate ordinaria delegata, atque primum eam ſic explicat; *Volunt*, inquit, *Hieromonarchici totam illam plenam Apoſtolicam poteſtatem ad vnicum Romanum Pontificem tranſiiſſe, reliquos verò Epiſcopos Apoſtolicam quidem habere poteſtatem, ſed illam certis finibus, ac reſtrictionibus limitatam, & à Romano Pontifice dependentem. Diſtingunt enim duplicem poteſtatem in*

Ep. 1. ad Innocent. οὐκ γὰρ ἐκλελυσθαι τὸ τῆς Αἰγύπτου τοῖς ἐν Θρᾴκῃ κρ.

Eod. nu. 9.

Apoſtolis: Alteram cum tota plenitudine, ratione Apoſtolatus; vt poſſent in toto mundo eam, non minus quàm Petrus exercere: quamuis, inquiunt, in Petro eſſet poteſtas hæc ordinaria, in aliis vero Apoſtolis vt delegata. Ac propterea à Petro ad ſucceſſores, cum eadem plenitudine tranſmittenda, alij verò Apoſtoli eam item plenam, ſine ſucceßione tamen haberent: Alteram Epiſcopalem ſecluſo Apoſtolatu, & ſine plenitudine, ſed cum dependentia à Petro. Succeßionem itaque reſpectu prioris poteſtatis, non dant Apoſtolis reliquis, ſed ſoli Petro: eam verò dant reſpectu poſterioris; adeo vt Epiſcopi omnes ſint Apoſtolorum ſucceſſores, non ſecundum plenitudinem poteſtatis, ſed in parte ſollicitudinis; Romanus verò ſolus Pontifex Petro

SPALAT. Num.10. *ſuccedat, in plenitudine poteſtatis.* Ea igitur ſic explicata rem totam abſoluit. *Ego verò*, inquit, *eodem lib. 1. capite tertio planè conuici, omnes Apoſtolos fuiſſe etiam cum Petro, in omnibus, exceptis quibuſdam perſonalibus æquales. Attigi verò leuius eodem primo libro cap. 8. num. 5. & cap. 10. num. 21. 26. Petrum & vnumquemque aliorum Apoſtolorum, ex vi Apoſtolatus, fuiſſe æquè Epiſcopum, ſicut & capite 9. num. 29. innui vnam & eandem eſſe Epiſcopalem, & Apoſtolicam poteſtatem; quæ plenius confirmabo capite 2. proximè ſequenti. Quicquid enim Chriſtus Dominus voluit conferre poteſtatis ſuis Apoſtolis, contulit illis verbis: Sicut miſit me Pater,*

Ioan.20. *ita & ego mitto vos, tunc verò eos, & Apoſtolos fecit, & Epiſcopos. Neque mihi poterunt in toto Euangelio inuenire, vbi in Apoſtolis poßimus diſtinguere poteſtatem Epiſcopalem minorem, à poteſtate maiori Apoſtolica; aut plenitudinem poteſtatis, à parte ſollicitudinis, de qua plenitudine fuſius agam in ſequentibus capite 5. Apoſtolatum verò eſſe, ſicut & Epiſcopatum, nudum opus, & miniſterium, eodem lib. 1. probaui capite 2. Apoſtoli itaque omnes, vnam & eandem in ſolidum habuerunt pro Eccleſia regenda poteſtatem: atque hanc poteſtatem ſimiliter in Epiſcopos omnes, vnam & eandem in ſolidum transfuderunt: vt iam explicabo.* Sed rurſus vaniſſimum eſt eius commentum, *Apoſtolos in omnibus æquales fuiſſe, quibuſdam perſonalibus exceptis*; Nam quod attinet ad Eccleſiæ regimen & adminiſtrationem, Petrum Apoſtolorum caput fuiſſe ineluctabilibus argumentis, ſuperiore libro euicimus ac probauimus: Cæterùm quod attinet ad eam doctrinam, quam tradunt noſtri, *duplicem in Apoſtolis* ſpectandam eſſe poteſtatem, *Alteram, cum tota plenitudine ratione Apoſtolatus*, & eam quidem *ordinariam in Petro*, ad cuius proinde ſucceſſores ſit tota reuocata; *Extraordinariam* verò in Apoſtolis, à quibus propterea in ſucceſſores integra non tranſierit; Alteram *Epiſcopalem, ſecluſo Apoſtolatu, & ſine plenitudine poteſtatis*: Et ſcriptura, & praxi Eccleſiæ nititur. Namque quod attinet ad Apoſtolorum poteſtatem dictum eſt

Marc.vlt. eis ex nomine, *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium*, vt appareat eorum curam ad omnes orbis regiones ſeſe fundere potuiſſe: Atqui ex eadem ſcriptura non obſcurè colligimus certas orbis portiones, certos greges Epiſcopis quos initiaſſent, & ordinaſſent commiſſos; *Attendite vobis, & vniuerſo gregi*, inquit Paulus, *in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos*: Enimuero de priuato grege locutum Paulum ſequentia indicant; *Ego ſcio quoniam intrabunt poſt diſceſſum meum lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.* Et Apoſtolorum princeps

Act. 20. 1. Pet. 5. Petrus, *Paſcite eum qui in vobis eſt gregem, &c.*

SPALAT. Num.11. Sed vrget Spalatenſis, *Sanè quod ſpectat ad Petrum, cùm ipſius poteſtas nulla eſſet, quæ ad ipſum ſolum ſeorſim, & ſeparatim ab aliis Apoſtolis accepta ſpectaret, nullum etiam hoc pacto ſuum ſpecialem potuit habere ſucceſſorem: Quatenus tamen poteſtas hæc rectiua Eccleſiæ in Petro, erat illa vnica poteſtas, quæ in ſolidum conceſſa*

ceſſa fuit à Chriſto omnibus, & ſingulis Apoſtolis, hac ratione Petro ſuccedunt, quicunque ad Eccleſiæ regimen ſunt aſſumpti. Patet hoc euidenter in primis illis Epiſcopis, quos Apoſtoli adhuc viuentes ordinabant; & ſumamus exempli gratia, Barnabam: Is enim factus ſocius, & collega Pauli, ſimul cum eo iecit primum fundamentum Eccleſiæ Antiochenæ, primumque nominis Chriſtiani ibidem fecere initium. Act.11. *Obibat verò plenè munera Apoſtolica Barnabas, quæ obire non poterat, niſi fuiſſet in Epiſcopum ordinatus, & tamen nulli certæ ſedi alligabatur: Sed datis dextris* Gal.2. *cum Petro, Iacobo, & Ioanne, ille & Paulus gentium conuerſioni ſunt deſtinati; hi verò in Circunciſionem. Et ita factum eſt, vt nullo certo loco Barnabas conſiſteret, ſed multas regiones peragraret prædicando. Idem videmus in Sila, Iuda, &* Act.13. *multis aliis. Non ergo prima Epiſcoporum inſtitutio fuit, vt Apoſtolis ſingulis da-* Act.15.16. *rentur ſucceſſores, qui poſt eorum mortem in eorum ſingulorum locum ſubrogarentur; ſed quicunque ab Apoſtolis Epiſcopi fiebant, ij eandem cum ipſis Apoſtolis in ſolidum authoritatem accipiebant, & ſanè vniuerſalem in habitu, & illimitatam; in actu verò, aliqui indifferenter, quocunque eos Spiritus ſanctus, aut Apoſtoli dirigebant, terrarum orbem circuibant: aliqui verò certis locis conſiſtere iubebantur, vt* 2.Tim.4. *Titus, peragrata prius Dalmatia in Creta, iubente Paulo ſubſtitit. Timotheus lu-* Tit.1. *ſtrata prius Macedonia, Epheſi ſedem, eodem Paulo ſic diſponente, fixit. Qui ergo* Act.19. & *eandem poteſtatem in ſolidum habebant cum Petro, Petri etiam ſucceſſores pote-* 1.Theſſ 3. *rant meritò nuncupari: ij autem ſunt æquè Epiſcopi omnes.* 1.Tim.1. Rurſus ſua ſomnia profert, & quanquam toties à nobis depulſus putidas illas ſuas merces nobis obtrudere non veretur. Sed quàm falſum ſit *Petrum nullam poteſtatem habuiſſe, quæ ad ipſum ſeorſim & ſeparatim ab aliis Apoſtolis accepta, ſpectaret,* ſuperiora oſtendunt, nec recocta crãbe lectorem excruciabimus. Cæterùm non negauerim aliquos ab Apoſtolis renunciatos Epiſcopos, vt Barnabam, & Silam, & Iudam, ſi modò hi Epiſcopi fuerunt, & nonnullos alios liberè excurriſſe in omnes terras, ac proinde conſtitutas ſedes non habuiſſe, ſed *priuilegia paucorum*, quibus ob temporum conditionem, & miniſtrorum penuriam, extraordinaria quædam poteſtas ſit conceſſa, *non faciunt legem*; Et de aliis planum fit *certos greges habuiſſe*. Neque verò illa verba Chriſti, *Sicut miſit me Pater, ego mitto vos, &c.* Ioan.20. vt ad Epiſcopos etiam proximè pertineant, efficiunt vt propterea omnino pares Apoſtolis cẽſeri debeant; Neque enim Chriſtus dixit, ſe omnes quos mitteret eadem poteſtate donaturũ: *Miſit*, certè quoque etiam *ſeptuaginta duos diſcipulos*, Luc.10. quos tamen nullus ſanæ mentis Apoſtolis æquauerit; Mittit ergo Chriſtus Apoſtolos, mittit Epiſcopos, ſed paribus omnino priuilegiis non ornat. Clarum eſt itaque eam *plenitudinem poteſtatis* quæ in Apoſtolis fuit, ad Epiſcopos non tranſiiſſe, vnde rectè colligunt noſtri *ordinariam* non fuiſſe, quia proculdubio ſi ordinaria fuiſſet, in Eccleſia, perſeueraſſet. Propterea etiam aduertunt noſtri Epiſcopos quidem vocari *Apoſtolorum ſucceſſores in genere*, ſed haudquaquam dici huius, aut illius qui conſtitutam ſedem non habuerit, Andreæ ſcilicet, Ioannis, vel Thomæ, ſucceſſores, niſi ſolius Petri, cuius plerumque eos heredes faciant Patres antiqui, quia ſcilicet vnus Petrus fons, & origo eſt Eccleſiaſtici ordinis, & poteſtatis in omnes Epiſcopos deriuatæ; Namque etſi directæ, vt loquuntur, ſucceſſionis iure, vnus Pontifex Romanus Petri heres perhibeatur, tamen indirectæ, ac collateralis, quam dicunt, reſpectu, pertinet quoque ad reliquos Epiſcopos Petri authoritas, ac in partem honoris ſuccedunt. Neque verò mirum eſſe debet neminem ſucceſſiſſe Apoſtolis ſeparatim ſpectatis, niſi fortaſſe iis qui

ſedes fixas habuerint, ſucceſſiſſe verò Romanum Pontificem Petro: Quemadmodum enim in Republica Hebræorum (quod etiam ſuprà Spalatenſis agnouit) Moſes, extra ordinem, ſummũ Pontificatum geſſit, neque tamen vllum ſucceſſorem in eo munere habuit; Ita de Apoſtolorum extraordinaria poteſtate cenſendum eſt; nimirum in ſucceſſores non tranſiiſſe, ſed veluti ad vnum Pontificem Romanum reuocatam eſſe tanquam ad ſucceſſorem Petri, cuius poteſtas cùm eſſet *ordinaria*, Eccleſiæque omnibus ſæculis planè neceſſaria, perſeuerare in ea debuit ac durare. Quæ enim fuit ratio conſtituendi capitis, ad auertenda ſcilicet ſchiſmata, ea viget, æternumque vigebit, in humanæ naturæ corruptione.

Spalat. Num. 12. Cypr. l. 5. ep. 6.

Sed impreſſionem facit hoſtis, vrgetque alios Epiſcopos, præter Romanum, Petri dici ſucceſſores, teſteſque profert magni nominis Patres; *Cyprianus ſanè*, inquit, *ait*; *Dominus noſter, cuius præcepta metuere & obſeruare debemus, Epiſcopi honorem, & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens, in Euangelio loquitur, & dicit Petro: Ego dico tibi, Quia tu es Petrus, &c. Inde per temporum & ſucceſſionum vices, Epiſcoporum ordinatio, & Eccleſiæ ratio decurrit, vt Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur; & omnes actus Eccleſiæ per eoſdem præpoſitos gubernetur. Hieronymus*; *Non eſt facilè, inquit, ſtare loco Pauli, tenere gradum Petri. Cyrillus etiam, Similia, inquit, ſucceſſoribus ſuis Petrus ſcripſit præcepta. Ephræm, de ſancto Baſilio Epiſcopo, ita ſcribit: Et ſicut rurſus Petrus Ananiam & Saphiram, fraudantes de precio agri enecauit; ita & Baſilius, locum Petri obtinens, eiuſque pariter authoritatem, libertatemque participans, ſuam ipſius promiſſionem fraudantem Valentem redarguit, eiuſque filium morte mulctauit. Chryſoſtomus tractans locum illum, Petre amas me? Neque enim, inquit, tum volebat teſtatum eſſe, quantum à Petro amaretur, ſi quidem id multis nobis argumentis conſtabat, verùm hoc ille tum agebat, vt & Petrum, & cæteros nos edoceret, quanta beneuolentia ac charitate erga ſuam ipſe Eccleſiam afficeretur, vt hac ratione & nos quoque eiuſdem Eccleſiæ ſtudium, curamque toto animo ſuſciperemus. Quanam item de cauſa idem ille (Chriſtus) ſanguinem effudit ſuum? Certè vt pecudes eas acquireret, quarum curam cum Petro tum Petri ſucceſſoribus, Græcè tum iis qui poſt eum committebat. Gaudentius Brixienſis Ambroſium vocat Petri ſucceſſorem. Gildas ſapiens malos Epiſcopos quoſcunque, ait, ſedem Petri immundis pedibus vſurpare. Patres Concilij Pariſienſis: Quod, inquiunt, ex verbis Domini facilè intelligere poſſunt, quibus beato Petro, cuius vicem indigni gerimus, ait, Quodcunque ligaueris, &c. Petrus Bleſenſis vnum Epiſcopum ita alloquitur; Recolite, Pater, quia beati Petri Vicarius eſtis. Item ad Eboracenſem; Quia igitur eſtis ſucceſſor, & Vicarius Petri, qui oues Domini cuſtodiendas accepit, &c. Et ad Vigorienſem, Heres es, & Vicarius Petri, Paſce oues. Et poſt aliqua, Chriſti villicus es, & Vicarius Petri.* Atqui hoc eſt ſua arua incendiſſe ac deuaſtaſſe; ſuprà enim monuimus nullum vnquam Epiſcopum, Ioannis, Thomæ, Andreæ, aut alicuius alterius Apoſtoli ſucceſſorem Patribus agnitum, ſed omnes omnino Petri ſucceſſores habitos, quod nimirum Petrus non ſolùm Pontificiæ poteſtatis ſuæ ſedi conciliatæ, ſed vniuerſæ quoque authoritatis, reliquis Epiſcopis communicatæ, fons & origo fuerit; Et hoc quoque ſenſu, vt reliquos præteream, D. Auguſtinus, *nomine totius Eccleſiæ, cuius ille figura eſſet, claues accepiſſe cenſet*, quod nimirum ea poteſtas non eſſet in eo deſitura, ſed ad Eccleſiæ præfectos tranſitura, vt explicauimus.

Hier. ep. 1. Cyrill. l. 12. Theſ. c. 13. Ephr. orat. de laud. Baſil.

Ioan. 21. Chryſ. l. 2. de Sacer. init.

Gaud. tract. prima die ſuæ ordin. Gild. in Eccleſ. ordinis increpat. Bibl. SS. PP. tom. 5. Concil. Pariſ. l. 3. c. 8. Pet. Bleſ. ep. 148. Id. in Can. Epiſcopali.

Atque

Atque noſtram ſententiam magis, ac magis confirmat : quod item obiicit Spalatenſis, Patres *per analyſin ad ſua principia Epiſcoporum omnium ſucceſſiones reducere ad Apoſtolos in genere, & vix ad vnum aliquem ſingularem, vt ſingularis eſt.* Namque id propterea faciunt, quod vnâ cum Apoſtolis (ſi Petrum excipias) interierit illa poteſtas extra ordinem eis conceſſa, qua pleniſſimo iure rexerant Eccleſias omnes, quibus ſuam operam addixerant. Hoc ex Irenæo, Tertulliano, Euſebio, Ignatio à Spalatenſi citatis, colligere cuiuis ſit obuium. Quod verò addit dicere Patres, *perinde credendum eſſe, ſucceſſoribus Polycarpi, atque ſucceſſoribus Clementis (ſeu Lini, quicunque ex his fuerit primus Romæ Epiſcopus) quia tam illi, quàm hi, quamque aliarum Apoſtolicarum ſedium ſucceſſores, originem ſuam æquè trahunt ab Apoſtolis : Quorum doctrina ipſis à Chriſto tradita, per manus poſtea ad ſucceſſores transfuſa, in Eccleſia perſeuerat*; Equidem verum eſt, ſi *ratio doctrinæ* ab Apoſtolis traditæ ſpectetur : Sic enim Tertullianus, *In ſumma, inquit, ſi conſtat id verum quod prius, id prius quod & ab initio, ab initio quod ab Apoſtolis ; pariter vtique conſtabit, id eſſe ab Apoſtolis traditum, quod apud Eccleſias Apoſtolorum fuerit ſacroſanctum. Videamus quod lac à Paulo Corinthij hauſerint : ad quam regulam Galatæ ſint recorrecti : quid legant Philippenſes, Theſſalonicenſes, Epheſij ; quid etiam Romani de proximo ſonent ; quibus Euangelium, & Petrus, & Paulus, ſanguine quoque ſuo ſignatum, reliquerunt. Habemus & Ioannis alumnas Eccleſias, nam & ſi Apocalypſim eius Marcion reſpuit, ordo tamen Epiſcoporum ad originem accenſus, in Ioannem ſtabit authorem* ; Sed verum non eſt *ſi ratio credendi* attendatur, ſiquidem ſtandum eſſe doctrinæ ab Eccleſiæ Romanæ Antiſtitibus traditæ illi Patres cenſuerunt, non ſolùm quod authorem haberet vnum ex Apoſtolis, ſed quod ipſum Principem Apoſtolorum nacta eſſet fundatorem, cuius authoritas peculiaribus Chriſti promiſſis ſancita, ne quidem in ſucceſſoribus nutare poſſet, quod de aliis ſedibus non affirmarunt, & affirmare non potuiſſe euentus probauit, cùm perſeuerante vna ſede Petri, illæ aliæ Eccleſiæ quæ Apoſtolicæ haberentur, à fide exorbitarint, & religioni Chriſtianæ nuncium remiſerint. Propterea Auguſtinus homo Afer, Romanæ ſedis authoritate Donatiſtas premit; *Numerate*, inquit, *Sacerdotes, vel ab ipſa ſede Petri ; & in ordine illo Patrum, quis cui ſucceſſit videte. Ipſa eſt Petra quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Propterea quoque reliqui Patres, aliis prætermiſſis vnam Romanæ Eccleſiæ ſucceſſionem vrgent ad proterendos hæreticos, eamque aſſerendæ fidei Catholicæ, quæ ab eis doceretur, ſufficere autumant. Ita nimirum Apoſtolorum omnium veras ſucceſſiones enumeraſſe ſe putabant, quæ hac vna conſtarent : Quemadmodum enim Pacianus Barcinonenſis venerandæ antiquitatis Epiſcopus, vt eum indigitat Spalatenſis, *Epiſcopos omnes, Apoſtolorum Cathedram tenere* ; Ita Optatus Orthodoxus Antiſtes magnus fidei propugnator, *omnes Apoſtolos in Cathedra Petri ſediſſe* docet, *nec ſingulos ſingulas Cathedras habuiſſe. In vrbe Roma*, inquit, *Petro primo Cathedra Epiſcopalis eſt collata, in qua ſedit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus eſt, in qua vna Cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli, ſingulas ſibi quiſque defenderent, vt iam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret. Ergo Cathedra vnica eſt, quæ eſt prima de dotibus.* Itaque hoc ſenſu *Petrum vniuerſalem Epiſcopum, non ſolùm habitu, ſed & actu*, ſiquidem de actu primo nobis eſt

SPALAT. Num. 13.
Iren. l. 3. c. 3. Tertull. de præſcript. SPALAT. Num. 14. Euſ. l. 4. c. 5. Ign. ep. 12.
SPALAT. Num. 15. Tertull. l. 4. adu. Marci.
D. Aug. cont. partem Donat.
Pacia. ep. 1. ad Sympr.
Opt. contr. Donat. l. 2.
SPALAT. Num. 14.

ſermo, agnoſcimus: Cæteros autem Apoſtolos eius dignitatis conſortes facimus, ſed in illa eximia Cathedra vnitatis, aut in pleniore illa poteſtate, ſucceſſiſſe Apoſtolis Epiſcopos, & priuatarum Eccleſiarum Antiſtites, hæreticum dogma credimus, ac vni Romano Pontifici hanc gloriam aſſerimus. Quin etiam in Petro, ac Apoſtolis quandam poteſtatis præſtantiam fuiſſe, quæ ad noſtros Pontifices non peruenerit, minimè dubitamus; Poterat enim Petrus quâ Apoſtolus, poterant, & eius collegæ, libros ſacros conſcribere, noua dogmata proponere, Sacramenta publicare, etiam citra vllum ſcripturæ ante ſe traditæ præſidium, quod certè nec faciunt, nec facere poſſunt noſtri Pontifices, quorum eſt traditam doctrinam propugnare, non nouos libros Canonicos ſcribere, aut noua Sacramenta inducere.

SPALAT. Num.15. Quod autem vrget Spalatenſis, *Non ſecus in Eccleſia, verbi gratia Smyrnarum ſeriem ſucceſſionis Epiſcoporum, aſcendendo in Ioannem reuolui, quàm ſucceſſionem Pontificum Romanorum in Petro acquieſcere, ac proinde vt huic, ita illi nempè Ioanni ſucceſſorem aſſignandum eſſe*; Friuolum eſt, & futilitatis plenum; non enim idcirco Petro ſucceſſorem damus, quod qui iam ſunt Romani Pontifices, replicata ſerie in eum deſinant, hoc enim eſſet, vt loquuntur in ſcholis, idem per idem probaſſe, ſed idcirco huic ſucceſſorem ponimus, quod poteſtatem ordinariam conſequutus, eam ſucceſſionis iure, ſuæ Cathedræ heredibus florentem, & integram tradere debuerit: contra verò cùm ſit nobis conſtitutum reliquorum Apoſtolorum poteſtatem extra ordinem fuiſſe, hanc illorum interitu extinctam, nec poſteris (ad illum ſcilicet cumulum) communicatam affirmamus. Sed iam teſtimonio Cœleſtini probare contendit aduerſarius, par pondus habere ſucceſſionem reliquorum Apoſtolorum ac Petri; *Docebat*, inquit, *qui in Apoſtolis ſuis ſe confirmat audiri; hæc ad omnes in commune Domini Sacerdotes mandatæ prædicationis cura peruenit: hæreditario namque in hac ſollicitudine iure conſtringimur, quicunque per diuerſa terrarum, eorum voce nomen Domini prædicamus, dum illis dicitur; Ite, docete omnes gentes. Aduertere debet vniuerſa fraternitas, quia accepimus generale mandatum, omnes etiam nos id agere voluit, qui illis ſic in communi mandauit officium, neceſſe eſt vt competenter noſtros ſequamur authores (hoc eſt, Apoſtolos) ſubeamus omnes eorum labores, quibus omnes ſucceſſimus in honore.* Miror Cœleſtinum, quem paſſim aduerſarij ambitus poſtulant, quemque efferendæ ſuæ ſedis deſiderio exarſiſſe clamant, aſcitum teſtem æqualitatis inter Epiſcopos, de qua ne quidem per ſomnium cogitarit. Percurrat Spalatenſis eiuſdem Cœleſtini literas ad Cyrillum, ad Neſtorium, ad Ioannem Epheſinum Epiſcopum. Occurrent quæ falſam iſtam opinationem detrahant. *Authores tamen poteſtatis Epiſcoporum fecit Apoſtolos, ac Epiſcopos omnes omnibus in communi Apoſtolis ſuccedere docuit*, inquit Spalatenſis. Quid tum? An non eſt à nobis, ſuprà, datum, Epiſcopos ſuccedere Apoſtolis? An verò dixit Cyrillus ſuccedere omnes omnibus *in plenitudine poteſtatis*, aut etiam ſimili ratione & pari gradu? An verò etiam dixit ſingulos Epiſcopos ſingulorum Apoſtolorum locum implere? *Apoſtolos in communi authores ordinis Epiſcoporum* dixit, cùm tamen ſe vnius Petri in Cathedra Apoſtolica ſucceſſorem prædicaret, & quidem ſumma in omnes Epiſcopos præditum poteſtate. Replicet hiſtoriam Synodi Epheſinæ Spalatenſis, nos minimè falſa narraſſe deprehendet; Sed omnium vice ſit ſententia in Neſtorium Conſtantinopolitanum Antiſtitem, etiam Imperatorum præſidio fretum pro tribunali lata,

SPALAT. Num.16. Cœleſt. ep. 7. ad Synod. Epheſ.

Matth.8.

cuius

cuius authoritate ſibi præſcriptum agnouerint Epheſini Patres. *Aperte igitur agnoſce, hanc noſtram eſſe ſententiam*, inquit ille, *vt niſi de Chriſto Deo noſtro ea prædices, quæ & Romana, & Alexandrina, & omnis Catholica ſentit Eccleſia, ſicut etiam ſancta Conſtantinopolitana Eccleſia ad te vſque, optimè, tenuit, iuxta expoſitam in Synodo Nicæna fidem; ac niſi hanc perfidam nouitatem qua hoc quod venerabilis ſcriptura coniungit, niteris ſeparare, intra decimam diem, à primo innoteſcentis tibi huius excuſationis die, numerandam depoſueris, atque operta & ſcripta confeſſione damnaueris; noueris te ab vniuerſalis Eccleſiæ Catholicæ communione deiectum, & ad omnia quæcunque Sacerdotalis authoritatis ſunt, minimè idoneum.* Amabo te ſi pari iure cum Cœleſtino Neſtorius Apoſtolorum hæres fuit, ſi pari poteſtate, quî potuit eum ab vniuerſalis Eccleſiæ communione deiicere, & omni authoritate ſacerdotali ſpoliare? Nihil igitur firmius quàm quod docuimus, vni Petro proprium aſſignatum ſucceſſorem, qui ſummæ poteſtatis cuius opera Eccleſia ad finem vſque ſæculi indigeret, heres, authoritate ſua populos in fide contineret, ac ſchiſmatum occaſiones tolleret, reliquis verò Apoſtolis qui ſedes conſtitutas non habuerint, proprios non dari ſucceſſores, nec ſingulorum ſingulos, ſed vel Apoſtolorum in genere, vel vnius Petri ſucceſſores dici; vt Apoſtolicam authoritatem non alibi quàm in ſede Petri, cum illa dignitatis amplitudine perſeueraſſe, omnino certum ſit. Itaque vt fuerit in Apoſtolis plenitudo poteſtatis, tamen ad Epiſcopos non tranſiit, qui ſuos habeant certos limites, ſed ad Petrum Eccleſiaſtici ordinis fontem, & caput veluti remigrauit, cæteris in partem tantum ſollicitudinis admiſſis. Egregiè Bernardus ad Eugenium. *Tu es*, inquit, *cui claues traditæ, cui oues creditæ ſunt. Sunt quidem & alij cæli Ianitores, & gregum paſtores, ſed tu tantò glorioſius, quantò & differentius vtrumque præ cæteris nomen hereditaſti. Habent illi ſibi adſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti, vni vnus. Vnde id probem quæris? Ex verbo Domini. Cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum ſic abſolutè & indiſcretè, totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre, Paſce oues meas. Quas? illius vel illius populos ciuitatis aut regionis, aut certi regni? Oues meas, inquit. Cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed adſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil.* Concidunt itaque quæ ſunt toto hoc capite perturbatiſſimè à Spalat. contra ſucceſſores Petri diſputata.

Pag. 142. act. Conc. Epheſ. ad Calcem Ep. Cæleſtini ad Cletum & populum Conſtantinopolitanũ. Σαφῶς τοιγαροῦν μαθόντα τοῦτον ἡμετέραν εἶναι τὴν ἀπόφασιν, ὡς εἰ μὴ περὶ Χριστοῦ τοῦ Θεοῦ ἡμῶν ταῦτα ἐξηγόῃ, ἃ ἡ Ρωμαϊκὴ, καὶ ἡ Ἀλεξανδρέων, καὶ ἅπασα καθολικὴ ἐκκλησία τοῖ, καθὼς καὶ ἡ εὐαγὴ τοῦ Κωνσταντινουπολιτῶν ἐκκλησία, μέχρι σοῦ, ἀβέλτερε, εἶχεν, καὶ ἀκατάθετον πίστιν ἐν τῇ Νικαίων συνόδῳ, καὶ εἰ μὴ ταῦτα ἢ λύσεσον χαίνοντα σύλας καὶ σύλαμία χάφη διασύσας, ἐντὸς δέκα ἡμερῶν, ἀφ' ἧς γραπέζοιτό σοι τὸ γράμματα τοῦτο ἢ μέθοδίας ἢ ἀμέλεια εἶναι σταυτόν, ἐκκεῖθεν, τὸ φανερὸν καὶ γεγραμμένον ἢ καταδίκασί μου αἰτίσεται, γίνεται ἀπὸ πάσης καθολικῆς ἐκκλησίας ἀκοινώνητον καὶ ἀνένεργητον πρὸς πᾶν ὁπουδὲ τῆς ἐξ ἀνθρώπων ὑπεροχῆς.

[a] D. Bernard. de conſid. l. 3. c. 8.

DISCVSSIO
SECVNDI CAPITIS
LIBRI SECVNDI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Rectè censere Spalatensem Episcopos Apostolis non in gradu Apostolico, sed in potestate Episcopali successisse; verum secum pugnare: Omnem potestatem tum ordinis, tum iurisdictionis ab vno Christo pendere: Interuentu tamen Petri Apostolos in Episcopatus munus initiasse probabilem esse sententiam orthodoxorum: Defenditur Bellarminus, & reliqui eius sententiæ patroni. De Matthiæ, Pauli & Barnabæ ordinatione: Iacobum fratrem Domini de numero fuisse Apostolorũ, quem Hierosolymitanum Episcopum Christi instinctu crearint Petrus, & alij Collegæ: Multa in hanc rem disputata. Obiter de fratribus & consanguineis Domini iuxta Hieronymi sententiam: Spalatensem consentanea Catholicis scribere de potestate creandorum Episcoporum haudquaquam à plebe, sed ab Episcopis renuntiandorum: Protestantiũ impiam religionem euertere, quippè quàm legitima ordinatione Ministrorum carere ostendat: De cæremoniis adhiberi solitis in Episcoporum consecratione: Huius rei occasione de Chirotonia, ac manuum impositione ex veteri institutione.

SPALAT. Num. 1.

EPISCOPOS *locum Apostolorum in Ecclesia militanti plenè obtinere, probatum est capite præcedenti: Episcopi tamen, sicuti non sunt, ita neque vocari debent Apostoli, sed Episcopi; nam Apostolis, in quantùm ipsi erant Episcopi, succedunt Episcopi; non in quantùm erant Apostoli, hoc est, succedunt eis in tota regiminis Ecclesiastici ministeriali potestate, non tamen in eo vt sint testes vitæ, doctrinæ, & Resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, & sanè testes oculati; neque in eo quod à Christo Domino immediatè eligantur, & ad euangelizandum mittantur: neque in mũltis gratiis & prærogatiuis; vt in copia spiritus, in doctrinæ infallibilitate, in confirmatione in gratia, in plenitudine scientiæ, in dono linguarum & miraculorum, &c.*

SISYPHI saxum voluisse, nec hilum quidem profeciisse Spalatensem, vel ex his quæ hoc capite admittit ac docet, colligere fas sit: cùm enim omnem Apostolatus gloriam, Episcopis suprà vindicarit, hic *neque Apostolos esse, neque Apostolos vocari debere* scribit, additque eos Apostolis non *in quãtum erant Apostoli, sed in quantum erant Episcopi successisse*, quod Catholicorũ est dogma, suprà quoque à nobis propugnatum. Volens etiam nolens fatetur, *non solùm hac prærogatiua Apostolatus Episcopos carere, quod testes esse non possint vitæ, doctrinæ & Resurrectionis Iesu Christi Domini nostri, neque sint ab ipso immediatè ad euangelizandum missi*; Sed hoc quoque nomine Apostolis inferiores esse, *quod nec eam copiam spiritus, aut doctrinæ infallibilitatem, confirmationem in gratia, plenitudinem scientiæ, & donum linguarum*; Nec pleraque alia dignitatis ornamenta quibus effulserint Apostoli, sint consecuti. Tantummodo illud addendum fuit, etsi quibusdam ex numero primorũ Episcoporum ab Apostolis renunciatorum concessum sit, pro temporis ratione vniuersum orbem peragrare,

gtare, ac vbiuis gentium verbū Dei diſſeminare, tamen, ex vi poteſtatis Epiſcopalis, certas ſedes & definitas regiones illis conſtitutas, in quibus Apoſtolos, quidem referrent, ſed extra quas excurrere eis non liceret. Expendamus ſequentia.

Apoſtolos porrò, inquit, *fuiſſe verè & propriè Epiſcopos, præterquam quod ex munere, & officio ipſorum id per ſe patet, vnde & Iudæ Apoſtolatum ex ſacra ſcriptura, Petrus vocat Epiſcopatum, docent etiam expreſsè Patres. Areopagita Chriſtum aſſerit Apoſtolos ad Sacerdotij honorem extuliſſe; & Apoſtolos Petri Condiſcipulos dicit pariter fuiſſe Pontifices, & honorem Apoſtolatus honorem vocat Pontificium; & Apoſtolorum collegium pariter vocat numerum, & chorum Pontificum. Polycrates Epheſiorum Epiſcopus antiquiſsimus, octauus ab Apoſtolis, ad Victorem humanum ſcribens, ait: Sed & Ioannes qui ſuper pectus Domini recubuit, & Pontifex eius fuit. Ioannem Chriſti Pontificem fuiſſe aſſerit: hoc eſt, à Chriſto factum Pontificem. Cyprianus; Meminiſſe autem, inquit, Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, id eſt, Epiſcopos & præpoſitos, Dominus elegit; Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in cælos, Apoſtoli ſibi conſtituerunt, Epiſcopatus ſui, & Eccleſiæ miniſtros. Epiphanius; Romæ Petrum & Paulum primos fuiſſe, ait, & Apoſtolos, & Epiſcopos. Ambroſius; Suſannam, inquit, pſeudo-Presbyteri arguunt, prodit pſeudo-Epiſcopus Saluatorem; Epiſcopus enim & Iudas fuit, ſicut ait Propheta de eodem dicens; Fiant dies eius pauci, & Epiſcopatum eius accipiat alter. Et alibi idem Ambroſius ait, Caput itaque in Eccleſia Apoſtolos poſuit, qui legati Chriſti ſunt, ſicut dicit idem Apoſtolus: pro quo legatione fungimur, ipſi ſunt Epiſcopi: firmante iſtud Petro Apoſtolo, & dicente inter cætera de Iuda; & Epiſcopatum eius accipiat alter. Chryſoſtomus de Epiſcopis loquens, ait; Sicut Sacerdotum principes ſunt Apoſtoli, ita & Monachorum princeps Ioannes Baptiſta: nempè, eodem modo Ioannem fuiſſe primum Monarchum, à quo formam Monachalem cæteri ſumpſerint; quo modo Apoſtoli fuerunt primi Epiſcopi, quos in Epiſcopatu ſecuti ſunt alij.* Hæc Spalatenſis, quæ nobis valdè probantur: Necdum verò exagitat eum ſpiritus Domini malus. Sequitur enim; *Quod ſi quæras quomodo, & à quo, & quando Apoſtoli ordinati fuerint Epiſcopi: Reſpondeo, In Apoſtolis meritò duplicem diſtingui poteſtatem, vtramque ſpiritualem: alteram ordinis; alteram (vt ita nunc dicam) iuriſdictionis: de quibus aliqua iam diximus capite præcedenti, & plura adhuc erunt dicenda libro quinto: Ordinis ego poteſtatem intelligo nunc, ad conficiendam Euchariſtiam, & ſacrificij in cruce per Ieſum Chriſtum peracti memoriam celebrandam, ad quod Sacerdotium quoddam eſt neceſſarium. Ad hoc Sacerdotium promoti ſunt Apoſtoli à Chriſto Domino, in vltima cœna, quando eis dixit; Hoc facite in meam commemorationem. Poteſtatem iuriſdictionis intelligo, poteſtatem prædicandi, docendi, baptizandi, peccata remittendi, ligandi, & ſoluendi, excommunicandi, & ordinandi, & hanc etiam Chriſtus ſuis tradidit Apoſtolis; partim quidem, vt vbi eis dixit; Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo; & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo. Partim etiam quando in Apoſtolos inſufflauit, & dixit; Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. Et quando Petro, & in Petro omnibus Prælatis Eccleſiæ dixit; Paſce oues meas: Ac vniuerſaliter, quando dixit eis; Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos. Et, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. Atque ex hac vtraque poteſtate, completur plenè totus, & integer ordo Epiſcopalis. Præſtat nunc*, inquit

SPALAT. Num. 2. Act. 1. Areop. de Eccl. Hier. vbi de conſec. Hier. de ſcript. Eccl. in Polycrat. Cypr. l. 3. ep. 9. Epiphan. hær. 27. Amb. ſer. 2. in Dan. Pſal. 108. Ambr. in 1. Cor. c. 13. Chryſ. ho. 1. in Marc. SPALAT. Num. 3. Luc. 22. & 1. Cor. 11. Matth. 18. Ioan. 21. Sup. l. 1. c. 8. nu. 3. Ioan. 21. Ioan. 20. Matth. 18.

Digitized by Google

Spalat. Num. 4. Areop. vbi sup. Heb. 5. Psal. 109. Spalatensis, *audire Patres de hac Apostolorum ordinatione in Sacerdotes ac Episcopos, differentes. Dionysius Areopagita; Quia etiam, inquit, diuinus ac primus Pontifex noster (hoc enim etiam causa nostra humanissimus Iesus factus est) non se ipsum clarificauit, vt diuina scripta tradunt, sed qui locutus est ad eum; Tu es Sacerdos in aternum, loco Aaron, secundum ordinem Melchisedec. Itaque ipse cùm discipulos ad Sacerdotij honorem efferret, quanquam erat, vt Deus author sacrorum, tamen sanctissimo Patri suo, diuinoque spiritui munus consecrationis attribuit; Præcipiens discipulis, vt scripta diuina loquuntur, ne Hierosolymis discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam à me audistis, quia vos baptizamini Spiritu sancto: vbi Dionysius vult Christum, vt erat homo, contulisse quidem potestatem Episcopalem Apostolis, quasi in habitu tantùm, seu in sola potentia, vt illa fuerit quasi sola electio: Deum verò ordinationem illam absoluisse, & virtutem, ac gratiam Episcopalis muneris bene exequendi per Spiritus sancti infusionem largitum fuisse, de quo nos postea capite 4. Cyrillus Alexandrinus tradit expressè, Apostolos ordinatos fuisse illis verbis, Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Ordinauit, inquit, his verbis orbis Doctores, & diuinorum mysteriorum Ministros, &c. Vide locum in præcedentibus. Ambrosius; Meritò, inquit, Petrus Sacerdos eligitur, qui sparto charitatis diuinæ triplici se ligauit. Significat porrò Ambrosius Petrũ Sacerdotem, hoc est, Episcopum, fuisse à Christo electum, illis verbis, Pasce oues meas; quando ter de amore fuit interrogatus. Sed siue tunc primùm seorsim ab aliis fuerit Petrus factus Episcopus; siue in Episcopatu, iam cũ omnibus habito illis verbis, Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos; & illis, Quæcunque alligaueritis, &c. denuo confirmatus; siue Apostolatui fermè per negationes amisso, restitutus, vt libro primo disserui, cap. 8. num. 11. nihil nos turbet hoc Ambrosij dictum, quia si Petrus hoc loco solus fit Episcopus à Christo; aliis locis fiunt & cæteri, vt paulò antè docui, num. 2. Non enim ex vnico loco collegimus plenam Episcopalem authoritatem traditam discipulis, sed ex pluribus. Et, quibus locis perficitur in Apostolis Apostolatus ipse, siue authoritas Apostolica ordinaria, iisdem etiam perficitur in ipsis Episcopatus & authoritas Episcopalis. Sunt enim in Apostolis vnũ & idẽ essentialiter, Apostolatus, & Episcopatus; si priuilegia illa Apostolatui propriissimè dicti peculiaria demas, quod sint à Christo, immediatè vocati, & tanquam testes oculati, ad Euangelizandum Christum missi, &c. Et quamuis Lucæ 6. vocentur Apostoli, id tamen intelligendum est inchoatiuè tantùm, & tanquam designati essent: nam perfectè Apostoli, vt mihi videtur, non fuerunt, nisi post Christi Resurrectionem.* Pleraque vera, pleraque falsa hoc loco tradit aduersarius. Fuisse Apostolos Episcopos planè verum est, sed falsus est iudicij in explicando loco Matth. 18. *Quæcunque alligaueritis, &c.* Certum est enim Christum eo loci nullam tribuisse Apostolis potestatem, sed tantùm significasse futurum, vt ea aliquando potirentur. Etiam offundere caliginem indoctorum animis molitur, cùm verba, *Pasce oues meas*, ad omnes Apostolos refert, atque in eo aut fallit certè, aut fallitur; seorsim enim Petro dicta Euangelium abundè testatur. Quod verò Patres hinc colligunt *etiam Apostolis, ac eorum successoribus ouilis Christi curam demandatam*, faciunt, quod, vt loquitur Leo, *huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium pertinere voluit, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet, vt exortem se mysterij diuini intelligeret esse, qui ausus fuisset, à Petri soliditate, recedere.* Et quod Petrus *totius Sacerdotij* fons fuerit & scaturigo, vt est suprà à nobis explicatum.

Act. 1.

Cyrill. in Ioan. li. 12. c. 55. Hoc opere li. 1. c. 10. nu. 16. Ambr. in Psal. 43. Ioan. 21.

Ioan. 20. Matth. 18.

Leo magnus ep. 89. c. 1.

Quod

Quod ad Patres attinet, qui *Apoſtolos à Chriſto Sacerdotes & Epiſcopos renunciatos docent*; eſt eorum veriſſima doctrina. Certum eſt enim omnem poteſtatem Eccleſiaſticam tum *ordinis* tum *iuriſdictionis* munus eſſe Chriſti, nec alium eius authorem citra ſacrilegium cogitari poſſe; vtrum autem à Chriſto immediatè, aut à Chriſto interuentu Petri fuerint in Epiſcopos conſecrati, eſt ſuprà à nobis diſputatum, ac rurſus diſputabitur inferius. Cæterùm monendus eſt lector nunquam Chriſtum Apoſtolis poteſtatem ſoluendorum peccatorũ, aut promiſiſſe, aut contuliſſe; nunquam etiam eos legitima miſſione donaſſe, niſi præſente, ac cum cæteris agente, Petro: Namque cùm eis diceret, *Quæcunque alligaueritis*, aderat Petrus, & cum eo erat proximè loquutus Chriſtus. Similiter cùm poſt Reſurrectionem *inſufflauit in eos, & dixit, Accipite Spiritum ſanctum, Sicut miſit me Pater, ego mitto vos, Quorum, &c.* aderat Petrus; Rurſus cùm in cœlum recepturus dixit; *Euntes in mundum vniuerſum, &c.* aderat Petrus, vt intelligant omnes quæcunque ſint Apoſtolis à Chriſto conceſſa, eſſe quoque Petro cum illis communia. At præter communem hanc vocationem Apoſtolorum, ſeorſim ab aliis Petro dictum eſt, *Tu es Petrus, &c. Paſce oues, &c.* Quis ergo non videat peculiarem quandam poteſtatem ei attributam? Si enim non alia poteſtas illis verbis aut promittebatur, aut dabatur, quàm quæ omniũ Apoſtolorum aut eſſet, aut futura eſſet communis & æqualis, quid attinuit hæc Petro ſigillatim ac ſeorſim à Collegis dixiſſe, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*? Præterea ſi ſunt illi omnia cum Apoſtolis communia, proculdubio nihil eſt tùm aut commune aut priuatum Petro tributum; Nihil priuatum, quia contendunt aduerſarij *ex æquo & pari iure* omnes Apoſtolos paſcendum gregem his verbis ſuſcepiſſe, cùm tamen Ambroſius *Petrum cæteris antelatum dicat*; nihil commune quoque, quia iam in ſuperioribus omnem omninò poteſtatem qua abſoluitur, ac perficitur Apoſtolatus, cum reliquis Apoſtolis iudice Spalatenſi erat conſecutus, illis verbis, *Sicut miſit me Pater, ita ego mitto vos.* Vt igitur rumpantur Ilia codro, neceſſum eſt aſſerere eminentiori quodam gradu & *celſiore faſtigio*, vt loquitur Auguſtinus de Bonifacio agens, poſitum *in ſpecula paſtorali*, Petrum, qui nimirum tum oues, tum agnos Chriſti curaret.

Matth. 18. Spalat. Num. 4. Ioan. 20. Ioan. 21. Amb. ad c. 24. Lucæ. Ioan. 20. Epiſt. ad Bonif.

Eſt autem omninò falſum quod addit aduerſarius, *In Apoſtolis*, inquit, *vnum & idem ſunt eſſentialiter, Epiſcopatus & Apoſtolatus; ſi priuilegia illa Apoſtolatui propriiſſimè dicti pecularia demas, quod ſint à Chriſto immediatè vocati, & tanquam teſtes oculati ad Euangelizandum Chriſtum miſſi, &c. Et quamuis Lucæ 6. vocentur Apoſtoli, id tamen intelligendum eſt inchoatiuè tantùm, & tanquam deſignati eſſent: nam perfectè Apoſtoli, vt mihi videtur, non fuerunt, niſi poſt Chriſti reſurrectionem.* Et primùm quidem non video quàm benè iſta cum ſuperioribus cohæreant; Namque ſupra dicebat, *Epiſcopos ſucceſſiſſe Apoſtolis, in quantum ipſi erant Epiſcopi, non in quantum erant Apoſtoli*; ſunt enim ipſiſſima ipſius verba; Ergo proculdubio diſtinctæ res ſunt Apoſtolatus & Epiſcopatus. Præterea immediatè mitti à Chriſto, Chriſto etiam conuixiſſe, de eſſentia eſt Apoſtolatus, eſſe verò de eſſentia Epiſcopatus nemo prudens pronunciarit. Rurſus Apoſtoli Epiſcopatum ſucceſſoribus ſuis tradiderunt, ſed ad eos Apoſtolatum non tranſmiſerunt, etiam ſententia Spalatenſis, vt ſupra oſtendebamus: Et quod eſt Palmarium argumentum, omnino propriè & ex rei veritate non inchoatiuè tantùm, vt ille ſomniat, vocantur duodecim à Chriſto electi APOSTOLI, *Vocauit diſcipulos ſuos*, inquit ſacer Euangeliſta, *& elegit duodecim ex ipſis, quos*

Spalat. Num. 4. in fine. Num. 1. Luc. 6.

& Apoſtolos nominauit. Atqui tum Epiſcopi non erant, vt ipſe fatetur Spalatenſis, qui iuriſdictionis poteſtatem eis poſtea traditam de communi ſententia Theologorum docet, itaque non eſt eadem poteſtas; Propriè verò ac ad amuſſim veri Apoſtolatus exegiſſe Lucam vim vocabuli Apoſtoli non obſcurè ex Marco colligitur; Poſt enim deſcriptam eandem electionem à Chriſto factam, quaſi munus indicans Apoſtolatus addit. *Fecit*, inquit, *duodecim vt eſſent cum illo, & vt mitteret eos prædicare, & dedit illis poteſtatem curandi infirmitates, & eiiciendi dæmonia.* Hæc credo ſufficiunt, vt quis veri nominis Apoſtolus habeatur; Ergo erroris & vaniſſimi commenti Cardinalem à Turrecremata inſimulans aduerſarius, ipſe in craſſum errorem incurrit. Dixerat Turrecremata, *ſolum Petrum à Chriſto initiatum Epiſcopum, reliquos verò Apoſtolos, vel à Petro, vel ab aliis* conſecutos Epiſcopatum; Oppugnat Spalatenſis, ac obiicit *in Apoſtolis*, Epiſcopatum eſſe ipſummet *Apoſtolatum, ergo quia immediatè ſunt omnes à Chriſto renunciati Apoſtoli, ſunt quoque immediatè omnes* Epiſcopi *ab ipſo initiati.* At falſum eſſe quod aſſumit iam oſtendimus, & eſt omnibus eruditis exploratum ſubeſſe diſcrimen inter vtrumque. Conqueritur verò immeritò *doctrinam de conſecratis à Petro in Epiſcopos Apoſtolis, vnius ficti Anacleti dicto, quod,* inquit, *tanquam gemma ponitur in decreto, niti*; Namque multos alios ipſe profert haud dubiæ authoritatis magnos Pontifices, qui idem aſſeuerarint, Syricium, Innocentium, Gregorium tertium, ac Nicolaum primum. *Cùm in vnum,* inquit Syricius, *plurimi fratres conueniſſemus ad ſancti Petri Apoſtoli reliquias, per quem & Apoſtolatus & Epiſcopatus in Chriſto cœpit exordium, &c.* Idem Innocentius. A *quo,* (Petro) *ipſe Epiſcopatus, & tota authoritas huius nominis emerſit;* Gregorius tertius, *Benè noſti ſatis*, inquit, *quia B. Apoſtolus Petrus & Epiſcopatus principium extitit & conſulenti tibi non ex nobis, &c.* Eadem habet Nicolaus primus. Addo verò etiamſi concedatur omnes omnino Apoſtolos à Chriſto immediatè renunciatos Epiſcopos, quam eſſe quoque probabilem aliquorum Orthodoxorum opinionem ſupra docuimus, perinde conſtare Petro ſuam authoritatem, propterea quod, vt iſtud admittatur, certum ſit Chriſtum illi quem *primum, ac præcipuum omnium*, eſſe voluiſſet, addixiſſe Collegas ſuos, vt Apoſtolatus aut Epiſcopatus officium non niſi in eius communione exequi ac implere poſſent, ſicut eſt à nobis in ſuperioribus explicatum; Propterea certè Cyprianus ad vnum Petrum refert ordinem Epiſcoporum, & eum *vnitatis Eccleſiaſticæ exordium facit*, ac præterea Romanam Eccleſiam & Petri Cathedram radicem eſſe dicit, *à qua Sacerdotalis vnitas exorta ſit*, & pullularit. Propius tamen ad veritatem accedit quod alij tradunt, & Bellarminus inuictiſſimis argumentis firmat, ſolum Petrum renunciatum à Chriſto immediatè Epiſcopum, reliquos vel opera Petri, vel opera aliorum, qui ab eo penderent, renunciatos.

Marc. 3.

Spalat. Num. 5.

Num. 5. in Spalat. Syricius ep. 4. tom. 1. pa. 2.

Innoc. 1. ep. 31. tom. 1. par. 2.

Greg. 3. ep. 4. tom. 2. conc.

Nicol. in ep. 40. & 42. tom. 3.

Li. de vnit. Eccl. & ep. 55.

Bellar. de Rom. Pōt. lib. 1. ca. 23.

Spalat. Num. 6. Excipit Spalatenſis *indubitatos authores*, qui in ea ſunt ſententia *per Petrum Apoſtolatū & Epiſcopatum cœpiſſe exordium*, intelligendos *de prioritate temporis, Nimirum*, inquit, *Petrum fuiſſe ante omnes vocatum ad Apoſtolatum, & poſt ipſum vocatos reliquos Apoſtolos. Petro ante omnes ſoli dictum fuit, Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, &, Tibi dabo claues; poſteà aliis & commiſſa fuit hæc ædificatio Eccleſiæ; Euntes docete, &c.* Et *datæ claues; Quæcunque alligaueritis, &c. Quorum remiſeritis, &c. Sicut miſit me Pater, &c. Petro etiam ſoli dictum eſt, Paſce oues meas, &c.* Et *tunc putatur ab Ambroſio factus eſſe Sacerdos;*

Matth. 16. Matth. 18. Matth. 18. Ioan. 21. Ioan. 20.

(*ſed*

(*ſed iam erat Epiſcopus factus cum omnibus, illis verbis, Sicut miſit me Pater,*) *Poſt hæc tamen etiam reliqui facti ſunt Sacerdotes, & Epiſcopi illis verbis, Euntes docete, &c. Sicut igitur negare non poteſt Turrecremata*, addit Spalatenſis, *Petrum dici dediſſe exordium Apoſtolatui ratione temporis tantùm, non quod ipſe alios fecerit Apoſtolos; ita negare non debet de Epiſcopatu & Sacerdotio. Non aliud puto, præter hanc temporis ſolius prioritatem, volunt illi Pontifices; nam alioqui, authoritati diuinæ Scripturæ benè explicatæ aduerſarentur.* Ioan. 21. Atqui grandius quiddam ſonant illa verba Innocentij; *A Petro ipſe Epiſcopatus, & tota authoritas huius nominis emerſit.* Innoc. vbi ſupra. Certè quod prior Petrus fuerit vocatus, aut etiam Epiſcopus ante alios renunciatus, hoc nihil confert ad reliquorum Apoſtolatum aut Epiſcopatum, ſed vt ab eo *huius nominis authoritas emerſerit*, alia eius ratio quærenda ſit. Ea verò eſt ſi primùm *Apoſtolatus* ſpectetur, de quo Syricius, quod etſi Apoſtolos non crearit, ſit tamen Apoſtolorum caput conſtitutus à Chriſto Apoſtolatus authore. Quod attinet verò ad *Epiſcopatum*, quia ipſe Apoſtolos renunciarit Epiſcopos, vel ſint ab iis renunciati, qui illi parerent, vel denique quia vnus Paſtorum omnium Princeps eſt conſtitutus, cùm ei dictum eſt, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos.* Hæc quoquo modo dicantur, ſeorſim non ſenſit Turrecremata à magnis Pontificibus; Et tamen iam eum errati poſtulat Spalatenſis. *Addit*, inquit, *idem author verba Clementis in ſecunda epiſt. in qua Petrum ipſe Turrecremata dicit vocari Principem, magiſtrum, inſtitutorem, & ordinatorem Apoſtolorum. Sed ſicut toti Eccleſiæ conatus eſt imponere ille, qui epiſtolas illas ſub nomine Clementis confinxit; Ita nobis Turrecremata imponit, dum dicta ipſa illius qualiſcunque Epiſtolæ, peruertit. Ita enim habet illa. Hæc nos familiarius docebat, & hæc nobis publicitus, prædictus magiſter, & inſtructor atque ordinator noſter, Princeps Apoſtolorum Petrus in Eccleſia prædicabat.* SPALAT. Num. 7. Fateor in Clementis illa planè apocrypha epiſtola ad verbum haberi, vt citat Spalatenſis: *Hæc nos familiarius docebat, & hæc nobis publicitus, prædictus magiſter, & inſtructor atque ordinator noſter, Princeps Apoſtolorum Petrus in Eccleſia prædicabat.* Clem. ep. 2. ad Iacob. F. D. Nec Turrecremata perſuadere potuit diligentiſſimo Conciliorum collectori, vt verba mutaret, quanquam fortaſſe ipſe Cardinalis, in mendoſum codicem incidit à quo ſit deceptus. Sed hæc leuiora ſunt, Grauius eſt quod obiicit de Sacerdotio Chriſti. *Aduertat*, inquit, *pius lector in hoc doctore blaſphemiam illam, non ſine hæreſi vbi aſſerit Chriſtum fuiſſe Sacerdotem, & Epiſcopum æquiuocè. Quam Romani cenſores obductis oculis pertranſeunt, quia Monarchiam Romanam ille aſſerit, & propugnat. Quare plurimùm vereor, ne facilè poſſint hæreſes inter nos diſſeminari, per libros peſtiferos, dummodo in ipſis Primatus Romanus defendatur; nam ex approbatione doctrinæ Primatum hunc aſſerentis, approbatio etiam ſequitur hæreſum, ſi quæ in talibus tractatibus aſſperguntur.* Turrec. l. 2. de Eccl. ca. 52. Aduertat verò pius lector Spalat. inſignem ſe præbuiſſe ſycophantá, & immerito Turrecrematam hac cõtumelia oneraſſe, quaſi dignitati Sacerdotij Chriſti aliquid detractum voluerit, cùm contra longè excellentius atque præſtantius omni alio Sacerdotio prædicarit; Verba Cardinalis ſunt, *Chriſtus verus æternus in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, & Pontifex futurorum bonorum, licet æquiuocè Sacerdos & Epiſcopus ad alios, in quo non fuit nec conſecratio, nec character viſibilis, tamen fuit dignior cæteris.* Igitur æquiuocè Chriſtum Epiſcopum & Sacerdotem facit comparatione reliquorum, non vt eius dignitatem eleuet, ſed vt oſtendat alterius rationis Epiſcopum & Sacerdotem eſſe, quippe qui præſtantiore quodam modo, quàm nos mortales, *Sacerdos*

Psal.109. *ſecundum ordinem Melchiſedech* ſit initiatus, & animarum noſtrarum Epiſcopus renunciatus. Sacerdotium enim noſtrum, vt notant Theologi, per determinatam quandam conſecrationem ſeu ordinationem conficitur, & quodammodo in impreſſione cuiuſdam realis characteris conſiſtit, Chriſtus autem non fuit ordinatus Sacerdos per aliquam extrinſecam ordinationem vel conſecrationem, ſed ex vi ſuæ originis & hypoſtaticæ vnionis & diuinæ ordinationis, hanc dignitatem eſt conſecutus: Eſt ergo longè alterius rationis Sacerdos, neque enim oleo viſibili quod in Sacerdotum noſtrorum conſecratione vſurpari ſolet, vnctus eſt, ſed oleo inuiſibili Spiritus ſancti, iuxta illud Dauidis, *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis*; *Quo oleo*, inquit Auguſtinus, Psal.44. *niſi ſpirituali? Oleum enim viſibile in ſigno eſt, oleum inuiſibile in ſacrificio eſt, oleum ſpiritale intus eſt, oleum viſibile exterius eſt*: Neque præterea alio ſigno aut ritu viſibili eſt initiatus, ſed à Spiritu ſancto ſpiritali quadam & ineffabili initiatione inauguratus, Sacerdos audit ſecundum ordinem Melchiſedech: Illud igitur *æquiuocè* à Turrecremata vſurpatum non debuit in deteriorem partem accipi, quaſi haud citra blaſphemiam *Chriſtum Sacerdotem ſecundum quid* pronunciarit, ſed eo planè ſenſu accipi quo cauſas generaliores & præſtantiores, *cauſas æquiuocas*, vocare ſolent Philoſophi, quæ nimirum totam quidem vim inferiorum cauſarum ſinu ſuo cohibeant; at non iuxta rationem formarum quibus illæ priuatæ imbuuntur, ſed *eminentiori* quodam ac *excellentiori* modo, ſe proferant.

Soar. in 3. p. ad q. 21. art. 4. diſp. 46. ſect. 3. Cæterùm Catholicum eſt dogma & aſſertio de fide Chriſtum propriiſſimè Sacerdotem *eſſe*: Sed notant Scholaſtici, quorum ſententiam expreſſit Turrecremata, eius Sacerdotium comparari ad Sacerdotium Eccleſiæ, ſicut cauſam vniuerſalem ad particularem, & ſicut cauſam principalem ad inſtrumentariam,

3. p. q. 63. art. 3. & 5. quo ſenſu dixit ſanctus Thomas, *Charakterem atque adeo Sacerdotium nouæ legis eſſe participationem quandam deriuatam à Sacerdotio Chriſti*. Hoc igitur ſenſu Chriſtum dixit, *æquiuocè Sacerdotem*, Turrecremata. Sed alia nos vocant.

Spalat. Num. 8. Matthiæ, Pauli, & Iacobi fratris Domini Apoſtolatum examini ſubiicit aduerſarius, atque efficere conatur vt nulli à Petro initiati Epiſcopi cenſeri poſſint:

Act. 1. Orditur autè à Matthia quem ait, *videri poſſe ordinatum ab Apoſtolis, vt exiſtimauit poſt Auguſtinum Iſidorus*. Sed reſpondet, *Hanc ordinationem neceſſariò intelligendam propoſitionem factam à Petro, vt ſuffecto nouo Apoſtolo in Iudæ Apoſtatæ locum duodenarius expleretur*: Additque, *Non vnum Petrum, ſed centum viginti fratres deligendis duobus, qui ſacrum miniſterium ſortirentur, operam nauâſſe. Interim nec nos nec illum Apoſtolum renunciaſſe Matthiam, ſed tantùm precibus ſuis contendiſſe, vt eum oſtenderet Deus quem huic muneri deſtinatum in aliorum numerum cooptari vellet, porrò ſortes ita vertiſſe, vt Matthiam à Deo electum appareret, atque eo facto ſtatim annumeratum cum duodecim Apoſtolis.* Sed quod ad primum attinet, non dubito hanc ordinationem diuinitùs factam, adeóque portento quodam iuxta Dionyſium comprobatam, ſed Petrum nihil aliud quàm pro concione adhortatum fratres, vt ſortes mitterent, ac Deo totum negotium permitterent ac commendarent, falſum eſt, vt eſt ſupra à nobis oſtenſum, & perilluſtri teſtimonio Chryſoſtomi firmatum. Videantur quæ ſuprà de ea re dicta ſunt. Certè exiſtimat Chryſoſtomus Petrum ſufficiendi noui Apoſtoli curam primum ſuſcepiſſe, quod *cognoſceret ſibi creditum gregem*, additque potuiſſe eum quem ipſe voluiſſet renunciare, ſi ſummo iure & pro imperio agendum ſibi ſtatuiſſet. Quod igitur *centum viginti fratres in ſocietatem iaciendarum*

Dionyſ. Areop. de Eccl. Hierarch.

Chryſoſt. hom. 3. in Act.

ſortium

ſortium venerunt, eius bona venia & eo authore factum aſſero. Nec dubito electionem noui Apoſtoli à Deo omnino fieri debuiſſe, ne ſi Apoſtolorum opera in Collegium cooptaretur, minor reliquis haberetur & dignitate inferior : At verò ſuas partes quoque habuerunt in hac diuinitus comprobata electione Matthiæ, & Petrus, & qui cum Petro erant, quod enim habet Latina verſio, & *annumeratus eſt duodecim Apoſtolis* Græcè eſt συγκατεψηφίσθη, id eſt ſuffragiis & calculis omnium cooptatus eſt, quod eò referunt Interpretes, vt exiſtiment Apoſtolos viſo Dominico ſigno ac portento, quo Matthiam ſibi acceptum teſtatus eſſet Deus, ſuis etiam communibus apertiſque ſuffragiis, electionem approbaſſe, & gratulabundos Matthiam inter ſe conſidere feciſſe: Mea quidem ſententia ad hunc locum quoque reſpexêre Auguſtinus & Iſidorus, *cùm ordinatum ab Apoſtolis* Matthiam ſcripſerunt: Namque quod attinet ad ſortitionem ea tota Deo permiſſa eſt, ſed quidquid ſibi voluerint illi, ſacer textus dubitare non ſinit in electione Matthiæ, quam illi ordinationem vocant, primas partes habuiſſe Petrum, quippe qui Eccleſiæ vno Apoſtolo viduatæ, pro officio, vt Chryſoſtomus & Oecumenius obſeruant, proſpexerit, ac faciendæ ſacræ electionis author fuerit. Iſid. li. 2. de Offic. Ecc. Auguſt. in Pſal. 67.

Aliam nobis de Paulo quæſtionem mouet Spalatenſis; Fatetur autem primùm *multorum eſſe ſententiam, etiam antiquorum Patrum Paulum ad Apoſtolatum fuiſſe quidem immediatè à Chriſto iam in cœlis glorioſo vocatum, ſed in Eccleſia baptizatum & ordinatum Epiſcopum per manus miniſtrorum Eccleſiæ*; atque pro ea ſententia profert Hieronymum, Chryſoſtomum, Leonem, & Ambroſium, quos tamen vel deſerit, vel in ſuam opinionem trahere nititur, vt liberius ſtatuat, *Errare profecto toto cœlo, quicunque Paulum & Barnabam verè & propriè ordinatos, etiam in Epiſcopos, tunc putant, quando dixit Spiritus ſanctus, Segregate mihi Saulum & Barnabam, &c. Et per manuũ impoſitionem ſunt dimiſſi. De Paulo ſanè*, inquit, *habemus illud, Paulus Apoſtolus, non ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum, & Deum Patrem.* Sed fruſtra eſt, vt iam monui, & falſo nititur fundamento: Exiſtimat enim vnum idemque munus eſſe Apoſtolatum cum Epiſcopatu, cùm tamen res eſſe diuerſas ſupra oſtenderim. Igitur ad omnia teſtimonia ex Pauli Epiſtolis petita reſpondent noſtri, illa omnia de Apoſtolatu intelligenda, *quem neque ab homine, neque per hominem* conſequutum ſe aduerſum pſeudo-Apoſtolos, qui ei negotium faceſſerent, reliquiſque Apoſtolis longè inferiorem, dicerent, defendit. Spectant igitur ea omnia ad refellendam pſeudo-Apoſtolorum calumniam, qui Paulum cæteris Apoſtolis inferiorem eſſe contendebant, quod illi à Chriſto, hîc verò ab Apoſtolis Euangelium didiciſſet, quibus vt os obſtruat, confidenter loquitur, ac Apoſtolum ſe renunciatum eſſe clamat, *non ab hominibus, neque per hominem*, palámque prædicat non ſe ab vllo mortalium, ſed ab vno Chriſto euangelicam doctrinam & habuiſſe & percepiſſe, ſed Apoſtolatus Epiſcopatum haud neceſſariò includit, vt propterea hunc ab Apoſtolis accepiſſe potuerit, etiamſi quod attinet ad Apoſtolatum, *nihil ei*, vt ipſe loquitur, *contulerint*. Excipit Spalatenſis. *Quid verò facit Epiſcopum magis quàm miſſio? Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, dixit cæteris Chriſtus, adhuc in terris agens. Et, Euntes docete omnes gentes. Quicquid ergo poteſtatis habuerunt reliqui Apoſtoli, quando ſunt miſſi à Chriſto in vniuerſum mundum, cum pleno, completo & perfecto Apoſtolatu; id totum habuiſſe Paulum etiam ab eodem Chriſto neceſſe eſt, dum dicit ſe eſſe Apoſtolum per* SPALAT. Num. 10. Num. 11. Actor. 9. Act. 13. Hier. lib. de Script. Eccl. in Paul. Chryſoſt. hom. 28. in Act. Leo ep. 7. Amb. l. 2. Num. 11. Act. 13. Gal. 1. Ioan. 20. Matth. 28.

Digitized by Google

Ieſum Chriſtum, & non per hominem. Hæc de Paulo ſeorſim. Sed ne æſtuet bonus vir, non omnis miſſio Dei ad prædicandum, Epiſcopum protinus facit;
Luc. 10. Audiat Euangeliſtam, *Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum quo erat ipſe venturus.* Habuerant certè hi ſeptuaginta duo, poteſtatem miraculorum patrandorum; Nam & ad Chriſtum redeuntes palam dixerunt, *etiam dæmonia ſubiiciuntur nobis.* Præterea miſſos ad prædicandum & diſſeminandum Euangelium verba Lucæ produnt; Igitur ne illos Epiſcopos fuiſſe autumat; Minimè certè, vt ex tertio huius libri capite planum facit. Igitur præter miſſionem aliquid deſideratur, vt quis Epiſcopus renuncietur, nempè vt cum authoritate ordinandi ac maiora Sacramenta conferendi coniungatur, ſicut poſtea explicabimus: Sed vrget & Paulum & Barnabam ante hanc ſegregationem abundè omnia præſtitiſſe, quæcunque ad munus Epiſcoporum pertinerent. *Iam verò & de Paulo & de Barnaba ſimul*, inquit, *oſtendo vtrumque fuiſſe plenè Epiſcopum ante hanc ſegregationem. Paulus quidem toto integro triennio poſt ipſius conuerſionem exercuit plenè ſuum Apoſtolatum; quo toto triennio ne vidit quidem vnquam vllum Apoſtolorum: Et poſt tres annos venit Hieroſolymam, Barnabas autem tunc apprehenſum illum, duxit ad Apoſtolos, & erat cum illis intrans & exiens, in Hieruſalem, fiducialiter agens in nomine Domini.*

Spalat. Num. 12.
Act. 9. Gal. 1. Gal. 1. Act. 9.

Idem voluit ac reuoluit ſaxum, & inutili labore ſeipſum conficit. Reſpondeo igitur proculdubio ante hanc ſegregationem Pauli & Barnabæ vtrumque functiones Apoſtolicas exercuiſſe, Euangelio promulgando, traducendiſque tum Iudæis tum gentibus ad Chriſtum operam nauaſſe, ſed hoc muneri Apoſtolico ſeorſim ab Epiſcopatu ſpectato deputandum; Quis enim neſciat Apoſtolos à Chriſto immediatè vocatos, munia Apoſtolica obiiſſe antequam eſſent Epiſcopi renunciati? Ipſe Spalatenſis fatetur non ſtatim initiatos, aut Presbyteros, aut Epiſcopos, cùm ſunt à Chriſto vocati, & ad diſſeminandum Euangelium dimiſſi: Itaque ſimili ratione potuerunt quoque Paulus & Barnabas, quâ Apoſtoli, totum orbem peragrare, populos Chriſtiana pietate imbuere, & ad Chriſtum traducere, etiamſi nondum eſſent in Epiſcoporum ordinem cooptati: Et quidem cùm ad fidem primùm vocatus eſt Paulus, Euangelij doctrinam ac Chriſtianam pietatem abundantiſſimè hauſit, vt ea quoque iuxta Ananiæ vaticinium gentes imbueret. Itaque Damaſco in Arabiam profectus non ita multò poſt eodem rediit, & Iudæorum inſidiis appetitus cum fidelium opera ac conſilio incolumis euaſiſſet, Hie-
Act. 9. & ſequentibus. roſolymam ſe contulit, ac ſtupentibus omnibus, *loquebatur quoque Gentibus & diſputabat cum Græcis: Cùm Tharſum profectus eſſet, inde à Barnaba perductus eſt Antiochiam, vt gentes quæ Chriſtianiſmi deſiderio arderent, ſinceriorispietatis præceptis imbueret ac informaret. Inde rurſus cum Barnaba legatus eſt Hieroſolymam, vt collectas, hoc eſt eleemoſynas Chriſtianorum qui in Iudæa eſſent ſubſidio deſtinatas præferrent, qua legatione perfuncti cùm Antiochiam reuertiſſent, atque in piorum cœtum vnâ cum aliis conueniſſent, factum eſt vt miniſtrantibus Domino illius Eccleſiæ proceribus ac omnibus ieiunantibus, dixerit Spiritus ſanctus, Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus in quod aſſumpſi eos, quo oraculo admoniti ieiunantes & orantes, imponenteſque eis manus dimiſerunt illos.* Hunc igitur locum verſantes Chryſoſtomus, Oecumenius, Hieronymus, Auguſtinus, Ambroſius, ac Leo à Spalatenſi citati, quanquam conſtantiſſimè defendant Paulum vnius Dei nutu Apoſtolum renunciatum, nec

hominum

hominum adminiculo aut interuentu ad ſanctiſſimum munus vocatum, tamen opera Eccleſiæ initiatum aſſeuerant: Hoc igitur cùm de Apoſtolatu citra errorem affirmari nequeat, ſtatuendum ſit, tunc primùm à Deo fuiſſe quidem Collegio Apoſtolico palam aggregatos, ſed præterea ordinis gratia authoritate Eccleſiæ initiatos, & Epiſcoporum albo aſcriptos, vt qui paulò antè Apoſtoli & Dei præcones quidem fuiſſent, non tamen Epiſcopi, iam Epiſcopi inciperent haberi. Propterea obſeruat Oecumenius mox ab hac initiatione, *per ſingulas Eccleſias presbyteros conſtituiſſe*, quod ad Epiſcoporum munus pertinere pueri norunt. Certè nec Paulus, nec Barnabas id feciſſe leguntur, antequam eſſent hoc ritu ab Eccleſia initiati, vt ordinationem fuiſſe ad Epiſcopatum pertinentem omnino appareat. Sed Patres audiamus, quidque reponat Spalatenſis expendamus. Hieronymi verba ſunt; *Reuertens Hieroſolymam à Petro, Iacoboque, & Ioanne, Gentium Apoſtolus ordinatur.* Excepit Spalatenſis: *Rudem eſſe qui non videat hîc agi de dextris ſocialibus à Petro, Iacobo, & Ioanne Eccleſiæ columnis Paulo & Barnabæ datis, vt hi quidem operam impenderent traducendis ad Chriſtum gentibus, illi verò his qui erant de circumciſione ſe addicerent, vt eſt in Epiſtola ad Galatas obſeruatum.* At viderit Spalatenſis quàm rectè *dextræ* iſtæ *ſociales*, ab Hieronymo ordinationis nomine cenſeri potuerint. Ego ſane cùm totum Hieronymi commentarium in ſecundum caput epiſtolæ ad Galatas diligentiſſimè legerim, & replicarim, *ordinationis* nomen inuenire non potui, vt proinde de Spalatenſis interpretatione dubitari poſſit: Accedit quod etſi apud Hieronymum in Paulo notetur caput ſecundum epiſtolæ ad Galatas, tamen in Barnaba ad illa verba, *Barnabas Cyprius, qui & Ioſeph Leuites cum Paulo gentium Apoſtolus ordinatus*, notatur caput decimum tertium Actorum. Sed hæc nihil moramur, non enim memini hunc locum Hieronymi à Bellarmino quem impugnandum ſuſcepit Spalatenſis prolatum, ad probandum Paulum ab Eccleſia renunciatũ Epiſcopum. Verba Chryſoſtomi ſunt: *Hic nomen, inquit, illius mutatur cum ordinatione, id quod & Petro accidit.* Reſpondet Spalatenſis in illis quidem verbis, *Segregate mihi Saulum & Barnabam, & ea quæ ſecuta eſt manuum impoſitione, aliquam ordinationem agnoſcere, ſed non veram, aut propriam.* Et probat, quia verba Chryſoſtomi ſunt, *Paulus, qui & Saulus. Hîc nomen*, inquit, *illius mutatur cum ordinatione, id quod & Petro accidit. Atqui*, inquit, *Petrus non eſt ordinatus tunc quando ex Simone dictus eſt Petrus, ſed potiùs tantùm deſignatus: Igitur nec Saulus, Actorum decimo tertio.*

Oecum. ad ca. 14. Act.

Spalat. Num. 10. Hier. lib. de Script. Eccl. in Paulo.

Ad Gal. 2.

Idem in Barnaba.

Act. 13. Chryſoſt. hom. 28. in Act.

At hoc eſt nodum in ſcirpo quærere. Chryſoſtomus in mutatione nominis Paulo cum Petro conuenire aſſerit; vt ſcilicet quemadmodum Petrus cùm Simon antea diceretur, eſt Petri nomine à Chriſto inſignitus, quando eſt in Collegium Apoſtolorum cooptatus, ita Paulus poſtquam eſt ab Antiochenæ Eccleſiæ Prophetis & doctoribus ordinatus, omiſſo priori nomine, non iam Saulus, ſed Paulus ſit vocatus, neque propterea oportet eſſe reliqua planè ſimilia. Cæterùm Chryſoſtomus perpetuò, *impoſitionem hanc manuum ordinationem* vocat, & de Paulo quidem ſeorſim ſic loquitur; *In Antiochia ordinatur, ibi prædicat.* Vt autem non qualemcunque *ordinationem* fuiſſe oſtendat, obſeruat præceſſiſſe ieiunium, *Quando*, inquit, *ordinatio erat tunc ieiunant.* De Paulo verò & Barnaba coniunctim, *Simul abierunt*

Hom. 27. in Act. Ἐν Ἀντιοχείᾳ χειροτονεῖται, ἔνθα κηρύττει. Ὅτε χειροτονεῖν ἦν τότε νηστεύουσι.

ordinati, & in Cyprum nauigarunt. Hæc probant Chryſoſtomum non hîc *ordinationis* aliquam imaginem ſpectaſſe; ſed proprij nominis *ordinationem.*

Leo ep. 7. tom. 1. Leonis verba ſunt. *Præter authoritatem, inquit, conſuetudinis quam ex Apoſtolica nouimus venire doctrina, etiam ſacra ſcriptura manifeſtat, quòd cùm Apoſtoli Paulum & Barnabam, ex præcepto Spiritus ſancti, ad Euangelium Gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes & orantes impoſuerunt eis manus.* Reſpondet; *Propter aliquam ſimilitudinem inter eam ſegregationem & ſacras ordinationes, illum in exemplum adduxiſſe.* Sed certè eam interpretationem verba Leonis non admittunt.

Leo ep. 81. alias 97. *Nam*, inquit, *præter authoritatem conſuetudinis, quam ex Apoſtolica nouimus venire doctrina, etiam ſacra Scriptura manifeſtat, quod cùm Apoſtoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus ſancti ad Euangelium Gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes, & orantes, impoſuerunt eis manus, vt intelligamus quanta & dantium & accipientium deuotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* Ieiunium enim & impoſitionem manuum in ordinatione horum Apoſtolorum vrget, vt intelligamus, *quanta & dantium & accipientium deuotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum.* Igitur in illa ſegregatione Pauli & Barnabæ veram ordinationem agnoſcit: Verba Ambroſij ſunt;

Amb. lib. 2. Spiritu ſancto ad fin. cap. 12. *Paruerunt ergo Paulus & Barnabas ſancti Spiritus imperatis: paruerunt & omnes Apoſtoli, ſtatimque eos quos ſeparari iuſſerat Spiritus, ordinauerunt.* Reſpondet, *etiam eum ordinationis nomine abuſum, ac ordinationem vocaſſe quæ non eſſet propriè ordinatio.* Additque eum *perperam ab Apoſtolis, factam hanc ordinationem docuiſſe, cùm à Prophetis tantùm & Doctoribus Eccleſiæ Antiochenæ facta ſit.* Sed quod ad primum attinet, quia gratis dicitur, gratis etiam refellitur. Et certè veri nominis *ordinationem* exiſtimaſſe, ex eo coniici poteſt, quod propoſitum illi eſſet probare Spiritum ſanctum Patre & Filio nihilò inferiorem, haud ſecùs quàm Patrem & Filiũ, pro imperio

Amb. de Spir. Sanct. l. 2. ca. 12. ad fin. Paſtores Eccleſiæ dare. *Idem*, inquit, *velle & idem poſſe, non affectione voluntatis, ſed in ſubſtantia Trinitatis. Hæc eſt Apoſtolicæ fidei & deuotionis hæreditas, quam licet ex ipſorum conſiderare actibus. Paruerunt ergo Paulus & Barnabas ſancti Spiritus imperatis.* Cùm ergo certum ſit & Patrem & Filium veras omninò ordinationes in paſtoribus creandis obſeruari voluiſſe, vt rectè concludatur argumentum, etiam oportet veræ ordinationis authorem fuiſſe Spiritum ſanctum.

Act. 13. Ibid. Ad illud verò quod de Apoſtolis obiicit, dicendum eſt vel Ambroſium memoria lapſum, vel Prophetas & Doctores, aut etiam Epiſcopos qui Antiochiæ eſſent, (fuiſſe enim Epiſcopos Simonem, Lucium & Manahen quidam exiſtimant) Apoſtolos laxiore vocabuli acceptione indigitaſſe. Nam quod aliqui exiſtimarunt finito ieiunio remiſſos in Hieruſalem, Saulum & Barnabam ad Apoſtolos, vt ab eis ordinarentur, pugnat cum hiſtoriæ textu, cùm illi ipſi qui ieiunaſſe & oraſſe perhibentur, etiam manus impoſuiſſe ſignificentur. Rationes quibus demonſtrare conatur aduerſarius, *& Saulum & Barnabam longè ante eam ſegregationem Epiſcopos fuiſſe*, ſoluimus ſupra, ac oſtendimus quæcunque de laboribus Pauli & Barnabæ in diſſeminando Euangelio, inſtruendis populis ante illa tempora narrantur, ad illorum Apoſtolatum referri debere, non verò ad Epiſcopatum in quem illa manuum impoſitione ab Antiochenæ Eccleſiæ Proceribus ſunt initiati. Sed hoc eſt ineluctabile

Spalat. Num. 13.

ctabile Spalatenſis argumentum. *A quonam*, inquit, *obſecro, dicuntur initiati? num ab Apoſtolis? Certè ab alio quàm ab Apoſtolo, Apoſtoli & Epiſcopi vniuerſales, non alicuius certè Ciuitatis, ſed totius vniuerſitatis gentilium, non poterant ordinari: & tamen non Apoſtoli, ſed Prophetæ, & Doctores Eccleſiæ Antiochenæ illos ordinauerunt. Siccine? Illi non modò non erant Apoſtoli, ſed neque Epiſcopi; quomodo ergo non Epiſcopi Epiſcopos ordinabunt? & ſanè Epiſcopos ampliſſimos, & vniuerſales? niſi dicamus in Clero particulari vnius Ciuitatis, ſtetiſſe poteſtatem ordinandi Epiſcopos, non vnius Ciuitatis, ſed penè totius mundi.* Act. 13. Reſpondeo futilitatis eſſe plenas has interrogatiunculas, ſi quidem cum diuinæ vocis oraculo admoniti Antiochenæ Eccleſiæ Prophetæ & Doctores, (ſi non etiam Epiſcopi in his fuerint aliqui) Paulo & Barnabæ manus impoſuerunt, hæc initiatio planè extra ordinem facta cenſeri debet, & Prophetas & Doctores ad eam perficiendam, miniſtros, ita volente Deo & iubente, adhibitos. Certè cùm primùm eſt Paulus ſacris religionis Chriſtianæ initiatus, non eum aut Epiſcopus, aut preſbyter, quanquam hoc illorum erat munus, ſed Ananias quidam, vir tamen pius baptiſmo impertiit, vt eſſent in extraordinaria vocatione, omnia penè extraordinaria; ſed de his plus ſatis. Act. 9. Apparet igitur impoſitionem manuum de qua egimus, ad *Ordinis Sacramentum* pertinere, etiamſi non neſciamus nonnullos ex noſtris contrariam opinionem amplexatos; ſed præterquam quod magna Eccleſiæ lumina in noſtra ſunt ſententia, etiam Rituales libri, qui orthodoxos mouere debent, inde petunt ſacros ritus in Eccleſiæ ordinationibus adhiberi ſolitos.

Iuris Canonici Interpretem hic acerbè vexat Spalatenſis; *Quod pudenda Gloſſa dictum Innocentij inquinarit, auſuſque ſit pronunciare Petrum Paulo prædicandi licentiam dediſſe authoritate Domini, iuxta illud, Segregate mihi Saulum & Barnabam*; Ego vt ingenuè quod ſentio dicam, Iuris Canonici interpretibus vellem ediceretur, vt intra profeſſionis ſuæ terminos ſe continerent, nec falcem in Theologorum meſſem mitterent: Neque enim negari poteſt multa à vera Theologia abhorrentia in ſuos commentarios retuliſſe, ac in noſtros libros inuexiſſe. At quod clamat Spalatenſis, *eam audaciam Pontificibus* probari, immanis eſt calumnia; certè correctores Decreti monent ſubeſſe multa errata: ſed hæc ſunt præter inſtitutum. Spalat. Num. 14. Diſt. 11. c. quis neſciat.

Perplexa, difficilis & penè inextricabilis quæſtio iam nobis à Spalatenſi diſcutienda proponitur, de *Iacobo fratre Domini* Epiſcopo Hieroſolymitano; *vtrum in numero Apoſtolorum cenſeri debeat, & an fuerit à Petro, & ab aliis Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopus renunciatus*; Vix exitum inuenire poteſt Spalatenſis; laborat, ſudat, & ſeipſum vehementius excruciat, vt quiſnam fuerit ille Iacobus nobis aperiat. Nolim ſingula perſequi, tum quod ad rem minus faciant, tum quod nutantia, ac valdè incerta obtrudat, quæ confutatione non indigeant, tum poſtremò quod à communi ſententia etiam hæreticorum calculo comprobata recedat, vt ſomnia ſua & fumos venditet. Summa igitur rerum faſtigia ac capita attingam. Itaque admittit Spalatenſis, Multorum veterum Patrum ſententiam eſſe *Iacobum Apoſtolum fratrem Domini, Hieroſolymitanũ fuiſſe Epiſcopum*: Lubet aſcribere eius verba duabus integris ſectionibus. Spalat. Nu. 15. 16. 17. & reliq.

Paulus, inquit, *profecto ſatis hoc innuit, dum narrat, ſe veniſſe Hieroſolymam, ad videndum Petrum, poſt tres annos ſuæ conuerſionis, ſeu ſui reditus ex Arabia in* Spalat. Num. 15.

Gal.1. *Damaſcum; & tunc, ait, ſe (præter Petrum) ex Apoſtolis neminem vidiſſe, niſi Iacobum fratrem Domini: reliqui igitur Apoſtoli diſperſi per Iudæam euangelizabant. Cur verò Iacobus fixus manet Hieroſolymis? niſi quia putatur iam fuiſſe*

Act. 15. *illi ſpeciali Epiſcopatui deputatus. Ac propterea in Concilio primo Apoſtolorum, poſt Petrum Iacobus dicit ſententiam, & fermè concludit decernenda: quia nimirum, vt multi cenſent, erat Epiſcopus illius ſedis. Hinc illud eſt etiam quod dicit Pau-*

Gal.2. *lus de Petro, prius enim quàm venirent quidam à Iacobo, cum Gentibus edebat; cùm autem veniſſent ſe ſubtrahebat. Qui Hieroſolymis veniebant, dicuntur ve-*

Act. 21. *nire à Iacobo, quaſi dicat à ciuitate, ſeu Eccleſia Iacobi: Ideoque demum in vltimo aduentu Pauli Hieroſolymam, Introibat, inquit Lucas, ad Iacobum; & nulla fit cuiuſquam Apoſtoli mentio, ſed tunc etiam ſolus Iacobus videtur Hieroſolymis ſubſtitiſſe, tanquam loci illius Epiſcopus ſpecialis.*

Spalat. Num. 16. Anaclet. ep. 2. Anicet. ep. vn. *Proferamus nunc aliquid clarius de Patribus*, addit Spalatenſis, *Anacletus hæc habet; Porro, & Hieroſolymitarum primus Epiſcopus Beatus Iacobus, qui Iuſtus dicebatur, & ſecundum carnem Domini nuncupatus eſt frater, à Petro, Iacobo & Ioanne Apoſtolis eſt ordinatus. Idem repetit Anicetus. Scimus enim, inquit, Beatiſſimum Iacobum, qui dicebatur Iuſtus, qui etiam ſecundum carnem frater Domini nuncupatus eſt, à Petro, Iacobo & Ioanne Apoſtolis, Hieroſolymorum Epiſcopum eſſe ordinatum. Ignatius, Stephanum aſſerit fuiſſe Diaco-*

Ignat. ad Trallianos. Idem ad Heronem. Cyr. Hier Catech. 4. *num Iacobi, & miniſtraſſe eum Iacobo, & Presbyteris qui erant Hieroſolymis. Cyrillus Hieroſolymitanus; Nam de his, inquit, non mihi ſolùm, ſed etiam Apoſtolis, & Iacobo huius Eccleſiæ olim Epiſcopo curæ fuit, ſcribuntque Apoſtoli, & ſeniores omnibus gentibus communem Catholicam Epiſtolam, vt in primis Idolothytis abſtinerent, deinde & ſanguine, ac ſuffocato. Item, Poſtea viſus eſt à Iaco-*

Idem Catech. 16. Hier. de Script. Ecc. in Iacobo. *bo fratri ſuo, primo huius Parochiæ Epiſcopo. Hieronymus, Iacobus, inquit, qui appellatur frater Domini, cognomento Iuſtus, &c. poſt paſſionem Domini ſtatim ab Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatus; vnam tantum ſcripſit Epiſtolam, quæ de ſeptem Catholicis eſt. Hegeſippus proximus Apoſtolorum temporibus, vt eſt*

Hieron. ibidem. *apud Hieronymum, ait, Suſcepit Eccleſiam Hieroſolymæ poſt Apoſtolos, frater Do-*

Aug. in expoſ. ep. ad Gal. *mini Iacobus, cognomento Iuſtus. Multi ſi quidem Iacobi vocabantur. Auguſtinus, Cùm vidiſſet quoſdam, inquit de Petro, veniſſe ab Iacobo, id eſt à Iudæa; nam*

Idem l. 2. con. Petil. lit. c. 51. *Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Iacobus præfuit. Item, Cathedra tibi quid ſecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua hodie Anaſtaſius ſedet: vel Eccleſiæ*

Chryſoſt. hom. 3. in Act. *Hieroſolymitanæ, in qua Iacobus ſedit, & in qua hodie Ioannes ſedet. Chryſoſtomus, Vide verò, inquit, Iacobi modeſtiam. Is acceperat Hieroſolymis Epiſcopi munus,*

Idem hom. 38. in 1. Cor. 15. *& tamen hic nihil loquitur. Idem alibi. Deinde viſus eſt Iacobo. Mihi fratri ſuo videtur, quem quidam ab ipſo Hieroſolymis Epiſcopum primum conſtitutum vo-*

Trull. can. 32. *lunt. Quiniſexta Synodus hæc habet; Nam & Iacobus Chriſti Domini noſtri ſecundum carnem frater, cui Hieroſolymitanæ Eccleſiæ thronus primùm eſt creditus, &c. Planum itaque eſt Iacobum fratrem Domini, Epiſcopum primum Hieroſolymorum eam Eccleſiam rexiſſe: nunc de ipſius ordinatione videamus.*

Spalat. Num. 17. Hæc Spalatenſis. Qui demum addit, *etiam multorum ſententiam eſſe, hunc Iacobum, nempè minorem dictum, fuiſſe Apoſtolum, qui & in Euangeliis, Actiſque Apoſtolorum, vocatur Iacobus Alphæi, quod nos*, inquit, *paulò pòſt examinabimus, & ab Apoſtolis Epiſcopum conſecratum, contendunt multi. Quod ſi verum eſſet, nos malè ſtatuimus Apoſtolos omnes à Chriſto immediatè eſſe*

factos

Digitized by Google

factos Episcopos, & Episcopos generales; non particularium sedium particulares. Hoc si verum sit, proculdubio causa cecidit; namque & Apostolum fuisse hunc Iacobum fratrem Domini, & ab Apostolis Hierosolymorum Antistitem renunciatum, ac illi Ecclesiæ speciatim addictum melioris notæ Patres omnes docent. Sed vt Cornicum oculos confodiat, prius inquirendum ducit de eius ordinatione, ac demum de ea quæstione statuendum, num fuerit Apostolus & quo sensu dicatur frater Domini. *De ordinatione*, inquit, *Iacobi hæc habemus. Clemens Romanus ita inducit loquentes Apostolos: De ordinatis autem à nobis Episcopis in vita nostra, significamus vobis quod hi sunt, Hierosolymis ordinatus est Iacobus frater Domini: quo mortuo secundus Simeon Cleopæ: post eum tertius Iudas Iacobi. Hic ergo ponitur Iacobus ordinatus ab Apostolis omnibus. Vnde & repetit idem Clemens (si tamen ille est:) A Moyse, inquit, Deo carissimo Pontifices instituti sunt, Sacerdotes, Leuitæ: à Saluatore nos tredecim Apostoli: ab Apostolis ego Iacobus, & ego Clemens. Anacletus & Anicetus, vt supra vidimus, Iacobum hunc faciunt ordinari à Petro, Iacobo, & Ioanne. Clemens Alexandrinus in sexto hypotyposeon libro, de Iacobo scribens sic refert; Petrum, Iacobum, & Ioannem, post Seruatoris ad cœlos ascensum, cùm essent à Domino summum dignitatis gradum adepti, non de gloria & honore contendisse inter se, sed vno consensu Iacobum Iustum Hierosolymorum Episcopum designasse. Eusebius verò ita scribit: Iudæi ergo, cùm Paulus prouocasset ad Cæsarem, & ad vrbem Romam à festo missus esset, spe penitus, qua consilium in eius necem comparassent excidentes, in Iacobum fratrem Domini, cui ab Apostolis sedes Hierosolymitana delata fuit, omnem suam maleuolentiam conuertunt. Idem Eusebius de Cathedra Iacobi Apostoli cum veneratione conseruata scribens, ait: Iacobi enim Apostoli Cathedram (qui primus erat ad Hierosolymitanæ Ecclesiæ Episcopatum à Seruatore, & cæteris eius Apostolis delectus, quemque fratrem Christi nuncupatum diuina perhibent eloquia) ad istud tempus seruatam, &c. Epiphanius de Iacobo Iusto genealogiam texens de ipso ita scribit: Et primus hic accepit Cathedram Episcopatus, cui concredidit Dominus thronum suum in terra primo. Hieronymus: Iacobus, inquit, post passionem Domini, statim ab Apostolis Hierosolymorum Episcopus ordinatus. Et alibi; Sed præcipuè, inquit, hic (Iacobus) frater dicitur, cui filios matris suæ, ad Patrem vadens Dominus, commendauerat. Intelligit Hieronymus de Iudæis Ecclesiæ Hierosolymitanæ filiis, & alludit ad Hierosolymitanum Episcopatum: quod videlicet Iacobus, vt Hieronymus ibidem loquitur, primus eidem Ecclesiæ præfuerit, quæ mater Domini terrena cùm esset, prima in Christum credens, ex Iudæis fuerat congregata. Hegesippus libro quinto commentariorum, vt superiùs etiam posuimus, de Iacobo ita narrat. Suscepit Ecclesiam Hierosolymæ post Apostolos frater Domini Iacobus cognomento Iustus. Multi siquidem Iacobi vocabantur; siue vt est apud Eusebium; Iacobus frater Domini, qui à Seruatoris temporibus ad nostram vsque ætatem Iustus; (Iacobi enim nomine multi donati erant) ab omnibus appellatus fuerat, Ecclesiæ administrationem vnà cum cæteris Apostolis suscepit. Supponit igitur ab ipso Christo Episcopatum hunc habuisse, & simul cum cæteris Apostolis ordinatum. Chrysostomus quisnam Iacobum fecerit Episcopum, explicat. Ait enim; Deinde visus est Iacobo: mihi fratri suo videtur, quem quidem ab ipso, Hierosolymis Episcopum primò constitutum volunt. Et supra similiter, hunc Iacobum supponit fuisse iam Episcopum Hierosolymorum adhuc ante Christi ascensum: Scribit enim; Vide verò Iacobi mo-*

Const. Ap. l. 7. c. 46.

Ibid. lib. 8. cap. vlt.

Apud Eus. l. 2. Hist. c. 1.

Euseb. l. 2. Hist. c. 22.

Idem lib. 7. Hist. ca. 14.

Epiph. hær. 78.

Hier. li. de Scri. Eccl. in Iacobo.

Idem in ep. ad Gal. c. 1.

Apud Hier. l. de Script. Eccl. in Iac.

Euseb. li. 2. Hist. ca. 22.

Chrysost. hom. 38. in 1. Cor. 15.

Idem hom. 3. in Act.

Digitized by Google

deſtiam. Is acceperat Hieroſolymis Epiſcopi munus, & tamen hic nihil loquitur.

Greg. Tur. Hiſt. lib. 1. cap. 27.

Nimirum circa Matthiæ electionem, quæ fuit prima Apoſtolorum actio. Gregorius *Turonenſis ſic ſcribit; Iacobus frater Domini vocitatus, ab ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto Epiſcopus dicitur ordinatus.* Horum autem authorum teſtimonio probare conatur hunc Iacobum, *à Petro ordinatum non fuiſſe*, tum quod Epiphanius, Chryſoſtomus,& Turonenſis expreſſè à Chriſto Domino fuiſſe Iacobum Hieroſolymitanæ Eccleſiæ præfectum, *etiam ante Chriſti in cælum aſcenſum*, aſſerant, tum quod ab aliis dicatur ſuſcepiſſe Epiſcopatum Hieroſolymitanum *poſt Apoſtolos*, minimè verò ab Apoſtolis, *imò vnà cum Apoſtolis*:

Spalat. Num. 18.

Quare inquit, *Eſto, Iacobus hic fuerit Apoſtolus vnus ex duodecim, ſi is Hieroſolymitano ſe Epiſcopatui alligauit, id planè fuit diuina inſpiratione, & aliorum Apoſtolorum non præcepto, aut ordinatione vera, ſed conſilio & ex communi conſenſu: vt vbi cæteri omnes in Prouinciarum diuiſione, ac partium orbis inter ſe diſtributione, eſſent ad varias regiones perrecturi, Ipſe Iacobus vni Hieroſolymæ ſuam operam impenſurus, & Apoſtolicam, hoc eſt, Epiſcopalem, & ſanè generalem authoritatem, quam à Chriſto immediatè acceperat, in ſola Hieroſolymorum cultura exerciturus remaneret. Hoc enim Hegeſippi, Euſebij, Epiphanij, Hieronymi, Chryſoſtomi, & Gregorij Turonenſis verba facilè patiuntur; nec aliud ab hoc diuerſum poſſunt euincere, vt patet eorum dicta conſideranti. Atque ita ſoluta manet tota difficultas, quam noſtro negotio præſenti Iacobi ordinatio ingerebat.* Itaque omninò ſe noſtram ſententiam euertiſſe putat; ſed ſunt vitro iſta fragiliora; Epiphanius quidem ſcribit *Iacobum hunc Iuſtum cognominatum primùm accepiſſe Cathedram Epiſcopatus, ac huic primò Dominum concredidiſſe thronum ſuum in terra:* Sed vtrum per ſe immediatè an alicuius interuentu Chriſtus hoc eum honore dignatus ſit non aperit, & vt operam ſuam interpoſuerit Petrus, ac cum eo ex collegis aliqui, non potuit tamen niſi Chriſtus eximiæ dignitatis eſſe author: Quare etiam Hieronymus qui ab Apoſtolis cum ordinatum cenſet, ſcribit quoque *ei à Domino commendatos filios Eccleſiæ Hieroſolymitanæ.* Hæc ſcilicet minimè pugnant: Certè Euſebius vtrũque coniunxit:

Lib. 7. c. 14. Πρώτου τὸν Ιακωβὸν ἀποκλήσεις ἡ ἐπισκοπὴ ἔσχε ἁυτῇ τὸν σωτῆρος ἁγ τ ἀποστόλων ὑποδεξαμένου.

ſic enim de Iacobo; *Qui primus*, inquit, *erat ad Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum à Saluatore & cæteris eius Apoſtolis delectus.* Thronum autem Domini vocat Epiphanius, *ſedem Hieroſolymitanam*, non quod Hieroſolymitanus vnquam fuerit Epiſcopus Chriſtus, ſed quod Hieroſolymis prædicarit, miracula ediderit, demum ad Hieroſolymæ portam & mœnia mortem pro ſalute humani generis oppetierit. Chryſoſtomi mentem non eſt aſſecutus Spalatenſis. Verba Chryſoſtomi ſunt, *vide verò Iacobi modeſtiam. Is accepit Hieroſolymis Epiſcopi munus, & tamen hîc nihil loquitur.* Malè igitur interpres vertit, *Is acceperat Hieroſolymis Epiſcopi munus* cùm vertendum eſſet, *Is accepit Hieroſolymis Epiſcopatũ*, quod ad poſteriora tempora omninò referri debere vel cœci vident, neque verò etiam ante Matthiæ electionem ei ſe Cathedræ obſtrinxiſſe, vnquam dixit Chryſoſtomus. Gregorius Turonenſis aliorum ſententiam indicare voluit, & fortaſſe non expreſſit. Quod attinet ad eos qui *Iacobum hunc ab Apoſtolis deſignatum Hieroſolymitanum* Epiſcopum ſcribunt, etiam noſtræ ſententiæ fauent, cùm in Collegio Apoſtolico primas ac præcipuas partes obtinuiſſe Petrum, illiuſque moderatorem extitiſſe, nemo orthodoxus dubitet: Sanè Clemens Alexandrinus magnæ exiſtimationis ſcriptor, referente

Chryſoſt. hom. 3. in Act. Οσῳ δ ὑπὲρ τὸν Ιακωβον ἀυτὸν ἔλαβε δ ἐπισκοπὴ δ ἐν Ιεροσολύμοις, ἁγ[ὅμως] τότε οὐδὲν διελέγετο.

Euſebio,

Euſebio, cenſet *Petrum, Iacobum, & Ioannem*, conſpirantibus votis, hunc *Iacobum iuſtum Hieroſolymorum deſignaſſe Antiſtitem.* Eſto igitur nullius ponderis ſint, quæ Anacleto & Aniceto tribuuntur Epiſtolæ; nam & de his non immeritò etiam ab Orthodoxis dubitatur, tamen Clementis Alexandrini aſſerentis in Iacobi Iuſti, ad Epiſcopatum Hieroſolymitanum deſignatione ſuas partes habuiſſe Petrum, non ita repudiari poteſt teſtimonium. Quare cùm eidem Petro primatum conceſſerint reliqui, dubium non eſt ad Petrum, tanquam ad præcipuum huius deſtinationis authorem referri debere. Conceſſiſſe autem reliquos primatũ Petro, nec amplius à Reſurrectione Chriſti, de eo litem ei mouiſſe, bonus eſt author Chryſoſtomus: *Conſidera autem*, inquit, *& aliorum diſcipulorum ſingularem modeſtiam, quo pacto concedunt ei ſolium, nec amplius ambigunt diſceptantes inter ſeſe.* Itaque dubium eſſe non poteſt in hac Iacobi Iuſti, ſiue ordinatione, ſiue deſignatione, primas partes habuiſſe Petrum, quod ſatis nobis ſit. Sed fortaſſis primas non habuiſſe Petrum in Iacobi ordinatione inde colligit aduerſarius, quod Iacobus & Ioannes à Patribus dicantur eum quoque ordinaſſe. Quaſi verò etiam Epiſcopum inaugurante Pontifice, qui ex præſcripto Eccleſiæ, ac recepta ab Apoſtolorum ſæculo conſuetudine, cum eo ordinationem abſoluunt, ac manus imponunt Epiſcopi, propterea dignitate ei & authoritate pares ſint! Iam quæſtionem de Apoſtolatu Iacobi in vtramque partem verſat, atque hinc inde prolatis veterum ſententiis in ea demum acquieſcit, *quæ Apoſtolum non fuiſſe tradit.* Sed ſi authorum facienda eſt contentio, proculdubio ſuperat quæ aſſerit Apoſtolum fuiſſe; Paulus ſignificare omnino videtur; Referens enim eos, quos ſibi vidiſſe contigerat Hieroſolymis, enumeratoque primùm Petro addit; *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini.* Certè, vt aduertunt doctiſſimi interpretes, ſi particula; *Niſi*, propriè, id eſt, *exceptiuè*, ſumatur, proculdubio Apoſtolum fuiſſe collegam Petri indicat, neque video cur impropria locutio inducẽda ſit. Præterea Paulus eum Iacobum, *columnam Eccleſiæ cũ Petro & Ioanne* facit, ſignificans ſcilicet fuiſſe eiuſdẽ dignitatis & authoritatis, quod ad Apoſtolatum attinet. Et in Concilio Apoſtolorum Iacobus, omnino authoritate Apoſtolica de abolendis inſtitutis legalibus pronunciat. Præterea Epiſtolam Canonicam, quæ Iacobi nomine præfertur ab Apoſtolo conſcriptam eſſe, nullus Orthodoxus dubitat; atqui Euſebius & Hieronymus à *Iacobo Hieroſolymitano Epiſcopo*, editam perhibent, planum eſt igitur vnum è duodecim fuiſſe, filium ſcilicet Alphæi, Iudæ fratrem, vt eum indigitat Chryſoſtomus. Prætereo Dionyſium, qui non obſcurè idem indicat. Clemens Alexandrinus referente Euſebio, ſe totum nobis tradit; *Iacobo iuſto*, inquit, *Ioanni, & Petro Dominus poſt aſcenſionem ſuam ſingularem quandam impertiit cognitionem, quam illi reliquis Apoſtolis tradiderunt. Hæc de non Apoſtolo*, inquit Spalatenſis, *vix dici queunt, aut cogitari.* Euſebius verò ſuam promens ſententiam idem aſſeuerat. *Iacobi enim Apoſtoli*, inquit, *Cathedram (qui primus erat ad Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Epiſcopatum à Seruatore, & cæteris eius Apoſtolis delectus, quemque fratrem Chriſti nuncupatum diuina perhibent eloquia) ad iſtud tempus ſeruatam, Epiſcopi qui illic ordine ſucceſſerunt, per magno æſtimant*: Idem apud eundem Euſebium habet Egeſippus;[a] *Egeſippus Apoſtolorum ætati proximè ſuccedens*, ait Euſebius, *in quinto, ea quæ ad illum ſpectant, hiſtoriæ ſuæ libro,*

Apud Euſ. lib. 2. hiſt. Eccl. c. 1. Πίστον δὲ Ἰάκωβον καὶ Ἰωάννην, Ἰάκωβον τε δίκαιον, ἐπίσκοπον Ἱεροσολύμων λέγουσι.

Chryſ. ho. 3. in act. Ὅρα δὲ καὶ τῶν ἄλλων μαθητῶν τὸ (πολλοῦ) σωφρονοῦν, πῶς αὐτῷ εὐχωρεῖ τῷ θρόνῳ, καὶ οὐκ ἀμφισβητοῦσι πρὸς ἀλλήλους.

Num. 19. 20. & reliquis.

Gal. 2.

Euſeb. l. 2. hiſt. Eccl. c. 22.

Hieron. de ſcript. Eccl.

Chryſ. ho. 33. in Ioan.

Apud Euſ. vbi ſuprà.

SPALAT. Num. 20.

Euſ. l. 7. hiſt. Eccl. c. 14. Τὸν γὰρ Ἰακώβου θρόνον τὸν ἀποστόλου τὸν πρῶτον τῆς Ἱεροσολύμων ἐκκλησίας τῆς ὑπὸ τοῦ σωτῆρος, καὶ τῶν ἀποστόλων &c.

[a] Apud Euſeb. lib. 2. c. 22. Οἱ ἁπάντες ὑπὸ τὴν σοφίαν τῶν ἀποστόλων ἡσύχως διαδοχὴν, ἐν τῷ πέμπτῳ αὐτῶν ὑπομνήματι, τοῦτον λέγων

ἱστορεῖ ἡ τῶν διαδοχῶν ἡ ἐκκλησιαστικὴ τῶν ἀποστόλων, ὁ ἀδελφὸς τοῦ κυρίου Ἰάκωβος, ὁ ὀνομαζόμενος ὑπὸ πάντων δίκαιος ἀπὸ τῶν τοῦ κυρίου χρόνων μέχρι καὶ ἡμῶν.

Chryſ. in c. 1. ep. ad Gal.

Chryſ. ho. 87. in Ioan.

accuratiſsimè tradit ad hunc modum: Iacobus frater Domini, qui à Seruatoris temporibus ad noſtram vſque ætatem Iuſtus (Iacobi enim nomine multi donati erant) ab omnibus appellatus fuerat, Eccleſiæ adminiſtrationem vnà cum cæteris Apoſtolis ſuſcepit. Quod enim ait vnà cum *Apoſtolis Epiſcopatum accepiſſe* eò flecti debet, vt cùm alij alias Prouincias ſibi obeundas, ac luſtrandas ſuſcepiſſent, eadem opera Epiſcopus eſſet Eccleſiæ Hieroſolymitanæ mancipatus, tum Chriſti afflatu & inſtinctu, tum Apoſtolorum conſpirantibus votis, vt eum quoque interpretatur Euſebius. Chryſoſtomus apertè eum Apoſtolum facit. Acri ſiquidem iudicio vir ponderans verba Pauli, qui eum præterita Apoſtoli dignitate fratrem Domini vocat, hanc rationem eius rei affert; *Quoniam*, inquit, *exiſtimabat honorum titulos Apoſtolorum eſſe communes*, ſupponit igitur, vt rectè diſſerebat Spalatenſis, *hunc Iacobum fuiſſe Apoſtolum.* Neque credo alibi de alio quàm de Apoſtolo quæſtionem mouiſſet, cur illi non vero Petro eſſet nobiliſſimus Hieroſolymorum Epiſcopatus delatus. *Quod ſi quis percontetur*, inquit, *quomodo igitur Iacobus ſedem Hieroſolymis acceperit? Reſpondendum hunc* (Petrum) *totius orbis magiſtrum præpoſuiſſe* Chriſtum. Bernardus clariùs & apertiùs quàm vellent Eterodoxi loquitur; *Denique Iacobus*, inquit, *qui videbatur columna Eccleſiæ, vna contentus eſt Hieroſolyma.* Nam tacitam comparationem inſtituit inter Petrum, & reliquos Apoſtolos, vt probet Pontificem omnibus Epiſcopis ſuperiorem eſſe, ac eos dignitate & authoritate anteuertere; *Sunt quidem*, inquit, *& alij*

Bernard. de conſid. l. 2. c. 8.

cœli Ianitores, & gregum paſtores, ſed tu tantò glorioſius, quantò & differentius vtrumque præ cæteris nomen hæreditaſti. Habent illi ſibi adſignatos greges, ſinguli ſingulos, tibi vniuerſi crediti, vni vnus. Nec modò ouium, ſed & paſtorum, tu vnus omnium paſtor. Vnde id probem quæris? Ex verbo Domini, cui enim non dico Epiſcoporum, ſed etiam Apoſtolorum, ſic abſolutè & indiſcretè, totæ commiſſæ ſunt oues? Si me amas Petre, Paſce oues meas. Quas? illius vel illius populos, ciuitatis, aut regionis, aut regni? Oues meas, inquit, cui non planum, non deſignaſſe aliquas, ſed adſignaſſe omnes? Nihil excipitur, vbi diſtinguitur nihil; Et fortè præſentes cæteri condiſcipuli erant, cùm committens vni vnitatem omnibus commendaret in vno grege, & vno paſtore ſecundum illud; Vna eſt columba mea, formoſa mea, perfecta mea, vbi vnitas, ibi perfectio. Reliqui numeri perfectionem non habent, ſed diuiſionem recedentes ab vnitate, inde eſt quod alij ſinguli ſingulas ſortiti ſunt plebes, ſcientes Sacramentum. Denique Iacobus qui videbatur columna Eccleſiæ, vna contentus eſt Hieroſolyma, Petro vniuerſalitatem cedens. Pulchrè verò ibi poſitus eſt ſuſcitare ſemen defuncti fratris, vbi occiſus eſt ille. Nam dictus eſt frater Domini. Porrò cedente Domini fratre, quis ſe alter ingerat Petri prærogatiuæ? Ergo iuxta canones tuos alij in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipſos qui poteſtatem ſuper alios acceperunt; Nonne ſi cauſa extiterit, tu Epiſcopo cœlum claudere, tu ipſum ab Epiſcopatu deponere etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcuſſum priuilegium tuum tibi, tam in datis clauibus, quàm in ouibus commendatis. Hieronymus ſcribens aduerſus Heluidium eandem ſententiam propugnat, & eos palam refellit, qui tertium fratrem Domini inducunt, nec aliud vnquam ſenſit in Commentario Epiſtolæ ad Galatas, quicquid dicat Spalatenſis. Huius ſententiam lubet paulò altius repetere, quod in ea multa ſint, quæ deliramenta aduerſarij denudent ac refellant. *Memini*, inquit Hieronymus, *me dum Romæ eſſem impulſu fratrum librum de ſanctæ Mariæ virginitate edidiſſe perpetua. In quo mihi ne-*

Comment. Hier. in ep. ad Gal. l. 1. c. 1.

ceſſe

ceſſe fuit de his qui fratres Domini dicti ſunt, diutius diſputare. Vnde qualiacunque ſunt illa quæ ſcripſimus, his contenti eſſe debemus. Nunc hoc ſufficiat, vt propter egregios mores, & incomparabilem fidem ſapientiamque non modicam (Iacobus) *frater dictus ſit Domini, & quod primus ei Eccleſiæ præfuerit; quæ prima in Chriſtum credens ex Iudæis fuerat congregata. Dicuntur quidem & cæteri Apoſtoli fratres Domini, ſicut in Euangelio; Vade dic fratribus meis; Vado ad Pa-* Ioan.20. *trem meum, & Patrem veſtrum, & ad Deum meum, & Deum veſtrum. Et in Pſalmo, Narrabo nomen tuum fratribus meis, in medio Eccleſiæ cantabo te. Sed* Pſal.21. *præcipuè hic frater dicitur, cui filios matris ſuæ ad Patrem vadens Dominus commendauerat. Et quomodo Iob, & cæteri Patriarchæ dicti ſunt quidem famuli Dei, ſed quaſi egregium quiddam Moſes habuit, vt ſcriberetur de eo; ſed non ſicut Mo-* Heb.3. *ſes famulus meus, ſic & beatus Iacobus ſpecialiter frater Domini* (vt antè diximus) *appellatus eſt. Quod autem exceptis duodecim quidam vocentur Apoſtoli, illud in cauſa eſt; omnes qui Dominum viderant, & eum poſtea prædicabant, fuiſſe Apoſtolos appellatos, vt ad Corinthios ſcribitur. Quia viſus eſt Cephæ poſt hæc illis vn-* 1.Cor.15. *decim; deinde viſus eſt pluſquam quingentis fratribus ſimul; ex quibus multi manent vſque adhuc, quidam autem dormierunt, deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus. Paulatim verò tempore procedente, & alij ab his quos Dominus elegerat, ordinati ſunt Apoſtoli; ſicut ille ad Philippenſes ſermo de-* Philip.2. *clarat dicens. Neceſſarium autem exiſtimaui Epaphroditum fratrem cooperatorem, & commilitonem meum; veſtrum autem Apoſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ mittere ad vos; Et ad Corinthios de talibus ſcribitur; ſiue Apo-* 2.Cor.8. *ſtoli Eccleſiarum gloria Dei. Silas quoque & Iudas ab Apoſtolis Apoſtoli nominati ſunt. Vnde vehementer errauit, qui arbitratus eſt Iacobum hunc de Euangelio eſſe Apoſtolum fratrem Ioannis, quem conſtat poſt Stephanum, iuxta fidem Actuum Apoſtolorum ſanguinem fudiſſe pro Chriſto, hic autem Iacobus Epiſco-* Act.12. *pus Hieroſolymorum primus fuit, cognomento Iuſtus, vir tantæ ſanctitatis & rumoris in populo, vt fimbriam veſtimenti eius certatim cuperent attingere. Qui & ipſe poſtea de templo à Iudæis præcipitatus, ſucceſſorem habuit Simeonem, quem & ipſum tradunt pro Domino crucifixum. Negat ſe itaque præter hos quenquam Apoſtolorum conueniſſe, ne occulta cõtradictio naſceretur: etiamſi à Petro non eſt doctus, alios habuit Apoſtolos præceptores.* Inſerit fateor multa de his, qui laxiore vocabuli ſignificatu Apoſtoli dicerentur, etſi non viderant in carne Chriſtum; ſed nuſquam pronunciat hunc Iacobum de illorum numero fuiſſe. Tantummodo monet, & quidem rectè, falli eos qui hunc Iacobum fratrem Ioannis, & Zebedæi filium fuiſſe putant, cùm ille, vt eſt in Actis Apoſtolicis expreſſum, mox à nece Stephani ſanguinem ac vitam, ſæuiente Herode, pro Chriſto fuderit, cùm nondum Paulus Hieroſolymam veniſſet. In Eſaiam autem aliorum ſen- Hier. in tentiam refert, nec tamen probat, etſi non refellit. Solemne ſiquidem illi eſt Eſa. penè in omnibus Commentariis, veterum etiam hæreticorum opiniones recenſere nec refutare, quanquam illi minimè probentur, quod ille repoſuit Ruffino, vt ſe à multis erratis quorum ab ipſo poſtularetur purgaret. Maneat igitur Iacobum quem à Petro, Iacobo & Ioanne ordinatum ſcribit Clemens Alexandrinus, Iacobum eſſe filium Alphæi. Et certè nutat fides penè omnium authorum, quos pro contraria ſententia adducit Spalatenſis. Libri Conſtitutionum Apoſtolicarum falsò Clementi aſcribuntur, quamquam non deſunt qui contra Boium aut Turrianum illum interpretentur. Sed tanti non eſt author,

vt operam aliquam in eo explicando ponendam, aut potius perdendam, quod multorum iudicio fecit eximiæ eruditionis vir Turrianus, exiſtimemus.

SPALAT. Num. 21. Tamen vt Chronologiæ peritus habeatur, vrget Spalatenſis; *Si Clemens Romanus*, inquit, *potuit litteras ſcribere ad Iacobum fratrem Domini Epiſcopum Hieroſolymorum, is certè eſſe non potuit Iacobus ille frater Domini, de quo Egeſippus, Euſebius, Clemens Alexandrinus, Hieronymus & alij. Hic enim Iacobus à Iudæis necatus eſt anno Domini 63. vt benè oſtendit Baronius: Clemens verò ſcribebat poſt nonageſimum Domini annum, vt patet ex Chronologia: Epiſtolæ enim illæ ſupponunt Clementem, iam ſedentem in Romana Cathedra; in ea verò non ſedit, ſi noſtros ſequamur, niſi poſt Cletum & Linum, hoc eſt, an. 10. Domitiani, vt probat Baronius, qui incidit circa 93. Chriſti annum.* Sed nec pondus habet, nec robur, hoc eius argumentum. Is enim Iacobus frater Domini, ad quem ſcripſiſſe fertur Clemens Romanus, non eſt ille Iuſtus, cuius etiam laudes celebrat Ioſephus, ſed Simon Iuſti frater, qui cùm in locum demortui fratris ſucceſſiſſet, pro more gentis prænomine ſe Iacobi inſigniuit, vt fratris memoria vigeret. Euſebius proculdubio in noſtra eſt ſententia, vt oſtendimus, ac fortè loco à Spalatenſi contra nos adducto nomine diſcipulorum, in quorum numero ponit Iacobum fratrem Domini, Apoſtolos intelligit vſitata ſcripturæ phraſi. Dorotheum Tyri Epiſcopum inter ſuſpectæ, ac dubiæ fidei authores reponimus. Eccleſia Ethiopum omnem ſibi detraxit fidem, nuncio fidei Catholicæ remiſſo. De Hieronymo vidimus. Itaque & numero, & authoritate Patrum vincimus, ac triumphamus. Præterea haud pœnitendis rationibus nitimur. Primùm enim cùm hiſtoriæ nos doceant, quibus in terris Apoſtoli diſſeminarint Euangelium, quo mortis genere è vita exceſſerint, quo martyrio coronati ſint, altum in illis eſt ſilentium de Iacobo Alphæi, ſi modò ille non eſt Iacobus frater Domini Hieroſolymorum primus Antiſtes. Itaque par eſt credere illum Iuſtum filium Alphæi fratrem Domini. Demum quæ palmaria nobis ratio eſt perabſurdum eſſet, & à gratitudine Eccleſiæ Dei abhorrens alterius Iacobi Apoſtoli, nullam prorſus in ea fieri memoriam, nullum diem feſtum celebrari. Nam Iacobo quidem Zebedæi filio fratri Ioannis dies 25. Iunij ſacer eſt, & Calendis Maij feſtus dies agitur Philippo & Iacobo Hieroſolymitano Epiſcopo dicatus; Itaque ſi hic Iacobus, non eſt idem cum Iacobo Alphæi, quem Apoſtolum fuiſſe ſcriptura perhibet, proculdubio nulla de eo fit mentio in Eccleſia. Proinde fatendum eſt Iacobum Hieroſolymitanum Epiſcopum, Iacobum eſſe Alphæi, fratrem Domini, collegij Apoſtolici magnum decus, & eximium ornamentum.

Baron. to. 1. an. 63. nu. 2.

Baron. to. 1. an 93. nu. 2.

Euſeb. li. 2. hiſt. c. 22.

SPALAT. Num. 46. Bellar. l. 1. de verbo Dei, c. 18. Hanc rationem cùm attigiſſet Bellarminus, vellicandam eam duxit Spalatenſis, ac vt Eccleſiæ ipſi bellum indixiſſe videatur Commentaria doctiſſimorum virorum, qui de Apoſtolorum laboribus ſcripſerunt, vult eſſe *parum fide digna*; ſed vt fateamur eius generis multa ab improbiſſimis planis inuecta, quis tamen neſciat etiam plura fide digniſſima, à magni nominis viris de his memoriæ mandata? Conſulatur Hieronymus, & falſa eſſe quæ de Matthia & Thadæo (hic ille eſt Iudas, cuius Euangelium meminit, cuius quoque extat Epiſtola Canonica, cuiuſque cum Simone memoriam celebrat Eccleſia) deſertor opponit, facilè deprehendet pius lector. Quod attinet ad Ioannem, cuius feſtum & memoriam proſcindit & vexat, eius quoque interitum diſcet ex eodem Hieronymi libro, qui eum docebit chariſſimum diſcipulum Chriſti; *Poſt multos exantlatos labores, exilij quoque in Pathmos ærumnas, Epheſum reuerſum ſub Nerua Principe, ibi*

Hieron. de ſcript. Eccl. in Simone.

Hieron. de ſcript. Eccl. in Ioan.

vſque

vſque ad Traianum principem perſeueraſſe, tota Aſia Eccleſias fundaſſe ac rexiſſe, ac demum ſenio confectum ſexageſimo octauo poſt Paſſionem Domini anno mortuum, ac iuxta eandem vrbem ſepultum. Quid amplius deſiderari poſſit ad feſtum diem ei dicandum? Non igitur citra teſtimonium de morte Ioannis, feſtum eius celebrat Eccleſia, & proinde ab eo feſto præſidium ducere non poteſt Spalatenſis. At quod Eccleſiam monet, vt *Breuiariorum lectiones mutet, atque Calendis Maij Iacobum Alphæi pro Iacobo Iuſto reponat*, eius quidem audaciam prodit, qui eam docere velit, *quæ firmamentum ſit & columna veritatis.* Sed ægrè nobis perſuaſerit homo perobſcurus deſertoris fidei ſtandum, ac ad eius nutum omnia vertenda. *At*, inquit, *etiam alia mutauit Eccleſia Romana in ſuis Breuiariis.* Fateor quod ſcilicet eius rei faciendæ ſolidiſſimæ ſubeſſent rationes; At his quæ hîc proferuntur frigidius, inſulſius aut ineptius nihil excogitari poſſit; ſcilicet apocryphis nititur diſputator, & ſepultos etiam errores, ac pridem exploſos denuò in lucem profert ac defendit. Nam breui oſtendam iſta ſua commenta olim ventilata, ac magnorum virorum cenſura notata. Quod de Magdalenis affert, eſt etiam ipſum apocryphum, & vnam eſſe Mariam Magdalenam, Mariam ſororem Lazari clarè ex Euangelio haberi, ferè conſtans eſt noſtrorum ſententia, de qua non eſt hic diſſerendi locus. Sed vt ad Alphæi memoriam reuertamur, eſt quiddam illi *illuſtre & glorioſum* (vt habet Spalatenſis) *in duodecim Apoſtolorum numero haberi*; Sed præterea Eccleſia, vt ſuo muneri ſatisfaceret, non ſecus ac aliis Apoſtolis diem ſacrum ei eſſe voluit Calendis Maij, vt qui reliquis par eſſet in laboribus, pares quoque à fidelibus referret gratias, & ſimilibus honoribus coleretur. Quæ verò nobis ex Nicephoro & Dorotheo obtrudit, de Iacobo Alphæi à fratre Domini diuerſo, iudicij imbecillitatem arguunt, qui non viderit duos hos authores mendaciorũ & errorum plenos, ac omnis generis fabularum narrationibus fœdatos; Sed puduit illum à parente Annalium didiciſſe, quid hac de re ſtatuendum eſſet, ac propterea in craſſos impegit errores. Ferè præterieram quæ de fratribus Domini contra receptam, & à Hieronymo contra Heluidium, propugnatam orthodoxorum ſententiam refert, ſed hæc breuiter quoque excutiamus. Sciendum eſt itaque execrabilem fuiſſe Iudæorum errorem, qui fratres germanos Domino Ieſu aſſignant, tanquam ex Ioſeph & Mariæ coniugio in lucem editos, ex quorum quoque amplexibus illos procreatos, non citra blaſphemiam blaterant perduelles Chriſti. Heluidij etiam improbiſſimi hæretici error fuit, habuiſſe Chriſtum plures vterinos fratres, eos ſcilicet qui in ſcriptura *fratres Domini* vocantur; Cenſebat enim beatiſſimam virginem Chriſtum, citra virginitatis detrimentum enixam, poſtea vacaſſe liberis procreandis, neque perpetuò virginem fuiſſe; Sed hunc canem abegit, & immanem errorem ſolidè, & doctè confutauit Hieronymus libro aduerſum Heluidium ſcripto, Eccleſia verò impium dogma Heluidij deteſtata eſt, ac æterno anathemate damnauit; Aliorum opinio fuit fratres Domini vocari in Euangelio filios Ioſeph, ex alia coniuge priore, quâ è viuis ſublata beatiſſimam virginem duxerit; vt quomodo Ioſeph pater eius *putatiuus* fuit, ita & illi fratres eius putatiui fuerint; fratres, inquam, ex eodem patre licet matre diuerſa procreati.

SPALAT. Num. 47.

Baron. to. 1. ad an. 44. nu. 36.

Hanc opinionem amplectitur, ac mordicus tenet Spalatenſis, cumque ſcriptura doceat fratres Domini ſuperſtitem, ac ſpirantem habuiſſe matrem, ſub ipſa tempora Paſſionis Chriſti, nempè Mariam quæ dicitur Iacobi minoris, & Ioſeph ſeu Ioſelis, vt eum appellat Hieronymus, mater, ac proinde friuolum eſ-

SPALAT. Num. 37. & 49. Matth. 11.

Digitized by Google

Spalat. Num. 18. Nyſſ. orat. 2. de Reſur.

ſe, quod de mortua priore vxore Ioſeph affertur; Beatiſſimam Deiparam Mariam illam eſſe, Mariam quæ à Matthæo & à Marco, *Maria Iacobi, & Ioſeph mater* appellatur, audacter affirmat, atque huius ſententiæ propugnatorem profert Gregorium Nyſſenum, qui idipſum aſſeueret. Sed quod attinet ad priorem eius aſſertionis partem, merito Hieronymus Commentariis in Matthæum opinionem eorum, qui Ioſeph ante initum cum virgine coniugium aliam vxorem, quæ mortua eſſet, duxiſſe tradunt, ad apocryphorum deliramenta reiicit. *Quidam*, inquit, *fratres Domini de alia vxore Ioſeph filios ſuſpicantur, ſequentes deliramenta apocryphorum, & quandam Eſcham mulierculam confingentes. Nos autem ſicut in libro quem contra Heluidium ſcripſimus continetur, fratres Domini non filios Ioſeph, ſed conſobrinos Saluatoris, Mariæ liberos intelligimus matertera Domini, quæ eſſe dicitur mater Iacobi minoris, & Ioſeph, & Iudæ: quos in alio Euangelij loco, fratres Domini legimus appellatos. Fratres autem conſobrinos dici, omnis ſcriptura demonſtrat.* Quod attinet verò ad huius aſſertionis poſtremam partem, quæ Mariam Iacobi & Ioſelis matrem, vnam eandemque facit cum beatiſſima virgine Maria, ſanè improbabilis eſt opinio, & lapſum in ea re Gregorium Nyſſenum, eſt nobis planè perſuaſum. Adeo verò diſplicuit Hieronymo, vt furioſum dixerit Heluidium, qui eam defenderit; Scio Heluidium aliena à mente Nyſſeni tradidiſſe. Sed hic communis error eſt, quod Mariam Virginem, eandem eſſe Mariam Iacobi & Ioſeph, vterque affirmat; Heluidius quidem id docet, vt eam ſuſcepiſſe ex Ioſeph liberos poſt editum in lucem ſeruatorem oſtendat; Nyſſenus verò, vt ex priori vxore habuiſſe Ioſeph filios, qui fratres Domini in Euangelio nuncupentur probet; ſed à vero abhorrens eſſe commentũ, rectè probat Hieron. quod Virginẽ Deiparam, nuſquam Iacobi matrem vocaſſet; *Si eſſet mater Domini*, inquit, *magis eam, vt in omnibus locis, matrẽ illius appellaſſet, & nõ aliorum dicendo matrẽ, alterius voluiſſet intelligi.* Hæc quoque Nyſſenum pungunt; Et quia de Maria Cleophæ dubitatio oriri poterat, vtrũ illa ipſa eſſet Maria Iacobi, hæc addit Hieron. *In hac parte contentioſum funẽ non traho, alia fuerit Maria Cleophæ, alia Maria Iacobi & Ioſelis; dummodo conſtet, non eandem Mariam Iacobi & Ioſelis eſſe quàm matrem Domini.* Certè ſcriptura nuſquam quidpiam tale ſignificat, nec verò congruit dignitati Deiparæ: *Attribuere ei virum non virginem, ſed prius vxoratum, ac è priore coniugio, liberis onuſtum, & quadriiugam fratrum & ſororum*, vt loquitur Hieronymus, *congeriem trahentem; Atque tot pignorum cura diſtentum, cui cuſtodia mandata erat pueri Saluatoris ſimul, & matris, inter pericula perſequentium, & eos perdere volentium.* Sanè piæ aures beatiſſimam Virginem nouercam filiorum Ioſephi audire recuſant: Propterea Theodoretus, quem tamen in ſuam ſententiam pertrahere nititur Spalatenſis, eam opinationem damnat, ad illa verba. *Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini; Vocatur quidem*, inquit, *frater Domini, ſed non erat natura, ſed nec fuit Ioſephi filius, vt quidam exiſtimarunt ex priori matrimonio natus* (en profligatum Spalatenſis vanum commentum) *ſed erat quidam Cleophæ filius, Domini autem conſobrimus; habuit enim matrem, matris Domini ſororem.* Hæc pluribus perſequi non eſt præſentis inſtituti, nec cum inſanientibus eſt nobis inſanire conſtitutum. Hoc duntaxat monuerim, eos qui in Euangelio *fratres Domini* dicuntur, non eſſe intelligendos propinquos eius ex parte Ioſeph, non enim pluſquam *putatiua* eſthæc cognatio, proindeque Paulus Iacobum *fratrem Domini* honoris cauſa non appellaſſet; ſed ex parte beatiſſimæ

D. Hier. Comment. Matth. ad c. 12. propè fin.

Hier. cont. Heluid.

Theodor. Comment. in c. 1. ep. ad Galat.

tissimæ Virginis, quæ verè & propriè Domini mater fuit; extenso tamen nomine ad quosuis cognatos, seu propinquos, idque iuxta morem Hebraici, & Syriaci sermonis, qui in sacris litteris sæpissimè vsurpatur, vt fusè & doctè contra Heluidium docet Hieron. cuius solidiorem doctrinam, iure optimo nugis aduersariorum anteponimus. Et quidem tum Latini, tum Græci, paucis exceptis, in Hieronymi descendere sententiam, quæ etiam orthodoxorum, addo etiam hæreticorum, ferè communis est; sed famam sibi parare nouo commento, tentauit desertor; Voluptatem ex insania capiat, eaque fruatur; Certè non effecit, vt recedendum nobis putaremus ab ea sententia, quæ Iacobum fratrem Domini vnum ex duodecim Apostolis facit, quemque à Petro ac aliis collegis Episcopum Hierosolymitanum creatum, ac ordinatum tam multi Patres tradunt. Sed linquamus ista, & ad maioris momenti disputationes excutiendas aggrediamur.

Quod igitur postremò *ad Episcopatus imitationem* refert verba Christi, *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos. Hoc facite in meam commemorationem. Quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo. Euntes docete omnes gentes, baptizantes, &c. &, Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis, &c.* nescio vnde habeat. Quædam enim horum ad inferioris ordinis Sacerdotes pertinent, vt illud, *Hoc facite in meam commemorationem.* Item, *Quæcunque alligaueritis, quorum remiseritis, &c.* Quædam verò ad amplissimam Apostolatus dignitatem, vt illa, *Euntes docete omnes gentes*, quædam verò vt ad Episcopalem authoritatem referantur, ad eam solam non spectant, vt illa, *Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata remittuntur eis:* Quare Ecclesia in ordinatione Presbyterorum nullo scrupulo ea vsurpat. SPALAT. Num. 50. Ioan. 20. Luc. 22. Matth. 18. Matt. 28. Ioan. 21.

Iam de Episcoporum sibi inuicem succedentium propagatione differit Spalatensis: Duo autè in primis docet orthodoxæ doctrinæ consentanea. Primùm *Apostolorum fuisse, Episcopos creare, ijsdem eam potestatem, quam à Christo accepissent, impertiri, ac communicare, vt propterea iuxta Christi institutionem excludenda sit Plebs ab Episcoporum & Presbyterorum creatione. Ita nimirum*, inquit Spalatensis, *vt præter consensum quendam, siue approbationem personæ eligendæ, siue ipsius etiam electionem, in traditione potestatis Ecclesiasticæ, ipsa nullam vnquam habeat partem, cui nempè non est dictum; Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Et sanè Barnabas, Silas, Epaphroditus, Timotheus, Titus, & tam multi primi Episcopi ab Apostolis, siue omnibus simul, siue ab aliquo ipsorum, & commissionem, & potestatem acceperunt Episcopalem: Populus verò in eorum vocatione, nihil operæ suæ collocauit, similiter si extra sacram scripturam Ecclesiasticos consulamus scriptores,* * *Clemens à Petro, sine populo, factus est primus Episcopus Romanus. Iacobus Iustus, si non à Christo, certè ab Apostolis solus, vt iam vidimus, factus est Episcopus primus Hierosolymorum. Ita de Euodio, Polycarpo, Marco, & innumeris aliis ab Apostolis solis, siue viris Apostolicis, eos factos Episcopos Ecclesiastica scripta testantur, vt sequenti capite ostendetur. Atque ijdem Ecclesiis iam satis numerosis, & populo fideli plenis, præficiebantur.* Sed hæc planè euertunt, quæ altero libro pro asserendo populis iure electionis ministrorum Ecclesiæ, magna pompa profert, ac contra receptum in Ecclesia morem vrget. Sed de eo argumento, alio loco. SPALAT. Num. 52. * Tertul. de præscript.

Secundũ autem etiam orthodoxorum pronunciatũ habet. *Hanc tamen Episcoporũ deputationem*, inquit, *ab Apostolis primùm, & deinde à successoribus ipsorũ, perpetuis tẽporibus in Ecclesia per cõsecrationem, & cæremonias externas, præsertim per manuum impositionem fieri solitam facilè est ostendere. Paulus ita scribit ad Ti-* SPALAT. Num. 53.

1. Tim. 4. *motheum Epiſcopum; Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam, cum impoſitione manuum Presbyterij. Item, Manum nemini citò impoſueris. Monet circumſpectione vtendum in Epiſcopis ordinandis, vt eſt communiſſima*

2. Tim. 1. *expoſitio. Item, Reſſuſcita gratiam, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum mearum. Ipſimet igitur Apoſtoli per impoſitionem externam manuum Epiſcopos facie-*

Can. Apo. 1. *bant. Et præterea Canon Apoſtolicus; Epiſcopus à duobus, vel tribus Epiſcopis ordi-*

Conſtitut. Apoſt. l. 3. c. 20. & l. 8. c. 33. *netur. Idem habent Conſtitutiones Apoſtolicæ Clementis, quæ cùm ſint valdè antiquæ, antiquos Eccleſiæ ritus profectò continebunt. Adſunt ibi cæremoniæ de Euangeliis ſuper caput ordinati imponendis, & aliæ. Addit vnctionem capitis Anacletus, quæ*

Ibi. l. 8. c. 2. *eſt antiquiſſima. Nam & Baſilius magnus à Gregorio Nazianzeno, ſeniore in Epi-*

Anacl. ep. 2. refertur diſt. 75. c. ordinat. *ſcopum Cæſarienſem, vnctione etiam ſacra adhibita, eſt ordinatus; de qua ſic Nazianzenus filius: Nam ad eum vngendum viros pietate claros, ac zelo flagrantes, ab exteris regionibus excitauit: in iſſque nouum Abraham & Patriarcham noſtrum,*

Nazianz. orat. 20. de laud. Baſil. *parentem inquam meum, qui firmus ac valens oculos erectos habens, à manuum impoſitione, & vnctione, addo etiam, & ab illius qui vngebatur capite roboratus. Et*

Id. orat. 5. ad Pat. & Baſil. *de ſua ipſius in Epiſcopum, per eundem ipſius parentem facta conſecratione, hæc habet Gregorius ipſe filius; Me Pontificem vngis dignum; me verò & vobis qui vngitis, & eo propter quem peragitur, & in quem tendit hæc vnctio, perſpectum hoc habet pater. Areopagitæ quoque Dionyſio tributum opuſculum, vnctionem ponit ex-*

Areopag. de Eccl. Hier. c 4. *preſsè: qui & alias cæremonias recenſet; ſic Pontifex quidē, qui ad perfectionem, virtutemque Pontifice dignā euehitur, vtroque genu flexo ante Altare, ſuprà caput habet libros à Deo traditos manumque Pontificis: atque hoc modo ab eo Pontifice, qui eum conſecrat, ſanctiſſimis precationibus, appellationibuſque conſecratur. Concilia antiqua plena ſunt decretis circa Epiſcoporum conſecrationem, etiam cum cæremoniis,*

Conc. Carthag. 4. Can. 2. *& ritibus externis. Carthaginenſe magnæ in Eccleſia authoritatis, & cui Auguſtinus interfuit; Epiſcopus, ait, cùm ordinatur, duo Epiſcopi ponant, & teneant Euangeliorum codicem ſuper caput, & ceruicem eius, & vno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput eius tangant. Omitto,* (addit Spalatenſis) *innumerabilia teſtimonia venerandæ antiquitatis, de Epiſcoporum conſecratione, & ordinatione. Multa enim in ſequentibus libris, erunt mihi aliis occaſionibus congerenda.*

Spalat. Num. 54. *Indubitatum itaque maneat,* inquit, *& manuum impoſitionem, & alias ſacras cæremonias ab Apoſtolis Apoſtolicisque viris, ab ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, in deputatione Epiſcoporum fuiſſe adhibitas, & à nobis inuiolabili Eccleſiæ ſanctæ conſuetudine eſſe adhibendas.* Hic verò Ægyptius in Ægyptium, vt eſt in Eſaia ſcriptum vim & arma parat. *Miror,* inquit, *Caluinum dixiſſe, præter manuum*

Eſa. 19. Apud Bella. de Sacram. Ord. *impoſitionem nihil præterea cæremoniarum adhibitum ſe legere: alias enim legi & inueniri in vſu antiquiſſimas cæremonias, iam oſtendi. Multò magis miror eundem dixiſſe, ordinationem nihil aliud eſſe, quàm merum ludibrium: grauis enim fit iniuria, & Paulo ſuper Timotheum manus imponenti, eumque ſic in Epiſcopum ordinanti, & toti antiquitati, quam vidimus piè & ſanctè in ordinationibus Epiſcoporum cæremonias adhibuiſſe. Niſi velit, vt videtur, modernas aliquas nouas noſtras cæremonias reſpuere, & actus aliquos in ordinationibus Epiſcoporum ad ſpeciem tantùm, & verè ad ludibrium vſitatos ſuggillare: vt quod, verbi gratia, de vita & moribus formetur proceſſus, vt plurimùm in Curia Romana, vbi ab ordinando teſtes offeruntur, qui ei placuerint, aut vbi nulli teſtes perſonam nouerint: quòd & illiterati, & vitiis inſignibus deprauati, promoueantur; examina tamen dicuntur præ-*

cedere,

cedere; ieiuna quidem illa, & inania, non ſine fuco & fallaciis. In his tamen, & ſimilibus ſi ludibrium aliquod contingit, non vim ipſam ordinis negent; abuſum reprehendant, ordinationem tamen Miniſtrorum ritè factam, etiam cum externis, & pijs cæremoniis, laudent, approbent, admittant, vt in hac parte omnes conueniamus, neque diſſenſionibus Eccleſiam laceremus. Cæremonias verò ordinum infra Presbyteros, inferius diſcutiam cap. 4. Quaſi verò Caluinus & Scripturis, & antiquitati bellum non indixerit, quaſi is non ſit qui totam Eccleſiaſticam diſciplinam euerterit, ac funditùs ſuſtulerit? Tamen eum excuſare conatur, ac eodem ſe ſcelere implicat, vt magno nebuloni gratificetur. Eccleſiæ ſcilicet Romanæ ſanctiſſimos ritus ſuggillat, ac traducit, quaſi in re ſacratiſſima præſtigiis ludat, ac impoſturæ ſeruiat. Non negauerim hominum fallacias [illegible]ferendis teſtimoniis obrepere poſſe, ſed Eccleſiæ labem eſſe, aut ex cõpoſito rem agi, ſoli poſſunt aſſeuerare ſycophantæ.

Orthodoxorum porrò eſt, quod addit Spal. *Certum eſſe, & conſtans, neminem in Eccleſia habere authoritatẽ miniſterialem regendi, & gubernandi ipſam, niſi qui vocetur à Deo, tanquam Aaron; & neminem poſſe legitimè prædicare, niſi qui legitimè mittatur; non quod immediatè Chriſtus iam amplius vocet, & mittat operarios in vineam ſuam, vt fecit ſemel in ſanctis Apoſtolis; ſed mediantibus iam ipſius Apoſtolis, eorumque ſucceſſoribus; vt verè neque Epiſcopus ſit, neque Epiſcopalem habeat poteſtatem, neque quicquam efficiat, niſi qui ſit ritè ab aliis Epiſcopis aſſumptus, & miniſterio Eccleſiaſtico applicatus, cum vera & legitima ſucceſſione tali, vt ipſa ad Apoſtolos ſanctos recta analyſi reſoluatur; ſiue ad alios Epiſcopos, qui cum illis habuerint communionem, qui ad Apoſtolos ſuum recenſum habent. Nemo igitur ſe verum, & legitimum in Eccleſia Chriſti miniſtrum putet, qui non ſit verus & legitimus Apoſtolorum, modo dicto, ſucceſſor, per veram, & legitimam ordinationem; hoc eſt vocationem, & miſſionem, per veros & legitimos Apoſtolorum ſucceſſores aſſumptus, & plebibus præfectus.* Feriunt iſta Lutheranos & Caluinianos, quos etiam adhuc acerbius proximo numero vexat.

SPALAT. Num. 55.

Heb. 5.

Rom. 10.

Matth. 20.

Exceptionem verò quam, vt audio, nonnulli opponunt; Ego, inquit Spalatenſis, *non poſſum admittere: contingere nimirum poſſe, & noſtro tempore contigiſſe, vt nouos Apoſtolos quoque poſt illos primos; vel ſaltem eorum loco Euangeliſtas excitarit Deus: & talibus nuper opus fuiſſe aſſerunt, qui Eccleſiam ab Antichriſti defectione reducerent. Vellent enim hoc pacto interruptam iam Apoſtolicam ſucceſſionem, nouo ordine in ſuis Eccleſiis reſarcire, & proprium Apoſtolatum tueri. Sed hoc mihi videtur eſſe planè intolerabile.* Addit, *Admiſſo vero nouo ordine Apoſtolico, qui cum primis Domini Apoſtolis continuata ſerie, & ſucceſſione non ſit colligatus, fallaces Chriſti facimus promiſſiones, qui ſuis primis Apoſtolis ſe perpetuò, vſque ad conſummationem ſæculi adfuturum, firma pollicitatione affirmauit. Igitur primorum Apoſtolorum ſucceſſionem, abſque interruptione in Eccleſia vniuerſali, vſque ad conſummationem ſæculi duraturam, in verbo Dei habemus ſtabilitum.*

SPALAT. Num. 56.

Matth. 28.

Etſanè, inquit, *ſi nouos Apoſtolos, ſiue Euangeliſtas, abſque nouis miraculis, & patentibus eiuſdem Chriſti, ac firmis reuelationibus, propria ſola ipſorũ aſſertione inductos, ſemel vt veros admittamus, ſchiſmatibus, & hæreſibus omnibus, amplũ aditũ in Eccleſiam Dei aperimus. Quiuis enim hæreſiarcha, quem diabolus ſuſcitaret etiam ad Euangelium extinguendum, nouam Antichriſtianam religionem inducendam, totamque ſcripturam euertendam, poſſet hanc ſuam nouam à Deo prætexere excitationem. Nec haberet Eccleſia vllum Lydium lapidem ad probandam vocationem, & miſſionem talium Prophetarum extraordinariorum, cui à Chriſto Lydius lapis datus*

SPALAT. Num. 57.

Digitized by Google

Cypr.lib. ep.6. *eſt legitimarum ab Apoſtolis ſucceſsionum: Quo vſus eſt Cyprianus aduerſus Nouatianum. Nouatianus, inquis, in Eccleſia non eſt, nec Epiſcopus computari poteſt, qui Euangelica, & Apoſtolica traditione contempta, nemini ſuccedens, à ſeipſo ordinatus eſt: habere namque, aut tenere Eccleſiam nullo modo poteſt, qui ordinatus in Eccleſia non eſt. Atqui ſi licuiſſet Nouatiano, dare exceptionem hanc nouam, in ipſo nempè nouum cæpiſſe Apoſtolatum, vt Eccleſiam ab Antichriſti defectione reduceret, ne hiſcere quidem aduerſus ipſum Cyprianus potuiſſet; Sed cùm ſit, inquit, à Chriſto vna*

Item ad Ant. l.4. ep.2. *Eccleſia per totum mundum in multa membra diuiſa, item Epiſcopatus vnus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus, ille poſt Dei traditionem, poſt connexam, & vbicunque coniunctam Catholicæ Eccleſiæ vnitatem, humanam conetur Eccleſiam facere; & per plurimas ciuitat[illegible]nouos Apoſtolos ſuos mittat, vt quædam recentia inſtitutionis ſuæ fundamenta conſtituat; cumque iam pridem per omnes Prouincias, & per vrbes ſingulas ordinati ſint Epiſcopi, in ætate antiqui, in fide integri, in preſſura probati, in perſecutione proſcripti, ille ſuper eos creare alios pſeudo-Epiſcopos audeat, quaſi poſsit aut totum orbem noui conatus obſtinatione peragrare, aut Eccleſiaſtici corporis compaginem diſcordiæ ſuæ ſeminatione reſcindere, neſciens ſchiſmaticos ſemper inter initia ſua feruere, incrementa verò habere non poſſe, nec augere quod illicitè cæperint, ſed ſtatim cũ praua ſua æmulatione deficere. Epiſcopatum autem tenere non poſſet, etiamſi Epiſcopus primus factus, à Coepiſcoporum ſuorum corpore, & ab vnitate Eccleſiæ deſciſceret; cùm Apoſtolus admoneat, vt inuicem noſmetipſos ſuſtineamus, nec ab vnitate quam Deus conſtituit, recedamus; & dicat, Suſtinentes inuicem in dilectione, ſatis agentes ſeruare vnitatem ſpiritus in coniunctione*

Epheſ.4. *pacis. Hactenus Cyprianus: Qui præclarè docet Nouatianum, ipſiuſque ſectam eſſe penitùs extra Eccleſiam; primùm quia in ſua ordinatione ſucceſsionem non habet ab Apoſtolis, cùm non ſit ab iis ordinatus, qui Apoſtolis ſuccedentes poteſtatem etiam habeant Miniſtros alios ordinandi. Deinde licèt fuiſſet ab Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus prius ordinatus, & legitimus factus Epiſcopus cũ dicta ſucceſsione, cùm tamen à toto Eccleſiæ corpore, & à communione cum Epiſcopis eiuſdem Eccleſiæ legitimis perperam deſciuiſſet, adhuc tamen extra Chriſti Eccleſiam erit. Itaque Cyprianus Nouatianum ab Eccleſia eijcit duplici cauſa; altera eſt quia non habet in ſua ordinatione ab Apoſtolis ſucceſsionem; altera verò eſt, à priori diuerſa, quia ſchiſma fecerat, & ab Eccleſia Catholica malè deſciuerat. Vt ergo aliquis qui ſe pro miniſtro Eccleſiaſtico, gerit, verè Eccleſiaſticus non ſit, neque in Chriſti Eccleſia, facit defectus legitimæ ordinationis. Optatus quoque tractat egregiè hoc argumentũ, & ex defectu Cathedræ, quã facit primam Eccleſiæ Chriſti dotem, Donatiſtas ab Eccleſia excludit, quia nimirum Cathedrã, hoc eſt, poteſtatem Eccleſiaſticam, per legitimas ſucceſsiones ab Apoſtolis traditã Epiſcopis, neque acceperant, neque habebant. Vide illum omninò*

Beza ad 14. art. *à nobis lib. præced. cap.10. nu.18. prolatum.* His nihil duxi addendum; vt viderent Caluiniſtæ etiam deſertori noſtro ſuam reformationẽ non probari, ſed tanquam Antichriſtianæ cuiuſdam religionis ſeminarium dãnari; De manuum etiam impoſitione rectè ſentit, & meritò grammaticos, in his Bezam pungit qui χειροτονίαν fuiſſe *eleuationem manuum populi, cùm ſuffragia ferret,* aſſeuerant, neque vident Eccleſię vſu eam vocem propriè manuum impoſitionem ſignificare, vt χειροτονεῖν, ordinare, conſecrare, initiare ſit, non eligere, aut nominare. In eundem ſenſum Theodoretus in Eccleſiaſtica hiſtoria, ὑπὸ τοῦ Μελετίου χειροτονηθέντες, *à Meletio ordinati*; & ibidem ait ſtatutum eſſe Meletium, μηδεμίαν ἐξουσίαν ἔχειν χειροτονεῖν, *nullam*

Lib.4.c.6. *poteſtatem habere conferendi ſacros ordines.* Et alibi: ταῦτα μαθὼν ὁ βασιλεὺς τὸ σύνταξε

αἰτήσεως παρὰ τοῦτο μηνύσας, ἐς χειροτονηθῆναι τὸν ἀξιέπαινον ἄνδρα. *Imperator vbi didicit populi ſuffragiis, & vocibus Ambroſium petitum eſſe Epiſcopum, iuſſit ſtatim baptizari, & ordinari laude dignũ virum.* Atque quidem innumera huiuſce ſignificationis occurrunt exẽpla in Canonibus Græcis, ad quos videndi Zonaras & Balſamon. Zonaras rẽm optimè expreſſit. *Nunc quidem Chirotonia*, inquit, *vocatur abſolutio precum, ſanctique Spiritus inuocatio, dum Sacerdotio quis initiatur, & conſecrationem ſortitur; Ex eo dicta, quod Pontifex extendat manum benedicens homini ad ſacra deligendo.*

Zonar. ad Canon. 1. Apoſtol. Νῦν μὲν χειροτονία καλεῖται ἡ καθιερώσεως τῶν ἱερέων λαχόντων πλεισουργία τῇ εὐχῇ, καὶ τῇ ἁγίου πνεύματος ἐπικλήσει. ἀπὸ τοῦ τὸν ἀρχιερέα τείνειν τὴν χεῖρα εὐλογοῦντα τὸν χειροτονούμενον.

Sed Spalatenſem ipſum audiamus de his aduerſus Caluinianos diſſerentem, *Ex Chriſti itaque*, inquit, *inſtitutione poteſtas miniſtros propagandi data eſt ſolis Apoſtolis, & Apoſtolorum ſucceſſoribus, non plebi fidelium, vt eſt oſtenſum: neque confugium Grammaticale ex verbo χειροτονία, quicquam prodeſt, quaſi ſignificet, vt quidam aſſerunt, populi ſuffragia, per elationem manuum: Eccleſiaſtici enim Scriptores vtuntur eo verbo pro ipſa manuum ordinantium impoſitione, vt conſtat ex tot locis in quibus fit Chirotonia, nemine ex populo præſente. Imò in ipſa Scriptura illa vox ponitur, vbi Chriſti electio ſuorum Apoſtolorum, qui futuri erant teſtes oculati ipſius Reſurrectionis, ſignificatur, illis verbis; ſed teſtibus ab ipſo præordinatis, (προκεχειροτονημένοις) nempè per ipſius Chriſti ſolius (certè ſine populo) χειροτονίαν. Et Hieronymus huius vocis interpretationem, etiam pro ipſa ordinatione, quæ fit vocis imprecatione, & manus impoſitione, ponit, & admittit. Imò verò etiamſi populus eſſet præſens, & ſuo ſuffragio concurreret interdum in perſonam ordinandam, adhuc tamen ſolus ordinator, ſiue ordinatores, nimirũ Apoſtoli, vel Epiſcopi, dicebantur χειροτονῆν: Quod ſi ſuffragia illa populi manus in ſignum attollentis ordinarent, ipſe populus, & non Epiſcopi dicerentur chirotonizaſſe. Eligat itaque quantũ vult populus, & nulla ſit ritè facta ordinatio, quæ inuito populo iam fideli celebretur, niſi tamen ordinatio ipſa proximè, & immeditè fiat ab Epiſcopo vero, & legitimo Apoſtolorum ſucceſſore, Miniſter ordinatus legitimus eſſe non poteſt. Quod verò interdum Apoſtoli etiam, cum totius Eccleſiæ præſentia, & conſenſu ordinarent Miniſtros, quos poſtea in varias regiones legabant (nam & ille cuius erat laus in Euangelio, ab Eccleſiis ordinatus datus eſt ſocius Paulo) hoc tamen, neque in omnibus, & ſemper factum eſt, neque neceſſarium abſolutè erat, vt miniſter ſufficientiſſimè diceretur ordinatus; vt iam ſatis ex hactenus explicatis habetur exploratum: & ſequ. lib. 3. de eadem re rurſus diſputaturus hoc adhuc melius confirmabo.* Declinent hoc telum ſi poſſunt Lutherani & Caluiniſtæ. Ad calcem non omnino malè explicat teſtimonium Auguſtini de Epiſcopis ad illa verba; *Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij*, de quo iã egimus. Verba Auguſtini, quibus claudendum hoc caput duximus, ſunt; *Genuerunt te Apoſtoli*, inquit, *ipſi miſſi ſunt, ipſi prædicauerunt, ipſi Patres. Sed nunquid nobiſcum corporaliter ſemper eſſe potuerunt? Et ſi vnus ipſorum dixit, Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, multo magis optimum eſt, manere in carne neceſſarium propter vos. Dixit hoc quidem, ſed quamdiu hic manere potuit? Nunquid vſque ad hoc tempus? Nunquid vſque in poſterum? Ergo illorum abſceſſu deſerta eſt Eccleſia? Abſit: Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij. Quid eſt pro Patribus nati ſunt tibi filij? Patres miſſi ſunt Apoſtoli: Pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi, qui ſunt per totum mundum, vnde nati ſunt? Ipſa Eccleſia Patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum. Non ergo te putas deſertam, quia non vides Petrum, quia non vides Paulum, quia non vides illos per quos nata es: de prole tua tibi creuit paternitas. Pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij.*

SPALAT. Num. 59. Bellar. lib. 1. de Cleric. cap. 7. & de Sacram. ord. c. 2. Act. 10. Hieron. in Iſa. c. 58.

2. Cor. 8.

Auguſt. in Pſ. 44.

DISCVSSIO
TERTII CAPITIS
LIBRI SECVNDI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Hieronymus laudatus : nævus de æqualitate Episcopi & Presbyteri obtectus : Audax & improbum Michaëlis Medinæ de Hieronymo iudicium : Episcopos iure diuino superiores esse Presbyteris : Hos in septuaginta duobus discipulis adumbratos, illos in duodecim Apostolis expressos : Quàm longè fuerit Hieronymus à sententia Aërij, & assectarum : vnùs Episcopus initiandi Sacerdotes potestatem asseruisse, quam Aërij sectatores inficiarentur & detraherent : Proponuntur argumenta pro æqualitate Episcopi & Presbyteri : Soluuntur, atque ostenditur, vt nomen Episcopi initio surgentis Ecclesiæ Presbyteris cum Episcopis commune fuerit, rem tamen semper diuersam fuisse, atque omnino præcelluisse Episcopos, quod potissimùm ex collatione capitis secundi Apocalypseos, & vigesimi Actorum demonstratur : Patres aliquot explicati, in his Augustinus : de sententia Hieronymi modestissimum & religiosissimum Baronij iudicium prolixiùs recitatum : De proximo successore Petri num Linus fuerit, numne Clemens, his Epiphanij authoritate dirempta : Doctissimi interpretis ad illum Epiphanij locum eruditissimus Commentarius.

SPALAT. Num. 1.

VT hæc quam proponimus enodetur quæstio, quam Hieronymus nostræ Dalmatiæ, & totius Christi Ecclesiæ decus, & ornamentum fecit celebrem, & cuius nostra tempora, vel maximè solutionem requirunt, ante omnia in Christi Domini actiones sunt mentis nostræ oculi seriò defigendi, vbi ille ministros suos aut colligit, aut instruit, aut mittit. Tum verò diligenter perspiciendum est, quid Apostoli fecerint in aliis ministris sibi adlegendis. Ac demum quid Ecclesia Spiritu Christi recta & gubernata, & ab Apostolis etiam instructa perpetuò in hoc senserit, & inuiolabiliter etiam obseruarit, perquirendum est. Tum verò obiectiones soluendæ, ex hoc enim quintuplici capite, spero quæstionis huius perfectam solutionem emersuram.

ANTIGONVM Macedonum Regem, cùm adumbrandum atque penicillo exprimendum suscepisset eximius pictor Apelles, ne oris dignitati aliquid detraxisse videretur, imaginem eius latere tantùm altero ostendit, vt amissi oculi deformitas lateret. Dignus omnino est Hieron. tum ob præclaras animi dotes, tum ob singularem, adeoque incomparabilem sanctitatem qui simili fauore gaudeat. Efficiendũ igitur vt nævus qui in pulcherrima facie apparet, contegatur; ne præstantissimi viri fama, aut lacereretur, aut lacessatur. Nævus autem is est dogma *de æqualitate Episcoporum & Presbyterorum inter se*, in quo versando, modò in has, modò in illas partes abreptus, non adeo constanter sensit. Sed non erat quod Medina, aut alius quiuis de numero iuniorum Scriptorum ei crimen inferret, aut etiam hæreseos arcesceret, cùm

cùm proculdubio longè fuerit à mente hæreticorum Aërij, & similium, qui sacram Episcoporum potestatem, potestate presbyterorum longè superiorem aut labefactarunt aut depresserunt. Itaque quanquam subiratior Spalatensis Medinam mordet, fauemus tamen Censuræ, & Medinam de Hieronymo audacius & insolentius statuisse, quàm virum bonum & doctum deceret, ingenuè profitemur. Antequam autem aggrediamur ad excutiendam Hieronymi opinionem, est à nobis Catholicum dogma, à quo ferè non recedit toto hoc capite Spalatensis, differendum. Igitur fide Catholica omninò credendum est Episcopum, siue ratione ordinis, siue iurisdictionis respectu, simplici presbytero iure diuino maiorem esse. Hoc post nostros non ineptè colligit Spalatensis ex discrimine quod inter Apostolos, & septuaginta duos discipulos interfuisse, tum Scripturæ tum Patres ostendunt. Namque Apostolos maiores fuisse & dignitate & ordine cæteris discipulis, quod vel ipsorum paucitas ostendit, omnium penè scriptorum authoritas testatur. Quare cùm iudicio magnorum virorum Episcopi in locum Apostolorum successerint, presbyteri verò non nisi Discipulorum dignitatem sint consecuti, proculdubio Episcopi longè dignitate & authoritate illis superiores sunt. Certè vt alios taceam, Hieronymus non vno loco Episcopos Apostolorum vocat successores, & eius sunt hæc ad Marcellam verba. *Apud nos*, inquit, *Apostolorum locum Episcopi tenent*: igitur & dignitate, & potestate eos imitantur. Multa autem oratione vtitur Spalatensis ad hoc discipulorum & Apostolorum discrimen amplificandum, sed quod hæc notiora sint quàm vt longa probatione indigeant pulcherrimo Theophylacti loco contenti effusa subtringemus, pauciſque rem totam absoluemus. Igitur sic Theophylactus ad cap. 10. Lucæ: *Scriptum*, inquit, *est in Exodo, quod filij Israël venerint in Elim, & duodecim fontes aquarum fuerint illic, & septuaginta palmæ. Quod igitur tunc per historiam & in figura factum, nunc verè euenit. Elim ascensus interpretatur: quod nihil aliud vult, quàm quod si non simus cum Iudæis in literalegis permanentes, sed ascendentes in Christianismum ad perfectiorem intelligentiam, & incrementum spirituale, inueniemus duodecim fontes, præcipuos illos duodecim Apostolos dico, qui omnis doctrinæ dulcissimi fontes sunt: Inuenimus item & septuaginta palmas, nimirum spirituale septuaginta discipulos, qui fontes quidem non dicuntur, palmæ tamen sunt, veluti qui ab Apostolis educandi & docendi erant. Nam quamuis Christus illos elegerit, fuerunt tamen inferiores illis duodecim, & discipuli illorum postea ac comites. Palmæ igitur illæ à fontibus, Apostolos dico, educatæ fuerunt. Nobis autem fructum dulcem quodammodo & austerum suppeditarunt.* Attigit hanc allegoriam Hieronymus: [a] *Nec dubium*, inquit, *quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus aquæ deriuatæ totius mundi siccitatem rigant. Iuxta has aquas septuaginta creuerunt palmæ, quas & ipsos secundi ordinis intelligimus præceptores, Luca Euangelista testante, duodecim fuisse Apostolos, & septuaginta discipulos minoris gradus, quos & binos ante se Deus præmittebat.* Sed vt verum fatear fontium & palmarum allegoriam confundit, vimque eius promiscuè in Episcopos & presbyteros confert, sed præponderat hac in disputatione aliorum Patrum authoritas, qui à nostris adeoque à Spalatensi proferuntur. Duo autem imprimis fuerunt quæ eximium virum permouerunt, vt aliquantò magnificentius de presbyteris censeret, quàm eorum dignitas postularet, demissius verò de Episcopis sentiret aut humilius scriberet. Primùm enim, vt ex epistola ad Euagrium colligitur, res

Num. 47. huius lib.

Theophyl. ad cap. 10. Lucæ.

Γέγραπται ἐν τῇ Ἐξόδῳ, ὅτι ἦλθον οἱ υἱοὶ Ισραὴλ εἰς Ελείμ. ἡμεῖς οὖν ἐὰν μὴ μείνωμεν μετὰ Ἰουδαίων, ἡ ἀναβάσεως τελείας φαντασθῶμεν, &c. Εἰ δὲ καὶ Χριστὸς ἑαυτῷ ἐξελέξατο, ἀλλ' οὖν ἀπὸ δώδεκα εἰσὶν οἱ τῆς διδασκαλίας ἡμῖν μαθηταὶ ἀνατολαί· ὅτι σοι ἡ ἐκκλησία χέουσι τὰ ὕδατα· οἱ φοίνικες οὖν οὗτοι, ὑπὸ μὲν τῶν ἀποστόλων λεγόμενοι τράφησαν. ἐκεῖνοι δὲ καρπὸν γλυκὺν ἅμα καὶ στυφνὸν μετρίως ἐχορήγησαν.

[a] Hier. ad Fabiolam de 42. mansionibus.

illi fuit cum insolentissimis diaconis qui Romæ in illo orbis theatro nimio fastu turgentes se presbyteris aut anteferrent, aut anteferri paterentur. Non tulit hanc audaciam sanctissimus Pater, & in presbyteris proculcatam Episcoporum dignitatem, quippe quibus vna excepta ordinatione omnia essent penè communia est conquestus, atque in eo argumento versando potissimùm potestatē consecrandi corporis Christi, qua non secus ac Episcopi gauderent presbyteri, vrgendam existimauit. *Audio quendam*, inquit, *in tantam erupisse vecordiam, vt diaconos presbyteris, id est, Episcopis anteferret. Nam cùm Apostolus perspicuè doceat eosdem esse presbyteros, quos & Episcopos: quis patiatur mensarum & viduarum minister, vt supra eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque Christi conficitur?* Igitur plenis velis in insolentiores illos diaconos inuehitur, nomenque Episcopi ad presbyteros trahit, vt tantæ dignitatis fulgore hostium perstringat oculos, ac veluti fulmine quodam eos percellat; sed hic longè est ab Aërij dogmata, quippe qui ordinandi potestatem presbyteris subtrahat, vnisque Episcopis asserat: *Quid enim*, inquit, *facit excepta ordinatione, Episcopus, quod presbyter non faciat?* Secundùm Hieronymo cum iis Episcopis res fuit, à quorum nonnullis acerbè exceptus sit, potissimùm verò à Ioanne Hierosolymitano, quem constat crudelissimè vexasse ac afflixisse Hieronymum atque Paulinum fratrem, ac omnes omninò eorum fautores. Fortasse huius hominis rabies bilem mouit Hieronymo, eiusque iras acuit, vt doloris plenus in Episcopos intonaret ac fulguraret; & quidem ex commentario ad epistolam ad Titum, apparet omninò stilum conuertisse in illos Episcopos, qui insolenter presbyteris dominarentur, ac vel leuioribus de causis excommunicationis vincula iniicerent, & omnis generis molestias inferrent. Hæc eum tantillum à recto veritatis tramite abduxerunt, sed nusquam in Aërij castra concessit. Is enim Aërius non solùm reliqua omnia, sed etiam ipsam ordinationem presbyteris cum Episcopis voluit esse communem. *Est*, inquit Epiphanius, *illius dogma supra hominis captum furiosum & immane. Imprimis enim quanam, inquit, in re presbytero Episcopus antecellit? Nullum inter vtrumque discrimen est. Est enim amborum vnus ordo, par, & idem honor, ac dignitas. Manus imponit Episcopus: imponit & presbyter: Baptizat Episcopus, idem facit & Presbyter. Diuinum omnem cultum administrat Episcopus: non minus id facit & Presbyter. Episcopus in throno sedet: sedet & Presbyter.* Vides vt ne quidem ordinationem exceperit, sed per omnia pares presbyteros Episcopis fecerit, quod etiam ex Augustino colligitur. *Dicebat*, inquit Augustinus, *etiam presbyteros ab Episcopis nulla differentia debere discerni.* Est igitur furiosum hoc Aërij dogma ab Ecclesia anathemate percussum, damnatum ac profligatum, vt proinde constet de fide omninò esse Episcopos esse iure diuino presbyteris superiores. In quibus verò differant dicetur suo loco, siquidem eam disputationem rursus mouet aduersarius altero capite huius libri. Supereſt igitut vt argumenta quæ in speciem vel Hieronymo, vel etiam diriori hosti Aërio fauere videantur, diluamus. Premamus vestigia Spalatensis: *Primùm*, inquit, *occurrit nobis locus, vbi Paulus & Barnabas segregati iussu Spiritus sancti multas fundarunt Ecclesias, quæ ne sine Pastoribus remanerent, cùm ipsis incumberet onus transcurrendi per ciuitates, & prouincias, & spargendi in nationes Christi Euangelium, Constituebant, inquit Lucas, illis per singulas Ecclesias Presbyteros. At hi Presbyteri qui Ecclesiis singulis præficiebantur, quid aliud sunt nisi Episcopi? 2. Ad sedandam seditionem Antiochenā, quam*

Hier. ep. 85. ad Euag.

Id. ibid.

Epiph. adu. Aërium hær. 56. siue 57.

Ἦν δ' ἀυτῶ ὁ λόγος μανιώδης μᾶλλον, ἢ αἱρετικὸς αἰσχρότητος. καὶ φησι, τί ἔστι Ἐπίσκοπος πρὸς Πρεσβύτερον; ἐν διαφέρει οὐδὲν τὸ τιμὴ γὰρ ἔστι, καὶ ἀξία, φησὶ, καὶ ἡ αὐτὴ ἀξίωμα, &c.

Aug. de Hæresibus.

SPALAT. Num. 20.

Act. 14.

quam commouerant Iudæi conuerſi, circunciſionem, & legalia ſeruanda, eſſe adhuc contendentes, Idem Paulus, & Barnabas legati proficiſcuntur in Hieruſalem. Act. 15.
Ad Apoſtolos & Presbyteros; & ſuper illa quæſtione fit Concilium, in quo non minus Presbyteri quàm etiam Apoſtoli, & locum habent, & ius ſuffragij, & exit reſcriptum ſub eo titulo; Apoſtoli & Presbyteri. Habitis verò Conciliaribus decretis, quid faciebat Paulus? Perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum, & Presbyterorum, ſiue Seniorum. Et cùm pertranſirent ciuitates, tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant Act. 16.
decreta ab Apoſtolis, & Presbyteris, ſeu Senioribus, qui erant Hieroſolymis. Vnicum ergo, & idem corpus conflabatur ex Apoſtolis & Presbyteris; hoc eſt, ex illis omnibus qui erant ad miniſterium aſſumpti. Igitur illi multi Presbyteri qui erant Hieroſolymis, quandoquidem ſimul cum Apoſtolis Synodalia conficiunt decreta, erant plenè Epiſcopi, & ſimul cum Apoſtolis Eccleſiam gubernabant. 3. A Mileto accerſit ad ſe Paulus Presbyteros qui erant Epheſi, habet ad eos concionem, Act. 20.
& inter alia ait; Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos, regere Eccleſiã Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo. Vocauerat Presbyteros, & ſanè plures eiuſdẽ ciuitatis, & eos omnes, non modò nomine vocat Epiſcopos, ſed re ipſa docet ex munere quod ipſis imminebat, eos omnes fuiſſe Epiſcopos, qui regerent Eccleſiam Dei. 4. Corinthiaca Eccleſia ſi vnicum habuiſſet Epiſcopum, & 1. Cor. 1.
plures presbyteros illo Epiſcopo inferiores: dicam melius; ſi Corinthiacæ Eccleſiæ miniſtri, & Rectores, non fuiſſent omnes in poteſtate pares, ſed vnus Epiſcopus, reliqui presbyteri, non pullulaſſent ſchiſmata illa, vt alij dicerent ſe eſſe Apollo, alij Pauli, alij Cephæ: exemplificauit enim in his tribus, ſed proculdubio intelligebat de multis aliis Presbyteris, qui in illa Eccleſia ſpiritualia regebant, quique conſequenter omnes erant Epiſcopi. 5. Scribit Paulus ad Philippenſes; Omnibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconibus, gratia, &c. Cur Philip. 1.
prætermiſit Presbyteros? Quia illi ſunt Epiſcopi. Cur dicit cum Epiſcopis, & ad vnicam ſcribit Eccleſiam, niſi quia omnes Presbyteri erant Epiſcopi? 6. Timotheus ordinatus fuit à Paulo, proculdubio Epiſcopus, Per manus tamen Presbyterij; vbi ſignificantur plures Presbyteri manus Timotheo impoſuiſſe. Presbyteri autem Epi- 1. Tim. 4.
ſcopum non creant, niſi ſint Epiſcopi. 7. Qui benè præſunt Presbyteri, duplici ho- 2. Tim. 1.
nore digni habeantur, loquitur igitur Paulus de Epiſcopis; nam Epiſcoporum eſt præeſſe. Et quia de illis loquitur qui erant Epheſi; Omnes ergo Presbyteri, ſimul cum Timotheo, erant eiuſdem Eccleſiæ Epiſcopi. 8. Titus Presbyteros creat per ciuita- 1. Tim. 5. Tit. 1.
tes Cretæ: quis dubitat illos eſſe Epiſcopos? nonne de his ipſis Presbyteris ſtatim ſubdit Paulus, Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, &c. 9. Petrus alloquitur Presbyteros, & ſeipſum compresbyterum vocat: qui ergo Presbyter Petrus erat, erant & illi. Et dum dicit, Paſcite qui in vobis eſt gregem, agnoſcit Epiſcopos tales, qualis erat ipſe, cui dictum eſt à Chriſto, Paſce oues meas. 10. Ioannes Apoſtolus Se- Ioan. 21.
niorem, hoc eſt, Presbyterum ſe vocat & ipſe. Et in quadam Eccleſia ad quam ſcri- Ioan. ep. 2. & 3.
bit ipſe Ioannes, erant multi Presbyteri, æquè Epiſcopi, in qua tamen Diotrephes Ioan. ep. 3.
ambitioſus, & in ipſum Ioannem procax, Primatum gerere volebat. Nondum igitur erant Epiſcopi ſupra Presbyteros conſtituti. 11. Obedite Præpoſitis veſtris, ait Heb. 13.
Paulus: Non ergo vnus, ſed plures erant eiuſdem Eccleſiæ Rectores. Hæc ex verbo Dei vrget fermè Hieronymus. Ad hæc diſſoluenda obſeruant Cardinales Baronius & Bellarminus, à quibus ſua accepit Spalatenſis, Initio ſurgentis Eccleſiæ

promiſcua fuiſſe vocabula, quibus Preſbyteri & Epiſcopi ſignificarentur, quod etiam aduertere liceat in nominibus *Apoſtoli* & *Diſcipuli*, ſiquidem nonnunquam Apoſtoli quanquam Diſcipulis authoritate ſuperiores, Diſcipuli tamen quoque non raro dicuntur, ac viciſſim Diſcipuli qui ſummo illo honore non potirentur Apoſtoli, ſcilicet laxiore vocabulo nuncupantur. Hanc doctrinam tradunt Chryſoſtomus & Theodoretus à Spalatenſi citati. *Coepiſcopis & Diaconis. Quid hoc?* inquit Chryſoſtomus, *an vnius ciuitatis multi erant Epiſcopi? nequaquam; ſed Presbyteros iſto nomine appellauit. Tunc enim nomina adhuc erant communia; atque ipſe etiam Epiſcopus idcircò ad Timotheum ſcribens inquit, Diaconiam id eſt presbyterium tuum imple, cùm tamen ille Epiſcopus eſſet: Quod conſtat ex verbis illis ad eundem ſcriptis, Manus cito nemini impoſueris. Et rurſus, Quæ data eſt tibi cum impoſitione manuum presbyterij. Presbyteri verò Epiſcopum non ordinaſſent. Et rurſus ad Titum ſcribens, inquit, Huius rei gratia reliqui te Cretæ; vt conſtituas per ciuitates Presbyteros: ſicut & ego diſpoſui tibi, ſi quis ſine crimine eſt; vnius vxoris vir, quæ quidem de Epiſcopo dicit. Atque hæc quum dixiſſet, ſtatim addidit, oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum. Antiquitus igitur, quemadmodum dicebam, ipſi etiam Presbyteri vocabantur Epiſcopi, & Diaconi Chriſti. Quocirca vel hodie multi Epiſcopi ita ſcribunt, compresbytero & condiacono. Procedente verò tempore proprium cuique diſtributum eſt nomen; vt hic quidem Epiſcopus, ille vero Presbyter appelletur.* Theodoreti dictum eſt, *Epiſcopi & Presbyteri, idem nomen, ſed non res.* Non igitur proinde erat idem gradus aut eadem dignitas. Communitatis verò nominis duplicem aſſignant rationem, alteram quod Epiſcopus & Sacerdos ſeu Presbyter in eximia poteſtate conficiendi & conſecrandi corporis Chriſti pares ſint; quem ſenſum maximè vrget Hieronymus epiſtola ad Euagrium; Alteram quod ſub ipſa initia Chriſtianæ religionis vigente charitate Epiſcopi, poſita maieſtate ſui ordinis cum Presbyteris ſuam dignitatem participarent, ac communi eorum conſilio & opera Eccleſias regerent ac gubernarent, quem ſenſum perſequitur Hieronymus in commentario epiſtolæ ad Titum; qui & exiſtimat Epiſcopos presbyterorum, qui conceſſa ſibi poteſtate ad diſſidia cienda abuterentur, inſolentia veluti adactos vt ad ſe vnos Epiſcopalis muneris functiones & actus reuocarent, vnde deſierint eſſe Epiſcopi & Presbyteri nomina communia. His ita explicatis non habent difficilem ſolutionem argumenta. Ad primum enim ſecundum, tertium, quintum, ſextum, ſeptimum, octauum, nonum, vno verbo dici poteſt eſſe quidem nomen cõmune, ſed gradus diſtinctos. Quartum ſpecialem habet dubitationem, vnde orta illa Corinthiorum diuiſio, *Ego ſum Pauli, ego ſum Apollo, ego Cephæ*; ſi ſuperiorem habebant Epiſcopum reliqui Presbyteri, cùm Epiſcopus pro imperio debuerit hæc ſchiſmata depellere. Reſpondet commentarius Ambroſio aſcriptus, nondum fuiſſe Corinthi conſtitutum Epiſcopum, qui ei Eccleſiæ ſummo quodam iure moderaretur, hinc pullulaſſe Schiſmata quibus excidendis neceſſarium omninò fuerit in ea Eccleſia Epiſcopum creare. Sed demus ibi fuiſſe Epiſcopum; In illa nominis & procurationis publicæ communitate (quandoquidem, in conſortium adminiſtrationis Epiſcopos ad miſiſſe Presbyteros ſuprà dicebamus) facilè potuerunt Preſbyteri conceſſo ſibi iure abuti, ac ſe etiam Epiſcopo immorigeros reddere, vt contra eius ſententiam Eccleſiam ſcinderent. In reſponſione ad 10. argumentum

Chryſoſt. in ep. Pauli ad Philip. c. 1. hom. 1. Σωτηρίου ἡ διάκονος. τί δήποτε μικρὰ πάλαι πολλοὶ ὁμοίως ἦσαν ἐπίσκοποι καὶ οὐδαμοῦ, ἀλλὰ τῶν προεστώτων οὕτως ἐκάλουν. τότε γὰρ τίνος ἀκουστέον πρὸ τίμιος ἐπίσκοπος καὶ διάκονος ὁ ἐπίσκοπος ἐλέγετο. διὰ τῶν χρόνων Τιμοθέῳ ἔλεγε, ἡ διακονίαν σου πληροφόρησον, ὁ ἐπίσκοπος ἔστι.

Theod. in ep. ad Phil. init. & in 1. Tim. 3. init.

SPALAT. Num. 36.

mentũ quædam animaduersione digna habet Spalat. Sic enim de Ioanne, *Cùm in Asia multas fundaret Ecclesias, quas ipsemet Episcopaliter regeret, in illis non Episcopos propriè dictos passim ordinabat, sed solùm Presbyteros.* Hæc verò planè falsa sunt, namque ex prioribus Apocalypseos Capitibus omninò apparet singulis Asiæ Ecclesiis, singulos proprij nominis impositos Episcopos, qui eximia præ reliquis Presbyteris authoritate essent, quos propterea Angelos illarum Ecclesiarum vocarit Ioannes, *Angelo*, inquit, *Ephesi Ecclesiæ scribe.* Atque meo quidem iudicio ex collatione huius loci cum altero Actorum, omninò habetur iure diuino esse Episcopum Presbytero superiorem: namque ex capite vigesimo Actorum constat plures fuisse in Ephesina Ecclesia Presbyteros, & tamen hîc describitur eius Ecclesiæ Episcopus, qui ab eximia dignitate Angelus Ephesi nuncupatur. Dicuntur verò etiam illi Ecclesiæ Ephesinæ Presbyteri, Episcopi laxiore scilicet significato & communitate vocis. Quod ad illum Diotrephem attinet de quo Ioannes conqueritur, non desunt qui existiment eum vnum ex Episcopis Asiæ minoris fuisse. Sed quicquid sit de ea re procax homo, ac verè rabula ille fuit, quippe qui magno Euangelistæ insolentissimè obtrectarit.

Spalatensi in respons. ad decimũ. Apoc. 2. Ioan. ep. 3.

Profert Spalatensis nonnullos Patres, quiin speciem fauere videantur contrariæ assertioni; Ignatium, Irenæum, Tertullianum, Origenem, Augustinum, ac demum Hieronymum ipsum, additis ei assecIis Ambrosio & Isidoro. In Ignatio & Origene nihil video quod ad rem faciat. Argumentum verò sic contexit ex Irenæo & Tertulliano. *Irenæus; Cùm autem, inquit, ad eam iterum traditionem, quæ est ab Apostolis, quæ per successiones Presbyterorum in Ecclesiis custoditur, prouocamus eos qui aduersantur traditioni, dicent se non solùm Presbyteris, sed etiam Apostolis existentes sapientiores, sinceram inuenisse veritatem. Presbyteri ergo*, inquit, *sunt apud Irenæum illi, qui succedunt Apostolis; hi verò sunt Episcopi. Idem repetit postea, & ait, Quapropter eis qui in Ecclesia sunt Presbyteris obedire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, sicut ostendimus: qui cũ Episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt. In omnibus ergo Presbyteris vnicum, & eundem ordinem Episcopatus & cognoscit & confundit Irenæus. Tertull. sic loquitur: Quid ergo si Episcopus, si Diaconus, si vidua, &c. Cur*, inquit, *prætermisit Presbyterum, quia Presbyter est Episcopus.* Ad Irenæum respondet. *Episcopos veros, nomine vocare Presbyterorum.* Ad Tertullianum verò *commodum ei fuisse omittere Presbyteros.* Sed tum ex Irenæo, tum ex Tertulliano facilè est etiam ostendere intercessisse semper discrimen inter Episcopum & Presbyterum: & quidem quod ad Irenæum attinet, ex Eusebio & Hieronymo apparet Ecclesiæ Lugdunensis diu Presbyterum fuisse ante scilicet Potini tempora, post verò vita functum Potinum eiusdem Ecclesiæ Episcopum renuntiatum fuisse. *Idem porrò martyres*, inquit Eusebius, [a] *Irenæum, Ecclesiæ Lugdunensis id temporis Presbyterum, per litteras eidem Episcopo Romano scriptas, plurimùm commendabant.* Hoc & Epistola Martyrum testatur; [b] *Quod si*, inquit, *locum & gradum Ecclesiastici ministerij vim & facultatem habere, Iustitiæ cuiquam impertiendæ animaduerteremus, hunc vt Presbyterum Ecclesiæ (hoc namque munus obtinet) in primis tibi commendassemus.* Postea verò, [c] *Cùm*, inquit, *Potinus vitæ suæ cursum ad nonaginta annos per-*

Spalat. Num. 22. Iren. li. 3. adu. hær. cap. 3. Idem lib. 4. ca. 43. Tertull. de præscript. Spalat. Num. 42. [a] Euseb. l. 5. hist. Eccl. cap. 4. Οἱ δ' ἐν τῇ Λουγδούνῳ μάρτυρες ἃ τότε ἐπὶ τῆς ἐν Λουγδούνῳ παροικίας, τῷ τε ἀδελφῷ καὶ ἡμῖν ἐπεσκόπουν τότε ἐν Ῥώμῃ ἐπεσταλκότες συνίστων.

[b] Idem ibid. cap. 4. Εἰ δέ τινα τὸν τόπον καὶ βαθμὸν διακονίας ἐκκλησιαστικῆς ἔφη ἔχειν ἐν ἑαυτῷ ὁ ἀποστολικὸς ἀνὴρ περιθέμενα, &c. [c] Idem ib. c. 5. Πεδυπὸν δὲ τὸ ὅλης, τῆς ζωῆς ἔτεσιν ἐνενήκοντα καὶ πᾶσι ἐν Γαλατίᾳ μαρτυρίοις συναθλήσας Εἰρηναῖος τὸν κατ' Λουγδουνον ἤδη ἐπισκοπῆς, ἀποστολικὸν διαδέχεται.

Digitized by Google

duxiſſet, & vnà cum aliis in Gallia Martyribus è vita migraſſet; Irenæus Eccleſiæ Lugdunenſis Epiſcopatũ, quem Potinus geſſerat, capeſcit. Cõſentit ac ſimilia tradit Hieronymus, *Irenæus*, inquit, *Potini Epiſcopi, qui Lugdunenſem in Gallia regebat Eccleſiam, Presbyter à Martyribus eiuſdem loci, ob quaſdam Eccleſiæ quæſtiones legatus Romam miſſus, honorificas ſuper nomine ſuo ad Eleutherum Epiſcopum perfert literas. Poſtea, iam Potino propè nonagenario ob Chriſtum martyrio coronato, in locum eius ſubſtituitur.* Itaque ad loca à Spalatenſi prolata vno verbo reſponderi poteſt, Irenæum nomen generis nobiliſſimæ ſpeciei κατ' ἐξοχὴν tribuiſſe ac presbyteros proprij nominis Epiſcopos vocaſſe. Cauſam ſi quæras in promptu eſt, de ſucceſſionibus agebat quibus doctrinæ veritas confirmaretur, in quibus ducendis non ſimplicium Presbyterorum, ſed omninò Epiſcoporum ratio haberetur, vt propterea nemini obſcurum haberi poſſit ſermonem illi eſſe de præpoſitis, hoc eſt, de Epiſcopis & Eccleſiæ Antiſtitibus. Quod attinet ad Tertullianum diſcriminis inter Epiſcopum & Presbyterum, non obſcurus eſt aſſertor: ſic enim de baptiſmo; *Dandi quidem*, inquit, *habet ius ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus: Dehinc Presbyteri & Diaconi, non tamen ſine Epiſcopi auctoritate.* Atque ipſe quidem Carthaginenſis Eccleſiæ Presbyter fuit, nec tamen ſe vnquam Epiſcopum pronuntiauit, quod igitur Presbyteri non meminit loco illo de Præſcriptionibus cauſa fuit, quod in Epiſcopo Presbyterum ſatis intelligi arbitraretur, neque verò ordines Eccleſiaſticos enumerandos ſumpſerat, ſed in exemplis Apoſtaſiæ & defectionis à fide verſabatur. Iam Hieronymum inducit in aciem; ſed quod vberius ſit tractanda eius ſententia, in vltimum ordinem eum reiiciemus, ac primùm de Auguſtino & Ambroſio dicemus. *Auguſtinus*, inquit Spalatenſis, *Hieronymo videtur conſentire, ait enim ad ipſum Hieronymum ſcribens. Quanquam ſecundum honorum vocabula, quæ iam Eccleſiæ vſus obtinuit Epiſcopatus Presbyterio maior ſit, tamen in multis rebus Auguſtinus Hieronymo minor eſt.* Reſpondent aliqui in his Cardinalis Bellarminus *Auguſtinum ad ea ſpectaſſe tempora, quæ Euangelium præceſſerant; vt ſit ſenſus, exoriente lege Euangelica vſum obtinuiſſe, vt Presbytero maior eſſet Epiſcopus*; hoc meritò reiicit Spalatenſis, *& planiſſimus ſenſus eſt, ſi de vocabulis tantum Auguſtinum intelligamus. Cùm enim olim promiſcua vocabula eſſent, vſus obtinuit, vt maiores Sacerdotes Epiſcopi, minores verò Presbyteri dicerentur.* Sequitur Ambroſius. *Ambroſius*, inquit Spalatenſis, *& ipſe videtur Hieronymi ſententiæ adſtipulari, dum ſic loquitur; Non per omnia conueniunt ſcripta Apoſtoli ordinationi, quæ nunc in Eccleſia eſt, quia hæc inter ipſa primordia ſunt ſcripta. Nam & Timotheum Epiſcopum à ſe creatum, Presbyterum vocat, quia primi Presbyteri Epiſcopi appellabantur, vt recedente eo, ſequens ei ſuccederet. Denique apud Ægyptum Presbyteri conſignant, ſi præſens non ſit Epiſcopus. Sed quia cœperunt ſequentes Presbyteri indigni inueniri ad primatus tenendos, immutata eſt ratio, proſpiciente concilio, vt non ordo, ſed meritum crearet Epiſcopum, multorum Sacerdotum iudicio conſtitutum, ne indignus temerè vſurparet, & eſſet multis ſcandalum. In Epiſcopo omnes ordines ſunt, quia primus Sacerdos eſt, hoc eſt, Princeps eſt Sacerdotum. Item alibi: Poſt Epiſcopum tamen, inquit, Diaconi ordinationem ſubiicit. Quare? niſi quia Epiſcopi, & Presbyteri vna ordinatio eſt, vterque enim Sacerdos eſt, ſed Epiſcopus primus eſt, vt omnis Epiſcopus Presbyter ſit, non omnis Presbyter Epiſcopus. Hic enim Epiſcopus eſt, qui inter Presbyteros primus eſt. Denique Timotheum Presbyterum ordinatum ſignificat, ſed qui ante ſe alterum non habebat, Epiſcopus erat: vnde*

Hieron. in Catal.

Tertull. li. de bapt. ca. 17.

Spalat. Num. 26.

Aug. apud Hier. ep. 97.

Spalat. Num. 27.

Ambr. in ep. ad Eph. cap. 4.

Ambr. in 1. Tim. c. 3.

vnde & quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit. Neque enim fas erat, aut licebat vt inferior ordinaret maiorem, nemo enim tribuit quod non accepit. Hæc Ambrosius. Omissa responsione Spalatensis, dicimus, in his commentariis apparere quidem nomen Ambrosij, sed vix vestigium subesse eximiæ doctrinæ, aut elegantissimi stili tanti Antistitis. Cæterùm eum est optimè interpretatus Cardinalis Bellarminus: *Auctor*, inquit, *eorum commentariorum loquitur solùm de ratione successionis Episcoporum, ac docet, initio nascentis Ecclesiæ, antiquissimum Presbyterum consueuisse ordinari Episcopum, eoque mortuo succedere solitum, sine alia electione, antiquissimum item Presbyterum: sed non negat author iste primum illum Presbyterum, cùm Episcopo succedebat, debuisse iterum consecrari, & nouam potestatem ac iurisdictionem accipere. Neque semel idem auctor clarissimè docet, multum interesse inter Episcopum, & Presbyterum, nam in eodem commentario capitis 4. ad Ephesios sic ait: In Episcopo omnes ordines sunt, quia primus Sacerdos est, hoc est, Princeps est Sacerdotum. Et in c. 3. prioris ad Timoth. Episcopi, inquit, & Presbyteri vna ordinatio est, vterque enim, Sacerdos est; sed Episcopus primus est: vt omnis Episcopus Presbyter sit, non tamen omnis Presbyter Episcopus; hic enim Episcopus est, qui inter Presbyteros primus est; Denique Timotheum Presbyterum ordinatum significat, sed quia ante se alterum non habebat, Episcopus erat, vnde, & quemadmodum Episcopum ordinet, ostendit: neque enim fas erat, aut licebat, vt inferior ordinaret maiorem; nemo enim tribuit, quod non accepit. Hæc ille. Vbi vides maiorem esse Episcopum Presbytero, & ideo à Presbytero Episcopum ordinari posse, quod Presbyter non habeat Episcopalem ordinationem.* Restat Isidorus, de quo sic Spalatensis. *Isidorus loquens de Presbyteris, ait: His enim sicut Episcopis dispensatio mysteriorum Dei commissa est; præsunt enim Ecclesiæ Christi, & in confectione Dominici corporis, & sanguinis consortes sunt cũ Episcopis. Similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicandi; ac solùm propter authoritatem summo Sacerdoti clericorum ordinatio & consecratio seruata est, ne à multis disciplina Ecclesiæ vindicata concordiam solueret, scandala generaret. Inde verò ingreditur in probationes ex Scripturis à Hieronymo allatis, Presbyteros etiam sub nomine Episcoporum intelligi.*

Lib. 1. de clericis ca. 15.

SPALAT. Num. 28.

Isidor. de Eccl. offic. lib. 2. c. 7. in Concil. Aquisgr. c. 8.

Epiph. li. 3. hæres. 75. Πῶς ἴσως τοῦτο δυνατόν; ἢ μὲ γὰρ ὅτι πατέρων γίνωσκε τάξις. πατέρας γὰρ γίνεσθαι τῆς ἐκκλησίας, ἡ δὲ πατέρας μὲν δυνατὸν γίνεσθαι, διὰ δὲ τοῦτο πλείονος γίνεσθαι τῆς ἐκκλησίας, ἡ μὲν πατέρας, ἡ δὲ διδασκάλους. καὶ πῶς οὖν ἐστὶν ἡ πρεσβύτερον καθίσαι, μὴ ἔχοντα χειροτονίαν ἐπίσκοπον; ἢ πρεσβύτερος ἐπίσκοπον χειροτονῆσαι; ἀλλ' οὐκ ἔστιν ἴσον τῷ ἐπισκόπῳ πρεσβύτερον ἐπίσκοπον χειροτονῆσαι τὸν πρεσβύτερον. Λέγει δὲ αὐτῇ ἱεραρχίᾳ, ὃ ἐστὶν ζῆλος,

Sed Isidorus sartam tectamque seruat Episcopis suam dignitatem, atque eis ordinationes sacras asserit, in quibus vis posita sit & ratio discriminis, quod propriè inter ipsos & Presbyteros intercedit. Qua ratione Epiphanius Aërium refellens, qui parem Presbyteris cum Episcopis tribueret potestatem. *Hoc*, inquit, (scilicet presbyterum esse æqualem Episcopo) *constare quî potest? si quidem Episcoporum ordo ad gignendos patres præcipuè pertinet. Huius enim est Patrum in Ecclesia propagatio. Alter cùm patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros. Quinam verò fieri potest vt is presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habeat? Aut quomodo Presbyter Episcopo dici potest æqualis? Verùm Aërium iustum nimia quædam procacitas æmulatioque decepit.* At verò quoniam mens Isidori à mente Hieronymi, saltem aliqua ex parte pendet, lubet iam ad Hieronymum accedere, ac eius excutere sententiam, quæ ferè huic disputationi occasionem dederit. Religio autem est mihi de summo viro iudicium ferre, ac vt me temeritatis absoluã, censuram hanc magno Annalium parenti relinquo: qui hac de re prolixam & eruditam habet dissertationem; & quanquam quædam sunt à nobis occupata, nihil tamen detrahemus, sed integram eam subiiciemus. Sic igitur ille: *In primis*

Bar.tom.1. Annal.ad an. 58.

monendum eſſe putamus; inconſultè nimis eſſe locutos, ac prorſus hallucinatos, qui hac ex parte Hieronymo aliiſque grauiſſimis Eccleſiæ Catholicæ Patribus adeò temerè Aërianiſmum impingere non ſunt veriti. Aërius enim hæreſiarcha (vt de eo tradit Epiphanius) homo procax, eò quòd non potuerit creari Epiſcopus, ſed Presbyter ſemel ordinatus, ſemper in ea functione permanſerit, dicere non eſt veritus nihil prorſus inter Epiſcopum ac Presbyterum intereſſe. Sed quàm impudenter & impiè cogantur Hieronymus, Ambroſius, Auguſtinus & Ioannes Chryſoſtomus (vt prætermittamus cæteros eadem cum his ſentientes) dictæ hæreſi inuiti licet ac

Epiph.hær. 75.

ſæpiùs reclamantes adſtipulari, apud æquum lectorem iudicium eſto. At videamus primùm quid Aërius diceret: Erat (inquit Epiphanius) ipſi ſermo furioſus magis quàm humanæ conditionis, & dicebat: Quid eſt Epiſcopus ad Presbyterum? nihil differt hic ab illo: vnus enim eſt ordo, & vnus, inquit, honor, & vna dignitas. Imponit manus Epiſcopus, ita etiam Presbyter: lauacrum dat Epiſcopus, ſimiliter & Presbyter: diſpenſationem cultus diuini facit Epiſcopus, & Presbyter ſimiliter: ſedet Epiſcopus in throno, ſedet etiam Presbyter. Hæc de Aërij hæreſi Epiphanius: à qua Hieronymus quantum abhorreat, ſua ipſius ſcripta teſtantur. Ipſe igi-

Hier. ad Euagr. ep. 85.

tur in primis in eadem, quâ ad Euagrium ſcripſit, epiſtola, certè quidem longè maiori dignitate ſublimem, etiam in ſedendo, fuiſſe Epiſcopum, ampliorique auctum officio in manus impoſitione, vt ipſius tantùm & non Presbyteri eſſet id muneris contra Aërij dogma egregiè profitetur: qui de ſede ſublimiori in primis hæc ait: Nam & Alexandriæ à Marco Euangeliſta vſque ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſemper vnum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum, Epiſcopum nominant: quomodo ſi exercitus Imperatorem faciat. De manus verò impoſitione ſic excipit: Quid enim facit excepta ordinatione, Epiſcopus, quod Presbyter

Epiph.hær. 75.

non faciat? At quanta hæc eſt differentia? Audi Epiphanium: Dicere, inquit, ipſum Epiſcopum & Presbyterum æqualem eſſe, quomodo erit poſsibile? Epiſcoporum enim ordo patrum generator eſt; Patres enim generat Eccleſiæ: Presbyterorum verò, non potens generare patres, per lauacri regenerationem generat filios Eccleſiæ, non tamen patres, aut doctores. Et quomodo poſsibile erat, presbyterum conſtituere non habentem manuum impoſitionem ad eligendum, aut dicere ipſum æqualem eſſe Epiſcopo? Hæc ille. Agens item S. Hieronymus contra Luciferianos, conceſſam eſſe etiam eam manus impoſitionem Epiſcopis dicit, negatamque Presbyteris, qua baptizati reciperent Spiritum ſanctum: Ait enim: Non quidem abnuo eſſe Eccleſiarum conſuetudinem, vt ad eos qui longè in minoribus vrbibus per Presbyteros & Diaconos baptizati ſunt, Epiſcopus ad inuocationem ſancti Spiritus manum impoſiturus excurrat: Et paulo poſt: Quod ſi hoc loco quæris, quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi non accipiat Spiritum ſanctum, quem nos aſſerimus in vero baptiſmate tribui? Diſce hanc obſeruationem ex ea auctoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit. Ac denique: Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotij dignitate pendet: cui ſi non exors quædam & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſia efficientur ſchiſmata, quot ſacerdotes. Inde euenit vt ſine chariſmate & Epiſcopi iuſſione, neque Presbyter neque Diaconus ius habeant baptizandi. Huc vſque Hieronymus: qui & in citata ſuperius epiſtola ad

Ad Euagr. ep. 58. in fine ad Nepotianum epiſt. 2.

Euagrium, & ad Nepotianum, ſicut ab Aaron cæteri differebant Sacerdotes, ita in Eccleſia eodem gradu ab Epiſcopis differre Presbyteros, firmiter aſſeuerat. Hæc quidem quantum impugnent Aërium, nemo non videt. Sed quod negaretur Presbyteris, Epiſcopis verò conceſſum eſſet (vt aliam ingrediamur

diſſerere

disserere controuersiam) nunquid hoc post obortа in Ecclesia schismata ortum habuerit, vt Hieronymus his verbis videtur asserere · Quòd posteà vnus electus est qui Hier. in ep. ad Tit. c. 1.
cæteris præponatur, in schismatis remedium factum est; ne vnusquisque ad se trahens, Ecclesiam Christi rumperet: vel cùm alibi ait: Idem Presbyter quod Episcopus: & antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis; Ego sum Pauli, ego Apollo, ego verò Cephæ; communi Presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur: an potius olim ipso initio nascentis Ecclesiæ ante aliquam dissensionem conflatam hæc fuerint ab Apostolis obseruata, diligenter est exquirendum. Qua in re non alium in præsentiarum aduersus Hieronymum valentiorem auctorem, fortioremque testem, quàm ipsum sibi Hieronymum obiicere possumus; qui eodem commentario aduersus Luciferianos conscripto apertè demonstrat, manuum impositionem concessam Episcopis, Presbyteris verò interdictam, non factam esse post exorta schismata in Ecclesia; sed, quod ait: Discе hanc obseruationem ex ea authoritate descendere, quòd post ascensum Domini Spiritus sanctus ad Apostolos descendit. Eaque ratione quantumlibet à Philippo baptizati essent Samaritani, tamen ad imponendam super eos manum, vt acciperent Spiritum sanctum missos esse (vt Acta declarant) Petrum atque Ioannem, quod Apostolorum tantummodò hoc esset Act. 8.
munus. Non ergo post orta schismata, sed statim ipsa prima Ecclesiæ ætate hæc esse seruata, eiusdem Hieronymi testimonio confirmatur. Sed ad hæc insuper, an id ipsum ab hominibus factum sit, an verò institutione diuina fuerit ordinatum; & verum ne sit quod ibidem Hieronymus affirmare videtur, ex Ecclesiæ consuetudine potiùs quàm dispositione diuina fuisse introductũ, vt Presbyteris Episcopi præessent, est accuratius perquirendum: nam hæc ipse ait: Sicut ergo Presbyteri sciunt se ex Hier. in ep. Tit. c. 1.
Ecclesiæ consuetudine ei, qui sibi præpositus fuerit, esse subiectos: ita Episcopi nouerint se magis consuetudine quàm dispositionis Dominicæ veritate Presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere. Hæc Hieronymus. Sed cum iam tertiam hanc aggredimur quæstionem, illud in primis nobis est perquirendum: Nunquid vt Episcopus in Ecclesia præsit, aliunde quàm è diuina institutione manarit. Ac deinde, quid de hac re verè Hieronymus senserit, quove sensu eius sint verba accipienda, simul inspiciendum. Sed præstat vt de his singulis eiusdem Hieronymi rogemus sententiam: vt hac ratione non tantùm veritati consultum sit, sed sensum germanum verborum eius facilius assequentes; ipsum omni ex parte calumnia liberemus. Certè quidem de Episcopatus origine & dignitate quid senserit, non semel suis ipse scriptis testatum reliquit: In eadem in primis epistola ad Euagrium scripta, Hier. ep.
de Episcopis dum loquitur, omnes Apostolorum successores esse confirmat: & ad 85.
Marcellam scribens: Apud nos, inquit, Apostolorum locum Episcopi tenent. Ea- Hier. ep. 54.
dem in Michæam, aliisque in locis: vt ad Heliodorum cùm scribit, & de Episcopis loquitur: Absit, inquit, vt de his quidquam sinistrum loquar, qui Apostolico gradui Hier. c. 2. in Mich.
succedentes Christi corpus sacro ore conficiunt. Si igitur loco Apostolorũ successerunt Idem ep. 1.
Episcopi (quod omnium Orthodoxorũ sententia receptum est) eadem est origo & dignitas Episcopatus, quæ est etiam Apostolatus: nam & hoc in sæculi magistratibus experimur, vt qui in locum alterius suffectus est, idem cum illo dicatur deducere principium & potestatem, quo prædecessor est munere auctus, ac dignitate prælatus. At sicut in confesso est apud omnes, dignitatem Apostolicã esse à Christo Domino institutam, id testantibus Euangelistis, in illam Apostolis succedentes Episcopos, ex eodem planè fonte fluxisse, necessariò affirmandum esse, compertissimum cuique videri potest. Ex his igitur perspicuum redditur, ipso itidem Hieronymo sæpius attestante, Epi-

ſcopalem dignitatem non ab hominibus, vel cuiuſuis occaſionis obortæ conſuetudine, ſed ab ipſo Domino Redemptore omniũ Ieſu Chriſto ipſomet eam inſtituente manaſſe.

Cùm ergo de re ipſa conſtet, non eſſe recens ab Apoſtolis adinuentam, ſed à Domino inſtitutam: de nomine modò erit perueſtigandum, an fuerit recens introductum: ac demum in quem ſenſum ſint Hieronymi verba accipienda. Conſtat quidem diuinarum ſcripturarum teſtimonio, Apoſtolatum nominatum eſſe Epiſcopatum: quod enim erat ſcriptum in Pſalmo: Et Epiſcopatum eius accipiat alter. Hoc ad Iudæ Apoſtolatum referendum eſſe, Petri Apoſtoli teſtificatione ratum habetur, dum in ea corona fratrum ferè centum viginti (vt habent Acta) de ſufficiendo aliquo in locum Iudæ habuit concionem. Si igitur Matthias in Iudæ Epiſcopatum ſubrogatus eſt; planè conſtat, ipſum æquè eſſe dictum Epiſcopum, ſicut Apoſtolum: ſic etiam & cæteros Apoſtolos, quòd vnà eſſet omnium dignitas atque poteſtas, eſſe appellatos Epiſcopos, ac tunc præſertim cùm ipſi alicuius ciuitatis Eccleſiam, in qua functiones Epiſcopales exercerent, gregiſque Dominici curam agerent, adminiſtrandam ſuſciperent. Vnde conſtat, eodem auctore Hieronymo, Iacobum Apoſtolum ſtatim poſt paſsionem Domini eſſe ordinatum Hieroſolymorum Epiſcopum. Tranſit quippe in Eccleſiam cum ſua ſignificatione atque proprietate vox Græca ἐπισκοπὴς: tali enim nomine (vt auctor eſt Suidas) dicebantur inſpectores & cuſtodes, quos Athenienſes in ſuæ ditionis vrbes ad ſtatum rerum cognoſcendum atque inſtituendum mittebant, quorum apud Græcos hiſtoricos frequens mentio eſt: ad quos etiam, ni fallor, alludit Cicero, dum ait: Vult enim me Pompeius eſſe, quem tota hæc Campania & maritima ora habeat Epiſcopum. Hæc ipſe. & S. Auguſtinus de ciuitate Dei, illa Pauli explicans verba: Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Exponere, inquit, voluit; quid ſit Epiſcopatus: quia nomen eſt operis, non honoris: Græcum eſt enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur ſuperintendit, curam eorum ſcilicet gerens: ἐπὶ quippe, ſuper, σκοπὸς verò intentio eſt: ergo ἐπισκοπεῖν, ſi velimus, Latinè ſuperintendere, dicere poſſumus: vt intelligat non ſe eſſe Epiſcopum, qui præeſſe dilexerit non prodeſſe. Hactenus de Epiſcopi nomine in Eccleſia antiquiſsimo.

Pſal. 108.

Act. 1.

Hieron. de ſcript. Eccl. in Iacobo.

Suid. in hiſt.

Cicero ad Attic. l. 7.

Aug. de ciuit. Dei lib. 19. c. 19.

1. Tim. 3.

Cæterùm ſicut Apoſtoli dicti reperiuntur Epiſcopi, ita qui Eccleſiis præficiebantur Epiſcopi, iidem nominabantur Apoſtoli. Sunt de his multa in diuinis ſcripturis exempla. Epaphroditus enim Epiſcopus Eccleſiæ Philippenſium à Paulo Apoſtolus appellatur. Andronicus & collega Iuniæ, eius cognati, eadem ratione nobiles in Apoſtolis fuiſſe dicuntur: de aliis his ſimilibus ad Corinthios ſcribens, eos nominat Apoſtolos Eccleſiarum. Secundùm etiam eandem analogiam, quod & Presbyteri præfecti eſſent fidelium curæ, iidem & Epiſcopi ea ex parte dicti reperiuntur, vt ſuperiùs ex nonnullis Apoſtolicis ſcriptis eſt demonſtratum: vt cùm Paulus ad Philippenſes Eccleſiæ Epiſcopos & alios ſuam inſcripſit epiſtolam: vel cùm alloquens Presbyteros Eccleſiæ Epheſinæ, eoſdem appellat Epiſcopos, & aliis locis ſuperius recitatis. Itemque quòd Epiſcopi ex ſeniorum collegio eligerentur; eoſdem eſſe nominatos Presbyteros, ex hac, de qua agimus, Pauli ad Titum epiſtola patet.

Phil. 2.

Rom. 16.

2. Cor. 8.

Sed quod ſpectat ad nomen Presbyteri: cõmune videtur olim fuiſſe vocabulum tam Apoſtolis, quã cæteris ordinis inferioris ſacerdotibus. De Apoſtolis quidẽ iiſdemque Epiſcopis, ſuperius dictũ eſt pluribus teſtimoniis. Cæterũ re ipſa diſtinctos fuiſſe omnino Presbyteros ab ipſis Apoſtolis, Acta Apoſtolorum ſatis ſuperque declarant, dum in eis legitur: Cùm veniſſent Hieroſolymam, ſuſcepti ſunt ab Eccleſia, & Apoſtolis, & Senioribus. Ac rurſum: Conuenerunt Apoſtoli, & Seniores videre de verbo hoc

Act. 15.

hoc. Ac iterùm: Tunc placuit Apoſtolis, ac ſenioribus cum omni Eccleſia. In litteris item ab Apoſtolis, ex Concilio Hieroſolymitano Antiochiam miſsis hæc habetur inſcriptio: Apoſtoli & ſeniores fratres his qui ſunt Antiochiæ & Syriæ. Eademque iterum aliàs. Porrò quos ſeniores dicit, eoſdem fuiſſe presbyteros, non tantùm nomen, ſed & res ipſa demonſtrat. Cùm enim (quod ſcribit idem Hieronymus in epiſtola ad Euagrium) conſtet inſtitutiones Apoſtolicas ſumptas de veteri teſtamento; & quod Aaron & filij eius atque Leuitæ in templo fuerunt, hoc Epiſcopi, presbyteri & Diaconi eſſent in Eccleſia: ſicut ergo cùm Dominus ſeptuaginta duos delegit Diſcipulos poſt Apoſtolos, formam illam repræſentaſſe viſus eſt, qua Moyſes ſeptuaginta duos iuſſu Domini ſeniores (vt Numeri liber habet) elegit ita etiam dictos ſeptuaginta duos diſcipulos nominatos eſſe ſeniores, itemque presbyteros, ratio perſuadet, quæ Patrum omnium ſententia rata habetur; omnibus affirmantibus, eos quos vocamus presbyteros, illos eſſe, quos numero præſcripto delectos, vſus loquendi diſcipulos nominauit, cum alioqui & Chriſtiani omnes (vt Acta teſtantur) diſcipuli dicerentur. At quemadmodum apud Iudæos etiam Apoſtolorum temporibus priſtina illa vigebat conſuetudo, vt ſeniores vnà cum Principibus Sacerdotum in Concilium conuenirent, ac ſententiam rogati dicerent (quod multis in locis Euangeliſtæ teſtantur) ſic etiam ab Apoſtolis primis illis temporibus eſſe ſeruatum conſtat, vt ſeniores etiam ad concilium admitterentur.

Act.16. Hier.ep.85. Num.11. Luc.10. Act.11. Matth.14. 27.28. Luc.20.22. Act.4.

Cùm igitur quod ad Sacerdotium ſpectat, par eſſet Apoſtolorum eorundemque Epiſcoporum, atque Presbyterorum ordinatio, pariterque iidem cum illis in Concilio conſiderent, cumque communicatio nominum inter eos videretur eſſe communis, dum Epiſcopi Presbyteri, atque hi Epiſcopi dicerentur: Factum eſt (quod ait Hieronymus) vt eo perſeuerante ordine, ante oborta ſchiſmata, communi presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernarentur. Poſteà verò illud euenisſe ſubdit, conſuetudine potiùs quàm diſpoſitione Dominica, in adminiſtrandis rebus Eccleſiaſticis Presbyteros fuiſſe ſubiectos Epiſcopis, quibus ſolis ceſſiſſet illarum cura præcipua: nec presbyteri amplius ad communem conſeſſum, in quo de his quæ ad gubernationem Eccleſiæ pertinent, ageretur, eſſent admiſſi, ſed illi ſoli qui ex Collegio presbyterorum in Epiſcopos eſſent aſſumpti: ſicque factum eſt, vt qui in nonnullis æquales Epiſcopis eſſe viderentur, poſteà illis in omnibus ſubiecti eſſent: ſatiſque ſufficere Presbyteris viſum eſt, ſi ſuis Epiſcopis aſſiderent Conſiliarij in Synodis; quas quiſque eorum in ſuis diœceſibus cogere conſueuerit. Vnde & Ignatius ad Trallianos cùm de presbyteris loquitur: Quid verò Sacerdotium eſt, quàm ſacer cœtus conſiliarij, & aſſeſſoris Epiſcopi? Hoc igitur ſenſu, ne idem ipſe ſibi contrarius ſæpè dicatur, Hieronymi eam accipiendam eſſe ſententiam, qua dicit, non inſtitutione Dominica, ſed conſuetudine factum, vt Epiſcopi ſubiectos haberent Presbyteros, omnes puto facilè intelligere.

Hier. in ep. ad Tit. c.1. Ignat. ad Trall. ep.5.

Sed quando hæc cœpit ſeruari conſuetudo? Certè Apoſtolorum temporibus, quorum etiam eſt authoritate firmata: nam cùm Paulus, ad Timotheum, quem diximus creatum fuiſſe Epiſcopum Epheſinum, ſcribens dicit. Aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi ſub duobus aut tribus teſtibus. Planè ſatis euidenter demonſtrat, Timothei Epheſini Epiſcopi fuiſſe munus, Presbyteros iudicare, ac proinde illis & authoritate ac dignitate præſtitiſſe: Nam quod par in parem imperium non habeat, vulgatum eſt omnibus. Qua ratione etiam in hac ipſa de qua agimus, epiſtola ad Titum, quem diximus Cretenſem fuiſſe Epiſcopum, Paulus ipſum admonet, vt conſtituat per ciuitates Presbyteros, quos ea ratione quam ſuperius dixi-

1. Tim.5.

mus, alibi appellat Episcopos. Ignatius qui Apostolorũ tẽporibus administrabat Ecclesiam Antiochenã, non aliud scripsit, quàm quæ essent ab Apostolis in Ecclesia ordinata: qui dum Hierarchicũ Ecclesiæ Catholicæ ordinem sæpè cõmemorat Presbyteros

Ignat.ep.7. *esse subiectos Episcopis, absque aliqua dubitatione testatur, ac in primis ad Tarsenses hæc dicens: Presbyteri subiecti estote Episcopo, Diaconi Presbyteris, populus Pres-*

Ignat.epist. 11. *byteris & Diaconis. Qui hoc ordinis decorũ seruauerint, pro eorũ animabus libens animam meam commutauero, & Dominus sit cum ipsis perpetuò. Rursus ad Smyrnenses eadem inculcans, hæc ait: Laici Diaconis subiiciantur, diaconi Presbyteris, Presbyteri Episcopo, Episcopus Christo, vt ipse Patri. Hæc ille, vbi & superius Episcopũ appellat Principem Sacerdotũ, nec quidquam maius in Ecclesia Episcopo reperiri, qui & ea distinctione, qua dicit: Omnes Episcopum sequimini, vt Christus Patrem; & Presbyterorum Collegium vt Apostolos. Magnam sanè differentiá vtriusque status & gradus fuisse demonstrat. Idemque in omnibus ferè, quas scribit ad Ecclesias diuersas epistolas, vt Episcopo primùm, inde presbyteris, demum diaconis obe-*

Ignat. ep.5. *diant, admonet; vt cùm sic scribit ad Trallianos: Episcopo subiecti estis, velut Domino. Et paulò pòst: Sed & Presbyteris subiecti estis, vt Christi Apostolis. Ac rursus post multa: Quid aliud est Episcopus, quàm is qui omni principatu & potestate*

Ignat.ep.9. *superior est? & ad Philadelphios: Boni sunt, inquit, Sacerdotes, & sermonis ministri; melior autem est Pontifex, cui credita sunt sancta sanctorum, cui soli commissa sunt secreta Dei. Idem & superius eundem ordinem Hierarchicum explicans, vt Presbyteri Episcopo obediant, admonet. At his quid euidentius dici potest? Ex his quidem satis perspicuè demonstratum est, Episcopos à Domino in Apostolis institutos, Presbyteros itidem esse ab eo in septuaginta duobus discipulis ordinatos; quorum si aliqua ex parte auctoritas in Ecclesiastica administratione videri possit fuisse contracta, id Apostolorum temporibus, & proinde ab ipsis Apostolis esse factum, atque à sanctissimis Patribus, vt Ignatio & cæteris aliis comprobatum: adeo vt nulla prorsus de illapso abusu possit esse calumnia, nec de ablata aut diminuta auctoritate querela. Multa ad hæc etiam ex Patrum sententia & sacrorum Conciliorum decretis addenda fuissent: sed quòd ad historicam veritatem testandam quam profitemur, hæc satis esse putamus; breuitati consulentes, illa libentius prætermittimus.*

En modestissimam, castissimam ac religiosissimam censuram, de qua illud Tertulliani, quanquam in aliam rem dictum pronuntiare possis, excusare cùm accusat, absoluere cùm condemnat: Sed satis de Hieronymo & Hieronymi sententia. Non attingo argumentum quod in se nosque instruit Spalatensis de consecratione Presbyterorum à Corepiscopis tentata, atque à sacris Synodis eis interdicta, tum quod de ea re fusiorem postea simus habituri disputationem, tum quod quid propriè fuerint Corepiscopi non sit assecutus. Errorem suo loco proferemus ac refellemus.

Restat scrupulus de proximo successore Petri, cui nonnulli ex veteribus Pa-

Epiph. li. 1. hæres. 27. Ἐν Ῥώμῃ πρῶτοι ἅπαντες Πέτρος καὶ Παῦλος οἱ ἀπόστολοι ἦσαν καὶ ἐπίσκοποι, εἶτα Λῖνος, οὗ

tribus Linum, alij verò Clementem sufficiunt: sed quod hæc parum ad nostrum institutum faciant, & sint diligentissimè à Cardinali Baronio tractata, operam longam non ponemus in illa serie Pontificum ducenda, sed in vno Epiphanio acquiescemus, etsi eum ne nauci quidem faciat Spalatensis; Magni igitur Epiphanij sententia est. *Romæ*, inquit, *primi omnium Petrus & Paulus Apostoli pariter atque Episcopi fuerunt. Inde Linus; tum Cletus. Post hunc Clemens, Petri & Pauli temporum æqualis, de quo Paulus meminit ad Romanos scribens. Neque vero*

miretur

miretur aliquis quod ante ipſum in Pontificiam dignitatem alij Apoſtolis ſucceſſerint, cùm Petri ac Pauli eſſet æqualis, iiſdem enim ille temporibus vixit. Vtrum illis adhuc ſuperſtitibus impoſitis manibus Epiſcopus à Petro conſecratus, eaque detrectata Prouincia ab omni adminiſtratione vacauerit. (Ita enim in quadam Epiſtola ſcripſit recedo, exeo, inſtet populus Dei. Nonnullis videlicet hoc modo conſulens: nam in quibuſdam Commentariis ita ſcriptum reperimus) an potius ſecundum Apoſtolos ab Epiſcopo Cleto ſit conſtitutus, liquidò non conſtat. Quanquam vel hac quidem ratione poterant viuentibus adhuc Apoſtolis, Petro ſcilicet ac Paulo, Epiſcopi alij ſurrogari; quod ijdem illi prædicandi Euangelij gratia, in alias vrbes regioneſque profectionem ſuſciperent, carere autem Epiſcopo Roma non poſſet, ſiquidem Paulus in Hiſpaniam peruenit. Petrus verò Pontum ac Bithyniam ſæpenumero peragrauit. Ac fieri ſanè potuit, vt primùm Clemente conſtituto cùm is defugeret (ſi ita tamen contigit, quod ego opinando potius quàm aſſeuerando dixerim) poſtea Lino Cletoque mortuus, qui duodecim annorum ſpatio ſingillatim Epiſcopatum obtinuerunt; poſt Apoſtolorum Petri Paulique necem, quæ in annum Neronis XII. incurrit, tum demum Pontificatum capeſcere ſit coactus: ſed vtcumque ſeſe res habuerit, Romanorum Pontificum iſta ſucceſſio eſt. Petrus & Paulus, Linus ac Cletus, Clemens, Euariſtus, Alexander, Xiſtus, Teleſphorus, Euariſtus, Hyginus, Pius, Anicetus, qui eſt à me paulò ante in Epiſcoporum ordine numeratus. Ac nemini ſanè mirum videatur, cur ſingula tanta cum diligentia percurrerim. Per hæc enim perpetuò certa accurataque veritas oſtenditur. Ad hunc locum diſertiſſimus, ac eruditiſſimus interpres ita commentatur. *Romanorum*, inquit, *Pontificum, qui à Petro proximi fuerunt, perobſcura ſeries eſt, varieque ſcriptorum opinione iactata. De qua cùm tam inſignis Epiphanij locus iſte ſit, pauca ad eum ipſum illuſtrandum explicanda videntur. Ac præcipua quidem de Lini, ac Cleti Pontificatu controuerſia naſcitur. Quos plerique non Petri ſucceſſores, nec ordinarios Pontifices, ſed Corepiſcopos extitiſſe putant, ab eoque vice ſua, quo præſertim tempore abeſſet, vrbi præfectos. Alij legitimos, & ordinarios faciunt. Vtriuſque ſententiæ mentionem facit Epiphanius, & vtra verior ſit, incertum relinquit. Priorem ex pſeudo-Damaſo amplectitur Onufrius in Chronico: qui à Petro adhuc ſuperſtite Corepiſcopos duos conſtitutos ait Linum, atque Cletum, anno Pontificatus ſui XIV. Paulo verò antequàm moreretur, eundem Petrum ſucceſſorem ordinaſſe Clementem anno Chriſti LXVIII. Linus porrò eodem anno, quo Petrus paucis menſibus interiectis, nempè IX. Kal. Oct. paſſus eſt. Clemens primus poſt Petrum Romanus Pontifex annos ſedit IX. menſes IV. dies XXVI. Qui cùm Veſpaſiano VII. & Tito V. Coſſ. anno Chriſti LXXVII. mortuus eſſet, ſucceſſorem habuit Cletum; qui Clementis hactenus non collega, ſed adminiſter fuerat. Atque is Pontificatum ſex annis tenuit menſibus V. diebus tribus, cùm Epiſcopus, ac Pontificum miniſter annis antea XX. menſibus V. diebus XII. extitiſſet. Vt in totum annis XXVI. menſibus X. diebus XV. Epiſcopatum geſſerit. Moritur autem anno Chriſti LXXXIV. Domitiano IX. & Virginio Coſſ. Hunc Anacletus excepit. Hæc Onufrius. A quibus veteres plerique præſtantiſſimi ſcriptores, ac recentiores diſſentiunt; quatenus Linum & Cletum, ſiue Anacletum, poſt Petrum legitimos & ordinarios Pontifices numerant, vt Irenæus libro III. capite III. Eu-*

τὸν Κλῆτον, ὃν τὸν Κλήμεντος, συλλειτουργοῦντα αὐτῷ Πέτρῳ καὶ Παύλῳ, οὗ καὶ μνημονεύει Παῦλος ἐν τῇ πρὸς Ρωμαίους ἐπιστολῇ, &c.

Dionyſ. Petauius.

ſebius in Chronic. & in Hiſtoria. Tertullianus, Epiphanius, & alij innumeri. Quibus libenter accedimus. Sed illorum plerique Cletum eundem cum Anacleto faciunt. Quæ omnia rectè in Annalibus, ac diligenter expoſita ſunt. Sed vitioſa eſt ibidem annorum ratio, & biennij ἀιαχρονισμὸς, *vbique commiſſus, de quo ad Hæreſ.* LI. *diſputamus. Quocirca caſtigatam Pontificum Romanorum ſeriem, & ad veros annos redactum hoc loco ſubijciam; eorum duntaxat quos Epiphanius recenſet. Primus igitur Romæ Pontificatum tenuit Petrus; Qui anno Neronis* XIII. *paſſus eſt Capitone, & Rufo Coſſ. qui eſt Iulianus* CXII. *æræ Dionyſianæ* LXVII. *non* LXIX. *vt eſt in Annalibus, aut vt Onufrio placet,* LXVIII. *Hic enim vno duntaxat anno: illi biennio verum tempus anteuertunt. Cuius cauſam ad Hæreſin* LI. *aperiemus.*

Eodem anno Linus ſucceßit, cui annos imputant XI. *menſes* II. *dies* XXIII. *Idemque mortuus eſt anno Dionyſiano* LXXVIII. *Sept.* XXIII. *non, vt alij cenſent,* LXXX.

Tertius Linum Cletus excepit, ſeditque annos XII. *menſes* VII. *dies* II. *Obijt anno Dionyſiano* XCI. *Aprilis* XXVI. *Traiano & Glabrione Coſſ.*

Quartus eſt Clemens, cui anni tribuuntur IX. *menſes* VI. *dies* VI. *Moritur anno Dionyſ. centeſimo,* IX. *Kal. Dec.*

Quintus Romæ præfuit Anacletus annis IX. *menſibus* III. *diebus* X. *Obiit anno* CX. *&c.*

Hæc Doctiſſimus Petauius ex Societate Ieſu: qui plura volet Baronium adeat.

DISCVSSIO

Digitized by Google

DISCVSSIO
QVARTI CAPITIS
LIBRI SECVNDI.
DE SACRAMENTO ORDINIS.

CONSPECTVS CAPITIS.

Spalatenſem in tollendo ordine ſacro de numero Sacramentorum, veſtigia preſſiſſe Caluini ac Lutheri: Caluini inconſtantia: Ordinem ſacrum proprij nominis Sacramẽtum eſſe oſtenditur, ex his quæ ad plenam & perfectam Sacramenti rationem deſiderari videantur: Idem authoritate vetuſtiſſimorum Patrum confirmatur: Soluuntur argumenta Spalatenſis: Quo ſenſu improbos Sacerdotes ſacrificium offerre, non poſſe cenſuerint ex Patribus nonnulli, adeoque conſecranda Euchariſtiæ poteſtatem eis ademerint. Omninò poſſe nec improbitatem miniſterium euertere: Quid de imperitis Sacerdotibus cenſendum ſit: Item de illegitimè ordinatis & initiatis: Potiſſimùm verò de his qui ſacram dignitatem ſint mercati, & ſimoniaca labe ſe polluerint: Item de Hæreticis: Magiſter ſententiarum notatus: Sacramentorum doctrina paulò obſcurior ac reconditior, non modò ordinationis ſacræ, verùm etiam baptiſmi, Euchariſtiæ, &c. Multiplices & variæ tum de materia, tum de forma quæſtiones: Quidam Canonici iuris interpretes notati, tamen excuſati: Diuerſum eſſe characterem Presbyteralem ab Epiſcopali: Sacrum ordinem characterem imprimere: Epiſcopatum depoſcere Presbyteratum, tanquam præparationem neceſſariam: Soluuntur argumenta Spalatenſis: Manuum impoſitionem à Chriſto eſſe: non quamuis tamen manuum impoſitionem Sacramentalem eſſe: Obiter de viduis & virginibus: Immanis error Spalatenſis, aſſerentis Auguſtinum duo tantùm Sacramenta agnouiſſe; contrarium ex eius ſcriptis oſtenditur: Ordinationis vim in Hæreticis Epiſcopis perſeuerare, quamuis gradu exciderint: Loca Patrum pro Sacramento Ordinis à Spalatenſi oppugnata, ſuis præſidiis munita: Synodi Florentina & Tridentina defenſæ: Refelluntur reliquæ obiectiones Spalatenſis: De Diaconatu, verè Sacramentum eſſe: Diaconorum prima inſtitutio quò ſpectarit: Non ſolùm materialibus menſis præpoſitos fuiſſe Diaconos, verùm etiam ſacris miniſteriis deputatos: Baronius defenſus: Item Bellarminus: Rurſus de charactere: Iudicia Patrum de Diaconatu librata: De Subdiaconatu, Sacramentum quoque eſſe: probabilem eſſe ſententiam: De reliquis inferioribus ordinibus: Veterum teſtimonium.

RECTORES & operarios ſanctæ Chriſti Eccleſiæ, poſt Apoſtolos, Epiſcopos fecimus & Presbyteros; docuimuſque ad Presbyteratum, ſiue Epiſcopatum neminem euehi, niſi legitima Eccleſiaſtica ordinatione promoueatur; ab ijs videlicet, qui poteſtatem ad hoc à Chriſto traditam Apoſtolis, legitima pariter ab ipſis Apoſtolis ſucceſſione in Eccleſia ritè exercendam, acceperunt. Ordo ergo ſacer ab Epiſcopis datus, proculdubio legitimum facit Miniſtrum. Sed quomodo hoc ordo ipſe efficiat, quidque in ordinato operetur, reſtat nunc exquirendum. Vt enim verum & indubitatum eſt, neminem in Eccleſia Rectoris, ſeu verbi ac Sacramentorum Miniſtri, habere poſſe dignitatem, cum neceſſaria poteſtate coniunctam, niſi ab habentibus ad hoc authoritatem inſtituatur;

SPALAT. Num. 1.

Supra c. 1. num. 9. 11.

ita inquirendum num ſola efficax miſsio, ſiue vocatio id plenè efficiat; an verò ſit ad hoc externa etiam ordinationum, ſiue conſecrationum cæremonia neceſſaria; adeo vt ſine tali externa cæremonia, ordo effectum ſuum non ſortiatur: & ſit ne talis cæremonia ad ordinem conferendum neceſſaria, neceſsitate vt loquuntur ſcholæ, medij, an tantùm præcepti. In his ergo exactius diſquirendis in hoc capite eſt nobis laborandum.

PRÆCLARE omninò de ſui ſæculi nouis hæreticis Apoſtolicis Bernardus; *Qui Eccleſiam non agnoſcunt*, inquit, *non mirum ſi ordinibus Eccleſiæ detrahunt, ſi inſtituta non recipiunt, ſi Sacramenta contemnunt, ſi mandatis non obediunt.* Itaque haud mirandum eſt Spalatenſem, poſt indictum Eccleſiæ bellum, in eam veniſſe *ſacræ ordinationis* contemptionem ac deſpectionem, vt eam de numero Sacramentorum tollere ſcelerata temeritate contenderit. Premenda ſcilicet ſibi veſtigia Lutheri ac Caluini duxit, qui ſublatam eam ex Eccleſia voluerunt, ac omnibus probris aſperſerunt, quamquam hac in parte benignior eſt Caluinus, qui etſi pleriſque locis duo tantùm agnoſcat Sacramenta, *Baptiſmum* ſcilicet *& Cænam*, tamen & ſcripturæ, & ſanctorum Patrum teſtimoniis manus dare coactus, *Sacram ordinationem* in Sacramentorum numero reponit, ac priorem de duobus Sacramentis doctrinam excuſat: *Quod illis locis Sacramenta tantùm modo ſpectaſſet, ac tradidiſſet quæ omnibus fidelibus eſſent communia.* Quod palinodiam cecinit laudandum, ſed prioris errati rationem futilem reddit; quaſi verò Sacramenti natura in eo poſita ſit, vt ſit commune, & non potius in eo, vt ſit *cæremonia externa à Chriſto inſtituta, habens annexam ſpiritalem promiſsionem*; quæ conſtans eſt etiam ipſius Caluini, & ſectariorum doctrina. Et quidem non ſolùm Sacramenta eſſe oportuit omnibus Chriſti fidelibus communia, ſed etiam par fuit extare in Eccleſia *Sacramentum Ordinis*, certis hominibus addictum, quo qui eſſent initiati publica munia ex officio obirent, inſtituendæ plebi operam nauarent, & aliis Sacramentis perficiendis deſeruirent. Igitur aduerſus Spalatenſem, cum quo nobis nunc res ſit, ſtatuimus *Sacram ordinationem, qua tum Epiſcopi, tum Sacerdotes, tum Diaconi, tum reliqui etiam miniſtri conſecrantur, initiantur ac renunciantur* Epiſcopi, *Sacerdotes, Diaconi, &c. proprij nominis Sacramentum eſſe, non ſecus ac Baptiſmum, ac Euchariſtiam.* Hoc vt ritè probetur aliorum ſunt nobis terenda veſtigia. Rem autem ipſam pro viribus illuſtrabimus. Itaque ex recepta doctrina, & aduerſariorum quoque calculo comprobata, primò oſtendendum eſt quænam ad Sacramentum, verè & propriè conſtituendum deſiderentur, vt his poſitis, num in ſacram ordinationem quadrent, diſſeramus.

Bernar. ſer. 66. in Cant.

Caluin. l. 4. inſt. c. 14. §. 20. & c. 19. §. 31.

Orthodoxorũ ſententia.

Tria igitur requiri ad huius generis Sacramentum conſtituendum omnium & orthodoxorum, & etherodoxorum eſt ſententia; Nimirum *cæremoniam externam* (ritum ac ſymbolum dicunt) *promiſsionem gratiæ*, & *mandatum ſeu inſtitutionem diuinam.* Hæc ergò ſi in ordinatione reperiri oſtenderimus, Sacramentum eſſe proprij nominis probauerimus. Quod attinet igitur primùm ad cæremoniam externam, en illam damus manuum impoſitionem χειροτονίαν, cuius tam crebra eſt in ſcripturis mentio, quemque ab Apoſtolis vſurpatam in Presbyterorum initiationibus, ſacra Apoſtolorum teſtatur hiſtoria; *Ordinantes autem illis Presbyteros per Eccleſiam precati cum ieiunationibus, commendauerunt eos Domino.*

Act. 14. χειροτονήσαντες δὲ αὐτοῖς

Digitized by Google

no. De Paulo & Barnaba iussu Dei ab Antiochena Ecclesia, cum manuum impositione dimissis loquitur; qui & ipsi celebri, iam inde ab initio, in Ecclesia Dei cæremonia, Presbyteros postea sibi quoque initiandos esse duxerint. Confirmatur eadem cæremonia in Presbyterorum & Episcoporum consecratione, illis Pauli ad Timotheum verbis; *Noli negligere gratiam, quæ est in te, quæ data est tibi, per Prophetiam, cum impositione manuum Presbyterij.* Item: *Manum nemini citò imposueris*; *Ac admoneo te, vt ressuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum.* Sed pro ea cæremonia nobis non est acrius pugnandum, cùm propugnatorem habeat ipsum Spalatensem. Addo etiam Caluinum; *Vsitatũ*, inquit Caluinus, *fuit ac solemne Apostolis, Ministros per impositionem manuum ordinare.* Sequitur promissio gratiæ, quæ omnino ad constituendum Sacramentum necessaria est. Hanc vt sacræ ordinationi asseramus, cogunt verba Pauli à nobis superius citata, fit enim in illis apertè mentio gratiæ, quam etiam in sacræ ordinationis ritibus à Deo conferri, constans est omnium antiquorum sententia; quare Tertullianus vetustissimus author, quanquam fortasse næuo hac parte non caret, *Ecclesiæ authoritatem & honorem* proculdubio in Episcopis, & in Sacerdotibus effulgentem, *per ordinis consessum à Deo sanctificari*, asseuerat. Sed longè sincerius Gregorius Nyssenus, de vi consecrationis loquens; *Eadem item*, inquit, *verbi vis, etiam Sacerdotem augustum & honorandum facit, nouitate benedictionis, à communitate vulgi segregatum.* Nihil potuit apertius dici. Similia habet Chrysost. de Sacerdotio. *Sacerdotium ipsum*, inquit, *in terra quidem peragitur, sed in rerum cælestium, classem ordinemque referendum est: Atque id perquam merito; quippè non mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse paracletus ordinem huiusmodi disposuit:* Propterea refert Sozomenus martyrium Nectario, qui eum Diaconum consecrare vellet, cùm eum honorem recusaret dixisse: [a] *Atque tu, ô beate, recens baptizatus, ac purificatus, & mox insuper Sacerdotio auctus es, vtraque autem hæc peccatorum Deus expiatoria esse constituit. Ac proinde, vt mihi quidem videris, tu ab infantibus iam recens natis nihil differs.* Propterea quoque Concilium Chalcedonense anathemate ferit eos, qui pecuniis sacram potestatem mercantur. [b] *Si quis*, inquiunt Patres, *Episcopus per pecunias fecerit ordinationem, & sub pretio redegerit gratiam, quæ non potest vendi, ordinaueritque per pecunias Episcopum, aut Chorepiscopum, aut Presbyterum, aut Diaconum, vel quemlibet ex his qui communerantur in Clero, aut promouerit per pecunias dispensatorem, aut defensorem, vel mansionarium, vel quenquam omnino qui subiectus est regulæ, pro suo turpissimo lucri commodo: is qui hoc attentasse probatus fuerit, proprij gradus periculo subiacebit: & qui ordinatus est, nihil ex hac ordinatione, vel promotione per negotiationem facta, proficiat, sed sit alienus à dignitate, vel sollicitudine, quam pecuniis acquisiuit. Si quis verò mediator, tã turpibus & nefandis datis, vel acceptis extiterit, & ipse, siquidẽ Clericus fuerit, proprio gradu decidat: si verò Laicus, aut Monachus anathematizetur.* Præclarè quoque Ambrosius, de ea re loco infra à nobis exami-

πρεσβυτέριον ἐστὶ ἐκκλησίας σφετερίξαμεν μὴ γνησίων, παρέσχετο αὐτὸν τῷ χειροθεσίᾳ. 1. Ad Tim. c. 4. 1. Tim. 5. 2. Tim. 1.

Caluin. ad c. 4. 1. ep. ad Timoth.

Exhortat. ad Cast. c. 7. Orat. de S. baptismate Christi.

Η αὖτε ἡ τῆς λόγου δυνάμεως, ἡ τὴν ἱερατικὴν σημαίνει καὶ τιμὴν τῇ καινότητι τῆς εὐλογίας, τῆς πρὸς τὸν πλησίον κατιούσης χαρίζεσθαι. Chryst. de Sacer. l. 3.

Η ἱερωσύνη τῆς μὲν ἐπὶ γῆς, τάξιν ἔχει τῶν ἐπουρανίων ἀγγέλων θεσμάτων. ἡ μάλα γε οὐκ ἄπορος. οὐδὲ ἀνθρώπου τινὸς ἀγγέλου, οὐκ ἀρχαγγέλου, οὐκ ἄλλης τινὸς κτίσεως δυνάμεως. ἀλλ' αὐτὸς ὁ παράκλητος τῶνδε διετάξατο ἡ ἀκολουθίαν. [a] Sozom. l. 7. c. 10.

Ο δὴ, ἀλλὰ σὺ ὦ μακάριε ἀπολαβὼν, ἴσθι, ὅτι καὶ τοῖς βαπτίσμασι κε-

κάθαρσαι, καὶ ὅτι τούτῳ ἱερωσύνης ἐξίωσαι. [b] Actione 15. Conc. Chalcedon. Can. 2. Εἴ τις ἐπίσκοπος ὅτι χρήματα χειροτονίαν ποιήσατο, καὶ εἰς τοιοῦτον κατάγων τὸν ἅγιον κλῆρον, ἢ χειροτονήσῃ ὅτι χρήματα ὑπάρξαντα, ἢ χωρεπίσκοπον, ἢ πρεσβύτερον, ἢ διάκονον, ἢ ἕτερόν τινα τῶν ἐν τῷ κλήρῳ καταλεγομένων, ἢ προβάλληται ὅτι χρήματα ἢ οἰκονόμον, ἢ ἔκδικον, ἢ πραιμοτάξειον, ἢ ὅλως τινὰ τῶν κανόνος, δι' αἰσχροκερδείας οἰκείας, ἢ τάττῃ ὑπερχείρισιν, ἐπιζήμιος, περὶ ἣν εἰκὸς κινδυνεύσει βαθμόν. ἡ ὁ χειροτονούμενος μηδὲν ὠφελείσθω ἐκ τῆς κατ' ἐμπορείαν ἀφορμῆς χειροτονίας, ἢ προβολῆς· ἀλλ' ἔστω ἀλλότριος τῆς ἀξίας, ἢ τῆς φροντίσεως, οὗ ἕνεκα ὑπὲρ χρήματα ἔτυχεν. εἰ δέ τις καὶ μεσιτεύων φανείη τοῖς οὕτως αἱρεῖσθαι, καὶ αὐτὸς κινδυνεύσει, καὶ οὗτος, εἰ μὲν κληρικὸς εἴη τὸν οἰκεῖον ἐκπεσεῖται βαθμόν, εἰ δὲ λαϊκὸς, ἢ μοναζων, ἀναθεματισθήσεται.

Ambr.l. de dignitate Sacerdotali cap.6.

nando; *Quis dat frater Episcopalem gratiam? Deus, an homo? Respondes; sine dubio Deus. Sed tamen per hominem dat Deus; homo imponit manus, Deus largitur gratiam, Sacerdos imponit supplicem dextram, & Deus benedicit potenti dextra: Episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem.* Author quæstionum veteris ac noui testamenti; *Quod insufflasse in discipulos Dominus legitur post dies paucos Resurrectionis suæ & dixisse; Accipite Spiritum sanctum, Ecclesiastica potestas collata intelligitur esse. Quia enim omnia in traditione Dominica per Spiritum sanctum aguntur, idcirco cum regula eis, & forma traditur huius disciplinæ dicitur eis, Accipite Spiritum sanctum; Et quia verè ad ius Ecclesiasticum pertinet, statim subiecit, dicens; Cuius tenueritis peccata tenebuntur, & cuius remiseritis, remittuntur eis. Inspiratio ergo hæc gratia quædam est, quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Vnde Apostolus dicit ad Timotheum: Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per impositionem manuum Presbyterij.* Sed vt ad Pauli testimonia reuertamur, certè illo loco; *Noli negligere gratiam, &c.* quanquam Græcè est χάρισμα; tamen de gratia, quam vocant, iustificante, non autem de gratia solùm gratis data, doctiores quique interpretes intelligunt, quo sensu etiam accipitur plerisque aliis locis Epistolarum Pauli. Et certè non malè locum est interpretatus Caluinus, cuius sententia sit his verbis *per Prophetiam*, non significari illi gratiam fuisse collatam, vel ad donum Prophetiæ, aut ad prophetandum, sed per Prophetiam præcedentem, id est secundum Prophetiam, quæ præcessit vt ordinaretur Episcopus. Verba Caluini sunt; *Dicit*, inquit, *gratiam illi datam per Prophetiam; quomodo? quia scilicet Spiritus sanctus oraculo destinauerat Timotheum, vt in ordinem Pastorũ cooptaretur. Neque enim delectus tantùm fuerat hominum iudicio, vt fieri solet, sed præcesserat spiritus nuncupatio. Dicit Apostolis collatam esse cum impositione manuum, quo significat, vna cum ministerio, necessariis etiam dotibus ornatum fuisse.* Hic igitur eam gratiam interpretamur, quæ Timotheo data sit ad probè exequendum Episcopale munus. Hæc autem multa complectitur, de quibus non est hîc dicendi locus. Sufficit per impositionem manuum gratiam conferri, quod ad rationem Sacramenti planè desiderari suprà diximus. Veniamus iam ad *mandatum, seu institutionem diuinam*; Atqui huiusmodi institutio abundè colligitur ex praxi Apostolorum. Quis enim in animum induxerit, eos citra mandatum diuinum, & Spiritus sancti afflatum vsurpasse eam cæremoniam, per quam gratia conferretur, legitimè accedentibus, cuius instituendæ potestatem non haberent? Propterea eleganter Chrysostomus inquit; *Sacerdotium ipsum in terra quidem peragitur, sed in rerum cælestium classem ordinemque referendum est: Atque id per quam merito, quippè non mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse paracletus ordinem huiusmodi disposuit.* Quod verò impositio manuum, qua initiantur Episcopi & Presbyteri, instrumentum sit conferendæ gratiæ, non obscurè colligitur ex verbis Pauli, *Admoneo te, vt ressuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum*; Sicut ergo ex eo quod per baptismum, quasi per causam instrumentariam anima abluitur & infunditur gratia, rectè colligunt omnes baptismum esse Sacramentum, pari ratione omnino bene colligimus *Sacram ordinationem* Sacramentum esse, quippè quæ sua habeat *signa & symbola*, puta materiam *impositionem manuum*, formam verò *verba sacra*, quibus Episcopus ei quem initiat potestatem impertitur ordinis; quorum omnium effectus sit gratia. *Sacramentum* enim

Auth.qu. vet.ac no. Test.l.7. c.10.

Rom. 6. 1.AdCor.7.

Caluin.in Comment. ad c.4.1. ep. ad Timoth.

Chrys.l.3. de Sacerd. vt supra.

2.Tim.1.

nihil

nihil aliud eſt, *quàm ſignum ſenſibile, ſenſibili materia & forma conſtans, quod gratiæ cauſa* (inſtrumentaria ſcilicet) *exiſtit.* Itaque neceſſum eſt fateri ordinationem æquè eſſe Sacramentum, ac Baptiſmum, & Euchariſtiam. Nam quod in Pauli loco quoque eſt χάρισμα, nos mouere non debet, ſignificare enim quodlibet donum, non ſolùm *gratiæ gratis datæ*, ſed etiam *gratum facientis*, ſuprà monuimus, hîc verò ſignificare charitatem, & gratiam iuſtificantem, patet ex ratione & explicatione, quam ſubiicit Apoſtolus ; De ea enim gratia amplius diſſerens, *Non enim*, inquit, *dedit nobis Deus ſpiritum* 2. Tim. 1. *timoris* (Græcè eſt δειλίας timiditatis) *ſed virtutis, dilectionis & ſobrietatis*; Quibus verbis docet, qualis ſit gratia quam in ordinatione ſua Timotheus acceperat, quamque accipiant omnes Epiſcopi, quos deſignat illa particula *Nobis* ; vt ſenſus ſit. Spiritus quem nobis Epiſcopis, & Euangelij legitimis miniſtris dedit Deus, non eſt ſpiritus timoris, ſed ſpiritus virtutis, dilectionis, & ſobrietatis : Ea autem virtus eſt, quam Chriſtus in cœlum remeaturus promiſit ſuis Apoſtolis dicens ; *Sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex* Act. 1. *alto.* Ac rurſum ; *Accipietis virtutem ſuperuenientis in vos Spiritus ſancti*, vt dubitare non debeamus *ſpiritum virtutis, ac fortitudinis*, qui datus ſit Apoſtolis in die Pentecoſtes, cæteris Eccleſiarum miniſtris ac rectoribus, in ſui ordinatione dari. Scio nonnullos interpretes hæc poſtrema Pauli verba de Chriſtianis in vniuerſum, non priuatim de Epiſcopis intellexiſſe ; ſed parum congruit ſcopo Apoſtolico hic intellectus, non enim, ex dono omnibus Chriſtianis communi, docetur quale ſit donum Epiſcopo proprium, quod tamen docendum ſumpſerat Apoſtolus ; quare noſtra ſententia germana cenſeri debet. Eſt igitur à nobis cumulatiſſimè probatum ſacram, ordinationem in numero Sacramentorum proprij nominis reponi debere.

Sed hîc antiquorum Eccleſiæ Patrum ſunt nobis recenſenda teſtimonia. Certè Tertullianus cùm Diabolum æmulatum diuina Sacramenta tradit ; *Pontificatum* in numero reliquorum ponit ; *Diabolo*, inquit, *ſunt partes interuer-* De præſc. *tendi veritatem, ipſas quoque res Sacramentorum diuinorum, in idolorum myſte-* c. 4. *riis æmulatur. Tinguit & ipſe quoſdam, vtique credentes & fideles ſuos : expiationem delictorum de lauacro repromittit, & ſic adhuc initiat Mithræ : ſignat illic in frontibus milites ſuos, celebrat & panis oblationem, & imaginem reſurrectionis inducit, & ſub gladio redimit coronam. Quid ? quod & ſummum Pontificem in vnis nuptiis ſtatuit ?* Rectè enim Pamelius aduertit Sacramenti ordinis meminiſſe Tertullianum, cuius ſummus gradus ſit Pontificatus, ſeu Epiſcopatus, cui præſcribitur ab Apoſtolo Paulo Monogamia his verbis ; *Oportet Epiſcopum vnius vxoris eſſe virum.* Hieronymus quoque dialogo contra Luciferianos, ordinationem cum baptiſmo confert, ac ordinationem datam ab hæreticis validam, ac ratam eſſe probat, quod baptiſmus ab eis collatus pro rato & firmo habeatur ; Sic enim orthodoxus ad Luciferianum de Epiſcopo olim Arriano ; *Oro te, vt, aut ſacrifi-* Hier. Dial. *candi ei licentiam tribuas, cuius baptiſma probas, aut reprobes eius baptiſma,* cont. Lucif. *quem non exiſtimas Sacerdotem ; Neque enim fieri poteſt, vt qui in baptiſmate ſanctus eſt, ſit apud altare peccator.* Argumento eſt igitur exiſtimaſſe Hieronymum ſacram ordinationem æquè Sacramentum eſſe, ac Baptiſmum, quod confirmatur teſtimonio Auguſtini, qui eandem quæſtionem verſans Epiſt. 1. ad Timoth. c. 3.

Auguſt.l.2. cont. ep. Parm.c.13. ad hunc modum loquitur; *Nam illud*, inquit, *quod quidam eorum veritate conuicti dicere cæperant; Baptiſmum quidem non amittit, qui recedit ab Eccleſia, ſed ius tamen dandi amittit, multis modis apparet fruſtra, & inaniter dici. Primò quia nulla oſtenditur cauſa, cur ille qui ipſum baptiſmum amittere non poteſt, ius dandi amittere poſsit.* VTRVMQVE ENIM SACRAMENTVM EST, ET QVADAM CONSECRATIONE VTRVMQVE HOMINI DATVR. *Illud cùm baptizatur, iſtud cùm* ORDINATVR; *ideoque in Catholica, vtrumque non licet iterari.* Eſt illuſtris hic locus Auguſtini, ac tria habet, quæ aduerſariorum dogma planè euertant; Alterum *ordinem eſſe Sacramentum*; Alterum non *minus Sacramentum eſſe, quàm Baptiſmum*, quod etiam ex Hieronymo demonſtrabamus; Poſtremum *hoc omnibus eſſe conſtitutum*; vt communem intelligas hanc fuiſſe, ac receptam in Eccleſia doctrinam. Paſſim idem inculcat contra Donatiſtas; *Sacramentum baptiſmi*, inquit, *eſt, quod habet qui baptizatur, & Sacramentum dandi baptiſmi eſt, quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptizatus, ſi ab vnitate receſſerit, Sacramentum baptiſmi non amittit, ſic etiam ordinatus, ſi ab vnitate receſſerit, Sacramentum dandi baptiſmi non amittit. Nulli enim Sacramento iniuria facienda eſt. Si diſcedit à malis, vtrumque diſcedit; ſi permanet in malis, vtrumque permanet. Sicut ergo acceptatur baptiſmus, quem non potuit amittere, qui ab vnitate diſceſſerat; ſic acceptandus eſt baptiſmus, quem dedit ille qui Sacramentum dandi cùm diſcederet, non amiſerat. Nam ſicut redeuntes, qui priuſquam recederent baptizati ſunt, non rebaptizantur, ita redeuntes, qui priuſquam recederent ordinati ſunt, non vtique rurſus ordinantur: Sed aut adminiſtrant, quod adminiſtrabant, ſi hoc Eccleſiæ vtilitas poſtulat, aut ſi non adminiſtrant, Sacramentum ordinationis ſuæ tamen gerunt, & ideo eis manus inter Laicos non imponitur. Nam neque Sacramentum baptiſmi, neque Sacramentum dandi baptiſmi, quando ab eis cum Maximiano diſceeſſit, Felicianus amiſit. Nunc enim eum ſecum habent cum eis ipſis, quos cùm foris eſſet in Maximiani ſchiſmate baptizauit.* Item de bono coniugali. *Quemadmodum*, inquit, *ſi fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamſi plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis ordinatis* SACRAMENTVM ORDINATIONIS; *etſi aliqua culpa quiſquam ab officio remoueatur, Sacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamuis ad iudicium permanente.* Leo Papa, *Præter authoritatem conſuetudinis*, inquit, *quam ex Apoſtolica nouimus venire doctrina, etiam ſacra Scriptura manifeſtat, quod cùm Apoſtoli Paulum & Barnabam, ex præcepto Spiritus ſancti ad Euangelium gentibus mitterent prædicandum, ieiunantes & orantes, impoſuerunt eis manus; vt intelligamus quanta, & dantium, & accipientium deuotione curandum ſit, ne tantæ benedictionis* SACRAMENTVM *negligenter videatur impletum.* Item in indignè ordinatos; *Quis ergo*, inquit, *diſſimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur iniuriam?* Conſentanea tradit Gregorius ad illud Regum; *Tulit Samuel lenticulam olei. Hoc profecto*, inquit, *hac vnctione exprimitur, quod in ſancta Eccleſia, nunc etiam materialiter exhibetur, quia qui in culmine ponitur, Sacramenta ſuſcipit vnctionis. Quia verò ipſa vnctio Sacramentum eſt, is qui promouetur, bene foris vngitur, ſi intus virtute Sacramenti roboretur, &c. Samuel Saül in Principem vnxit, Deus autem ei cor aliud immutauit, quia*

Aug.l.1.de Bapt. cont. Donat.c.1.

Auguſt.de bono coniugali.

Leo mag. ep. 81. ad Dioſco. Alex.c.1.

Id.ep.87. c.1.

Gregor. magn. ad c.10.lib.1. Reg.

SACRO-

SACRORVM ORDINVM SACRAMENTA, *ab Eccleſiæ doctoribus foris accipimus, ſed Sacramentorum virtute ab omnipotente Deo interius roboramur. Virtus verò Sacramenti gratia eſt ſpiritus ſeptiformis.* Non lubet plura addere, quando his abundè firmatur orthodoxorum ſententia. Videamus iam quibus eam machinis ſubruere, ac euertere moliatur Spalatenſis: Primùm ar- SPALAT. Num. 3. gumentatur ad hunc ferè modum contra nos; *Certè vbi verum eſt*, inquit, *Sacramentum non iterabile, ſed imprimens, vt dicitur characterem, id in quocunque quantumuis fictè, & indignè accedat, ſuum primum & proximum effectum neceſſariò ſortitur; ita vt verè & validè Sacramentum accipiatur, etiamſi res Sacramenti nempè gratia non recipiatur. Et adeo fixè ac immobiliter recipitur ipſum Sacramentum, & conſequenter poteſtas etiam ea validè peragendi, quæ propria ſint illius Sacramenti, vt amitti nulla ratione poſſit; aut effectus talis Sacramenti, quantumcumque illicitè & ſacrilegè is eo vtatur, ſeruatis ſubſtantialibus impediri. Concedunt hoc mihi libenter Scholaſtici omnes, aut ſaltem præcipui, quique quos recentiores ſcholæ protulerunt. Quicumque igitur negabunt in ordine effectum hunc ex opere operato infallibilem, veram veri Sacramenti rationem in eo non agnoſcent. De quo effectu quid ſancti Patres ſentiant, diſquiramus.*

Non eſſe autem huiuſmodi, ſacram ordinationem, hoc eſt non habere SPALAT. infallibilem effectum, probare contendit authoritate Cypriani, cuius hæc Num. 4. ſunt verba; *Sollicitè, inquit, ac religiosè conſiderantes in ordinationibus Sacer-* Cypr. l. 1. ep. 4. *dotum, nonniſi immaculatos & integros Antiſtites eligere debemus, qui dignè & ſanctè ſacrificia Deo offerentes audiri in precibus poſſint, quas faciunt pro plebis dominicæ incolumitate, cùm ſcriptum ſit, Deus peccatorem non audit, ſed ſi quis Deum coluerit, & voluntatem eius fecerit, illum audit. Propter quod plena diligentia, & exploratione ſincera oportet eos ad Sacerdotium deligi, quos à Domino conſtat audiri. Nec ſibi plebs blandiatur, quaſi immunis à contagione eſſe delicti poſſit cum Sacerdote peccatore communicans, & ad iniuſtum atque illicitum præpoſiti ſui Epiſcopatum conſenſum ſuum commodans; cùm per Oſeam Prophetam comminetur, & dicat cenſura diuina: Sacrificia eorum* Oſe. 9. *tanquam panis luctus omnes qui manducant ea contaminabuntur; docens ſcilicet & oſtendens omnes omnino ad peccatum conſtringi, qui fuerint prophani & iniuſti, Sacerdotis ſacrificio contaminati. Quod idem in Numeris manifeſtari inuenimus, quando Chore, & Dathan & Abiron, contra Aaron Sacerdotem ſacrificandi ſibi licentiam vendicauerunt. Illic quoque per Moyſem præcepit Dominus, vt ab eis populus ſeparetur, ne facinoroſis coniunctus eodem facinore, & ipſe perſtringatur. Separamini, inquit, à tabernaculis homi-* Num. 16. *num iſtorum duriſſimorum, & nolite tangere ab omnibus quæ ſunt eis, ne ſimul pereatis in peccato eorum. Propter quod plebs obſequens præceptis dominicis, & Deum metuens à peccatore præpoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi Sacerdotis ſacrificia miſcere. Hæc Cyprianus.*

Si ordo, inquit Spalatenſis, *eſſet Sacramentum verum tale in ſuo genere, qualis* SPALAT. *eſt baptiſmus, vt communiter aſſeritur, Sacerdos etiam indigniſſimus eo initiatus, ſa-* Num. 5. *crificium legitimum & ſanctum conficeret, id enim eſſet effectus Sacramenti ex opere operato. Cur verò panis ab eo conſecratus dicitur à Cypriano Panis luctus? Cur plebs à ſacrificiis huiuſmodi debet abhorrere? Cur ſi iis miſceatur, ſacrilegio dicitur conta-*

minari? Comparatio verò illa Episcopi indigni indignè ordinati cum Chore, Dathan & Abiron, qui fuerunt meri vsurpatores Sacerdotalis officij, & nequaquam Sacerdotes, nonne satis ostendit Cyprianum in ordine opus operatum non agnouisse: Sed audiamus illum rursus de eadem re contra Nouatianum differentem. Episcopatum autem, inquit, tenere non posset, etiamsi Episcopus prius factus à Coepiscoporum suorum corpore, & ab Ecclesiæ vnitate desciscret; cùm Apostolus admoneat, vt inuicem nosmetipsos sustineamus, nec ab vnitate quam Deus constituit recedamus, & dicat; Sustinentes inuicem in dilectione, satis agentes seruare vnitatem spiritus in coniunctione pacis. Qui ergo nec vnitatem spiritus, nec coniunctionem pacis obseruat, & se ab Ecclesiæ vinculo, atque à Sacerdotum collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorem qui Episcopatus, nec vnitatem voluit tenere, nec pacem. Separabilis ergo est, & honor seu dignitas Episcopalis quoad exercitium; & ipsamet potestas quoad ordinem, ab Episcopo etiam legitimè ordinato, si fecerit schisma, & vinculum abruperit charitatis, nec potestatem inquit, potest habere nec honorem; non dicit exercere. Vbinam igitur ordinis character indelebilis? Respondeo Spalat. nihil omnino in hoc Cypriani loco, quo verbosa ista disputatio tota nititur, vidisse. Primùm enim Cyprianus, non inficiatur improbos Antistites, aut Sacerdotes sacrificium offerre, sed *dignè & sanctè* (quantum quidem scilicet est ex parte offerentium) negat offerre; *Nonnisi immaculatos*, inquit, *& integros Antistites eligere debemus, qui* DIGNE' ET SANCTE' *sacrificia Deo offerentes audiri in precibus possunt, quas faciunt pro plebis dominicæ incolumitate.* Idem obseruat Augustinus de baptismo, quem non esse apud hæreticos negabat imprudentius sanctissimus martyr; Cùm enim in vniuersum dixisset, non esse hæreticis concedendum, *ne putarent Ecclesiam quoque, & cætera munera Ecclesiæ iustè & legitimè possidere*; *Non ait*, inquit Augustinus, *putabant se munera Ecclesiæ possidere, sed iustè & legitimè possidere*; *Nos autem baptismum eos, non iustè & legitimè possidere concedimus, non possidere autem, non possumus dicere.* Et quod attinet ad locum Oseæ, memini me legere eodem vsos olim, & Donatistas, & Luciferianos, & hos quidem vt probarent Episcopos, & Sacerdotes ab Arrianis reuersos, omni omnino facultate administrandorum Sacramentorum excidisse, ac propterea Eucharistiam conficere non posse: Verùm nec hos, nec Spalatensem iuuat hic locus Prophetæ, sensus enim verborum Prophetæ est; Auersari Deum sacrificia Iudæorum, qui cùm à vera religione defeciissent, & se cibis Assyriorum polluissent, præterquam quod nulla numinis reuerentia, sed sui ipsius causa, aut vinum libabant, aut panem offerebant. (nimirum vinum libabant, vt largius biberent, panem offerebant, vt suæ gulæ satisfacerent, suamque voluptatem explerent) etiam diis alienis sacrificabant, vt interpretatur Hieronymus. Itaque hoc solùm probat locus ille; Non potuisse v. l. Sacerdotes Iudæorum in Chaldæa agentes acceptum Deo sacrificium offerre, quod in ea absque templo & altari essent, nec Deo, sed Dæmonibus vinum libarent; Addit verò etiam *panem eorum, non esse inferendum in domum Domini*, quæ esset destructa, & Babylonio igne succensa. Hic est germanus, & verus Prophetici oraculi sensus; Sed demus de Sacerdotibus in Hierusalem sacrificantibus esse intelligendum. Non potuerunt certè Deo accepta esse sacrificia eorum, qui & scelerati & schismatici essent, quod tota vis ac energia illorum sacrificiorum à dignitate & deuotione offerentis penderet; At longè alia ratio est Sacerdotum

Cypr. l. 4. ep. 4. post medium.

Ephes. 4.

August. de bapt. contr. Donat. l. 5. c. 7.

nouæ

nouæ legis, qui præterquam quod charactere indebili ſunt inſigniti, quæ ratio Luciferianos iugulat, etiam ſacrificia offerunt, quæ ab impiis polluì non poſſunt, nec probitate offerentis nituntur; quare non potuit locus ille niſi accommodatione, quadam ad illos torqueri, ſcilicet comparatione eorum, quæ in noſtro quoque ſacrificio ex deuotione & ſanctitate offerentis, vim & efficacitatem mutuantur, vt ſunt preces priuatæ, quas nomine ſuo pro populo fundunt, & ipſe vſus ſanctiſſimæ poteſtatis, qui Deo acceptus eſſe non poteſt, cùm ab eo vſurpatur, qui ſit ſceleribus omnino pollutus. Quod verò addit Propheta *ſacrificia eorum, quaſi panis lugentium*, de idolothytis intelligit Hieronymus, quæ ſint *quaſi panis lugentium*, quia *licitum non eſt de ſacrificiis comedere lugentium*: Sed demus rurſus id accipiendum de ſacrificiis, quæ à Sacerdotibus improbis Deo offerrentur; accommodari quoque poteſt comparatio ad noſtros Sacerdotes eo ſenſu, quem perſequitur Cyprianus: Loquitur enim de Epiſcopis ſcilicet Martiale & Baſilide, qui cùm immani ſacrilegij ſcelere ſe implicaſſent, & libellis idololatriæ ſe contaminaſſent, erant ab Eccleſia electi, ac alij legitima ordinatione in eorum locum ſuffecti. Cùm huiuſmodi igitur Apoſtatis gradu ob impietatem motis, non poſſe plebem citra crimen communicare, vrget Cyprianus, quod hoc ſit ad iniuſtum, & illicitum Præpoſiti ſui Epiſcopatum conſenſum ſuum commodare; *Quando*, inquit, *per Oſeæ Prophetam comminetur, & dicat cenſura diuina; Sacrificia eorum, tanquam panis luctus; omnes qui manducant ea contaminabuntur. Docens ſcilicet & oſtendens omnes omnino ad peccatum conſtringi, qui fuerint prophani & iniuſti Sacerdotis ſacrificio contaminati.* Itaque peccare putauit plebem, cùm conſenſum ſuum ad iniuſtum Epiſcopatum commodat, ſecus minimè, qua de re haud dubitamus. At iſta quidem probant obeſſe ſacrificia impiorum, & Sacerdotum improborum, & ab Eccleſia repudiatorum, iis qui cum eis ex animo, & in ſceleris communionem conſpirant, ſed minimè efficiunt non eſſe ſacrificia, quæ ab illis offeruntur: Sanè ſi Baſilides & Martialis ex præſcripto Domini ſacrificium Euchariſtiæ obtuliſſent, cùm eſſent Sacerdotes, corpus Chriſti conſecraſſent, tamen hoc ipſo peccaſſent, quod horrendis ſceleribus contaminati ſacra tractaſſent; peccaſſent quoque qui ſacrificia eorũ probaſſent, & contra prohibitionem Eccleſiæ cum eis cõmunicaſſent. Id ſibi volunt illa Cypriani verba; *Plebs obſequens præceptis Dominicis, & Deũ metuens à peccatore præpoſito ſeparare ſe debet, nec ſe ad ſacrilegi Sacerdotis ſacrificium miſcere* (vides vt ſacrificia ſacrilegi Sacerdotis notet) *quando ipſa maximè habeat poteſtatem, vel eligendi dignos Sacerdotes, vel indignos recuſandi.* Itaque comparatione populi, non planè reiicit ea impiorum ſacrificia, ſed cùm penes populos eſt *poteſtas, vel eos recuſandi, vel dignos eligendi.* Certè Auguſtinus, ait Cyprianum, etiam improbos in Eccleſia Epiſcopos agnouiſſe; *Cyprianus*, inquit, *confitetur ſuis temporibus in Eccleſia, non quales cunque auaros, ſed raptores & fœneratores; nec quoſlibet homines, ſed Epiſcopos.* Igitur vt finem faciamus, ſpectauit Cyprianus, non quid fieri poſſet, ſed quid fieri deberet; quod ex eo patet, quia Cornelij Pontificis de communi etiam omnium Epiſcoporum ſententia decretum vrget quo ad pœnitentiam quidam admittebantur, illi ſcelerati, ſed omni ſpe recuperandæ dignitatis excludebantur.

Cyp. ep 68. ad Clerum & pleb.

Cypr. ibid.

Auguſt. l. 4. cont. Dona. c. 11.

Sed inſtat Spalatenſis; *Comparatio verò illa*, inquit, *Epiſcopi indigni indignè ordinati cum Chore, Dathan & Abiron, qui fuerunt meri vſurpatores Sacerdotalis officij, & nequaquam Sacerdotes, nonne ſatis oſtendit Cyprianum in ordine*

SPALAT. Num. 5.

opus operatum non agnouisse? &c. Respondeo confert illos cum Chore, Dathan & Abiron, quantum ad *sceleris atrocitatem*, non verò quantum ad *muneris potestatem*; Hinc scilicet & Optatus Parmenianum Episcopum Donatistarum, ac sui similes alloquens, illos cum iisdem schismaticis confert; *Dathan & Abiron, & Chore*, inquit, *perditos magistros vestros, sine trepidatione estis imitati.* Et alibi: *Obseruate, ne veniatis ad inferos, & illic inueniatis Chore, Dathan & Abiron, schismaticos magistros scilicet vestros.* Et tamen Optatus Donatistarum sacrificia, quanquam illegitimè administrari ab improbis ministris sciret, esse sacrificia non inficiabatur. *Vobis*, inquit, *schismaticis hæc negari non possunt, quia nobiscum vera & communia Sacramenta traxistis.* Contra Donatistas ipsos à Catholicorum sacrificiis, tanquam à sceleratorum victimis abhorrentes, propterea quod scriptum sit *Sacrificium peccatoris, quasi qui victimat canem*, his verbis corripit. *Taceamus omnes homines. Solus Deus iudicet peccatorem, cuius sacrificium sit Canina victima, & cuius oleum vngi desideranti ingerat metû*; Ac iisdē Donatistis qui nefarios fuisse traditores antesignanos Catholicorū, Cecilianū Macrinū, & alios criminarentur; *Quid nostra*, inquit, *quales fuerint operarij, dūmodo quod operatum est, bonum esse constet? Nam & vinū à peccatoribus operariis, & calcatur, & premitur, & sic inde Deo sacrificiū offertur. Oleum quoque à sordidis, & nonnullis malè viuētibus & immūda loquētibus conficitur; Et tamē in sapore, in lumine, etiā in sancto chrismate simpliciter erogatur.* Proculdubio improbos Sacerdotes sacrificare, ac citra crimen eorum sacrificiis interesse, & cū eis participare plebem fidelem, quæ consensum suum ad eorum improbitatem non commodet, sententia est orthodoxa, quam mille locis aduersus Donatistas propugnat Augustinus; Cuius hoc est Catholicum pronunciatum. *Omnia Sacramenta cùm obsint indignè tractantibus, prosunt tamen per eos dignè sumentibus.* Item; *Qui solo Sacramento sacerdos est, sicut fuit Pontifex Caiphas, persecutor vnius, & verissimi Sacerdotis, quamuis ipse non sit verax, quod dat tamen verum est, si non det suum, sed Dei: sicut de ipso Caipha dictum est. Hoc autem non à se dixit, sed cùm esset Pontifex prophetauit.* Cum Augustino sentiunt, & alij Patres. Chrysostomus; *Hæc dico*, inquit, *non quod indignos ad Sacerdotium assumi probem, sed miserescens, ac lachrymans. Non tamen propterea à subditis iudicandi sunt, etiamsi malè & vitiosè viuant. Tu autem si tibi consules, nihil in his quæ illis à Deo commissa sunt, damni accipies. Nam si asinum loqui fecit, & per vatem benedictiones spirituales largitus est, & in muto ore, & lingua immunda Balaam, propter offendentes Iudæos operatus est; multò magis propter vos fideles, etiamsi praui sint Sacerdotes, Deus omnia per eos perficiet, & mittet Spiritum sanctū: Neque enim pura mens propter propriam puritatem spiritū attrahit, sed gratia omnia operatur.* Et rursus, *Neque futurum esset baptisma, nec corpus Christi, nec oblatio per illos, si vbique dignitatem, ac merita requireret gratia. Nunc autem etiam per indignos Deus solet operari, neque baptismatis gratia quicquam læditur à vita Sacerdotis. Nam qui accipit, minus esset habiturus. Quamobrem etiamsi hæc rarò fiunt, fiunt tamen. Hæc autem dico, ne quisquam ex ijs qui absunt de vita Sacerdotis, curiosè inquirens offendatur in mysteriis quæ peraguntur. Nihil enim affert Sacerdos ad ea quæ sunt proposita, sed vniuersum est opus Dei virtutis, & ille est qui nobis exhibet mysteria.* Isidorus Peluſiota à disciplina Chrysostomi;

Optat. l.1.

Idem l.6.

Idem l.1.

Idem l.4.

Idem li.3.

Augusſt. l.2. cont. Parm. c.10.

Id. cont. lit. Petil. l.2. c.30.

Chryſ. in Ioan. ho.85.

Ταῦτα λέγω, οὐκ ἀποδεχόμενος τὰς αἰτίας τῶν ἱερωσύνων δυσωπούμενος δὲ [καὶ σφόδρα] ἐλεῶν καὶ δακρύων. οὐ μὴν διὰ τοῦτο φαυλότερον ἔσται παρὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος, [κἂν μάλιστα τοιοῦτος ᾖ ὁ ἱερεύς] κἂν ὁ βίος αὐτῶν σφόδρα διαβεβλημένος ᾖ.

Id. in prior. ad Corinth. hom.8.

Οὐκ ἔμελλεν οὖν τὸ βάπτισμα εἶναι, οὐτε σῶμα Χριστοῦ, οὔτε προσφορὰ δι' ἐκείνων, εἰ πανταχοῦ τὴν ἀξίαν ἐζήτει. νυνὶ δὲ διὰ ἀναξίων ἐνεργεῖ ὁ θεὸς ἵνα μὴ τῆς βαπτίσματος ἡ χάρις παρὰ τὸν βίον ἱερέως παραβλάπτηται· ἐπεὶ ἔμελλεν ὁ λαμβάνων ἐλαττοῦσθαι. ὡς ἐπὶ τῶν κακούχων γίνεται τούτων χωρὶς ἐμοῦ. &c.

mi;[a] *Si quis in sceleribus educatus, atque omni sordium ac peccatorum genere compunctus & inustus, Dei aras attingit, ac sancta profanè tractat, ipse quidem pœnas luet: diuinum autem sacrarium improbis ipsius actionibus minimè contaminatur.* Item;[b] *Quid Balaam,* inquit, *illo impurius ac scelestius extitit? Et tamen ipsius lingua Deus ad benedictiones abusus est. Quid rursus Caipha sceleratius? Et tamen vaticinatus est, & gratia linguam quidem ipsius tetigit, at non item mentem tetigit. Quod si quid etiam, quod magis mirandum sit, intelligere cupis, per coruum, hoc est immundam auem, cælipetam illum Heliam pascebat. Quocirca ne dubites quin per flagitiosos quosdam Sacerdotes diuina & natura sublimiora beneficia tribuuntur.* Item,[c] *Nullo detrimento is qui suscipit sacrosancta mysteria, afficitur, etiamsi is qui tribuit, indignus esse videatur, neque incontaminata mysteria conspurcantur, etiamsi Sacerdos omnes mortales improbitate superet. Quod si mihi diffidis, coruum cogita, impurum inquam illud, atque in pullos suos crudele animal, cuius opera ille in cælum excurrens ac cæli ciuis Elias alebatur.* Ambrosius. [d] *Precante Helia ignis est missus, qui sacrificium consecrauit, non merita personarum consideres, sed officia sacerdotum. Et si merita spectes sicut Heliam consideras, Petri quoque merita spectato vel Pauli, qui acceptum nobis à Domino Iesu hoc mysterium tradiderunt.*

[c] Sed ad Cyprianum reuertamur. Alium locum profert Spalatensis, *Audiamus illum rursus,* inquit, *de ea re contra Nouatianum disserentem: Episcopatum autem, inquit, tenere non posset, etiamsi Episcopus prius factus à Coepiscoporum suorum corpore, & ab Ecclesiæ vnitate descisceret, cùm Apostolus admoneat, vt inuicem nosmetipsos sustineamus, nec ab vnitate quam Deus constituit, recedamus; & dicat,* [e] *Sustinentes inuicem in dilectione, satis agentes seruare vnitatem Spiritus in coniunctione pacis. Qui ergo nec vnitatem Spiritus, nec coniunctionem pacis obseruat, & se ab Ecclesiæ vinculo, atque à Sacerdotum Collegio separat, Episcopi nec potestatem potest habere, nec honorẽ, qui Episcopatus nec vnitatem voluit tenere, nec pacem.* Probandum sumpserat verè ac validè, vt loquitur, non conferri Sacramentum ab improbis & sceleratis ministris, neque in iis perseuerare potestatem ea perficiendi, sed planè illa excidere aliquo immani admisso scelere, quæ omnia ad potestatem ordinis spectant, probationem autem ad potestatem iurisdictionis inflectit. Non existimo didicisse eum à Patribus Societatis Iesu has argumentandi formas. Certè Donatistarum est error Episcopos in hæresim lapsos *potestate ordinis* excidere, quem pluribus refellit Augustinus libris de Baptismo contra Donatistas. Quod attinet verò ad *iurisdictionis potestatem*, radicem quidem in charactere qui nullo scelere aut impietate aboleri possit, perseuerare in huiusmodi Episcopis censuit Ecclesia, sed vsum eius ac exercitium planè damnauit, vt proinde irrita essent quæcunque illi in schismate aut hæresi molirentur. Hoc sensu dixit Cyprianus; *Nouatianum*, quem nusquam Episcopi loco habuit, *etiamsi Episcopus antea factus fuisset*, excidisse Episcopatus honore & potestate, semel abrupta vnitate & schismate in Ecclesiam, inuecto. Hoc nos gratis damus; potestatem enim pro vsu potestatis posuit Cyprianus, & nonnisi de potestate Iurisdictionis est loquutus; quanquam Pamelius veluti appendicem putat erroris de baptizandis hæreticis.

Dionysium iam in aciem educit, *Dionysius Areopagita*, inquit, *nihil arbitratus est efficere ordinationem in homine illiterato, & ad docendum inepto, ait enim; Quod si sacerdotum ordo illustrandi vim habet, profecto penitus abhorret à Sacerdotum ordine, atque facultate is, qui illustrandi vi non est praditus, ac multò magis*

[a] Isidor. li. 2. ep. 120. Εἰ τὶς ἁμαρτίαις ἐπίτηδες πᾶσι καταισχύνοις μολυσμοῖς τι καὶ πλύσιμον, δυσσεβείαν ἀπίστου θεοῦ, καὶ χωλεύει αἰάγνως τὰ ἅγια αὐτὸς μὲ ἐκβέβληκρῖμα, τὸ δὲ θεῖον βῆμα ἀκέραιον οὐκ ἐκείνου σφέξειν οὐ καταῤῥυπτει.

[b] Id. lib. 2. ep. 37. Τί γὰρ τῷ Βαλαὰμ χεῖρον μιαφόνοις ἐγένετο; ἀλλ' ὅμως τῇ γλώττῃ αὐτοῦ τὶν εὐλογίας, κατεχρήσατο ὁ θεός. τί δὲ τῷ Καϊάφᾳ; ἀλλ' ὅμως προεφήτευσεν, &c. μὴ τοίνυν ἀμφιβάλλε, εἰ δ' ἐστὶν ἄλλων πτῶν ἀμαρτολῶν. τὰ θεῖα καὶ ἀνέφικτα δίδοται χαρίσματα.

[c] Id. li. 3. ep. 340. Οὐδὲν παραλαμβάνει ὁ δεχόμενος, εἰ καὶ ὁ διδοὺς αἰάξιος εἶναι δοκεῖ, οὐδὲ τὰ ἅγια καθαίνεται μυσταγωγία, εἰ καὶ ὁ ἱερεὺς πάντας αἰσχρότατος ἐν ἱεροῖς τελέσειεν, &c.

[d] Amb. de iis qui myster. init. cap. 5. SPALAT. Num. 5.

[e] Cyp. li. 4. ep. 2. post medium.

[f] Ephes. 4. SPALAT. Num. 6. Areop. ad Demo.

etiam is qui illustratus non est. Ac mihi quidem videtur audax & temerarius, si quis ea sibi sumat quæ sunt propria Sacerdotum, neque metu & pudore à diuinorum tractatione præter captum ac meritum deterreatur; putátque Deum ignorare quæ ipse sibi est conscius, & sperat se decepturum eum qui à se falso nomine appellatur Pater, audètque sceleſtus suas, vt ita dicam maledictiones (neque enim preces dixerim) in diuinis ministeriis Christi imitatione proferre. Non est iste Sacerdos, non est, sed inimicus, fallax, irrisor sui, lupusque in gregem Domini, ouina pelle armatus. Sed facilis est solutio, huiusmodi enim qui sacerdotalibus dotibus careat, negat Dionysius Sacerdotem esse *merito*, vt loquuntur, sed *officio* esse non negat. Imò Demophilũ coarguit quod cùm Monachus esset nulla dignitate Ecclesiastica præditus sacerdotem imperitiæ insimulatum ac maledictis vexatum liminibus sancti sanctorum, hoc est altaris eiecisset; *Esto*, inquit, *sacerdos non sit* (merito scilicet) *qui illustrandi vi non est præditus, &c.* Ἀλλ' οὐ Δημοφίλῳ ταῦτα θεμιτὸν εὐθυώρ; *Non tamen fas est Demophilo hæc corrigere.* Atqui si huiusmodi sacerdos rerum diuinarũ imperitus qui Dionysio est λύκος ὅτι τὸ θεῖον λαὸν τῷ κωδίῳ κεκαθοπλισμένος; *Lupus in gregem Domini ouina pelle armatus*; officio Sacerdos non fuisset, præter dignitatem & ordinem non egisset Demophilus, qui eum sacris arcere tentasset: Hæc clariora sunt, quàm vt maiori luce egeant. Sed instat Spalatensis, *Dionysium huius imperiti Sacerdotis sacra, maledictionem* vocare. Respondeo de precibus ab eo, suo nomine conceptis, loquitur Dionysius, quas maledictiones vocat; si verò de precibus solemnioribus intelligas, spectat illas ex *parte imprecantis*; non *ex sua dignitate*, vel vt loquuntur in scholis *ex opere operantis*, non *ex opere operato.* Addit Spalatensis, *perinde esse hominem illiteratum, hoc est in sacra scriptura, ac necessaria Theologia imperitum in Episcopum consecrare. Atque si quis tentaret non dicam brutum aliquod & stolidum animal, sed mulierem in Episcopali Cathedra collocare. Episcopus enim Apostolorum successoribus dicitur à Domino; Euntes docete; qui verò idoneus non est ad docendum & prædicandum, is Apostolus esse non potest. Et sicut forma hominis veri, qui sit vniuocè homo, est anima rationalis; sine qua, quicunque videatur homo aut mortuus, aut pictus, is homo erit æquiuocè; Et vt ait Aristoteles, Manus non habens vim operandi, manus non est, nisi æquiuocè; ita Episcopus sine doctrina sacra & habilitate ad docendum, Episcopus est dumtaxat æquiuocè. Et hic est sensus Areopagitæ.* Sed hoc vt ita dicam brutum est dogma; & hactenus in Ecclesia inauditum; Vt sit enim sine literis Episcopus, rationis participem habet animum admittendo characteri, & suscipiendæ sacræ potestati idonæum, etiamsi ea ritè defungi præ imperitia non possit, quod de bruto cogitare nonnisi brutis stupidiores possint. Ad eandem stupiditatem accedit, *quod doctrinam Episcopatus animam*, dicit Spalatensis, *qua sublata non magis sit Episcopus, quàm detracta anima rationali, homo est homo:* Doctrina quidem ornamentum est eximium ac singulare sanctissimæ potestatis, eamque perficit, non secus ac pulchritudo, ac venustas iuuentutem, imò, si verum fateri lubet, organum est & instrumentum ei ritè exerendæ planè necessarium, *Oportet enim Episcopum esse doctorem*, & instituendæ plebi sibi creditæ, imprimis aptum, & accommodatum; Sed hæc rerum diuinarum peritia, in dotibus & ornamentis Episcopi, à Diuo Paulo ponitur, vt proinde ad dignitatem accedat & adiungatur, non verò eam efficiat.

Dionys. Areop. Demophil. ep. 8.

Matth. 28.

Arist. 1. Polit. cap. 2.

1. Tim. 3.

SPALAT. Num. 7.

Sed en nobis quoque obiicitur Hieronymus, qui tamen tantoperè dialogo contra

contra Luciferianos noſtram ſententiam propugnat; *Hieronymum*, inquit Spalatenſis, *habemus adſtipulatorem* (quanta hæc eſt dementia!) *qui promotos ad Sacerdotia modis illegitimis nequaquam cenſuit eſſe verè ordinatos, ait enim; Tertium Apoſtolorum genus, quod ab homine non à Deo eſt, cùm hominum fauore & ſtudio aliquis ordinatur, vt nunc videmus plurimos non Dei iudicio, ſed redempto fauore vulgi, in ſacerdotium ſubrogari.* Tuam fidem Spalatenſis! Aſſeritne Hieronymus eos, qui fauore hominum ſacerdotes renunciantur, non verè ordinari? Cenſet quidem à Deo non vocari, ſed ab homine. At hoc non efficit, vt ſacro charactere, non inſigniantur; Namque vt Deus non afflauerit ambienti, ac per nefas ad Sacerdotium anhelanti, tamen non defuit ſacræ ordinationi & manuum impoſitioni, ſed ei ſuffragatus eſt, ac ſuum ſortiri effectum voluit, non vt improbitati faueret, ſed vt præſtituto à ſe ordini ſtaret. Nec abhorret exemplum à natura ductum; Cùm enim Scortum ex infami ac turpi coïtu concipit, infundit Deus ex pacto naturæ animam rationis participem, nec tamen cenſetur ſcortationis author, aut fautor; pari igitur ratione haud aſpirat Deus, ſacram poteſtatem fauore hominum ambienti, cùm tamen legitimo ritu in ſacerdotum collegium allegitur, proculdubio Sacerdotali charactere eum inſignit; nec aliud ſibi voluit Hieronymus: Vrget tamen alium locum Spalatenſis, quo decernat vt, *Qui paſtor ſit eſſe debeat & magiſter; nec in Eccleſiis quamuis ſanctus ſit, Paſtoris ſibi nomen aſſumere, niſi poſſit docere quos paſcit.* Sed quid hæc ad characterem Sacerdotalem, de quo nobis eſt ſermo? Meminiſſe debuit, non omnes in Eccleſia ſacerdotes paſtores eſſe, ac de vnis paſtoribus loqui Hieronymum; Exiſtimat enim in verbis Pauli *alios etiam paſtores & doctores*, vnum eundemque ordinem deſignari; *Nec verò*, inquit, *putandum, quod ſicut in ſuperioribus tribus, alios dixit eſſe Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas; ita & in Paſtoribus & Magiſtris officia diuerſa poſuerit. Non enim, ait, alios autem Paſtores & alios magiſtros, ſed alios Paſtores & Magiſtros, vt qui paſtor eſt eſſe debeat & Magiſter; nec in Eccleſiis quamuis Sanctus ſit, Paſtoris ſibi nomen aſſumere, niſi poſſit docere quos paſcit.* Vult itaque neminem de mente Apoſtoli paſtoris officium ſibi aſſumere debere, qui non ſit eximia & ſingulari doctrina præditus, & qui, vt loquitur Apoſtolus, non ſit *potens exhortari in ſana doctrina, & eos qui contradicunt arguere.* Id nos quoque volumus; Ergo qui non ſunt eximia doctrina præditi, non poſſunt ſacerdotio initiari: quæ eſt iſta cauillandi libido? An ſacerdos protinus paſtor eſt & Magiſter Eccleſiarum, vt loquitur Hieronymus? Sed hoc eſt validius telum ex Hieronymi pharetra depromptum. *Sacerdotes*, inquit Hieronymus, vt refertur à Spalatenſi, *qui Euchariſtiæ ſeruiunt, & ſanguinem Domini populis eius diuidunt, impiè agunt in legem Chriſti, putantes Euchariſtiam imprecantis facere verba, non vitam: & neceſſariam eſſe tantùm ſolemnem orationem, & non Sacerdotum merita, de quibus dicitur, & Sacerdos, in quo fuerit macula, non accedet offerre oblationes Domino.* Ergo ne Hieronymus iam Luciferianus factus eſt? Obiecerat multa Scripturæ loca Luciferianus, vt probaret ſceleratum Sacerdotem, Euchariſtiam offerre non poſſe, ac totum argumentum hoc epiphonemate concluſerat; *Ex quibus oſtenditur vos* (orthodoxos) *per modicum fermentum totam Eccleſiæ maſſam corrupiſſe, & de eius manu hodie Euchariſtiam accipere, quem heri quaſi idololatram reſpuebatis.* Orthodoxus qui proculdubio Hieronymus eſt, ad hæc reſpondet. *Oro te vt aut ei ſacrificandi licentiam tribuas, cuius baptiſma probas, aut reprobes eius baptiſma, quem non exi-*

Hier. in ep. ad Gal. c. 1.

Idem Hier. in ep. ad Epheſ. c. 4.

In ca. 4. ep. ad Epheſ.

Ep. ad Tit. cap. 1.

Idem Hier. in Sophon. cap. 3.

Leuit. 21.

Hier. ad u. Lucifer.

Digitized by Google

ſtimas Sacerdotem, neque enim fieri poteſt, vt qui in baptiſmate ſanctus eſt, ſit apud altare peccator. Quanquam ſunt hæc pro Epiſcopis ab Arianis reuerſis dicta, probant tamen omnino Euchariſtiam à ſcelerato Sacerdote confici poſſe; quid igitur iam ſibi vult Hieronymus ad caput tertium Sophoniæ? Ludit in Euchariſtiæ verbo, & oſtendit *qui Euchariſtiæ deſeruiunt* (hoc eſt ſacerdotes qui ſacro ore, vt ipſe loquitur, corpus Domini conficiunt) impiè in legem Chriſti agere, qui putent Euchariſtiam, id eſt totam illam gratiarum actionem, quæ in ſacris myſteriis adhibetur ſola verborum ſolemnium recitatione perfici, cùm hæc eſſe rentem lingua, manu, vita denique tota ſolis radio deceat eſſe puriorem: Aliam ſolutionem adhibet doctor Sanctus, ſed in noſtram planè recidit. *Sacro ſancta religio*, inquit, *quæ Catholicam continet diſciplinam, tantam ſibi reuerentiam vendicat, vt ad eam quilibet (niſi pura conſcientia) non audeat peruenire. Ex quo manifeſtè apparet Hieronymi intentionem eſſe, quod peccator ſacerdos non debet ad hoc Sacramentum accedere; Vnde per hoc quod ſubdit, quomodo Cœleſtis Spiritus inuocatus adueniet, intelligi oportet, quod non aduenit ex merito ſacerdotis, ſed ex virtute Chriſti, cuius verba profert ſacerdos.*

Ep. ad Euag. & alibi paſſim.

D. Tho. 3. p. q. 82. art. 5. ad 2.

Audiamus alios: *Non multùm diſcedit à Hieronymo Gelaſius ita ſcribens*, inquit Spalatenſis, *Sacro ſancta Religio quæ Catholicam continet diſciplinam tantam ſibi reuerentiam vendicat, vt ad eam quilibet, niſi pura conſcientia, non audeat peruenire. Nam quomodo ad diuini myſterij conſecrationem cœleſtis Spiritus inuocatus adueniet, ſi ſacerdos & qui eum adeſſe deprecatur, criminoſis plenus actionibus reprobetur?* Addit verò, *Quæ verba Gelaſij Aquinas, vt Gratianus ſuperiora Hieronymi diſtorquet, dicta eſſe contra eos ſacerdotes qui ſe ritè & dignè Euchariſtiam conſecrare putant, ex eo quod ſint ſacerdotes, tametſi peccatorum ſordibus immundi ſint.* Immeritò Aquinatem hac contumelia onerat, nec enim hanc ſolutionem adhibet verſans locum Gelaſij, ſed in explicatione Hieronymi: Ad Gelaſium verò ſic reſpondet, *Spiritum ſanctum non aduenire ex merito ſacerdotis, ſed ex virtute Chriſti, cuius verba profert Sacerdos.* Hæc autem perpetua eſt & conſtans Auguſtini doctrina, quam omnibus libris aduerſus Donatiſtas ſcriptis tradit ac illuſtrat. Et tamen Auguſtinum (ſed laruatum illum ac perſonatum) etiam pro ſua ſententia profert. *Auguſtinus quoque*, inquit, *totidem verbis cum Hieronymo 4. Apoſtolorum genera ponit: A Deo non per hominem vt Moyſes; A Deo per hominem vt Ieſus Naue: Per hominem tantùm vt multi fauore vulgi in Sacerdotium ſubrogantur; Ex ſe vt pſeudo-Prophetæ. Quæritque quomodo ſcire poſſumus qui mittatur à Deo: Et reſpondet; Illum cognoſce miſſum à Deo, quem non paucorum hominum laudatio, vel potius adulatio eligit; ſed illum quem & vita & mores optimi & Apoſtolicorum actio commendat Sacerdotum.* Auguſtinus, mi homo, huius dialogi author non eſt, quod te Eraſmus docuiſſe potuit; Sed hæc tua fraus eſt: Cùm enim videres Auguſtinum totum eſſe in noſtra ſententia propugnanda aduerſum Donatiſtas, exiſtimaſti fucum imperitis faciendum & laruam pro Auguſtino inducendam: Non nos iſtæ tuæ laruæ terrent, vt tamen reſponſi aliquid accipias, quando quidem te iudice totidem verbis cum Hieronymo loquitur hic author, in ſolutione ad Hieronymi locum data acquieſcimus. Veniamus ad Leonem. *Nulla*, inquit, *ratio ſinit, vt inter Epiſcopos habeantur, qui nec à clericis ſunt electi, nec à plebibus expetiti.* Addendum fuit, *nec à Prouincialibus Epiſcopis cum Metropolitano iudicio conſecrati*, quod habet Leo, & tu haud bona fide prætermiſiſti: *Quod ſi tamen quis contra iſta iura conſecretur,*

1. q. 1. c. ſacroſancta.

Spalat. Num. 7.

Aug. Dial. q. 65. q. 64.

Ibid. q. 65.

Leo ep. 95. 1. par. 2.

ſecretur, inquit Spalatenſis, *ſubiungit idem Leo, quis ambigat non eſſe eis tribuendum quod non docetur eis fuiſſe collatum? Itaque Leo promotos contra Canones ordinem cenſuit non recipere. Non eſt igitur Sacramentum.* Metit vbi non ſeminauit Spalatenſis. De dubiis ac incertis ordinationibus loquitur magnus Leo, atque vult eum quem minimè conſtet ad amuſſim diſciplinæ Eccleſiaſticæ Epiſcopum renunciatum à Coepiſcopis pro Epiſcopo haberi non poſſe; Vult verò defertor eum cenſuiſſe non eſſe ratam ordinationem eius, quem nec plebs poſtulaſſet, nec clerus elegiſſet, etiamſi ordinatus eſſet; Itaque Leonis teſtimonio abutitur.

Iam alium callem inſiſtit, ac *Simoniacè ordinatos nihil recipere* vrget. Primùm teſtimonio Gregorij, *Gregorius*, inquit, *ſimoniacè ordinatos, nihil recipere docuit. Quicunque, inquit, Sacerdotium ſtudet precij datione mercari, non officium, ſed nomen attendit: non eſſe, ſed dici tantùm ſacerdos concupiſcit.* Eſt hæc eius ſumma oſcitantia non aduertiſſe Gregorium, neutiquam aſſeuerare eum qui pecunia ſacrum ordinem mercatus ſit, nihil recipere, vt aſſumit, ſed tantùm ſceleratam mentem & impium votum malis iſtis artibus ad ſacerdotium cõtendentis damnare: *Quicunque, inquit, Sacerdotium ſtudet precij datione mercari, non officium, ſed nomen attendit, non eſſe, ſed dici tantùm Sacerdos concupiſcit.* An vel ſyllaba in his verbis eſt, ex qua colligi poſſit non eſſe validam ordinationem pecunia comparatam? Germanus itaque ſenſus magni Pontificis eſt, hoc vnum propoſitum eſſe ſceleratò illi vt dignitate & honore Sacerdotij potiatur; nec ſollicitum eſſe de tanto munere dignè præſtando & obeundo; quod tamen à vero ſacerdote qui non dici, ſed eſſe miniſter Dei velit, planè exigatur. Omnino autem cenſuiſſe Gregorium, etiam Simoniacè ordinatos, vere ordinatos eſſe ex innumeris aliis eius epiſtolarum locis colligitur; Sic enim ad Brunichildam Reginam Francorum: *Omnino execrabile & eſſe grauiſſimum deteſtamur, quod ſacri illic ordines per ſimoniacam hæreſim, quæ prima contra Eccleſiam orta & diſtricta maledictione damnata eſt, conferantur. Hinc ergo agitur, vt ſacerdotij dignitas in deſpectu, & ſanctus ſit honor in crimine. Perit vtique reuerentia, adimitur diſciplina: quia qui culpas debuit emendare, committit; & nefaria ambitione, honorabilis ſacerdotij ducitur in deprauatione cenſura. Nam quis denuò veneretur quod venditur, aut quis non vile putet eſſe quod emitur? Vnde valdè contriſtor & terræ illi condoleo, quia dum ſanctum Spiritum quem per manus impoſitionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, diuinò munere habere deſpiciunt, ſed præmiis aſſequuntur.* Vides igitur ſacros ordines etiam per ſimoniacam hæreſim conferri, & Simoniacos etiam præmiis aſſequi Spiritum ſanctum, quod negat aduerſarius. Hîc autem Spiritum ſanctum de gratia gratum faciente ne acceperis, ſed de charactere altero Sacramenti effectu. Rurſus Epiſtola ad Iſicium Hieroſolymum Epiſcopum: *Quare verò peruenit*, inquit, *ad nos in Orientis Eccleſiis nullum ad ſacrum ordinem, niſi ad præmiorum dationem peruenire: Si ita eſſe veſtra fraternitas agnoſcit, hanc primam oblationem omni potenti Deo offerat, vt à ſubditis ſibi Eccleſiis errorem ſimoniacæ hereſeos compeſcat. Nam vt alia taceam, quales eſſe in ſacris ordinibus poterunt, qui ad hos non merito, ſed præmio prouehuntur.* Vides rurſus ad ſacrum ordinem, *etiam ex præmiorum datione perueniri, & in ſacris ordinibus eſſe*, qui ſacris ordinibus non benè vtantur. Item epiſtola ad Clotharium Francorum Regem, *Peruenit ad nos*, inquit, *quod ſacri illic ordines cum datione pecuniæ conferantur; & vehementer affligimur, ſi ad Dei dona non meritis accedi-*

SPALAT. Num. 8.

Greg. l. 7. epiſt. 110.

Greg. l. 7. ep. 112. nouæ edit. Concil.

Greg. l. 7. indict. 2. ep. 113.

Vide Greg. lib. 2. ep 32. vt refertur à Magiſtro ſentent. 4. ſer. diſt. 24.

Idem lib. 9. ep. 40.

Idem lib. 9. ep. 55.

tur, ſed præmiis proſilitur. Itaque Gregorium non legerat, cùm eum falſæ ſententiæ propugnatorem induceret aduerſarius. Ad Ambroſiũ confugit. *Ambroſius*, inquit, *Ergo, inquit, gratiam cùm ordinaueris non ſuſcepiſti, quia gratuito eam non meruiſti: Et ideo frater ſi gratiam non accepiſti, quomodo Epiſcopus eſſe potuiſti? Aurum dans perdidiſti, & gratiam ſanctam non acquiſiſti.* Reſpondeo altius repetendum locum Ambroſij. Verba eius ſunt in modum dialogi contexta. *Interrogo tamen fratrem & Coepiſcopum noſtrũ, quia & ego Epiſcopus ſum, & cum Epiſcopo loquor, Dic ergo mihi pauliſper frater Epiſcope, cùm dares pecuniam quid accepiſti? Gratiam Epiſcopalem accepi: Ergo interrogo te, hæc gratia cur tali vocabulo nuncupatur? Reſpondet, cur inquis? vt reor pro eo quod gratis datur, ideo gratia vocitatur. Ergo ſi gratia gratis datur, & auro non æſtimatur à te, cur gratia pecuniis comparatur? Reſpondet, Non, inquit, mihi daretur, ſi pecuniis non emeretur; Nec Epiſcopus fuiſſem ordinatus, ſi pecunias non dediſſem. Ergo vt apparet ex reſponſionibus tuis, gratiam cùm ordinareris, non ſuſcepiſti, quia gratuito eam non meruiſti. Et ideo frater ſi gratiam non accepiſti, quomodo Epiſcopus effici potuiſti? Nam & ad Diſcipulos ſuos Dominus dicit, Gratis accepiſtis, gratis date; Cur ergo gratuitam æſtimaſti te pretio poſſidere gratiam? Nam vt video, aurum dans perdidiſti, & gratiam ſanctam non acquiſiſti: Adhuc tamen ſemel adiiciens fratrem perquiro Epiſcopum, ne quid de approbamentis veridicis nos prætermiſiſſe videamur. Quis dat frater Epiſcopalem gratiam? Deus an homo? reſpondes, ſine dubio Deus. Sed tamen per hominem dat Deus: Homo imponit manus: Deus largitur gratiam: Sacerdos imponit ſupplicem dextram; Et Deus benedicit potenti dextra. Epiſcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatem. O iuſtitia, ô æquitas. Si homini pecunia datur, qui nihil in ordine amplius operatur, niſi ſolùm ſeruitium quod ei creditur, cur Deo totum negatur, qui ipſum ordinem tibi largitur?* Ad quorum verborum explicationem, quia video nil addi poſſe his quæ ſunt à doctiſſimo Becano occupata, ab eius commentatione non recedam. *In hoc colloquio*, inquit, *proponit Ambroſius tres potiſſimum quæſtiones Epiſcopo ſimoniacè ordinato, vt eum capiat. Prima eſt. Quid accepiſti in ordinatione? Accepi gratiam Epiſcopalem; Altera. Cur vocatur gratia? quia gratis datur. Tertia. Quis eam dat? Deus per miniſterium hominis. Et ex reſponſione ipſius dupliciter illum capit. Primò ſi gratia Epiſcopalis datur gratis, ergo illam non accepiſti, quia non accepiſti gratis, ſed pecuniam numeraſti. Secundò, ſi Deus illam dat, cur pro eo numeras homini pecuniam, & non Deo? Gratioſè autem ludit in vocabulo gratiæ. Nam tametſi Epiſcopus Simoniacus, per gratiam intelligat dignitatem & poteſtatem Eccleſiaſticam; Ambroſius tamen vt reducat illum ad ſanam mentem, intelligit etiam gratiã Sacramentalem, præſertim cùm ait; Homo imponit manus; Deus largitur gratiam. Alludens ad illud Apoſtoli: Admoneo te vt reſſuſcites gratiam Dei, quæ in te eſt, per impoſitionem manuum mearum. Item cùm ait, Aurum dans perdidiſti, & gratiam ſanctam non acquiſiſti. Hinc tria colligo ex ſententia Ambroſij. Primò ſimoniacè ordinatum non accipere gratiam Sacramentalem. Gratiam, inquit, ſanctam non acquiſiſti. Secundò accipere tamen poteſtatem ordinis: Cur Deo totum negatur, qui ipſum ordinem tibi largitur? Tertiò, Sacrum ordinem eſſe Sacramentum. Homo imponit manus; Deus largitur gratiam.* Iam ab Apocryphis præſidium petit Spalatenſis. Authorem operis imperfecti hominem Arrianum & Pſeudo Clementem teſtes profert, quod ille *iuſtos ordinari à Deo, iniuſtos* verò minimè ſcripſerit, hic verò *Epiſcopos imperitos non eſſe Epiſcopos, nec à Deo conſtitutos,*

Ambroſ. de dign. facer. cap. 5.

Becan. li. 4. c. 28. p. 358.

2. Tim. 1. 6.

Num. 8.

nec

nec ab hominibus: hæc ad ſimoniacè initiatos nõ pertinẽt, ſed in vniuerſum ad eos omnes qui iis ornamentis quæ ad Sacerdotiũ dignè adminiſtrandum planè ſunt neceſſaria deſtituuntur; de quibus ſupra ad Cyprianũ & Dionyſiũ egimus abunde: Eò recurrito. Quod vrget ex Canonibus Apoſtolorũ, quos hic non diſcutio, *eum qui ex hominibus ordinatur, quantum ad Deum non eſſe Diaconum aut Sacerdotem*, MERITO verum eſt *officio* negamus; Et quia totum pondus argumenti in his verbis, *Qui à Deo non eſt ordinatus* ponit, quæſo meminerit eorum de quibus conqueritur Deus apud Ozeam, *Ipſi regnauerunt, ſed non ex me, principes extiterunt, & non cognoui*. Ozea. Siue igitur Saülem hîc notatum cum Origene & Hieronymo intelligamus, ſiue Hieroboam, & eius ſucceſſores cum Cyrillo, Ruffino, Theodoreto, Theophylacto, Lyrano: hos ne cenſet Spalatenſis Reges aut Principes nonniſi æquiuocè fuiſſe? Certè Deo non probabantur, & tamen eorum vnctio irrita non fuit; Similiter igitur de improbis Epiſcopis ſtatuendum. *Non ſemper*, inquit Origenes, *princeps populi, & Eccleſiæ Iudex per Dei arbitrium datur, ſed prout merita noſtra depoſcunt. Si mali ſunt actus noſtri & operamur malignum in conſpectu Domini, dantur nobis principes ſecundum cor noſtrum. Et hoc tibi de ſcripturis probabo. Audi namque quod Dominus dixit. Fecerunt ſibi Regem, & non per me, & principem, & non per conſilium meum. Et hoc dictum videtur de Saül illo quem vtique ipſe Dominus elegerat, & Regem fieri iuſſerat, ſed quoniam non ſecundum voluntatem Dei, ſed ſecundum peccatoris populi meritum fuerat electus, negat eum cum ſua voluntate vel conſilio conſtitutum. Tale ergo aliquid intelligamus etiam in Eccleſiis fieri, quia pro meritis populi, aut in verbo & opere potens à Deo tribuitur rector Eccleſiæ, aut ſi malignum faciat populus in conſpectu Domini, talis Eccleſiæ Iudex datur, ſub quo famem & ſitim populus patiatur, non famem panis neque ſitim aquæ, ſed famem audiendi verbum Domini.* Origen. in Iudic. hom. 4. c. 3. 4. SPALAT. Num. 9. Vrget etiam deſertor de ſolo vſu non poſſe intelligi Patres, quod expreſsè inficientur *eſſe Epiſcopos à Deoque ordinatos; eoſque comparent falſis Prophetis Ananiæ, Sameæ, Sedechiæ, Achiæ, Balaam, &c. Vt ſicut hi non fuerunt veri prophetæ à Deo miſsi, ita nec illi ſint veri Epiſcopi, ſed eos falſo Epiſcopi nomine vocari aſſerant; Addantque gratiam eis à Deo auferri: Sacramentalis autem gratia*, inquit, *illa quæ eſt apud nos character, nunquam amittitur, neque à Deo aufertur; dicant præterea gratiam clericalem non præſtari niſi dignis: quæ de ſolo, vſu nullomodo poſſunt intelligi aut explicari.* Sed hoc vaniſſimum eſt eius commentum; nam vt reliquos præteream, quod attinet ad Balaam verè donum prophetiæ erat à Deo conſequutus, quo etiam cum mercede à Baalac Rege Moabitarum conductus maximè abuti voluit, vim Spiritus ſuſtinere non potuit, adeóque cùm Iſraëli maledicere vellet, benedixit. Vnde Deus ad Iſraëlem in libro Ioſue *Balac miſit & vocauit Balaam filium Beor, vt malediceret vobis, & ego nolui audire eum, ſed è contrario per illum benedixi vobis, & liberaui vos de manu eius.* cap. 24. Rurſus fallitur quod exiſtimet *eam gratiam quam nonniſi dignis dari contendunt Patres, characterem eſſe*, cùm procul dubio ea ſit *gratum faciens* ſeu *iuſtificans*, quam nos quoque ſceleribus contaminatis dari negamus, quanquam eis character infigatur. Repugnat poſtremò, *Si poteſtas ordinis*, inquit, *in his eſſet integra & vſus malus, non poſſent dici opera & munera talis ordinis, etiam à ſceleſtis Epiſcopis vel presbyteris peracta, eſſe Deo inuiſa, & ei neque grata neque accepta; talia enim opera cùm ſupponantur eſſe Sacramentalia, & conſequenter ſemper multò magis diuina*

quàm humana, quia in Sacramentis Deus eſt qui operatur, ſequeretur Deo ipſiuſmet opera quæ ipſe facit, non eſſe grata neque accepta. Cur ergo opus Sacerdotis indigni dum offert benedicit, orat, &c. non eſt à Deo acceptum quia eſt opus operantis. Si verò eſſet opus alicuius Sacramenti, illud ſanè ex opere, vt inquiunt, operato, Deo eſſet gratiſſimum, & acceptiſſimum : etiamſi à ſceleſtiſſimo fieret Sacerdote, vt eſt Baptiſmus : Vanus igitur eſt labor Petri Damiani, addit Spalatenſis, *in contrarium conantis : cuius etiam tempore negabant aliqui ordini ſacro vim Sacramenti : ipſe verò ſupponens eſſe verum Sacramentum contendit ſemper ad ordinationem conſequi effectum. Nos verò quia vidimus negari effectum multis ordinationibus, hinc ordinem non eſſe Sacramentum colligimus.* Reſpondeo eſſe illa Deo inuiſa & ingrata ex parte operantis, qui ſcilicet ſcelus ſcelere cumulat, dum malè parta poteſtate planè vitiosè, quantum quidem ex illo eſt vtitur; ſed tamen poſſe eſſe accepta ex parte ſuſcipientis, dummodo ſe conſecrantis crimine non implicet, & quod in ea ſententia fuerit Damianus, immeritò à Spalatenſi vexatur.

Pet. Dam. ep. 16. in Bibliot. SS. PP. tom. 3.

Spalat. Num. 10.

Patronum ſe iam Ioannis Hus, quem tamen protinus deſerit omnium horarum homo, præbet; ac primùm *cum Cypriano, Dionyſio, Hieronymo, &c. ſenſiſſe Epiſcopum imperitum, aut nequam, non eſſe propriè Epiſcopum, ſed tantùm æquiuocè* contendit. At ſuprà eximios doctores purgauimus, atque eo errore & noxa liberauimus. Addit *vim Sacramenti haud quaquã probitati miniſtri tribuiſſe,* Num. 10. *ſed quod ordinem non eſſe ſacramentũ exiſtimarit,* ab ordine Sacerdotali neceſſario pendentis actiones nullas eſſe pronunciarit, ſi ab indigno Sacerdote exercerentur. *Quandoquidem,* inquit, *etſi ordinis gratiam ſciebat eſſe neceſſariam ad ea quæ ſunt ordinis propria peragenda, eam tamen per peccatum amitti exiſtimauit : quia verò,* addit Spalatenſis, *Baptiſmus non pendet à gratia ordinis, ſed à quocunque miniſtretur preſertim baptiſato, baptiſmum optimè datum agnouit, & ipſe cum Eccleſia Catholica.* Sed præterquam quod fortaſſe, immeritò Ioannem Hus in numero eorum qui ordinem Sacramentum eſſe negant reponit, falſum falſiſſimum eſt eam gratiam quæ ad munia Sacerdotij peragenda neceſſaria ſit, per peccatum amitti: vt enim quis dignè illa exequatur *gratia* vtique *gratum faciente* opus habet, quæ peccato amittitur, ſed vt exequatur, *gratia characteris,* quæ nullo ſcelere aboletur, omninò ſufficit, vt noſtri probè oſtendunt. Faceſſunt verò negotium Spalatenſi, ordinationes quas à noſtris Epiſcopis etiamnum mutuantur Huſſitæ, & rem primò mendaciis auget, ac *noſtros Epiſcopos pro hæreticis ab* Num. 11. *illis haberi pronunciat.* Demum vt vtrique parti gratificetur, iudiciũ ſuum interponit, ac Huſſitas ſuo conſilio impertit, vt tuendis noſtris ordinationibus hanc reſponſionem parent, *Se quidem noſtros Epiſcopos non putare eſſe formaliter hæreticos, quia à talibus non peterent ordinationem, ſi in ſui magiſtri velint iam dicta opinione perſiſtere; quamuis in multis eos doctrinam parum tutam materialiter tenere arbitrantur & fortaſſe hæreſes; quæ quia tamen nondum eſt à tota Eccleſia ſufficienter condemnata, ideo tanquam hæreticos nolunt vitare, vt in ſuis opinionibus quiſque abundet pro ſenſu ſuo, donec Eccleſia plenè quid ſentiendum ſit de fide decernat. Atque vtinam,* inquit, *ita & reſponderent & facerent omnes Euangelici reformati, vbi non habent commoditatem Epiſcoporum reformatorum, vt ante omnia ſchiſmata diſſoluantur.* Ita dum nos errore liberat, graui ſe ſchiſmatis crimine implicat. Huſſitas enim hoc nomine purgat, quod nos pro hæreticis nõ habeant, eamque mentem omnibus Euangelicis reformatis precatur; Quorſum igitur

noſtros

noſtros cœtus fugit, à noſtra communione abhorret, & relicta Hieroſolyma in Bethel adorat?

Perſequamur inſtitutum, & de ſimoniacè ordinatis rurſus cum Spalatenſi agamus. *Tharaſius*, inquit, *Patriarcha Conſtantinopolitanus, ad Papam Adrianum ſcribens, & ordinationes ſimoniacas reprobans, illa habet; Quanquam (ſimoniacè ordinatus) nomine ſacerdotium ſortitus eſt: ſed in eum falſo nomen iſtud conferri re ipſa comprobatur. Item compertiſſimum quoque eſt, in ipſis ſancti Spiritus gratiam non eſſe, aut ſacerdotij ſanctificationem, & quod non acceperunt non habent. Non dicit quod acceperunt non poſſunt licitè exercere: ſed abſolutè negat eos quicquam accepiſſe; ac ne nomine quidem ſacerdotum vult eos inſigniri.* Reſpondeo breuiter & Tharaſium & Gregorium illegitimas ſimoniacorum ordinationes pronunciaſſe, ac propterea à Sacramentorum adminiſtratione arcendos duxiſſe ea labe aſperſos. Cæterùm non negaſſe characterem qui ordinis ſuſceptione imprimatur eos accepiſſe; quod enim inficiantur *eos aliquid accepiſſe*, eum ſenſum habet nihil accepiſſe, quo vti legitimè poſſint: Cùm enim poteſtas quæratur ac paretur in vſus, qui ea vti non poteſt, eam non accepiſſe cenſetur. SPALAT. Num. 12. In decreto 1. q. 1. ad c. Eos qui.

Iam aggreditur ad ordinationes ab hæreticis factas omnino conuellendas, ac à Pontificibus Romanis præſidium ducit, qui eas *nullas irritas ac planè nihil efficere ſanxerunt.* Innocentium primum profert, *Arrianos*, inquit Innocentius, *cæteraſque huiuſmodi peſtes quia eorum Laicos conuerſos ad Dominum ſub imagine pœnitentiæ ac ſancti Spiritus ſanctificatione per manus impoſitionem ſuſcepimus, non videtur Clericos eorum cum Sacerdotij aut miniſterij cuiuſpiam ſuſcipi debere dignitate. Quoniam quibus ſolum baptiſma ratum eſſe permittimus, quod vtique in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti perficitur, nec Spiritum ſanctum eos habere ex illo baptiſmate, illiſque myſteriis arbitramur: quoniam cùm à Catholica fide eorum authores deciſcerent, perfectionem Spiritus quam acceperunt, amiſerunt, nec dare eius plenitudinem poſſunt, quæ maximè in ordinationibus operatur, quam per impietatis ſuæ perfidiam potius quàm per fidem dixerim, perdiderunt.* SPALAT. Num. 13. Innoc. ep. 20. tom. 1. par. 2.

Antequam autem contra hæreticorum ordinationes ſententiam dixiſſe Innocentium oſtendat, Bellarminum impugnat, qui ex hoc loco collegerit ordinem Sacramentum eſſe, *Ex his verbis*, inquit, *ordinem de mente Innocentij eſſe Sacramentum colligere conatur Bellarminus. Quia, inquit, ex collatione Baptiſmi cum ordine patet, Innocentium æquè Sacramentum putaſſe ordinem atque baptiſmum. Ego verò*, inquit, *ex hac collatione contrarium colligo: quia enim ordinatos ab hæreticis non vult in ordinibus ſuſcipi, baptizatos tamen in illo baptiſmate ſuſcipit: certè diſparem valdè agnoſcebat rationem inter ordinem & Baptiſmum, & quæſtio præcipua ei proponebatur de ordinatis ab Arianis Epiſcopis, quos ſi conuerterentur, pro ordinatis non eſſe habendos decernebat: quanquam & baptizatos vix pro baptizatis acceptabat. Non ergo confert ordinem cum Baptiſmo vt paria, ſed vt diſparia & diſſimilia. Ac ſanè verba ipſius ſunt clariſſima, dum Epiſcopos Arianos amiſiſſe, per hæreſim, aſſerit gratiam illam, & Spiritus ſancti aſſiſtentiam, quæ in ordinationibus eſt maximè neceſſaria: Imò quæ maximè ordinationem ipſam operatur. Vnde & ad Epiſcopos Macedonas ſcribens eandem ſuam ſententiam apertius explicat, & ait: Ventum eſt ad tertiam quæſtionem, quæ pro ſui difficultate longiorem exigit diſputationem. Cum nos dicamus ab Hæreticis ordinatos* Bellar. l. de Sacram. ordin. ca. 3. Innocen. 1. ep. 27.

vulneratum per illam manus impoſitionem habere caput, vbi vulnus infixum eſt, medicina eſt adhibenda, qua poſsit recipere ſanitatem, quæ ſanitas poſt vulnus ſecuta, ſine cicatrice eſſe non poterit: atque vbi pœnitentiæ remedium neceſſarium eſt, illic ordinationis honorem locum habere non poſſe decernimus. Nam ſi, vt legitur, quod tetigerit immundus immundum erit, quomodo ei tribuetur, quod munditia ac puritas conſueuit accipere? Sed è contrario aſſeritur, eum qui honorem amiſit, honorem dare non poſſe, nec illum aliquid accepiſſe; quia nihil in dante erat quod ille poſſet accipere. Acquieſcimus, & verum eſt. Certè quia quod non habuit dare non potuit, damnationem vtique quam habuit, per prauam manus impoſitionem dedit: Et qui particeps effectus eſt damnato, quomodo debeat honorem accipere, inuenire non poſſum. Hæc Innocentius: qui tamen pergit ibidem confirmare hanc ſuam ſententiam de inualiditate ordinationum ab Hæreticis profectarum, ſoluendo ſi quid contra ipſius ſententiam obiiceretur ex Synodo Capuana, *quæ ordinatos à Bonoſo Epiſcopo Macedone ſuſcipi permittebat, & ex* Concilio Nicæno, *quod* Catharos Clericos ad Catholicos *venientes cum ſuis ordinibus relinqui ſtatuerat: Id enim ex neceſsitate & pro tempore toleratum fuiſſe interpretatur Innocentius, ſed amplius non eſſe tolerandum. Ex qua Innocentij diſputatione adhuc magis liquet ipſum ordinationes ſacras inter vera Sacramenta cenſuiſſe non eſſe numerandas. Nam quo pacto ex vna parte abſolutè negat quicquam recipi ab ordinatore Hæretico; & caput ordinati vulnerari, non ſacrari: ex alia verò parte ex indulgentia Eccleſiæ vult poſſe ordines huiuſmodi abſque vlla noua legitima ordinatione conualidari, niſi quia ſolam putauit deputationem ab habentibus authoritatem ſufficere ad ordinationem? Vt qui prius non erant ab habentibus authoritatem, nempè ab Hæreticis, legitimè deputati, ſuſcepti ab Epiſcopis Catholicis ex ſola conceſsione vt perſiſtant in ordinibus ad quos deputati videbantur, iam ſatis deputati cenſebantur. Et de hoc infra fuſius.* At verò in Innocentio nihil vidit. Proculdubio enim ex collatione baptiſmi cum ordine apparet vtrumque pro Sacramento habuiſſe. Quod autem ab *hæreticis ordinatos dignos Chriſti honoribus non cenſet* (ſunt enim hæc illius verba) ordinationem ab eis factam non tollit, ſed dignitatem ſacerdotij tantùm adimit & gradum. Non igitur inficiatur verè initiatos, ſed negat eis in Eccleſia miniſterij gradum & dignitatem eſſe concedendam. Quod idcircò facit; quod eo loco loquatur de hæreticis qui à miniſtris eadem hæreſi contaminatis ordinantur, de quibus grauior extat quæſtio. Hæret itaque etiam in baptiſmo quod huiuſmodi etſi characterem baptiſmi accipiat, gratiam tamen ſancti Spiritus non conſequatur; Tandem tamen concedit eſſe planè ratum baptiſma; de ordinatione verò aliter ſentit, non quod eam quoque firmam non credat, ſed cùm in ea duo ſint ſpectanda, nempè *poteſtas* collata adminiculo characteris & *vſus poteſtatis*, quorumalterum ab altero diuelli poſſit, ordinationem non impugnat, ſed vſu poteſtatis ei qui ab huiuſmodi hæreticis ſit ordinatus interdicit; quippe quo legitimè, ex vi ſuæ ordinationis non potiatur. Hîc ſcilicet fons eſt diſcriminis, quod inter vtrumque Sacramentum inducit, quodque ex natura ipſorum Sacramentorum abundè colligitur; Baptiſmus enim nullâ miniſterij dignitatem præ ſe fert, at ordinatio connexas habet ſacri muneris functiones, quæ vſu ac *exercitio poteſtatis* perficiantur: propterea baptiſmum cenſet admittendum, ordinationem verò negat probandam, ſcilicet propter ſacras illas functiones, à quibus iudicio Eccleſiæ remouetur miniſterij ei dignitate denegata:

Neque

Neque verò præter morem Eccleſiæ eſt hominem verè initiatum honoris gradu iuſtis de cauſis quales hic intercedunt, prohiberi ac remoueri. Sed inſtat Spalatenſis verba Innocentij clariſſima eſſe, quibus doceat *Epiſcopos Arianos amiſiſſe, per hæreſim, gratiam illam & Spiritus ſancti aſsiſtentiam, quæ in ordinationibus eſt maximè neceſſaria: Imò quæ maximè ordinationem ipſam operatur. Vnde*, addit Spalatenſis, *& ad Epiſcopos Macedonas ſcribens eandem ſuam ſententiam apertius explicat, & ait: Ventum eſt ad tertiam quæſtionem, quæ pro ſui difficultate longiorem exigit diſputationem. Cùm nos dicamus ab hæreticis ordinatos vulneratum per illam manus impoſitionem habere caput, vbi vulnus infixum eſt, medicina eſt adhibenda, quæ poſsit recipere ſanitatem; quæ ſanitas poſt vulnus ſecuta, ſine cicatrice eſſe non poterit: Atque vbi pœnitentiæ remedium neceſſarium eſt, illic ordinationis honorem locum habere non poſſe decernimus. Nam ſi vt legitur quod tetigerit immundus immundum erit, quomodo ei tribuetur quod munditia ac puritas conſueuit accipere? Sed è contrario aſſeritur eum qui honorem amiſit, honorem dare non poſſe, nec illum aliquid accepiſſe; quia nihil in dante erat quod ille poſſet accipere. Acquieſcimus, & verum eſt. Certè quia quod non habuit, dare non potuit, damnationem vtique quam habuit per prauam manus impoſitionem dedit: & qui particeps effectus eſt damnato, quomodo debeat honorem accipere, inuenire non poſſum.* Reſpondeo negare Innocentium Epiſcopos Arianos gratiam habere ſancti Spiritus, quæ ad dignè exequenda Epiſcopatus munia planè ſit neceſſaria, ſed nequaquam inficiari habere gratiam Sacramenti, quæ nullo concedentis aut ſuſcipientis merito nitatur. Eam eſſe mentem Innocentij eius verba indicant; priore enim Epiſtola ad Alexandrum *dignos Chriſti honoribus* ab Arrianis baptizatos non cenſet; poſteriore verò ad Epiſcopos Macedoniæ, ait *eum qui honorem amiſit, honorem dare non poſſe*: Hoc igitur tantùm vult, ab hæreticis ordinatos honore & dignitate in Eccleſia potiri non debere, quod nos vltrò concedimus. Quod autem exiſtimat *olim ab Eccleſia admiſſos ab hæreticis ordinatos*, noſtram ſententiam magis firmat, quî enim potuit Eccleſia ad ſacras functiones admiſiſſe, ſi nulla erant vera conſecratione initiati? Aut quæ maior illorum ratio haberi potuit quam merè Laicorum, ſi in numero miniſtrorum, quanquam cum illa labe, non erant? Quod rurſus illud *temporum conditioni tribuit, neque amplius ferendum iudicat*, ratio eſt, quia vtcumque Eccleſia poſſit vſum poteſtatis & honoris gradum concedere his qui ab hæreticis ſunt ordinati, tamen ſubeſſe poſſunt cauſæ, ob quas operæ precium ducat omni eos gradu prohibere; Propterea Innocentius cauſam reddit, cur ordinati à Bonoſo admitti non debeant. *Conſtat*, inquit, *qui de Catholica ad Bonoſum tranſierunt damnatum, atque ſe paſsi ſunt aut cupierunt ab eodem ordinari non oportuiſſe ordinationis Eccleſiaſticæ ſuſcipere dignitatem* (nota dignitatem) *qui commune omnium Eccleſiarum iudicium deferentes, ſuam peculiariter in Bonoſo vanitatem ſequendam eſſe duxerunt.* Vides id mulctæ genus fuiſſe, vt propterea non dubitemus admitti potuiſſe, niſi grauiori iſta animaduerſione eorum temeritatem plectendam magnus Pontifex exiſtimaſſet.

Innoc. 1. ep. 27. ad Epiſcopos Macedoniæ.

Epiſt. 18.

Spalat. Num. 14.

Sed Nicolaum primum audiamus: hunc itaque Spalatenſis ita inducit loquentem, *De Gregorio Syracuſano Epiſcopo Schiſmatico*, inquit, *qui Photium ordinauerat, ad Michaëlem Imperatorem ita ſcribit Gregorius: Ergo qui Canoni-*

Nicol. 1. ep. 9. ad Michael. Imper. tom. 3. conc. 1. p. nou. edit.

cè ac Synodicè depoſitus & anathematizatus erat, quemadmodum poſſet quenquam prouehere vel benedicere, ratio nulla docet. Igitur nihil Photius à Gregorio percepit, niſi quantum Gregorius habuit; nihil autem habuit, nihil dedit. Et poſt nonnulla rurſum. Conſideret ergo, *inquit, diuinitus veſter inſpiratus apex, quomodo Photius, etiamſi nihil aliud niſi iure valeat impedire, queat in ſacerdotali gradu perſiſtere; quandoquidem inſtitutor ſuus, cùm hic ordinaretur, non ſolùm ſacerdotio, verùm etiam ipſo carebat Chriſtiano vocabulo.* Reſpondeo Nicolaum primum cùm de abdicato Gregorio Syracuſano loquitur, de honore Epiſcopatus loqui, non autem de charactere, qui etiam in deſertoribus perſeuerat; *Videamus*, inquit, *quorum iudicio vel quorum authoritate Gregorius poſt depoſitionem & anathema honorem Epiſcopatus præſit* (reſumpſit meo iudicio legendum) *vel officium priſtinum recepit, &c.* Propterea etiam cum ſequeſtratum (hoc illius verbum eſt) dixit; *ſolum ab eo*, inquit, *qui eum ſequeſtrauit, aut certè à prima ſede iure poterit abſolui, &c.* Hoc igitur ſibi vult, nil habuiſſe, nil dediſſe illum Syracuſanum, id eſt non habuiſſe honorem & dignitatem Epiſcopi in Eccleſia, non ergo potuiſſe Photio dare. Neque alio interprete quàm Nicolao hic opus habemus, ſic enim de Photio. *Qui*, inquit, (*vt cætera nunc omittamus*) *à Gregorio Syracuſano vel cæteris ſchiſmaticis inſtitutus, contra omne fas alterius præſidere non poteſt Eccleſiæ?* Itaque vides de dignitate Eccleſiaſtica agere illum. Nempè perſuadere nititur Imperatori non potuiſſe Photium à Gregorio vel aliis ſchiſmaticis Patriarchatus honorem conſequi, cùm Gregorius & ſchiſmatici illi nullo iam honore (quippe abdicati) in Eccleſia potirentur. Porrò vt ad alia properemus, Magiſtrum ſententiarum *conſecrandi corporis Chriſti poteſtatem* ſacerdotibus hæreticis detrahentem meritò ſcholæ deſerunt; quippe in illis, vt Auguſtinus docet, *manet ordinatio integra*, cuius adminiculo poſſunt Euchariſtiam conficere: quare Hieronymus Luciferianum alloquens, *Oro te*, inquit, *vt aut ei ſacrificandi licentiam tribuas cuius baptiſma probas, aut reprobes eius baptiſma, quem non exiſtimas ſacerdotem, neque enim fieri poteſt, vt qui in baptiſmate ſanctus eſt, ſit apud altare peccator.* Neque verò hoc vnum eſt Magiſtri ſententiarum erratum. Cæterùm in quæſtione de ordinatis ab hæreticis valdè certè perplexus eſt, & aliorum ſententias retuliſſe contentus ſuum non interponit iudicium. At verò ſcholæ princeps Aquinas, de ea ſic pronunciat. *Alij dicunt quod vera Sacramenta conferunt* (quod ſcilicet nullo vnquam caſu poteſtas cum conſecratione data, ſubiecto manente, perdi queat) *ſed cum eis gratiam non dant, non propter inefficaciam Sacramentorum, ſed propter peccata recipientium ab eis Sacramenta contra prohibitionem Eccleſiæ; & hæc eſt tertia opinio quæ vera eſt.* Hæc omnium orthodoxorum eſt ſententia, & vt ſint aliqui ex veteribus Patribus, qui durius ad terrendos hæreticos hac de re ſint loquuti, libratis ac ponderatis eorum rationibus, apparet potius de legitimo vſu ordinationis, quàm de ordinatione eſſe loquutos. Certè nuſquam Eccleſia cenſuit ab hæreticis initiatos noua conſecratione indigere, ſed hac de re videro inferius: Et quidem Chryſoſtomus, quicquid contra moliatur Spalatenſis, apertè pronunciat, Ex vi ordinationis ſuæ improbos planè omnia munia Eccleſiaſtica obire poſſe: *Quid ergo?* inquit, *Deus omnes ordinat, etiam indignos? Non omnes quidem ille ordinat, per omnes*

Num. 14. & 15. In 4. diſt. 13.

Hier. adu. Lucifer.

In 4. diſt. 25. quæſt. 1. art. 2.

Num. 16. Chryſho. 2. in ep. Pau. ad Tim. 2. c. 1. Τί οὖν, ὅταν, φησὶν, ἐκεῖνος ὁ διὰ

Digitized by Google

omnes tamen ipſe operatur, ſalutem populi moliens, non illorum intuens merita. Nam ſi per Aſinæ os, ſi per Balaam ſceleſtum hominem populi cauſa loquutus eſt, multò magis loquitur per Sacerdotem plebis ſuæ gratia. Quid enim non agit Deus ſalutis noſtræ cauſa? quid non loquitur? per quem non operatur? Si enim per Iudam operatus eſt, & per Prophetas quibus dicturus eſt; Non noui vos, diſcedite à me qui operamini iniquitatem; perque illos qui dæmones in nomine ſuo eiecerunt; non magis per Sacerdotes diuino miniſterio famulantes operabitur? Neſcio verò quid per *ordinem interiorem* intelligat Spalatenſis; multò minus aſſequor, quid ſibi velit per *ſpecialem illam diuinam prouidentiam, citra ordinationem in Sacramentorum collatione operantem.* Planus eſt ſenſus verborum Chryſoſtomi; Multos non ordinari à Deo *approbante* ſcilicet, *tolerante* tamen, atque ad ſacrum opus diuinum illum ſuum influxum accommodante, vt quanquam improbus, ac ſceleratus ſit qui initiatur, nec iuſtificantem gratiam accipiat, vi tamen conſecrationis id conſequatur, vt Sacramenta conferre queat; Id certè Iudæ exemplum ab eo inductum probat manifeſtiſſimè: *Quid*, inquit, *non agit Deus ſalutis noſtræ cauſa? quid non loquitur? per quem non operatur? ſi enim per Iudam operatus eſt, & per Prophetas quibus dicturus eſt; Non noui vos, perque illos qui dæmones in nomine ſuo eiecerunt, non magis per Sacerdotes diuino miniſterio famulantes operabitur?* Iudas certè Apoſtolatus poteſtatem habuit, *Epiſcopatum eius accipiat alter*, ait ex Dauide Petrus, ac proinde munia Apoſtolica obiuit, gratiam tamen iuſtificantem non habuit cùm auaritia flagrarit, & furtorum reus fuerit ac conceptæ proditionis. Chryſoſtomo adde Auguſtinum; *Spiritus ſanctus in Eccleſiæ præfecto*, inquit, *vel miniſtro ſic ineſt, vt ſi fictus non eſt, operetur per eum Spiritus ſanctus, & ad eius mercedem in ſalutem ſempiternam, & eorum regenerationem vel ædificationem, qui per eum ſiue conſecrantur, ſiue euangelizantur. Si autem fictus eſt, quoniam veriſimè ſcriptum eſt, Spiritus enim ſanctus diſciplinæ effugiet fictum, deeſt quidem ſaluti eius, vt auferat ſe à cogitationibus, quæ ſunt ſine intellectu; miniſterium tamen eius non deſerit, quo per eum ſalutem operetur aliorum, propter quod Apoſtolus ait; Si enim volens hoc facio mercedem habeo, ſi autem inuitus, diſpenſatio mihi credita eſt, id eſt illis prodeſt quibus hoc diſpenſo, non mihi qui fictus ſum. Qui enim inuitus facit propter commoda, gaudiaque carnalia, quæ ſi aliter habere poſſet illud deſereret, ipſe vtique fictus eſt, ideoque inuitus facit, ſed eis prodeſt erga quos facit, ſe autem tantùm à mercede ſalutis alienat; non etiam illos priuat quibus cibaria Dominicus, etiam malus, ſeruus impendit.*

χειροτονῶ, καὶ τὰς αἰτίας, πάντως δὲ ὁ Θεὸς οὐ χειροτονῶ, διὰ πάντων δὲ αὐτὸς ἐνεργεῖ, εἰ καὶ αὐτοὶ μὴ ἄξιοι, διὰ τὸ οἰκονομεῖσθαι τὸν λαόν. εἰ γὰρ δι' ὄνου, καὶ διὰ βλάκα, διὰ μαρτυρούντων, τῶν λαοῦ ἕνεκεν ἐλάλησεν, πολλῷ μᾶλλον διὰ τὸν ἱερέα. τί γὰρ οὐ ποιεῖ ὁ Θεὸς ἕνεκεν τῆς ἡμετέρας; τί γὰρ οὐ φθέγγεται; διὰ πάντα ἂν ἐνεργεῖ; εἰ διὰ τὸν Ἰούδαν ἐνήργησεν, καὶ διὰ τῶν ἀποφαινόντων, οἷς φησιν, οὐκ οἶδα ὑμᾶς, ἀπεχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, καὶ πολλοὶ δαίμονας ἐξέβαλον; πολλῷ μᾶλλον διὰ τὸν ἱερέα ἐνεργήσει. Aug. contr. ep. Parm. l. 2. c. 11.

Iam vt ordinationem non eſſe Sacramentum fortius probet, tertiam viam ingreditur, ſed adeo verboſus eſt, vt inter tot verba argumenti vix vllam imaginem cernere poſſis; Eo tamen omnia recidunt, *Vt cùm Baptiſmus & Euchariſtia Chriſtum habeant authorem, qui eorum formam & materiam apertiſſimè tradiderit, ordinatio veluti in obſcuro maneat, nec eius à Chriſto pro Sacramento habita vllum veſtigium in tota ſcriptura extet.* Reſpondemus autem hoc ſplendidum eſſe mendacium, atque non obſcurè ex ſcriptura, vt initiò docuimus, colligi in eam veram Sacramenti rationem conuenire, quanquam vt ex ſcripturis non haberetur, ſatis eſſet, quod de quibuſdam ad Sacramentum baptiſmi pertinentibus dixit Auguſtinus haberi, *ex ſerie traditionis.* SPALAT. Num. 17.

Sed inſtat Spalatenſis, *Si quidpiam tale fuiſſet à Chriſto inſtitutum, adeo ne obſcurè & latenter id feciſſet, vt adhuc poſt mille & ſexcentos annos in Eccleſia no-* SPALAT. Num. 18.

ſtra incertum ſit, quæ ſit propria huius Sacramenti materia, ſiue res ſenſibilis, quæ in ſcholis appellatur Elementum: num ipſa manuum impoſitio? num traditio calicis & patenæ? De quibus certant Scholaſtici: ſicut & circa formam, ac verba quibus prolatis impleatur Sacramentum; nam in Presbytero ordinando formam aliqui volunt eſſe, Accipe poteſtatem remittendi peccata, &c. Alij vero; Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium; Itane facimus vnum Sacramentum à Chriſto inſtitutum, de cuius tota ſubſtantia adhuc ſumus incerti? An Chriſtus ludit, & illudit ſuam Eccleſiam? &c. Reſpondeo vt eſſet obſcurior doctrina de materia & forma ordinationis, minimè inde haberi poſſe non eſſe Sacramentũ, ſiquidem eruditis omnibus compertum eſt, clam habuiſſe ſemper Eccleſiam ritus & formulas Sacramentorum, nec eas paſſim vulgaſſe, vnde emerſiſſe illas difficultates nullus dubito. Certè Caſaubonus, quanquam dirus noſtrorum ſacrorum hoſtis, ingenuè tamen fatetur veterem Eccleſiam, *Ordinationem Epiſcoporum & Presbyterorum* inter Sacramenta potuiſſe, ac earumdem formulas clam habuiſſe. *Ordinationem*, inquit, *Epiſcoporum & Presbyterorũ inter Sacramenta vetus Eccleſia poſuit, propter impoſitionem manuum, & Spiritus ſancti inuocationem & acceptionem; quare huius etiam formulas clam habuit, & ſolis fidelibus notas eſſe voluit.* Chryſoſtomus in poſteriorem ad Corinthios: *Qui in ſacrũ ordinem*, inquit, *coapturus eſt, aliquem fidelium preces exigit illo tẽpore: atque illi aſſenſu ſuo quæ geruntur comprobant, & acclamant illa quæ nota habent initiati: Nam apud eos qui initiati non ſunt, omnia retegere fas non eſt.* Dionyſius ſub finem Hierarchiæ Eccleſiaſticæ. *Inuocationes*, inquit, *quæ fiũt in ordinationibus, ſcriptura explicare nefas, neque vim myſticam quæ illis ineſt; neque etiam fas eſt exocculto in cõmunem lucem proferre, virtutes quas Deus per illas operatur.* Vides, Marce Antoni, Caſaubonum deceſſorem tuum in propugnandis placitis ſectariorum, Epiſcopatum & Preſbyteratum iudicio veteris Eccleſiæ, in numero Sacramentorum ponere; *Expoſuimus*, inquit, τὰς πλειστικὰς ἐπικλήσεις, id eſt, *inuocationes quæ fiunt in ordinationibus; poteramus accipere generalius de precibus, quæ in omnibus initiationibus, & omnibus Sacramentis fiunt; ſed Maximum & Pachymerem interpretes ſecuti ſumus, qui reſtringunt generalem vocem ad ordinationes & interpretantur,* τὰς ἐπὶ τῆς χειροτονίας εὐχάς. *Præter illa quæ ad Sacramenta pertinebant, fuerunt & alia, quorum cognitio non initiatis non patebat.* Itaque cum homine vetuſtatis callentiſſimo tibi res eſt, qui manus veritati dare coactus, non dubitauerit pronunciare orthodoxorum ſententiam, quam iam propugnamus veteris Eccleſiæ ſententiam fuiſſe. Vides quoque reconditiorem fuiſſe doctrinam, quæ hoc traderet, vt mirum non ſit paulò obſcuriorem, ac difficiliorem fuiſſe eius explicationem. Nimirum contigit hoc ipſum in aliis Sacramentis, quorum apertiſſimam vis eſſe in ſcripturis explanationem. An non enim meminiſti, quam multa à Scholaſticis de baptiſmi materia, & forma diſputentur? Et de materia quidẽ, *Vtrum in aqua ſimplici tantũ, an etiam in aqua mixta?* de forma verò, *An omitti poſſint illa verba, Ego te baptizo, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: An in nomine Chriſti poſſit tantùm conferri baptiſmus.* Similiter de Sacramento Euchariſtiæ, An non illæ ventilantur in eorum ſcriptis quæſtiones implicatiſſimæ, *Vtrum in ſolo pane triticeo fieri poſſit conſecratio, vtrum in azymo, aut fermamento, & huiuſmodi. Vtrum omnia verba Chriſti ſint de ratione cõſecrationis, An illa ſola, Hoc eſt corpus meum?* Et certè de materia extat Bezæ commentum, quod euertendo Sacramento ſatis eſſe

Caſaubon. p. 562. init. cum teſtimoniis Chr. ho. 18. Ὁ μέλλων χειροτονεῖν, ἢ τὰς ἐκείνου εὐχὰς κελεύει, καὶ αὐτὸς ἐπιψηφίζεται, ἢ ἐπιδοῦσιν, ἃ πᾶσι ἴσασιν οἱ μεμυημένοι· οὐ γὰρ δὴ θέμις ἐπὶ τῶν ἀμυήτων ἐκκαλύπτειν ἅπαντα.

Et Dionyſ. Τὰς πλειστικὰς ἐπικλήσεις οὐ θεμιτὸν ἐν τοῖς ἱεραρχικοῖς ἀφερμηνεύειν, οὐδὲ τὴν μυστικὴν αὐτῶν, ἢ τὰς ἐν αὐτοῖς ἐνεργουμένας ἐκ θεοῦ δυνάμεις ἐκ τοῦ κρυφίου πρὸς τὸ κοινὸν ἐξάγειν.

eſſe poſſit: *Vbi*, inquit, *panis aut vini vel nullus eſt vſus, vel nulla certo tempore copia, num Cœna Domini nulla celebrabitur? Imò ritè celebrabitur, ſi quod panis aut vini vicem, vel ex vſu communi, vel pro temporis ratione ſupplet, panis aut vini loco adhibeatur. Hæc enim mens fuit Chriſti, quum panem aut vinum ad hæc myſteria deligeret, vt propoſitis earum rerum ſignis quibus corpus noſtrum alitur, veram alimoniam ſpiritualem, velut ob oculos repræſentaret. Itaque à Chriſti ſententia nihil aberrat, qui nullo prorſus nouandi ſtudio pro pane & vino ſubſtituat, quæ etſi non parem, ſimilem tamen alimoniæ analogiam habeant. Deſit etiam aqua, & tamen baptiſmus alicuius differri cum ædificatione non poſſit nec debeat, ego certè quouis alio liquore nõ minus ritè quã aqua baptizarim.* En igitur vt in ipſa luce teſtimoniorũ ſcripturæ, difficultates emergant circa aliorum Sacramentorum materiam & formam. Addo verò vel iudice aduerſario, non eſſe obſcuram inſtitutionem tum Epiſcopatus, tum Presbyteratus; Concedit enim his verbis, *Hoc facite in meam cõmemorationem*; datam Sacerdotibus poteſtatem conſecrandi corporis Chriſti; Illis verò, *Accipite Spiritum ſanctum*, poteſtatem iuriſdictionis conceſſam; Atqui non alio ritu initiantur, quàm qui his verbis continetur. Et quidem verba formæ adhiberi ſolitæ, *Accipe poteſtatem conſecrandi Corpus Chriſti*, illa Chriſti referunt, *Hoc facite, &c.* Ipſa traditio calicis nititur exemplo Chriſti, qui *calicem accepit, ac diſcipulis porrexit*, vt propterea quidam ex Scholaſticis cenſuerint in ea cæremonia poſitam eſſe ordinationis materiam; Sed qui pro impoſitione manuum certant, hi authores habent Apoſtolos, qui proculdubio nonniſi ex præſcripto Chriſti eam formam in ſacris ordinationibus vſurparunt; Et vt inter omnes non conueniat de præciſa materiæ ratione; volunt tamen omnes tum traditionem fieri ſacrorum inſtrumentorum, tum etiam impoſitionem manuum adhiberi, vt cordatis tota facti ratio conſtet, nulluſque inde oriri ſcrupulus poſſit. Nihilo ergo ſecius approbatur orthodoxis firmitas Sacramenti, quàm ſi extra controuerſiam eſſet id poſitum. Eximant itaque iſta, & ipſi aduerſario omnem dubitationem. Quod addit de precibus adhiberi ſolitis in ſacris ordinationibus, id planè verum eſt, ſed obtinuit etiam ea conſuetudo in aliorum Sacramentorum celebratione; *Inuocationis verba*, inquit Baſilius, *cùm conficitur panis Euchariſtiæ, & poculum benedictionis, quis ſanctorum in ſcripto nobis reliquit? Nec enim his contenti ſumus, quæ commemorat Apoſtolus, aut Euangelium, verùm alia quoque & antè & pòſt dicimus, tanquam multum habentia momenti ad myſterium, quæ ex traditione citra ſcriptum accepimus.* Cæterùm peculiarem fuiſſe imprecationis ritum, quo Sacerdotes initiarentur, non obſcurè ſignificat Hieronymus in Prophetam Eſaiam, & Auguſtinus contra Emeritum; *Plerique noſtrorum*, inquit Hieronymus, χειροτονίαν, *id eſt ordinationem clericorum, quæ non ſolùm ad imprecationem vocis, ſed ad impoſitionem impletur manus, &c.* Auguſtinus. *Inuocatio*, inquit, *nominis Dei ſuper caput ipſorum, quando ordinantur Epiſcopi, inuocatio Dei eſt, non Donati.*

Theodor. Beza ep. 2.

Baſil. c. 27. de Spiritu ſancto.

Τὰ δὲ ἐπικλήσεως ῥήματα ἐπὶ τῇ ἀναδείξει τοῦ ἄρτου τῆς εὐχαριστίας, καὶ τοῦ ποτηρίου τῆς εὐλογίας, τίνες τῶν ἁγίων ἡμῖν ἐγγράφως παρέλιπον; οὐ γὰρ δὴ τούτοις ἀρκούμεθα, ὧν ὁ ἀπόστολος ἢ τὸ εὐαγγέλιον ἐμνημόνευσε, ἀλλὰ καὶ προλέγομεν καὶ ἐπιλέγομεν ἕτερα, ὡς μεγάλου ἰσχύοντα πρὸς τὸ μυστήριον τοῦτο ἰσχύειν, ἐκ τῆς ἀγράφου διδασκαλίας παραλαβόντες.

Sed haud poteſt abſiſtere ferro Spalatenſis; *Mirandum vero*, inquit, *quod Eccleſia Romana Canoniſtarum quoddam dictum adeo probat, vt ne mutire quidem contra ipſum, quiſquam ex Catholicis audeat; nimirum Summum Pontificem ſolo verbo poſſe facere & Sacerdotem, & Epiſcopum; ſi dicat alicui dumtaxat; Eſto Sacerdos, vel eſto Epiſcopus; tunc enim illum pleniſſimè, iam factum vel Sacerdotem, vel Epiſcopum nolunt poſſe dubitari.* Ignorationem cauſarum mirationem facere rectè cenſent Philoſophi: Ne igitur in Spalatenſi perſeueret, aut altiores

Ad cap. 58. Aug. ſerm. ſuper geſtis cum Emerito.

SPALAT. Num. 19. Gigas cum DD. ab eo citat. q. 8. de penſ. nu. 3. & Reb. de ben. imit.

radices agat, cum docebimus quænam ſit hæc iuris Canonici non omnium, ſed aliquorum interpretum doctrina : Primùm verò nec illum fugit nos quam minimum in rebus Theologicis tribuere iuris interpretibus: Præterea verò non eſt illorum mentem aſſecutus ; Cùm enim ſcribunt *Pontificem ſolo verbo poſſe aut Epiſcopum, aut Sacerdotem renuntiare*, de tota ordinatione minimè loquuntur, ſed de ſolo ritu formæ ; atque hoc ſolùm ſibi volunt poſſe Pontificem prætermittere ſeriem illam orationum, vnctiones & cæremonias adhiberi ſolitas, ac *in eſſentialibus*, vt loquuntur, acquieſcere : Addimus verò ſi in contraria ſententia ſint, atque velint citra impoſitionem manuum, aut legitimam cæremoniam poſſe Pontificem Sacerdotem initiare, falluntur, (liberè & audacter dicimus) ac toto cœlo errant. Conſtans enim eſt Theologorum ſententia ; *Omnia nouæ legis Sacramenta rebus ac verbis conſtare, tanquam materia & forma quæ ad eorum eſſentiam proximè ſpectent* ; Ac ſpeciatim tradunt multi, externum impoſitionis manuum ritum, materiam eſſe eſſentialem ordinis ; vt proinde nec ipſe Pontifex eam prætermittere poſſit. Non eſt verò neſcius eam adhibere ſolitos in ordinationibus Pontifices ; Neque vnquam auditum in Eccleſia eos à communi forma receſſiſſe ; Itaque quod Damianus ordinationem ſolo verbo perfici, atque beatum Petrum ſolo verbo initiaſſe Apolinarem Epiſcopum ſcribit, non alium ſenſum habet, ac planè vult Damianus abſtinuiſſe Petrum à longa illa precum recitatione, & reliquis accidentariis cæremoniis, ac eſſentialibus contentum Apolinarem Antiſtitem renunciaſſe. Eſt igitur Synecdoche in ea Damiani oratione, ac proculdubio etſi verborum dumtaxat meminerit, mens illi non fuit inficiari coniunxiſſe Petrum ſignum, adeoque materiam ſenſibilem ſcilicet manuum impoſitionem adhibuiſſe, cum verbis quibus poteſtatem ſacri miniſterij innueret ac ſignificaret. Nugatur verò Spalatenſis, qui quæ ille de *poteſtate iuriſdictionis* Simoniacis adempta dicit, ad *poteſtatem* trahit *ordinis*, quam Eccleſia non abſtuliſſet. Hic verò ſubit mirari hominem iracundum exagitandos iuris Canonici interpretes duxiſſe, in quorum tamen ſententiam poſtea deſcenderit ; *Facilè ipſe*, inquit, *& Canoniſtis conſenſerim, & factum Legati approbarim* (Damianum intelligit) *poſſe non modò Papam, ſed quemcunque Epiſcopum ſolo verbo Presbyterum & Epiſcopum facere*. Quæ igitur demen-tia eſt eos capitis arceſſere, qui hoc ipſum præſtari per Pontifices ſentiant ? At ſcilicet alia illi longe mens eſt quàm orthodoxis ; Is enim Sacramentum non eſſe *ordinationem* impiè & ſceleratè defendit, ac vult Sacerdotium nudum eſſe officium, quod dari & auferri poſſit, vt proinde ſanctiſſimarum cæremoniarum apparatu eius iudicio non indigeat, ſed hic nouiſſimus error peior eſt omnino priore, atque imperiti dogmatis falſitatem ſumus poſtea detecturi.

Thom. 3. p. 4. 60. art. 6. ad 2.

Apud Baro. to. 11. ann. 1059. nu. 59.

SPALAT. Num. 20. Sed litem ex lite ſerit, *Ordinationem porrò ſacram*, inquit, *modo Sacramentali non peragi, inde præterea ſatis confirmatur, quod Deus peculiarem ſibi reſeruauit concurſum ad legitimum miniſtrum Eccleſiaſticum inſtituendum; ſine quo miniſter legitimus non ſit : quem tamen ipſius ſpecialem concurſum noluit vlli Sacramento obligare, ſicut in veris Sacramentis eum obligauit*. Hæc quoque falſitatis ſunt plena, nec enim aliter concurrit Deus in ſacris ordinibus, quàm in reliquis Sacramentis, quibus ſimiliter nullus mortalium eum obligarit. Nimirum vt dignè accipiantur, vtque qui initiantur his probè vtantur, aut defungantur peculiari quodam influxu aſpirat, modo nullus ſubſit in ſuſcipientibus obex : Cùm verò ſubeſt communem influxum impertiiſſe contentus, ordinationem quidem ratam habet,

bet, ſed initiatum auerſatur. Locus autem Apoſtoli, *Nec quiſquam ſumit ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, non hoc probat quod ille vult. Exiſtimat enim Pauli iudicio, *quemadmodum olim apud Hebræos, diuino tantùm ſuffragio fiebant Sacerdotes, ita nunc etiam in Eccleſia per ſolam diuinam liberam electionem homines aſſumi ad Sacerdotium*, citra ſcilicet vllam hominum operam. Sed vt ingenuè dicam, non benè capio quid ſibi hoc loco velit, & obſcuriorem eius mentem reddunt quæ ſequuntur; Nam ad illa alia Pauli verba, *Ita etiam Chriſtus, inquit Paulus, non ſeipſum magnificauit vt Pontifex fieret; Neque*, inquit, *carnali propagatione ex Aaronis ſemine, vt in lege Sacerdotes, Sacerdotium eſt conſecutus Chriſtus, ſed ab eo ſolo Sacerdotium habuit qui dixit ei; Tu es Sacerdos in æternum*; Addit, *Non aliter & de ipſius Miniſtris idem verum eſt, vt nemo ſibi aſſumat honorem, neque ab hominibus niſi miniſterialiter illum habeat, ſed à Deo.* Quis verò vnquam animum induxit vt crederet, quis frontem obfirmauit vt aſſereret ab hominibus aliter quàm *miniſterialiter*, vt loquitur, pendere ordinationem? Certè mortalium nullus gratiam, quàm in ordinationibus ſacris conferri contendimus, largiri poteſt, ſed vnius Dei liberalitate nititur ſummum hoc beneficium. Meritò igitur vult Apoſtolus expectandam Dei vocationem ei, qui in Eccleſia honoré habere cupiat; ſed proculdubio non ſecus, ac Aaron vocantur, qui publica Eccleſiæ authoritate eliguntur, aſſumuntur, conſecrantur. Neque miraculo, aut ſpectabili alia aliqua deſignatione opus ſit. Fateor equidem primis Eccleſiæ temporibus diuinitus vocatos multos, vt de Matthia docet ex hiſtoria Apoſtolica Dionyſius, vt de Paulo conſtat ac Barnaba, vt quoque de Fabiano, Ambroſio, Nicolao, ac pleriſque aliis tradunt hiſtoriæ, & eſt Chryſoſtomi ſententia; *Tunc autem*, inquit, *quia nihil fiebat humanum, Sacerdotes etiam ex Prophetia veniebant: Quid eſt ex Prophetia? Ex Spiritu ſancto.* Sed hoc non ita accipiendum eſt, quaſi omnes olim priuato Dei iudicio, ac Spiritus ſancti inſtinctu, adeoque monitu initiarentur, ſed quod non rarò id contingeret; Contigiſſe certè in Timothei initiatione haud ægrè admiſerim; Exiſtimo enim his verbis, *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterij* innuere Paulum, peculiari quodam numinis impulſu, de quo extitiſſent oracula, & vt ille loquitur *præcedentes Prophetiæ*, initiatum Timotheum, verũ hoc priuilegium fuit; neque cum mandato Pauli Cretenſibus Preſbyteros & Epiſcopos daret Titus, aut alij renunciarent Epiſcopos expectaſſe eos aliquod portenti genus, aut peculiarem inſtinctum oraculo expreſſum accepimus. At Spalatenſis ſubdola cauillatione vtitur, vt ſacrum impoſitionis manuum ritum vel cuniculis ſubruat, ac conuellat.

Heb.7.

Pſal.109.

Chry. ho.5. in ep.1.Pau. ad Timoth. Τότε δὲ ἐπὶ οὐδενὶ ἀνθρώπων ἐγίνετο, ἢ ἀπὸ προφητείας ἐγίνετο οἱ ἁγιασμοί· τί ἐστι, ἀπὸ προφητείας; ἀπὸ πνεύματος ἁγίου.

1.Tim.4.

Paulus, inquit, vbi commemorat Presbyterium Timothei, gratiam Presbyteralem ipſum eſſe conſecutum ait, non per impoſitionem manuum, ſed per Prophetiam cum impoſitione manuum. Prophetiam verò quamuis Chryſoſtomus & Ambroſius, in hunc locum intelligant ipſam doctrinam Timothei, qua habilis erat Epiſcopatum ſuſtinere, mihi tamen etiam probabile videtur per Prophetiam intelligi diuinam reuelationem quæ Paulum mouerit, vt ipſum eligeret in Epiſcopum, cum adiecta manuum impoſitione, ſiue, vt vult Chryſoſtomus, per Spiritum ſanctum à quo ordinatum fuiſſe Timotheum ipſe explicat. At hîc Prophetiam tanquam cauſam impellentem ac mouentem recenſuit Apoſtolus, non verò inſtrumentũ dixit illius gratiæ, ſed ipſam manuum impoſitionem. Et quidem melius Spalatenſi locum in-

SPALAT. Num.20.

Chryſ.in 1. Tim.ho.5.

Digitized by Google

Caluin.in Comment. ad c.4.1.ep. ad Timoth.

tellexit Caluinus, *Data eſt*, inquit, *illi gratia per Prophetiam; Quomodo? quia ſcilicet Spiritus ſanctus oraculo deſtinauerat Timotheum, vt in ordinem Paſtorum cooptaretur: Neque enim delectus tantùm fuerat hominum iudicio, vt fieri ſolet, ſed præceſſerat ſpiritus nuncupatio. Dicit Apoſtolus collatam eſſe cum impoſitione manuum, quo ſignificat, vnà cum miniſterio neceſſariis etiam dotibus ornatum fuiſſe.* Itaque etiam iudicio Caluini cauſa tantùm impellens, ac mouens fuit ſpiritus oraculum. Sed quid Caluino hîc opus ſit? Audiamus de ipſa illa manuum

2.Tim.1.

impoſitione differentem Paulum. *Admoneo te* (Timotheum alloquitur) *vt reſſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te, per impoſitionem manuum mearum*: vides vt idem illi ſit; *Cum impoſitione manuum*, ac *per impoſitionem manuum* qua Timotheum initiauerat. Quanquam autem per impoſitionem manuum conferatur illa gratia, proculdubio, vt diximus, à Deo tanquam à Principe cauſa pendet, nec à manibus eſt ordinantium, niſi tanquam ab inſtrumentaria cauſa; Namque, vt

Suprà.

differebat Ambroſius, *Homo imponit manum, ſed Deus largitur gratiam.* Redeo iam ad eos authores quos teſtes profert, vt probet Deum peculiari quodam influxu concurrere ad legitimum Miniſtrum Eccleſiaſticum inſtituendum, ſine quo miniſter legitimus non ſit, quem tamen concurſum; *Noluit*, inquit, *vllî Sacramento obligare, ſicut in veris Sacramentis eum obligauit.* Primùm igitur de influxu peculiari ſupra ſtatuimus, non alium illum eſſe, quàm qui in reliquis Sacramentis quoque aſpiret; quò ſcilicet is qui accipit rectè vtatur: Addo verò pro conditione Sacramentorum illum attemperare Deum, & quod Sacerdotium res ſit implicatiſſima, mille curis, laboribus & difficultatibus obnoxia, vberiore quadam gratia eis afflare, qui huic oneri humeros ſupponunt; quod tantùm abeſt, vt Sacramenti rationem ei detrahat, vt etiam illuſtriorem reddat doctrinam, quæ proprij nominis Sacramentum eſſe contendit. Quanquam enim Deus Optimus Maximus cauſa ſit liberrima, placuit tamen ſummæ ipſius bonitati peculiarem, ac priuatum donorum ſuorum influxum, quaſi ex condicto & pacto Sacramentis obligare, cuius beneficio qui accipiunt ritè vtantur. Non igitur alium quærat, Deum gratiæ ordinationis obligantem, quàm Deum ipſum, tanti muneris authorem.

Spalat. Num.21. Areop.de Eccl.Hier.

Hoc ſcilicet ſibi voluit Dionyſius loco à Spalatenſi citato, *Sanctam*, inquit, *conſecrationem, & eorum qui conſecrantur prædicationem Pontifex recitat. Quod quidem myſterium declarat Pontificem, cui Deus charus ſit interpretem eſſe diuinæ creationis, ſiue electionis; qui non ſuo munere eos qui conſecrantur ad Eccleſiaſtici ordinis honorem, virtutemque offerat; ſed diuini numinis inſtinctu agitatus, in omnibus conſecrationibus quæ Pontificem attingunt. Sic Moyſes ſacrorum legis myſteriorum interpres ac præfectus, ne Aaronem quidem, qui frater erat, ante ad Pontificiam dignitatem extulit, quam alioquin Deo charum eſſe, ac dignum Sacerdotio exiſtimaret, quam ad id agitatus Deo conſecrationis Principe, conſecrationis ritum & munus, vt Pontifex executus eſt.*

Spalat. Num.22.

Cypriani mentem ſuprà aperuimus ac oſtendimus eſſe multos, qui honoribus Eccleſiaſticis potiantur, haud quanquam à Deo vocatos, quod attinet ad peculiarem afflatum, quo ſoli probi & innoxij ad eos capeſſendos excitantur, omnibus tamen qui legitimè initiantur adeſſe Spiritum ſanctum, vt Sacramentum accipiant. Florum quem laudat, non intellexit; neque enim ille ſacræ ordinationi aliquid detrahit, aut etiam eam attingit; ſed ordinationem ipſam ex nutu & authoritate Imperatorum, Regum aut Principum non pendere omnino

contendit,

contendit, totuſque eſt in eo argumento illuſtrando. Non igitur gratiam Dei, & fidem ſuſcipientis ſacro ritui ac *manuum impoſitioni*, à qua nolit initiationem pendere, opponit; ſed humanum arbitrium intelligit fauorem Principum, quem ius initiationis aut conſecrationis tribuere poſſe negat: hæc tam clara ſunt in Flori illo fragmento, vt oculos ſibi eruiſſe videatur Spalatenſis, qui non hæc aduerterit. Verba eius ſunt: *Vnde*, inquit, *grauiter quilibet Princeps delinquit, ſi, vt hoc ſuo beneficio largiri poſsit, exiſtimat, quod ſola diuina gratia diſpenſat, cùm miniſterium ſuæ poteſtatis in huius negotium peragendo adiungere debeat, non præferre. Denique vt iſtius rei nonnulla proferantur exempla, puto quod de ordinatione beati Martini, quando ex Monaſterio ſub alia occaſione eductus, & à populo comprehenſus, atque ad Eccleſiam productus eſt, & continuò ab Epiſcopis, qui ad hoc inuitati fuerant, conſecratur, nemo Principum huius ſæculi fuerit interrogatus. In Eccleſia quoque Lugdunenſi ſic religioſa olim, & venerabilis conſuetudo fuit, ſicut antiqua narrat hiſtoria, ſcilicet vt defuncto Pontifice omnis in vnum conueniret Eccleſia, & triduano ieiunio, communi verò ac ſupplicatione celebrato, quemcunque eis Dominus per reuelationem, ſiue ex eorum Clero, ſeu aliunde oſtenderet, ipſum ſine dubio Antiſtitem conſtituerent; quod de beato Eucherio præfatæ vrbis Epiſcopo, & doctore egregio, ſanctiſſimæ vitæ eius liber manifeſtè teſtatur impletum. Qui cùm eſſet ex nobiliſſimo Senatorum genere oriundus, & huic ſæculo abrenuntians, omnique facultate ſua in pauperes ob amorem Chriſti diſtributa, partibus Prouinciæ in quodam ſpecu retruſus, atque ibi ſoli Deo ieiuniis & orationibus vacans latitaret, tali reuelatione oſtenſus atque inuentus, in Pontificali regimine locatus eſt: ex quo certiſſimè conſtat, quòd omni illo tempore, quo tantam bonitatem, ſiue gratiam omnipotens Deus in illa voluit Eccleſia demonſtrare; valebat ac ſufficiebat ad conſecrationem rectorum, ſola eius gratia, & fides Eccleſiæ deuota. Sed & in Romana Eccleſia, vſque in præſentem diem cernimus abſque interrogatione Principis, ſolo diſpoſitionis iudicio, & fidelium ſuffragio legitimè Pontifices conſecrari, qui etiam omnium regionum & ciuitatum quæ illi ſubiectæ ſunt, iuxta antiquum morem eadem libertate ordinant, atque conſtituunt Sacerdotes. Nec adeò quiſquam abſurdus eſt, vt putet minorem illic ſanctificationis diuinæ eſſe gratiam, eò quòd nulla mundanæ poteſtatis comitetur auctoritas. Quæ omnia non ideò dicimus, quaſi poteſtatem Principum in aliquo minuendam putemus; vel contra religioſum morem regni aliquid ſentiendum perſuadeamus: ſed vt clariſſimè demonſtretur, in re huiuſmodi diuinam gratiam ſufficere, humanam verò potentiam niſi illi conſonet, nihil valere. Quapropter in ſacris canonibus Patrum, vbi plurimæ cauſæ commemorantur, ſine quibus Epiſcopalis ordinatio irrita habenda eſt, de hac re nihil inuenitur inſertum.* An non igitur Spalatenſis valdè eſt acutus, qui fauorem Principum cum ſacro ritu confuderit? Quod autem addit Florus, abſque *gratia Dei humano arbitrio non poſſe* concedi Sacerdotium, verum omnino eſt, tum primùm quia de gratia Sacramenti etiam loquitur, tũ verò quia non ſunt hæc humani arbitrij, nec ab homine, niſi vt ab inſtrumentaria cauſa adhibentur, à Deo verò vt à principe cauſa præſtantur: Docet igitur quid ab vnoquoque initiandorum præſtari par ſit, & nullo vitio deformatam ſpectat ordinationem. Non autem negamus peccare, imò ſacrilegio ſe contaminare indignè accedentem, ſed hoc tantùm volumus improbitatem hominis vacuitatem miniſterij non inducere, ſi modò cætera non deſint. Hæc certè cum efficacitate ordinationis non pugnant, cùm ex ſententia quoque Philoſophorum, *Actus ſint Actiuorum in patiente diſpoſito.*

Apud Baro. to. 12. in append. ad an. 813.

Digitized by Google

Spalat. Num. 23. Sed litibus inuoluimur nouis, & tot incommodis ſublatis in eorum locum plura ſuccedunt. *Quid quod*, inquit Spalatenſis, *non modò delebilem & amißibilem, vt iam oſtendimus, reperimus ſacrum ordinem, ſed etiam iterabilem, num propterea erit Sacramentum imprimens characterem?* Certè Patres Concilij Nicæni, Theod. l. 1. Hiſt. c. 9. *ita ſcribunt ad Alexandrinam Eccleſiam & Ægyptios: Illi autem qui ab eo (Meletio ſchiſmatico) Presbyteri deſignati ſunt, ſimul atque ſanctiore ordinatione confirmati fuerint, hac conditione in Eccleſiæ communione admittantur, nimirum vt Eccleſiaſticæ dignitatis & Miniſterij gradum habeant illi quidem, ſed tamen omnibus Presbyteris in ſingulis Prouinciis & Eccleſiis verſantibus, qui ſunt ab honoratißimo viro & Collega noſtro Alexandro ordinati, ſint omnino inferiores. Cyrillus verò Alexandrinus Ioannem Chryſoſtomum ab Epiſcopatu depoſitum, inter Laicos relatum fuiſſe cenſet; vt propterea nomen eius non eſſet in ſacra diptycha inter Sacerdotes reponendum. Conſequens, inquit, non eſt vt Laicus Sacerdotali dignitate eminentibus adnumeretur.* Apud Baro. to. 5. an. 412 nu. 57. Quod attinet primùm ad Concilium Nicænum, verba Epiſtolæ à magna Synodo ad Alexandrinos ſcriptæ, non aliud præ ſe ferunt, quàm Meletij cauſa cognita, ob pacem Eccleſiæ cum eo ac aſſeclis ita tranſactum, vt ipſe quidem nomen Epiſcopi retineret, ſed muneris functione abſtineret; qui verò eſſent ab eo initiati primùm *arcanioribus ſacratioribuſque ſuffragiis confirmarentur*, ac ad communionem admitterentur, honoremque ac functionem miniſterij quidem obtinerent, ſed omnibus in vniuerſum ab Alexandro legitimo Alexandriæ Epiſcopo initiatis, dignitate cederent, contenti ſecundum locum tuliſſe; Atqui hæc quidem docent præmiſſa reconciliatione in redintegratione Apoſtatarum, & hæreticorum in Eccleſia adhiberi ſolita, eos primùm ſuæ dignitati reſtitutos ac redditos, hoc enim ſignificant illa verba, In Epiſt. Conc. Nic. τοὺς δὲ ὑπ' αὐτῶ καταστάντας, μυστικωτέρα χειροτονία βεβαιωθέντας, κοινωνηθῆναι ὅπη τύποις. ἐφ' ᾧ τι ἔχῃ μὴν αὐτοὺς τῶν τιμῶν ἢ λειτουργίαν. *Simulatque ſanctiore ordinatione confirmati fuerint, hac conditione in Eccleſiæ communionem admittantur.* Sed iteratò eos fuiſſe ordinatos non probant; Exiſtimaſſe verò ſanctiſſimos Patres eos verè fuiſſe ordinatos, argumento eſt, quod prioris dignitatis intuitu, & miniſterij reſpectu quodam, ſit eis conceſſum Sacerdotio in Eccleſia fungi; Non enim inſecutæ poſtea confirmationis intuitu id eis tributum, ſed ob prius acceptam ordinationem tã eſt manifeſtum, vt probatione non indigeat. Quid enim attinuiſſet de illis cenſere, cũ ordinatos à Catholicis Epiſcopis functione, & munere Sacerdotij gaudere debere nemo dubitaret? Quorſum verò eſt illud additum, *Vt ſecundum prorſus locum ab omnibus cuiuſcunque Prouinciæ & Eccleſiæ exploratis, ac per Reuerendum Alexandrum electis, atque deſignatis Epiſcopi haberent*; Niſi quod factæ à Meletio qui Epiſcopos eos renunciarat, ordinationis rationem ſibi habendam duxerit magnum Concilium? Quod attinet ad Cyrilli pronunciatum contra Chryſoſtomum, næuus eſt in pulcherrima facie; ſiquidem Cyrillus Theophili Patriarchæ Alexandrini nepos, non ſolùm patrui in Cathedra Epiſcopali ſucceſſor, ſed etiam quaſi ex aſſe odij eius in Chryſoſtomum hæres initio vehementius, quàm tantum virum deceret, in demortui Chryſoſtomi memoriam ſæuiit; ac obſtinatiſſimè ne eius nomen Apud Baro. vbi ſuprà. ſacris diptychis redderetur prohibuit. Tandem tamen & Iſidori Peluſiotæ, ac Attici Conſtantinopoli Epiſcopi, qui & ipſe Chryſoſtomi cineres vexarat hortatu & diuino, vt ferunt, monitu iras poſuit, & fœlicis recordationis

Antiſti-

Digitized by Google

Antiſtitem in albo bene meritorum de Eccleſia Epiſcoporum repoſuit. Quod autem inter Laicos annumerandum cenſuit, præterquam quod exulcerati animi cenſura ea fuit, certum eſt in Laicorum numero reponi ſolitos Eccleſiaſticos, qui ab ordine defeciſſent, (defeciſſe verò Chryſoſtomum ob defenſum Origenem eius hoſtes prædicabant) non ob abolitum characterem, ſed ob detractã dignitatem, & omnẽ Eccleſiaſticæ poteſtatis vſum interdictũ, qua etiam ratione non alio iure quàm Laicorum in Eccleſiæ eſſe cõmunione cenſerentur. Hoc enim vt aduertit eruditiſſimus Aurelianenſis Antiſtes, quẽ honoris & amicitiæ gratia nomino, omninò ſibi vult *Communio Laica* ad quam amandabãtur. *Communio*, inquit, *Laica erat, eſſe in Eccleſia, & de Eccleſia tanquam Laicum, ita vt qui Eccleſiaſticus Laicæ communioni deputabatur, gradu ſuo perpetuò excideret, & ex Clerico fieret Laicus: quod ſi Euchariſtiæ participaret, Laicorum more, non more Eccleſiaſticorum participaret.* Sed nos etiam Conciliorũ authoritate vexat Spalat. *Concilium*, inquit, *Toletanum quartum, Clericos iniuſtè etiam degradatos, ſupponit verè totum ordinem amiſiſſe, vt propterea in ipſorum reſtitutione nouam debeant ſuorum ordinum accipere collationem; ſic enim habet; Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus, ſi à gradu ſuo iniuſtè deiectus in ſecunda Synodo innocens reperiatur, non poteſt eſſe quod fuerat, niſi gradus amiſſos recipiat coram altario de manu Epiſcoporum; ſi Epiſcopus eſt orarium, annulum & baculum; ſi Presbyter orarium & planetam; ſi Diaconus orarium & albam; ſi Subdiaconus patenam & calicem. Sic & reliqui gradus ea in reparationem ſui recipiant, quæ cùm ordinarentur perceperant.* Hæc Concilium. Addit verò Spalatenſis, *In traditione verò iſtarum rerum, & inſtrumentorum conſiſtere Sacramentum ordinationis plurimi ex noſtris decernunt Theologi. Cùm verò Concilium hoc iſta repetat, planum eſt penes ipſum ordinationem eſſe meram Miniſterij deputationem, quæ auferri poſsit & reddi. Quinimo Romanum præterea quoddam Concilium ſub Stephano quarto cenſuit, & ipſum ſemel à ſchiſmaticis ordinatos, iterum debere à Catholicis conſecrari.* Sed quis vnquam vel fando audiuit, vel legendo didicit, aut in traditione orarij & planetæ, ac ſimilium inſtrumentorum poſitam eſſe rationem Sacramenti ordinis? Ego certè nullum vidi ex Scholaſticis qui id aſſereret; Scio in traditione calicis & patenæ, cum hoſtia aliquos poſuiſſe materiam Preſbyteratus; ſed valdè hoſpes eſt & peregrinus in re Eccleſiaſtica Spalatenſis, ſi planetam aut orarium, aut annulum eſſe calicem exiſtimet. Ad Concilium igitur reſpondeo, cùm de Innocentibus agatur eo Canone, proculdubio vel cæcis conſtare, eorum inſtrumentorum cùm ſuæ dignitati redderentur, adhibitionem vſurpatam, vt omnibus eſſet exploratum gradu & dignitate ſua, quod etiam innuit Concilium non excidiſſe, ac per calumniam & ſummam iniuriam loco ſuo motos, ac pulſos fuiſſe. Sed opponit Spalatenſis: *In Concilio Romano ſtatutum eſt (inquit Anaſtaſius Bibliothecarius) vt omnia quæ idem Conſtantinus (ſchiſmaticus) in Eccleſiaſticis Sacramentis ac diuino cultu egit, iterari debuiſſent præter ſanctum baptiſma, ac ſanctum Chriſma.* Reſpondeo nodum hunc ritè ſoluit Cardinalis Baronius, reque ad amuſſim Eccleſiæ expenſa, optimè reſpondit, *iteratam hanc conſecrationem, de qua agit Bibliothecarius; Reconciliationis cuiuſdam benedictionem fuiſſe, quæ in ſimilibus caſibus vſurpatur, non iteratam ordinationem.* Propterea autem in ſacris ordinationibus ea reconciliatione teneri à pſeudo-Epiſcopo Pontifice Conſtantino initiatos vo-

Lib. 1. obſeru. 4.

Conc. Tol. 4. c. 27.

Eod. nu. 25.

Baro. to. 9. an. 769. n. 7.

luit Concilium, non verò in Sacramento baptiſmi aut confirmationis, quod ex his nullam conſecuti eſſent Eccleſiaſticam dignitatem; ex vi autem ordinationes eſſent Eccleſiæ præſules, aut miniſtri renunciati; Namque cùm omnes omni honore priuandos, & acceptos in ſchiſmate ordines repudiandos cenſeret Concilium, addendum putauit ſi reſipiſcerent, ea conditione tantùm admittendos eſſe, vt iteratò conſecrarentur, hoc eſt benedicerentur, ac Eccleſiæ reconciliarentur, quo ſignificaretur indulgentius cum illis egiſſe Pontificem.

SPALAT. Num. 24. Iam ad abſurdum nos deducere conatur Spalatenſis, vrgetque ex noſtro dogmate inextricabiles ſequi difficultates; *Canoniſtæ*, inquit, *ferè omnes in capite Cleros diſtin. 21. & in capite perlectis diſtin. 25. ac cum ipſis non pauci ex antiquioribus Scholaſticis, atque vltimo loco Bellarminus nouum & diſtinctum à Presbyteratu faciunt Epiſcopatum. Ac certè poſito quod ordo ſit propriè Sacramentum, cùm Sacramentalis operatio conſiſtat in indiuiſibili, ad hoc omnino coguntur, ſiquidem ipſi quoque conſtanter aſſerunt iure diuino Epiſcopos eſſe Presbyteris ſuperiores; alioquin ſi ordinatio etiam diſtincta non ſit, defendere illud nulla ratione poſſunt, quod expreßè fatetur Bellarminus. Sic ergo philoſophantur; Epiſcopatus eſt ordo ita à Presbyteratu diſtinctus, vt tamen in ſe eſſentialiter includat Presbyteratum; ſicut intellectiuum eſſentialiter includit ſenſitiuum, licet intellectiuum ſit aliquid diuerſum à ſenſitiuo. Vt propterea Epiſcopus eſſe non poſſit, qui non ſit Presbyter; ſed dum Presbyter ordinatur in Epiſcopum, aut nouum characterem aſſequitur à Presbyterali diſtinctum; aut additionem quandam aſſequitur characteri Presbyterali cuiuſdam gradus, quem prius non habebat; nam aliqui extendunt duntaxat characterem Presbyteralem ne nouum inducant; ſed bene oſtendit Bellarminus hanc extenſionem eſſe non poſſe, niſi cum reali ipſius augmento; ſi ergo reale ſit augmentum, tantumdem eſt, ac ſi nouus imprimatur. Atque ex hoc nouo charactere, ſeu additione reali volunt habere Epiſcopum nouam quandam poteſtatem, quam Presbyter non habet, nimirum ordinandi & confirmandi. Probant verò Epiſcopatum eſſe ordinem; Primò quia ſcripturæ vbi de ordinatione vera & perfecta loquuntur, ſemper de Epiſcopatu loquantur, vt 1. Timoth. 4. 2. Timoth. 1. Actor. 13. Secundò, Quia Patres vbicunque de Sacerdotio loquuntur, intelligunt Epiſcopatum. Tertiò, Quia Epiſcopalis ordinatio repeti non poteſt, & duo poteſt conferre Sacramenta, Confirmationem & Ordinem, quæ non poſſunt alij. Quartò, Quia confertur gratia, nam ſi propterea Presbyteralis ordo confert gratiam, quia Sacerdos debet poſſe dignè miniſtrare quædam Sacramenta; etiam Epiſcopatus debet eam conferre, quia etiam Epiſcopus debet quædam alia Sacramenta miniſtrare, quæ Presbyter non poteſt. Etſi quæras ex ipſis; quid ſi ordinetur in Epiſcopum aliquis immediatè non præmiſſa ordinatione Presbyterali? Reſpondent de eſſentia Epiſcopi eſſe, vt vtraque ordinatione ordinetur, alioquin nihil aſſequeretur.*

Bella. l. 1. de Cler. c. 5.

SPALAT. Num. 25. Contra verò addit Spalatenſis, *Alij plurimi Theologi, communiter etiam Scholaſtici, Epiſcopatum nouum ordinem non agnoſcunt, ſed eundem prorſus qui eſt Presbyteratus. Ita Aquinas, Alenſis, Albertus, Bonauentura, Richardus, Dominicus, Sotus, & alij; Sed hi quoque ad magnas anguſtias redigi poſſunt, ex eo quod iam etiam nos probauerimus, iure diuino Epiſcopum eſſe ſuperiorem Presbytero, habereque poteſtatem ſaltem miniſtros ordinandi etiam Epiſcopos, quæ poteſtas in Presbytero nulla eſt. Aut ergo diuerſum ordinem à Presbyteratu diſtinctum debent admit-*

tere

tere in Epiſcopatu conferendo, aut Presbyteralem characterem per additionem graduum extendere debent, per nouam ordinationem Epiſcopalem. Quæ extenſiones & additiones ſunt inexplicabiles: ſicut & multiplicare diuerſos ordines, eſt etiam multiplicare Sacramenta, ex iis præſertim quæ dicuntur à nobis imprimere characterem. Reſpondeo primùm ad inextricabiles illas difficultates, quas imaginatur Spalatenſis, non debere earum cauſa quæcunque illæ ſint, nobiliſſimum Sacramentum ex aliorum albo expungi; Quando quidem eſt hoc illi cum reliquis commune, quod cùm in omnibus, Res ſenſibiles ac notæ, quod ad naturam attinet, infimæ, ad pleraque mira efficienda aſſumantur, non ſtatim conſtet quonam pacto id præſtent. Habet baptiſmus ſuas difficultates; habet Euchariſtia in cuius veneratione, ſi id ſequimur, quod minus inuolutum difficultatibus nobis videtur, Sacramentorum Sacramentum peſſumdamus, aut potius funditùs euertimus. Quod attinet verò ad Scholaſticorum illas pugnas de diſtincto charactere in Epiſcopo & Preſbytero, aut de extenſione Sacerdotalis characteris in Epiſcopo, proculdubio vtraque opinio probabiliter defendi poteſt. Magnus Aquinas, Alexander Alenſis, Albertus, Bonauentura, Richardus, ac ferè veteres quique Scholaſtici, & ex recentioribus Dominicus Soto, vnum & eundem eſſe characterem Preſbyteri & Epiſcopi volunt, qui tamen in Epiſcopo extendatur, vt ſcilicet ad potiores Sacerdotij effectus qui Epiſcopatum conſequuntur, ſeſe fundat. Iuris verò Canonici interpretes duos diſtinctos characteres faciunt, quod nimirum poteſtate omnino diuerſa longeque excellentiori ea qua Preſbyteri effulgent, donentur, qui Epiſcopi renunciantur, quippè quibus ex officio conueniat initiare ſacris, ac confirmationis Sacramentum impertiri, quod Presbyteris neutiquam conceditur. Hanc iuris Canonici interpretum opinionem noſtro ſæculo viri doctiſſimi amplexantur, & vt meum quoque inter ponam iudicium, exiſtimo eam propius à vero abeſſe. Namque cùm Epiſcopatus verè ordo ſit, plenamque Sacramenti rationem obtineat, & vim ex ſe habeat conferendæ gratiæ, omnino concedendum videtur diuerſum in eius ſuſceptione imprimi characterem, cuius etiam adminiculo Epiſcopus nouam illam poteſtatem ſortiatur confirmandi atque ordinandi, quàm preſbyteri in ſua initiatione non accipiant; Tollit verò ea opinio inextricabiles illas difficultates, quas ſibi fingit Spalatenſis, vt proinde de illis valdè ſolliciti non ſimus; Sed iam inaudita paradoxa in Theologiam & Eccleſiam inducit.

Primũ eſt *ordinem non eſſe verum Sacramentum, ſed meram ad miniſterium deputationem ſine vllo charactere; vult verò huic deputationi ita adeſſe Deum, vt pro ratione miniſterij poteſtatem conſentaneam tribuat, his quidem quos Epiſcopi ad Presbyteratum promouent, Presbyteralem poteſtatem, his quos in Epiſcopos ordinant Epiſcopalem.* Atqui hæc mera ſunt Chriſtianæ religionis ludibria, ab hæreticis pridem excogitata, quorum Epiſcopum ſi ſuæ dignitatis illi aliquis ſenſus eſſet, maximè pudere deberet. Ordinem enim in Eccleſia poſitum turbat, & eam confuſionem inducit, quam in veteribus hæreticis ſuggillarunt ſanctiſſimi Patres. *Ordinationes eorum temerariæ, leues, inconſtantes*, inquit Tertullianus, *nunc neophytos conlocant, nunc ſæculo obſtrictos, nunc apoſtatas noſtros, vt gloria eos obligent quia veritate non poſſunt. Nuſquam facilius proficitur, quam in caſtris rebellium, vbi ipsũ eſſe illic, promereri eſt. Itaque alius hodie Epiſcopus, cras alius; hodie Diaconus, qui cras Lector; hodie Presbyter, qui cras Laicus. Nam & Laicis Sa-*

SPALAT. Num. 26.

Tertull. de præſcript. adu. hæret. c. 41.

cerdotalia munera iniungunt. Quid enim inconſtantius cogitari poſſit, quàm eum de cuius manu Euchariſtiam acceperis, aut quo hodie initiante ſis Sacerdos renunciatus, cras in prophani hominis loco habere? Quàm melius & ſapientius Auguſtinus verus Eccleſiæ Antiſtes, & ordinationem Sacramentum eſſe & cha-ra-rem, qui tolli nuſquam poſſit imprimere, cenſet, ac exemplo baptiſmi probat? *Sacramentum baptiſmi,* inquit, *eſt, quod habet qui baptizatur, & Sacramentum dandi baptiſmi eſt, quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptiſatus ſi ab vnitate receſſerit, Sacramentum baptiſmi non amittit; ſic etiam ordinatus, ſi ab vnitate receſſerit, Sacramentum dandi baptiſmi non amittit; Nulli enim Sacramento iniuria facienda eſt, ſi diſcedit à malis, vtrumque diſcedit; ſi permanet in malis, vtrumque permanet. Sicut ergo acceptatur baptiſmus, quem non potuit amittere qui ab vnitate diſceſſerat; ſic accipiendus eſt baptiſmus, quem dedit ille qui Sacramentum dandi cùm diſcederet, non amiſerat. Nam ſicut redeuntes, qui priuſquam recederent baptizati ſunt non baptizantur, ita redeuntes, qui priuſquam recederent, ordinati ſunt, non vtique rurſus ordinantur, ſed aut adminiſtrant quod adminiſtrabant, ſi hoc Eccleſiæ vtilitas poſtulat, aut ſi non adminiſtrant, Sacramentum ordinationis ſuæ tamen gerunt, & ideo eis manus inter Laicos non imponitur.* Item. *Vtrumque enim Sacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur, illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur:* Et paulò pòſt; *Sicut baptiſmus in eis, ita ordinatio manſit integra, quia in præciſione fuerat vitium, quod vnitatis pace correctũ eſt, non in Sacramentis quæ vbicunque ſunt, ipſa vera ſunt. Et cùm expedire hoc videatur Eccleſiæ, vt præpoſiti eorum venientes ad Catholicam ſocietatem, honores ſuos ibi non adminiſtrent, non eis tamen ipſa ordinationu Sacramenta detrabuntur, ſed manent ſuper eos, ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, ſed ipſi Sacramento fiat iniuria.* Item. *Si fiat ordinatio cleri ad plebem congregandam, etiamſi plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis, etſi aliqua culpa quiſquam ab officio remoueatur, Sacramento Domini ſemel impoſito non carebit, quamuis ad iudicium permanente.* Conſentiunt alij Patres, qui iterandas ordinationes negant: Sic enim Gregorius ad Rauennatem Epiſcopum; *Illud autem,* inquit, *quod dicitis, vt is qui ordinatus eſt iterum ordinetur valdè ridiculum eſt, & ab ingenij veſtri conſideratione extraneum; niſi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo & ille iudicandus eſt, qui tale aliquid feciſſe prohibetur. Abſit autem à fraternitate veſtra ſic ſapere. Sicut enim baptizatus ſemel, iterum baptizari non debet, ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum ordine conſecrari non debet.* Vides vt magnus Pontifex ſententiam ſtultam, & bono ingenio parum dignam Spalatenſis dogma pronunciet? In eandem ſententiam non pœnitendus author operis de Cardinalibus operibus Chriſti, cuius Commentarius nomine Cypriani præfertur, *nemo ſacros ordines renouat.* Eſt igitur hoc deſertoris paradoxum futilitatis, nouitatis & falſitatis plenum. Sed pergit ineptire.

Aug. to.7. contr. Donatiſt. l.1. c.1.

Idem to.7. contr. ep. Parm. l.2. c.13.

Idem to.6. de bono coniugal. c.24.

Greg l.2. ep. 32. ad Ioan. ep. Rauennæ.

De Cardin. op. Ch. inter oper. Cypr.

SPALAT. Num.27.

Ex his ita explicatis, inquit, *manifeſtum redditur, quid ſit dicendum de alicuius ordinatione ex Laico, ſeu Diacono, alioue gradu infra Presbyteratum immediatè in Epiſcopum: Is enim pleniſſimè erit Epiſcopus, & ex tali ordinatione habet totam etiam Presbyteralem poteſtatem. Cùm enim Epiſcopatus eſſentialiter contineat Presbyteratum, imò eſſentialiter ſit Presbyteratus cum quibuſdam accidentalibus, quæ in Presbyteratu non ſunt, atque in his eſſentialibus quæ ſpectant ad miniſterium,*

rium, vnicus & idem ſit ordo Epiſcopalis & Presbyteralis, vt præcedenti cap. num. 9. eſt à me explicatum; Profecto dum Epiſcopus ordinat Epiſcopum, eſſentialiter etiam facit presbyterum: Quod ſi ille iam presbyter erat, ordinatio ipſius in Epiſcopum non facit denuo illum presbyterum, ſed addit illi ea quæ ſunt propria Epiſcopalis poteſtatis. Hoc ſuo deliramento etiam rectè probauerit poſſe hominem rationis participem eſſe citra vllum animæ ſentientis aut vegetantis gradum; Vt enim anima rationis particeps ſentientem & vegetantem neceſſariò conſequitur, neque informando corpori deſtinatur, antequam illæ fœtum formauerint; Vnde eſt illud Philoſophorum hominem primùm vita plantæ, demum vita bruti, ac demum nobiliori & excellentiori ac rationis participe vita viuere, ita proculdubio preſbyteratus character Epiſcopali characteri tanquam neceſſaria præparatio ſubiicitur, adeoque ita intimè ad Epiſcopatus naturam pertinet, vt hæc ſine illa conſiſtere nequaquam poſſit: Hoc probant Patres omnes qui Epiſcopatum *ſummum Sacerdotium* vocant, ac Epiſcopum *primum Sacerdotem* faciunt: Qui enim Epiſcopus ſummus Sacerdos haberi poſſit, qui Sacerdos non ſit? Propterea ſcilicet Patres Concilij Sardicenſis nebulonis illius Iſchyræ, qui acerbè Athanaſium vexarat ordinationem in Epiſcopum apud Theodoretum vehementiſſimè exagitant, quod ſcilicet quanquàm ſe à Collutho quodam initiatum iactaret, nunquam tamen eſſet presbyter verè renunciatus. Propterea etiã ſcelerato parricidæ Timotheo Æluro qui thronũ Alexandrinũ mactato potius quàm interfecto ſanctiſſimo Proterio inuaſerat crimini datum eſt, nõ à ſolis Ægypti, ſed à totius Orientis (Nicephorus ſupra mille fuiſſe ſcribit) Epiſcopis quod citra manus impoſitionem ſe Epiſcopum feciſſet, quodque priorem non habens preſbyteratus ordinẽ (vt Ægyptij loquuntur,) baptiſma contuliſſet. *Cenſuerunt Orientis Epiſcopi*, inquit Liberatus, *Timotheum non ſolùm inter Epiſcopos non habendum, ſed etiam Chriſtiana appellatione priuandum*, vt hinc appareat nunquam Eccleſiam fas duxiſſe aliquem, aut citra manus impoſitionem, aut non ſuſcepto prius ſacro presbyteratus ordine Epiſcopum renunciari. Propterea quoque Gregorius Nazianzenus oſtendit, & Athanaſium & Baſilium Orientis lumina per inferiores Eccleſiaſticos ordines quaſi per gradus ad Epiſcopatus faſtigium conſcendiſſe, neque ſummam dignitatem furatos fuiſſe. Reſpondet Spalatenſis, *Lege Eccleſiaſtica meritò ſancitum eſſe, vt Epiſcopi ex ipſo clero eligantur, & ad Epiſcopatum non niſi gradatim aſcendatur; vt qui Epiſcopus futurus ſit, prius diu ſe in miniſteriis Eccleſiaſticis exercuerit, ac præſertim in presbyteratu ſub Epiſcopo Eccleſiam rexerit.* Sed legis animam, vt ita dicam, tenere debuit, ac exiſtimare idcircò Eccleſiam eam tuliſſe, quod omnino cenſeret Epiſcopatuum tanquam præparationem planè neceſſariam preſbyteratum depoſcere, non verò ſecum vehere.

Theodor. hiſt. ecc. l. 2. c. 8.

Int. ep. pro Conc. Calched.

Niceph. li. 15. c. 16.

Lib. in breuiar. c. 15.

Greg. Naz. orat. in Athan. & in Baſil.

Diſt. 77. c. illud nos.

Digreditur iam & obtrectandi inſtitutis Eccleſiæ Romanæ anſam arripit, ex ſubitaneis aliquorum Epiſcoporum ordinationibus, in quibus id maximè culpat, quod accedente Pontificis diſpenſatione inferioribus ordinibus Subdiaconatu, Diaconatu adeoque Preſbyteratu duobus aut tribus ad ſummum interiectis diebus initientur. *Hoc*, inquit, *eſt propriè ludere, & ſanctiſſimas Eccleſiaſticas ſanctiones deludere. Ac ſanè*, ait, *ſi interdũ cauſa grauis perurget, vt Laicum ad Epiſcopatum aſſumendum eſſe cenſeamus, longè melius eſt eum immediatè Epiſcopum conſecrare, quàm per illuſionem eum lectorem facere nunquam lecturum, Oſtiarium nunquam valuas clauſurum aut aperiturum, & ita de cæteris; ac nunquam*

Spalat. Num. 17.

cum Subdiaconis aut Diaconis miniſtraturum. Reſpondeo ſi qui indulgentia Pontificis abutantur, culpam in eos coniiciendam, & quidem Lindano accedimus, de propera illa feſtinatione conquerenti, qua citra neceſſitatem aut vllam redituri alicuius ad Eccleſiam fructus imaginem ad Epiſcopatus culmen tantillo ſpatio conſcenditur; ſed legitima accedente cauſa aliquid ordinandis condonari poteſt, ita tamen vt iuxta receptam conſuetudinem gradatim apex Eccleſiaſticæ dignitatis obtineatur. Friuolum verò eſt quod opponit Spalatenſis, *per illuſionem eum fieri Lectorem, qui nunquam ſit lecturus, ac nunquam cum Subdiaconis aut Diaconis miniſtraturus*. Eſto enim, non ſit vnquam Epiſcopus illas functiones obiturus, an non par eſt eum qui ordinum omnium diſpenſator creetur, omnium quoque ordinum callere rationes? Meritò igitur non ſolùm *vt ſaltuatim non ordinetur*, verumetiam vt aduertat quarum rerum ei ſit concredita diſpenſatio, omnibus illis inferioribus ordinibus initiatur. Sed iam Photij ſchiſmatici ſceleratiſſimi teſtimonio ſe tueri nititur, qui ſcilicet ſcribat. *In quibuſdam Orientalibus Eccleſiis morem fuiſſe, vt Diaconi in Epiſcopos immediatè omiſſo presbyterali ordine conſecrarentur*: Sed non aduertit Photium ipſum hoc nefas duxiſſe, ac præter Eccleſiæ diſciplinam, & maiorum inſtituta à temerariis illis id tentatum fuiſſe. *Si quis*, inquit, *apud nos presbyterij conſecrationem præteriens, Epiſcopi honore Diaconum affecerit, vt potè qui maximè deliquerit condemnatur: quibuſdam verò pari ducitur loco è presbytero prouehere Epiſcopum, & è Diacono medium tranſilientibus ordinem ad Epiſcopi abripere dignitatem.* Sed inquit Spalatenſis. *Quis dubitet primos plures Epiſcopos ab Apoſtolis Epiſcopatum habuiſſe totum immediatè abſque præuio presbyteratu: qualis fuit Timotheus, Titus, Barnabas, Sylas Barſabas & ſimiles?* Reſpondeo iſta ſatis inconſtanter dici, ſupra enim Barnabam, Sylam, Iudam, presbyteros quoque fecit. Exemplorum iam turbam inducit, *Noſtrum in occidente*, inquit, *magnum Cyprianum Sacerdotium ſine præcedentibus ordinibus accepiſſe, narrat ipſius vitæ deſcriptor Pontius. Paulinus quoque Nolanus factus eſt de repente presbyter, nullo præuio ordine anteriori, vt ipſemet fatetur. Et Cecilianus Epiſcopus Carthaginenſis ex Diacono factus eſt immediatè Epiſcopus, & conſequenter Presbyter. Quod ſi ipſius ordinatio in Epiſcopum fuiſſet irrita, vt ei opponebant Donatiſtæ, non presbyter, ſed Diaconus remanſiſſet.* Duo priora exempla nos non valdè premunt, neque enim vt Epiſcopatum à presbyteratu, ita presbyteratum à Diaconatu pendere volumus, quandoquidem preſbyteratus eſſentialiter non includit Diaconatum, vt Epiſcopatus eſſentialiter inuoluit preſbyteratum, quamobrem eſto factus ſit Cyprianus preſbyter, nullo antea accepto ordine, præter fas quidem ac receptam in Eccleſia conſuetudinem id fuit, verè tamen conſecratus eſt preſbyter; Verùm Pontij mentem nō expreſſit Spalatenſis, neque enim ille *Cyprianum immediatè ex Diacono factum Epiſcopum* ſcribit (hoc commentum eſt Spalatenſis) ſed neophytum adhuc & nouellum *à plebe, Dei etiam iudicio electum Sacerdotem & Epiſcopum.* Verba Pontij ſunt. *Ad probationē bonorum operum ſolùm hoc arbitror ſatis eſſe, quod iudicio Dei & plebis fauore, ad officium ſacerdotij* (audiſne) *& Epiſcopatus gradum adhuc neophytus, & vt putabatur nouellus, electus eſt.* Electum igitur à plebe nouellum & neophytum audio, ſed citra ordinationem in presbyterum, renunciatum Epiſcopum non audio. Imo audi Pontium. *In illo omnia incredibilia cucurrerunt. Præuenit ſi poteſt dici (res enim fidem non capit) præuenit, inquam, tritura ſementem, vindemia palmitem, poma radicem, &c. Mora denique*

Spalat. Num. 28.

Apud Bar. tom. 10. an. 861. n. 51.

Sup. c. 3. n. 32.

Paul. ep. 16. ad Seuerū. Et ep. 22. ad Amandum.

In vita Cyprian.

Pontius in vita Cypr.

denique circa gratiam Dei nulla; nulla dilatio. Parum dixi: Presbyterium & Sacerdotium ſtatim accepit. Quis enim non omnes honorum gradus crederet tali mente credenti? Vides omnes Eccleſiaſticorum honorum gradus conſecutum Cyprianum, quare fabulas nobis narrat de eo ex Diacono *immediatè*, vt ille quidem loquitur, Epiſcopo ordinato. Hoc ſcilicet mirandum ducit Pontius, quod Neophytus ac nouellus tot támque eximios honores ſit conſequutus. Certè Catechumenum aut Neophytum Pontificem creari pro maximo incommodo habuit Hieronymus. Verſans enim illa verba; *Non Neophytum, ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat diaboli. Mirari, inquit, ſatis non queo, quæ hominum tanta ſit cæcitas, de vxoribus ante baptiſmum diſputare, & rem in baptiſmate mortuã, imò cũ Chriſto viuificatam, in calumniam trahere, cùm tam apertum euidenſque præceptum nemo cuſtodiat. Heri catechumenus hodie Pontifex; heri in amphitheatro, hodie in Eccleſia, veſpere in circo, manè in altario, dudum fautor hiſtrionum, nunc virginum conſecrator.* Quod attinet ad Paulinum populi impetum pro Eccleſiæ diſciplina obtrudit aduerſarius; Audiamus eum de priore ſua ordinatione diſſerentem: *Nam ego*, inquit, *etſi à Delphino Burdegaliæ baptizatus à Lampio apud Barcilonam in Hiſpania, per vim inflammatæ ſubito plebis ſacratus ſim, tamen Ambroſij ſemper & dilectione ad fidem nutritus ſum, & nunc in Sacerdotij ordine confoueor. Denique ſuo me clero vendicare voluit, vt etſi diuerſis locis degam, ipſius presbyter cenſear.* Non dubium igitur opera Ambroſij poſtea allectum in ordinem cleri Mediolanenſis Paulinum poſt illam *inflammatæ plebis vim*, ſuſcepiſſe ex more Eccleſiæ priores ordines, qui vt neceſſarij non ſint, preſbyteratui accipiendo, ita tamen ferunt Eccleſiæ mores, vt presbyter his quoque initiari debeat; Iam Cecilianum ex Diacono factum Epiſcopum Optati teſtimonio profert Spalatenſis. *Ab ipſo*, inquit, *Cæciliano mandatum eſt, vt ſi Fœlix qui eum ordinauerat, ſicut illi arbitrabantur, nihil contuliſſet, ipſi tanquam adhuc Diaconum ordinarent ipſum. Fœlix porrò non niſi ſemel ei manus impoſuerat, cùm fecit è Diacono Epiſcopum.* Reſpondeo hinc non haberi *immediatè ex Diacono ordinatum Epiſcopum* Cecilianum; ſolebant enim vna eademque ordinatione & presbyteri & Epiſcopi renunciari, qui ex Diaconis creabantur Epiſcopi, quamquam diuerſo ritu, nec dubito Fœlicem cùm Cæcilianum ordinauit, non ſolùm eum Epiſcopum, ſed & preſbyterum creaſſe, vt propterea vtrumque in loco Optati intelligendum ſit, quod etiam illa verba ſubindicant: *Tunc*, inquit, *ſuffragio totius populi Cæcilianus eligitur, & manus imponente Fœlice Aptungitano Epiſcopus ordinatur.* Fuiſſe enim initiatum Sacerdotem hæc demonſtrant, vt propterea quod iura & Patres concedunt *ex ordine diaconorum poſſe aſſumi Epiſcopum*, ſic accipiendum ſit, vt is Diaconus, primùm preſbyter, demum Epiſcopus renuncietur: Propterea verò id dicitur Diaconi priuilegium, quod iam ſacris ordinibus initiatus propius abſit ab Epiſcoporum ordine, quàm aut Laici aut inferiorum ordinum miniſtri.

Hie. ep. 83. ad Ocean.

Paulinus Alipio Epiſcop. ep. 35.

Optat. l. 1. & apud Aug. Breu. collat. 3. diei 3. c. 5.

Optat. li. 2.

Iam aggreditur Spalatenſis ad diſſoluenda argumenta, quibus orthodoxi ordinem eſſe ſacrum demonſtrant; & primùm quaſi ſua ipſe dogmata, aut potius paradoxa euerſurus opponit ſibi *multa eſſe quæ noſtram ſententiam firmare videantur. Hoc ipſum*, inquit, *multa videntur efficaciter perſuadere. Primùm quia non datur ſine cæremonia externa, præſertim manus impoſitione, vt videmus in Timotheo à Paulo, per manus impoſitionem ordinato: Qui Paulus ordinationem vocabat manus impoſitionem; Nemini cito manus impoſueris. Et Areopagita. Sa-*

Spalat. Num. 29.

1. Tim. 4. Areop. de Eccl. Hier

cerdos, inquit, flexis ante aram genibus capiti ſuo admotam Pontificis manum dexteram habet, atque ita à Pontifice qui eum conſecrat ſanctis precationibus conſecratur: Et paulò pòſt: Præcipua autem & propria pontificibus quidem diuinorum li-
Cypr. lib. 1. ep. 4. *brorum ad caput admotio, &c. Cyprianus, Quod & apud vos factum videmus in Sabini Collegæ noſtri ordinatione, & de vniuerſæ paternitatis ſuffragio, & de Epiſcoporum qui in præſentia conuenerant, quique de eo ad vos literas fecerant iudi-*
Conc. Nicęnũ can. 9. *cio, Epiſcopatus ei deferretur, & manus ei in locum Baſilidis imponeretur. Concilium Nicænum presbyteri ordinationem per manuum impoſitionem fieri ſupponit. Ita*
Antioch. can. 10. 17. Carthag. 4. Can. 2. 3. 4. Nicæn. 2. can. 14. Meldenſe can. 58. *etiam Antiochenum; Et Carthaginenſe quartum: Nicænum ſecundum ac Meldenſe etiam in minoribus conferendis. De eadem manuum impoſitione in ordinando ſcribunt Damaſus Epiſt. quinta de Chorepiſcopis tomo primo parte ſecunda Epiſtolarum Decretalium Romanorum Pontificum. Scribunt & alij permulti Romani*
c. Presbyt. de Sacram. non iteran. Theod. l. 4. hiſt c. 14. & 21. *Pontifices; Scribunt & Patres: Theodoretus ordinationes Epiſcoporum per manuum impoſitionem factas deſcribit; Idem in hiſtoriis Eccleſiaſticis paſſim habemus.*
Hier. in Iſa. cap. 58. *Hieronymus; Ordinatio, inquit, non ſolùm ad imprecationem vocis, ſed etiam ad im-*
Ambr. de dignit. Sacerd. cap. 5. *poſitionem impletur manus. Ambroſius. Homo, inquit, manum imponit, & Deus largitur gratiam. Item: Prophetia eſt qua eligitur quaſi doctor futurus idoneus; ma-*
Idem in ep. 1. Tim. c. 4. *nus verò impoſitiones verba ſunt myſtica quibus confirmatur, ad quos electus accipiens authoritatem teſte conſcientia ſua, vt audeat vice Domini ſacrificium Deo of-*
Spalat. Num. 30. *ferre.* Quid verò ad hæc Spalatenſis? *Impoſitio tamen hæc manuum,* inquit, *non poteſt dici eſſe cæremonia à Chriſto inſtituta, vt in ea conſiſtat ordinis Sacramentum: quia de tali inſtitutione nihil habemus, & in tanta re non eſt diuinandum, neque ex humanis ſolis tonitruis, quæ vix probabilitatem contineant, ſunt Sacramenta ſtabilienda. Conſtat verò manuum impoſitionem ab Apoſtolis adhiberi ſolitam, tanquam partem orationis efficacis, vbi preces pro aliqua particulari perſona funderentur, vt*
Act. 16. Act. 13. Supra ca. 2. n. 10. 11. 12. *factum eſt in noua Apoſtolica Diaconorum inſtitutione, quam non fuiſſe Sacramentalem paulò pòſt probabo: Et in Pauli ac Barnabæ ſegregatione, quam ſimiliter Sacramentalem non fuiſſe in præcedentibus, eſt à me demonſtratum. Quia igitur Miniſtri Chriſti plurimùm indigent diuina gratia, ad ritè ſua munera obeunda, in ipſorum deputatione preces efficaces adhibendas eſſe duxerunt Apoſtoli per manuum impoſitionem. Quod ſe feciſſe cum Timotheo affirmat Paulus. Ita etiam cum nuper*
1. Tim. 4. & 2. Tim. 1. Act. 8. Aug. de Bapt. cont. Donat. l. 3. cap. 16. *baptizatis faciebant Apoſtoli, vt per manuum impoſitionem inuocarent ſuper eos Spiritum ſanctum. Huiuſmodi verò manuum impoſitiones non fuiſſe Sacramentales, ſatis explicat Auguſtinus, dum de ipſis in vniuerſum illud profert. Manus autem impoſitio non ſicut Baptiſmus repeti non poteſt; quid eſt enim aliud niſi oratio ſuper hominem?* Quod ad primum attinet, vt non legamus eam manuum impoſitionem quam nos Sacramentalem ducimus, à Chriſto poteſtate excellentiæ, vt vocant, prædito vſurpatam aut traditam, tamen nonniſi ex ſpeciali Spiritus ſancti inſtinctu adhibuiſſe eam Apoſtolos in ſacrorum miniſtrorum initiationibus, dubitare nemo prudens poſſit; Cenſet quidem *Gregorius nonus eſſe ritum*
Cap. presb. de Sac. non iter. *ab Apoſtolis introductum*: Sed hoc tantùm ſibi vult, vſurpaſſe illos primos in ſacris ordinationibus, non verò inſtituiſſe. Adhibuerunt præterea preces & ieiunia, vt ex ordinationibus Pauli & Barnabæ conſtat; Hincque elicit Leo Pontifex nonniſi ſolemnioribus ieiuniorum diebus ordinationes ineundas, & in
Leo Mag. ep. 81. ad Dioſcor. Eccleſia celebrandas. *Namque,* inquit, *præter authoritatem conſuetudinis, quam ex Apoſtolica nouimus venire doctrina, etiam ſacra ſcriptura manifeſtat, quod cùm Apoſtoli Paulum & Barnabam ex præcepto Spiritus ſancti ad Euangelium gentibus*

mitterent

mitterent prædicandum, ieiunantes & orantes imposuerunt eis manus, vt intelligamus quanta & dantium & accipientium deuotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. Quod attinet verò ad vsurpatam manuum impositionem in aliis quoque negotiis Ecclesiasticis, fatemur equidem multiplicem esse impositionem manuum & compertum nobis est adhiberi in baptismo & confirmatione; nec nos fugit etiam pœnitentium reconciliationem manuum impositione fieri solitam, vt pleraque alia prætermittamus, sed hanc de qua loquimur ordini sacro peculiarem fuisse, ac Sacramentalem omnino fuisse, locus Pauli demonstrat, *Nemini cito manus imposueris.* Or- 1. Tim. 4.
dinationem enim proculdubiò manuum impositionem vocat, quod viderunt omnes Patres qui in eam epistolam Commentarios ediderunt, quique data occasione hunc locum tractarunt. Et Hieronymus quidem. *Plerique nostrum,* Hieron. ad c. 58. Esaiæ.
χειροτονίαν, id est ordinationem clericorum quæ non solùm ad imprecationem vocis, sed ad impositionem impletur manus, &c. Ridet verò Hieronymus eos qui idcircò illam fieri solitam censuerunt, vt ipsa manuum impositione super caput ordinandi moneretur & signaretur is qui vocis imprecatione ordinabatur, ne alioquin clandestina putaretur, vt postea obseruat Spalatensis, sed hac impositione manuum cum imprecatione ordinaria, dari gratiam Sacramentalem omnino censet. Consentit Theodoretus, *Manus,* inquit, *cito nemini imposueris,* Theod. ad illum locũ.
Oportet prius examinare vitam eius qui ordinatur; deinde in ipsum inuocare gratiam Spiritus. Eam autem manuum impositionem in ordinatione Pauli & Barnabæ adhibitam, tanquam cæremoniam ad sacrum ordinem spectantem contra Spalatensem suprà ostendimus, atque existimamus tot cæremoniis opus non fuisse ad ministerium prædicationis, aut iniungendum aut significandum; de ea verò quæ sit in Diaconis designatis adhibita postea dicemus: Statuimus verò non ad nudam deputationem, sed ad Sacramenti & characteris impressionem, vnà cum orationibus & ieiuniis adhibitam. At Augustinum nobis opponit ad- Num. 30.
uersarius; *Huiusmodi verò,* inquit, *manuum impositiones non fuisse Sacramentales, satis explicat Augustinus, dum de ipsis in vniuersum illud profert: Manus autem* August. de Bapt. cont. Don. l. 3. c.
impositio, non sicut Baptismus, repeti non potest; quid est enim aliud nisi oratio super hominem? Sed insignis est hæc impostura; apertè enim loquitur Augustinus 16.
de impositione manuum super baptisatis adhiberi solita, aut etiam in Pœnitentum reconciliatione vsurpata, non verò de ea quam *χειροτονίαν*, aut etiam *χειροθεσίαν* veteres dixerunt; quamque sacræ ordinationis propriam esse voluerunt. Certè Laicum non fuisse Timotheum aduersus Petilianum probat Augustinus testimonio Pauli contestantis impositas ei presbyterij manus, *Neque* August. l. 2. cont. lit. Petil. cap. 106.
hoc, inquit (ne communices peccatis alienis) *Laico dictum est, & nescis quemadmodum dictum sit, Ad Timotheum cùm scriberet Apostolus, hoc monebat eundem ipsum Timotheum, cui alio loco dixit, Noli contemnere gratiam quæ in te est, quæ tibi data est per impositionem manuum presbyterij: Et multis aliis documentis ostenditur, quod non erat Laicus:* Quod autem per eam manuum impositionem quam *orationem super hominem* docet, quamque repeti posse asseuerat, cùm baptismus repeti non possit, sacram ordinationem non intelligat, planum fit ex his quæ tradit aduersus Parmenianum. *Nulla,* inquit, *ostenditur causa, cur ille* August. to. 7. li. 2. c. 13.
qui ipsum baptismum amittere non potest, ius dandi amittere possit. Vtrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque homini datur, illud cùm

Digitized by Google

baptizatur, iſtud cùm ordinatur: Ideoque in Catholica vtrumque non licet iterari. Nam ſi quando ex ipſa parte venientes etiam Præpoſiti pro bono pacis correcto ſchiſmatis errore ſuſcepti ſunt: Etſi viſum eſt opus eſſe, vt eadem officia gererent quæ gerebant, non ſunt rurſus ordinandi, ſed ſicut baptiſmus in eis, ita ordinatio manſit integra, quia in præciſione fuerat vitium, quod vnitatis pace correctum eſt, non in Sacramentis quæ vbicunque ſunt, ipſa vera ſunt. Et cùm expedire hoc videatur Eccleſiæ, vt præpoſiti eorum venientes ad Catholicam ſocietatem honores ſuos ibi non adminiſtrent, non eis tamen ipſa ordinationis Sacramenta detrahuntur, ſed manent

Eod.nu.30. Conc. Venet.can.4. *ſuper eos. Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, ſed ipſi Sacramento fiat iniuria.* At inquit Spalatenſis, *Nonne etiam per manus impoſitionem Virgines conſecrandæ præcipiuntur in Concilio Venetico? cuius Canon inter alios eſt talis. Eas etiam quæ virginitatem profeſſæ & benedictionem fuerint per manus impoſitionem, ſub conteſtatione huius propoſiti conſecutæ, ſi fuerint in adulterio deprehenſæ, cum adulteris ipſarum arcendas à communione cenſemus. Num verò propterea verum ordinem acceperunt? Scimus enim mulieres etiam ad ordines Eccleſiaſticos, ſolitas fuiſſe cum cæremoniis ſimilibus deputari. Habemus in Conſtitu-*

Conſt. Ap. l.8.c.26. *tionibus Apoſtolicis illa verba de Diaconiſſa, Ego Bartholomeus diſpono: O Epiſcope impones ei manus, præſentibus presbyteris, Diaconis, & Diaconiſſis, & di-*

Tert.in exhort. ad caſtit. *ces, Reſpice ſuper hanc famulam tuam. Imò illæ eædem etiam ordinari dicuntur; Quantæ igitur, inquit Tertullianus, & quæ in Eccleſiis ordinari, in Eccleſia ſolent*

Sozom.l.4. hiſt.c.9. *quæ Deo nubere maluerunt, &c. Et de Olympiade quadam Sozomenus ita narrat; Hanc enim cùm genere eſſet nobiliſſima, quamuis iuuenculam, ex quo vidua facta erat, quia ex præſcripto Eccleſiæ egregiè philoſopharetur, in Miniſtram*

Baſil.l.de Virgin. *Nectarius ordinarat. Vnde Baſilius tali pacto ordinatam Virginem impollutam appellat Sacerdotem. Quid igitur aliud in ordinatione iſti agnouerunt, etiam cum manuum impoſitione, niſi meram deputationem, & dedicationem, ſiquidem fœminas*

Sot.in 4. diſt.24.q.1. art.4. *quoque ordinatas reperimus, etiam cum manuum impoſitione? Et ſanè ſunt ex noſtris Scholaſticis, qui expreſsè aſſerunt manuum impoſitionem non eſſe ſacro ordini eſſentialem, ſed tantùm accidentalem. Hanc tamen manuum impoſitionem in ordinationibus, verè ad diuinam gratiam precibus implorandam olim adhibitam, plerique*

Hier. in Iſa. cap.58. *quos riſit Hieronymus, eò fieri ſolitam arbitrati ſunt, vt ipſa manuum impoſitione ſuper caput ordinandi, moneretur, & ſignaretur is, qui vocis imprecatione ordinabatur, ne alioquin clandeſtina putaretur; & incerta Clericorum ordinatio. Hanc interpretationem Scriptores Catholici illorum temporum venati non fuiſſent, ſi ipſa impoſitio manuum fuiſſet certa, & conſtans Eccleſiaſtica Sacramentalis, in ordini-*

Matth.19. *bus conferendis cæremonia. Nam & Chriſtus Dominus manus impoſuit ſuper pueros, orando tamen, & non ordinando.* Nugæ nugerrimæ ſunt iſtæ. Agnoſcimus per impoſitionem manuum etiam Virgines conſecrari ſolitas; ſed illa manuum impoſitio in virginibus conſecrandis vſurpari ſolita toto genere differt à noſtra Sacramentali; quod ex Conciliorum ſtatutis non obſcurè colligitur; Etſi enim Clemens Romanus, Tertullianus Sozomenus, Baſilius, adeoque Concilium Veneticum aut conſecratas aut conſecrandas cum manuum impoſitione pronuncient, ac tradant virgines, certum eſt pro Sacerdotibus non habuiſſe, vt propterea Baſilius cùm conſecratam virginem *impollutam Sacerdotem* vocauit, laxiore vocabuli vſu, ita vocaſſe credendus ſit. Certè non Baſilij, non Sozomeni, non Tertulliani, non Concilij Venetici, ſed Pepuzianorum

rum & Collyridianorum impium eſt dogma, poſſe mulieres in Sacerdotum collegium adlegi, ac ſacrificiis offerendis deputari. *Pepuziani*, inquit Auguſtinus, *à loco quodam nominati ſunt, quam ciuitatem deſertam dicit Epiphanius. Hanc autem iſti diuinum aliquid eſſe arbitrantes Hieruſalem vocant. Tantum dantes mulieribus principatum, vt ſacerdotio quoque apud eos honorentur.* Epiphanius de Collyridianis; *Mulieres quædam*, inquit, *currum, ſiue ſellam quadratam adornantes, ac linteo deſuper extento, ſolemni tempore, per aliquot dies panem proponunt & in Mariæ nomen offerunt. Tum ad vnam omnes illo veſcuntur.* Fateor verò laxiore vocabulo & virgines & viduas Deo ſacras in miniſtrorum numero reponi ſolitas ab antiquis, vt ex Tertulliano maximè patet, verùm cùm de miniſtrorum ordine preſſius agunt, à ſacrorum tractatione eas omnino arcent, tanquam minus ad tantum miniſterium idoneas. [a] *Illud verò diligenter obſeruandũ eſt*, inquit Epiph. *ſolum Diaconiſſarũ officium ad Eccleſiaſticũ ordinem neceſſarium fuiſſe; ac viduas quidem nominatim expreſſas, & inter illas quæ anus eſſent, Presbytidas vocatas, numquam Presbyteridas, aut ſacerdotiſſas eſſe factas. Nam neque Diaconis quidem ipſis vllum in Eccleſiaſtico ordine Sacramentum perficere conceditur; ſed hoc duntaxat, vt eorum quæ perficiuntur, miniſtri ſint. Vndenã igitur recens illa nobis eſt excitata fabula? Vnde hic mulierũ faſtus, vel muliebris potius furor?* Ad ſe rediiſſe, non tamen planè conualuiſſe, videtur Spalatenſis. Sic enim ille. *Non diffiteor*, inquit, *impoſitionem hanc manuum ab Apoſtolis acceptam, Eccleſiaſtico præcepto eſſe omninò in ordinationibus adhibendam; & ſi ordinatio eſſet verum Sacramentum, certè pro re ipſa materiali, & ſenſibili, totoque ritu, & cæremonia eſſentiali, eſſet ipſamet manuum impoſitio ei aſſignanda: ea enim eſt maximè inſignis, & in diuinis Scripturis, ac Conciliorum decretis, Patrumque aſſertionibus, Eccleſiaſticis quoque hiſtoriis, celebrata.* Atqui valdè excors eſt niſi ex iiſdem hiſtoriarum monumentis, ac Patrum ſcriptis colligat habuiſſe priora & puriora, vt credit, ſæcula, *Ordinationem* pro Sacramento.

Sotum demum ac de Valentia vexat, ac per eorum latus Eccleſiam ipſam petit, *Calicis verò*, inquit, *& Patenæ ac librorum aliorúmue inſtrumentorum traditio eſt merum Eccleſiaſticum inuentum, myſticum quidem, & non contemnendum; ſed quod nullo pacto pro materiali talis Sacramenti poſſit aſſumi aut affirmari. Iſtæ enim inſtrumentorum porrectiones & contrectationes in ſcriptura ſacra Euangelica ne adumbratæ quidem reperiuntur, vt propterea Sotus & Valentia nullo modo ſint audiendi, qui accidentariam eſſe manuum impoſitionem in ordine contendunt, eſſentialem verò & neceſſariam inſtrumentorum traditionem. Sic enim ipſimet ordinem à numero Sacramentorum excludunt, ſiquidem attrectationem hanc Calicis, alteriuſue rei in tota ſcriptura numquam ſit, aut adhibitam aut præceptam aut præſcriptam reperire: & Sacramentum probare non poſſumus, niſi materiam ipſius in ſacris Scripturis inueniamus. Cùm verò manuũ impoſitio ab Apoſtolis adhibita in ordinationibus, ipſo verbo Dei teſte, obſeruetur, illa potiori iure eſſet pro materiali, reque ſenſibili & ſacra ordinis cæremonia producenda.* Reſpondeo falli omninò credimus Sotum & Gregorium de Valentia, qui impoſitionem manuum in ſacris ordinationibus tantummodo cæremoniam Sacramentalẽ eſſe cenſent, ac huius quidem ſententiæ defenſores eruditè refellit Cardinalis Bellarminus; ſed Sacramentalium inſtrumentorum traditionem *merum eſſe Eccleſiaſticum inuentum* negamus. Cùm enim & ipſe Spalatenſis non inficietur Apoſtolos renunciatos Sacerdotes à Chriſto, ac proinde ſacrum ordinem eo ipſo quoque à Chriſto in-

Pepuziano-rum & Collyridianorũ error.

Aug. tom. 6. de hæreſ. her. 27.

Epiph. hęr. 80. vel 79.

Τοῖς γυναικείοις κοινωνίαν πνεύματος, καμοῦσαι, ὅτι δίφρον τιμᾷ τὸν ἅγιον ἀπλώσασαι ἐπ' αὐτὸν ὀθόνιον, ἐν ἡμέρᾳ τινὶ φανερᾷ τοῦ ἔτους, ἐν ἡμέραις πολλαῖς τιθέασι, καὶ ἀναφέρουσιν ἐπὶ ὀνόματι Μαρίας.

[a] Id. Ibid.

Παραπηγνύουσι δέ, ὅτι ἔχει Διακονισσῶν μόνον τὸ Ἐκκλησιαστὸν ἐπιλιθὸν τάγμα, χήρας τ' ἀνόμασι, καὶ πάντων τῶν ἐν χειροτονίαις προσώπων, οὐδαμοῦ δὲ πρεσβυτείδας, ἢ ἱερείσας προσάπαξ. καὶ δὴ οὔτε Διάκονοι ἐν τῇ ἐκκλησιαστικῇ τάξει ἐπιτίθενται τὰς μυστικὰς ἐπιτελεῖν, ἀλλὰ μόνον διακονεῖν τὰ ἐπιτελούμενα. πρὸς δὲ τούτοις ἡμῖν ὁ λόγος μηδὲς οὔτως ἐγκέρτω· πόθεν γυναικεῖον πῦρος, ἢ μανία γυναικῶν;

SPALAT. Num. 31.

[b] Sot. in 4. diſt. 24. q. 1. art. 4. Valẽt. diſp. 9. de Sacr. q. 1. punct. 5.

[c] Bel. de Sacra. in gen. cap. 14.

ſtitutum, illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Certo certius eſt morem Eccleſiæ de tradenda patena cum pane, ac de tradendo calice cum vino niti facto Chriſti, qui & panem & calicem porrexerit diſcipulis; vt ſcilicet hac plane eſſentiali cæremonia demonſtretur accipere Sacerdotem poteſtatem conſecrandi corporis & ſanguinis Chriſti. Quod autem non ſolùm ſupra *corpus Chriſti verum*, vt loquuntur Scholaſtici, ſed etiam ſupra *corpus myſticum* poteſtatem accipiant Sacerdotes, additur ſecunda cæremonia, & ea quidem quoque eſſentialis, qua Epiſcopus poſt ſacrum celebratum manus eis imponit, ac dicit, *Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis.* Hæc vera eſt, & orthodoxa ſententia.

SPALAT. Num. 32. Quæ addit Spalatenſis, hanc ſententiam planè firmant; oſtendit enim *effectum gratiæ, quem ſemper talis impoſitio manuum videtur operari, & in ſcriptura ſacra, & in ſanctorum Patrum libris apertè manifeſtari, Ait enim*, inquit, *Apoſtolus Timotheo Epiſcopo ſcribens; Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij: Et admoneo te vt reſuſcites gratiam Dei quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Ideoque Concilium Chalcedonenſe Simoniam & gratiæ venditionem, damnat in ordinibus conferendis. Idem habent multa alia Concilia & Patres. Author quæſtionum veteris ac noui teſtamenti ordinationis gratiam ab Apoſtolis per inſufflationem Chriſti illis verbis: Accipite Spiritum ſanctum, &c. habitam recenſens ait. Inſpiratio ergo hæc gratia quædam eſt quæ per traditionem infunditur ordinatis, per quam commendatiores habeantur. Vnde & Apoſtolus dicit ad Timotheum; Noli, inquit, negligere gratiam, &c. Semel ergo fieri oportuit, vt de cætero traditio iſta, non ſine dono Spiritus ſancti eſſe crederetur. Sicut enim in Saluatore forma data eſt inuiſibiliter, vt poſt baptiſmum Spiritus ſanctus credentibus de cætero inuiſibiliter dari non ambigeretur; ita & in ſupradicta cauſa, forma data eſt in principio, vt ex eo traditioni Eccleſiaſticæ Spiritus ſanctus infuſus credatur. Nyſſenus etiam de eadem gratia ſacrorum ordinum ita loquitur. Eadem item vis etiam ſacerdotem auguſtum & honorandum facit nouitate benedictionis à communitate vulgi ſegregatum. Cùm enim heri ac tempore ſuperiori vnus è multitudine ac plebe eſſet, repentè redditur præceptor, præſes, doctor pietatis, myſteriorum latentium præſul; eaque contingunt ei, cùm nihil vel corpore vel forma mutatus, ſed quod ad ſpeciem externam attinet ille ſit qui erat, inuiſibili quadam vi, ac gratia inuiſibilem animam in melius transformatam gerens. Quis verò hominum poteſt alligare gratiam certo ſigno, niſi ſolus Deus, vbi ipſe inſtituit Sacramenta?*

1. Tim. 4.
2. Tim. 1.
Cõc. Chalced. can. 2.
Aug. in qq. vet. & noui teſt. q. 93.
Nyſſen. lib. de S. Bapt.

SPALAT. Num. 33. Iam verò homo inconſtantiſſimus ea euertere, ac deſtruere molitur, quæ erant ab eo rectè ædificata. *Illud*, inquit, *certum & indubitatum eſt, & iam ſatis ſupérque à nobis demonſtratum, Miniſtrorum ordinationem non à quocunque fieri, ſed à ſolis Apoſtolorum ſucceſſoribus, & ita fieri vt Deus peculiari actione ſua & gratia concurrat, ſine qua nulla ritè peragitur ordinatio: Hoc tamen non efficit, vt in ordinatione verum cogamur admittere Sacramentum; quia iam oſtendimus gratiam hanc & hunc diuinæ operationis concurſum non eſſe vlli externæ cæremoniæ adeo alligatum, vt infallibiliter adſit ſemper, & tamen nullus ritè ordinatur, in quo gratia hæc præſtò non ſit, & hic concurſus. Atque in hoc quia maximam habet cum vero Sacramento ordinatio ſimilitudinem, licet verum Sacramentum non ſit, idcircò Auguſtinus toties*

eam

eam Sacramentum vocat, & Sacramenti vim habere contendit. Nam si de vero & maximè proprio Sacramento sit sermo, idem Augustinus duo tantùm agnoscit Sacramenta; quæ clarè & expressè pateant à Christo esse instituta; sic enim loquitur; Vnde Sacramentis numero pauciſsimis, obseruatione facillimis, significatione præstantiſsimis, societatem noui populi colligauit, sicuti est baptiſmus Trinitatis nomine consecratus: Communicatio corporis & sanguinis ipsius; & si quid aliud in Scripturis Canonicis commendatur: Habet igitur ordinatio gratiam & semper habet, si sit legitima, alioquin non habet quantumcunque, & manus imponantur, & verba proferantur. Non tamen illam habet per modum Sacramenti ex opere operato per certam cæremoniam, sed ex sola deputatione legitima authoritate in legitimam personam à Deo præelectam, & morali humano aliquo modo manifestatam facta. Aug. ep. 118. Contrà nos ostendimus huic cæremoniæ pro beneplacito suo gratiam obstrinxisse Deum, & authoritate Pauli firmauimus. Neque verò si qui ordinati gratiam gratum facientem non consequantur, vitium est ordinationis, sed id demum accidit, quia vti diximus, *Actus sunt actiuorum in patiente dispoſito:* Quod attinet verò ad gratiam characteris infundi illam, atque imprimi modo vitium nullum subsit sacræ cæremoniæ, etiam improbis non dubitamus, vt proinde vera ac germana ratio Sacramenti ei constet. Et certè pudorem omnem exuisse mihi videtur Spalatensis, qui Augustinum inficietur ordinem pro Sacramento habuisse; nec nisi *duo Baptiſmum scilicet & Eucharistiam* in verorum ac genuinorum Sacramentorum numero reposuisse. Num. 33. Nam primùm quod attinet ad sacrum ordinem, si nihil aliud in eo Augustinus quam aliquam Sacramenti similitudinem, non verò germanam proprij Sacramenti rationem agnouit, quid illud sit quod scribit de bono coniugali. *Si fiat ordinatio*, inquit, *cleri ad plebem congregandam, etiamsi plebis congregatio non subsequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum ordinationis; etsi aliqua culpa quisquam ab officio remoueatur, Sacramento Domini semel impoſito non carebit, quamuis ad iudicium permanente.* Aug. De bono coniugali, c. 24. Quid item illud sit quod vrget aduersus Parmenianum. *Nam illud*, inquit, *quod quidam eorum veritate conuicti dicere cæperant: Baptiſmum quidem non amittit qui recedit ab Ecclesia, sed ius tamen dandi amittit; multis modis apparet frustra & inaniter dici. Primò quia nulla ostenditur causa, cur ille qui ipsum baptiſmum amittere non potest, ius dandi amittere poſsit, vtrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque homini datur. Illud cùm baptizatur; istud cùm ordinatur, ideoque in Catholica vtrumque non licet iterari.* Id. li. 2. cõt. ep. Parmeniani c. 13. Rursus quid illud sit quod Donatistis opponit, *Sacramentum baptiſmi*, inquit, *est quod habet qui baptizatur, & Sacramentum dandi baptiſmi est quod habet qui ordinatur. Sicut autem baptizatus, si ab vnitate recesserit, Sacramentum baptiſmi non amittit; sic etiam ordinatus si ab vnitate recesserit, Sacramentum dandi baptiſmi non amittit. Nulli enim Sacramento iniuria facienda est. Si discedit à malis vtrumque discedit; si permanet in malis, vtrumque permanet. Sicut ergo acceptatur baptiſmus quem non potuit amittere, qui ab vnitate discesserat; sic accipiendus est baptiſmus quem dedit ille qui Sacramentum dandi, cùm discederet, non amiserat. Nam sicut redeuntes qui priusquam recederent baptizati sunt, non rebaptizantur, ita redeuntes qui priusquam recederent ordinati sunt, non vtique rursus ordinatur: sed aut administrant quod administrabant, si hoc Ecclesiæ vtilitas postulat, aut si non administrant Sacramentum ordina-* Id. lib. 1. de bapt. cont. Donat. c. 1.

tionis ſuæ tamen gerunt, & ideo eis manus inter Laicos nõ imponitur. Ac rurſus, quid illud eſt quod toties inculcat Parmeniano; *Sed ſi nos malefacimus*, inquit, *ipſi explicent quomodo Sacramentum baptizati non poßit amitti, & Sacramentũ ordinati poßit amitti; quoniã dicunt, recedens ab Eccleſia baptiſmũ non amittit, ius dandi tamẽ amittit. Si enim vtrumque Sacramentũ eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur & illud amittitur? Neutri Sacramento iniuria facienda eſt.* Auguſtinus ordinationem *Sacramentum Domini* vocat, quo impoſito *eo carere non poßit ordinatus*, nec hoc contentus cum baptiſmo confert eique exæquat, atque non ſecus in ſceleratis ac Apoſtatis, & baptiſmum ipſum perſeuerare contendit, vtrumque denique ea collatione facta, ſine diſcrimine *Sacramentum eſſe* edicit, nec qui ab hæreſi reuertatur magis iterato conſecrari, quam denuò tingi manente vtroque integro. Iniuriam quoque Sacramento fieri, *ſi ſecunda initiatio admittatur* prædicat, *æquè* ac ſi repetatur baptiſmus: Ac vt tandem finiam, Auguſtinus, *neminem eſſe qui dubitet vtrumque, & baptiſmum & ordinationem Sacramentum eſſe* clamat; Et vult Spalatenſis, Authore Auguſtino, contra Auguſtini, imò contra totius orbis fidem ſacram ordinationem dumtaxat ſimulachrum & effigiem eſſe Sacramenti? Præterea ſemel modeſtiæ fines, viamque egreſſus mendacium mendacio cumulat ſplendidiſſimo; Ait enim, *Si de vero & maximè proprio Sacramento ſit ſermo, idem Auguſtinus duo tantùm agnoſcit Sacramenta, quæ clarè & expreßè pateant à Chriſto eſſe inſtituta: Sic enim loquitur. Vnde Sacramentis numero paucißimis, obſeruatione facillimis, ſignificatione præſtantißimis, ſocietatem noui populi colligauit: ſicuti eſt baptiſmus Trinitatis nomine conſecratus: Communicatio corporis & ſanguinis ipſius, & ſi quid aliud in ſcripturis Canonicis commendatur. Habet igitur ordinatio gratiam & ſemper habet ſi ſit legitima, alioquin non habet quantumcunque & manus imponantur, & verba proferantur. Non tamen illam habet per modum Sacramenti ex opere operato per certam cæremoniam: Sed ex ſola deputatione, legitima authoritate, in legitimam perſonam à Deo præelectam, & morali humano aliquo modo manifeſtatam, facta.* At quæ hæc ſit dementia non aduertiſſe eum, Auguſtinum præter duo illa quæ commemoraſſet etiam alia intellexiſſe, ac non obſcurè innuiſſe his verbis, *Et ſi quid aliud in ſcripturis Canonicis commendatur*? Certè exempla poſitum Theorema non explent, ſed illuſtrandæ rei impenduntur, nec reliqua quæ in eandem rationem conſpirant, aut deiiciunt, aut depellunt. Cæterum ſi duo tantùm Sacramenta agnouit Auguſtinus, ei dicendum fuit *ſicuti eſt baptiſmus & Euchariſtia*, præter quæ aliud non eſt in ſcripturis expreſſum, ſed ita non loquitur. Audi aliis locis differentem magnũ doctorem. *Multi mali*, inquit, *habent pulchra, Dei dona, nemo negat, ſed vide cum quibus communia. Reſpice ad munera ipſius Eccleſiæ, Munus Sacramentorum in baptiſmo, in Euchariſtia, in cæteris ſanctis Sacramentis* (nota in cæteris ſanctis Sacramẽtis) *quale munus eſt*? Et quidem Confirmationẽ nominatim Sacramentis annumerat cõtra Fauſtũ. *Si tres pueros*, inquit, *Danielemque prædicamus, quia de menſa Regis contaminari noluerunt, quod erat contra illius temporis Sacramẽtum. Si Machabæos cum ingenti admiratione præferimus quia eſcas, quibus nunc Chriſtiani licitè vtũtur, attingere noluerunt, quia tunc pro tempore Prophetico nõ licebat; quantò magis nũc pro baptiſmo Chriſti, pro Euchariſtia Chriſti, pro ſigno Chriſti ad omnia perferenda paratior debet eſſe Chriſtianus, cùm illæ fuerint promiſſiones rerũ complendarum, hæc ſint indicia completarũ*? Eadẽ repetit contra Donatiſtas, ac etiã ſpeciatim impoſitionẽ manuũ inter

Id. lib. 2. cont Par. cap. 13.

Spalat. Num. 33. in fin.

Aug. ep. 118.

Aug. tom. 8. in Pſ. 103.

Id. cont. Fauſt. tom. 6. l. 19. c. 14.

inter Sacramenta recenſet. *Si ergo ad hoc valet*, inquit, *quod dictum eſt in Euangelio; Deus peccatorem non audit, vt per peccatorem Sacramenta non celebrentur, quomodo exaudit homicidam deprecantem, vel ſuper aquam baptiſmi, vel ſuper oleum, vel ſuper Euchariſtiam, vel ſuper capita eorum quibus manus imponitur?* Apertiſſimè verò pro Chriſmate, id eſt pro ſacra Confirmationis cæremonia contendit contra Petilianum : *Sacramentum Chriſmatis in genere viſibilium ſignaculorum ſacroſanctum eſt, ſicut ipſe baptiſmus : Sed poteſt eſſe & in hominibus peßimis in operibus carnis vitam conſumentibus, & regnum cælorum non poſſeſſuris.* Et paulò pòſt : *Diſcerne ergo viſibile ſanctum Sacramentum, quod eſſe & in bonis & in malis poteſt, illis ad præmium, illis ad iudicium, ab inuiſibili vnctione charitatis quæ propriâ bonorum eſt.* Item, *Cur ergo intus tales baptizant, quos in maleuola diſſentione fuiſſe Cyprianus ipſe commemorat? Quomodo aquam mundat & ſanctificat homicida? Quomodo benedicunt oleum tenebræ? Si autem Deus adeſt Sacramentis, & verbis ſuis per quaſlibet adminiſtrentur, & Sacramenta Dei vbique recta ſunt, & mali homines quibus nihil proſunt, vbique peruerſi ſunt.* Rurſus. *Vnctio ſpiritalis ipſe Spiritus ſanctus eſt, cuius Sacramentum eſt in vnctione viſibili.* Et iterum : *Omnes vngimur, & omnes in Chriſto & Chriſti & Chriſtus ſumus, quia quodammodo totus Chriſtus Caput & corpus eſt. Vnctio iſta perficiet nos ſpiritualiter in illa vita quæ nobis promittitur.* Paulò pòſt, *Vngimur enim modo in Sacramento & Sacramento ipſo præfiguratur quiddam quod futuri ſumus.* Deinde: *Nunquid modo quibus imponitur manus vt accipiant Spiritum ſanctum, hoc expectatur, vt linguis loquantur? aut quando impoſuimus manum iſtis infantibus, attendit vnuſquiſque veſtrûm vtrum linguis loquerentur? Et cùm videret eos linguis non loqui, ita peruerſo corde aliquis veſtrûm fuit, vt diceret : Non acceperunt iſti Spiritum ſanctum.* Pœnitentiam quoque in eodem numero clariſſimè reponit. *Quæ autem*, inquit, *baptiſmatis, eadem reconciliationis eſt cauſa, ſi fortè pœnitentem finiendæ vitæ periculum præoccupauerit.* Pro matrimonio verò etiam acriter depugnat diuerſis locis De bono coniugali ; *Qui dimittit*, inquit, *vxorem ſuam, excepta cauſa fornicationis, facit eam mœchari. Vſque adeo fœdus illud initum nuptiale cuiuſdam Sacramenti res eſt, vt nec ipſa ſeparatione irritum fiat ; quandoquidem viuente viro à quo relicta eſt, mœchatur, ſi alteri nupſerit ; & ille huius mali cauſa eſt qui reliquit.* Ac rurſus, ne tu effigiem & ſimulachrum Sacramenti cogites, *Semel*, inquit, *initum connubium in ciuitate Dei noſtri, vbi etiam ex prima duorum hominum copula quoddam Sacramentum nuptiæ gerunt, nullo modo poteſt, niſi alicuius eorum morte diſſolui.* Ac rurſus. *Nec cauſa*, inquit, *numeroſioris prolis fecerunt ſancti noſtri, quod Cato dicitur feciſſe Romanus, vt traderet viuus vxorem, etiam alterius domum filiis impleturam. In noſtrarum quippe nuptiis plus valet ſanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas vteri.* Iterum. *Bonum igitur nuptiarum*, inquit, *per omnes gentes atque omnes homines in cauſa generandi eſt, & in fide caſtitatis ; Quod autem ad populum Dei pertinet etiam in ſanctitate Sacramenti, per quam nefas eſt etiam repudio intercedente, alteri nubere dum vir eius viuit, nec ſaltem ipſa cauſa pariendi.* Rurſus. *Abſit ergo*, inquit, *vt ſenſu non humano, ſed planè vano ſic doleamus cùm flagitia corriguntur, tanquam connubia dirimantur ; maximè in ciuitate Domini, in monte ſancto eius,*

Id. cont. Donat. l. 5. cap. 20.

Id. tom. 7. cont. lit. Petil. l. 2. cap. 104.

Id. tom. 7. de bapt. cont. Don. lib. 5. ca. 19.

Tom. 9. in ep. Ioan. tract. 3.

Tom. 8. in Pſal. 26. in præf. enarr. 2.

Tom. 9. in ep. Ioan. tract. 6.

Id. de Adulter. coniugiis. li. 1. cap. 28.

Id. de bono coniug. cap. 7.

Ibid. c. 15.

Ibid. c. 18.

Ibid. c. 24.

To. 4. de fide & oper. cap. 7.

Digitized by Google

hoc eſt in Eccleſia, vbi nuptiarum non ſolùm vinculum, verùm etiam Sacramentum ita commendatur, vt non liceat viro vxorem ſuam alteri tradere. Quod in Republica tunc Romana, non ſolùm minimè culpabiliter, verùm etiam laudabiliter Cato feciſſe perhibetur. Et alibi, *Habeant coniugia bonum ſuum, non quia filios procreant, ſed quia honeſtè, quia licitè, quia pudicè, quia ſocialiter procreant, & procreatos pariter, ſalubriter, inſtanter educant, quia thori fidem inuicem ſeruant, quia* SACRAMENTVM *connubij non violant.* Item, *Denique vtriuſque ſexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, rectè excipitur honeſtate nuptiarum, vt quod ſanis poſſet eſſe officium, ſit ægrotis remedium. Neque enim quia incontinentia malum eſt, ideo connubium, vel quo incontinentes copulantur, non eſt bonum: imò verò non propter illud malum culpabile eſt hoc bonum, ſed propter hoc bonum veniale eſt illud malum; quoniam id quod bonũ habent nuptiæ, & quod bona ſunt nuptiæ peccatum eſſe nunquam poteſt. Hoc autem tripartitum eſt, fides, proles, Sacramentum.* Ac alibi: *Ergo quia liberorum procreandorum cauſa vxores eſſe ducendas, honeſtas conſentit humana quolibet modo libidini cedat infirmitas, præter fidem, quam ſibi debent coniuges ne fiant adulteria, & prolem cuius generandæ cauſa ſexus vterque miſcendus eſt: aduerti etiam tertium bonum quod eſſe in coniugibus debet, maximè pertinentibus ad populum Dei; quod mihi viſum eſt eſſe aliquod Sacramentum, ne diuortium fiat, vel ab ea coniuge quæ non poteſt parere, vel ſicut feciſſe Cato perhibetur, ne ab eo viro, qui plures non vult ſuſcipere filios, alteri fœtanda tradatur. Propter hoc in illo* (coniugio Ioſeph & Mariæ) *quod ſecundum Euangelium coniugium nuncupaui, omnia tria bona nuptiarum dixi eſſe completa. Fidem, quia nullum adulterium. Prolem, ipſum Dominum Chriſtum. Sacramentum, quia nullum diuortium.* Rurſus; *Bonum ergo,* inquit, *ſunt nuptiæ in omnibus quæ ſunt propria nuptiarum: Hæc autem ſunt tria, generandi ordinatio, fides pudicitiæ, connubij Sacramentum. Propter ordinationem generandi ſcriptum eſt. Volo iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe. Propter fidem pudicitiæ, vxor non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir; Similiter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier. Propter connubij Sacramentum; Quod Deus coniunxit homo non ſeparet.* Vides erudite lector Auguſtinum non duo tantùm vt quidem audaciſſimè & mendaciſſimè ſcribit aduerſarius, ſed vt minimum ſex proprij nominis Sacramenta agnouiſſe & probaſſe. Nolim verò eius vti teſtimonio ad probandum *extremam vnctionem* eſſe Sacramentum: quod nullus dubitem libri de *viſitatione infirmorum*, à quo teſtimonia quidam mutuantur authorem non eſſe. Neque verò de ſermone illo qui eius nomine præfertur, ac inter eos qui ſunt de tempore cenſetur vehementius laboro, etſi apertè ei Sacramenti nomen & rationem tribuat: Satis nobis eſt eximium Apoſtolum Iacobum eam nobis tradidiſſe, etſi ſenſus Auguſtini nobis rimandus, proculdubio ab Innocentio ſummo Pontifice quem mirè coluit, & cuius integerrimam fidem celebrauit, diſſentire non potuit. Innocentij ergo verba ſunt; *Adiecit etiam,* inquit, *filius meus Cæleſtinus Diaconus in Epiſtola ſua, eſſe à tua dilectione propoſitum illud, quod in beati Apoſtoli Iacobi Epiſtola conſcriptum eſt; Si infirmus aliquis in vobis eſt, vocet Presbyteros, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſaluabit laborantem, & ſuſcitabit illum Dominus, & ſi peccata fecit, remittet ei. Quod non eſt dubium de fidelibus ægrotantibus*

Tom. 6. de ſancta virg. cap. 12.

Id. de Gen. ad litterã. lib. 9. c. 7.

To. 7. cont. Iul. Pelag. lib. 5. c. 9.

Tom. 7. de pecc. orig. cont. Pelag. & Cœleſt. c. 34.

To. 1. Concil. ep. 8. Innoc. ad Eugub.

bus accipi vel intelligi debere, qui ſancto oleo Chriſmatis perungi poſſunt, quo ab Epiſcopo confecto non ſolùm Sacerdotibus, ſed omnibus vti Chriſtianis licet in ſua aut ſuorum neceſsitate inungendo. Sed hæc quaſi parergos; ad ſacram ordinationem reuertamur. Habet igitur gratiam ſibi annexam, eamque non ſola diſpoſitione, quod proteruè contendit Spalatenſis, ſed reipſa ac ex opere operato, vt loquuntur in Scholis, hoc eſt per ſe, & ex vi ſuæ inſtitutionis, quam ſi contingat fruſtrari vitium eſt ſuſcipientis, non imbecillitas conſecrationis.

Pergit reliqua noſtra argumenta Spalatenſis labefactare: Nos in verbis eius nihil mutabimus, quanquam eſt valde prolixa oratio. *Tertiò*, inquit, *Ordinem eſſe Sacramentum ex eo colligunt, quod ſit inamiſsibilis & initerabilis, atque conſequenter imprimat characterem, quod non contingit niſi verè & propriè Sacramentis: Eſſe verò inamiſsibilem ex eo probant quod Concilium Nicænum, Epiſcopos & Presbyteros in hæreſim lapſos, & ad Eccleſiam Catholicam reuertentes, abſque vlla noua ordinatione in ſuo gradu, etiam Epiſcopali perſeueraturos recipiat; Et Melchiades Epiſcopis Donatiſtis offerat in Epiſcopatibus ſuis permanſionem; & Concilium Alexandrinum, peculiare Canone, Epiſcopos in hæreſim lapſos, exceptis Hæreſiarchis, ad fidem Catholicam reuerſos, in eodem gradu & honore quo inſigniti eſſent, ſtatuit recipiendos. Vnde & Auguſtinus; Nam ſi quando, inquit, ex ipſa parte venientes, etiam Præpoſiti pro bono pacis, correcto ſchiſmatis errore ſuſcepti ſunt, etſi viſum eſt opus eſſe, vt eadem officia gererent quæ gerebant, non ſunt rurſus ordinandi: Sed ſicut baptiſmus in eis, ita ordinatio manſit integra, quia in præciſione fuerat vitium quod vnitatis pace correctum eſt; non in Sacramentis quæ vbicunque ſunt, ipſa vera ſunt. Et cùm expedire hoc videatur Eccleſiæ, vt præpoſiti eorum venientes ad Catholicam ſocietatem, honores ſuos ibi non adminiſtrent, non eis tamen ipſa ordinationis Sacramenta detrahuntur, ſed manent ſuper eos: Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, ſed ipſi Sacramento fiat iniuria. Hæc Auguſtinus, qui non modò ordinem facit inamiſsibilem, ſed etiam ipſum expreſsè aſſerit, eodem modo vt eſt baptiſmus, eſſe Sacramentum. Qui etiam ibidem illud habet: Vtrumque enim (baptiſmus nimirum, & ius baptizandi) Sacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur, illud cùm baptizatur, iſtud cùm ordinatur: Ideoque in Catholica, vtrumque non licet iterari. Anaſtaſius ſecundus, Nullum, inquit, de iis quos vel baptizauit Acatius, vel quos Sacerdotes, ſiue Leuitas ſecundum Canones ordinauit, vlla eos ex nomine Acatij portio læſionis attingit, quo forſitan periniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videatur. Taraſius Conſtantinopolitanus ab hæreticis ordinatos ſuſcipiendos cenſet, tanquam bene ordinatos, quorum ordinationes à Deo ratas haberi exiſtimat; ait enim: Quid de Anatolio dicitis? Nonne Princeps fuit quartæ Synodi, & tamen à Dioſcoro impio illo fuerat creatus, atque id etiam præſente Eutyche? Ergo & nos ab hæreticis ordinatos recipiamus, quemadmodum quoque Anatolius receptus eſt: Et iterum vera Dei vox eſt. Filios non morituros pro patribus, ſed vnuſquiſque pro ſuo peccato morte morietur. Addatur quod ordinatio à Deo eſt. Concilium Toletanum octauum, de hac ſacri ordinis inſeparabilitate contra illos ſtatuens, qui ſpernerent ſacros ordines à ſe ſuſceptos, & ad Laicalem vitam redirent, ita ſcriptum reliquit: Quomodo ergo quod in ſe recipit à ſe recipere poterit, cùm hæc à nullo altero conferri quàm à ſolis Pontificibus nouit, à quibus, nec ligata ſolui, nec ſoluta poſſunt ab aliquo religari? Sic enim ad Petrum Veritas ait; Quodcunque ligaueris, &c. Nequaquam ergo aliquando poterit profanari, quod diuina iuſsione, ſimulque Apoſtolicæ traditionis au-*

SPALAT. Num. 34.

Conc. Nic. Can. 8.

Apud Aug. ep. 162.

Apud Hier. adu. Lucif.

Aug. Conc. ep. Parm. l. 2. c. 13.

Anaſt. 2. ep. vnica to. 1. par. 2.

Sept. ſyng. act. 1. & hiſt. Theodori Lectoris.

Ezech. 18.

Conc. Tol. 8. Can. 7.

Digitized by Google

thoritate, ſacrum noſcitur extitiſſe. Verùm ſicut ſanctum Chriſma collatum, & altaru honor euelli non queunt, ita quoque ſacrum decus honorum, quod his compar habetur & ſocium, qualibet fuerit occaſione perceptum, manebit omnimodè inconuulſum. Et Gregorius ordinem iterari non poſſe vehementer affirmat, ita ſcribens: Illud autem quod dicitis, vt is qui ordinatus eſt iterum ordinetur, valdè ridiculum eſt, & ab ingenij noſtri conſideratione extraneum. Et paulò pòſt; Sicut enim baptizatus ſemel, iterum baptizari non debet; ita qui conſecratus eſt ſemel, in eodem iterum ordine non debet conſecrari.

Greg. l. 2. indic. 10. ep. 32.

Spalat. Num. 35.

Quid ad hanc nubem teſtium Spalatenſis. *Nos verò aduerſus iſta*, inquit, *& plura & fortiora produximus iam teſtimonia & argumenta, quæ contrarium omnino, conuincebant & probabant ordinem & amitti poſſe, & iterari. Ne tamen tam celebres & inſignes viros mihi poſt tergum relinquam aduerſarios, illud vehementer moneo, Ne quid nimis; Hoc eſt non ita facilè, & ex quacunque non grauiſſima cauſa, ordinem ſacrum aut iam ſuſceptum deperdi, aut ſuſcipiendum impediri. Ex doctrina enim non mea, ſed ſummorum quos Magiſtros ſequor Eccleſiæ Catholicæ Doctorum, ac Conciliorum in diuinis ſcripturis fundata, & à me iam explicata, facile eſt colligere, non omne peccatum etiam graue & mortale, auferre Sacerdotium aut impedire; quod nimis ſcrupulosè Huſſitæ, prout eis tribuitur, profitentur; ſed ſola potiſſimùm hæreſis pertinax, & voluntaria; aliudue grauiſſimum crimen quod degradationem iure promeruit, aut ab Eccleſia totalem præciſionem. Cùm enim ordinatio ſit deputatio Paſtoris per homines quidem facta, ſed cum ſpeciali diuino concurſu, tunc illa tota ceſſet neceſſe eſt, quando apertiſſimum ſit illum ex Paſtore conuerſum eſſe in lupum: & tunc deputatio noua apertè nulla eſt, quando is qui manifeſtiſſimus eſt lupus Paſtor ordinatur. Lupus verò non minus eſt vir illiteratus, & ad paſcendos greges prorſus inhabilis, quàm qui hæreſi & grauibus criminibus ac vitiis eſt deturpatus. Vbi verò lupus non eſt, habilis tamen ad regendum & docendum, etiamſi aliquo mortali peccato, occulto præſertim & latenti ſit prægrauatus, imo etiam hæreſi ac ſchiſmate ſine pertinacia, ac bona ex aliqua parte fide laboret, quia hic reuera lupus non eſt, ordinationem & datam accipit, & acceptam retinet. Sed illa non propterea eſt verum Sacramentum: imo ab illo multùm differt. Sit enim quantumcunque lupus & pertinaciſſimus hæreticus, ſi conſentiat vt baptizetur, baptiſmum verè recipit, nec vnquam poteſt ipſius ex quacunque etiam grauiſſima cauſa pati iacturam.* Nimirum ea eius eſt ſingularis inſolentia, ſuperbia ac contumacia, vt ſanctiſſimos Patres ſibi de via decedere debere putet. Sed cauſa ſubeſt, ait enim à ſe ſtare meliores rationes. Quid igitur Concilium Nicænum arx & propugnaculum fidei? Quid magnus Pontifex Melchiades? quid Auguſtinus ipſe & Hieron. clariſſima illa Eccleſiæ lumina, vt reliquos non infimæ aulæ Patres præteream, eius rationes non viderunt, non præterierunt, non futilitatis plenas, non vanas duxerunt? Audaciam tamen excuſat, ac inuitos in ſuam ſententiam pertrahere conatur; Excipit enim, *Concilium Nicænum & Alexandrinum, Melchiades, Hieronymus & Auguſtinus non admittunt indifferenter quoſcunque à quibuſcunque hæreticis ordinatos, ſed illos tantùm qui ab illis Epiſcopis ordinati fuerant, qui decepti potius quàm pertinaces & bona quaſi fide ex pura inaduertentia ac inconſideratione in hæreſim aut ſchiſma lapſi infirmitate aliáve cauſa poterant excuſari.* Atqui hoc non eſt Patres ſibi conciliare, ſed eos planè torquere, ac immaniter deformatos traducere. Nam primùm quod attinet ad Concilium Nicænum; Annon eſt Canon octauus editus, vt Nouatianis quos Catharos vocat

Spalat. Num. 37.

aditus

aditus ad Eccleſiam pateret pœnitentia admiſſa? An verò non erant Nouatiani perditi hæretici, ac Eccleſiæ immaniſſimi hoſtes? quos propterea tantopere exagitat Cyprianus, & qui eum ſecutus eſt Pacianus, ac ipſe demum Ambroſius & reliqui Patres; Audi Epiphanium, *Proximi*, inquit, *ab illis Cathari quidam exorti ſunt, à Nouato, vt fama percrebuit. Nouatus porrò Romæ perſecutionis illius tempore fuit, quæ eam anteceſſit, quam Maximinus excitauit; quæ Decij, vt opinor, aut Aureliani fuit: Quamobrem propter eos, qui in illa perſecutione lapſi fuerant, cum arrogantia vnà cum ſuis inflatus eos in communionem nollet admittere, qui poſt perſecutionem pœnitentiam ſuſceperant, ad eam ſe conuertit hæreſim nullam vt eſſe ſpem ſalutis aſſereret, atque vnam duntaxat eſſe pœnitentiam. Qui autem poſt baptiſmum delinqueret, nullam erga eum miſericordiam adhiberi poſſe.* Audi Auguſtinum; *Cathari*, inquit, *qui ſeipſos iſto nomine, quaſi propter mundiciam ſuperbiſſimè, atque odioſiſſimè nominant; Secundas nuptias non admittunt, pœnitentiam denegant, Nouatum ſectantes hæreticum; vnde etiam Nouatiani appellantur. Sed*, inquit Spalatenſis, *Hieronymum de viris hæreticis apertè fateri eos non poſſe eſſe Epiſcopos, neque in hocrepugnare Luciferianis; ſed in eo tantùm quod abſolutè, nulla admiſſa diſtinctione, quoſcunque ab hæreticis quibuſcunque ordinatos, nollent cum ordinibus recipere; licet reciperent baptizatos.* Atqui rurſus hoc eius eſt vaniſſimum commentum. Nam Hieronymus contra Luciferianos contendit, eos Epiſcopos quos Epiſcoporum nomine non dignarentur illi, ſed *de Capitolio Sacerdotes* nuncuparent, planè eſſe recipiendos & admittendos: Si itaque verum eſt quod blaterat Spalatenſis, Hieronymum de *viris hæreticis apertè fateri non poſſe eſſe Epiſcopos*; Ergo ſententia Hieronymi, quo nil poſſit fingi abſurdius, Arriani veri hæretici non ſunt, nam in eorum gratiam qui ab illis ad Eccleſiam redirent, videtur ille dialogus effictus ac compoſitus; Sed non tam diſſerentem quàm fulgurantem Hieronymum audiamus; *Sit quippè vt vis*, inquit, *Arrianorum Epiſcopus hoſtis Chriſti, ſit infatuatum ſal, ſit lucerna ſine igniculo, ſit oculus ſine pupilla: nempè eo peruenies, vt ſalire non poſsit, qui ſal ipſe non habeat, non illuminet cæcus, non accendat extinctus. Tu autem cùm conditum ab eo cibum deuores, cur inſulſum arguis conditorem? De igniculo eius Eccleſia tua lucet, & lucernam eius criminaris extinctam? Oculos tibi præbet, & cæcus eſt? Quamobrem oro te, vt aut ſacrificandi ei licentiam tribuas, cuius baptiſma probas, aut reprobes eius baptiſma, quem non exiſtimas Sacerdotem; neque enim fieri poteſt, vt qui in baptiſmate ſanctus ſit, ſit apud altare peccator.* At dicet Spalatenſis, verba ſunt Hieronymi, *non quod Epiſcopi poſsint eſſe qui hæretici fuerunt*: Reſpondeo, Hieronymum cenſere eum non poſſe pro Epiſcopo haberi in Eccleſia, ac ad ſacras functiones admitti qui non reſipuerit, ac quem præteritorum non pœnituerit, vt ſcilicet Eccleſiæ ſua conſtet diſciplina: Reſipiſcenti verò non vult adimi honorem. Hunc verè eſſe verborum Hieronymi ſenſum inde colligitur, quod authoritate Concilij Nicæni poſtmodum probet Epiſcopos hæreticos eſſe ſuſcipiendos; *Synodus*, inquit, *Nicæna omnes hæreticos ſuſcepit exceptis Pauli Samoſateni* (de baptiſmo loquitur, cuius formam non ſeruabant Pauliniani) *diſcipulis; Et quod his maius eſt Epiſcopo Nouatianorum ſi conuerſus fuerit,* (vides exceptionem) *Presbyterij gradum ſeruat.* Itaque hæreticos ac Eccleſiæ perduelles, Epiſcopos eſſe non poſſe cenſet, quandiu ſcilicet non reſipiſcunt, ac in ſchiſmate agunt. Vidit hos Scholiaſtes Eraſmus. *Hieronymus*, inquit, *non vult adimi honorem Epiſcopo reſipiſcenti in eo duntaxat caſu.* Facilius credo Donatiſtarum ſordes

Epiph. de hæreſ. 59. vel 59. Καθεξῆς δ τούτων κληρονόμοι τινες λεγόμενοι ἰφύσιοι, ἀπὸ Νοβάτου τινός, οὐ πολλὰ ἄλλα λόγου. οὗτος ὁ Νοβᾶτος ἐπὶ τῆ Ῥωμαίων ὑπάρχει, ὡς καιρῷ τῆ διωγμοῦ τῷ ἐπὶ Μαξιμίνου γενομένῳ ἐκεῖσε, &c.

Auguſt. de hæreſ. ad quod vult Deum.

Hier. adu. Luciferian.

Num. 37.

Hier. ibid.

Ep.161. eluerit. *Augustinus*, inquit, *de illis solis loquitur, qui non à lupis, licet à malis sint ordinati.* Ego sanè neminem vidi qui maiore conatu maiores nugas diceret: An non Augustinus de iis Episcopis loquitur, qui essent ordinati ab iis qui in scelestissimi schismatis pertinacia permansérant? An non Melchiades etiam iis quos à Maiorino ordinatos esse constaret, Episcopatus gradum concedere, paratum

Aug.ep.162 se ostendit? Audi magnum doctorem: *Donato solo*, inquit, *quem totius mali principem inuenerat maximè culpato* (hoc est criminis culpa in Donatum deriuata) *sanitatis recuperandæ optionem liberam cæteris fecit paratus communicatorias litteras mittere, etiam iis* (arrige aures) *quos à Maiorino ordinatos esse constaret, ita vt quibuscunque locis duo essent Episcopi quos dissensio geminasset, eum confirmari vellet qui fuisset ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda prouideretur.* Audis etiam à Maiorino ordinatos pro Episcopis habitos, ac Ecclesiis impositos, vt eas regerent, gubernarent, ac moderarentur? Quid Spalatensis ad hæc? An verò Maiorinum vnum de grege ouium, non de numero luporum facit? An nescit hunc Maiorinum contra Cæcilianum, *nefario scelere* (vt rursus loquitur Augustinus) *leuatum?* An ignorat omnium ferè turbarum post Donatum authorem extitisse? An erat huius aut reliquorum Donatistarum mitis, & non pertinax hæresis, vt ille mollissimè, imò effeminatissimè dicit? Volo simpliciores quosdam (quod in quauis hæresi contingere solet) non omnino malo animo in schisma iuisse, Episcoporum tamen perfidiam quis excusarit? aut crimine etiam atrocissimo liberarit? Quæ ad Augustinum, Gregorium, Concilium Toletanum, respondet eos existimasse tantùm *ordinem non posse iterari, quantum ad naturam consecrationis*, non video quid eum iuuet, aut vt verius dicam non video quid sibi velit. Orthodoxorum certè omnium sententia à natura consecrationis Sacramentalis, quæ in sacris ordinationibus viget, habent sacræ ordinationes quod iterato repeti non possint; propterea quod scilicet vi illius consecrationis inducatur & imprimatur character, quem nulla vetustas, nullum schisma, nulla hæresis, nullum scelus possit abolere: Cæterùm Augustinum veri nominis Sacramentum ordinem existimasse, est suprà à nobis luce meridiana clariùs demonstratum. De Anastasio Papa nescio cur dubitet Spalatensis, satis mentem suam aperit, cùm ab Acatio baptizatos, aut Sacerdotes factos, *nulla*

Anast. 2. ep. vnica. *sceleris eius contagione pollutos* scribit, *vnde forsitan periniquum tradita Sacramenti gratia minus firma videri posset.* Sed excipit Spalatensis, Acatium neque schismaticum, neque propriè hæreticum fuisse; scilicet habent similes labra lactucas? *Acatius*, inquit, *neque hæreticus, neque propriè schismaticus fuit*: quid? Ille Acatius qui Zenoni Imperatori author fuit, vt Ioanne viro Optimo homineque Orthodoxo Timothei successore legitimo è sede Alexandrina eiecto, Petrum illi Magum hæreticum, ac ex Ecclesia Alexandrina non citra infamiam pulsum sufficeret ac substitueret. Ille Acatius quem Concilij Romani Patres, *Communione orbis abstentum, hæreticorum participatione pollutum, Episcopatu indignum*, maturo iudicio declararunt, ac anathemate percusserunt, & diris deuouerunt; Acatius ille quem etiam extinctum Ecclesia exhorruit, ac ne in diptychis eius nomen recenseretur prohibuit, neque hæreticus, neque propriè schismaticus fuit? Scilicet sceleris purus eodem crimine implicato videtur. At sanctissimo Pontifici Anastasio talis visus non est, qui tamen Sacramenta ab eo collata rata esse diceret, ac eo ipso ostenderet se *sacram ordinationem* pro vero Sacramento habere. Hoc sequentia verba ostendunt. *Acatius*, inquit Anastasius, *cuius nomen*

men dicimus esse reticendum, malè, bona ministrando sibi tantùm nocuit. Nam inuiolabile Sacramentum ordinationis (audisne inuiolabile Sacramentum ordinationis) *quod per illum datum est aliis, perfectionem suæ virtutis obtinuit, ei autem obfuit.* Ista certè friuolas Spalatensis distinctiones non admittunt, sed euidentissimè probant eum ordinationem sacram in numero propriæ rationis Sacramentorum reposuisse. Tharasius verò aliò torqueri non potest, apertè enim Anatolij à Dioscoro, quem nouum Iudam magna Synodus Chalcedonensis indigitauit, ordinati exemplo probat *ab hæretico ordinatos recipiendos esse*; quod certè supponit inesse ordinationi vim propriam Sacramenti. Quod verò addit ordinationem esse à Deo, hoc magis nostram sententiam firmat; Ostendit enim etiam scelerato admouente manum, Deum ordinationi adesse, ac eam sancire vt effectus consequatur; neque enim negat Dioscorum verè ordinasse, sed effectum ordinationis à Deo promanasse ostendit, quod nos vltrò damus; *Homo enim imponit manum, sed Deus largitur gratiam*, vt monebat suprà Ambrosius.

Versat iam alias nostras rationes Spalatensis, *Quartò*, inquit, *probant contra nos ex charactere; quem passim asserunt in ordine etiam imprimi, sicut imprimitur in baptismo. Imprimi verò characterem ex eo probant, quod ordo iterari non potest; & quia quantumcunque quis fictè etiam cum peccato grauissimo ad accipiendum ordinem accedat, is certè licet gratiam gratum facientem nullam accipiat, ordinem tamen hoc est potestatem illam accipit, & ita accipit, vt quoties actum ordinis exercet, etiamsi cum peccato illum exerceat, semper tamen effectum ordinis quem accepit consequitur. Hoc igitur quod in ordinatione accipitur proximè & directè, etiam seclusa gratia, si quis non vult appellare characterem, appellet vim seu potestatem, seu quidpiam tale. Quod esse non potest nisi effectus veri Sacramenti. Fauet in hoc ipsis Augustinus dicens, Spiritus autem sanctus in Ecclesiæ præposito vel ministro sic inest, vt si fictus non est, operetur per eum Spiritus sanctus, & ad eius mercedem in salutem sempiternam, & eorum regenerationem vel ædificationem, qui per eum, siue consecrantur, siue euangelizantur; Si autem fictus est quoniam verissimè scriptum est, Spiritus enim sanctus disciplinæ effugiet fretum: deest quidem saluti eius, vt auferat se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu, ministerium tamen eius non deserit, quo per eum salutem operatur aliorum. Consecratio igitur qua ordinantur ministri, habet semper efficaciam per Spiritus sancti præsentiam & operationem. Et hoc sola vera Sacramenta habent proprium, vt neque dantis, neque etiam recipientis indignitas impediant effectum, quo minus validè, si non fructuosè & vtiliter, & dentur, & recipiantur.*

SPALAT. Num. 38.

Aug. contr. ep. Parm. l. 2. c. 11.

Sap. 1.

Sed hæc omnia, inquit, *supponunt, vt certum id quod in ipsa quæstione versatur; nã aut probandum prius est ordinem esse verum Sacramentum, sicut est baptismus: & tunc optimè sequetur ipsum habere suos effectus semper, & necessariò saltem characterem; siue quicquid illud sit quo Sacramentum dicitur validè datum & receptum, etiamsi ex defectu recipientis, gratiam gratum facientem non operetur; sequetur etiam ipsum esse indelebilem, & inamissibilem. Siue saltem à posteriori, probent prius in ordine illa esse, nempè characterem & indelebilitatem ac inamissionem; & tum ex his probatis optimè colligent ordinem esse verum Sacramentum. Interim nos negamus in ordine ista semper adesse; nam probauimus contrarium; & efficaciam illam ex opere operato in ipsa ordinatione non inuenimus. Augustinus verò ordinationem intelligit, quæ fit ordinariè, & modo ordinario ab Ecclesia præscripto, & vt ordinans pastor sit, non lupus; & ordinatus ritè cognitus & examinatus, probatus-*

SPALAT. Num. 39.

que promoueatur : tunc enim quantumcunque ordinans sit peccator (exceptis illis grauissimis vt suprà) sibi quidem nihil meriti lucratur, cùm non sit in gratia: ordinato tamen bene prodest. Hinc verò non sequitur ordinem esse propriè Sacramentum, sed habere in se aliquid valdè simile, & proportionale cum Sacramento. Vnde & Hieronymus ordinem Sacramenti nomine insigniuit: Ait enim de Vigilantianis Episcopis loquens : Nisi prægnantes vxores viderint Clericorum, infantesque de vlnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuunt; Intelligit verò sacros ordines, nam in fine repetit idem; Nisi, inquit, tumentes vteros viderint fœminarum, maritos earum Christi ministerio arbitrantur indignos. Atqui has esse nugas nugerrimas suprà demonstrauimus, ostendimusque ordinationem verum, ac legitimum esse Sacramentum iudicio Augustini, cum ipso baptismo conferendum, vt propterea eius sententiam aliò flexisse aut curuasse, sit innocentissimum, ac sanctissimum præsulem immaniter torsisse. Quia igitur est istud à nobis fusè probatum, habemus ex eius doctrina ordinationem Sacramentum esse, & characterem imprimere, quem nulla perfidia abolere possit. Propterea meritò Hieronymus à Spalatensi, testis citatus etiam inter Sacramenta, non verò inter Sacramentorum simulachra ordinationem recenset ; Sic enim de Vigilantij sectatoribus Episcopis, *Nisi prægnantes viderint vxores Clericorum, infantesque de vlnis matrum vagientes, Christi Sacramenta non tribuunt* : Nam loqui eum de sacris ordinibus, & aduersarius ipse fatetur adductus his verbis: *Nisi*, inquit, *tumentes vteros viderint fœminarum, maritos earum Christi ministerio arbitrantur indignos, &c.* His tamen non solùm non assentitur Spalatensis; Sed & reliquos Patres ad certamen prouocat. *Quintò*, inquit, *idem suadere conantur ex plurium assertionibus Patrum, qui ordinem aut expressè tradunt, aut supponunt esse verum & proprium Sacramentum. Refertur à Sozomeno cuiusdam Martyrij dictum ad Nectarium: Tu, inquit, ô beate recens baptizatus & purificatus, & mox insuper Sacerdotio auctus es: vtraque autem hæc peccatorum expiatoria esse Deus constituit. Chrysostomus ; Sacerdotium, inquit, in terra peragitur, sed in rerum cælestium classem ordinemque referendum est. Atque id perquam meritò; quippè non mortalis quispiam, non Angelus, non Archangelus, non alia quæuis creata potentia, sed ipse Paracletus ordinem eiusmodi disposuit. Et infra: Tum probè intelliget, quanto Sacerdotes honore, quanta dignitate, Spiritus sancti gratia dignata fuerit. Author sermonum de operibus Cardinalibus Christi, comparat ordinem cum baptismo ; & vtrumque pariter facit initerabile Sacramentum. Nam baptismum, inquit, repeti Ecclesiasticæ prohibent regulæ, & semel sanctificatis nulla deinceps manus iterum consecrans præsumat accedere. Nemo sacros ordines semel datos iterum renouat, nemo sacro oleo lita, iterum linit aut consecrat; nemo impositioni manuum, vel ministeriis derogat Sacerdotum, quia contumelia esset Spiritus sancti, si euacuari posset quod ille sanctificat, &c. Augustinus non modò loco paulò antè citato libro secundo contra Parmen. capite 13. sed etiam eodem libro capite 11. & libro primo de Baptism. capite 1. & Epistola 50. ad Bonifacium. Et de bono coniugali, capite 18. & 24. & in sermone de gestu cum Emerito expressè, & vocat ordinem Sacramentum, & facit indelebilem, & gratiæ productiuum. Apud Scholasticos verò est hoc placitum communissimum, imo decretum de fide post Concilium Florentinum & Tridentinum. Hieronymus etiam, inquit Bellarminus, in dialogo contra Luciferianos, toto ferè libro confert ordinationem cum baptismo, vt etiam ab hæretico datus teneat. Habetque illa verba. Si in fide sua baptizato baptizans*

Hier. adu. Vigilant. init.

SPALAT. Num 40. Bella. l. 1. de Sacr. in ord. c. 3.

Sozom. l. 7. hist. c. 10.

Chry. l. 3. de Sacerd.

Apud Cypr. ser. de ablu. ped.

Apud Bella. l. de Sacra. ord. c. 3.

Conc. Trid. sess. 23. ca. 2. & Can. 3.

Hier. adu. Lucif.

zans nocere non potuit, & in fide ſua Sacerdotem conſtitutum, conſtituens non inquinauit. Palpat verò primum illos, ac in ſuam ſententiam pertrahere nititur homo vaniſſimus. *Martyrius*, inquit, *ordinem peccatorum expiatorium facit, ſicut & baptiſmum; ſed non eodem modo ſunt expiatoria; nam baptiſmus per modum Sacramenti id facit, & eſt proprius & proximus ipſius effectus: Ordo verò neque per modum Sacramenti, neque proximè expiationem peccatorum attingit, ſed remotè, ideo enim miniſtri ordinantur, vt miniſtrent Sacramenta quæ ſunt peccatorum expiatoria.* At hæc eſt mera deprauatio ſententiæ Martyrij, etſi enim miniſtri ordinentur, vt miniſtrent Sacramenta quæ ſunt peccatorum expiatoria, tamen ordinatio etiam ſanctificat ſuſcipientem, qui gratiæ Dei obicem non ponat: Neque verò Martyrius Nectario poteſtatem factam aliis miniſtrandi Sacramenta, quorum ope ſanctificentur opponit, ſed ad memoriam reuocat quam ipſe ſuſcepiſſet gratiam, cùm ſacris initiaretur; Quod ex hiſtoria apertiſſimè colligitur. Nectarius Martyrio perſuadere cupiebat, vt ſacris initiari ſe pateretur: Martyrius ſuperioris vitæ errores commemorans, ſe indignum ſacro miniſterio profitebatur: Excipiebat Nectarius ſe iiſdem peccatis olim implicatum, quippè qui ſocius eius fuiſſet; *At tu*, inquit ille Nectario, *ô beate recens baptizate & purificate, & mox inſuper Sacerdotio aucte; vtraque autem hæc peccatorum expiatoria eſſe, Deus conſtituit.* Ergo non de poteſtate miniſtrandi quæ ordinationem conſequatur, ſed de gratia iuſtificante quæ peccatorum ſordes abluat, quæque bene affecto etiam tribuatur, planè loquebatur Martyrius. Sed de Chryſoſtomo audiamus; *Chryſoſtomus*, inquit, *nihil aliud habet, niſi in ordinationibus Deum concurrere, & peculiari modo ordinariè operari; quod eſt veriſimum: Sed hinc ordo non habet, vt ſit verum Sacramentum.: Confeſsio etiam fidei coram Tyrannis habet illam promiſsionem: Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis. Et hoc eſſe veriſimum quis dubitat? Nunquid igitur talis confeſsio & prædicatio propterea erit inter Sacramenta nouæ legis reponenda? Congregatio etiam duorum aut trium in nomine Chriſti, habet promiſsionem & effectum illum, In medio eorum ſum; Et tamen tales congregationes, & concilia non ſunt Sacramenta. Et qui dederit calicem aquæ frigidæ, habet certam à Chriſto promiſsionem mercedis: nunquid ergo porrigere calicem aquæ in nomine Chriſti erit nouæ legis Sacramentum? Poſſemus ſexcenta etiam alia hinc Sacramenta numerare.* Chryſoſtomum ex Chryſoſtomo tollit, nec ipſe ſe intelligeret, ſi nomine ſuo ita ineptientem audiret. Vult Sacerdotium etiam ſi in terra peragatur, in rerum tamen cæleſtium claſſem ordinemque referendum eſſe, quod neque Angelus, neque Archangelus, ſed Paracletus eius author ſit, cuius vi ac afflatu Sacerdotes conſecrati in opus incumbentes ad quod ſunt ab eo vocati, Sacramenta miniſtrant, populos expiant, & regnum cælorum aperiunt. Nunquam autem Chryſoſtomo veniſſet in mentem huius inſipidi commenti, quo confeſſionem fidei coram Tyrannis, confert aduerſarius cum ſacra ordinatione. Habet quidem illa promiſſionem diuini fauoris, propter ſummos charitatis ardores, quibus Martyres ad hoc diſcrimen ſubeundum inflammantur, ac incenduntur; ſed nullus vnquam ſanæ mentis ad modum Sacramenti habere exiſtimarit; Itidem de aliis piis operibus dicendum. Quod ſi vis aliqua ineſſet in argumento Spalatenſis, etiam expungerentur ex albo Sacramẽtorum & Baptiſmus & Euchariſtia; Vt enim habeant promiſſionem diuinæ aſpirationis, quæ omnino ad Sacerdo-

SPALAT. Num. 41.

Matth. 10.

Matth. 18.

Matt. 10.

tium, & ad consecrandum corpus Christi requiritur, etiam, dicet Spalatensis; *Confessio fidei coram Tyrannis, congregatio duorum vel trium in nomine Christi, & sexcenta alia pia opera eandem promissionem habent*, ac propterea vt ista in Sacramentorum numero ratione huius promissionis non ponuntur, nec in illa debent reponi. Sed vt ad sacram ordinationem reuertamur his verbis, *Tum probè intelliget, quanto Sacerdotes honore, quanta dignitate, Spiritus sancti gratia dignata fuerit*, innuit Chrysostomus Spiritum sanctum Sacerdotij authorem ordinationi summam gloriam, summum honorem, summam quoque gratiam addidisse, ac eximiis iis donis ornasse, quæ ad ipsam ordinis rationem proximè spectarent, ac ei exerendæ satis essent.

SPALAT. Num. 41. De consec. dist. 1. cap. si motum & cap. Eccles. Supra hoc cap. nu. 33. & 37.

Authorem operis de Cardinalibus operibus Christi immanissimè torquet Spalatensis. Hic author, inquit, *consecrationes Ministrorum nouit ex sua natura non esse iterandas, intellige nisi sua culpa minister ille suam consecrationem amiserit, & iterum recipiatur. Sicut quæ oleo lita sunt, inquit idem, atqui ea quæ oleo lita sunt & consecrata, puta altare, si ex aliqua causa exsecrentur, denuo debent consecrari. Augustinus fateor in aduersam partem plurimùm inclinat; Quia tamen alibi ipse duo tantum ponit vera & propria Sacramenta, vt suprà ostendi, & adhuc melius in sequentibus libris ostendam, ordinationem vocat Sacramentum in latiori significatione, & ipsam facit indelebilem & inamissibilem, gratiæque productiuam modis à me iam explicatis. Hieronymus ordinationes hæreticorum vt legitimas admittit, sicut & baptismum; & nihilominus hæreticum absolutè negat posse esse Episcopum; Nam & ipse agnouit aliud esse de hæreticis in foro, vt ita dicam exteriori, coram hominibus; aliud de illu qui etiam in foro interiori coram Deo essent hæretici, & manifesti lupi, vt suprà differebam.* Sed hæc sunt à mente illius authoris alienissima; Primum enim nunquam ille suis dictis eam glossam adhibuisset, *nisi minister suam consecrationem amiserit, &c.* Neque enim ex probitate ministri, aut suscipientis colligit sacros ordines renouari non posse aut iterari, sed ex vi consecrationis sacramentalis, impositionis manuum, & sacræ vnctionis qua sunt imbuti: Demum falsus est iudicij Spalatensis, nec mentem authoris assecutus est in verbis illis; *Nemo sacro oleo lita iterum linit*: quanquam enim valet etiam ad nostram sententiam comprobandam huiusmodi comparatio à rebus inanimis sumpta, quæ sacro oleo consecrata vim consecrationis perpetuò retinent, tamen ad ea quæ oleo liniuntur vt altare, & similia non respexit, sed totâ ordinationis seriem complexus est, ac continenter meminit collationis sacrorum ordinum, & sacræ vnctionis, qua scilicet ordinandi imbuantur cum impositione manuum; Sed demus respexisse etiam ad cætera, quæ oleo quoque in Ecclesia liniuntur & consecrantur; Certè quemadmodum altare semel consecratum, quandiu altare esse perseuerat, consecratum manet; Sic impressus animo immortali character æternum durat, ac propterea à Scholasticis, pro *durabili nota, qua fideles ad cultum Religionis Christianæ destinentur, & ab aliis populis discernantur*, iure optimo vsurpatur. Quid autem Hieronymus senserit de Episcopis, etiam planè hæreticis, supra à nobis explicatum est ac demonstratum, eum in sententia esse omnium orthodoxorum. Sed quod Scholasticorum rationibus suam causam triumphari videret Spalatensis, illos vexandos duxit homo totus Scholasticus. *Scholastici*, inquit, *plus interdum indulgent Dialecticis, ac ingeniosis humanarum rationum subtilitatibus & captiunculis, quàm studio sacrarum literarum, Conciliorum & Patrum; Et post Romanam Monarchiam iam stabilitam exorti sunt, & multiplicati.*

Con-

Concilia Florentinum & Tridentinum, aut reuerenter gloſſanda ſunt de Sacramentis in latiori ſignificatione ſumptis; aut ſi gloſſari recuſant, opponetur eis ritè & legitimè iuxta antiquos Canones non eſſe celebrata; neque fuiſſe verè & propriè generalia, neque ea fuiſſe à tota Eccleſia Chriſti acceptata & approbata; & fortaſſe ea in multis eſſe ex diametro aliis antiquiſſimis, ac ſacroſanctis in tota Eccleſia receptis Conciliis contraria, eorumque deſtructiua. Sed de Conciliis poſtea. Scilicet fortiſſimos iſtos Athletas valdè reformidant hæretici, vtque eorum ſe argumentis expediant, ac omni moleſtia liberent, homines delicatuli veluti Sophiſtas eos traducunt; Fecit id Lutherus, fecit Caluinus, & quis non de grege miniſtrorum? Magnam itaque à ſectariis gratiam proculdubio iniit Spalatenſis, laceſſitis ad hunc modum Scholaſticis; ſed eſt illis inuictum robur, nec ſibi à telis tam imbecillis aduerſarij timent. Superat verò omnem impietatem, quod ille effutire audet in magna Concilia Oecumenica, Florentinum & Tridentinum; quorum conuentus iis conuiciis aſpergit, quibus atrociora aut ſceleratiora ab infenſiſſimis Catholicæ veritatis hoſtibus excogitari non poſſint.

Cauſatur *ea non rectè nec legitimè iuxta antiquos Canones celebrata, neque fuiſſe verè & propriè generalia, neque fuiſſe à tota Chriſti Eccleſia acceptata & approbata, & fortaſſe in multis eſſe ex diametro aliis antiquiſſimis, ac ſacroſanctis in tota Eccleſia receptis Conciliis contraria, eorũque deſtructiua*; ſcilicet ea vox fuit ſemper omnium hæreticorum, quos Concilia Oecumenica damnarunt. Sic Arius, & qui ab Ario ſteterunt in Nicænam Synodum primam debacchati ſunt; ſic in Conſtantinopolitanam Macedonius, & qui Macedonio fauerunt; ſic in Epheſinam cum aſſeclis ſuis Neſtorius; ſic in alteram Conſtantinopolitanam, vt cæteras prætream, Monothelitæ. At expendamus momenta ſceleratiſſimæ criminationis; *Non fuerant*, inquit, *ritè ac legitimè iuxta antiquos Canones celebrata*: Cedo igitur antiquos illos Canones à quibus exorbitarint. Addit: *Neque fuerunt verè & propriè generalia, neque ea à tota Eccleſia Chriſti acceptata & approbata: & fortaſſe ea in multis eſſe ex diametro aliis antiquiſſimis, ac ſacroſanctis in tota Eccleſia receptis Conciliis contraria, eorumque deſtructiua.* An non primùm fuerunt à ſummo Pontifice, cuius prima ſententia, ſi veteribus canonibus ſtandum ſit expectenda fuit, indicta? An non erant legitimi Epiſcopi qui interfuerunt? An non ſunt ab iis Scripturæ ſacræ, & Patrum placita diligentiſſimè explicata? An non hæreſes, ſchiſmata & improbos mores ex recepta doctrina damnarunt, repudiarunt, & ex toto orbe eliminarunt? *At*, inquit, *non fuerunt propriè generalia?* Id verò quî dici poſſit de Florentino, cui conſtat interfuiſſe non ſolùm Pontificem Romanum cum Occidentis Epiſcopis, verùm etiam Patriarcham Conſtantinopolitanum cum Orientalibus annitente, ac præſente Græcorum Imperatore Paleologo? Certè cùm vix vnus Orientalium Conciliorum proferri poſſit, cui Summus Pontifex interfuerit Eugenius quintus hoc præſentia ſua cohonestare voluit, ne quid ſcilicet prætermitteret in reuocandis ad ſaniorem mentem Græcis, quo inter vtramque Eccleſiam inita concordia, fortiores exercitus contra Turcas cogere poſſent Chriſtiani Principes, illoſque Orientis finibus arcere: Patrum verò conſeſſus idem hic qui in primis Oecumenicis obſeruatus eſt; In medio quoque conſtitutus fuit codex Euangeliorum, in quem intuentes Chriſtum iuxta factas Eccleſiæ promiſſiones, ſibi præſentem eſſe meminiſſent. Quod attinet verò ad Tridentinum de quo alibi plura dicenda nobis ſunt, & ſi reuerſis ad vomitum Græcis, ac in pertinacia ob-

SPALAT. Num. 41.

firmatis, ſolos habuit Antiſtites Occidentis, reuera tamen Oecumenicum fuit, cùm ab ea Eccleſiæ parte habitum ſit, quæ orthodoxam fidem ſola retineret, ac Petri Cathedræ adhæreret. Non enim vt Oecumenicum Concilium cenſeatur, omnes omnino totius orbis Epiſcopos conueniſſe neceſſe ſit, ſed ſufficit eos interfuiſſe penes quos ſit Eccleſia Catholica. Cùm quidem totius orbis Epiſcopi conueniunt, & *de iure*, & *de facto* Oecumenicum reputatur, at cùm ij qui ſchiſmate implicantur coïre renuunt, & ea ſola Eccleſiæ pars quæ illibatam fidem ſeruat Concilium celebrat, *de facto* quidem *Oecumenicum* non audit, ſed *de iure Oecumenicum eſt*, cuius proinde decretis ſtandum & parendum ſit, vt Oecumenici Concilij legitimis ſanctionibus. Et vt obiter iſtud dicam de Tridentina Synodo, non exiſtimo à ſæculo Apoſtolorum doctiorem extitiſſe, etiamſi cum antiquiſſimis conferatur ; quare vt ad propoſitum reuertamur, cùm ordinationem Sacramentum eſſe dennierit, qui eam ſententiam non amplectitur, planè hæreticus eſt, ac extra Eccleſiam ſibi dogmata cudit.

SPALAT. Num.42. Bella. l.1.de Sacra.ord. c.1.

Sed rurſus noſtras rationes impetit, ac nomine & dignitate Sacramenti ordinationem nudare contendit Spalatenſis. *Sextò demum*, inquit, *probant idem ratione : Quia ordo habet omnia requiſita ad hoc vt ſit propriè Sacramentum. Eſt enim ſymbolum externum, ſeu ritus, illa manuum impoſitio, de qua ſacra Scriptura continet atteſtationem, nimirum Actorum 6. vbi Diaconis ab Apoſtolis manus imponuntur. Et Actorum 13. vbi Paulus & Barnabas per manuum impoſitionem ordinantur. Et Actorum 14. vbi Paulus & Barnabas chirotonizando ordinant Epiſcopos per ſingulas Eccleſias ; Quod eſt per manuum impoſitionem, & apud Paulum 1. Timoth. 4. & 5. & 2. Timoth. 1. Additur mandatum diuinum, ſiue diuina inſtitutio, Actorum 13. Segregate mihi Saulum & Barnabam. Actorum 20. In quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos Epheſ. 4. Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, alios Prophetas, alios Paſtores & Doctores. Adeſt promiſsio &* Bellar.ibid. c.4. *effectus gratiæ 1. Timoth. 4. 2. Timoth. 1. Et confirmatur ; Quia Deus cùm det in ordine poteſtatem conficiendi & miniſtrandi Sacramenta, congruens eſt vt det etiam gratiam gratum facientem, vt ordinatus fungatur ritè & dignè tanto miniſterio, ne cùm peccato id faciat, ſicut in baptiſmo datur eadem gratia, vt ſine peccato poſsit baptizatus Euchariſtiam ſumere, & alia recipere Sacramẽta. Si ergo ordo conferre debet hanc gratiam ordinatis, neceſſe eſt ipſum verum eſſe Sacramentum, vt propterea etiam Caluinus id negare abſolutè non potuerit. Videbat enim in Eccleſiaſtico ordine magnam vim Sacramenti.*

Apud Bella. de ord.c.1.

SPALAT. Num. 43.

Ego verò iam oſtendi manuum impoſitionem, etiam in ordinationibus preces & orationem ſignificare, eamque ab Apoſtolis primùm cœptam adhiberi : à Chriſto verò neque adhibitam, neque præceptam. Docui etiam ſegregationem illam Pauli & Supra c. 1. nu. 11. 12. 13. *Barnabæ, nullum Sacramentale mandatum continere, neque tunc vllam factam fuiſſe horum ordinationem. Quod verò Spiritus ſanctus dicatur poſuiſſe Epiſcopos in Eccleſia Epheſina Act. 20. & Paſtores & Doctores in tota Eccleſia Epheſ. 4. ſignificat diuina quidem ordinatione & cooperatione ſpeciali, id factum eſſe & fieri : ſed hinc mandatum diuinum haberi pro inſtitutione peculiaris Sacramẽti, nemo dixerit, niſi qui inopia probationum, hinc inde colligit, quidquid ad manus venerit, etiam ſi nihil ad rem faciat. Mandatum eſt : Euntes docete, baptizantes : Mandatum eſt, hoc facite in meam commemorationem ; & talia mihi mandata proferat, qui mihi vult à Chriſto inſtituta Sacramenta manifeſtare. Quod verò dicitur de gratia illa gratum faciente nihil eſt : certè veri Sacramenti præcipuus, imo totus finis eſt, vt gratiam gratum*

tum facientem in recipiente operetur. Sacerdos verò illud proximè, & principaliter ab ordinatione recipit, vt posſit conficere & miniſtrare Sacramenta. Hoc autem tam perfectè ad effectum perducit ipſe Sacerdos, ſi ſit in gratia, atque ſi ſit in peccato mortali, vt contendunt Scholaſtici omnes; non ergo ordo eſt eo inſtitutus, vt dignè quis poſſit miniſtrare; ſed abſolutè & ſimpliciter vt poſsit miniſtrare. Adeoque ſecundum ipſos ordo non minus recipitur ab inimico, atque ab amico Dei: & gratia ordinis eſt efficacia operandi id, ad quod ordo, ſiue officium ritè datur; ex hoc enim quod quis ſit legitimè ordinatus, mira facit, quæ non ipſe facit qui ordinatus eſt, ſed ordo & officium ipſum quod ſuſcepit, hoc eſt Deus qui plantante & rigante homine, dat incre- 1. Cor. 3.
mentum & fructum; etiamſi ille qui plantat & rigat aridus in ſe ſit & infœcundus: Sicut enim (inquit Ambroſius) qui dicit Dominum Ieſum in Spiritu ſancto di- Ambr. in 1. Cor. c. 12.
cit, qualiſuis ſit; ita & in loco ordinis officij Eccleſiaſtici poſitus gratiam habet, qualiſuis ſit; non vtique propriam, ſed ordinis, per efficaciam Spiritus ſancti. Vnde & inter initia dicit. Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus. Et paucis interiectis: Diuiſiones autem gratiarum ſunt, officiis Eccleſiæ, non humanis meritis deputatæ. Et hoc eſt opus operatum, non operantis; ſed neque Sacramenti, aut characteris, ſed aſsiſtentis Spiritus ſancti, qui ordinariè cum ſuo miniſtro legitimo operatur; non ſolùm quando ille miniſter conficit & confert Sacramenta, ſed etiam quando docet, inſtituit, euangelizat, arguit, increpat, & ad ſanam doctrinam viamque ſalutis reducit audientes. Hoc enim propriè eſt illud plantanti, & irriganti dare incrementum; & illud operari Petro in Apoſtolatum cir- Gal. 2.
cumciſionis, & operari Paulo inter gentes. Atque hæc ipſa gratia ordinis non eſt gratum faciens ordinatum, ſed ipſi data gratis; habet tamen magnam ſimilitudinem cum Sacramento, vt propterea Auguſtinus ordinem vocet Sacramentum: Et in hoc facilè aſſentiebatur etiam Caluinus ſupra num. 42. Sunt iſta inanitate ipſa inaniora. Primùm enim ſupra oſtendimus impoſitionem manuum in ſacris ordinationibus vſurpatam, peculiarem quandam vim conſecrationis habuiſſe, quam magni fecerit Paulus, cuique gratiam connexam docuerit, quod preces adhiberi ſolitæ in conſecratione miniſtrorum, non tam ſuadent quàm potentiſſimè euincunt; vt ſupra etiam monuimus. Vt verò Chriſtus de ea nihil expreſsè dixerit; certum eſt Apoſtolos, non niſi ex ſpeciali reuelatione ea eſſe vſos. Quod attinet verò ad ſegregationem Pauli & Barnabæ, atque ad eam vſurpatam manuum impoſitionem, eſt quoque à nobis demonſtratum, illam ad Sacramentalem ordinationem ſpectaſſe. Locus Actorum quo ſignificatur, *Spiritum ſanctum poſuiſſe in Eccleſia* Act. 20.
Epheſina Epiſcopos, & alius Pauli quo innuitur dediſſe Chriſtum, *alios Paſtores*, Epheſ. 4.
alios Doctores in Eccleſia, ſi ſolitariè ſpectentur reuera intentum non probant, nec memini aliquem ex controuerſiarum tractatoribus, in illis cauſæ firmamentum ponere, & fateor de peculiari quodam diuinæ prouidentiæ ordine quo Eccleſiæ ſuæ proſpexerit, eique paſtores & præſules impoſuerit, accipi poſſe; ſi tamen vna cum aliis ſumantur, qui ad hoc probandum inducuntur, omninò intentum probant, & ad rem maximè faciunt. Et quidem mandatum, *Hoc facite in meam commemorationem*, quod in Euchariſtiæ commendationem profert Spalatenſis, ad ipſum quoque ordinem ſacrum pertinet, cùm vt rectè monet Concilium Tridentinum, Chriſtus eius verbis *Apoſtolos, Sacerdotes initiarit, & renunciarit, qui Euchariſtiam & conficerent ipſi, & populis traderent.* Quod verò gratiam à qua præſidium ducimus, nihili hoc in negotio faciendam eſſe bla-

ſphemat Spalatenſis, nos non mouet, nec à ſententia deiicit. Vrget *Sacramenti propriam rationem ac præcipuum, imo totum finem eſſe, & gratiam gratum facientem in ſuſpiciente operantem; Sacerdotem verò illud proximè, & principaliter ab ordinatione recipere, vt poſſit conficere & miniſtrare Sacramenta*: At reſpondemus verum quidem eſſe ea Sacramenta, quæ ad priuatam quandam ſuſcipientium ſanctificationem ordinantur, vim ſuam in conferenda gratia gratum faciente, quæ eos perfundat, ac in numerum filiorum Dei ponat, promere, ſed eſſe alterius rationis Sacramenta in bonum communitatis, hoc eſt totius Eccleſiæ inſtituta, quorum præter ſuſcipientium priuatam ſanctificationem ſcopus ſit & finis, aliorum commodis procurandis, eos qui initiantur addicere ac mancipare. Et in his quidem executionem miniſterij primas partes obtinere, vt iam non ſolùm ab amico, ſed etiam ab hoſte hoc munus præſtetur, non quidem vi priuatæ pietatis à qua longe abſit, ſed vi characteris & ordinationis quem affectus alienæ ſanctificationis conſequatur. Quo facit locus ille Pauli, *Neque qui plantat, neque qui rigat aliquid eſt, ſed qui incrementum dat Deus.* Sed vt obiter iſtud moneam Apoſtolus eò loci, quanquam etiam de Euangelij prædicatione loquitur, haud tamen inanem eſſe miniſtrorum operam contendit. Quamuis enim pſeudo-Ambroſius (nec enim Ambroſij Mediolanenſis ſunt illi Commentarij) doceat Spiritum ſanctum interdum abſque vllius miniſtri opera, animum excitare ac inducere, vt fidem amplectatur, ac fidem & iuſtitiam conſequatur, vt plurimum tamen neceſſe eſt, miniſtrum quoque ſuam operam in annunciando Euangelio ponere: *Quomodo*, inquit Paulus, *inuocabunt, in quem non crediderunt, aut quomodo ei credent quem non audierunt, aut quomodo audient ſine prædicante.* Quocirca ipſis interdum miniſtris tribuuntur illa quæ eorum adminiculo, gratiæ beneficio peraguntur; qua ratione vt infinita loca præteream, Timotheum Paulus hunc in modum hortatur. *Attende tibi & doctrinæ: inſta in illis. Hoc enim faciens, & te ipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Certè nullus eſt iam tam gratiæ Dei inimicus qui non agnoſcat, ſalutem ab ea vna pendere; tribuitur tamen miniſtris, quorum conatus diuina gratia promouet & illos præuertit, comitatur & ſubſequitur. Hoc ſibi voluit ille Ambroſius; *Sicut*, inquit, *qui dicit Dominum Ieſum, in Spiritu ſancto dicit, qualiſuis ſit; ita & in loco ordinis officij Eccleſiaſtici poſitus, gratiam habet qualiſuis ſit: non vtique propriam, ſed ordinis, per efficaciam Spiritus ſancti. Vnde & inter initia dicit, Neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Hoc autem in Sacramentorum collatione vi ordinationis & characteris impleri aſſerimus, quippè quam miniſtri improbitas funditùs tollere non poſſit: Eſt enim non ad eius priuatam, ſed ad communem fidelium vtilitatem conceſſa, ac propterea etiam in ſcelerato perſeuerat. Hæc adeò vera ſunt, vt volens nolens Spalatenſis ordinationem magnam habere cum Sacramento ſimilitudinem diffiteri non poſſit; eoque ipſum pertrahat Caluinum, qui tamen aliquanto candidius verè Sacramentum eſſe admittit, ſenſu quem ſupra explicauimus.

1. Cor. 3.

Rom. 10.

1. Tim. 4.

Ambr. in 1. Cor. c. 12.

SPALAT. Num. 44. Addit Spalatenſis, *Neque mihi dicant*, inquit, *ſolum characterem ordinis recipi à peccatore, eo modo quo fictè baptizatus ſolùm baptiſmi recipit characterem. Quia in baptizato quandiu durat fictio, effectus ſuos baptiſmus non operatur, is enim eſt præcipuus gratia gratum faciens: at verò in fictè ordinato puta Epiſcopo etiam durante peccato & fictione, vt volunt noſtri Scholaſtici, ordo ipſius omnes ſuos effectus poteſt operari;*

operari; Quia poteſt validè & fructuosè pro illis quibus ille miniſtrat Sacramenta, non modò baptizare, ſed etiam Euchariſtiam conficere & diſtribuere, confirmare, ordines conferre, pœnitentes reconciliare, excommunicare, abſoluere, benedicere, conſecrare, & alias omnes ordinis ſui functiones exercere. Vnde clarè conſtat proximum effectum ordinis, non eſſe ex natura ſua inducere gratiam gratum facientem. Propterea ex hoc ipſo etiam optimè comprobatur, ordinem non eſſe merum Sacramentum; quia proximus ipſius effectus non eſt gratiam conferre. Errat, nec aduertit Sacramentum ordinis in aliorum bonum inſtitutum, magis quàm in ordinati priuatam ſanctificationem, quod certè de baptiſmo dici nequit. Itaque *etſi gratia data Timotheo non eſſet gratia gratum faciens directè & per ſe, ſed dumtaxat poteſtas ſacerdotalis, & varia dona illi annexa erga alios operatiua*, vt authoritate Chryſoſtomi contendit Spalatenſis, id ſententiam noſtram non labefactaret; quanquã agnoſcimus ſic affecto, vt erat Timotheus directè ac per ſe ex vi ordinationis illius generis gratiam conceſſam, ſed Timotheo eam curam ex officio incubuiſſe, vt illa gratia fretus, aliorum ſaluti procurandæ ſedulam operam nauaret, ſequentia commonſtrant. *Noli negligere gratiam*, inquit Apoſtolus, *quæ in te eſt, quæ* 1. Tim. 4. *data eſt tibi per prophetiam cum impoſitione manuum presbyterij. Hæc meditare; in his eſto, vt profectus tuus manifeſtus ſit omnibus. Attende tibi & doctrinæ; inſta in illis. Hoc enim faciens & teipſum ſaluum facies, & eos qui te audiunt.* Scio pleroſque, in quorum ſententiam manibus pedibuſque diſcedit Spalatenſis, adductos aliis verbis Apoſtoli; *Hoc præceptum commendo tibi*, inquit, *Timothee, ſecun-* 1. Tim. 1. *dum præcedentes in te prophetias, vt milites in illis bonam militiam, habens fidem & bonam conſcientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt, ex quibus eſt Hymenæus & Alexander, quos tradidi Satanæ, vt dicant non blaſphemare.* Per *gratiam illam conceſſam Timotheo* iuxta præcedentes prophetias peritiam intelligere ſcripturarum, quam iam pridem à pueritia ſibi compararat, iuxta illud eiuſdem Apoſtoli. *Tu verò*, inquit, *permane in iis quæ didiciſti, & credita ſunt* 2. Tim. 3. *tibi, ſciens à quo didiceris, & quia ab infantia ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata, vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in iuſtitia; vt perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum inſtructus.* Sed ſupra oſtendimus hoc propriè velle Apoſtolum, Timotheo in Sacramenti ordinis perceptione collatam fuiſſe gratiam beneficio impoſitionis manuum, idque iuxta præcedentes prophetias, quia nimirum plura præceſſerant de futura Timothei ordinatione diuina oracula, quæ propterea vt *cauſa impellens* non vt *cauſa inſtrumentaria* in eo negotio ſpectantur. Deſinat autem Spalatenſis hîc nobis baptiſmum opponere, quippe cuius longè ſit diuerſa ab ordinatione ratio, cùm vt diximus eo fine inſtitutus ſit, vt priuatum hominem ſanctitate perfundat, non verò vt aliqua munia Eccleſiaſtica obeat; Ordinatio verò aptitudinem illam ad alia Sacramenta miniſtranda ſecum trahat. Certè etſi ſententia Catholicorum ſit baptiſmo ſic comparari Chriſtianum, vt eo ſuſcepto accipiendorum reliquorum Sacramentorum iure gaudeat, nemini tamen noſtrum vnquam venit in mentem eo ipſo quo quis baptizatus ſit, poteſtatem habere illum defungendi aliquo miniſterio Eccleſiaſtico, aut eius obeundi; Cùm tamen qui initiatur Num. 44. ſacris ordinationibus huiuſmodi munia exercendi poteſtatem nanciſcatur, quocirca par ratio non eſt, atque ideo fit vt quandiu perſeuerat fictio in baptizato, effectum ſuum non ſortiatur baptiſmus, quia ſcilicet character baptiſmi nullum

alium effectum inducere natus est, quam priuatam susci-pientibus sanctificationem quæ manente fictione eam consequi non possit, ordinationis verò character præter priuatam susci-pientium sanctificationem per se & vi sua alium effectum producit, nempè aptitudinem illam conferendorum Sacramentorum quam vitium aut scelus susci-pientium non tollit.

Sed iam aliò nos vocat Spalatensis, & post vexatum sacerdotium Diaconatum aggreditur, eumque de numero sacrorum ordinum, qui Sacramenti prærogatiuis gaudent, tollere nititur. Recenset autem primam rationem instituti Diaconatus. *Ad quid*, ait, *Diaconi? Diaconorum institutio*, inquit, *ipsiusque occasio tota clarè explicatur à Luca in Actis Apostolorum. Fideles enim in primitiua Ecclesia Hierosolymitana, in commune viuebant; possessiones & substantias vendebant, & afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum; qui diuidebant singulis prout cuique opus erat. Crescente verò numero discipulorum factum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum. Conuocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt; Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Hæc fuit occasiò vt illud consilij caperent; nempe, Constituamus super hoc opus septem viros; nos verò orationi & ministerio verbi instantes erimus. Et elegerunt Stephanum alioſque sex. Hos statuerunt ante conspectum Apostolorũ, & orantes imposuerunt eis manus. Quid clariùs? Ab Apostolis Oeconomi sunt constituti, vt bonorum temporalium curam gererent, & quæ pro communi fidelium victu conferebantur colligerent & diuiderent, ac mensis ministrarent. Non satis est hoc ad planè cognoscendum Apostolos Christum elegisse & instituisse; Diaconos verò ab Apostolis primùm non ad regimen Ecclesiæ in spiritualibus, quod erat muneris Apostolici, sed ad curanda temporalia fuisse institutos? Audi Cyprianum; Meminisse autem Diaconi debent, quoniam Apostolos, id est Episcopos & Præpositos Dominus elegit, Diaconos autem post ascensum Domini in cœlos Apostoli sibi constituerunt, Episcopatus sui & Ecclesiæ Ministros. Neque potuit negare Bellarminus Cyprianum hoc loco velle ordinem Episcoporum ab ipso Christo institutum esse, proinde iure diuino in Ecclesia introductum: Ordinem verò Diaconorum ab Apostolis primùm excogitatum fuisse. Demus ergo quodcumque volumus officium & ministerium Diaconis (de quo nos posteà) siue temporale, siue etiam spirituale, cùm prima ipsorum institutio sit ab Apostolis, quis iam audeat ordinationem Diaconi inter Sacramenta Christi Domini numerare? An Apostoli potuerunt noua Sacramenta instituere? Sed iam abundè probauimus ne presbyteratum quidem siue Episcopatum esse propriè Sacramentum: quanto minus erit Diaconatus? Atque in hac assertione*, addit Spalatensis, *nec nimium repugnant, vel ipsi Monarchici, quibus satis est si solus presbyteratus sit Sacramentum ad hoc vt ordo in numero Sacramentorum septenario retineatur; Et ita Romanæ Ecclesiæ sententia vincat; & sit etiam de fide; Nam quod illa decernit, firma fide tenendum esse omnibus, ipsamet edicit, de quo nos aliàs. Itaque libenter nobis concedunt, fide Catholica non necessariò tenendum esse, Diaconatum ordinatione Sacramentali conferri, nam aliqui expressè negant Diaconatum esse Sacramentum, vt Durandus & Caietanus, & id probabilissimum esse dicit Victoria: Consentit & Aquinas, dum rationem Sacramenti totam collocat in solo Sacerdotio, in aliis vero non nisi per attributionem ad illum per quandam participationem: quod est non habere in se formaliter rationem Sacramenti, quanquã sibi contrarius postea etiam in inferioribus ordinibus agnoscat*

rationem

Spalat. Num. 45.
Act. 2.
Act. 4.
Act. 6.
Cypr. li. 3. ep. 9.
Bel. l. 4. de Rom. Pōt. cap. 25.
Spalat. Num. 46.
Cap. Ad abolen. ext. de hæres.
Bel. de ord. cap. 6.
Durand. in 4. d. 24. q. 2.
Caietan. opusc. tom. 1. tract. 11.
Victor. de Sacr. qu. 226.
Tho. q. 37. art. 1. ad 2. in addit.
Id. ib. ar. 2.

rationem Sacramenti; Alij communiter Diaconatum, ſub opinione tamen tantùm probabili, faciunt Sacramentum. Sed nihil habent ſolidum quo nitantur. Hæc omnia Spalatenſis. Ad quæ reſpondemus ac reponimus, equidem dubitatum à nonnullis Scholaſticis *num Diaconatus in numero Sacramentorum eſſet reponendus:* Durandus & Caietanus negant, atque ſoli Sacerdotio eam prærogatiuã aſſerunt. Contrà tamen alij ſentiunt atque *Diaconatum Sacramentum eſſe, de fide* ſcribunt; ſed id dumtaxat valdè probabile, adeoque veterum Patrum doctrinæ apprimè conſentaneum exiſtimat Bellarm. Probant autem hanc ſententiã, tum quia Diaconi per manus impoſitionem ordinantur iuxta ritum ab Apoſtolis in primorũ Diaconorum renunciatione obſeruatum; *Tum quia abſentibus Epiſcopis Diaconi poſſunt baptizare, Euchariſtiam dare, reconciliare pœnitentes publicos, concionari, ac fere omnia tum Epiſcoporum, tum presbyterorum munia in eorum abſentia obire*: vt ex Tertulliano, Hieronymo, Concilio Nicæno, Cypriano & Gregorio eruditè oſtendit Bellarminus; tum etiam *quia Diaconatus ſemel acceptus nunquam amittitur, neque repetiri poteſt, adeoque characterem imprimit*, quæ omnia Sacramenti dignitatem ei aſſerere videntur. Quod autem attinet ad primam Diaconorum inſtitutionem, non ſum neſcius variantes de ea re circumferri veterum ſententias, ſed propius à vero abſunt, qui cum Baronio, quem hic immeritò vexat Spalatenſis cenſent, *non ſolùm eos materialibus menſis præpoſitos fuiſſe, verùm etiam ſacris miniſteriis obeundis deputatos.* Neque enim ſimpliciter electi ſunt, ſed magno apparatu res tota eſt perfecta; Primùm enim *Conuocantes*, inquit, *duodecim multitudinem diſcipulorum dixerunt, Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis. Conſiderate ergo fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem plenos Spiritu ſancto & ſapientia, quos conſtituamus ſuper hoc opus. Nos verò orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Demùm *cùm is ſermo multitudini placuiſſet ſeptem elegerunt atque ſtatuerunt ante conſpectum Apoſtolorum, & orantes impoſuerunt eis manus.* Addit Epiphanius hos ſeptem Diaconos de numero fuiſſe ſeptuaginta duorum diſcipulorum, quod ego affirmare non auſim. Cæterùm tot ac tantæ cæremoniæ, at tot & tales proluſiones perſuadere videntur, non ſolis materialibus menſis eos impoſitos curatores, ſed etiam in Hierarchico ordine eos conſtitutos; quod etiam amplius ac amplius ex eo probatur, quod Philippus renunciatus Diaconus Euangelium publicè prædicauit & credentes baptizauit; Similiter Stephanus egregiam concionem habuit, quæ pluſquam menſarum miniſtrum prodit. Firmat hanc ſententiam, quod Paulus eaſdem ferè conditiones requirit in Diaconis quas in Epiſcopis. *Diaconos ſimiliter*, inquit, *pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Et hi autem probentur primùm, vt ſic miniſtrent, nullum crimen habentes.* Credo hæc maius quiddam ſpirant quàm menſarum miniſterium. Præterea is ipſe Apoſtolus poſt Epiſcopos de Diaconis agere ſolet, etiam prætermiſſis preſbyteris, quibus Epiſcoporum nomen commune fuiſſe doctiores quique tradunt, quanquam haud pari eſſent poteſtate. Hæc ſanè probant non fuiſſe Diaconorum munus planè prophanum. Dicerem igitur initiò quidem ſeptem Diaconos ab Apoſtolis renunciatos quatenus primùm menſis præeſſent, vt locus Actorum oſtendit, & confirmant Pſeudo-Clemens ille à Spalatenſi magna pompa induci ſolitus, Origenes, Cyprianus, & Hieronymus, de quorum ſententia videro inferius; poſtmodum verò ad ſacras functiones adhibitos, tum vt altari mini-

Act. 6.

Bel. tom. 2. de Ord. c. 6.

Num. 47.

Act. 6. v. 2. 3. & 4.

Epiphan. hæreſ. 21.

Act. 8.

Act. 7.

1. Tim. 3.

Digitized by Google

ſtrarent, tum vt baptizarent, tum vt verbum Dei prædicarent, ac poſteriori hac ratione Diaconatum ſacris ordinibus cum Sacramenti ratione annumeratum. Certè Ignatius cuius Epiſtolam ad Epheſeos pro legitima habet Spalatenſis, *Diaconatum à Chriſto inſtitutum* apertiſſimè docet, ac aliis locis oſtendit pro prophano ſe non habuiſſe Diaconi munus. Ad Heronem Diaconum; *Lectioni intende, vt non ſolùm ipſe eas legas, ſed etiam aliis eas exponere vt Dei athleta. Nemo militans Chriſto implicat ſe negotiis ſæcularibus.* Et ad Trallianos: *Oportet ergo & Diaconis qui ſunt in miniſterio Ieſu Chriſti, omnimodo placere: non enim in cibo & potu ſunt miniſtri, ſed miniſterij Eccleſiæ Dei.* Et poſt nonnulla. *Quid etiam Diaconi niſi imitatores Chriſti miniſtrantes Epiſcopo, ſicut Chriſtus Patri? & operantes illi operationem mundam, & immaculatam, quomodo ſanctus Stephanus beatiſſimo Iacobo, & Timotheus & Linus Paulo, & Anacletus & Clemens Petro?* Sed quid Ignatium, Dionyſium, Origenem, Epiphanium, Leonem, Ambroſium, Concilium Carthaginenſe commemoro? Ipſe Paulus eandem ſententiam confirmat, namque ex eius Epiſtolis conſtat Diaconos fuiſſe Epheſi Philippis & Cretæ, vbi tamen Chriſtiani ex collatis in commune facultatibus vitam minimè ducebant, adeoque iis locis opus non habebant miniſtris menſarum, quare planè conſtat ad eos potiora miniſteria pertinuiſſe: Sed hanc ſententiam

Spalat. Num. 45. authoritate Cypriani conuellere nititur Spalatenſis. *Audi*, inquit, *Cyprianum; Meminiſſe autem Diaconi debent, quoniam Apoſtolos, id eſt Epiſcopos & Præ-*

Cypr. lib. 3. epiſt. 9. *poſitos Dominus elegit; Diaconos autem poſt aſcenſum Domini in cælos. Apoſtoli ſibi conſtituerunt, Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ Miniſtros. Neque*, addit Spalatenſis, *potuit negare Bellarminus Cyprianum hoc loco velle ordinem Epiſcoporum ab ipſo Chriſto inſtitutum eſſe, proinde iure diuino in Eccleſia introductum: Ordi-*

Bellar. l. 4. de Rom. Pont. ca. 25. *nem verò Diaconorum ab Apoſtolis primùm excogitatum fuiſſe. Demus ergo quodcumque volumus officium & miniſterium Diaconis (de quo nos poſtea) ſiue temporale, ſiue etiam ſpirituale, cùm prima ipſorum inſtitutio ſit ab Apoſtolis, quis iam audeat ordinationem Diaconi inter Sacramenta Chriſti Domini numerare? An Apoſtoli potuerunt noua Sacramenta inſtituere? Sed iam abundè probauimus ne presbyteratum quidem, ſiue Epiſcopatum, eſſe propriè Sacramentum, quanto minus erit Diaconatus?* Reſpondeo Bellarminum quidem ſenſiſſe Cyprianum fortaſſe in ea ſententia fuiſſe, vt exiſtimarit Diaconatum à Chriſto inſtitutum non fuiſſe, ſed addit *fortaſſe ſolùm velle dicere, Chriſtum non ordinaſſe vllos Diaconos, ſicut ordinauit Epiſcopos & presbyteros*: at negat inde ſequi Chriſtum non inſti-

Cyp. l. 3. ep. 9. ſect. 65. tuiſſe hoc Sacramentum: *Nam*, inquit, *etiam Chriſtus nullum confirmauit, & tamen inſtituit Sacramentum confirmationis.* Crediderim tamen apertè ſententiam noſtram confirmare Cyprianum, cùm Diaconos non faciat menſarum, ſed Epiſcopatus & altaris miniſtros, namque poſtquam dixerat à Domino quidem electos Apoſtolos, id eſt vt ipſemet ait Epiſcopos & præpoſitos Eccleſiarum, Diaconos verò ab Apoſtolis poſt aſcenſum Domini in cœlis eſſe conſtitutos, rationem conſtitutionis fuiſſe ait, vt haberent Epiſcopi *Epiſcopatus ſui & Eccleſiæ miniſtros.* Quod igitur dicit de conſtitutione Diaconorum per Apoſtolos (quod ſimiliter ad frangendam Diaconorum audaciam vſurpauit Hieronymus) non facit quominus Chriſto authore ac inſtitutore id Apoſtoli præſtiterint, vt enim Chriſtus nullos renunciarit Diaconos, nec diſtinctè ritum ordinationis eorum

Id. ep. 4. ſect. 68. præſcripſerit, tamen eius rationem præſcripſit, & materiam & formam eſſentialem deſignauit. Sed apertior eſt locus Cypriani in alia epiſtola, in qua cùm

docuiſ-

docuisset Episcopi ordinationem ritè fieri sub testimonium plebis, vsus exemplo Mathiæ & Diaconorum, causam hanc reddit, *quod vtique idcirco tam diligenter & cautè conuocata plebe tota gerebatur, ne quis ad altaris ministerium (in Diaconorum functionem) vel ad sacerdotalem locum indignus obreperet*: At, inquit Spalatensis; *Demus quodcumque volumus officium & ministerium Diaconis (de quo nos postea) siue temporale, siue etiam spirituale, cùm prima ipsorum institutio sit ab Apostolis, quis iam audeat ordinationem Diaconi inter Sacramenta Christi Domini numerare? An Apostoli potuerunt noua Sacramenta instituere?* At vanitatem hominis abundè retundunt, quæ sunt à nobis supra disputata. Vt enim Apostoli Diaconos primi renunciarint, authore tamen Christo ac Spiritu sancto, hunc ordinem sacrum in Ecclesiam inuexerunt. Et certum est potestatem baptizandi, Eucharistiam ministrandi, ac verbum Dei prædicandi, per manuum impositionem Diaconis concessam, vt ea æternum potiantur, nec amittere possint Sacramenti rationem arguere. Opponit tamen Spalatensis *illam manuum impositionem significare orationem super homines, vt Deus eis assisteret gratia sua in benè administrando munere quod ipsis iniungebatur.* Nos verò addimus huiusmodi orationem impositioni manuum annexam, non qualitercumque orationem fuisse, sed orationem consecrationis & initiationis, cuius adminiculo in collegium legitimis ministris adlegebantur Diaconi. SPALAT. Num. 45. in fin.

Iam contra characterem, quem nos amitti non posse contendimus, insurgit; *Obiiciunt*, inquit, *inamissibilitatem & characterem, sed negatur & inamissibilitas & character, nec habent vnde id probent; asserunt quidem, sed gratis. Nos verò præterquam quod etiam Sacerdotium fecimus amissibile, ostendere possumus Diaconi ordinationem esse meram officij iniunctionem, & liberam deputationem.* Sed rursus hæc vanissimè dicuntur; Namque suprà ostendimus non tam argumenta esse quàm meras ineptias & deliramenta, quibus Sacerdotium amitti posse suadere est conatus; & quod addit Diaconatum à Christo non esse institutum, est etiam à nobis refutatum; sed priorem assertionem contendit iam ex ipso facto, vt loquitur, ostendere. *Vigilius Papa*, inquit, *in quadam sententia contra quendam Sebastianum Diaconum prolata, ita narrat; Sed vt tua Sebastiane non in quantum sunt, sed in quantum referre possumus, mala quæ feceris diuersi cognoscant, & iustè te (nam magis tardè) canonicam aduertant subiisse sententiam, ad tuæ ordinationis veniamus initia. Absentibus filiis nostris Diaconis Anatolio atque Stephano à nobis postulasti, vt ad tempus pro implendo officio absentium loco, Diaconum te interim faceremus. Et post pauca: Officium verò locumque Diaconi, sine aliquo vitio, sine aliqua superbia, sine aliquo neglectu, donec reuerterentur Diaconi memorati, aut quanto te tempore in Leuitarũ voluissemus ordinatione ministrare, &c.* Respondeo optimam esse Baronij solutionem. Hæc non de *ordine*, sed de *ministerio*, aut potius ministerij exercitio accipienda. Firmant hanc eius sententiam verba exautorationis, quanquam à Spalatensi in contrarium vrgentur. *Ideoque*, inquit Vigilius, *pro suprascriptis excessibus alienos vos à Diaconi esse honore decernimus, & omni ministerio officij Leuitici prædictum vobis honorem auferentes penitus submouemus:* His enim Vigilius ostendit se Sebastianum illum de gradu deiicere, ac honore nudare, quem mentita simplicitate esset consequutus, vt scilicet amplius ei non liceat officio fungi Diaconi, etiamsi in eo perseueret character: ergo proculdubio in æuum eum crearat Diaconum, si ordinis character spectetur, sed ad tempus ei concessarat, vt absentis Cardinalis Diaconi loco, eo munere SPALAT. Num. 47. Vigil. ep. 5. tom. 1. Par. 2. Bar. tom. 7. ad 550. nu. 24.

Digitized by Google

lefacimus ipſi explicent: quomodo Sacramentum baptizati non poſsit amitti, & Sacramentum ordinati poſsit amitti: quoniam dicunt recedens ab Eccleſia, Baptiſmum non amittit, ius dandi tamen amittit. Si enim vtrumque Sacramentum eſt, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, & illud amittitur? Neutri Sacramento iniuria facienda eſt, ſi ſancta malos fugiunt, vtrumque fugiat: ſi ſancta in malis inuiolabiliter manent, vtrumque maneat: ſi dixerint, Baptiſmus in ſola vera Eccleſia rectè datur: Reſpondetur eis, Baptiſmus in ſola vera Eccleſia rectè habetur. Cur non poteſt dari, vbi non rectè datur, cùm poſsit haberi, vbi non rectè habetur? An quia non habere aliud eſt, aliud non rectè habere: ſic & non dare aliud eſt, aliud non rectè dare. Sicut non rectè habent, qui ab vnitate diſcedunt, ſed tamen habent, & ideo redeunti non redditur; ſic etiam non rectè dat qui ab vnitate diſcedit, ſed tamen dat: & ideo quod ab eo accepit, venienti ad vnitatem non reiteratur.

Munia Diaconatus ex quibus Sacramentum eſſe contendunt Orthodoxi, etiam oppugnat Spalatenſis; *Maximè verò*, inquit, *Diaconi munera volunt Sacramenti vim ſupponere; nam inquiunt, poſſunt baptizare, Euchariſtiam miniſtrare, reconciliare pœnitentes, prædicare, & fere omnia Epiſcoporum & presbyterorum munera, in eorum abſentia exercere. Quæ cùm ſpeciali Dei gratia indigeant, ad hoc opus eſt ipſis Sacramento. Nos verò de propriis Diaconorum muneribus mox videbimus: admittantur interim hæc ipſa quæ hi commemorant; ſi iam oſtendimus Pontificalia & Sacerdotalia munera ritè ab Epiſcopis & presbyteris peragi ex peculiari gratia diuina, diuinoque concurſu, abſque Sacramento, cur etiam Diaconi non poterunt diuina gratia iuuari, ſed ſine veri Sacramenti collatione? At præſentis etiam noſtri inſtituti eſt, vt verum ac proprium Diaconorum munus in Eccleſia exactius indagemus. Solis enim menſis quoad cibaria materialia, Diaconos præfectos fuiſſe ab Apoſtolis perſuadere ſibi non poteſt Baronius. Sed contendit eos curam habuiſſe vtriuſque menſæ, nempè communis & ſacræ. Vtramque verò menſam fuiſſe Eccleſiaſticam, & in Eccleſiis parari olim ſolitam, idem autumat & probare conatur, ex eo quod vnuſquiſque ſuam cœnam, nempè communem, teſte Paulo, in Eccleſia manducabat. In qua tamen præterea erat manducatio alia ſacra, panis & calicis potatio, in mortis Domini annunciationem. Item quia vſus fractionis panis frequens in primitiua Eccleſia perhibetur; In qua fractione vtriuſque panis communis & ſacri ponit Baronius curam Diaconorum pro miniſterio quotidiano; vt ita eos faciat Miniſtros altaris & ſacros. Conſulendi ſunt igitur nobis Magiſtri ſapientiores.* Quæ noſtra eſſet de ea re ſententia aperuimus; Quod attinet verò ad ſannas illas quibus fœliciſſimæ recordationis Cardinalem Baroninm doctiſſimum Annalium Eccleſiaſticorum parentem excipit, eæ planè Elleboro indigere Spalatenſem indicant, ac eius ſummam ſtultitiam produnt; Vt enim Baronij ſententiam euertat aſſerentis haud ſolùm communis ac prophanæ, ſed etiam ſacræ menſæ præpoſitos Diaconos, plures Patres, quos Sapientiores magiſtros vocat, profert, quorum vix vnus eſt qui cum Baronio non ſentiat.

SPALAT. Num. 48.

Bar. tom. 1. an. 34. nu. 284. 285.

1. Cor. 11.

Act. 2. & 1. Cor. 6.

Act. 6.

Clementem ſeu potius ſpurium illum authorem Conſtitutionum Apoſtolicarum primò profert. *In Conſtitutionibus*, inquit, *Apoſtolicis ſæpius agitur de Diaconis, eorumque officiis; colligam præcipua: Diaconus ſit tanquam Propheta Epiſcopi & nuntius: nihil agat Diaconus ſine Epiſcopo, nec cuiquam quicquam det niſi de illius ſententia. Si vides Diacone aliquem inopia premi, admo-*

SPALAT. Num. 49.

Conſtit. Apo. lib. 2. c. 34. 35. 36.

Ibid.c.48. *nito Episcopo, illi suppedites. Omnia Diaconus ad Episcopum referat : quæ potest ipse per se gubernet, accepta ab Episcopo potestate. Diaconus esto Episcopi auditus, oculus, os, cor, anima, ne sit in multis sollicitus Episcopus, sed tantùm in*
Ibid.c.58. & 61. *præcipuis. In oratione publica Diaconus adstans prope Episcopum altæ voce dicat ; Nequis contra aliquem, ne quis in hypocrisi Diaconus in Ecclesia aduen-*
Ibid.c.62. *tantibus aduenis locum prouideat. Cùm illuminantur mulieres, Diaconus vngit*
Ibid.l.3.ca. 15. *frontem ipsarum oleo sancto. Eliguntur Diaconi, vt infirmis ministrare va-*
Ibid.c.19. *leant. Necesse est vos Diaconos omnes inuisere, qui quidem visitatione opus habent,*
Ibid.l.8.ca. 5. & seq. *& de oppressis referre Episcopo vestro. Omnibus consurgentibus Diaconus ascendens alium aliquem locum pronunciet, Ne quis auditorum : ne quis infidelium,*
Ibid. c.15. *catechumeni orate. Diaconus pro ipsis oret dicens, &c. Sic de energumenis & de illuminandis & pœnitentibus. Diaconus vnus præsit pueris ne obstrepant, & alij Diaconi deambulent, & videant viros & mulieres, ne tumultus aliquis excitetur, & ne quis murmuret, &c. & maneant ad portam virorum. Diaconus te-*
Ibid.c.20. *neat calicem, & quando tradit dicat ; Sanguis Christi, calix vitæ. Diaconus di-*
Ibid.c.23. *cat : Ite in pace. Diaconus non benedicit, non dat benedictionem, accipit autem ab*
Ibid.c.34. *Episcopo vel Presbytero : non baptizat, non offert offerente Episcopo, vel Presbytero, ipse dat populo non veluti Sacerdos, sed veluti ministrans Sacerdoti. Et aliis Cleri-*
Ibid.c.vlt. *cis Diaconi officium facere liceat nemini. Diaconus excommunicat Hypodiaconum, Lectorem, Cantorem, Diaconissam, si quid tale contingat absente scilicet Presbytero. Diaconis assignauimus Ministeria, erga Episcopos & Presbyteros. Nam nec Diacono fas est offerre sacrificium, vel baptizare, aut benedictionem paruam*
Act.8. Act.9. *vel magnam facere. Quod si qui Philippum, & Ananiam producant, non ipsi se elegerunt, sed à Christo promoti sunt. Hactenus ex Constitutionibus Apostoli-*
Clem.ep.1. ad Iac.F.D. *cis. Clemens idem Diaconorum plura commemorat officia. Diaconi, inquit, tanquam oculi Episcopi debent circumlustrare Ecclesiam, vt si quem proximum præcipitio animæ inuenerint, certiorem faciant Episcopum, qui prouideat ad audiendum verbum Dei ex ore Episcopi, hortentur eos qui sint segniores, ægrotos fideles perquirant, visitent, & necessaria eis subministrent, eorum quæ ad cultum Ecclesiæ, & disciplinam eius pertinent curam gerant ; suggerant Episcopo de peregrinis refouendis.* Annon igitur supposititius iste Clemens sacræ mensæ ministros cum Baronio facit ? Annon Diaconum tradere calicem sacrum scribit ? Annon eum inducit tempore communionis clamantem, vt procul sacris luminibus & sanctis altaribus sint prophani ? Annon sacerdotis offerentis ministrum facit ? Addendum verò ei fuit hunc ipsum Clementem docuisse consecrationem Diaconi fieri solitam, *ab Episcopo imponente ei manus præsentibus omnibus presbyteris & Diaconis, & recitante orationem in qua postulatur ordinando plenitudo Spiritus sancti, sicut impletus est Stepha-*
Ignat.ep.2. ad Trall. *nus.* Sequitur *Ignatius*, ait Spalatensis, *Oportet, inquit & Diaconis mysteriorum Christi Ministris per omnia placere ; nec enim ciborum & potuum ministri sunt, sed Ecclesiæ Dei administratores. Item Diaconos reuereamini,*
Idem ad Smyrn. *vt ex præcepto Dei ministrantes.* Et Diaconum alloquens idem Ignatius
Idem ad Hier. *ait ; Nihil sine Episcopis facito, Sacerdotes enim sunt, Tu verò Sacerdotum minister ; sacrificant, eligunt, manus imponunt tu illis ministras, vt sanctus ille Stephanus Iacobo & presbyteris qui erant Hierosolymis.*

Synaxes

Synaxes ne negligas, omnes nominatim inquire, &c. Annon igitur Ignatius totus à Baronio ſtat? Annon Diaconos alio loco habet quàm prophanorum miniſtrorum, qui cibum & potum diſpenſarent? Euariſtum tertio loco profert: *Diaconi*, inquit Euariſtus, *qui oculi ſunt Epiſcopi, ſeptem ſint in vnaquaque ciuitate; cuſtodiant Epiſcopum prædicantem.* Exiſtimat ne ergo eum qui ſit oculus Epiſcopi miniſtrum eſſe prophanum? Euariſtum de cuius Epiſtolis non diſputo, vt neque de iis quæ Ignatij nomine præferuntur, quod eis indiſcriminatim vtatur aduerſarius excipit Iuſtinus indubitatus author ac inuictus Chriſti Martyr. Verba eius ſunt referente Spalatenſi. *Iuſtinus Martyr*, inquit, *de ſacra communione ſingulis Dominicis diebus fieri ſolita hæc habet. Iis quæ cum gratiarum actione conſecrata ſunt, vnuſquiſque participat, eademque ad eos, qui abſunt Diaconis dantur præferenda.* Annon igitur pro Baronio facit? *Origenes*, inquit, *Diaconorum ordinem vocat ordinem adſtantium diuino miniſterio. Ait quoque alibi; Diaconi autem qui non bene tractant Eccleſiaſticarum pecuniarum menſas, ſed ſemper de eis fraudant, & ipſas quas diſpenſant non ſecundum iuſtitiam diſpenſant, & diuites fiunt de rebus pauperum, ipſi ſunt nummularij, pecuniarum menſas habentes, quas Chriſtus euertit. Quoniam autem menſis Eccleſiaſticarum pecuniarum Diaconi præſunt, docent nos in Actibus ſuis Apoſtoli.* Qui igitur adſtant diuino miniſterio, etiamſi in alijs charitatis operibus occupentur, nonne in ſacrorum miniſtrorum ordine ſunt reponendi?

Num. 49. in fine. Euariſt. ep. 1.

Spalat. Num. 50. Iuſt. Ap. 2. ad finem. Orig. in Cant. hom. 2. Idem tract. 15. in Matt.

Fabianum item profert; *Fabianus*, inquit, *vt fertur, ita ſcribit*; *Diaconos in vrbe Roma ſeptem habemus, qui per ſingulas hebdomadas, & Dominicos dies atque feſtiuitatum ſolemnia & Acolythis, ac ſequacium ordinum miniſtris iniuncta ſibi obſeruant miniſteria, & parati omni hora ſunt ad diuinum officium, & quicquid eis iniungitur peragendum.* Et hîc Fabianus igitur, iuxta Baronij ſententiam addictos diuinis officijs cenſet Diaconos. *Cyprianus: In præteritum, inquit, ſemper ſub anteceſſoribus noſtris factum eſt, vt Diaconi ad carcerem commeantes, martyrum deſideria conſilijs ſuis, & ſcripturarum præceptis gubernarent. Idem Cyprianus narrat miraculum quoddam, in puella quadam, dum ei Diaconus qui & cæteris calicem offerebat, de Sacramento calicis infudit. Ex quo patet ſicut & ſupra ex Conſtitutionibus Apoſtolicis Diaconorum fuiſſe, conſecratum calicem fidelibus miniſtrare. Reconciliationem etiam pœnitentium in aliquo caſu idem Cyprianus permittit Diaconis: Sic enim ſcribit; Si presbyter repertus non fuerit, & vrgere exitus cæperit, apud Diaconum quoque exomologeſim facere delicti ſui poſſint, vt manu eis in pœnitentiam impoſita, veniant ad Dominum cum pace.* Ergo etiam probatiſſimo miraculo Baronij ſententiam propugnat Cyprianus, ac Diaconos miniſtros ſemper fuiſſe altaris oſtendit. Quod autem addit de reconciliatione pœnitentium, ad pœnitentiæ publicæ, non verò ſecretæ ritum, vt iſtud obiter moneam, eſt referendum.

Eod. nu. 50. Fabiã. ep. 1.

Cyprian. lib. 3. ep. 13

Ibid. ep. 17.

Optatus Mileuitanus, inquit, *crudelitatem narrat Donatiſtarum, qui cùm in Eccleſias Catholicorum irrumpere non poſſent, aliunde tectum aſcenderunt, & deiectis tegulis, Diaconos ſacram menſam defendentes, aliquos vulnerarunt, & aliquos occiderunt. Erant igitur Diaconi ſacræ menſæ cuſtodes. Archidiaconum etiam habes ibidem mulierem quandam malè ſe circa Domini calicem gerentem, acrius increpantem.* Quid clarius dici potuit pro ſententia Ba-

Spalat. Num. 51. Optat. lib. 2.

Digitized by Google

Cæsarius Arelatensis; *Rogo, inquit, vos, & admoneo, fratres chariſsimi, vt quotieſcunque iuxta altarium à clericis oratur, aut oratio Diacono clamante indicitur, non ſolùm corda, ſed etiam corpora fideliter inclinetis. Nam dum frequenter ſicut oportet & diligenter attendo, Diacono clamante, Flectamus genua, maximam partem populi veluti columnas erectos ſtare conſpicio, quod Chriſtianis dum in Eccleſia oratur omnino nec licet, nec expedit. Non enim propter nos, ſed propter vos Diaconus clamat.* Non potuit exoptabiliorem patronum nanciſci Baronius. Pergit aduerſarius: *Author quæſtionum veteris & noui teſtamenti*, inquit, *integram formauit quæſtionem contra Leuitas Romanos, qui ſe presbyteris coæquabant; ex qua illa dicta ſeligam, quæ Diaconorum attingunt proprium officium. Quæ audacia eſt, inquit, presbyteris Miniſtros ipſorum pares facere? Quæ temeritatis præſumptio Sacerdotibus baiulos Tabernaculi & omnium vaſorum eius & lignorum conciſores, & portitores aquæ conferre? Hoc enim officium fuit Leuitarum; Tale eſt ſi præfectis officiales, Dominus ſerui æquentur. Vt autem non omnia miniſteria obſequiorum per ordinem agant, multitudo facit clericorum; nam vtique & altare portarent & vaſa eius & aquam in manus funderent Sacerdoti, ſicut videmus per omnes Eccleſias; & ſicut conſtitutum eſt à Domino per Moyſem. Nunc autem videmus Diaconos temerè quod Sacerdotum eſt agere, per conuiuia & in oratione, id velle vt reſpondeatur illis, cùm iſtud ſolis liceat Sacerdotibus. Diaconi ergo ordo eſt accipere à Sacerdote, & ſic dare plebi. Perducuntur ordinandi (per Diaconos) fateor facti eorum eſſe, ſed quaſi officialis. Ab Epiſcopo enim mittitur, vt obſequium præbeat ordinando. Ita & Diaconi creandis presbyteris in obſequium mittuntur, & dignos eos fieri Sacerdotes omnes intelligant. Exceptis enim Sacerdotibus, quibus obſequium debent, omnibus præponuntur Diaconi.* Hic author eandem cauſam agit cum Hieronymo, neque tamen prætermittit Diaconorum officia ad ſacram menſam pertinentia. Gelaſius quoque ita ſtatuit; *Diaconos quoque*, inquit, *propriam conſtituimus ſeruare menſuram, nec vltra tenorem paternis Canonibus deputatum quidpiam tentare permittimus, nihil eorum penitus ſuo miniſterio applicare, quæ primis ordinibus proprie decreuit antiquitas. Abſque Epiſcopo vel presbytero baptizare non audeant; niſi neceſsitas extrema compellat, quod & Laicis Chriſtianis facere plerumque conceditur. Non in presbyterio reſidere ſacri corporis prærogationem, ſub conſpectu Pontificis ſeu presbyteri, niſi iis abſentibus ius non habeant exercendi.* Et hic Pontifex in ordinem cogit Diaconos; Illa tamen eis tribuit quæ nonniſi à ſacris miniſtris præſtari poſſunt. *In Concilio Romano ſub Gregorio ita decernitur, vt in ſede hac (Romana) ſacri altaris miniſtri (Diaconi) cantare non debeant; ſolumque Euangelicæ lectionis officium inter Miſſarum ſolemnia exſoluant.* Atqui altaris miniſtri, Baronio ſunt ſacræ menſæ præpoſiti. Iſidorus *omnia Diaconi munera* fatemur in vnum collegit, ſed in his ſacrum miniſterium poſuit; *At multa habentur*, inquit, *etiam in Decretalibus toto titulo de Officio Archidiaconi*, ſed & in toto iure Canonico expenduntur Diaconorum munia, & in his ſacrum miniſterium cui ſint præcipuo quodam iure mancipati. Hæc quia negare non potuit Spalatenſis, ad illam diſtinctionem confugiendum putauit, vt quidam initio ſolas menſas curarint, tractu tamen temporis etiam ſacris ſint impoſiti miniſtri. *Itaque*, inquit, *primam ego Diaconorum inſtitutionem non dubito fuiſſe ad hoc tantùm, vt ſolas menſas communes curarent, ac temporalium rerum gererent adminiſtrationem. Occaſionem enim totam videmus fuiſſe murmur Græcorum, hoc eſt Chri-*

Cæſar. hom. 34.

Aug. li. qui. vet. & noui teſt. q. 101.

Num. 8.

Spalat. Num. 52.

Gelaſ. ep. 6.

Greg. l. 4. Reg. c. 88.

Diſtinct. 25. c. perlectis.

Spalat. Num. 53.

A2.6. *ſtianorum ex Gentilibus conuerſorum, aduerſus Hebræos, eo quod ipſorum viduæ contemptui haberentur; ſiue nimirum quod Gentilium viduæ non aſſumerentur ad curam diſpenſationum, ſed ſolæ Hebræorum diſpenſationibus præficerentur, vt innuit Chryſoſtomus, ſiue quod diſpenſatores, quippe ex fidelibus Hebræis dum erogarent indigentibus neceſſaria, viduis potiſsimùm Hebræis proſpicerent, Gentiles verò negligerent: Vt ergo huic ſcandalo occurrerent Apoſtoli, cùm non eſſet operæ pretium ipſos in talibus occupare, Diaconos inſtituerunt. Quis verò dicat murmur & ſcandalum fuiſſe circa menſam ſacram, vt Baronius comminiſcitur, cuius veri & proprij miniſtri erant ipſi Apoſtoli & presbyteri ab ipſis ordinati? Illud quidem oneris & officij remittebant Diaconis, quod ipſi à ſe abdicabant, & cui par non erat inquiunt, vt ipſi ſe ingererent. Quomodo verò quis dicet æquum non fuiſſe vt Apoſtoli in ſacra menſa ſanctiſsimam Euchariſtiam miniſtrarent? Meritò igitur & Origenes & Hieronymus Diaconos menſarum & viduarum ac pecuniarum tantum faciunt Miniſtros & Curatores? quod autem etiam ſacram pararent menſam, non eſt improbabile.* Pergit:

Spalat. Num. 54. *Et quamuis Diaconi etiam dũ vacaret, qui præſertim inſtructiores eſſent, & tali dono dotati, cõmodaue oblata occaſione aut neceſsitate verbũ prædicarent, vt fecit Ste-*

Act. 7.8. *phanus & Philippus, id tamen ex officio Diaconali non faciebant, ſed ex Presbyteratu, erant enim diſcipuli ex 72. vt ſupra explicaui. Ita poſtea multò plus inualuit in Eccleſia, vt Diaconi occaſione præparandæ menſæ communis, & accipiendarum oblationum populi, ac præſertim panis in Eccleſiaſticam conſecrandi, etiam ſacræ menſæ*

Iuſt. Mart. Apol. 2. ad Calcem. *altarique inſeruirent. Ac paulatim, Epiſcopis ita diſponentibus, ad alia altaris miniſteria accedere ſunt permiſſi.* Ego verò nullus dubito creandis ſeptem Diaconis occaſionem dediſſe murmur illud Græcorum; ſed addo falſum falſiſſimum ſo-

Act. 7.8. las menſas etiam initiò curaſſe; Contrarium enim docent exempla Stephani & Philippi, quorum ille egregiam concionem habuit in confeſſu Sacerdotum, hic

Num. 54. verò & Euangelium prædicauit, & pleroſque in Samaria baptizauit; Et quod addit Spalat. (vt huius argumenti vim & robur frangat) eos de numero ſeptuaginta duorum diſcipulorum fuiſſe, etſi eſt ab Epiphanio aſſertum, eſt tamen valdè incertum, cùm ſeptuaginta duos diſcipulos in Euangelij prædicatione fuiſſe occupatos ſatis conſtet, quos propterea oportuiſſet *verbum Dei derelinquere*, quod de ſe profeſſi ſunt Apoſtoli, *vt menſis miniſtrarent*: Et vt ſit verum, probabile non eſt eos qui in ſeptuaginta duorum diſcipulorum numero eſſent, ſi modo Preſbyteros eos facimus, adeo deiectos ac depreſſos, vt ſolis menſis curandis ſint præfecti. Quod ergo de Apoſtolis opponit Spalatenſis, poteſt ſimiliter de ſeptuaginta duobus diſcipulis opponi: Neque verò illis, aut illis indignum fuit miniſtrare ſacræ menſæ, quod attinet ad præcipua officia, ſed quia cum ſacro miniſterio erant alia opera impendenda menſis communibus, hanc curam à ſe ablegandam duxerunt Apoſtoli: Non quod rurſus indignum gradu Apoſtolico cenſerent miniſtrare fidelibus, etiam in communi victu, ſed quod æquum non ducerent, verbi Dei prædicationem (cuius ipſi potiſſimi eſſent miniſtri) illo menſarum miniſterio retardari. Igitur neceſſe non eſt duplex Diaconorum genus in Eccleſia comminiſci, cùm certum ſit altaris miniſtros etiam rerum Eccleſiaſticarum, vt pecuniarum, & ſacræ ſupellectilis curam habuiſſe.

Nec

Nec nos mouet Trullani Conciliabuli Patribus eam distinctionem probari; Est enim adulterina illa Synodus, nec vllum pondus habent eius placita aut sanctiones. Quod attinet verò ad Chrysostomum, cuius authoritate nituntur, scio equidem & Chrysostomum, & Oecumenium ad sextum caput Actorum negare constitutos tunc Diaconos iuxta gradum qui nunc est in Ecclesia, sed ad ministerium dumtaxat mensarum; Verumtamen neuter illorum censuit Diaconatus ordinem in eo solo positum, aut esse in Ecclesia Diaconos, qui huic tantùm rei suam operam impendant. Certè aliud est asserere Diaconatum esse ordinem sacrum, quod orthodoxi omnes sentiunt, aliud autem dicere ordinationem Diaconorum initam, cùm septem Diaconi occasione murmuris Græcorum sunt renunciati, quod plerique etiam Catholicorum repudiant. Addo verò etiam qui Diaconatum sacrum ordinem negant, non proinde negare Sacramentum esse; Aliud enim rursus est esse sacrum ordinem, aliud verò esse Sacramentum; Omnes inferiores ordines etiam nobis sunt Sacramenta, at sacri ordines non sunt; Sed Diaconatum & esse ordinem sacrum, & esse Sacramentum, est à nobis abundè probatum.

SPALAT. Num. 55. Chrysho. 14. in Act.

Vt autem eam sententiam euertat, quærit Spalatensis; *Cur toties nimiæ arrogantiæ arguuntur, & à Conciliis & Patribus, vt vidimus, increpantur? nisi quia inuidia & æmulatione erga Presbyteros ducti, in eorum libenter munera irrumpebant. Nonne eò audaciæ interdum sunt progressi, vt etiam offerre (quod est nunc missas in Ecclesia Catholica celebrare) non sunt veriti? Testes,* inquit, *sunt Patres Concilij primi Arelatensis, qui, lato Canone, audaciam hanc repressérunt. Sic enim statuunt. De Diaconibus quos cognouimus multis locis offerre, placuit minimè fieri debere. Quid mirum igitur, si nonnulla etiam ex iis quæ in productis authoribus vidimus tribui Diaconis, ab ipsis vsurpata sint, & dolo malo factitata?* Sed hæc facilè refelluntur, nam etiam ordines sacri suos limites habent, nec verbi gratia Presbyteris licet in Episcoporum patrimonium inuolare, quod qui facere audent, non secus ac Diaconi in Presbyterorum munera irrumpentes, increpantur, arguuntur, & in ordinem coguntur. Non igitur diuinauit Baronius, sed consentanea veritati & doctrinæ antiquorum tradidit.

SPALAT. Num. 56. Conc. Arel. 1. Can. 15.

At vrget Spalatensis; *Etiamsi in distributione Eucharistiæ, tam corporis quàm sanguinis Domini Episcopi & Presbyteri Diaconorum opera vterentur, hoc proprie non esse habere partem in mysteriis, cùm constet initio nascentis Ecclesiæ etiam Laicos fideles sibi & domesticis Eucharistiam propriis manibus domum solitos fuisse exportare:* Verùm aduertendum ei fuit Laicis id pro tẽporis necessitate concessum, non verò officio datum; Cùm contra Diaconi ex officio non solùm in priuatis ædibus, sed etiam in Ecclesia, in sacrificij celebratione ministrarent Eucharistiam, populoque traderent ex impositio sibi munere, quos propterea Ambrosius *consummatores Sacramenti* vocat: Inducit enim Laurentium ita ad Sixtum Pontificem loquentem, *Quo progrederis sine filio pater? Quo Sacerdos sancte sine Diacono properas? Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueueras.* Et infra, *Cui commisisti consummandorum consortium Sacramentorum; huic consortium tui sanguinis negas?* Id verò tribuisse Prioribus Diaconis Ignatium quem rursus Spalatensis profert, eius verba satis manifestant; Namque de renunciatis ab Apostolis Diaconis verba faciens, atque eos honorandos innuens, rationem addit, *Quod ministrent Sacerdotibus purum & inculpatum ministerium, vt Stephanus Iacobo, Timotheus & Lucas Paulo, Anacletus & Clemens Petro;*

SPALAT. Num. 57. Amb. lib. 1. Offic. c. 41.

Digitized by Google

Quibus verbis apertè ſignificat Protodiaconum Stephanum non ſolis externis
Ignat. ep.2. ad Trall. menſis miniſtraſſe. Sed & eius clariſſima ſunt hæc verba, *Oportet ergo & Diaconus qui ſunt in miniſterio Ieſu Chriſti omnimodo placere, non enim in cibo & potu*
Cap.2.3.5. *ſunt miniſtri.* (quid clarius dici potuit?) *Sed miniſterij Eccleſiæ Dei.* Similia tra-
Dionyſ. de Hier.Eccl. dunt alij Patres, & in his etiam Cyprianus, vt ſuprà docuimus. Certè Dionyſius crebrò meminit in ſua Hierarchia Eccleſiaſtica Diaconorum, qui inter alia *panem ſanctum & benedictionis calicem* imponant altari. De iiſdem quoque ſcribit ad Demophilum, nec videtur de menſis temporalibus verbum vllum facere?

Spalat. Num.58. Excurrit iam Spalatenſis, & inuehitur in Eccleſiæ Romanæ mores, & *præter fas ſummam ſupra presbyteros conceſſam primoribus Diaconis, qui Archidiaconi dicuntur,* dignitatem criminatur. At non videt primùm plerumque Archidiaconos etiam preſbyteros eſſe, neque præterea aduertit quæcunque ſupra preſbyteros Archidiaconis conceduntur, non ad ordinis, ſed ad iuriſdictionis poteſtatem pertinere, quæ cùm ex nutu Pontificis pendeat, poſſet etiam maior Archidiaconis concedi, quàm preſbyteris citra ſacri ordinis depreſſionem. Petrus verò Bleſenſis, etſi ipſe Archidiaconorum audacia offenſus vniuerſum ordinem pungit, non tamen damnat, ſed nec damnare potuit merus ipſe Ar-
Petrus Bleſ. ep.123. chidiaconus, *Porro,* inquit, *dignitatis turbato ordine Archidiaconi hodie Sacerdotibus præeminent, & in eos vim & poteſtatem ſuæ iuriſdictionis exercent, ea propter Archidiaconum in Presbyterum promoueri non eſt honorem eius augeri, ſed minui.*

Spalat. Num.59. Subdiaconatum iam ex Sacramentorum numero tollere aggreditur Spalat. Et primùm quidem vrget confeſſionem Bellarmini vltra admittentis, *Non eſſe tantam certitudinem Sacramentum eſſe, quanta eſt de Diaconatu; Quia,* inquit Bel-
Bellarm. de ord.ca.2. larminus, *nec in ſcripturis de eo fit mentio, nec eius ordinatio habet manus impoſitionem, vt patet ex Concilio 4. Carthaginenſi Can. 5. nec Subdiaconi Euchariſtiam miniſtrant, aut alia facere poſſunt, quæ Diaconi, & denique non pertinent propriè ad ordinem Hierarchicum, niſi vt miniſtri Hierarcharum.* Sed quoniam idem Bellarminus poſtèà addit; *Eſſe tamen valdè probabile etiam hunc ordinem eſſe Sacramentum,* ſententiam hanc oppugnat, & *probabilitatem in ea nullam eſſe contendit*; Atque ex eo primùm demonſtrare tentat, *quod cùm ſupra oſtenderit Diaconatum Sacramentum non eſſe, multominus credendum ſit Subdiaconatum eo titulo gaudere*: Addit, *Apoſtolis incognitum fuiſſe, ac longe poſt Apoſtolos ab Eccleſia, vt merum officium externum inſtitutum*; Probat verò hoc poſtremum *authoritate Vrbani Papæ, qui fatetur duos ſolos ſacros ordines Presbyteratum & Diaconatum primitiuam Eccleſiam habuiſſe; Magiſtri ſententiarum qui affirmat Subdiaconos eſſe ab Eccleſia cum aliis minoribus, Subdiaconos & Acolythos præcedente tempore Eccleſiam conſtituiſſe; ac demum Petri Bleſenſis,* cuius hæc ſunt verba; *Pro-*
Spalat. Num. 59. Petrus Bleſ. ſerm.47. *ductior eſt,* inquit, *aſcenſus ad hunc gradum (Sacerdotij) nunc quàm in primitiua Eccleſia, in qua, qui tantùm fidelis erat, Diaconus fiebat vel Sacerdos, introducti poſtea ſunt quidam minorum ordinum gradus: Hæc,* inquit Spalatenſis, *ſcribebantur ante quadringentos quinquaginta circiter annos, cùm nondum Scholaſtici miris ſubtilitatibus inſtitutionem, & introductionem quorumdam miniſteriorum ab Eccleſia factam, promulgationem interpretarentur, aut vſum, vt ad Chriſtum ſeſe quoquo modo reducerent Sacramenta inſtituentem, clam & ſecretè & Apoſtolis eorum promulgationem committentem; certè tamen Subdiaconatus Apoſtolis fuit incognitus, ſi poſt ipſos fuit & inſtitutus, & introductus. Profectò,* inquit, *medio iam*

elapſo

Digitized by Google

elapſo ſexto poſt Chriſtum ſæculo, Subdiaconi ne benedictionem quidem in ſui ordinatione, ſeu deputatione ab Epiſcopo accipiebant, & nouum in Concilio 8. Toletano ſit ſtatutum: vt cùm Subdiaconi ordinantur, cum vaſis miniſterij, benedictio eis ab Epiſcopo detur. Conc. Tol. 8. c. 6. At nullo negotio omnia iſta refelli poſſunt. Et quidem quod attinet ad iudicium Bellarmini de Subdiaconatu multa ſunt, quæ illud firmant: *Tum quia*, inquit, *videtur imprimere characterem, cùm ſit initerabilis; tum quia habet annexum ſolemne votum continentiæ; tum denique quia hæc eſt communis Theologorum ſententia, antiquorum & recentiorum, vno Durando excepto, & Caietano.* Bellarm. de Sacra. ord. l. 1. c. 7.

Sed excipit Spalatenſis, *Characterem rem eſſe imaginariam, & non iterari; quia*, inquit, *ſemel deputatus ad aliquod officium non indiget renouata deputatione:* Spalat. Num. 61. Reſpondemus ſi res ſit imaginaria character, impoſuiſſe nobis veteres Patres, maximè verò Auguſtinum quem ſuprà oſtendimus characteris, qui in ſacra ordinatione imprimitur acerrimum defenſorem fuiſſe contra Donatiſtas: Quod attinet verò ad deputationem quam ſomniat Spalatenſis, citra characteris impreſſionem quis neſciat hominem poſtquam eſt aliquod munus conſecutus, eique deſtinatus, officio poſſe excidere, ac proinde noua inſtitutione indigere poſſe? Det igitur nobis Spalatenſis aliquem Subdiaconum, loco primo motum, ob admiſſum ſcilicet aliquod erratum, ac poſtmodum noua initiatione muneri ſuo redditum, & victoriam ei concedimus; At certè hoc præter leges eſt & inſtituta Eccleſiæ, quæ proinde in Subdiaconatu indelebilem agnoſcit characterem. Secundæ rationi Bellarmini opponit *etiam Monachatum habere votum continentiæ, & quidem ſolemnius quàm ſubdiaconatus habeat, nec tamen Sacramentum eſſe*; Nimirum ex alio capite quàm ex vlla ordinatione habet Monachatus annexum votum huiuſmodi continentiæ, quia ſcilicet *Monachus ſe totum per modum holocauſti cum trium votorum nuncupatione Deo addicit, conſecrat, ac in æuum obligat*, vt docent Scholaſtici, Subdiaconus verò non ex alio capite quàm ex vi ſuæ initiationis poteſt cenſeri voto continentiæ aſtrictus. Poſtremam rationem Bellarmini, quæ nititur communi doctrina Theologorum hoc argumento impugnat, *Quod Durandus & Caietanus in contraria ſunt ſententia, & quod illi ipſi qui affirmant non niſi probabiliter id ſe opinari fateantur*; Sed Durandus & Caietanus tanti non ſunt, vt priuata eorum ſententia tot repugnantium Theologorum iudicio præponderare debeat, qui etſi probabilem tantum ſuam putant opinionem, tamen veriorem credunt, ac idcirco in illam inclinant, vt iam temerarium ſe probet qui ab eis diſſentiat. Expendamus iam rationes quibus Spalatenſis, ſententiam Bellarmini carere probabilitate, euincere conatur: Dicit nequidem *Diaconatum in Sacramentorum eſſe numero*, idque probaſſe ſe venditat, *multominus ergo Subdiaconatum.* Nos verò oſtendimus luſiſſe eum operam, nec Diaconatum ſpoliare potuiſſe Sacramenti nomine, aut dignitate. Addit; *Apoſtolus incognitum fuiſſe*, Ego non exiſtimo, & ſuccurrit hoc loco regula Auguſtini ad Ianuarium; *Illa autem*, inquit, *quæ non ſcripta, ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obſeruantur dantur intelligi, vel ab ipſis Apoſtolis, vel plenariis Conciliis, quorum eſt in Eccleſia ſaluberrima authoritas commendata atque ſtatuta retineri.* Aug. Ianua. ep. 118. Cùm igitur vniuerſa Eccleſia, nam Græci nobiſcum ſentiunt, Subdiaconatum in numero Sacramentorum ponat, & inter ſacros ordines recenſeat, nec notari poſſit tempus, quo cœperit pro Sacramento haberi, aut etiam proferri Concilium, quo ſit illud ſtatutum, quis dubitet ab Apoſtolis hanc eſſe doctrinam?

Digitized by Google

SPALAT. Num. 59. Obiicit Spalatenſis, *Medio iam elapſo ſexto poſt Chriſtum ſæculo, Subdiaconos ne benedictionem quidem in ſui ordinatione, ab Epiſcopo accipere ſolitos, & nouo*
Conc. Tol. 8. c. 6. *Canone ſtatutum in Concilio Toletano 8. vt cùm Subdiaconi ordinantur cum vaſis miniſterij, benedictio eis ab Epiſcopo detur:* Reſpondeo poſſe Sacramentum eſſe, cui ea benedictio non ſit annexa, vt de inferioribus ordinibus patet apud Catholicos; Tantummodo igitur probat hæc ratio, quod ingenuè fatetur Bellarminus, non eſſe tantam certitudinem de Subdiaconatu quod in numero Sacramentorum ſit reponendus, quanta eſt de Diaconatu aut Presbyteratu, quod nec nos inficiamur. Ad Vrbanum verò II. qui duos tantùm ſacros ordines Preſbyteratum, ac Diaconatum primitiuæ Eccleſiæ tribuit, reſpondemus, non rectè eius ſententiam expendiſſe Spalatenſem, ac falsò exiſtimaſſe idem eſſe *ordinẽ ſacrum* & *Sacramentum*, cùm res ſint longè diuerſæ: Neque enim deſunt viri docti, vt infrà docebo, qui cenſeant ordines minores eſſe Sacramenta, cùm tamen non poſſint eos vocare ordines ſacros, ea acceptione qua tres primi ac præcipui ordines ſacri nuncupantur, quod res ſacras proximè contingant; Vrbanus igitur cum Innocentio III. exiſtimat Subdiaconatum ordinem ſacrum non eſſe, ſed in ſacrorum ordinum numero à Pontificibus poſitum, cùm tamen non inficietur Sacramentum eſſe: Magiſter verò ſententiarum, Gratianus & Petrus Bleſenſis, mihi videntur alteram partem problematis, quanquam minus tutam, amplexati. Non ignoraſſe autem ſæcula Apoſtolica Subdiaconos, vel ex eo colligi poteſt, quod Cyprianus & Cornelius Papa authores vetuſtiſſimi Subdiaconatus, tanquam ordinis haud recenter in Eccleſiam inuecti meminerint. Sed Patrum teſtimonio
SPALAT. Num. 60. Conſt. Apo. l. 8. c. vlt. Ignat. ep. 3. 4. 6. 9. nos oppugnat Spalatenſis, *In Apoſtolicis Conſtitutionibus*, inquit, *Eccleſiaſtici ordines numerantur, Epiſcopi cum Presbyteris & Diaconi. Ignatius, Presbyterorum tantùm & Diaconorum, & ipſe ſæpius tanquam Eccleſiaſticorum ordinum mentionem facit. Sine Epiſcopo, inquit, nec Presbyter, nec Diaconus, nec Laicus quicquam faciat.* Sed facilis eſt reſponſio ad pſeudo-Clementem. Is enim author nuſquam voluit omnes ad amuſſim ordines recenſere, ſed data occaſione de his egit quorum tractatio inſtituto ſuo deſeruiret: Plures verò ordines agnouiſſe quàm Epiſcoporum, Preſbyterorum aut Diaconorum patet ex Canonibus
Can. 15. Apoſtolorum, in quibus hac dicendi forma vtitur; *Si quis Presbyter aut Diaconus, aut quilibet de numero Clericorum.* Ignatius quidem in Epiſtolis præcipuos enumerare ſolet ordines Epiſcoporum, Preſbyterorum & Diaconorum, vt obſeruat Spalatenſis, ſed reliquorum quoque ordinum meminit, & in his Subdiaconatus duabus Epiſtolis, altera ad Heronem, altera ad Antiochenos. Quod autem Subdiaconatum in numero inferiorum ordinum poſuit, idcirco fecit quod Subdiaconum tanquam Diaconi miniſtrum ſpectarit, verumtamen eſt non ſolùm ordines ſacros numeraſſe, ſed alios quoque qui ſacri non ſunt. Zephyrinus verò (nam hunc quoque profert) Origenes & Gregorius Nazianzenus, *qui ordines ſacros Presbyteris & Leuitis definiunt*, in excellentioribus ac dignioribus qui aliorum veluti capita ſunt & fontes acquieſcunt, tamen reli-
Hier. in Iſa. l. 5. c. 19. quos non negant. *At*, inquit Spalatenſis, *Hieronymus totam Eccleſiam quinque conſtare ordinibus ſcripſit; Quinque, inquit, ciuitates, quinque ordines Eccleſiæ,*
Id. in ep. ad Tit. c. 2. *Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, Fideles, Catechumenos ſentiunt: Et alibi etiam Epiſcopos, Presbyteros & Diaconos in ſuperioribus ordinibus collocat:* Reſpondet
Bellarm. de Cler. l. 1. c. 11 eruditiſſimus Cardinalis Bellarminus, *Hieronymum eo loco non loqui de ordinibus Clericorum, ſed de ordinibus Chriſtianorum; Ac ideo*, inquit, *ponit primo loco Clericos,*

Digitized by Google

Clericos, deinde Laicos, quos fideles vocat, vltimo Catechumenos: Porrò ex Clericis nominat tres tantùm, id eſt Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, quia volebat perficere numerum quinarium: Explicabat enim illud Eſaiæ; Erunt quinque ciuitates in terra Ægypti loquentes lingua Chanaanitide, ac per eas ciuitates Eccleſiam Chriſtianam intelligi volebat: Itaque ad perficiendum quinarium numerum, ex omnibus Clericis tres primos poſuit, in quibus omnes alij continentur, quos idem Hieronymus alibi diſtinctè ponit. Nam Subdiaconorum meminit in Epiſtola 91. in primis verbis, Acoluthorum meminit, ac Lectorum in Epiſtola 2. ad Nepotianum: Denique Exorciſtarum & Oſtiariorum in Commentario capite 2. Epiſtolæ ad Titum in poſtremis verbis. Profert etiam Spalatenſis Ambroſium, Auguſtinum, Chryſoſtomum, Vrbanum II. & Leonem IX. *Ambroſius*, inquit, *inter ſacros ordines duos tantùm recenſuit poſt Epiſcopos dicens: Aliud eſt enim quod ab Epiſcopo requirit Deus, & aliud quod à Presbytero, & aliud quod à Diacono, & aliud quod à Clerico, & aliud quod à Laico, vel à ſingulis quibuſque hominibus. Auguſtinus propria Eccleſiaſtica officia Epiſcopi, Presbyteri, ac Diaconi officiis concluſit. Et poſt Epiſcopos, Presbyteros ac Diaconos reliquos in inferiori Clero collocauit. Chryſoſtomus; Quemadmodum, inquit, Epiſcopos, Sacerdotes, Diaconos, Virgines, coniuges numeramus Catalogum Eccleſiæ recenſentes, ſic & viduas, &c. Vrbanus Papa, ſeu potius Synodus Beneuentana ex Iuone; Sacros, inquit, ordines dicimus Diaconatum & Presbyteratum. Hos ſiquidem ſolos primitiua legitur habuiſſe Eccleſia. Leo verò IX. qui ſolos ſacros ordines numerare voluit, ſic habet, Sacerdotum ordo bipartitus eſt, nec amplius quàm duos ordines, id eſt Epiſcoporum & Presbyterorum nobis collati ſunt, nec Apoſtoli docuerunt.* Reſpondeo Ambroſium, Auguſtinum, Chryſoſtomum enumerantes munia Eccleſiaſtica, quæ Clericos à Laicis diſtinguunt, tres præcipuos ordines in quibus cæteri continentur recenſere, non tamen, vt de Origene, Zepherino & Nazianzeno diximus, alios negare; Vrbano verò cuius ſententiam ſequitur Leo IX. eſt à nobis factum ſuprà ſatis. Itaque argumenta quæ à Kemnitio & Caluino eſt mutuatus Spalatenſis, Subdiaconatum dignitate Sacramenti non nudant. Reſtat de inferioribus ordinibus dicendum. Eorum numerum ac officia exagitat, vultque *plura etiam Catechumenis & infidelibus communia fuiſſe, vt proinde Sacramenta eſſe non potuerint.* At conſtans eſt orthodoxorum ſententia, ex his ordinibus qui certo ritu ſacro, & ſolemni ab Epiſcopis conferuntur ad certũ, ac ad definitum miniſterium ſacrificio diuino præſtandum adhibentur, aliquos eſſe inferioris dignitatis nempè Acolythi, Lectoris, Exorciſtæ & Oſtiarij, qui peculiari quodam iure inter Sacramenta ſint reponendi. Certè Cornelius Papa in Epiſtola ad Fabianum apud Euſebium eos recenſens Eccleſiæ gradus, qui ordinatione perficiuntur aſſeuerat in Eccleſia Romana; *In qua tamen non ignorabat Presbyteros eſſe quadraginta ſex, fuiſſe Exorciſtas & Lectores vnà cum Oſtiariis quinquaginta duos, viduas & alios morbo atque egeſtate afflictatos mille & quingentos, quos omnes Domini gratia & benignitas abundè ſuſtentaret.* Et quidem Acoluthorum meminerunt præfatus Cornelius, Cyprianus, & Concilium Carthaginenſe IV. cuius de Acolutho extat hæc ſanctio. *Acolythus quum ordinatur ab Epiſcopo quidem doceatur, qualiter in officio ſuo agere debeat; Sed ab Archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo, vt ſciat ſe ad accendenda Eccleſiæ luminaria mancipari: Accipiat & vrceolum vacuum ad ſuggerendum vinum in Euchariſtiam ſanguinis Chriſti.* Huic Concilio aderat Auguſtinus, quem propterea conſtat alios ordines quàm Preſbyte-

Ambroſ. de dign. Sacer. cap. 3.

Aug. ep. 148 idem ep. 162

Chryſ. in 1. Cor. ho. 30.

Diſt. 60. cap. fin.

Leo 9. ep. 4.

Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 6. c. 33. & 35. ſecundum Græcum.

Ἐν ᾗ ἐκκλησίᾳ, πρὸ τῶν πρεσβυτερίων ἑβδομήκοντα ἦσαν τὸν ἀριθμὸν ἱερεῖς, διακόνους ἑπτὰ, ὑποδιακόνους ἑπτὰ, ἀκολούθους δύο καὶ πυλωροὺς ἑξήκοντα καὶ ἑπτὰ· ἐν ᾗ καὶ χήρας καὶ πτωχοὺς μυρίους πεντακοσίους, &c.

Conc. Carthagin. 4. Can. 6.

ratum & Diaconatum in Eccleſia agnouiſſe: Acolythatus quoque meminerunt omnes qui de Eccleſiaſticis officiis ſcripſerunt. Lectorum meminit Cornelius Papa, Cyprianus quoque pleriſque locis, ac gradum & honorem Eccleſiaſticum indigitat, narratque Celerinum initio ex humilitate refugiſſe eum gradum, ſed tandem diuina reuelatione admonitum acquieuiſſe. Concilium etiam Carthaginenſe 4. ſolemnem ritum in Lectorum ordinationibus obſeruandum præſcribit. Exorciſtarum ordinem habet etiam Cornelius Papa, & meminit quoque Cyprianus, ac Concilium Laodicenſe inter ſacros ordines ponit. Concilium verò Carthaginenſe 4. initiationis eius modum recenſet: *Exorciſta*, inquit, *quum ordinatur, accipiat de manu Epiſcopi libellum, in quo ſcripti ſunt Exorciſmi dicente ſibi Epiſcopo; Accipe & commenda memoriæ, & habeto poteſtatem imponendi manus ſuper energumenos, ſiue baptizatum, ſiue Catechumenum.* De hoc Exorciſtarum ordine extat elegans locus apud Sulpicium de vita Martini; *Tentauit Hilarius impoſito Diaconij officio ſibi Martinum arctius implicare, & miniſterio vincire diuino, ſed cùm ſæpiſſimè reſtitiſſet, indignum ſe eſſe vociferans, intellexit vir altioris ingenij hoc eum modo poſſe conſtringi, ſi id ei officij imponeret, in quo quidam locus iniuriæ videretur; Itaque Exorciſtam eum eſſe præcepit. Quam ille ordinationem ne deſpexiſſe tanquam humiliorem videretur non repudiauit.* Oſtiarios vetus Eccleſia non ignorauit, meminerunt Cornelius Papa, & omnes rerum Eccleſiaſticarum tractatores; Expreſſitque etiam Concilium Carthaginenſe, formam ordinationis huiuſmodi miniſtrorum. Neque verò aliquid nomini Sacramenti detrahit, quod nonnunquam Laici etiam Catechumeni horum ordinum munera aliqua obirent. Sæpè enim etiam Laici Epiſtolam recitant in ipſis diuinis officiis, quod munus eſſe Subdiaconorum nullus ignorat; at ea non præſtant ex officio, aut ex vi ordinationis, quod faciunt qui ſunt ſacris ordinibus initiati. Id igitur ſolum hoc argumentum probat in leuioribus officiis, quæ propterea etiam Laicis committi poſſint occupari hos ordines minores.

Lib. 2. ep. 5. Li. 3. ep. 22. Lib. 4. ep. 5.

Can. 8.

Cypr. l. 5. Ep. 14.

Can. 14. Conc. Carthagin. 4. Cap. 7.

Sulp. in vita D. Martini cap. 4.

Apud Bella. de Clericis l. 1. c. 13.

Quod autem opponit Spalatenſis, *tantam eſſe varietatem opinionum hac de re, vt nihil certò ſtatui poſsit*, noſtram ſententiam non labefactat; Namque vt aduertit, ac eruditè probat Cardinalis Bellarminus, *Duobus modis apud Eccleſiaſticos authores ſolet vſurpari ordo ſacer vno modo propriè, alio modo communiter; Propriè illi dicuntur ordines, qui certo ritu ſacro ac ſolemni conferuntur ab Epiſcopo, & ad certum miniſterium ſacrificio diuino exhibendum referuntur; qua ratione ſeptem dumtaxat ordines numerantur; videlicet Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Acoluthus, Lector, Exorciſta & Oſtiarius; Etſi enim Epiſcopus & Presbyter diſtinguantur, tamen quantum ad ſacrificium idem omnino miniſterium exhibent, proinde vnum ordinem non duos faciunt, ſicut etiam Lector, Cantor, & Pſalmiſta. Quare Cornelius Papa in Epiſtola ad Fabianum apud Euſebium eos recenſens Eccleſiæ gradus, qui ordinatione perficiuntur aſſeuerat in Eccleſia Romana, in qua tamen non ignorabat Presbyteros eſſe quadraginta ſex, fuiſſe Exorciſtas & Lectores vnà cum Oſtiariis quinquaginta duos, viduas & alios morbo atque egeſtate afflictatos mille & quingentos, quos omnes Domini gratia & benegnitas abundè ſuſtentaret.* Hæc ſi bene aduertantur, facilè conciliantur Patrum teſtimonia, quæ videntur in ſpeciem diuerſa, vt proinde iam alia ſolutione opus nobis non ſit hac in parte.

Euſeb. hiſt. Eccleſ. l. 6. c. 33. & 35. ſecundum Græcum.

Supereſt vt de duobus locis Pauli, de quibus negotium nobis faceſſit Spalatenſis dicamus; Omiſſa ergo prolixiori illa diſputatione quam de ea re inſtituit:

Dico

Dico neutro loco Paulum agere de gradibus Hierarchicis, alioquin Epiſcopos, Preſbyteros, Diaconos, ex quibus propriè Eccleſiaſtica Hierarchia conſtat, ac effloreſcit, præterire non debuiſſet, ſed prætermiſſa diligentiori huius rei obſeruatione, in medium proferre quædam Spiritus ſancti chariſmata à Chriſto ad inſtitutionem Eccleſiæ data; Et quidem priore loco vocat *gratias, miniſtrationes, & operationes*, poſteriore ſimpliciter *dona*, namque poſtquam dixiſſet; *Dedit dona hominibus*, quæ eſſent illa dona continuò ſubiecit; *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, alios autem Paſtores & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterij, in ædificationem corporis Chriſti.* Priore verò ſimiliter dixerat, *Alij quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ; alij autem ſermo ſcientiæ ſecundum eundem ſpiritum, alteri fides in eodem ſpiritu, alij gratia ſanitatum in vno ſpiritu, alij operatio virtutum, alij Prophetia, alij diſcretio ſpirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio ſermonum.* Vt igitur propoſitam à Spalatenſi difficultatem, de ſenſu Pauli breuiter expendamus, Paulus *Apoſtolos* intelligit eos qui Euangelium apud infideles prædicabant, & vbiuis gentium Eccleſias fundabant; Maximè qui vel à Chriſto adhuc in terris agente, ſicut vndecim primi ab eo vocati, vel per reuelationem factam diuinitus, vt Matthias, Paulus, & Barnabas huiuſmodi legationem accepiſſent; Quanquam hoc nomen etiam ad alios citra vllam priuatam reuelationem miſſos poſtea cœpit extendi, vt eſt à nobis in ſuperioribus obſeruatum. *Prophetas* verò haudquaquam illos qui de Chriſto venturo vaticinati ſunt; Nam hi ante receptum in cœlum Chriſtum eſſe deſierant, ſed illos intelligit qui Spiritu ſancto afflati, vel futura aliqua prædicebant, vel ſcripturas interpretabantur; Tales quidem ſæculo Pauli fuerunt Agabus, quatuor virgines Philippi filiæ, & Prophetæ Eccleſiæ Antiochenæ, & alij quibus refertam primitiuam Eccleſiam acta Apoſtolica, & epiſtola ad Corinthios teſtantur. *Euangeliſtas* vocat eos qui ſingulari, ac eximio dono prædicandi Euangelij prædíti erant, quales in Actis Apoſtolicis Stephanus & Philippus Diaconi (fuiſſe Preſbyteros gratis docet Spalatenſis,) quorum poſterior etiam *Euangeliſta* indigitatur, quales etiam Apollo, & iuxta Chryſoſtomum Priſcilla & Aquila. Non ſum tamen neſcius Oecumenium ſenſiſſe Apoſtolum de eis loquutum, qui Euangelium ſcripſere, ſed non exiſtimo adeò ſtrictè nomen Euangeliſtæ hìc accipi; *Paſtores*, Epiſcopos potiſſimùm intelligit, quos, vt eruditè monet Hieronymus, vult doctores eſſe; *Nec verò*, inquit Hieronymus, *putandum quod ſicut in ſuperioribus tribus, alios dixit eſſe Apoſtolos, alios Prophetas, alios Euangeliſtas; ita & in Paſtoribus & Magiſtru officia diuerſa poſuerit. Non enim ait alios autem Paſtores & Magiſtros, vt qui Paſtor eſt eſſe debeat & Magiſter; nec in Eccleſiis quamuis ſanctus ſit, Paſtoris ſibi nomen aſſumere, niſi poſſit docere quos paſcit, vel certè aliter, vt vnus atque idem præſes Eccleſiæ ſit Paſtor & Doctor; Paſtor ouium, Magiſter hominum, homines quippè & iumenta ſaluos facies Domine.* Nullus verò dubito etiam Paulum inferioris ordinis Paſtores, Parochos quoque intelligere, qui ſcilicet ſub Apoſtolis tanquam eorum opitulatores animarum curam gerant: Non reiicio verò quod affert Spalatenſis, *Ea munia quæ recenſet Apoſtolus, non eſſe pro varietate donorum diuerſa, ſed vnumquemque Apoſtolorum verbi gratia omnibus illis effloruiſſe, & etiamnum poſſe dari Epiſcopum, qui ea omnia proportione quadam impleat, qui nimirum ſuccedens Apoſtolis, ſcripturas teneat, & probè interpretetur, egregiè verbum Dei concionetur, & ſumma cura populum fidelem verbo Dei paſcat.* Sed vix eſt, vt vnus

SPALAT. Num. 64.

Epheſ. 4.

1. Cor. 12.

Act. 11. 13. 15. 21.

1. Cor. 14.

Act. 21.

Hier. in ep. ad Ephel. vide apud Bened. Inſt. 173. to. 1.

Ad ca. 4. ep. ad Epheſ.

homo omnibus his donis polleat: Cæterùm meritò Commentarium qui Ambroſij nomine præfertur vellicat, ac refellit Spalatenſis; Namque minus rectè Paſtores interpretatur *Lectores*; *Doctores* autem vult intelligi Exorciſtas, aut certè eos qui litteris & lectionibus pueros ſolebant imbuere. Verba eius ſunt. *Paſtores*, inquit, *poſſunt eſſe Lectores, qui lectione ſaginent populum audientem, quia non in pane tantùm viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Magiſtri verò* (Doctores intelligit) *Exorciſtæ ſunt, quia in Eccleſia ipſi compeſcunt & verberant inquietos: ſiue ij qui litteris & lectionibus infantes ſolebant imbuere.* Licet autem conetur aliquam rationem ſuæ interpretationis reddere, planum eſt non litteralem, ſed accommodatum eſſe ſenſum quem perſequitur, vt propterea de eo non ſit nobis magnoperè laborandum. Tamen vt de ſententia eius conſtet, ſciendum eſt illum ſolum quinque ordinum meminiſſe, quod verſans locum Apoſtoli, eius verba voluerit ad ordines ſacros accommodare; quoniam igitur Paulus quinque ſolùm nomina poſuit Apoſtolos, Prophetas, Euangeliſtas, Paſtores & Doctores, eum numerum implendum curauit, & quinque dumtaxat ordines recenſuit; Itaque per Apoſtolos intellexit Epiſcopos, per Prophetas Preſbyteros, per Euangeliſtas Diaconos, per Paſtores Lectores, per Doctores, vel vt ipſe legit Magiſtros, Exorciſtas. Igitur iſta quidem probant ſæculo huius authoris floruiſſe in Eccleſia eos ordine, ſed plures non fuiſſe minimè probant: Et de his quidem ſatis.

DISCVSSIO

DISCVSSIO
QVINTI CAPITIS
LIBRI SECVNDI.
DE POTESTATE EPISCOPORVM.

CONSPECTVS CAPITIS.

Poteſtatem Epiſcopalem à Deo tanquam à principe cauſa eſſe: Tradi verò ab Eccleſia tanquam à cauſa inſtrumentaria: Locus, Sicut miſit me Pater, *obiter verſatus: Ordinem Epiſcoporum proximè eſſe à Deo, ſicque niti iure diuino, vt à Pontifice tolli non poſit: Patrum de ea re iudicium: Accipere Epiſcopos poteſtatem à Chriſto interuentu Pontificis, quem ſuæ iuriſdictionis fontem eſſe voluerit Deus: Soluuntur argumenta in contrarium: Cyprianus explicatus: Item Ambroſius, & Auguſtinus: Auguſtinus amplius Catholicus aſſertus: Epiſcopi Principes Eccleſiæ ſubiecti tamen Pontifici, ſui ordinis Principi, haudquaquam tamen ſunt Pontificis Vicarij aut miniſtri, ſed Chriſti: Bernardus à calumnia Spalatenſis vindicatus: Quorſum Epiſcopi ſe Dei, & ſanctæ ſedis gratia Epiſcopos dicant: Cardinalis Baronius illuſtratus & defenſus: Caſaubonus notatus: Cardinalis Bellarminus defenſus: Pontifici non permitti reliquos ordines, aut interturbare, aut interuertere: Defenduntur argumenta Bellarmini, & tolluntur obiectiones Spalatenſis: De iniuſtè abdicatis: Rurſus de ordinaria, & extraordinaria poteſtate Apoſtolorum: Innocentius, & Leo Pontifices à calumniis vindicati & explicati: Quo ſenſu ſuccedant Epiſcopi Apoſtolis: Bellarminus, Turrecremata, Paludanus & reliqui orthodoxi defenſi: De Legatis Pontificum: Falſum Epiſcopos ſolùm coadiutores, aut Vicarios Papæ eſſe: Planè Principes eſſe Eccleſiæ, Fratres & Collegas Pontificis: Almaini de Paludano iudicium diſcuſſum: Magna Academia Pariſienſis de Epiſcoporum & Parochorum iudicium: Leo explicatus: Pontifices ſemper coluiſſe Epiſcopos, nec in eorum patrimonium inuolaſſe: Gratianus & Bernardus defenſi: Vanitas & leuitas Spalatenſis notata: Schola Pariſienſis laudata: Eius cenſura librorum Spalatenſis: Gerſonius orthodoxis aſſertus: De Victoria, Alphonſo à Caſtro & Torenſi: Spalatenſis iactantia depulſa.*

QVÆSITVM *hoc de inſtitutione & poteſtate Epiſcoporum ſolutionem habet ſufficientem à me iam poſitam capite* 1. *huius libri. Ex iis enim quæ fuſius ibi docui de ſucceſſionibus Apoſtolorum, ac de primis primorum Epiſcoporum inſtitutionibus, facilè eſt colligere, Epiſcopos à Deo eſſe; & iure diuino immediatè ſuam totam habere poteſtatem: quod ego mox ſummatim colligam. Labor itaque præcipuus huius capitis in eo tantùm collocabitur, vt hanc veritatem in Eccleſia Catholica ſemper eandem, & conſtantem ac indubitatam fuiſſe oſtendatur: nouaque Monarchicorum noſtrorum commenta reijciantur.* SPALAT. Num. 1.

OLIM cùm publica concione Olynthius Calliſthenes Macedonas elegantiſſima oratione laudaſſet, ac poſtmodum ad Palinodiam ſe conuertiſſet, eoſdemque liberiùs inſectatus etiam ludibriis dehoneſtaſſet, non tulit hominis inconſtantiam, & leuitatem magnus Alexander, ſed vafrum & varium eius ingenium notauit, qui orandi grauitate peſſundata odium ſuum in Macedonas prodidiſſet. Caliſthenem imitatus Spalatenſis, dum Epiſcoporum ordinem nunc laudibus in cœlum tollit, Chriſti ſationem prædicat, vnicum Eccleſiæ decus ac robur vocat, ac religionis præſidium, nunc verò ita deiicit ac deprimit, vt quod ſuperiore capite vidimus etiam de numero Sacramentorum illum tollat, & non alio quàm tẽporarij muneris loco habeat; perpetuò in ſacram poteſtatem odium ſuum prodit, & quanquam eius opes, quas tamen ipſe ſibi detraxit oſtentat, ſi rem tamen penitiùs intueamur, ludibrio habet. Id quoque hoc capite videbitur. Etſi enim de Epiſcoporum poteſtate acturum ſe pollicetur, eam planè labefactat; dumque in altum tollit, id omninò facere ſe oſtendit, vt grauiore caſu affligat: Sed expendamus quæ ſunt ab eo hoc capite de ea re vaniſſimè diſputata. Probaturus igitur Epiſcoporum poteſtatem eſſe immediatè à Deo principio dicit poſitum à ſe, & copiosè probatum ex verbis Chriſti;

SPALAT. Num. 2. *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, Apoſtolis omnibus traditam fuiſſe poteſtatem, vt poſſent, & ipſi mittere in Eccleſiaſticum miniſterium alios, ſicut ipſi mittebantur à Chriſto, & ſicut Chriſtus ipſe miſſus fuerat à Patre,* & hanc quidem ſeriem ab eis prioribus ſæculis propagatam, *ad finem vſque ſæculi duraturam.* Addit, *equidem Apoſtolos, & Eccleſiæ miniſtros eligere, & deputare, poteſtatem tamen miniſterij quam ſortiuntur Epiſcopi, nec Apoſtolos, nec Eccleſiam tribuere*; Quod eius aſſertum ſi de cauſa primaria, ac principe intelligatur verum omnino eſt: ſi de ſecundaria & inſtrumentaria planè falſum eſt, vt locus Auguſtini oſtendit,

August. in Pſal. 44. *Pro Patribus,* inquit, *tuis nati ſunt tibi filij. Quid eſt pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij? Patres miſsi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi qui ſunt per totum mundum, vnde nati ſunt? Ipſa Eccleſia Patres illos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos conſtituit in ſedibus Patrum.* Certè ſi ea poteſtate qua à Chriſto miſſi erant alios mittebant Apoſtoli, proculdubio poteſtatem concedebant qua miſſi ab eis vterentur; Nititur verò *omnibus in ſolidum eandem poteſtatem aſſerere,* vt ſcilicet nil præ reliquis accepiſſe Petrum perſuadeat, ac ſupremam ipſius poteſtatem euertat; ac verò hoc ſtultum dogma ſuperiore libro profligauimus; Sed præſtigiis ludit

SPALAT. Num. 2. hic Planus dum locum Chriſti verſat, ac ad ſuam trahit, & accommodat ſententiam; Lege & cenſe erudite Lector: Verba eius ſunt. *Poſitum itaque*

Ioan. 20. *& copiosè ni fallor,* inquit, *confirmatum à me eſt, ex illo Chriſti ampliſsimo edicto: Sicut miſit me Pater, ita & ego mitto vos: Apoſtolis omnibus traditam fuiſſe poteſtatem, vt poſſent & ipſi mittere in Eccleſiaſticum miniſterium alios, ſicut ipſi mittebantur à Chriſto; & ſicut Chriſtus ipſe miſſus fuerat à Patre. Et ſanè vt poſſent ita alios mittere, vt ipſi etiam ab eis miſsi cum ſimili facultate alios mittendi, mitterentur; & ſic deinceps vſque ad conſummationem ſæculi; vt in Eccleſia Chriſti nunquam deeſſent miniſtri legitimi, qui non ex ſeipſis etiam non miſsi currerent; ſed à Deo verè, tanquam*

Hieron. 13. *Aaron*

Digitized by Google

Aaron vocati, honorem assumerent Euangelistarum. Apostolorum itaque per huiusmodi potestatiuas missiones successores, fecimus Episcopos, omnes legitima successione institutos. Non diffiteor Apostolos potestatem habuisse Episcoporum renunciandorum, namque Paulus Timotheum Ephesi, Titum verò Cretæ Episcopum creauit. Sed hanc potestatem tribuisse eis Christum illis verbis, *Sicut misit me Pater ego mitto*; qui verò probari poterit? Certè non agi eo loci de Episcoporum creatione ferè omnium orthodoxorum est sententia; ac præterea missos audio à Christo Apostolos, potestatem alios mittendi, pari facultate illis tributam non audio. Heb.5. Ioan.20.

Verùm vt lucem aliquam afferamus his quæ sunt hoc loco dicenda, aduertendum omnino est ex Bellarmino, quem potissimùm vexandum suscepit Spalatensis, *Triplicem esse tum in Pontifice, tum in aliis Episcopis potestatem; vnam ordinis, alteram iurisdictionis interioris, tertiam iurisdictionis exterioris; quarum prima refertur ad Sacramenta conficienda & ministranda; altera ad populum Christianum regendum in foro interiori conscientiæ, tertia ad eundem populum regendum in foro exteriori. De prima & secunda non est quæstio nostra, sed solùm de tertia, nam de prima certum est apud omnes illam æquè immediatè habere à Deo Episcopos, ac ipsum summum Pontificem.* De hac igitur potestate iurisdictionis qua Episcopi Christianæ plebi leges dicunt, eamque regunt, ita statuit Cardinalis Bellarminus omnes conuenire, *Iurisdictionem Episcoporum saltem in genere esse de iure diuino. Nam Christus ipse ita ordinauit Ecclesiam, vt in ea sint Pastores, Doctores, &c. Sic enim Apostolus loquitur ad Ephesios 4. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios Pastores & Doctores. Et præterea nisi ita esset, posset Pontifex mutare hunc ordinem & instituere, ne vllus sit in Ecclesia Episcopus, quod sine dubio non potest facere.* Priore hoc sensu Patres à Spalatensi citati potestatem Episcopalem de iure esse diuino, Episcopos quoque à Christo esse institutos docent; At quæstio est, *an Episcopi Canonicè electi accipiant immediatè, vt loquuntur in Scholis, suam iurisdictionem à Deo, sicut eam accipit summus Pontifex, an verò interuentu Pontificis?* Non desunt ex Catholicis qui tum Apostolos, tum reliquos Episcopos proximè & immediatè accepisse, ac etiamnum accipere à Deo iurisdictionem asseuerent, & id quidem de Apostolis omnino verum esse ipse Bellarminus, & fatetur & probat aduersum eos, qui & Apostolos à Petro accepisse, & Episcopos à Petri successore accipere iurisdictionem, non rectè quod ad Apostolos attinet, sentiunt; Sed quod attinet ad Episcopos eam demum sententiam amplectitur, quæ accipere eos à Deo Pontificis interuentu, iurisdictionem asseuerat, atque pro hac sententia multa affert, quæ postea erunt à nobis propugnanda aduersus Spalatensem, qui ea vellicanda duxit; sed prius est nobis elaborandum, vt de Patrum sententia certiores reddamur. Bella.l.1.de Rom.Pont. c.21. SPALAT. Num.4. Num.5.6. 7.8. &c.

Cardinalis Bellarminus authoritate duorum laudatissimorum Pontificum Innocentij I. & Magni Leonis probat Episcopos à Petro sui nominis accipere dignitatem: *A Petro*, inquit Innocentius, *ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis huius emersit. Et in epistola ad Concilium Mileuitanum, quæ est 93. inter epistolas Augustini. Arbitror, inquit, omnes fratres, & Coepiscopos nostros, non nisi ad Petrum, id est sui nominis & honoris authorem deferre debere. Leo sermone 3. de Assumptione sua ad Pontificatum; Si quid, inquit, commune cum eo alius voluit* Bellarm. de Rom.Pont. l.4.c.24. Leo.

esse principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quicquid aliis non negauit. Et epistola 89. Huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apostolorum officium voluit pertinere, vt in beatissimo Petro Apostolorum omnium summo principaliter collocaret, vt ab eo ipso quasi quodam capite dona sua velut in corpus omne diffunderet. Spalatensis nubem testium inducit, vt contrarium suadeat; sed vt verum dicam aquas nullas fundit; Facilè enim solui queunt illa testimonia, ac dici potest illos omnes Patres censere esse potestatem ordinis & iurisdictionis Episcoporum à Deo, & ordinis quidem etiam immediatè, sed iurisdictionis quod attinet ad regimen exterius à Deo quidem in genere immediatè, sed in atomo seu indiuiduo à Deo, interuentu Pontificis, quem huius iurisdictionis fontem esse voluerit, vt hac ratione vnitas qua Ecclesiæ bonum nititur seruaretur, tota iurisdictionis seriè ad vnum caput reuocata, vt pluribus contra Nouatium ostendit Cyprianus. Hoc igitur non solùm Sixtus I. Alexander I. ac Eleutherus, quos Spalatensi placuit testes proferre; sed etiam Cyprianus, ac alij de quorum scriptis non dubitatur omninò docent. Quomodo autem intelligendus sit Cyprianus ex epistola 5. libri 6. quam vltimo loco adducit Spalatensis, colligi potest; *Dominus noster, inquit, cuius præcepta metuere & obseruare debemus, Episcopi honorem, & Ecclesiæ suæ rationem disponens in Euangelio loquitur, & dicit Petro, Ego dico tibi, Tu es Petrus, &c. Inde per temporum & successionum vices Episcoporum ordinatio & Ecclesiæ ratio decurrit, vt Ecclesia super Episcopos constituatur, & omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. Cum hoc itaque diuina lege fundatum sit, miror quosdam, &c.* Ergo vbicunque authoritatem Episcoporum, ac eorum successionem & potestatem *diuina dignatione firmari* scribit, id solùm contendit vni Deo tanquam principi causæ asserendam, ac acceptam ferendam Episcopalis ordinis in Ecclesia institutionem, non verò negat interuentu Petri, aut eius successoris hunc ordinem in Ecclesia propagari.

SPALAT. Num. 5.

Sed difficillimis in speciem locis nos premit Spalatensis; *Sæpè*, inquit, *Cyprianus Episcoporum authoritatem adeo altam agnoscit, & fatetur, vt actionum Ecclesiasticarum Dominos absolutos, & independentes, nisi à solo Deo, omnino faciat Episcopos. Singulis, inquit, Pastoribus portio gregis ascripta est, quam regat vnusquisque & gubernet; rationem sui actus Domino redditurus. Intelligit verò soli Domino, & non aliis: nam & in alia Epistola ad Stephanum Papam sic loquitur: Qua in re, nec nos vim cuiquam (Episcoporum) facimus, aut legem damus; Cùm habeat in Ecclesiæ administratione, voluntatis suæ arbitrium liberum vnusquisque præpositus; rationem actus sui Domino redditurus. Et rursus alibi: Actum suum, inquit, disponit & dirigit vnusquisque Episcopus; rationem propositi sui Domino redditurus. Item, Nemini præscribentes, inquit, aut præiudicantes, quominus vnusquisque Episcoporum, quod putauerit faciat; habens arbitrij sui liberam facultatem. Item ibidem: Quod si de collegis aliquis extiterit, qui vrgente certamine, pacem fratribus non putet dandam; reddet ille rationem in die iudicij Domino, vel importunæ censuræ, vel inhumanæ duritiæ suæ. Et in Concilio Carthaginensi idem sic loquitur: Neque enim quisquam nostrum Episcopum se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit; quando habeat omnis Episcopus, pro licentia libertatis, & potestatis suæ, arbitrium proprium; tanquam iudicari ab alio non possit; cùm nec ipse possit alium iudicare; sed expecte-*

SPALAT. Num. 5. Cypr. l. 1. ep. 3.

Id. l. 2. ep. 1.

Id. l. 4. ep. 2.

Id. Iuba. in fin.

expectemus vniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi: qui vnus, & solus habet potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatione; & de actu nostro iudicandi. Vides vnum & solum Iesum Christum habere potestatem Episcopos constituendi: Contra quos si quis audeat, eum contra Deum audere, qui Episcopos facit, dixit alibi. Et sanè libertatem hanc singulis relinquit Episcopis Cyprianus, circa baptismum Hæreticorum, & circa lapsorum pœnitentiam; quæ sunt res magni momenti in Ecclesia, & ad fidem spectant. Idem Cyp. l. 3. ep. 9. Ad omnia hæc Cypriani testimonia respondeo primùm pleraque desumi ex iis locis in quibus errorem, de hæreticis rebaptizandis propugnat aduersus Stephanum, qui veritatis partes tuebatur. Cyprianus igitur subiratior Pontifici eum aliquando, fateor, pungit, sed citra contumeliam cui Firmilianus indulsit; tamen nusquam negat interuentu Pontificis conferri à Deo Episcopis iurisdictionem, imò pro hac sententia omnino pugnare videtur, dum in genere *exordium ab vnitate* proficisci, singulariter verò ab *Ecclesia Romana Sacerdotalem vnitatem exoriri*, ostendit. At inquit Spalatensis, *soli Deo, & non alij esse Episcopum actus sui rationem redditurum*, tot locis vrget; *Si verò alij, quàm Domino soli esset Episcopus rationem redditurus suæ Ecclesiæ administrationis, non haberet liberum arbitrium suæ voluntatis ad suam Ecclesiam, prout ipse solus rectum censuerit gubernandam. Et rursus alibi: Actum suum, inquit, disponit & dirigit vnusquisque Episcopus; rationem propositi sui Domino redditurus. Item nemini præscribentes, inquit, aut præiudicantes quo minus vnusquisque Episcoporũ quod putauerit faciat; habens arbitrij sui liberam facultatẽ.* lib. de vnit. Eccleſiæ. SPALAT. Num. 5. Respondeo Cyprianum Antistitem in Ecclesiastica disciplina versatissimum inficiari non potuisse Episcopos, nedum Pontifici, verùm etiam primati ac Collegarum Synodis actus sui rationem reddere debere. Itaque cùm vni Deo reddituros asserit, id accipiendum omnino est in rebus dubiis & occultis, & vt explicat Augustinus *in his quæstionibus quæ nondum eliquatissima perspectione discussæ sunt*, quibus verbis docet id sibi voluisse Cyprianũ singulos Episcopos in Concilio dum res examini subiicitur, ac discutitur posse liberè suam sententiam dicere, nec debere ab eo qui præsit adigi, vt in suas partes transeant, antequam quæstio definita sit. Aug. l. 3. de bapt. c. 3. Addo verò etiam hoc voluisse Cyprianum, inter tot præiudicia hominum vni Deo, cui tandem sint Episcopi rationem actus sui reddituri, patere conscientiarum recessus ac latebras omnes, ac proinde eius expectandum iudicium, cuius lux altissima sit obscuras rerum species aliquando illustratura. Nimirum erant plerique quibus & Cypriani & collegarum sententia de rebaptizandis hæreticis etiam illo sæculo displicere cœpisset, quibus vt legem ponere nolebat Cyprianus, nec vt in suam sententiam transirent cogere, sic suæ sententiæ propugnatoribus ab his præiudicatum iri nolebat; sed cùm anceps & dubia res illi videretur, vnius Dei iudicio eam relinquendam ducebat, cui essent *sui actus rationem omnes Episcopi reddituri*, & quo animo quibusque rationibus adducti essent hanc vel illam sententiam amplexati explicaturi. Cæterùm Cypriani etiam sententia posse alioquin Pontificem iudicium de Episcopis ferre, id nimirum grauioribus causis postulantibus, abundè colligitur ex Epistola ad Stephanum Papam scripta, à quo omnino contendit, vt Arelatensem Episcopum deponi iubeat, & eius loco alium constitui. Ac certè vsu receptum fuisse in Ecclesia, vt Episcopi actus sui rationem Pontifici, redderent omnes historiæ Ecclesiasticæ testantur; Sed vno hoc Epiphanij testimonio contenti erimus.

Hæreſ. 68. Ὡς ὑσύστερον ἴδιξαν μετανοοῦντες, ὅτι ἐπίσκοπος ἢ ὅτι ἄλλος, ᾧ λιβέλλον ἐπέδωκαν τῷ μακαρίτῃ Ἰουλίῳ τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, ἐξομολογούμενοι τὸ ἰδιον ἁμάρτημα.

Id quod Vrſatij, inquit, *& Valentis* (erant hi Epiſcopi Eccleſiæ perduelles, ac Athanaſij hoſtes acerrimi) *confeſſione poſtea declaratum eſt cum pœnitentia ducti, Iulio Romano Pontifici libellos obtulerunt, quibus errorem ſuum deprecabantur.* Quod attinet ad Cyrillum, is cùm eſſet Patriarcha Alexandrinus, ad quem pertineret Epiſcoporum cenſura & iudicium, factum Epiſcoporum improbat, qui nulla in collegam poteſtate præditi, tanquam factorum eius iudices in eius bona graſſati erant, & fortaſſe immeritum vexarant, dilapidatis eius Eccleſiæ reditibus, quaſi in pœnam malæ adminiſtratæ rei Eccleſiaſticæ; Id igitur minimè fieri debuiſſe contendit Cyrillus, tum quod non liceret Epiſcopis collegam mulctare, tum quod crimen non adeo euidens eſſet, cuius proinde eſſet iudicium Deo abſconditorum cognitori permittendum ac relinquendum. At inquit Spalatenſis, *Origenes Epiſcopos innuit eſſe magiſtros in Eccleſia; quos Deus in ipſa ordinauerit, inquit, poſt Apoſtolos, qui in ea primùm ſortiti ſunt locum, ac poſt Prophetas qui ſecundum.* Sed & Commentarius qui Ambroſij nomine præfertur, *Lectores* in Eccleſia facit *Magiſtros*. Ergo ne igitur de iis ſtatui non poteſt, aut iudicium ferri? Ita eſt Epiſcopi ſunt Eccleſiarum ſuarum Magiſtri, ſed habet Eccleſiaſtica diſciplina, vt etiam hi Magiſtri ſuperiores ſuos agnoſcant, Archiepiſcopum, Primatem, Patriarcham & Pontificem, coram quibus cauſam ſi ratio ſubſit, dicere teneantur, & quidem coram Pontifice de iure diuino.

Num. 6. Orig. in Ioan. to. 31.

Spalat. Num. 7.

Sequuntur Ambroſius & Auguſtinus, quorum ille docet *Epiſcopos omnes ſimul cum Petro curam ſuſcepiſſe paſcendarum ouium*; hic verò aſſerit *in Petro datas toti Eccleſiæ claues, cuius ille gereret perſonam:* ſed nos ſuperiore libro demonſtrauimus hæc idcirco à duobus ſummis Patribus dicta, quod Petrum elegerit Dominus, ac ſtatuerit totius ordinis Eccleſiaſtici caput & fontem, quo ſenſu iuxta Ambroſium & Auguſtinum erant omnes Epiſcopi in Petro, tanquam in capite ac principe Epiſcopatus.

Num. 7. Aug. in qq. nou & vet. teſt. q. 97.

Act. 20.

Quod autem addit author quæſtionum veteris & noui teſtamenti, qui proculdubio longè alius eſt ab Auguſtino. *Nemo ignorat Epiſcopos Saluatorem Eccleſiis inſtituiſſe; Ipſe enim priuſquam cœlos aſcenderet, imponens manus Apoſtolis inſtituit eos Epiſcopos & ordinauit. Hoc Apoſtolus Spiritui ſancto deputat cùm dicit; Attendite vobis, &c.* Noſtræ ſententiæ non obeſt, non enim negamus, ſed facimus Chriſtum ordinis Epiſcopalis authorem, atque ex eius ordinatione relictos in Eccleſia Epiſcopos aſſeueramus: eoſque ſucceſſores Apoſtolorum dicimus, qui tamen Petrum ſuæ poteſtatis radicem agnoſcant, quod author ille etiam non diſſimulauit; imò verò Petrum caput ſuccedentium Epiſcoporum facit, ac hæreticos ab eius Cathedra præciſos corpus ſine capite & ordinem ſine origine ſibi vindicare ſcribit; *Eorum qui extra Eccleſiam vel contra Eccleſiam ſedes ſibi inſtituerunt, Cathedram peſtilentiæ dicimus. Qui enim inconceſſa præſumit, reus eſt, quantò magis ſi & corrumpat traditionem eius, cuius ſedem vſurpat. Nam & ordinem ab Apoſtolo Petro cœptum, & vſque ad hoc tempus per traducem ſuccedentium Epiſcoporum ſeruatum perturbant, ordinem ſibi ſine origine vendicantes, hoc eſt corpus ſine capite profitentes, vnde congruit etiam eorum ſedem Cathedram peſtilentiæ appellare.* Vidit hoc ipſum Gregorius Nyſſenus à nobis ſuperiore libro citatus, cuius hæc ſunt verba; *Nihil falſi aut mendacij ſcriptum eſt in Euangeliis, neque Chriſti prædictio exitum fallacem habet. Per Petrum Epiſcopis dedit clauem cœleſtium honorum.* Nulla igitur ineſt in

Aug. to. 4. in qq. nou. & vet. teſt. quæſt. 10.

Greg. Nyſſ. In eos qui caſtig. ægrè ferunt. Οὐδὲ ψεῦδος ἐν εὐαγγελίοις γέγραπται, οὐδὲ ἀποβήσεται τὸ Χριστοῦ ἰσχυρισθὲν ἴσχυ τὸ ἐκβαῖνον. δὲ Πέτρου ἔδωκε τοῖς ἐπισκόποις τὰ κλεῖδα τῶν ἐπουρανίων πυλῶν.

dictis

dictis Cypriani, Ambrosij aut Augustini difficultas, in Petro datas claues Ecclesiæ scribunt, quod nimirum Petrum elegerit Dominus, supra quem fundaret Ecclesiam, *cuius ille*, inquit Augustinus, *agnoscitur in figura gestasse personam propter Primatum, quem in Discipulis habuit*, quodque Petrus accipiens claues eas *aliis communicandas*, vt loquitur Optatus, omninò acceperit, vt proinde falsum sit omnes æquè Episcopos vnà cum Petro curam pascendi gregis Christi suscepisse. Vt enim falsam hanc sententiam profligaret Augustinus aduersum Donatistas, ostendit Cæcilianum Carthaginensem Episcopum ad tribunal Ecclesiæ Romanæ, *in qua semper viguit Cathedræ Apostolicæ Principatus*, prouocasse; Ac idem Augustinus ad Bonifacium scribens, eum celsiore loco in Ecclesia esse agnoscit; *Cùm*, inquit, *communis sit omnibus nobis qui fungimur Episcopatus officio, quamuis ipse in eo præemineas* CELSIORE FASTIGIO, *specula pastoralis: facio quod possum pro mei particula muneris, quantum mihi Dominus adiuuantibus orationibus tuis donare dignatur, vt pestilentibus & insidiantibus eorum scriptis, medentia & munientia scripta prætendam, quibus rabies qua furunt, aut etiam ipsa sanetur, aut à lædendis alius repellatur.* Aug. in Ps. 108. Aug. tom. 7. contra duas Epist. Pelag. ad Bonif. lib. 1. cap. 1.

Neque propterea desinunt Episcopi Apostolorum esse successores, Apostolicáque authoritate quam sibi meritò vendicauit Arnulphus Rhemensis in ferenda excommunicatione, esse præditi: At vt suprà monuimus, non in omnibus etiam ad potestatem iurisdictionis spectantibus illis successerunt, sed quod etiam supra agnouit Spalatensis in sola potestate Episcopali, quæ proculdubio eos limites habet, quibus Apostolica authoritas non continebatur.

Sed iam aliis Augustini testimoniis nos oppugnat aduersarius. *Quod supra*, inquit, *dicebat Cyprianus vnumquemque Episcopum liberum esse in sua suo modo regenda Ecclesia; tanquam à Domino immediatè in Ecclesiastico regimine dependentem; id facto ipso Augustinus comprobauit, Ego, inquit, si Domino placet istum modum seruo, vt quisquis apud eos (hæreticos) propter disciplinam degradatus ad Catholicam transire voluerit, in humiliatione pœnitentiæ recipiatur, quo & ipsi eum forsitan cogerent, si apud eos manere voluisset. Quod si alicui in Ecclesia subiectus fuisset Augustinus, certè non dixisset: Ego ita seruo, sed facti sui rationem dedisset ex authoritate illius superioris, cui ipse subiectus esset, aut suo proprio arbitrio non stetisset, sed superiorem in difficultate illa consuluisset. Et Auxilius Episcopus pro peccato Patris anathematizabat filios: In quo quia à recto tramite rationis in diuina scriptura fundatæ deuiabat, reprehensus fuit ab Augustino, per modum profectò doctrinæ & charitatiuæ instructionis; non superioritatis authoritatiuæ: Non enim dicit, Tu errasti, quia ego ita sentio, & quia contra meum præceptum feciſti: Sed arguit illum quia neque ex scriptura, neque ex vsu Ecclesiæ poterat sui facti reddere rationem. Liberum igitur ostendit esse cuique Episcopo in sua Ecclesia, quæ ad disciplinam pertinent, vt ei placet exercere, quia à Domino immediatè habet potestatẽ. Et alienum seruum nemo iudicat. Sed tamen fraterna correptione monet vbi factum à diuina lege & Ecclesiæ vsu exorbitat. Atque interim, Si tibi, inquit, quod iustè fiat Dominus reuelauit (non dico Papa vel superior Episcopus declarauit) nequaquam inuenilem ætatem tuam & honoris Ecclesiastici rudimenta contemno, &c. Non ergo authoritatiuè præcipit, sed doctrinaliter instruit, vt par non vt superior. Agnoscebat enim Augustinus æquè illum Episcopum iuuenem atque se senem, à Domino Ecclesiæ fuisse immediatè præfectum, & ab ipso regendæ suæ suscepisse Ecclesiæ potestatem.* SPALAT. Num. 9. 24. q. 1. cap. Subdiacon. 24 q. 3. c. 1. Rom. 14.

At non videt morem hac in re ab Augustino in Ecclesia ab

antiquo ſeruatum proferri, vt proinde opus non habuerit in re vſitatiſſima ſuperiorem conſulere. Cæterùm in maioribus cauſis qualis eſt naſcentium hæreſeũn condemnatio & extirpatio præſtolandam eſſe Pontificis ſententiam, fidem faciunt epiſtolæ in cauſa Pelagij & Cæleſtij tam eius quàm reliquorum ſuorum collegarum Mileui congregatorum nomine ad Innocentium I. ſcriptæ: *Quia te Dominus*, inquit, *gratiæ ſuæ præcipuæ munere in ſede Apoſtolica collocauit, talemque noſtris temporibus præſtitit, vt nobis potius ad culpam negligentiæ valeat, ſi apud tuam veneratione, quæ pro Eccleſia ſuggerenda ſunt, tacuerimus, quam ea tu poſsis vel faſtidioſè vel negligenter accipere, magnis periculis infirmorum membrorum Chriſti paſtoralem diligentiam quæſumus adhibere digneris.* Et rurſus: *Miſſæ ſunt itaque*, inquit, *hac de re* (aduerſus hæreſim Pelagianam) *ex duobus Conciliis Carthaginenſi & Mileuitano relationes ad Apoſtolicam ſedem, antequam geſta Eccleſiaſtica, quibus apud Epiſcopos Prouinciæ Palæſtinæ Pelagius perhibetur eſſe purgatus, vel in manus noſtras vel in Africam peruenisſent. Scripſimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium, præter Conciliorum relationes, literas familiares, vbi de ipſa cauſa aliquantò diutiùs egimus. Ad omnia nobis ille reſcripſit, eodem modo quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem.* Qua de re, *Aduerſus Pelagianiſtas quoque*, inquit, *nouos noſtrorum temporum hæreticos, & diſputatores callidos, arte magis ſubtili noxia ſcribentes, & vbicunque poterant publicè & per domos loquentes, per annos fermè decem laborauit, librorum multa condens & edens, & in Eccleſia populis ex eodem errore frequentiſsimè diſputans. Et quoniam iidem peruerſi ſedi Apoſtolicæ per ſuam ambitionem eandem perfidiam perſuadere conabantur, inſtantiſsimè etiam Conciliis Africanis ſanctorum Epiſcoporum geſtum eſt, vt ſancto Papæ vrbis Romæ, & prius venerabili Innocentio, & poſtea ſancto Zozimo eius ſucceſſori perſuaderetur, quod illa ſecta Catholica fide & abominanda & damnanda fuiſſet. At illi tantæ ſedis Antiſtites, ſuis diuerſis temporibus eoſdem notantes, atque à membris Eccleſiæ præcidentes, datis literis ad Africanas, Orientis & Occidentis Eccleſias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus Catholicis cenſuerunt.* Quod ad factum Auxilij Epiſcopi pro peccato Patris anathemate damnantis filios, quem Auguſtinus non audet iudicare, contentus monuiſſe non rectè feciſſe eum, neſcio cur inducendum cenſuerit Spalatenſis, An igitur Auguſtinus Pontifex fuit, aut etiam Primas qui in Auxilium imperium haberet? Aut quia Auguſtinus non ex authoritate, ſed tantum ex charitate cenſuit corrigendum Auxilium, propterea Pontifici non eſt poteſtas delinquentes Epiſcopos corrigere? Quid poſſit ineptius proferri? Sed inquit Spalatenſis, *Auguſtini verba illa ſunt ad Caſalanum presbyterum; Quapropter, ſi conſilio meo acquieſcis, Epiſcopo tuo in hac re noli reſiſtere, & quod facit ipſe ſine vllo ſcrupulo vel diſcrepatione ſectare. Et quæſtio erat de ieiunio Sabbathi, ac reliquorum dierum; num omnibus Eccleſiis Romana Eccleſia in dicto Sabbathi ieiunio eſſet ſequenda, necne. Solutionem tanti negotij de ieiuniis Eccleſiaſticis, totam ab arbitrio cuiuſque Epiſcopi in ſua Eccleſia Auguſtinus, edoctus ab Ambroſio, vt ipſe ibidem profitetur, vult pendere. Nam propterea Hieronymus quoque paſsim Epiſcopos vocat principes Eccleſiarum: atque ita Principes vt quiſque in ſua Eccleſia ſit ſupremus, nec alium ſupra ſe in terris agnoſcat præſulem iure diuino in Eccleſiaſticis ſuperiorem. Nam & abſolutè ſupremum in Eccleſia gradum ponit Epiſcopalem, abſque vlla inter Epiſcopos diſtinctione aut prælatione, aut ſubiectione, contra Montaniſtas, vt ſequenti etiam libro conſiderabo.* Aſt Auguſtinus libertate

Aug. Innocentio de cohibendis Pelag. ep. 92.

Idem to. 2. ep. 106. Bonifacio.

Idem to. 1. Poſſid. in vita Aug. cap. 18.

Spalat. Num. 10. Aug. ep. 86.

Hieron. in Iſa. c. 61. & in Ier. c. 23.

Id. ep. 54.

ab

ab Ecclesia singulis Episcopis relicta vti posse Casulani Episcopum, rectè omnino censet; erat enim istud de ieiunio Sabbathi in adiaphororum numero, nec statuerat Ecclesia Romana, (quod aduersus Vrbicum ostendit Augustinus) singulas per orbem Ecclesias illud obseruare debere, aut eius lege teneri, quod etiam Ambrosij exemplo idem confirmat Augustinus. Cæterùm in reliquis quæ præscripsisset Ecclesia Romana, eius morem sequutum Ambrosium, adeoque eximium ipsius discipulum Augustinum, hæc probant; *Non ignoramus*, inquit Ambrosius, *quod Ecclesia Romana hoc consuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus sequimur & formam.* Imo teneri se præceptis Romani Pontificis Aug. alibi quoque agnoscit: sic enim ille epistola ad Optatum. *Illæ literæ*, inquit, *quas ad Mauritaniam Cæsariensem misisti, me apud Cæsaream præsente venerunt, quo nos iuncta nobis à venerabili Papa Zosimo Apostolicæ sedis Episcopo Ecclesiastica necessitas traxerat.* Neque propterea minus censendi sunt Episcopi Ecclesiæ Principes, quando quidem & inter Principes vnus excellere ac eminentiori esse potestate potest; neque rursus his officit quod Hieronymus passim Episcopos vocat *Principes Ecclesiarum*, atque ita Principes vt quisque in Ecclesia sit supremus; hoc enim ipsum docet Bellarminus, ac cum Bellarmino omnes orthodoxi; sed falsum falsissimum est quod addit Spalatensis censuisse Hieronymum *Episcopum Ecclesiæ suæ scilicet priuatæ Principem alium supra se in terris non agnoscere præsulem iure diuino in Ecclesiasticis superiorem*; neque in locis ad marginem notatis, vel syllaba vlla de ea re extat: Priore loco versans illud Esaiæ, *Vos autem Sacerdotes Domini vocabimini, &c. Haud dubium*, inquit, *quin Ecclesiarum Principes significet, vel certè de Apostolis intelligendum est*; Altero loco Episcopos etiam *Ecclesiæ Principes* vocat, sed non esse vnum summum inter hos principes non dicit, quinimo contrarium non obscurè innuit; Nam ipsos pastores Synagogæ Principes quoque vocat, inter quos vnum fuisse summum Pontificem est lippis ac tonsoribus notum. *Abiectus*, inquit, *pastoribus Synagogæ Scribis videlicet & Pharisæis, & saluatis reliquis ex Israël, Apostolisque Euangelij in locum priorum principum constitutis; inducitur pastor pastorum, & princeps principum, & Rex Regum, & Dominus Dominantium, Christus videlicet Saluator noster.* Quemadmodum igitur etiamsi alij essent Principes Synagogæ, vnus tamen omnibus præerat summus Pontifex; ita quoque quamuis Episcopi principes sint Ecclesiæ, nil tamen prohibet in præstantissimo hoc ordine vnum esse supremum Caput, à quo reliqui regantur. Quare etsi Hieronymus *ordinem Episcoporum summum in Ecclesia* faciat, & *Episcopos Apostolorum successores*, tamen in summo hoc ordine vnum principem non negat; cùm non vno loco, nec semel ipsorum Petrum *Apostolorum Principem*, adeoque etiam *Paulo maiorem* faciat. Loco verò à Spalatensi citato impium Montanistarum dogma profligat, *qui cùm*, vt ille loquitur, *haberent primos de Pepusa Phrygiæ Patriarchas, secundos quos appellarent Cenones, in tertium ac penè vltimum locum Episcopos deuolui necesse erat, atque ita*, inquit Hieronymus, *quod apud nos primum est, apud illos nouissimum erat.* Hoc si facere Catholicos ostendere possit Spalatensis, Montanizare nos non diffitebimur. Fecerit verò? Certè ipse summus Pontifex in numero se Episcoporum ponit, & Episcopos fratres agnoscit, ac nisi agnosceret Ecclesiæ Christi Pontifex non esset.

Ambr. de Sacram. lib. 3. c. 1.

Aug. ep. 157.

Ad cap. 61. Esa.

Hieron. Ad cap. 23. Hierem.

Hier. ep. 54.

Neque verò aut Pelagius II. aut Gregorius I. acerrima illa sua contra Ioannem Constantinopolitanum concertatione super titulo Oecumenici, de qua

Spalat. Num. 11.

videro inferius, noſtram ſententiam euertit, quippe qui haudquaquã Epiſcopos faciamus Pontificis, ſed Dei omnipotentis Miniſtros aut Vicarios; Cenſemus enim Principalem hunc ordinem vnum habere authorem Chriſtum, qui tamen Petrum ac Petri ſucceſſores huius ordinis fontem eſſe voluerit. Optimus eſt pro noſtra ſententia locus Bernardi à Spalatenſi adductus, ſed & hunc contaminandum duxit, ac deformandum: *Si iuſtitiæ eſt ius*, inquit, *cuique ſeruare ſuum; auferre cuique ſua, iuſto quomodo poterit conuenire? Erras ſi vt ſummam, ita & ſolam inſtitutam à Deo veſtram Apoſtolicam poteſtatem exiſtimas, ſi hoc ſentis, diſſentio ab eo, qui ait; Non eſt poteſtas niſi à Deo. Proinde quod ſequitur; Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit; Et ſi principaliter pro te facit, non tamen ſingulariter. Denique idem ait; Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non ait ſublimiori, tanquam in vno: ſed ſublimioribus tanquam in multis. Non ergo tua ſola poteſtas à Domino, ſunt & mediocres, ſunt & inferiores. Niſi tu putas alium eſſe qui poſuit in Eccleſia, quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, &c.* Quæ malum eſt iſta dementia partem ſententiæ eximij Patris in nos torquere, ac tanquam fulmen à Spiritu ſancto expreſſum vibrare, partem verò tanquam impium dogma ac ſcripturis contrarium damnare, profligare, ac orco deuouere? Rectè omnino Bernardus Eugenium Pontificem monet, vt aliis quoque poteſtatibus inferioribus ſua iura permittat, nec omnium curis ſe vnum implicet: Sunt enim quoque à Deo inferiores poteſtates, à quibus propterea ſua munia auferre nefas ſit, ſed non minus eruditè aut ſapienter his omnibus inferioribus poteſtatibus ex verbo Dei vnum præficit ſummum Pontificem: Nouerat ſiquidem in numero ouium, quas paſcendas Dominus Petro commendarat, eſſe & Abbates & Epiſcopos, & in vniuerſum omnes Eccleſiæ Catholicæ Antiſtites: Placuit verò Spalatenſi priorem partem pro ſe arripere, poſteriore damnata. Scilicet quod de Vigilantio dixit Hieronymus, illi licet τῷ σοφιστάτῳ κριτῇ, de Patrum dogmatibus ferre ſententiam, & quaſi cenſoria virgula alia reiicere, alia recipere. Ita homo vaniſſimus quaſi eiuſdem ſit deguſtare vina, & probare ſcripturas teſtimonio ſuo, & prudentiæ omnino vult credi. Properemus ad alia.

SPALAT. Num. 12. Bern. de conſid. l. 3. cap. 4. Rom. 13. 1. Cor. 12.

SPALAT. Num. 13. Collect. Matt. Brac. cap. 6. Conc. Tol. 8. cap. 7. Conc. Later. ſeſſ. 11. Ibidem. Seſſ. 11.

Epiſcopos, inquit, *à Deo ordinatos vnumquemque in ſua ciuitate affirmat Canon quidam antiquus Græcarum Synodorum. Et Concilium Toletanum 8. Diuinam eſſe aſſerit Epiſcopalis eminentiæ authoritatem. Et Synodus Aquiſgranenſis ſub Ludouico Pio cap. 25. Epiſcopalem authoritatem ait à Chriſto Domino commiſſum officium habuiſſe. In Concilio Lateranenſi ſub Leone X. vbi iam Hieromonarchia Romana in proprio ſolio exultabat, lecta fuit ſchedula continens priuilegia Religioſorum, tunc Epiſcopus Signinus ſurrexit & dixit: Quod videbatur ſibi quod narratiua vbi ponebantur illa verba, quod Epiſcopi fuerunt aſſumpti à Pontifice, debebat poni, quod fuerunt aſſumpti à Chriſto: Dixerat enim Leo in illa ſchedula: Nouimus Epiſcopos in partem ſollicitudinis noſtræ aſſumptos: Et hoc Signinus in publico Concilio merito reprobabat.* Reſpondeo, *Diuinam eſſe Epiſcopalis eminentiæ authoritatem*, planè verum eſt. Nam præterquam quod ordinis Epiſcopalis author ſolus eſt Chriſtus, etiam quos Epiſcopos renuntiat Pontifex, à Deo officium commiſſum habent, licet interuentu Pontificis. Quod attinet ad Signinum Epiſcopum in Lateranenſi Concilio, in Leonem inſurgentem, Reſpondeo ei nullam cauſam fuiſſe carpendi pronunciati Pontificis, quippe quo præclara quæque de Epiſcopis continerentur, nec verbum vllum eſſet de

illis

illisà Pontificis in partem ſollicitudinis aſſumptis : ſic enim habet : *Nouimus*, inquit, *Epiſcopos ipſos in partem ſollicitudinis noſtræ aſſumptos fuiſſe, quorum honor & ſublimitas, teſte Ambroſio, nullis poteſt comparationibus adæquari.* Neque verò huius querelæ vllum veſtigium extat in vlla, quam viderim Conciliorum editione. Benè itaque etiam Canonici iuris interpretes Epiſcopalem dignitatem iuris diuini eſſe pronunciant, cùm huius ordinis author, vt centies diximus, ſit ſolus Chriſtus, cumque quod innuit Paulus, *Omnis poteſtas à Deo ſit*, etiam quæ opera & interuentu hominum alicui conceditur ac confertur plane à Deo eſt. Quod verò conqueritur *noſtro iam ſæculo Epiſcopos ſe Dei & ſanctæ Sedis gratia Epiſcopos* profiteri, *cùm ſuperioribus ſæculis, vt Bleſenſis teſtatur, ſe Dei tantùm gratia Epiſcopos nuncuparent*, exulceratum eius animum prodit, nec tam Pontificiæ dignitati quàm Eccleſiaſticæ vnitati infenſum; Nec enim cum fugit indictum hunc morem, vt graſſantibus erroribus ac diro ſchiſmate inualeſcente, qui *Dei & ſanctæ ſedis gratia* ſe Epiſcopos renunciatos agnoſcunt, ſe in Capitis Eccleſiæ communione eſſe demonſtrent; hoc eſt ſe Catholicos probent; cùm etiam hi qui ſuperiore æuo tantummodo gratiæ Dei facerent mentionem, id quoque præ ſe ferrent, quod iam hoc ſæculo profitemur. SPALAT. Num. 14.

Certè Magnus Leo de Anatolij nouæ Romæ, hoc eſt Conſtantinopolis Antiſtite agens, ac de eius Pontificatu differens eum à ſe illi delatum honorem homo verecundiſſimus & modeſtiſſimus aſſeuerat, *Cùm ſecundum ſuæ*, inquit, *conſecrationis authores eius initia titubarent, benigniores circa ipſum quàm iuſtiores eſſe voluimus.* Item, *Satis ſit prædicto, quod veſtræ pietatis auxilio, & mei fauoris aſſenſu, Epiſcopatum tantæ vrbis obtinuit.* Sed & Gregorius confirmari à Pontifice ſolitos Epiſcopos oſtendit illa ſua de Salonitano Epiſcopo querela, *Salonitanæ*, inquit, *ciuitatis Epiſcopus me ac reſponſali meo neſciente ordinatus eſt; & facta res eſt quæ ſub nullis anterioribus Principibus euenit.* Nempè hac de cauſa recens electi Epiſcopi, literas ad Pontificem Romanum mittere erant ſoliti, vt ſignificarent ſe in eius, hoc eſt in Eccleſiæ Catholicæ eſſe communione. Hoc ſignificat Leo Magnus in cauſa Anatolij; *Non*, inquit, *dilectionem negans ſed manifeſtationem Catholicæ veritatis expectans.* Sed hîc parcendum non fuit Baronio; Hunc primum ſuæ ſententiæ propugnatorem feciſſe non contentus Spalatenſis, peregrinum ei dogma affingit, ac plus tribuiſſe eum Epiſcopis, quàm par eſſet cauillatur. *Baronius*, inquit, *Cardinalis Romanus, dum ſacra Euangelia conſiderat, & quid Chriſtus inſtituerit in ſua Eccleſia ad ipſius regimen ſeruandum, perluſtrat diligentius, in firmum veritatis ſcopulum impegit, fortaſſe vel imprudens. Munere ſuo, inquit, Chriſtus à Patre miſſus in hunc mundum, vt ait Apoſtolus, peccatores ſaluos facere, iam propè perfunctus conſulturus Eccleſiæ ſuæ, eandem quam vt homo accepit à Patre poteſtatem dimittendi peccata, per Spiritum ſanctum, quem inſufflationis viſibili ſigno eſt impartitus, transfudit in Diſcipulos ſuos, & illi in poſteros ſuccedentes ſibi inuicem vſque ad præſentem diem. Si enim (quod habet liber Numeri) auferens Deus de Spiritu, qui erat in Moyſe, ac tradens ſeptuaginta viris eandem prophetandi gratiam in illos contulit, quomodo non magis decuit Spiritum Chriſti in poſteros propagari? Participant proculdubio Spiritum Chriſti, quotquot vice Chriſti initiantur in Eccleſia Sacerdotio; qui ſicut in cœna Dominica faciendi,* Leo Magn. ad Martian. ep. 54. S. Greg. ep. 34. lib. 4. Vide Stapl. p. 722. Ep. 33. & 34. SPALAT. Num. 15. Bar. tom. 1. ann. 34. nu. 197. 1. Tim. 1. Num. 11.

hoc eſt ſacrificandi facultatem acceperunt, ita etiam nunc peccata dimittendi, vel
Matth.18. *retinendi adepti ſunt poteſtatem. Quod enim olim promiſerat dicens; Quæcunque alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo, &c. nunc impartiens illis Spiritum ſanctum fœliciter implet. Hæc ille. Sed plus profecto nobis tribuit quàm velimus aut quæramus, & multo plus quàm nobis debeatur; non ſine errore, meo iudicio, intolerabili. Non eandem quam Chriſtus vt homo habuit à Patre poteſtatem, aut in Apoſtolos, aut in Epiſcopos eorum ſucceſſores transfudit; ſed purum ac nudum miniſterium, vt iam docui. In Chriſto enim poteſtas capitis & Regis, tota & præcipua eſt, in Apoſtolis verò & Epiſcopis, non niſi miniſterialis, vt*
Supràl.1.c. 2. & infra toto lib.5. *Patres omnes docent communiſſimè; & tracto ego ſuis locis. Sed veriſſimum eſt à Chriſto per Spiritum ſuum omnem Eccleſiaſticam poteſtatem in promiſſione clauium incluſam, & Apoſtolis omnibus & eorum ſucceſſoribus omnibus tradi. Vnde manifeſtum redditur Epiſcopos omnes iure diuino ſuam totam habere Eccleſiaſticam poteſtatem; quæ ſine participatione Spiritus Chriſti dari non poteſt. Viderit verò ipſe Baronius, quid Domino Papæ ſupra Epiſcopos iure diuino relinquatur.* Atqui primùm agens de Apoſtolorum ſucceſſoribus diſtinctè non agit de Epiſcopis, ſed de his qui initiantur Sacerdotio, quod etiam in inferiores preſbyteros conuenit, quos vice Chriſti fungi miniſterio in Eccleſia non dubitabat Baronius, imò fortaſſe Epiſcopos quà Epiſcopos hoc loco non intellexit, quod verba Chriſti; *Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt*, ad eos proximè pertinere non cenſeret, ſed preſbyteros quos tunc relaxandorum in foro pœnitentiæ peccatorum poteſtatem accepiſſe putaret; Demum iniquior eſt optimo Cardinali, cuius ſententiam non rectè nec ſincerè interpretatur. Nec verò æquiorem ſe ei præbuit Caſaubonus, qui eum quoque acerbè vexat ac immanis errati poſtulat: Imò magis aculeatus eſt Caſaubonus, & contumeliæ frena paulò liberius laxat, eumque maledictis importuniſſimis inceſſit. Exiſtimat verò vterque parem illum omninò feciſſe Sacerdotes (Epiſcopos interpretatur Spalatenſis, ſed melius Caſaubonus de preſbyteris loquutum cenſet) ſeruatori Chriſto quod dixerit, *Chriſtum iis qui Sacerdotio initiantur, eandem tribuiſſe poteſtatem quam accepiſſet à Patre:* Atqui non tam Baronium vexant
Ioan. 20. quàm Chriſtum ipſum, cuius hæc ſunt verba expreſſiſſima: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, &c. Quorum remiſeritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Quibus proculdubio ſuam illis functionem & officium iniungit; quaſi diceret, Ego *quidem legatione mihi commiſſa perfunctus ſum, iam redeo ad Patrem à quo in mundum miſſus ſum, propterea vos vice mei eſſe volo, & quam poteſtatem ille mihi tribuit, cùm me mitteret, ea vos dono, vt ritè legatione veſtra ipſi perfungamini*: quo ſenſu dixit Paulus; *Dedit nobis* (Chriſtus) *myſterium reconciliationis*, quod Chri-
2.Cor.5. ſtum primùm obiiſſe idem Paulus innuit; *Deus*, inquit, *erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi*; Hunc locum ita accepit Doctiſſimus
Rupert. lib.14. Abbas Rupertus, Auguſtini egregius ſectator, *Quomodo enim vel ad quid miſit filium Pater, niſi vt inter Deum & homines pacem faceret? Quomodo itidem, vel ad quid, ſuos in vniuerſum mundum filios mittit prædicatores, niſi ad hoc vt inimicos Deo reconcilient homines? Hoc nempè*

Digitized by Google

ſciens Apoſtolus ait Corinthiis; Omnia autem ex Deo qui reconciliauit nos ſibi, & dedit nobis miniſterium reconciliationis. Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non reputans illis delicta illorum, & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Pro Chriſto ergo legatione fungimur tanquam Deo exhortante per nos. Cæterùm nec Baronius, nec alius quod ſciam Orthodoxus dictionem, *ſicut*, ad æqualitatem, ſed dumtaxat ad ſimilitudinem quandam traxit, & in hac ipſa ſimilitudine poteſtatis, eam diſſimilitudinem aduertunt omnes, quæ ſit inter Principem & legatum, Dominum & ſeruum, proprium Magiſtratum & Vicarium. Vtique Chriſtus etſi vt homo eam à Patre haberet, tamen habebat quoque natura ſua, Apoſtoli verò nonniſi eius habebant beneficio & indulgentia, & Chriſtus non pro alio ſed pro ſe, Apoſtoli non pro ſe, ſed pro Chriſto, vt vnus eorum docet legatione fungebantur; Hoc vidit & agnouit Baronius, quare non erat quod tam immaniter vapularet. Itaque vt loci verum ſenſum prodam, præterquam quod Chriſtus his verbis ſuam authoritatem, adeoque diuinitatem commendat, oſtendens ſe Patri in Apoſtolis mittendis æqualem, Apoſtolicam quoque excellentiam declarat, quod delegati ſibi officij conſortes faciat, Apoſtolos & traditæ ſibi olim poteſtatis Vicarios, cum poteſtate ſimiliter & authoritate remittendi peccata, perinde atque Reges ſuis legatis plenam authoritatem tradere ſolent, promittentes ſe ratum habituros quicquid illi pro officij ſui ratione ſuo perfecerint nomine: Neque verò propterea nulla relinquitur Capiti Eccleſiæ ſupra reliquos prærogatiua, ſtatim enim à facta eis hac poteſtate Petrum alloquens ei dicit, *Paſce oues meas, Paſce agnos meos*, quibus verbis præſtantiam quandam & eminentiam honoris ac dignitatis ſignificari non dubitamus. Omiſſo iam Baronio Bellarminum ad certamen prouocat Spalatenſis, ac primùm adductam à nobis diſtinctionem de poteſtate ordinis ac iuriſdictionis, oppugnat maximè ea parte qua Epiſcopos iuriſdictionem quam in regenda Eccleſia habent à Pontifice accipere docet. Fruſtra ergo eſſe Bellarminum, his argumentis oſtendere nititur; *Primò quia*, inquit, *quicquid poteſtatis ordinariæ habuerunt Apoſtoli, id totum pleniſſimè tranſlatum eſt, in Epiſcopos vt probaui*, inquit, *cap. 1. huius lib.* Sed hæc inconſtantiſſimè dicuntur, ſupra enim docuit, *Epiſcopos ſicuti non ſunt; ita neque vocari debere Apoſtolos*, ſed Epiſcopos: *Nam*, inquit, *Apoſtolis in quantum ipſi erant Epiſcopi ſuccedunt Epiſcopi, non in quantum erant Apoſtoli*; Oſtendimus verò Apoſtolos quà Apoſtolos multa habuiſſe ſummæ dignitatis ornamenta, quæ in Epiſcopos ac proinde in eorum ſucceſſores conuenire non poſſint. At inquit Spalatenſis, *Notum eſt Apoſtolos omnes indifferenter, imò & Diſcipulos per Ciuitates Epiſcopos multos conſtituiſſe. Nam cùm per vrbes Prouinciaſque curſitarent, vt loquitur Cyrillus, populis qui credebant complures paſtores præficiebant. Neque docere poteſt Bellarminus vllum vnquã ex tot Epiſcopis ab aliis Apoſtolis factis ad Petrũ pro accipienda iuriſdictionis poteſtate confugiſſe, aut procuratores miſiſſe; aut etiam Petrum ſuas in hoc vices Apoſtolis delegaſſe & conceſsiſſe.* Reſpondeo, nec erat iſtud neceſſe, ſed ſatis erat conſentiente, nec renuente Petro illos ordinari. Porrò hac in re præſtanda Petri authoritate nixos magna vnitatis à Chriſto conſtitutæ obſeruatione, cùm vbiuis gentium munia ſua obirent, terrarum orbem luſtrarent, ac Eccleſiis nouellis paſtores præficerent, vel illud ſuadet quod ſcribit contra Parmenianum Optatus,

Ioan. 20.

Spalat. Num. 16.

Cyrill. in Gen. lib. 11.

Optat. l. 2.

Negare non potes, inquit, *ſcire te in vrbe Roma Petro primò Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam; in qua ſederit omnium Apoſtolorum caput Petrus, vnde & Cephas appellatus eſt; in qua vna Cathedra, vnitas ab omnibus ſeruaretur, ne cæteri Apoſtoli ſingulas ſibi quiſque defenderent; vt iam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem Cathedram alteram collocaret.* Neque verò quod ſecundo loco vrget Spalatenſis, Patres ſupra ab eo citati contrarium, vt oſtendimus docent. Cyprianus, *ordinem Epiſcoporum à Chriſto eſſe* docet, *ac poteſtatem eos accepiſſe à Chriſto* inculcat, ſed *exordium ab vnitate quoque proficiſci; Eccleſiam Romanam matricem, radicem; Eccleſiam principalem à qua Sacerdotalis vnitas exorta ſit*, aſſeuerat, adeoque cùm *Epiſcopos ſuæ poteſtatis arbitrium in Eccleſia habere*, etiam in hæreticis rebaptizandis docet, de rebus occultis ac dubiis & quæſtionibus quæ nondum eliquatiſſima perquiſitione eſſent diſcuſſæ, vt ex Auguſtino interpretabamur, loquitur. Auguſtini verò ſententia in firmandis gradibus ordinum, & in excommunicandis filiis pro parentum delictis ineptè ac perperam in erroris defenſionem affertur, vt eſt à nobis ſuprà oſtenſum.

Quod autem non permittitur Pontifici, reliquos ordines aut interturbare aut interuertere, nos non lædit, ſcimus enim legibus Chriſti, quem ſui ordinis ſuæque iuriſdictionis primum authorem habent Epiſcopi, eum teneri, vt quanquam eius opera vtatur in creandis Antiſtitibus Deus, ei omnino ad diuinæ legis amuſſim ſint ei ſuæ ordinationes exigendæ. Sed vrget
Eod. nu. 16. tertiò Spalatenſis, *Vel poteſtas hæc iuriſdictionis eſt neceſſaria miniſtro Chriſti, vel non; Si non, poteſt meritò contemni & regi Eccleſia ab Epiſcopis ſola ordinis poteſtate, ſi eſt neceſſaria, cur Chriſtus dum dat ipſe immediatè ordinem, non dat etiam iuriſdictionem, nempè Epiſcopalem Epiſcopo Presbytero Presbyteralem? Facit ergo Miniſtrum & non facit, neque indicium vllum eſt in tota ſcriptura, vnde colligamus ſeparationem hanc poteſtatis Iuriſdictionis à poteſtate ordinis: & vnam tradi immediatè à Deo, alteram non niſi mediante Papa. Quare & ſolus ordo, vt docebo fusè libro 5. dat omnem prorſus poteſtatem, quæcunque Miniſtro Eccleſiaſtico pro regimine Eccleſiæ eſt neceſſaria. Quia in Eccleſia non eſt vlla vera & propria iuriſdictio externa, ex qua ſola in Domino Papa immanem illam potius omnipotentiam quam poteſtatem noſtri collocant Doctores Neoterici: vt eod. lib. 5. plenè demonſtrabo, & ex parte iam lib. 1. cap. 2. demonſtraui.* Reſpondeo quia ſolet cauſa prima multa interuentu cauſarum ſecundarum præſtare, neque propterea deſinit eſſe cauſa, imo verò conſtans eſt ſententia Theologorum & Philoſophorum, *plus influere cauſam primam in effectum*, quàm quamcunque *cauſam ſecundam cuius miniſterio & adminiculo vtatur.* Ergo proculdubio author eſt, & ordinis & poteſtatis Chriſtus, ſed ordinem nullius interuentu confert; cùm tamen aſſerendæ vnitati poteſtatem à Pontifice tanquam ab eius radice & capite pendere omnino voluerit, in his ſcilicet quæ ad externum Eccleſiæ ſuæ regimen pertinent. Quod autem pollicetur Spalatenſis ſe oſtenſurum aliis libris, non eſſe in Eccleſia vllam huiuſmodi externam iuriſdictionem, verba ſunt in ventos, & cùm eò peruentum erit, nullo negotio hos flatus compeſcemus: Specimen dedimus in ſuperioribus importuniſſimæ vanitatis iuueniliter exultantis huius ſenis.

Videamus

Videamus iam quibus telis Bellarminum, ac eius rationes oppugnet; Totus est in eius argumentis quæ vitro fragiliora clamat, labefactandis.; *Bellarminus*, inquit, *vt omnem iurisdictionem ordinariam Episcoporum à Papa immediatè descendere probet, affert exemplum Moysis, quando Deus auferens de Spiritu illius, dedit septuaginta Senioribus Numer. 11. & notat cum Augustino, vt asserit, absque diminutione, aut debilitatione Spiritus Moysis, factam fuisse deriuationem virtutis seniorum à virtute Moysis. Voluit enim, inquit, Deus ostendere in Moyse residere totam authoritatem, alios autem, si quam habent à Moyse habere. Sed hoc nihil ad rem*, inquit Spalatensis, *Primùm quia sensus allegorici nihil probant; Deinde quia Augustinus nihil habet de illa deriuatione; sed tantùm docet non de Moysis Spiritu, hoc est de ipsius anima, sumptum aliquid & datum illis, sed de Spiritu Dei id intelligendum; hoc est eodem Dei spiritu instructos illos septuaginta seniores, quo instructus erat etiam Moyses; Tum verò Moyses de illo suo spiritu nihil ipse dedit senioribus, sed Deus immediatè suo spiritu instruxit illos, quo etiam instruxerat Moysem. Ita nunc etiam Deus Spiritu Apostolico instruit Episcopos; id est eodem spiritu quo etiam Apostolos instruebat. Et sicut illi septuaginta immediatè à Deo habuerunt & spiritum & officium iudicandi; & nihil prorsus habuerunt à Moyse; ita Episcopi à Deo non ab vllo Apostolo aut Papa, & longè melius Baronius, paulò antè, Moysem fecit figuram Christi, non Apostolorum aut Papæ, à quo Christo immediatè & Apostoli & Episcopi omnes Spiritum accipiant Ecclesiam gubernandi.* Respondeo sensus allegoricos nihil demonstrare, cùm ex ipsis rerum visceribus non eruuntur, sed ex imparibus colliguntur; At hîc veteris Synagogæ, quæ proculdubio & vera Ecclesia & nouæ Ecclesiæ vera figura fuit, exempla assumuntur, ad ea probanda quæ insecutis temporibus in Ecclesia Catholica obtinuerunt, quare adeo flaccidum non est fundamentum quo nititur Bellarminus. Certè Macharius Ægyptius vetustissimus scriptor Orthodoxus Petrum cum Moyse eleganter & eruditè confert; *Moysi*, inquit, *succesit Petrus, qui nouam Ecclesiam Christo, verumque Sacerdotium creauit.* Quod autem asserit Spalatensis Augustinum non *meminisse huius deriuationis virtutis seniorum à spiritu Mosis, sed tantùm docere non de Moysis spiritu, hoc est de anima ipsius sumptum aliquid & datum illis, sed de spiritu Dei id intelligendum: hoc est eodem Dei spiritu instructos illos septuaginta seniores, quo instructus erat Moyses*: Respondeo nec tam fungum fuisse Bellarminum, vt existimarit partem spiritus Mosis diminutam & ablatam, atque in septuaginta translatam, hoc enim planè impossibile natura clamat, sed hoc sibi voluit Spiritum Domini qui in Mose erat veluti in fonte & capite, inde quasi in alios septuaginta deriuatum fuisse, nulla spiritus Mosis imminutione, quo pares essent ferendo oneri, & Moysi subleuando: Vt *abstulisse Deum de spiritu Mosis, & septuaginta viris tradidisse*, nihil aliud sit, quàm illo suo spiritu quo Mosem impertierat, illos afflasse, vt sicut partem oneris ab humeris Mosis ablatam in illos coniecit, haud secus ex spiritu Mosis, hoc est, ex spiritu Domini ad sustinendum illud onus comparato, aliquid acceperit, similemque spiritui Mosis spiritum in eos transfuderit. Est ergo spiritus Mosis, spiritus Domini, ad rectè administrandum imperium ei concessus, quo sensu Augustinus obseruat spiritum, qui totum afflauit Ioannem, *Spiritum Eliæ* dictum, scilicet Spiritum sanctum, quem acceperat Elias.

SPALAT. Num. 17.

Aug q. 18. in l. num.

Mac. hom. 26. Πέτρος Μωσεῖ διαδέχεται, τῷ χριστῷ ἐκκλησίαν χριστοῦ, καὶ τῷ ἁγίῳ ἱερωσύνην ἐγχειρίσας.

Digitized by Google

Lib. 5. de Trinit. c. 15. *Hoc*, inquit Auguſtinus, *& intelligendum eſt de Moyſe, cùm ait ei Dominus, Tollam de ſpiritu tuo, & dabo ei, hoc eſt, dabo illis de Spiritu ſancto, quem iam dedi tibi.* Cæterùm rectè aduertit Cardinalis Bellarminus, propterea dictum ſpiritum Moſis, ſpiritum illum ſeptuaginta ſenioribus communicatum, vt innueretur etiam poſt adlectos eos in Senatum Reipublicæ Iudæorũ ſummam rerum penes Moſem manſiſſe, atque non ſecus ac antea totius populi curam ei incubuiſſe, etiamſi hi illi dati eſſent adiutores, quæ omnia mirè quadrant in Petrum & Apoſtolos, in Pontificem & Epiſcopos.

Spalat. Num. 18. Alterum Bellarmini argumentum erat: *Regimen Eccleſiaſticum eſt Monarchicum: ergo omnis authoritas eſt in vno, & ab illo in alios deriuatur.* Excipit Spalatenſis, *Ego verò toto libro primo totam penitus excluſi & amoui ex Eccleſia noſtra vniuerſali, viſibilem hanc Monarchiam, & Ariſtocratiam potius induxi.* Nos verò nugas eius ac deliramenta excuſſimus, profligauimus, & inanitate ipſa inaniores eſſe eius rationes demonſtrauimus, ac fremente licet Tartaro, & frendentibus hæreticis, verborum *Tu es Petrus*, &, *Paſce oues meas*, germanum ac legitimum ſenſum in Monarchiam vltro inclinantem propugnauimus. Neque propterea dicimus *Epiſcopos eſſe Vicarios, Officiales aut miniſtros Papæ*, vt loquitur Spalatenſis, ſed ſuarum *Eccleſiarum Principes*, vt ille quoque loquitur, *abſolutos*, quod non ita à Pontifice pendeant, vt illorum ordinem euertere aut funditùs tollere poſſit, ſed contra omnino cogatur diuina lege illos, aut conſtituere, aut conſtitutos probare. Quare ridiculum eſt quod addit Spalatenſis, *Si Papa nollet Epiſcopos creare, futurum, vt Eccleſia haberet Epiſcopos cum ſolo ordine ſine iuriſdictione.* Hoc enim in mentem Pontifici venire non poteſt, nec paſſurus eſſet Chriſtus in Eccleſia ſua diutius regnare eum qui præſtantiſſimi ordinis à ſe inſtituti iura infringere, aut poteſtatem euertere in animo haberet, & vt id (per impoſſibile) Deus pateretur, certè is Pontifex Dei cenſeri non poſſet, ſed potius ſatelles Anti-Chriſti. *Tenetur enim lege diuina*, vt rectè docet Bellarminus, *eam iuriſdictionis poteſtatem, cuius ſolùm miniſter eſt, conferre.* At vrget Spalatenſis, *vel libertatem habet, vel non habet, ſi habet poteſt illam poteſtatem negare, vtcumque negando peccet, ſi non habet igitur concidit eius liberum arbitrium.* Reſpondeo; Si ſpectetur ſecluſo Chriſti mandato, & *in ſenſu diuiſo*, vt loquuntur in Scholis, proculdubio libertate pollet, qua ſcilicet homo priuatus: ſi poſito eo mandato cui proculdubio ſubeſt, & *in ſenſu compoſito*, certè illi liberum non eſt negare, nec vnquam certè occurret caſus iſte quem ſibi fingit Spalatenſis; Etſi enim Deus pro ſuaui illa ſua prouidentia neminem cogat, nouit tamen etiam, vt loquitur Auguſtinus, homines *ex nolentibus volentes reddere*, maximè vt ea præſtent quæ in Eccleſiæ vniuerſæ bonum cedunt, nec citra ſummam perniciem ei negari poſſunt. Pudet in his quiſquiliis immorari, ac tempus & operam ponere.

Eod. nu. 18.

Spalat. Num. 19. Tertium argumentum Bellarmini erat, *Epiſcopos à Papa iuriſdictionem habere ex quatuor ſimilitudinibus Cypriani: vbi ſedem, inquit, Petri comparat capiti, radici, fonti, ſoli. Cyprianus tamen tunc ne cogitabat quidem de ſede Romana, ſed loquebatur de vniuerſa Chriſti Eccleſia totali, vt explicaui exactè lib. 1. cap. 10. numer. 17. & infrà lib. 3. capite 1. numer. 12.* Quam ſplendidè mentiatur Spalatenſis, ad eundem locum fusè oſtendimus.

Quartum

Quartum argumentum Bellarmini, *ab inæqualitate iurisdictionum* ducebatur. *Sed*, inquit Spalatensis, *æquiuocat, iurisdictionemque vocat ipsos subditos in quos exercetur iurisdictio. Iurisdictio enim vna, & eadem, & æqualis est in omnibus Episcopis, tam in eo qui vnum habet oppidulum regendum, quàm in eo qui centum & mille; eadem enim potestas est; & idem ac totum potest paruus Episcopus in suum pusillum gregem, quod potest magnus in magnum. Et potestas Pastoralis, tam est in Pastore exigui gregis, quàm in Pastore magni gregis.* Spalat. Num. 10. Respondeo satis fuisse Bellarmino ostendisse, aliquorum Episcoporum potestatem ad plura se fundere, quàm se aliorum fundat potestas; Suprà enim docuerat, tam eos qui dari illam immediatè à Deo asseuerarent, quàm qui negarent, concedere vsum potestatis interioris à iurisdictione exteriori pendere, quæ cùm diuersa sit in diuersis Episcopis, & ille magnum, iste paruum populum regat, haudquaquam ex Dei determinatione, sed ex Ecclesiæ cuius Pontifex primus est, definitione, argumento est non immediatè à Deo conferri, sed ab eo qui eam diuersitatem inuexit, & iurisdictionis illius limites sanxit.

Quintum argumentum Bellarmini erat; *Si haberent*, inquit, *Episcopi à Deo suam iurisdictionem, non posset illam Pontifex auferre, aut mutare, sicut neque poterat illam Petrus auferre, aut mutare reliquis Apostolis; quia illam à Deo habebant immediatè. Et sicut neque Papa potest auferre Presbytero potestatem ordinis.* Spalat. Num. 11. Vt respondeat Spalatensis, ad decantatas illas suas deputationes confugit, atque eò rem reuocat, *vt sit tantùm illa deputatio, & immutatio in extensione iurisdictionis, non in iurisdictione.* At mutationem quoque fieri in iurisdictione, quî negare potest Spalatensis, cùm in perpetuum Pontificis sententia potestate nudatur sceleratus Antistes? Atque siquidem à Deo citra ministerium Pontificis, illa erat, quî potuit eam Pontifex abstulisse? An non, vt suprà argumentabatur Spalatensis, erat Dei iudicio à quo solo præponitur, relinquendus Episcopus, vt interim ipse arbitrio suo Ecclesiam, & creditum sibi olim populum regeret? Vides mi Antoni, quæ absurda tuam consequantur sententiam. Vt errorem errore cumules addis, *quando auferetur tota iurisdictio indigno, etiam ordinem auferri*; Sed nos hoc portentum suprà debellauimus. Quod addis *de iniustè depositis*, quorum vis esse *coram Deo actus iurisdictionis validos*, etiam reclamante superiore ac præposite alio loco examinabitur; Tantummodo hoc monuerim *superioris sententiam etiam iniustam timendam*, ac etiam per iniuriam à superiore loco suo, & magistratu motos non posse tuta conscientia exercere solitas suas functiones, tum quod illud in scandalum, & potestatis legitimæ cõtemptum vergeret, tum quod morosos quoque, ac discolos pati nos oporteat præpositos, itaque illi patienter ferendum esset, & Dei iudicium expectandum, cuius rei non pauca suppeditat nobis exempla historia Ecclesiastica.

Sextum argumentum Bellarmini erat; *Quia iure diuino ex scriptura probatur sola potestas vniuersalis, & amplissima iurisdictio Apostolorum; quam tamen amplissimam in Episcopis non admittunt, inquit, aduersarij*; Superbè verò respondet Spalatensis. *Quicquid alij admittant, vel non admittant, nihil ad me. Ego sanè amplissimam admitto potestatem in vnoquoque Episcopo iure diuino; non minorem intensiuè quàm fuerit in vnoquoque Apostolorum ordinaria. Extensiuè tamen solo iure humano Ecclesiastico positiuo, alligationem Episcoporum ad suas particulares Diœceses restringi ostendam cap. 7.* Spalat. Num. 12. At verò subest hic fraudis vestigium aliquod, potestatem enim quæ fuerit in vnoquoque Apostolorum ordinaria profert, vt

ad Episcopalem omninò accommodet; Atqui miræ sunt hæ præstigiæ; Amplissima enim Apostolorum potestas planè extraordinaria fuit, ac illis vnis credita, adeoque ipsorum interitu abolenda ac finienda: Ordinaria verò suos limites habuit, qua verbi gratia Iacobus vni Ecclesiæ Hierosolymitanæ impositus est Episcopus, etsi qui alij priuatas Ecclesias rexerunt. Itaque nec ipsi negamus totam hanc ordinariam Apostolorum potestatem, qua scilicet non vt Apostoli, sed vt Episcopi, etiam ab ipso Spalatensi, vt suprà monui, spectantur, ad successores suos transtulisse; Sed quod attinet ad extraordinariam, non aggredietur credo ad probandum illam Episcopis traditam Spalatensis.

Septimum argumentum Bellarmini ducebatur à testimonio Innocentij & Leonis, qui se in eius esse sententia clarissimis verbis indicant, vt suprà meminimus. *Ego tamen*, inquit Spalatensis, *sæpius monui Romanos Pontifices solam litteram verborum illorum Christi, Tu es Petrus, &c. Et tibi dabo, &c. secutos, libenter in propriæ dignitatis exaltationem excurrisse. Vt propterea non nimium Pontificum Romanorũ, in propria causa fimbrias dilatantium authoritate moueamur; vbi præsertim non Theologicè, sed oratoriè amplificationibus laxant habenas.* Ita scilicet ludis in optimorum Pontificum fama, quasi tu vnus illorum Censor esses, sed vt quod sentio liberrimè dicam, neque ea es doctrina, neque ea dignitate, vt tibi de sanctissimis, eruditissimis ac ornatissimis Patribus censendi ius, Tertius Cato, arrogare possis. Cæterùm quod ait Innocentium & Leonem genio, & eloquentiæ indulsisse, τοῦτο μὲν οὐδὲ Κάτωνος λέγοντος πιθανόν ἐστι, tam est à moribus eorum, & animi candore alienum. Verba autem illa Innocentij, *Arbitror omnes fratres nostros, &c.* Spalatensis nugas non admittunt. Petrum authorem vocat nominis & honoris Episcopatus, non quod iam Episcopos manuum suarum impositione creet, aut quod etiam earumdem manuum impositione omnes ordinatos sæculo Apostolorum, renunciarit Episcopos; hæc enim falsa esse, tam cæci non sumus vt non videamus; sed quod nullus vnquam in toto orbe fuerit Episcopus, qui non à Petro, aut à Petri successoribus, tanquam à sui ordinis, adeoque totius Ecclesiasticæ vnitatis, fonte, radice, capite ac fundamento pendentem potestatem habuerit, siue Pontifex ipse Episcopum renunciauerit, seu renunciatum probauerit.

SPALAT. Num. 23.

Ineptè quoque Bellarmino Apostolatus Pauli obtenditur ac opponitur; Sententia enim eius est, ac ferè iam omnium orthodoxorum; *Omnes Apostolos proximè immediatè, nec Petri, nec alterius cuiusdam mortalis interuentu, Apostolos dictos, creatos, renunciatos, ac vniuersæ Ecclesiæ impositos Rectores.* Mysteria verò illa quæ homo sagacissimus, tum in Innocentij, tum in Leonis verbis venatur, secluſa ac penes mystagogum manere iubemus. Clara & aperta est eorum sententia, neque aliquid habet stultissimorum horum mysteriorum, quorum Spalatensem ipsum pudere debeat adeo cum authorum mente pugnant. Verùm quidem est Petrum in exemplum charitatis patientiæ, modestiæ omnibus omninò Episcopis proponi, in quod intueantur, sed nullam præterea potestatem à Petro ad illos deriuari de mente Innocentij aut Leonis, orationis Spalatensis magna est vanitas, tota ex mendacio & fraude composita.

Mordet verò quoque, ac lacerat recentiora Pontificum diplomata à Bellarmino inducta; *quibus Papa prouidere se dicit Ecclesiis, & præficere talem in Patrem, & Pastorem ac Episcopum: Committereque ei administrationem in temporalibus & spiritualibus. Quod si hæc verba plus continent, quàm puram missionem & mini-*

SPALAT. Num. 24.

Digitized by Google

miniſterialem deputationem; erunt verba Pontificum ſibi iam dictam iuriſdictionem & multò plura, arrogantium. Reſpondeo ex his quæ ſuprà ſunt à nobis dicta, omnino patere ſemper Pontifices ea loquendi forma vſos, vt ex Leonis quoque Epiſtolis conſtat; quod autem vſurpationis eos poſtulat Spalatenſis, hominis inuerecundiæ eſt tribuendum.

Dixerat Bellarminus, & quidem eruditè Epiſcopos ſuccedere Apoſtolis; *Non propriè eo modo quo vnus Epiſcopus alteri, & vnus Rex alteri, ſed duplici ratione. Primò ratione ordinis ſacri Epiſcopalis. Secundò per quandam ſimilitudinem & proportionem, quia nimirum ſicut Chriſto in terris viuente, primi ſub Chriſto erant Apoſtoli duodecim, deinde ſeptuaginta duo diſcipuli: Ita nunc primi ſub Romano Pontifice ſunt Epiſcopi, poſt eos Presbyteri, inde Diaconi, &c.* Excipit Spalatenſis, & hæc intolerabilia eſſe magna voce clamat. *Iam enim, inquit, probaui, omnibus Apoſtolis in ſolidum, in tota plenitudine poteſtatis, ſuccedere omnes Epiſcopos; & non minus ſuccedi plenè reliquis Apoſtolis, quàm Petro in ſolidum; ſed Presbyteros etiam Apoſtolis ſuccedere verè & realiter, non ſimilitudine ſola aliàs probaui.* Bellar. l. 4. cap. 25. de Pontif. Spalat. Num. 25. Hoc lib. c. 1. num. 13. 17.

Sed vanis non credimus verbis, & ſunt à nobis ſuprà hæ ineptiæ diſcuſſæ, ac oſtenſum etiam in his quæ iudicio Spalatenſis, *ad eſſentiam* Apoſtolatus pertinerent, plenè non ſucceſſiſſe Epiſcopos. Attigerat ea Bellarminus, ac etiam probarat nullam partem habere Epiſcopos, veræ Apoſtolicæ authoritatis, hoc eſt quæ Apoſtolum verè efficiat, & propriè in hoc ordine ponat, quia *Apoſtoli poterant in toto terrarum orbe prædicare & fundare Eccleſias, vt patet Matthæi vltim. & Marc. vlt. hoc non poſſunt Epiſcopi. Item Apoſtoli poterant ſcribere libros Canonicos, vt omnes fatentur, hoc non poſſunt Epiſcopi. Apoſtoli habuerunt donum linguarum & miraculorum, non habent Epiſcopi. Apoſtoli in totam Eccleſiam habuerunt iuriſdictionem, non habent Epiſcopi. Præterea non ſucceditur propriè niſi præcedenti, at ſimul fuerunt in Eccleſia Apoſtoli & Epiſcopi, vt patet de Timotheo, Tito, Euodio, aliiſque permultis. Si igitur Epiſcopi Apoſtolis ſuccedunt, cui Apoſtolo ſucceſſit Titus? cui Timotheus?* Reſpondet Spalatenſis, *Epiſcopos ſuccedere Apoſtolis in tota eſſentiali authoritate prædicandi, & vniuerſaliter regendi Eccleſiam; non in priuilegiis peculiaribus, quæ ſolis debuerunt dari Apoſtolis tanquam acceſſoria quædam, & non perpetuò neceſſaria Eccleſiæ, niſi pro tempore.* Bellar. ibid. Spalat. Num. 16.

Sed hoc eſt victoriam tradere Bellarmino. Primùm enim falſum eſſe Epiſcopos poteſtatem habere prædicandi, & regendi vniuerſam Eccleſiam Dei, ſuprà oſtendimus. Et reliqua quæ commemorat Bellarminus, intrinſecè & eſſentialiter ad Apoſtolatum qua Apoſtolatus eſt pertinent, quare quod hæc quoque cum eis interierint, argumento eſt, propriè eis qui Apoſtoli ſunt non dari ſucceſſores; quod etiam ſuprà agnouit Spalatenſis. Sed eſſe *acceſſoria* iſta ex eo probat quod, *Non eſt neceſſe, vt ſcribant ſcripturas Canonicas, quas tamen ſcribere non fuit Apoſtolorum proprium, nam & plures Apoſtoli non eas ſcripſerunt, & aliqui non Apoſtoli eas ſcripſerunt, vt Marcus & Lucas, & Iacobus frater Domini, & fortaſſe alij. Neque neceſſe eſt, vt habeant donum linguarum & miraculorum, quia nunc non eſt neceſſarium, & tunc donum illud non perſonis, ſed tempori dabatur, vt oſtendi lib. 1. cap. 2. num. 21. & ſeq. Prædicandi autem poteſtatem in toto terrarum orbe, ſicut Apoſtoli non habebant niſi habitu; actu verò ibi vbi iam inter ſe conuenerant; ſeu vbi eos Spiritus ſanctus eſſe volebat, vt docui lib. 1. cap. 8. num. 5. & cap. 10. num. 21. & 26. Ita Epiſcopi habitu habent eandem vniuerſalem poteſtatem, iure diuino eo ipſo quo ſunt facti ritè Epiſcopi; actu tamen non ſunt* Spalat. Num. 16. Act. 10.

Episcopi, nisi suæ particularis Ecclesiæ, in qua illos Spiritus sanctus posuit, & detinet per missionem & iussionem suam, per Ecclesiam Ecclesiasticosque Prælatos explicatam & intimatam, vt docebo plenius infra cap. 7. Ita & iurisdictio in habitu est vniuersalis iure diuino in vnoquoque Episcopo; in actu verò non est nisi particularis, sicut erat etiam in Apostolis. Nam Petrus quoque dum Romæ erat, non habebat actualem iurisdictionem, nisi pro sola Ecclesia Romana, licet habitualem haberet, sicut & cæteri Apostoli, pro toto mundo. Successionem verò nunc docui non dari singulis, sed omnibus in solidum. Et quandiu vixerunt Apostoli, Episcopi qui ab illis promouebantur, non erant neque dici poterant pro tunc Apostolorum successores, sed socij & Collegæ; At postquam mortui sunt Apostoli, tunc Episcopi remanserunt, vt Apostolorum successores in communi & in solidum, non autem in singulari, nam propriè Apostolis singulis non succedi docui suprà capite 1. At strophis perpetuò ludit; Non equidem erat necesse omnes Apostolos scripturas Canonicas in lucem edere, sed posse edere planè authoritatem consequebatur Apostolicam, vt propterea singulis inesset, etiam si de facto non scripserint; Neque verò quod alij qui Apostoli non essent scripserint, huic eorum potestati officit, siquidem haud ita dicimus eis propriam fuisse aut addictam, vt ea alij discipuli potiri non possent; Sed Spalatensi si modo aliquid efficere velit, demonstrandum est aliquem Apostolum ea caruisse, aut aliquem Episcopum ea potitum fuisse; Si enim omnes & singuli Apostoli, ex vi Apostolatus ea præditi fuerint, nec est vllus Episcopus qui ea potiatur; Certè saltem hanc veræ authoritatis Apostolicæ partem Episcopi non habent, vt nec donum linguarum, ac virtutem patrandi miracula: Addo verò & eas veri Apostolatus conditiones facere Spalatensem, quæ Episcopos omnes ea dignitate spolient; *Ad Apostolatus officium*, inquiebat superiore libro, *ineptus erat, quisquis non fuerat familiariter cum Iesu conuersatus, à primis diebus suæ manifestationis, vsque ad mortem eius, & in cœlum Ascensionem. Prædicare enim & testificari debebat Christi Resurrectionem, tanquam testis oculatus. Apostolus igitur est is qui testis oculatus talis, ad prædicandum Christum assumitur, & mittitur ab ipso Christo, siue saltem ex eius ordinatione.* Præterea addit, *Poterant sanè Apostoli socios multos assumere & ordinare, & ad prædicandum mittere, vt factum est in Barnaba, Marco, Luca, Tito, Timotheo; sed Apostolum neminem potuerunt facere, vt esset Apostolus propriè, hoc est discipulus Christi familiaris, & testis oculatus vitæ & doctrinæ Christi; ab eodemque Christo missus seu destinatus ad prædicationem.* Hæcne igitur habent Episcopi? Hæcne in eorum inesse ordine rectè probabitur? Rectè proinde Bellarminus censuit, *Episcopos nullam partem habere veræ Apostolicæ authoritatis.* Non est verò hic diutius immorandum in refutatione eorum, quæ pro vniuersali potestate Episcoporum effutit; Nam de ea differendi erit alius locus, & sententia orthodoxa quæ illam eis negat, ac eorum iurisdictionem intra suos limites cogit, ex his quæ iam sunt à nobis in eam rem dicta satis colligitur ac firmatur; Qua ratione etiam Episcopi dicantur Apostolorum successores est à nobis explicatum.

Spal. l. 1. c. 2. nu. 4.

Ad cap. 7. huius libri.

Iam verò scriptores Catholicos fraudis postulat Spalatensis, ac eos quodam Leonis loco abusos clamat; Locus Leonis est ad Archiepiscopum Thessalonicensem legatum suum; *Vices*, inquit, *nostras ita tuæ concedimus charitati, vt in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis. Hoc*, inquit, *sibi accommodant Romani Pontifices; & hinc orta est illa immensa plenitudo potestatis, ac ferè omnipotentia; vt illi soli Ecclesiasticam habeant plenissimam iurisdictio-*

SPALAT. Num. 27. Leo ep. 28. habetur 3. q. 6. c. multum. Innoc. 3.

Digitized by Google

dictionem in tota Ecclesia vniuersali: Episcopi verò non nisi in partem sollicitudinis sint vocati; hoc est meri adiutores Papæ, & consequenter nonnisi eius Vicarij & administri. Sollicitudinem enim omnium Ecclesiarum ad se vult Papa noster totam pertinere. Huius verò sollicitudinis ipsius partem se ait Episcopis commendare; vt vbi ipse non potest, illi pro eo suppleant. Quod est profecto Episcopos facere solòs Papæ coadiutores, qui non proprium, sed Papæ officium & munus, ipsius Papæ nomine exerceant. Siquidem sollicitudinem Episcopalẽ faciunt partem sollicitudinis Papalis; quæ sit tota in Papa tanquam in proprio & adæquato subiecto; In hoc enim sensu Leonis dictum iam passim à Romanis assectis sumitur & detorquetur; ac proponitur sæpissimè & intimatur. Ita que paginas integras implet querelarum aduersum Bellarminum, Turrecrematam, Paludanum, & alios, quasi Episcopos tantummodo Papæ Vicarios, & ministros non Principes Ecclesiæ fecerint: Sed vanissima sunt ista commenta hominis irati. Et quod attinet primùm ad locum Leonis, verum plane est, quod inferius aduertit Spalatensis, scriptam esse hanc Epistolam ad Anastasium Thessalonicensem, Episcopum Pontificis in Macedonia, Epiro, Achaia, ac aliis Græciæ Prouinciis Constantinopoli conterminis legato, aduersum quem propterea non tanquam aduersus Episcopum egerit, sed tanquam aduersus legatum muneris sui oblitum, quem idcirco dixerit, non in *plenitudinem potestatis*, sed *in partem sollicitudinis* vocatum, ne scilicet tantùm sibi tribueret aduersum Episcopos, quorum vnum nempè Atticum Nicopolitanum immerentem acerbè vexasset, & *indignissima astrictione*, vt loquitur Leo, mulctasset. Sed quis non videat *plenitudinem illius ipsius potestatis*, quam sibi pro suæ sedis authoritate ac dignitate vendicat Leo ad hoc se fundere, vt possit ipse Episcopos plectere, quod non potuit, aut saltem non debuit Legatus? *Etiamsi*, inquit, *Leo quid graue intolerandumque gessisset, nostra erat expectanda censura, vt nihil prius ipse decerneres, quàm quid nobis placere agnosceres; Vices enim nostras ita tuæ credidimus charitati, vt in partem sis vocatus sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.* Sed quid aliud tota illa Epistola quàm iurisdictionis Episcoporum moderatorem, & sanctissimi & præstantissimi ordinis Principem ostendit? Attendat Spalatensis hanc Epistolæ coronidem; *Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra, non eundem actum habent; ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra. Connexio totius corporis vnam sanitatem, vnam pulchritudinem facit. Et hæc quidem connexio totius quidem corporis vnanimitatem requirit, sed præcipuè exigit concordiam Sacerdotum. Quibus etsi dignitas non sit communis, est tamen ordo generalis: Quoniam & inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discretio potestatis, & cùm omnium par esset electio, vni tamen datum est vt cæteris præemineret. De qua forma, Episcoporum quoque est orta distinctio, & magna dispositione prouisum est, ne omnes sibi omnia vendicarent: Sed essent in singulis prouinciis singuli, quorum inter fratres haberetur prima sententia: & rursus quidam, in maioribus vrbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad vnam Petri sedem vniuersalis Ecclesiæ cura confluaret, & nihil vsquam à suo capite dissideret. Cui ergo scit se quibusdam esse præpositum, non molestè ferat, aliquem sibi esse prælatum: sed obedientiam quam exigit, etiam ipse dependat. Et sicut non vult grauis oneris sarcinam ferre, ita non audeat alij importabile pondus imponere. Discipuli enim sumus humilis*

Ep. 84.

Ibid. Ad Rom. cap. 12.

1. quæst. 6. Qui scit se. Matth. 23.

Digitized by Google

Matth.11. *& mitis magiſtri, dicentis : Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde, & inuenietis requiem animabus veſtris. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Quod quomodo experiemur, niſi & illud in obſeruantiam veniat, quod idem Dominus ait, Qui maior eſt veſtrûm, erit miniſter veſter ; Qui autem ſe exaltat, humiliabitur : & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Cæterùm ſtrophæ quo-

Spalat. Num. 31. que & fuci ſunt, quæ ille dicit de Legatis Romani Pontificis in diuerſis terræ partibus; *Semper*, inquit, *Romanus Pontifex, vt oſtendam poſtea libro quarto, habuit protectionem quandam & ſuperintendentiam generalem, ſuper omnes Ec-*

Infrà lib. 4. cap. 9. *cleſias Romani imperij, cuius caput temporale ſicut erat Roma, ita decuit vt Epiſcopus Romanus, ex charitate tamen vt docebo, & aliis nominibus curam quandam generalem omnium ſuſciperet Eccleſiarum. Atque hæc cura faciebat, vt Papa teneret in omnibus penè Regnis Legatos ſuos; legatione, alicui ex præcipuis illorum Regnorum Epiſcopis, commiſſa.* Hactenus ille. Quantò melius Bellarminus;

Bellarm. de Rom. Pōt. cap. 20. *Quemadmodum*, inquit, *ex eo quod Rex mittit Proreges ad Prouincias, intelligimus Regi eas Prouincias ſubiectas, & ſimiliter ex eo quod Rex iniungit iudicia Præſidibus Prouinciarum, cum reſeruatione cauſarum, intelligimus Regem eſſe ſummum Iudicem: ita quoque ex eo quod Apoſtolica ſedes Vicarios habebat in omnibus ferè longinquis Regionibus, vel vices ſuas ad tempus alicui committebat, & tamen ad ſe grauiora negotia referri volebat, rectè colligimus ad Apoſtolicam Sedem ſummum iudicium totius Eccleſiæ pertinere.* Non ergo propter vrbis Romæ aliquam dignitatem temporalem, ſed propter demandatam ſibi omnium Eccleſiarum curam Pontifex Vicarios ſuos in variis regionibus aut ordin ariè aut ad tempus habebat. Sed hac de re viderimus alio loco. Quod attinet ad Bellarminum, Turrecrematam & Paludanum, dico veram ac conſtantem eorum eſſe ſententiam, adeoque omnium Catholicorum *Epiſcopos, Eccleſiæ Principes eſſe, non Papæ Vicarios aut miniſtros.* Neque enim Papa cùm eos Epiſcopos renunciat, ita in partem ſollicitudinis vocat, vt proprium gradum in Eccleſia non obtineant; ſed ita partem oneris in eorum humeros reiicit, vt Eccleſiarum ſuarum Dominos eos omninò conſtituat, quibus propterea ius ex authoritate dicant. Quod ergo dicit Bellarminus aſſumi eos à Pontifice ad ſuum ipſius onus ſuſtentandum, non debet in eum ſenſum trahi, vt Vicarij tantùm Pōtificis habeantur, ſed vt curarum ipſius partem ex officio ac munere ſibi demandato & à Chriſto inſtituto ſuſtineant. Hæc enim duo ſimul ſpectanda veniunt, & Chriſtum cùm vnum Eccleſiæ præpoſitum per ſe tot Eccleſiis regendis minimè parem eſſe videret, plures voluiſſe eſſe earum Rectores, & cùm aduerteret rectorum pluralitatem turbas in Eccleſia ſua inuecturam, niſi vnus præficeretur, qui reliquos in officio contineret, ac vnitatis veluti vinculum eſſet, Pontificem conſtituiſſe, à quo in Epiſcopos hæc poteſtas deriuaretur. Itaque & Epiſcoporum ordo diuina inſtitutione nititur, & Pontifex lege diuina in partem oneris Epiſcopos vocat, quorum propterea poteſtatem non poſſit euertere; Neque comparatio Pontificis cum Moyſe, quæ Bellarmini propria non eſt, ſed à ſanctis quoque Patribus, vt monuimus, vſurpata aliud probat. Certum eſt enim ex quo à Deo ad partem curarum Moſis ſuſtinendam vocati ſunt ſeptuaginta ſeniores, quanquam de Spiritu eius accepiſſent, non potuiſſe hanc eorum dignitatem tolli à Moyſe, ſed debuiſſe eum partem oneris in eos à Deo reiectam, illis ſartam tectámque relinquere. Vt habeant itaque à Pontifice tanquam à

Chriſti

Christi Vicario suam potestatem, tamen à Deo quoque, quanquam à primo & præcipuo ordinis sui authore eam nanciscuntur, ac proinde ad libitum de eis non statuit Pontifex, sed ex præscripto legis diuinæ eos renunciat, ac eis moderatur. Itaque nec in vniuersum eorum ordinem euertere, nec à singulis suam Iurisdictionem citra grauissimas causas auferre potest, atque si ex libidine facit, aut in eorum patrimonium inuolat, querendi eis iustam occasionem relinquit; Namque, vt superiore libro monuimus, Monarchia Ecclesiæ quadam veluti Aristocratia temperatur, & in ea locum suum habent illi optimates, quo citra iniuriam moueri non possunt. Si tamen faciat, Ecclesia Episcopum à Pontifice loco motum non habet pro Episcopo, cui propterea Deum appellandi sola spes relicta sit.

Benè est autem quod Spalatensis consequenter loquutum Paludanum censet, qui dixerit, *Papam posse etiam sine causa Episcopum magis bonum destituere, & loco eius ponere minus bonum; ita vt peccet quidem id faciendo, factum tamen teneat.* Namque cùm statum Ecclesiæ Monarchicum esse planè euicerimus, relinquitur eum potestatis Episcopalis authorem esse, non quidem præcipuum aut primarium, vt ille somniat, sed secundarium, ac à Christo pendentem; Neque propterea sequitur Episcopalem iurisdictionem ab ipsius libera voluntate omninò pendere (sic enim minimè peccaret, in hoc aut illo expungendo aut abdicando) verùm adhibita lege diuina, qua illa nititur de vno quoque statuere debet. Sed annon etiam potest Synodus immerentem Episcopum premere, ac eum potestate nudare? Et vt rem planiorem faciamus, Orthodoxorum omnium sententia est, Posse Synodos in quæstionibus facti à vero aberrare. Demus igitur aliquem planè innocentem à Concilio, verbi gratia Carthaginensi abdicatum, an iniuriæ acceptæ obtentu ei liberum erit in Africa Pontificis munia obire? Annon pro abdicato à collegis censebitur, cui fas non sit etiam propriam Ecclesiam regere? Et tamen non vult Spalatensis eius potestatem, aut à Synodo, aut ab Ecclesia pendere. Falsum est igitur quod assumit in eorum sententia, qui Ecclesiæ statum Monarchicum faciunt penes vnum Pontificem totam potestatem residere, nec nisi eius Vicarios esse reliquos Antistites Ecclesiarum.

SPALAT. Num. 30. Palud. tract. de Eccl. pot. art. 5. 6.

Comparatio verò Solis & Lunæ contrarium non probat. Primùm enim etsi Iurisdictio Ecclesiastica in Pontifice, *tanquam in fonte, radice & Sole* resideat, ac effulgeat, tamen alij sunt rerum diuinarum, alij humanarum limites rerum & lege diuina adigitur Pontifex, vt hoc lumen fundat. Addo verò etiam Solem quanquam libertate polleret, si tamen Dei legibus premeretur, Lunæ non negaturum suam lucem qua noctem collustraret, ac tenebras dispungeret; neque hic quid creatura suæ naturæ recta possit, sed quid ex præscripto legis diuinæ facere eam conueniat, spectandum est; Alias enim perire posset, ac de Ecclesia tolli quicunque ordo à Deo positus, cùm nonnisi hominum quorum libertatem nusquam infringit aut violat illa summa prouidentia, interuentu constituatur. Verbi gratia, vt tantisper à iurisdictione recedamus, Ordo ipse Episcopalis proximè à Deo est; certum est tamen eo pollere non posse, qui non sit ab aliis Episcopis renunciatus. Demus igitur Episcopos omnes eum velle negare postulantibus. Poterunt quidem si regu-

lam ſequamur Spalatenſis, quia libertate pollent, quid igitur tum fiet de ordine ſacro; An non de Eccleſia peribit, ac funditùs tolletur? Sed certè id non eſt paſſurus Deus, quapropter legi attendendum eſt, non verò curioſius ſunt veſtiganda, quæ vitio cauſarum ſecundarum contingere, aut euenire poſſunt.

Spalat cod. num. 30. Quod verò etiam vrget Spalatenſis futurum, *vt mortuo Papa in tota Eccleſia Iuriſdictio Eccleſiaſtica extinguatur, & ſola ordinis poteſtas in Epiſcopis maneat, poteſtas verò Iuriſdictionis tota pereat*; friuolum eſt, & obiectioni ſapienter occurrit Bellarminus docens, Poteſtatem hanc Epiſcoporum pendere à Papa tantùm, vt Scholæ loquuntur, *in fieri*, non autem *in conſeruari*. Re-

Bellarm. de Rom. Pōt. c. 25. l. 4. ctè quoque doctiſſimus Cardinalis, *docet magnum eſſe diſcrimen inter ſucceſſionem Petri & aliorum Apoſtolorum. Nam*, inquit, *Romanus Pontifex propriè ſuccedit Petro, non vt Apoſtolo, ſed vt Paſtori ordinario totius Eccleſiæ, & ideo ab illo habet Romanus Pontifex iuriſdictionem à quo habuit Petrus. At Epiſcopi non ſuccedunt propriè Apoſtolis, quoniam Apoſtoli non fuerunt ordinarij, ſed extraordinarij & quaſi delegati paſtores, quibus non ſucceditur. Dicuntur tamen Epiſcopi ſuccedere Apoſtolis non propriè, eo modo quo vnus Epiſcopus alteri, & vnus Rex alteri, ſed duplici alia ratione. Primò ratione ordinis ſacri Epiſcopalis. Secundò per quandam ſimilitudinem & proportionem, &c.* Omninò autem falſum eſt & calumnia plenum, Bellarminum & reliquos orthodoxos (quos homo vaniſſimus Monarchicos indigitat) Epiſcopos ſolùm *Coadiutores Papæ*, hoc eſt, vt ille interpretatur, meros Vicarios & miniſtros Pon-

Num. 35. tificiæ poteſtatis facere, cùm eos & Bellarminus & reliqui Orthodoxi veros ac legitimos Eccleſiæ principes agnoſcant: Nam etſi creentur à Pontifice, & in partem oneris aſſumantur, ſic tamen & creantur & aſſumuntur, vt ipſi quoque verum Imperium obtineant, ac Pontificis non miniſtri aut famuli, ſed fratres & collegæ cenſeantur, vt rectè monet idem eruditiſſimus

Bellarm. de Rom. Pōt. lib. 4. c. 24. Cardinalis; quod etiam illuſtrat optimo exemplo; *Ariſtocratia*, inquit, *Eccleſiæ* (qua ſcilicet Monarchia temperatur) *requirit quidem vt Epiſcopi ſint Principes, & non ſimplices Vicarij, ſed non requirit vt iſti Principes inſtituantur à Deo, & non à Pontifice, ſed ſolùm vt Pontifex cogatur diuina lege in variis Eccleſiæ partibus, diuerſos Principes Eccleſiaſticos conſtituere; quomodo ſi alicubi Rex teneretur in ſingulis Prouinciis non conſtituere Prætores aut Præſides, ſed veros duces ac principes, qui prouinciam vt ſuam regerent, cum dependentia tamen ad Regem.*

Spal. n. 18. lib. 2. c. 5. Non probatur tamen exemplum Spalatenſi, *Non valet*, inquit, *exemplum Regis & Principum, ac Ducum ab eo inſtitutorum. Quia Rex in creatione talis Ducis ſuam propriam Regiam minuit poteſtatem; hoc eſt minorem facit extenſiuè, quia ſeparat à ſe illos ſubditos, quoad primariam authoritatem, & vix vllam ſibi reſeruat. At noſtri Monarchici authoritatem Papæ nolunt, vel minimum quid decreſcere ex Epiſcoporum inſtitutione, ſed eam totam & integram manere apud Papā contendunt, etiam in primario, vt paulò antè monebam; ſicut à Moyſe dicebat Bellarminus, abſque ſuæ authoritatis diminutione, eam datam eſſe per deriuationē ipſius ſpiritus illis ſeptuaginta ſenioribus. Quod ſi nollet Papa vllum Epiſcopum facere? Eccleſia haberet Epiſcopos cum ſolo ordine ſine iuriſdictione, & ita in vnius hominis*

poteſtate

Digitized by Google

poteſtate ſitum eſt, vt Eccleſia tota careat Epiſcopis, qui iuriſdictionem habeant Epiſcopalem. Lege, inquit, diuina tenetur Papa eam dare iuriſdictionis poteſtatem. Habet ne libertatem? Habet profecto. Poteſt igitur ſi vult, nihil obſtante tali lege, negare iuriſdictionem; peccabit quidem, ſed tamen negabit. Et adhuc nullus erit Epiſcopus cum Iuriſdictione. Sed immaniter errat, non ſecus enim ac in Pontifice perſeuerat quoque in Rege poteſtas huiuſmodi Duci aut Principi attributa, cùm in eius arbitrio ſit eam denuò tollere, atque ad ſe tanquam ad fontem reuocare. *Eius enim credo eſt* iuxta regulam Iuriſperitorum *deſtituere, cuius eſt inſtituere.* Ac præterea etiamſi Pontifici nil plenitudinis poteſtatis decreſcat, cùm Epiſcopum creat, tamen feriatur ac abſtinet à procurandis rebus crediti illi gregis; abſtinet inquam non ex mera voluntate, ſed ex præſcripto legis diuinæ, quæ vnicuique Epiſcoporum portionem gregis ex officio adminiſtrandam aſſignat; Itaque etiam cogitur eius poteſtas, ac veluti in ſemetipſam contrahitur, licet non minuatur, quippe quæ in *atomo*, vt loquuntur in Scholis, poſita ſit, nec ſectionem recipiat, ſi modò in ſua ratione formali & intrinſeca ſpectetur.

Quod attinet verò ad cenſuram Almayni dictum Paludani exiſtimantis, *Papam poſſe etiam ſine cauſa Epiſcopum magis bonum deſtituere, & loco eius ponere minus bonum: ita vt peccet quidem id faciendo, factum tamen teneat*, igne dignum cenſet; Reſpondeo Iuriſdictionem Epiſcoporum à Pontifice pendere, problema eſſe Theologorum, cuius inficiantem partem amplexantur multi orthodoxi: In his ſunt Victoria, Alphonſus à Caſtro, & omnino inclinat eruditiſſimus Epiſcopus Abulenſis; Alij verò etiam doctiſſimi Theologi affirmantem probant, Caietanus, Sotus, Viegas, Heruæus, Gabriel, vt ferè veteres quique Scholaſtici: Almaynus igitur cùm in alteram partem propenderet vehementius Paludanum, qui in contraria eſſet ſententia eſt inſectatus, nixus potiſſimum magnæ parentis facultatis Pariſienſis authoritate, quæ pertæſa ſchiſmatum ab his qui magno orbis ſcandalo Pontificatum vſurpaſſent, ac in partes diſtraxiſſent inuectorum, quia nullum propius perfugium occurrebat, pro Epiſcoporum dignitate pugnandum ſibi iudicauit: atque eos à Chriſto ſuam poteſtatem proximè mutuari defendendum putauit: quanquam ſi Maior, ad quem prouocat Spalatenſis conſulatur, omninò conſtabit, celeberrimæ facultatis iudicium fuiſſe, *ordinem Epiſcoporum proximè & immediatè eſſe à Chriſto; non item iuriſdictionem*, ſic enim ille ad eam ipſam quæſtionem quam profert Spalatenſis, *Epiſcopi reliqui à maximo Pontifice, ſunt ex inſtitutione Chriſti, ſicut Maximus Pontifex; Intelligo*, inquit, *de Sacerdotio & Epiſcopatu, & non de iuriſdictione.* Itaque quod ad finem ſecundæ concluſionis addit, *tam Epiſcopos quàm Curatos eſſe de iure diuino æquè ac Pontificem, nec aliquem purum hominem poſſe illud ius & illas poteſtates tollere ab Eccleſia pluſquam ſummum Pontificatum, licet Petrus Paludanus & de Turrecremata tenerent oppoſitum, quorum ſententiam cenſuerit in fide hæreſim facultas Pariſienſis*, hoc ſenſu accipi debet, nempè ordinem Epiſcoporum iure diuino in Eccleſiam inuectum, ac eorum poteſtatem à Deo eſſe, itaut præſtantiſſimus ordo & ſumma poteſtas in vniuerſum per hominem tolli aut euerti non poſſit; quo ſenſu rectè omninò dixit Hie-

Palud. tract. de Ec. cl. pot. art. 5. 6.

Vict. rel. 2. de pot. Eccl. Alph. à Caſt. lib. 2. c. 24. de inſt. her. punct. Abulenſ. defenſ. p. 2. c. 6.

Ioannes Maior in 4. diſt. 24. quæſt. 3.

Hier. adu. Lucifer. n. 19. ronymus; *Eccleſiæ ſalus*, inquit, *in ſummi Sacerdotis dignitate pendet, cui ſi non exors quædam & ab hominibus eminens detur poteſtas; tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes. Inde venit vt ſine chriſmate & Epiſcopi iuſſione neque Presbyter, neque Diaconus ius habeant baptizandi.* Quo loco Epiſcopum ſummum facit Sacerdotem, quod Epiſcoporum ordine in Eccleſia nihil ſit maius, in quo tamen *celſiore faſtigio* emineat Pontifex Epiſcoporum Princeps. Quod autem Maiorem de Iuriſdictione quoque loquutum clamat Spalatenſis, falſum omnino eſſe ex eius verbis oſtendimus; Nec eius argumenta aduerſus Paludanum & Turrecrematam id neceſſariò poſtulant, ſed ſolùm probant *ratione primæ ſuæ originis eſſe à Chriſto, tum Epiſcoporum tum Parochorum poteſtatem*, quod certè nec Turrecremata, nec Paludanus negant, cùm *non ſit poteſtas niſi à Deo*, aut ſi quid aliud probant, dumtaxat probant Iuriſdictionem Epiſcoporum & Parochorum in genere eſſe immediatè à Chriſto, ſed non probant *applicationem*, vt vocant, *Iuriſdictionis* citra operam & interuentum Pontificis fieri; imò contrarium ſuadere videtur eximiæ facultatis cenſura, quam his verbis

Spalat. Num. 30. in fin. ille refert, *Ecce*, inquit Maior, *examinationem Facultatis noſtræ à 34. annis præteritis. Quicquid ſit de prima parte propter æquiuocationem iſtius termini, (proprij) dicit tamen facultas, quod propoſitio in ſe, & quoad omnes reliquas partes, & probationem partis vltimæ qua dicitur (ab Epiſcopo dumtaxat) eſt ſcandaloſa, in fide erronea, Hierarchici ordinis deſtructiua, & pro conſeruatione eiuſdem ordinis publicè reuocanda & abiuranda.*

Propterea enim Ioannis illius Angeli pronunciatum damnat Facultas, quod *ab ipſo Epiſcopo dumtaxat, Parochos habere poteſtatem, vt Epiſcopos à Pontifice dumtaxat*; Tornaci pro concione dixiſſet. Dolebat igitur viris doctiſſimis & piiſſimis Eccleſiæ luminibus, depreſſam & deiectam authoritatem, & poteſtatem Epiſcoporum & Parochorum, quaſi nullaEpheſ. 4. tenus à Deo eſſet, ſed hæc quidem à ſolo Epiſcopo, illa verò à Pontifice nulla mentione facta legis aut inſtitutionis diuinæ, quanquam aſſerat ſcriptura *poſuiſſe Spiritum ſanctum in Eccleſia Epiſcopos & Paſtores.* Sed de his plus ſatis.

Iam ad Leonem reuertamur, diximus ſuprà quidem in Epiſtola ad Anaſtaſium, cum Legato ſuo egiſſe, atque certè alio iure quàm cum quouis alio Epiſcopo egiſſet, ſed oſtendimus eſſe quoque plura in ea Epiſtola quæ pro plenitudine poteſtatis Pontificiæ, quo ſenſu eam vſurpamus

Leo ep. 93. faciant. Sed nos alio teſtimonio Leonis premit Spalatenſis, atque hoc ex Epiſtola ad Viennenſis Prouinciæ Epiſcopos mutuatur; *Solicitudo, inquit, noſtra non ſua quærens, ſed quæ ſunt Chriſti, dignitatem diuinitus datam, nec Eccleſiis, nec Eccleſiarum Sacerdotibus abrogabat. Fatetur, vt vides*, inquit Spalatenſis, *Leo, dignitatem Epiſcopalem eſſe diuinitus datam, nec ſe vnquam voluiſſe, aut prætendiſſe eam abrogare; proculdubio in iuriſdictione non in ſolo ordine. Quis enim Papa etiam ex ligneis, prætendat vnquam poteſtatem ordinis cuiquam abrogare?* Et *poſt nonnulla, rurſum excuſans ſe cum Epiſcopis Viennenſis Prouinciæ, ait; Non enim nobis ordinationes veſtrarum Prouinciarum defendimus, in quo fuerant ſcandalizati;*

ſed

Sed explicat quid ipſe Iuriſdictionis prætendat in Galliis, nimirum ſolam illam generalem ſuperintendentiam, qua inuigilabat, vt omnes Epiſcopi ſuo muneri dignè ſatisfacerent. Sed valdè ligneus eſt Spalatenſis, qui hac epiſtola ad ſuum dogma fulciendum vtatur; Leo quidem vt ab omni ambitu ſe purgaret, oſtendit ſe nunquam in Gallorum Epiſcoporum patrimonium inuolaſſe, ſed iura eorum illibata omnino ſeruaſſe, nihil tamen de ſuo iure remittit, ſed primùm Hilarium Arelatenſem Epiſcopum inſolentiſſimæ præſumptionis poſtulat, quod ius ordinationis ſibi per Gallias vindicans, nedum metropolitarum iura violaret ac labefactaret, ſed etiam, vt loquitur, *beatiſſimi Petri reuerentiam verbis arrogantioribus minueret.* Demum poſt contuſam eius ſuperbiam, de Epiſcoporum ordinationibus pro iure ſuo ſtatuit; *Ordinationem*, inquit, *ſibi ſinguli Metropolitani, cum his qui cæteros Sacerdotij antiquitate præueniunt, reſtituto ſibi per nos iure* (audiſne?) *defendant.* Vno verbo tota hæc Epiſtola Pontificia eſt, ac poſtremò meram charitatem ſpirat, neque enim in Epiſcoporum iura inuadere ſe velle pronunciat magnus Pontifex, etſi ſuam authoritatem ſartam tectamque cupiat, de qua etiam prodiit ſanctiſſimorum Imperatorum aduerſus Hilarium decretum. Verba illius ſunt, quæ à quouis Pontifice non ægrè vſurpabuntur; *Non enim nobis ordinationem veſtrarum Prouinciarum defendimus, &c.* An enim fortè ordinationes Epiſcoporum in Prouinciis aliquando turbat, an non earum arbitrium Epiſcopis permittit? Imò plurimum ſemper tribuiſſe Pontifices omnes Epiſcopis, quos pro fratribus habuerint, non ſolùm ex Leonis, ſed ex ſanctiſſimorum quorumcunque Pontificum ſcriptis colligimus. Et primò quidem quando ita placet Spalatenſi, hæc habet Sixtus I. *Ab hac ſancta Sede*, inquit, *à ſanctis Apoſtolis tueri, defendi & liberari Epiſcopi iußi ſunt, vt ſicut eorum diſpoſitione, ordinante Domino, primitus ſunt conſtituti: Sic huius ſanctæ Sedis protectione futuris temporibus ſint ab omnibus aduerſitatibus ſemper liberi.* Innocentius quoque primus non arguitur à nobis imminuti Magiſtratus, etſi *dum optimè cognoſcit veros ipſius fratres, & in opere Domini Collegas Epiſcopos, eis paratam opem ſuæ protectionis exhibet, & vice verſa ab eis opem poſtulat æqualem; Cui manum, inquit, porrigitis vobiſcum porrigo, cui porrigo mecum porrigite.* Hæc enim ſummam eius charitatem ſpirant. Ac planè verùm eſt quod magnus Gregorius ſcripſit; *Si ſua*, inquit, *vnicuique Epiſcopo iuriſdictio non ſeruatur, quid aliud agitur, niſi vt per nos per quos Eccleſiaſticus cuſtodiri debuit ordo confundatur?* Quare Pelagij II. Epiſtolam, qua Epiſcopos Vicarios ſuos dicit, libenter exigimus ad amuſſim doctrinæ ſuperius traditæ vt Vicarios vocet, qui ſe caput agnoſcerent, & ſuæ iuriſdictionis fontem, ſed qui tamen ex præſcripto legis diuinæ eſſent Eccleſiis impoſiti Principes & Rectores. Et fateor melius & aliquanto honeſtius tribuitur nomen Vicarij Legato Pontificis quàm Epiſcopo, qui qua Epiſcopus eius frater & Collega audit, non quod ei authoritate par ſit, ſed *quod vnus ſit Epiſcopatus cuius à ſingulis pars in ſolidum teneatur*, quanquam primogenitus potiori iure potiatur, adeoque reliquorum caput ſit. Itaque non repugno Iuoni, aut Legatis Gregorij ſeptimi dictum Gregorij primi, aut etiam Leonis in Epiſtola ad Anaſtaſium *de plenitudine poteſtatis, & parte ſollicitudinis* ad Legatos à Pontifice in partem duntaxat curarum, non in plenitudinè poteſtatis vocatos trahentibus, ſed proculdubio verba Leonis à nobis ſuperiùs ponderata, & iſta Gregorij de ſede Apoſtolica, *quæ vices ſuas ita aliis*

Spalat. Num. 33.

8. q. 5. c. 1.

35. q. 9. cap. veniam.

Greg. epiſt.

impertiuit Eccleſiis, (legatione nimirum illarum Epiſcopis aliquibus commiſſa) *vt in partẽ ſint vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*, ab iis (meo quidem iudicio) proferri non poſſunt, qui plenitudine poteſtatis non effulgeant, & ea ſe donatos non agnoſcant. Sed mirus eſt hic fallaciarum artifex; Totis iſtis ſuis libris perpetuò pſeudo-Clementem ſuum venditat, eius teſtimonio vtitur, laudat, ſectatur, quia aliquid præſidij ab eo ſe ducere exiſtimat; Nunc verò quia occurrit locus in quo Clemens ille *Epiſcopos, ſuos conſeruos & coadiutores* vocat, inter adulatores eum & impoſtores reponit. Acerbius etiam Gratianum inſectatur, virum in ſui ſæculi barbarie ſatis eruditum, nec indiligentem, quique bona quod aiunt fide, ab aliis ſcripta excerpſit, & tradita collegit, quare venia dignus erat, & beneuola ſupportatione, niſi contumeliis potius onerandum duxiſſet Spalatenſis. At inquit Spalatenſis, *Iulij Decretum illud eſſe dicit, quod ſic habet: Qui ſe ſcit aliis eſſe præpoſitum, non moleſtè ferat aliquem ſibi eſſe Prælatum. Ipſa namque Eccleſia quæ prima eſt, ita reliquis Eccleſiis vices ſuas credidit eſſe largiendas, vt in partem ſint vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis.* At Gratianus primus in lucem non dedit veterum Pontificum illas epiſtolas, quas doctiores quique pro ſpuriis habent, ac ſupoſititias credunt; ſed vt dicebam quod ab aliis accepit, hoc & tradidit, quo ſenſu verò etiam Epiſtola ad Anaſtaſium, ad reliquos Epiſcopos flecti poſſit, ſuprà oſtendimus: At inquit extra noxam non ſunt Decreti Correctores, qui *Vigilij* pro *Iulij*, ſubſtituerunt, cùm tamen veri Vigilij etiam non ſit Epiſtola. Extra noxam ſunt Correctores Decreti bone vir, quippe qui hanc ſui facti rationem reddant. *Reſtitutum eſt Caput hoc Vigilio antiquiorum exemplarium auctoritate. Anteà verò tribuebatur Iulio, in cuius etiam epiſtola prima habetur prior pars huius capitis vſque ad ver. ipſa namque (quemadmodum & apud Leonem ep. 84. quod refertur ſuprà diſt. 23. c. quanquam. & c. ſequenti, qui ſunt,) & etiam ſententia cæterarum partium.*

Spalat. Num. 35.

1. Part. c. 1. q. 6. c. 12.

Obiicit ſibi Bernardum Spalatenſis, ſed tanquam hiſtrionem in ſcenam producit; *Dices*, inquit, *Bernardum etiam ponere in Papa plenitudinem poteſtatis abſolutè, & reſpectu quorumcunque Epiſcoporum, non Legatorum tantùm, dum ait ad Eugenium; Sic facilitando probatis nos habere plenitudinem poteſtatis; ſed iuſtitiæ fortè non ita; facitis hoc quia poteſtis; ſed vtrum & debeatis quæſtio eſt. Mihi tamen his verbis Bernardus videtur potius irridere plenitudinem illam poteſtatis, quàm approbare. Neſcio enim an poſſe malum agere, ſit poteſtas legitima; an potius defectus; ita poſſe peccare & poſſe facere, quod fieri non debet, neſcio an Bernardus ſit conceſſurus, id ad plenitudinem pertinere poteſtatis.* Sed dignus eſſet Spalatenſis, qui vel hoc nomine cum Mimis amandaretur. At inquit: *Certè ſi Bernardus ponit in Papa plenitudinem aliquam poteſtatis, eam profectò non ponit niſi legitimam, legitimæ autem poteſtatis vſus non eſt malus, neque contra iuſtitiam. Quod ſi malus eſt & contra Iuſtitiam, & talis qui adhiberi non debeat, poteſtas in tali caſu erit de facto tantùm, & non de iure; erit tyrannica, non legitima; erit violenta, non rationalis. Igitur Bernardus in Papa, Monachos à Iuriſdictione Epiſcoporum ordinaria eximente, agnoſcit plenitudinem poteſtatis de facto & tyrannicam, non legitimam, neque iuſtam. Dixerat enim ibidem non eſſe ſolam Papalem poteſtatem in Eccleſia à Domino, ſed etiam eſſe alias minores, puta Epicopales, de quo ſuprà.* Quaſi verò non poſſint quique legitimi Magiſtratus po-

Spalat. Num. 36. Bern. de conſ. lib. 3. cap. 4.

teſtate

teſtate ſua abuti? Legitimæ certæ poteſtatis vſus, quandiu intra æquitatis & iuſtitiæ terminos ſe continet, malus eſſe non poteſt: ſed quis neſciat exorbitare poſſe? Et certè exiſtimauit Bernardus Pontifices qui ſubtraherent Abbates Epiſcopis, Epiſcopos Archiepiſcopis, Archiepiſcopos Patriarchis ſiue Primatibus; de his enim omnibus loquitur, quaſi ex orbita recedere, ac illicita agere. *Bonáne,* inquit ad Eugenium, *ſpecies hæc? Mirum ſi excuſari queat, vel opus ſic factitando probatis vos habere plenitudinem poteſtatis, ſed iuſtitiæ fortè non ita, facitis hoc, quia poteſtis,* (audi mi homo) *ſed vtrum & debeatis quæſtio eſt, honorum ac dignitatis gradus, & ordines quibuſque ius ſeruare poſiti eſtis non inuidere, vt quidam noſtrorum ait, cui honorem honorem. Spiritualis homo ille qui omnia diiudicat, vt ipſe à nemine diiudicetur; omne opus ſuum trina quadam conſideratione præueniet. Primùm quidem an liceat, deinde an deceat, poſtremò an expediat. Nam etſi conſtet in Chriſtiana vtique Philoſophia non decere, niſi quod licet, non expedire, niſi quod decet & licet; non continuò tamen omne quod licet, decere aut expedire conſequens erit.* Bern. de conſid. l. 3. cap. 4.

Hoc ne igitur eſt irridere Pontificem, an eum ſeriò & grauiter monere? Sed num quoque iſta irriſionis plena videntur, quæ ſuperiore libro homo Spiritu Dei plenus effundit, ac ſuo Eugenio inculcat? *Iuxta Canones tuos alij in partem ſollicitudinis, tu in plenitudinem poteſtatis vocatus es. Aliorum poteſtas certis arctatur limitibus, tua extenditur, & in ipſos qui poteſtatem ſuper alios acceperunt. Nonne ſi cauſa exiterit, tu Epiſcopo cœlum claudere, tu ipſum ab Epiſcopatu deponere, etiam & tradere Satanæ potes? Stat ergo inconcuſſum priuilegium tuum, tibi tam in datis clauibus quàm in ouibus commendatis.* Idem lib. 2. cap. 8.

Obiicit demum ſibi Gregorium Spalatenſis, *Dices præterea, Gregorium magnum videri, Epiſcopis dare Epiſcopalem Iuriſdictionem, quæ ab ipſius immediatè pendeat conceſſione; Ait enim Benenato Epiſcopo: Et ideo te quæcunque tibi de (duarum Eccleſiarum vnitarum) patrimonio vel cleri ordinatione ſiue promotione, iuxta Canonum ſtatuta, viſa fuerint ordinare atque diſponere, habebis, vt proprius reuera Sacerdos, liberam ex noſtræ authoritatis conſenſu, atque permiſſione licentiam. Reſpondeo Iuris Eccleſiaſtici poſitiui eſſe, vt vnus vni præficiatur Eccleſiæ. Hic verò cum duabus præficeretur licentia & diſpenſatione indigebat; & licentia Gregorij eſt, non vt Pontificalia exerceat (ea enim ordinaria poteſtate, vt Epiſcopus poterat exercere) ſed vt in duabus illa exerceat: & vt ſit etiam alterius ſibi additæ Eccleſiæ Epiſcopus proprius: quod Eccleſiaſtica lege non licebat. Idem fecit etiam cum Agnello Fundenſi, quando ei vniuit curam Epiſcopatus Terracin, & cum Ioanne Liſitano, cui Scyllatinam commendauit Eccleſiam.* At dicat nobis Spalatenſis, an iſta concedere non ſit eius qui Princeps ſit Eccleſiaſtici ordinis? Poſtremò hoc aduerſus ſemetipſum contexit argumentum. Spalat. Num. 37. Greg. l. 2. ind. 10. ep. 31. 7. qu. 1. c. placuit. c. ſicut. Greg. l. 2. ind. 11. ep. 13. 7. q. 1. c. paſtoralis.

Dices demum, inquit Spalatenſis, *ſi in Papa non eſt plenitudo poteſtatis quoad externam Iuriſdictionem; ſed Epiſcopi eam æquè plenam habent atque Papa: Nullam ergo prælationem ſuper Epiſcopos Papa habebit: Quod tamen in tota Catholica Eccleſia reputatur abſurdiſſimum: imo etiam hæreticum, vt fatetur Gerſonius, qui ſic ait; Plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ, non poteſt eſſe de lege ordinaria, niſi in vnico ſummo Pontifice formaliter & ſubiectiuè. Alioquin Eccleſiaſticum regimen non eſſet Monarchicum, & habere poſſet multiplex caput ex æquo,* Spalat. Num. 38. Gerſon. de poteſt. Ecc. in Epil. Conc. 2.

quod apertè eſt hæreticum. Reſpondeo verißimum eſſe de Iure Diuino nullum eſſe Epiſcoporum Epiſcopum, vt ait Cyprianus, & ſuo loco probabo: Gerſonium verò & totam Scholam Pariſienſem Monarchiam in Eccleſia inter Epiſcopos ponere, quamuis non ſine Dimocratia; quia in Papa plenitudinem ponunt poteſtatis, non abſolutè tanquam in ſolo & abſoluto, ac independente in terris Domino: ſed tanquam in miniſtro Dei & Eccleſiæ, in ordine ad ſingula, inquit Almaynus, non conſequenter ad omnia; quia Concilium ponunt ſupra Papam. In ordine ergo ad ſingulos Epiſcopos Papam faciunt Monarcham, ab Eccleſia tamen dependentem: vbi verò diligenti adhibita conſideratione legerint, ea quæ nos contra hanc Monarchiam diſputauimus, & adhuc diſputabimus, ſententiam ſuam vt ſpero, mutabunt multi, & ex doctrina Euangelica, orthodoxorumque tot Patrum explicationibus, facilè diſcent inter Epiſcopos omnes ſummam debere eſſe, iure diuino paritatem; vt ſequenti etiam capite explicabo; & Monarchiam hanc repudiabunt. At vt ab hoc vltimo ordiar, Beatiſſimum te mi Antoni, qui quaſi ex oraculo pronuncies te lucem ingentem Eccleſiæ Antiſtitibus allaturum. Sed ne te extuleris hac famæ præſumptione ac anticipatione, Parœmiam habent Galli quæ dubiam tibi faciat hanc gloriam; Namque illis eſt decantatiſſimum *non ſemper euenire, quæ fatui & inſipientes aut præſagiant, aut animo præſumant*; Te verò ſubmoneo vt apud teſtatuas omnia tibi hac quidem in parte præter ſententiam euentura. Fateor in ſcriptis tuis eſt aliquid quo delectari poſſint imperiti, ſed cordati & prudentes non mouebuntur; Te verò ſummæ & imprudentiæ & dementiæ poſtulabunt ac damnabunt, qui ea fueris audacia & confidentia, vt te viris doctiſſimis magiſtrum præſtare volueris; Sus ſcilicet Mineruam. Sed mitto illas tuas vanitates ac leuitates, quæ neminem, ſi benè coniicio, ſint excitaturæ.

Cypr. in Conc. Carthag.

Almayn. de auth. Eccl. c. 8. ad 4.

Dicis te cum Cypriano ſentire *nullum eſſe Epiſcoporum Epiſcopum*, & quod ille de Afris dixit, tu ad orbem vniuerſum torques, ſceleratior ſcilicet ipſo Tertulliano, quanquam etiam tum Apoſtata & hæretico, qui Pontificem Romanum *Epiſcoporum Epiſcopum* volens nolens agnoſcit.

De Pudic.

Gerſonij & Scholæ Pariſienſis placita, mordes, laceras, ineptè interpretaris, & vt aliquid dixiſſe videaris, ſubmurmuras neſcio quid de Concilio, quod ſupra Papam eſſe Gerſonius, Almaynus, & Pariſienſes cenſent; de hac quæſtione videro alibi. Hoc loco tantùm monuerim Scholam Pariſienſem, qua doctiorem aut ſapientiorem Sol nullam vidit vnquam, ſuſcepiſſe ſibi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis Pontificis, ac ſemper ſuum aduerſus illum ſtudium & affectum declaraſſe, atque pro viribus elaboraſſe, vt omnes intelligerent quanti Vicarium Chriſti, Petri ſucceſſorem, Chriſtianæ plebis parentem, ac Eccleſiæ ſummum rectorem faceret; Itaque etiam nuperrimè ſceleratum Spalatenſis librum in perniciem ordinis Hierarchici ſcriptum, damnauit, authori anathema dixit, ac flammis dignum impium opus pronunciauit; Speciatim verò cenſuit hæreticum eſſe dogma, quo Epiſcopi Pontifici exæquantur, tantùm abeſt vt ſit *aut Euangelio, aut Patrum doctrinæ, aut etiam rectè rationi conſentaneum*, quod venditat Spalatenſis. Nec credo vllus ſapiens dubitauerit magis eſſe magnis Theologiæ luminibus, quàm vni tenebrioni credendum. Certè decantata illa æqualitas, ac ad nauſeam vſque inculcata à Cypriano potiſſimùm ac Optato, à quibus præſidium ducit, reiicitur, vt eſt à nobis in ſuperioribus demonſtratum. De cenſura verò Scholæ Pariſienſis,

Vid. epiſt. ad Liciniũ.

Cenſura Pariſien.

quam

quam hîc repetit diximus ſuprà. Reliquas quoque eius quiſquilias diſſipauimus, & piget bonas horas in adeo ingrato labore ponere. Non habet verò aliquid Gerſonius, quod plenitudini poteſtatis Pontificiæ aduerſetur, etiamſi ad amuſſim legis diuinæ eam exigendam, atque abipſo Pontifice dirigendam ſcribat; Dei enim miniſtrorum hæc vox eſt, *Poteſtas data eſt nobis ad ædificationem, non ad deſtructionem, &c.* Itaque obelo confodere verba à Spalatenſi adducta religio nobis eſſet. Illa ſic habent, *Plenitudo poteſtatis Eccleſiaſticæ hic propriè ſumpta, non poteſt eſſe de lege ordinaria, niſi in vnico ſummo Pontifice formaliter & ſubiectiuè: Alioquin Eccleſiaſticum regimen non eſſet Monarchicum, & habere poſſet multiplex caput ex æquo, quod eſt apertè hæreticum. Nec tamen plenitudo poteſtatis Papalis ſic intelligenda eſt immediatè ſuper omnes Chriſtianos, quod pro libito poſſit immediatè iuriſdictionem in omnes per ſe vel alios extraordinarios paſſim exercere; ſic enim præiudicaret ordinariis, qui ius habent immediatum, imo immediatiſſimum ſuper plebes eis commiſſas actus Hierarchicos exercendi. Extenditur igitur plenitudo poteſtatis Papæ ſuper omnes inferiores ſolùm, dum ſubeſt neceſſitas ex defectu ordinariorum inferiorum; vel dum apparet euidens vtilitas Eccleſiæ; quemadmodum dici poteſt de Epiſcopis reſpectu plebanorum, ſeu propriorum Sacerdotum, quorum poſſunt ſupplere defectus.* Hoc ſcilicet ſibi vult quod etiam ſupra Eugenio inſinuaſſe Bernardum oſtendimus, & inferiores poteſtates à Deo eſſe, & eis ſuas functiones, ac iura permittenda, nec in ea inuolandum, niſi aut id efflagitante inſigni vtilitate Eccleſiæ, vel his qui illis potiuntur officium ſuum deſerentibus, ac inertiæ ſe dedentibus: Neque verò citra calumniam affingere potuit Spalatenſis Gerſonio, quod tamen confidenter fecit, eum *ſolùm in caſu neceſſitatis Pontifici concedere, vt poſſit Epiſcoporum munia in eorum ſcilicet Diœceſibus obire*, præterea enim addit, etiam poſſe *dum*, vt ille loquitur, *apparet euidens vtilitas Eccleſiæ*, quod certè præſtari nequit ab eo qui plenitudine poteſtatis non ſit præditus. Itaque concidit tota illa moles ineptiarum, quas congeſſit Spalatenſis, vt Epiſcopos à Pontifice diſſociaret. Minatur ſe maioribus viribus prælium poſteà redintegraturum: vbi claſſicum cecinerit, aderimus, nec pugnam à nobis, ſub Dei Optimi Maximi Vicarij ſui propugnatoris auſpiciis, cœptam detrectabimus, aut refugiemus.

2. Cor. 13. SPALAT. Num. 40. Gerſon. de poteſt. Ecc. in epilog. Concl. 2. Num. 41.

De Victoria, Alphonſo à Caſtro, ac reliquis qui iuriſdictionem Epiſcoporum immediatè à Chriſto promanare velle omnino videntur, diximus ſuprà; nec vt aliquid addamus cogit ſententia Torrenſis, qui quanquam amplitudinem poteſtatis Pontificiæ arctare videtur, tamen omninò orthodoxè cenſet, *ſummum Pontificem tanquam caput accipere à Deo, ſecundum gratiam omne miniſterium, ac diſpenſationem omnem ſpiritualis poteſtatis, ita vt quicquid Dominus aliis tribuat, nonniſi per Pontificem tanquam per ſummum ſuum Miniſtrum tribuat, accipiantque cæteri de poteſtate eius partem, non quidem ab eo tanquam primo authore* (hoc etiam quiſnam alius è numero Orthodoxorum non dixit?) *& datore, ſed à Deo per eum.* Non ſunt iſta vllis peruerſis interpretationibus deformanda, in his acquieſcimus, nec praua monenti Parabatæ aures accommodamus.

Torrenſ. de reſid. Paſtor.

Putat inſanus ſe ſapientiſſimos Epiſcopos dementaturum, ac ſeditioſis ſuis vocibus eos ad turbas contra Pontificem ciendas concitaturum, Chriſtum

Digitized by Google

quem non nouit, Euangelium quod prodidit, Apoſtolos quos infamauit, Eccleſiam à qua defecit iactat, & furoris ſui ac impietatis vindices & patronos facit; O inſignem confidentiam, & audaciam; etiam aperuiſſe ſe nobis oculos homo planè cœcus gloriatur: Scilicet nos eum expectabamus à quo ad ea quæ eſſent muneris noſtri & dignitatis edoceremur. Miſeros nos qui nonniſi deſertore monente, viderimus quid à nobis officij noſtri ratio poſtularet. Cæterùm perniciei auertendæ, ſufficit non eſſe dubium huius adhortamenti, & ſuſurri authorem; Certè vt de Iouiniano ſcripſit Auguſtinus; Citò *iſta hæreſis*, inquit, *oppreſſa & extincta eſt, nec vſque ad deceptionem aliquorum Sacerdotum potuit peruenire*, Ita exiſtimo ex grauiſſimo Epiſcoporum ordine neminem fore, qui ei patientes aures accommodet; & doctiſſimos quoſque ſcripti, quod ille perperam edidit pudere, eſt mihi exploratiſſimum. Fruſtra igitur nititur, nec aliud ſe fatigando quàm bonorum omnium odium quærit, quod ſummæ eſſe dementiæ nullus non demens ignorat.

Auguſt. de hæreſ. ad Quodvult Deum num. 82.

Digitized by Google

DISCVSSIO
SEXTI CAPITIS
LIBRI SECVNDI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Spalatenſis errorē ex errore nectit: Fons omniū errorum æqualitas quā ponit tum inter Apoſtolos, tū inter Epiſcopos omnes: Locus ex Cōſtitutionibus Apoſtolicis explicatus: Iudiciū de authore harum Conſtitutionum: Obiter etiam de Ignatio & Eleuthero: Reliqui Patres melioris notæ declarati: Chryſoſtomus Orthodoxiꝰ vindicatus: Rectè omnino Epiſcopos ſe hæredes Apoſtolorum nuncupare: Sed citra æqualitatem: Etiam inferioris ordinis Sacerdotes Vicarios eſſe Chriſti: Quanquam non pari gradu cum Epiſcopis: Plures Patres declarati. Summus principatus Epiſcoporum in ſuas Eccleſias: Suppoſitus tamen Pontificiæ dignitati: Iulius primus explicatus: Euſebianorum fraudes à Iulio ſugillatæ: Hieronymus egregius Pontificiæ dignitatis aſſertor, & inæqualitatis inter Apoſtolos: Leo IX. & Ivo Carthaginenſis declarati: Ivonis in ſedem Apoſtolicam affectus & reuerentia: Authoritas Pontificis ſuprà Epiſcopos omnino iure diuino: Iudicio Auguſtini & Concilij Mileuitani: Cypriani locus: Immanis calumnia Spalatenſis: Auguſtinus nullo iudicio pro æqualitate adductus: Hormiſdas, Ioannes primus, Zacarias, declarati: Origenes, Gregorius Nazianzenus, Concilij Toletani Patres explicati: Egregius Auguſtini locus diſcuſſus, ex quo colligatur inæqualitas inter Epiſcopos, adeoque inter Apoſtolos: non poſſe quenquam poſt cenſuram Auguſtini iis quæ iratior in Stephanum dixit, abuti: Torrenſis adductus: Presbyterum ab Epiſcopo eſſentiali diſcrimine differre: Innocētius III. ab immani calumnia vindicatus: Bertrandi Cardinalis durius dictum, mollitum: Procacitas Spalatenſis in Pontificibus lacerandis notata.

INTER *Apoſtolos omnes, ſummam æqualitatem cumulatiſſimè probaui toto libro* I. *cuius hic ſcopus penè totus fuit: expreſsè tamen cap.* 3. *eiuſdem lib. æqualitatem hanc demonſtraui; atque Eccleſiam vniuerſam æquè omnibus Apoſtolis fuiſſe commiſſam, eoſque omnes à Chriſto æquè fuiſſe Vicarios ſuos inſtitutos oſtendi ibidem cap.* 4. *Cùm itaque Epiſcopi plene ſuccedant Apoſtolis, vt in huius ſecundi libri cap.* 1. *probaui, quis non videt ſummam inter Epiſcopos, iure diuino, ipſa Chriſti inſtitutione æqualitatem? cumque præcedenti capite oſtenderim, & conuincerim Epiſcopalem totam poteſtatem eſſe immediatè, & æquè à Deo, non à Romano Pontifice, eadem pariter apparet æqualitas. Eam tamen adhuc plenius hoc peculiari capite ſuſcepi explicandam, & communiſſimo totius antiquioris Eccleſiæ ſenſu & conſenſu confirmandam.* SPALAT. Num. 1.

QVI ſemel à recto veritatis tramite aberrarunt, quo magis progrediuntur, in maiores ac immaniores errores incurrere ſolent, quare mirum non eſt Spalatenſem, qui mendaciis initio huius operis ſe implicarit, ac vitioſa eius fundamenta iecerit, falſitates falſitatibus cumulaſſe: *Inter Apoſtolos ſummam æqualitatem contra Euangelij verba & Pa-* EOD. NU. 1.

Digitized by Google

trum doctrinam inuexit: Iisdem ex æquo cum Petro demandatam Ecclesiæ vniuersæ curam nulla capitis habita ratione perperam *scripsit: Episcopos item in amplitudine potestatis Apostolis succenturiari* cõtra propria placita imprudens docuit: *A Pontifice nihil potestatis accipere Episcopos pessundata vnitatis prærogatiua, qua in Ecclesia nihil sanctius esse possit*, magna animi contentione ostendere tentauit. Hinc illa errorũ lerna quæ reliquo toto opere exuberat, ac se profert. Sed vt errandi iustam causam sibi fuisse ostendat veteres Patres pro se loquentes iterum facit, *Apostolicæ*, inquit, *constitutiones Apostolos omnes ita scribentes ad omnes Episcopos inducunt; Scripsimus vobis vniuersalem hanc doctrinam, quorum fidei vniuersalis Episcopatus est commissus. Ignatius communis Ecclesiæ vocat Episcopum eum qui Philadelphensem regebat Ecclesiam; Ait enim ad Philadelphenses scribens: Conspecto vestro Episcopo, cognoui quod non à seipso, neque per homines ad dignitatem euectus est, vt susciperet ministerium hoc communis Ecclesiæ. Præterea Eleutheri Rom. Pont. antiquissimi Epistola, si quidem in nostra Romana Ecclesia non reprobatur ad confirmandam hanc æqualitatem apud nos Romanos plurimùm valet. In ea verò habentur hæc verba Eleutheri ad Episcopos Gallicanos: Huius rei gratia vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis. Quod dictum habes etiam in Ioanne 1. Epist. 1. vt infra in Concilio Carthaginensi, sub Cypriano; Venantius à Tinisa dixit; Christus Dominus, & Deus noster ad Patrem proficiscens, sponsam suam nobis commendauit: vtrumne eam incorruptam & inuiolatam custodimus, an integritatem eius, & castitatem eius mœchis, & corruptoribus prodemus? Quod dictum Augustinus admisit vt verum, neque id reprehendit vt arrogans. Quando igitur Dominus Apostolis omnibus æquè suam commisit Ecclesiam, tunc Episcopis etiam eorum successoribus eam, vt dicit Venantius, nihilo secius commendauit. Et quando ex hac Christi commendatione Apostoli æquè omnes cum Petro orbis curam susceperunt, vt loquitur Chrysostomus, tunc simul etiam, vt ait Venantius, Episcopi omnes eandem susceperunt. Et clarius loquitur ibidem, Clarus à Muscula. Manifesta, inquit, est sententia Domini nostri Iesu Christi; Apostolos mittentis, & ipsis solis potestatem à Patre sibi datam permittentis, quibus nos successimus, eadem potestate Ecclesiam Domini gubernantes, &c. Qua ergo potestate simul, & in solidum Apostoli, dum vixerunt, Ecclesiam Christi totam gubernarunt: eadem nunc Episcopi eandem gubernant: & sicut illi fuerunt in hoc æquales, ita & Episcopos æquales in hoc esse necesse est. Alexander Episcopus Alexandrinus, vbi de exorta in sua Ecclesia hæresi Arriana, per suas litteras, reliquos omnes Episcopos certiores reddit, ita exorditur. Cùm in sacris litteris sit vnum corpus Ecclesiæ Catholicæ, nobis traditum, & præceptum, vt concordiæ ac pacis vinculum firmum, teneamus, &c. Iustus Orgellitanus; Vineam traditam custodibus, dicit esse Ecclesiam quam Christus commisit regendam Apostolis, vel successoribus eorum Episcopis. Episcopi in quinta Synodo generali congregati, ita de se loquuntur. Et nos igitur, quibus regere Ecclesiam Domini creditum est, &c. Episcopi similiter Regni Francorum, qui erant sub Carolo, ad Ludouicum, dum monitorias scribunt, inter cætera hæc habent. Pro certo autem sciatis, quia cum nostris parentibus, id est cum Apostolis Christus, Rex Regum, Regnum suum, id est Ecclesiam, conquisiuit, ampliauit, & erexit; & per nos, & nobiscum (vtinam non ad iudicium vestrum dicamus) eandem Ecclesiam, id est Regnum suum quotidie acquirit, auget, & gubernat idem Dominus Iesus Christus, sicut dictum est à Domino Ecclesiæ per Prophetam; Pro patribus nati sunt tibi filij, id est pro Apostolis*

Spalat. Num 2.

Constitut. Apost. l. 6. cap. 14.

Ignat. ep. 6.

Apud Aug. l. 7. de Bapt. contra Donat. c. 13.

Chr. hom. 87. in Ioan.

Apud Aug. ibid. c. 43.

Apud Socr. lib. 1. c. 3.

Iust. Org. in Cant. v. 194.

Apud Bar. tom. 10. an. 858. n. 50.

Psal. 44.

creauit

creauit tibi Episcopos, qui te regant & doceant. Cum qua Ecclesia nobis à Deo commissa, pro vobis deprecari studebimus, &c. Atque hæc generalis commissio, totius Ecclesiæ omnibus Episcopis æquè, sed in solidum data explicabitur adhuc magis à nobis in sequentibus. Respondeo Episcopatum vniuersalem Episcopis commissum *collectiuè*, non *distributiuè*, hoc est singulis assignata est portio Episcopatus, quem propterea integrum vniuersi procurant, non singuli. Diximus verò suprà nullius ponderis aut roboris esse apud orthodoxos constitutiones illas, quæ vanissimo commento sint Apostolorum nomine in lucem à plano quopiam editæ; obseruauimusque ex Photij sententia etiam Arianismo scatere, vt propterea hoc nomine sint semper ab Ecclesia repudiatæ, ac inter supposititios commentarios reiectæ. Epiphanius suo tempore extitisse quemdam Constitutionum Apostolicarum librum, sincerum, vt aliis refragrantibus existimat, refert, quo tamen niterentur Audiani Hæretici, cuiusque authoritate celebrandi Paschatis consuetudinem in Ecclesia Catholica receptam, & sacris Synodi Nicenæ sanctionibus firmatam labefactarent ac conuellerent: sed neque is liber est qui iam hoc nomine circumfertur, ac nihilo secius illius quàm istius nutat fides; Fateor tamen ex his libris multa ad veterem Ecclesiasticam disciplinam & ad priscos ritus indagandos apprimè vtilia hauriri posse, sed vellem ab iis proferendis abstinerent controuersiarum tractatores, quando non pluris quàm folia farfari eos faciùt aduersarij, qui nostris de hoc præsidio deiectis causam Catholicá triumphasse inaniter gloriantur, ac si essent hæc eius solidiora firmamenta. Neque verò plus fidei inest in plerisque Ignatij epistolis, cuius sinceriora scripta excidisse nulli dubium esse potest, qui ea diligentissimè expenderit, quæ sunt à prioris æui Patribus ex eius Epistolis collecta, ac in suos commentarios relata: Nos tamen non lædunt, quæ hic ex eodem Ignatio tanquam nobis aduersantia proferuntur. *Communis Ecclesiæ Episcopum* vocat eum, qui Philadelphensem regebat Ecclesiam: nimirum *Ecclesia vna est, Episcopatus* quoque vnus, ratione communionis omnium omnino membrorum, sed sunt eius plures gradus, quorum in fastigio positum Pontificem tota cum Augustino agnoscit Ecclesia. Existimo verò quoque Ignatium Philadelphensem Antistitem *communis Ecclesiæ Episcopum* dixisse, quod illis omnibus quibus scriberet, præpositus esset: vt communem illis omnibus Ecclesiam significaret, nec de vniuersali eo quidem loci cogitarit, sed vt istud concedamus Ecclesiæ vniuersalis Episcopum dixit, *communicatione non authoritate.* Eleutheri verò eiusdem farinæ epistolis nos premit, aitque *ab Ecclesia Romana non improbari*, quanquam non sit nescius à plerisque viris doctis iisque orthodoxis de iis dubitari, imò pro spuriis illas haberi: Audiamus tamen Eleutherum ad Episcopos Gallicanos: *Huius rei gratia*, inquit, *vniuersalis vobis à Christo Iesu commissa est Ecclesia, vt pro omnibus laboretis, & cunctis opem ferre non negligatis.* Id verò eo sensu accipiendum est, quo accipienda esse pseudo-Clementis verba suprà docuimus. Neque aliud sibi voluerunt Carthaginensis spuriæ ac nothæ Synodi Patres Venantius à Tinisa, & Clarus à Muscula; Prioris verba sunt; *Christus Dominus & Deus noster ad Patrem proficiscens, sponsam suam nobis commendauit, vtrumne eam incorruptam & inuiolatam custodimus: an integritatem eius, & castitatem eius mœchis & corruptoribus prodemus?* Probè & sapienter dicit Ecclesiam Christi sponsam

Epiph. hær. 70.

SPALAT. Num. 2.

Epiſcopis commiſſam; hoc igitur quî refellendum duxiſſet Auguſtinus, qui cum orthodoxis omnibus idem ſentiret? Putáſne igitur, Spalatenſis, nos cura illa, illo onere, illo honore Epiſcopos eximere & nudare velle? Falleris omninò, ſi hic tuus eſt ſenſus: Nos enim libenter eis concedimus, neque Pontifex cuius tamen authoritatem tanquã capitis ſui ac ſui ordinis Coryphæi ſuſpiciunt reluctatur. Poſterior ſic loquitur: *Manifeſta*, inquit, *eſt ſententia Domini noſtri Ieſu Chriſti: Apoſtolos mittentis, & ipſis ſolis poteſtatem à Patre ſibi datam permittentis, quibus nos ſucceſsimus, eadem poteſtate Eccleſiam Domini gubernantes, &c.* Epiſcoporum & Apoſtolorum eſſe eandem poteſtatem *proportione quadam* dicit, qua nimirum Epiſcopi Apoſtolis in Epiſcopali authoritate ſuccedant, minimè verò vult abſolutè in his etiam quæ ad Apoſtolatum pertinent, pares eſſe Apoſtolis Epiſcopos. Hoc enim & ipſe negat Spalatenſis, qui Apoſtolis *non quà Apoſtoli, ſed quà Epiſcopi eſſent*, ſuffectos eos agnoſcit, vt eſt ſuprà à nobis demonſtratum. CLARVS prætereà ille A MVSCVLA *Epiſcopos Apoſtolorum vice gubernare Eccleſiam aſſerit*, vt proinde quemadmodum Apoſtoli Optato teſte plures ſibi Cathedras non conſtituerunt, ſed vnam Petri venerati ſunt vnitatis retinendæ cauſa, ita Epiſcopis omnibus ſucceſſoris Petri Cathedra ſit ſuſpicienda, ac pro capite habenda. Cæterùm Chryſoſtomum deprauat aduerſarius, Apoſtolos enim omnes curam ouium à Chriſto ſuſcepiſſe quidem docet; *ſed æquè cum Petro*, quem reliquorum caput & Coryphæum, ſexcentis locis facit non docet: Et hic eſt perpetuus deerrantis hominis paralogiſmus. Chriſtus Apoſtolis omnibus curam ac Eccleſiæ vniuerſæ procurationem commiſit, ergo ex æquo cum Petro. Quis ſanæ mentis non videat, malè & vitiosè concludi argumentum, cùm *in ſimilitudine honoris*, vt doctè aduertit Leo, *diſcretio fuerit poteſtatis*, ac tanquam Capiti Eccleſiam vniuerſam Petro commendarit Chriſtus, à qua dignitate abfuerint Apoſtoli, nec etiam de ea poſt Spiritus primitias acceptas contenderint? At inquit Spalatenſis, *Alexander Epiſcopus Alexandrinus, vbi de exorta in ſua Eccleſia hæreſi Arriana per ſuas literas reliquos omnes Epiſcopos certiores reddit, ita exorditur. Cùm in ſacris literis ſit vnum corpus Eccleſiæ Catholicæ nobis traditum & præceptum, vt concordiæ ac pacis vinculum firmum teneamus, &c.* Et hoc quoque verum eſt conſecutos cum Pontifice omnes Epiſcopos, vnum Eccleſiæ corpus, vt concordiæ ac vnitatis quæ ordine à Chriſto præſtituto nititur rationem haberent, ac conſpirantibus votis, (neque enim à capite ſuo diſſidere citra infamiam membra poſſunt) hæreſes cuiuſmodi erat Arriana damnarent, extirparent, profligarent. *Iuſtus* Orgellitanus, inquit, *vineam traditam cuſtodibus dicit eſſe Eccleſiam, quam Chriſtus commiſit regendam Apoſtolis, vel ſucceſſoribus eorum Epiſcopis.* Atqui *huius vineæ cuſtodem Epiſcoporumque Caput* agnoſcunt Synodi Calchedonenſis Patres, vt dignitate & numero nulli Orthodoxorum Concilio ſecundi. Pergit Spalatenſis, *Epiſcopi in quinta generali Synodo congregati, ita de ſe loquuntur. Et nos igitur quibus regere Eccleſiam Domini creditum eſt, &c.* Sed & Concilium Calchedonenſe habet, *Quibus tu quidem ſicut membris Caput præeras, in his qui tuum tenebant ordinem beneuolentiam præferens.* Item: *Et poſt hæc omnia inſuper, & contra ipſum cui vineæ cuſtodia à Saluatore commiſſa eſt extendit inſaniam,* (Dioſcorum pungunt) *id eſt contrà tuam quoque Apoſtolicam ſanctitatem.* Addit Spalat. *Epiſcopi ſimiliter Regni Francorũ qui erant ſub Carolo ad Ludouicũ, dum monitorias ſcribũt inter cætera hæc habent. Pro certo autem ſciatis quia cũ noſtris parentibus, id eſt cum Apoſtolis*

Apud Aug. l. 7. de Bapt. contra Donat. c. 43

SPALAT. Num. 2.

Apud Socr. lib. 1. c. 3.

Iuſt. Org. in Cant. v. 194.

Apud Bar. tom. 10. an. 858. n. 50.

Conc. Calched. act. 16. Relat. ad Leonem.

Ibid.

Apoſtolis Chriſtus Rex Regum, Regnum ſuum, id eſt Eccleſiam, conquiſiuit, amplia-
uit, & erexit, & per nos & nobiſcum (vtinam non ad iudicium veſtrum dicamus)
eandem Eccleſiam, id eſt Regnum ſuum quotidie acquirit, auget & gubernat idem
Dominus Ieſus Chriſtus, ſicut dictum eſt à Domino Eccleſiæ per Prophetam. Pro Pſal. 44.
patribus nati ſunt tibi filij, id eſt, pro Apoſtolis creauit tibi Epiſcopos, qui te regant
& doceant. Cum qua Eccleſia nobis à Deo commiſſa pro vobis deprecari ſtude-
bimus, &c. Scilicet non eſt Gallorum Epiſcoporum deterior conditio quàm reliquorum, qui parentes ſuos agnoſcunt Apoſtolos freti loco Dauidis, *Pro patribus*, ad quem ita Auguſtinus, *Pro patribus tuis nati ſunt tibi filij. Quid eſt* Auguſt. in
pro patribus tuis nati ſunt tibi filij? Patres miſsi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij Pſal. 44.
nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi. Hodie enim Epiſcopi qui ſunt per totum mun-
dum vnde nati ſunt. Ipſa Eccleſia Patres eos appellat, ipſa illos genuit, & ipſa illos
conſtituit in ſedibus patrum. Ita illi in eandem ſortem vocati filios ſe Apoſtolorum, ac poteſtatis eorum hæredes ſenſu à nobis explicato, meritò indigitant.

Fruſtra verò ſe torquet in explicandis Patrum teſtimoniis, qui Epiſcopos Dei Vicarios prædicant, ac præterea mala omnino fide illud ſuum *æquè* inculcat, vt pares omnes inter ſe, ac cum Pontifice faciat: Nec enim vel vnum Spalat.
profert, qui iſtud aſſerat. Alexandrum inducit ſic ad Epiſcopos ſcribentem; *Si-* Num. 3.
cut filius Dei mediator fuit Dei & hominum, ita & vos eius vice in Eccleſia eſtis Alexand. 1.
conſtituti, vt inter Deum & homines legatione fungamini. Sed ille ſuus Alexander (neque enim de ſinceritate illarum Epiſtolarum iam diſputo) Epiſcopos neutiquam cum Pontifice ex æquo facit Vicarios. Contra verò; *Relatum inſu-* Alex. 1. ep. 1.
per eſt, inquit, *ad huius ſanctæ & Apoſtolicæ Sedis apicem, cui ſummarum diſpoſi-*
tiones cauſarum, & omnium negotia Eccleſiarum ab ipſo Domino tradita ſunt,
quaſi ad caput, ipſo dicente principi Apoſtolorum Petro (Tu es Petrus, & ſuper
hanc Petram Eccleſiam meam ædificabo) quod quia æmuli Chriſti, eiuſque ſanctæ
Eccleſiæ inſidiatores, Sacerdotes Dei ad Iudices publicos accuſare præſumant, cùm
magis Apoſtolus Chriſti anorum cauſas ad Eccleſias deferri, & ibidem terminari
præcipiat. Et infrà: *His & aliis fulti quamplurimis Dominicis præceptis, vitantes* Ibid.
hominum perditiones, cum omnibus huius ſanctæ ſedis quam Dominus caput to-
tius Eccleſiæ conſtituit, membris, &c. Sequitur apud Spalatenſem Euſebius, *Caput enim*, inquit, *Eccleſiæ Chriſtus eſt, Chriſti autem Vicarij Sacerdotes ſunt,*
qui vice Chriſti legatione funguntur in Eccleſia. Nec malè cenſet id ab Hormiſda etiam verè vſurpatum, ſed neque Hormiſdas neque putatitius Euſebius dicit Sacerdotes *pari gradu* cum Pontifice eſſe Chriſti Vicarios. Et conſtat etiam imorum ſubſelliorum preſbyteros, Chriſti eſſe Vicarios, quamquam haud eo Num. 1.
gradu quo ſunt Epiſcopi. Cyprianus additur, & hæc eius proferuntur teſtimo- Cypr. l. 1.
nia. *Nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti* ep. 3. ibid.
cogitatur. Item: *Et quoniam nobis, inquit, diuina & paterna pietas Apoſtolatus du-*
catum contulit, & vicariam Domini ſedem cæleſti dignatione ornauit, & origi- Cypr. de
nem Authentici Apoſtolatus ſuper quem Chriſtus fundauit Eccleſiam, in ſuperio- Aleat.
re veſte portamus, accepta ſimul poteſtate ſoluendi; ſalutari doctrina admonemur,
ne cum delinquentibus aſsiduè ignoſcimus, ipſi cum eis pariter torqueamur. Hoc
loco ſanè, inquit Spalatenſis, *Cyprianus, ſeu quis alius Epiſcopus non Romanus,*
planè ſe Petro ipſi ac reliquis Apoſtolis exæquat, & vicariam Chriſti ſedem, ſuam
ſedem agnoſcit, & ſe portare fatetur ipſam originē authentici Apoſtolatus: ac ſupra
ſe à Chriſto fundari Eccleſiam perhibet, ſibique dictum accipit, Quodcunque liga-

ueris, &c. At mi homo, vbi eſt illud tuum *æquè* aut *ex æquo* cum Pontifice? Sanè nec ipſum habent aut Concilium Romanum ſub Silueſtro, aut Ambroſio aſcriptus commentarius in Paulum, aut author quæſtionum veteris & noui teſtamenti inter opera Auguſtini, aut author ſermonum ad fratres in Eremo, nec Chryſoſtomus, nec Rabanus, nec Patres Concilij Meldenſis, nec Epiſcopi Gallicani, nec Alcuinus, nec Henricus ſecundus, nec Gregorius VII. nec Bernardus, nec Petrus Bleſenſis, nec Nicolaus de Lira, nec Stephanus Tornacenſis, nec vlli alij orthodoxi, qui tamen magna pompa in hanc ſcenam à Spalatenſi inducuntur, vel per ſomnium cogitarunt de æquandis Pontifici aliis Epiſcopis; Aiunt, ſcribunt, docent ac contendunt *omnes Epiſcopos eſſe Chriſti Vicarios*; ſed eadem dignitatis amplitudine qua Pontifex eſt eum titulum conſequutus, nec quidem ſomniant: Imò ſi eorum ſtandum ſit iudicio, prorſus cauſa cadit Spalatenſis, cum conſpirantibus ſuffragiis decernant, ſtatuant ac prædicent vnum Pontificem ſummum eſſe Chriſti Vicarium. Equidem eorum voces agnoſco etiam in hæretico ſcripto; *Legimus, inquiunt illi Patres*, ait Spalatenſis, *non debere quenquam Domini diſcipulis, id eſt Apoſtolorum ſucceſſoribus detrahere, aut eos infamare, quia iniuria doctorum ad Chriſtum pertinet, cuius vice, legatione funguntur. Ambroſius: Mulier, inquit, idcircò debet velare caput, quia non eſt imago Dei; ſed vt oſtendatur ſubiecta; & quia præuaricatio per illam inchoata eſt, hoc ſigni debet habere, vt in Eccleſia propter reuerentiam Epiſcopalem non habeat caput liberum, ſed velamine tectum; nec habeat poteſtatem loquendi; quia Epiſcopus perſonam habet Chriſti; quaſi ergo ante Iudicem, ſic ante Epiſcopum, quia Vicarius Domini eſt propter reatus originem, ſubiecta debet videri. Auguſtinus: Antiſtitem, inquit, puriorem cæteris eſſe oportet; ipſius enim (Chriſti) habere perſonam videtur; eſt enim Vicarius eius, vt quod cæteris licet, illi non liceat; quia neceſſe habet quotidie Chriſti vicem agere, &c.* Item; *Non intrat per oſtium ad Eccleſiam, qui per laicalem portam intrat. Non enim laicis ſpiritualia dona tradita ſunt, ſed Domini Vicariis: Vicarij Domini ſunt qui vicem Apoſtolorum tenent. Chryſoſtomus dicit Gentiles & hæreticos & ſordidos ac inſenſatos Chriſtianos non intelligere; Sacerdotes Chriſti Vicarios eſſe Chriſti & Chriſtum. Rabanus exponens locum Deut. 17. de iudicio Sacerdotis. Morietur, inquit, homo qui obedire noluerit Sacerdotis Imperio; ipſius videlicet Sacerdotis Imperio, qui ſecundum ordinem Melchiſedech, Sacerdos factus in æternum, Paſtores, hoc eſt Vicarios ſuos, conſtituit regere Eccleſiam, quam acquiſiuit ſanguine ſuo; vt pro ipſo legatione functi, Euangelium toto orbe prædicarent; qui quanta authoritatis ſint ipſe demonſtrat dicens, Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit. Patres Concilij Meldenſis, Nos omnes, inquiunt, licet indigni, Chriſti tamen Vicarij & Apoſtolorum ipſius ſucceſſores conſilium Dei adnunciamus. Et rurſus: Nos autem Dei iudicio, ſui ab illo Vicarij conſtituti iuxta miniſterium noſtrum pro viribus decertare ſtudebimus. Epiſcopi ſimiliter Gallicani, de ſe ſic teſtantur in quodam Concilio apud Compendium celebrato; Quale ſit miniſterium Epiſcoporum, qualiſque vigilantia atque ſollicitudo eis circa ſalutem cunctorum adhibenda ſit, quos conſtat eſſe Vicarios Chriſti, & clauigeros Regni cælorum; quibus à Chriſto tanta collata eſt poteſtas, vt quodcunque ligauerint ſuper terram, ſit ligatum & in cælo, &c. Non dicunt ſibi à Papa eſſe datam hanc iuriſdictionalem poteſtatem, Imperatorem nimirum Ludouicum ad publicam pœnitentiam deprimendi; ſed à Chriſto, cuius ſe Vicarios immediatos eſſe fatentur. Rurſum alij eiuſdem Regni Epiſcopi Ludouicum*

Eod. nu. 3. Conc. Ro. 2. ſub Sylu.

Ambr. in 1. Cor. 11.

Aug. in qq. vet. & nou. teſt. q. vlt.

Idem ad frat. de hær. ſerm. 37.

Chr. hom. 17. in Matt.

Cõc Meld. in præfat.

Ibid. c. 18.

Apud Bar. tom. 9. ann. 833. n. 10.

Regem

Regem monent; vt rectores & Paſtores Eccleſiarum vt Patres & Chriſti Vicarios colat. Alcuinus illud habet, Sacerdos qui eſt Vicarius Chriſti, implet ſuum officium, &c. Henricus ſecundus huius nominis Imperator dum obiurgat Epiſcopos Simoniacos. Lugens vobis, inquit, incipio loqui, qui vice Chriſti in Eccleſia conſtituti eſtis. Gregorius ſeptimus: Omnes Carthaginienſes vt Epiſcopo ſuo Cynico pareant ait; Humilitatis Diſcipuli, humilitatem induite; Chriſti vicem ſuper vos habenti ex debito obedite. Et ad hoc ipſe quoque inducit illud Chriſti, Qui vos ſuſcipit, me ſuſcipit; qui vos ſperñit, me ſpernit. Quæ verba cùm non minus Epiſcopis quàm Apoſtolis dicta cenſeantur, profecto Epiſcopi ſicut & Apoſtoli, vices Chriſti gerere cognoſcuntur. Bernardus dum reprehendit Monachorum Abbates, quod ab Epiſcoporum obedientia & ſubiectione velint eſſe immunes. Ite nunc ergo, inquit, reſtiſtere Chriſti Vicario, cùm nec ſuo aduerſario Chriſtus reſtiterit. Petrus Bleſenſis. Ordinatur, inquit, in infimis Chriſti Vicarius Eccleſiæ Prælatus. Item, Eſt enim Chriſti Vicarius homo columbinus, veritatis filius, Eccleſiæ Prælatus. Nicolaus de Lyra. Vnus paſtor, inquit, Chriſtus, alij autem non ſunt niſi Vicarij illius Paſtoris. Et Stephanus Tornacenſis ad Toletanum Archiepiſcopum ſcribens ait. Temperet in Vicario Chriſti, rigorem diſpenſatio; ius ſtrictum æquitas, poteſtatem Iudicis, ſinus Patris. At ipſi Patres qui Epiſcopos Chriſti faciunt Vicarios, Pontificem Epiſcoporum Caput, Principem, & Rectorem agnoſcunt, vt centies eſt à nobis demonſtratum. Sed & hoc quoque obiter monuerim eruditum lectorem, Spalatenſem proprio ſe iugulare gladio. Plerique Patrum quorum teſtimonia hic venditat, etiam inferioris ordinis Sacerdotes Chriſti Vicarios faciunt, ac nominatim Chryſoſtomus Sacerdotibus id tribuit, ac cum eo Alcuinus, nec credo hanc illis gloriam inuidet Spalatenſis: Ergo ex æquo cum Pontifice illi Vicarij ſunt Chriſti, etiamſi vt merus Epiſcopus citra vllam Capitis Eccleſiæ dignitatem cogitetur?

Apud Bar. tom. 10. an. 858. nu. 29.
Alcuin. de diuin. offic. c. 19.
Glab. l. 5. cap. 2.
Greg. VII. l. 1. ep. 22.
Luc. 10.
Ber. ep. 42.
Bleſen. ſer. 47. 48.
Lyra in Ioan. c. 10.

Non conquieſcit tamen Spalatenſis, ſed *ad hanc æqualitatem*, vt quidē loquitur, *melius confirmandam* accedit, *In Epiſcoporum encomia*, inquit, *Martyr Chriſti Ignatius libenter excurrit & ſæpius: quæ ſanè encomia, Epiſcopum quemque, vti ſummum in ſua Eccleſia celebrant; & Dei locum tenentem; neque patiuntur inter Epiſcopos ſubiectionem & prælationem. Epiſcopo, inquit ad Trallianos, ſubiecti eſtote, velut Domino. Ipſe enim vigilat pro animabus veſtris, vt qui rationem redditurus ſit, & ſine Epiſcopo nihil tentetis. Et, Epiſcopus typum Dei Patris omnium gerit. Et ad Smyrnenſes; Omnes Epiſcopum ſequimini, vt Chriſtus Patrem. Et, Sine Epiſcopo nemo quicquam faciat eorum quæ ad Eccleſiam ſpectant. Et, Honora Deum vt omnium authorem & Dominum: Epiſcopum verò vt Principem Sacerdotum, imaginem Dei referentem: Dei quidem propter Principatum, Chriſti verò propter Sacerdotium. Et, Epiſcopo nihil maius in Eccleſia. Vides*, inquit, *vnumquemque Epiſcopum propter ſummum Principatum quem gerit in Eccleſia ſua, Deum repræſentare; qui eſt ſummus totius creaturæ Dominus: At ſi Epiſcopus haberet ſupra ſe alium Epiſcopum, non gereret ſummum principatum, ſed ſubordinatum, & ſic Deum non poſſet propriè repræſentare. Huc verò adde quæ conſideraui ex eod. Ignatio meo 1. libr. cap. 12. num. 8. & quæ conſideraui ex Cypriano & Auguſtino cap. proximo præcedenti huius libri num. 5. & num. 9.* Sed quæ eſt iſta craſſa vafricies, Martyr Ignatius, cuius tamen Epiſtolas ne nauci quidem faciunt aduerſarij, magnis ac ingentibus encomiis Epiſcopos ornat, eis parendi ſubditis neceſſitatem imponit, Dei Patris in ſuis Eccleſiis typum gerere dicit,

SPALAT. Num. 4.
Ign. ep. 2. 7.

imaginem Dei referre ſcribit, Epiſcopis nil maius eſſe in Eccleſia aſſerit, fatemur; Ergo nullum in Epiſcoporum ordine ſuperiorem agnoſcit, vnde iſta inconſequens conſecutio? Audi mi Spalatenſis, Ignatius ille Epiſcopos commendat à poteſtate, quam ſuper plebes ſuas nacti ſunt; non verò differit de eorum inter ſe ordine, in quo proculdubio ſupremum agnoſcebat ſucceſſorem Petri, ipſe Cathedræ Antiochenæ proximus ab Euodio hæres, ſi quæ fides hiſtoriis habeatur. At inquit Spalatenſis *ſummum principatum tribuit Epiſcopo, non haberet autem ſummum, ſed ſubordinatum, ſi ſupra ſe alium Epiſcopum haberet; igitur non habet.* Reſpondeo ſummum ei Principatum tribuit, vt dixi, in ſuam Eccleſiam, non verò in ordine præſtantiſſimo negat vnum eſſe à quo veluti à capite ipſe quoque pendeat. Hoc enim ſummam eius poteſtatem nō conuellit, ſed vnitatem tuetur, cuius ille ſtudioſiſſimus eſſe debeat, & cui ſeruandæ ſuā operam impendens, ac ſuo muneri ſatisfaciens à ſuperioris Imperio ſibi timere nō debet, quippe qui in eandem operam incumbat. Neque verò eò minus Deum repræſentat, quomodo repræſentare eum dicit Ignatius, ſiquidem ea repræſentatio haud totam Imperij diuini efficacitatem præ ſe fert, ſed intra certos terminos cohibetur, & ad definitum modum contrahitur, quem non tollit illa ſuauis ſubiectio ab ipſo Deo imperata. Nec aliquid ſuperioribus locis protulit ex eodem Ignatio Spalatenſis, quod contrarium ſuaderet. Perſequamur reliqua.

Eod. nu. 4.

Spalat. Num. 5. Apud Ath. Apol. 2.

Iulius Papa Romanus, inquit ille, *ad Euſebianos reſcribens in cauſa præſertim Athanaſij, multa reprehendit; inter hæc quod eorum Epiſcopi de loco in locum ad Epiſcopatus capiendos tranſilirent, & ait, Si igitur verè parem, eundemque honorem in omnibus Epiſcopatibus cenſetis eſſe, neque ex magnitudine ciuitatum, vt vos ſcribitis honorem huius rei creſcere arbitramini, oportuit eum cui concredita eſt parua ciuitas, in ea quæ credita eſt permanere, & nequaquam reiecta concredita, ad eam quæ concredita non eſt tranſuolare, ne eam quæ à Deo data eſt aſpernari, illam verò quæ hominum ambitu conceſſa eſt, magnificare videatur. Obiecerant ſane*, inquit, *Romano Epiſcopo paritatem, & ex magnitudine ciuitatum, vel paruitate non creſcere aut minui Epiſcopalem poteſtatem, hoc ipſum Iulius admittit, nec reprehendit aut confutat, ſed retorquet aduerſus eos, qui nihilominus de Epiſcopatu ad Epiſcopatum tranſilibant; Quod non deberent facere, ſi quidem Epiſcopalis honor, & poteſtas eadem erat in quacunque ſede.* Ad hominem argumentatur Iulius, falſeque ipſum Euſebium Nicomedienſem perduellem, ac Arrianorum anteſignanum perſtringit, qui Berytho minore Eccleſia relicta Nicomediæ ſedē inuaſerat, & ex ea rurſus Conſtantinopolim ſe contulerat, ac ſedem regiæ ciuitatis occuparat, ambiens ſcilicet inſigniorum Eccleſiarum Cathedras; Itaque paria Arianis non ſenſit Iulius, ſed ex propriis eorum factis ac ſcriptis eos exagitandos duxit. *Hæc*, inquit, *quidem à nobis aduerſus non æquas veſtrorum hominum, ſed iniuſtas & ſuſpectas cauſificationes dicta ſunt.* Cæterùm quicquid Romano Pontifici obiecerint Epiſcopi Arriani, aut Arrianiſmi fautores non magnoperè curandum eſt cùm conſtet eos à fidei regula, & ab Eccleſiaſtica diſciplina, maximè verò in cauſa Athanaſij, exorbitaſſe. Quod verò attinet ad magnitudinem ciuitatum, ad quam Epiſcopalem poteſtatem non eſſe exigendam contenderent, ſtultum argumentum refellendum non duxit Iulius, quippe cuius authoritas magnitudine vrbis non niteretur, ſed inſtitutione Chriſti, vt doctiſſimè oſtendit Gelaſius Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ, verùm eorū armis vtens ex ipſorum aſſertionibus, quàm longe ab Eccleſiaſtica diſciplina aberrarent, oſtendendum ſibi exiſtimauit.

uit. Cæterùm alibi oſtendemus Iulium ad quem prouocarit Athanaſius, quique frementibus Arrianis ſedi ſuæ eum reſtituerit, ſe omnibus etiam Orientis Epiſcopis maiorem, & oſtendiſſe & præbuiſſe tota illa Athanaſij cauſa, qua eius animi conſtantia victi Euſebiani ab eo veniam ſupplices poſtularunt. Teſtis omnino exceptione maior Athanaſius; *Arriani*, inquit, *victi à veritate, veniam ſcriptis litteris à Iulio Romano Pontifice popoſcerunt, & ad nos pro pace epiſtolas miſêre.* Apol. 2. An non igitur ſe Epiſcopis ſuperiorem Iulius oſtendit? At inquit Spalatenſis, *Patres Concilij Sardicenſis, eundem Iulium Romanum Pontificem, non niſi comminiſtrum vocant, Pridem itaque, aiunt, Euſebius, & Maris ſcripſerunt Iulio comminiſtro noſtro, Eccleſiæ Romanæ Pontifici, &c.* Acta Conc. Sard. & Theod. l. 1. cap. 8. Quid igitur? Eum ne fugit omnes omnino magni Regis miniſtros conſeruos eſſe, etiamſi gradu differant & dignitate? An non meminit verbi Chriſti, *Quis putas eſt fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam?* Matth. 24. verſ. 46. Ergo etiam ex ordine ſeruorum aliquis aſſumitur, qui familiæ œconomus reliquis famulis præponatur, ac præficiatur moderandis; quo loco Petrum & Petri ſucceſſores eſſe voluit in Eccleſia ſua Rex regum, & Dominus dominantium Chriſtus. Eſt ergo Pontifex comminiſter Epiſcoporum, ſed eſt quoque illis moderandis nomine Patrisfamilias, Dei ſcilicet impoſitus, ac propterea Iulium in primis *intuitu Petri*, cuius eſſet ſucceſſor authore Oſio honorandum duxerunt iidem Patres, atque de ea re legem ſanxerunt, *Si veſtræ*, inquiunt, *dilectioni videtur, Petri Apoſtoli memoriam honoremus, vt ab iis qui iudicauerunt, ſcribatur Iulio Romanorum Epiſcopo; & per propinquos Prouinciæ Epiſcopos, ſi opus ſit, iudicium reuocetur.* Cõc. Sard. ſub Iulio. Can. 3. Sed & in epiſtola ad Iulium Pontificem, tanquam ad ſui ordinis Principem, ſua placita & ſtatuta obtinendi roboris cauſa referre ſe dicunt. *Hoc*, inquiunt, *optimum & valdè congruentiſſimum eſſe videbitur, ſi ad caput, id eſt ad Petri Apoſtoli ſedem de ſingulis quibuſque Prouinciis Domini referant Sacerdotes.*

Εἰ δοκεῖ ἡμῶν τῇ ἀγάπῃ, Πέτρου τοῦ ἀποστόλου τὴν μνήμην τιμήσωμεν, ἵνα γράφωμεν πρὸς τὸν τοῦ πρωτεύοντος Ἰουλίου τῷ ἐπισκόπῳ Ῥώμης, ὅστις διὰ τῆς γειτνιάσεως τῇ ἐπαρχίᾳ ἐπισκοπεῖ τὰ δίκαια ἀποκαθιστῶσι τὸ δικαιοῦν.

Fortaſſe verò Pontifici paulò iniquior eſt Hieronymus. Id quidem putat Spalatenſis. *Hieronymus*, inquit, *ſummam inter omnes Epiſcopos, etiam Romano incluſo, ponit æqualitatem, ita ſcribens ad Euagrium; Vbicunque fuerit Epiſcopus, ſiue Romæ, ſiue Eugubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegij; ſiue Alexandriæ; ſiue Tanis; eiuſdem meriti, eiuſdem eſt & Sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas vel ſublimiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterùm omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt. Neſciuit Hieronymus diſtinguere ab ordine Iuriſdictionem; ignorauit Epiſcopos Iuriſdictione eſſe inæquales, quos ordine pares faciebat; ſcilicet ſub titulo ſanè Sacerdotij incluſit, quicquid & ordinis & poteſtatis haberet Epiſcopus: & pro vnica infragabili huius æqualitatis ratione poſuit Apoſtolorum ſucceßionem. Vt videas Hieron. Apoſtolos omnes in Eccleſiaſtica poteſtate æquales; & ſucceßionem Epiſcoporum omnium in ſolidum, æquè omnibus itidem in ſolidum Apoſtolis datam agnouiſſe, ac propterea Eugubinum Epiſcopum æqualem Romano Epiſcopo feciſſe.* Ep. Conc. Sardic. ex Fragmentis Hilarij & Creſconiana collectione. SPALAT. Num. 6. Sed longè à mente Hieronymi recedit: Propoſitũ illi erat ea Epiſtola Diaconorum frangere audaciam, qui pecuniarum adminiſtratione tumidiores effecti, preſbyterorum ordinem præ ſe contemnerent, Romæ potiſſimùm vbi multa ſibi ſuprà Preſbyteros tribuerent. *Paulatim*, inquit Hieronymus, *increbreſcentibus vitiis, inter Presbyteros abſente Epiſcopo ſedere Diaconum viderim, & in domeſticis conuiuiis benedictiones coram Presbyteris dare.* Hier. ep. 85. Vt igitur in gyrum rationis Diaconos reuocet, vrget Presbyteros, etiamſi opibus non abundent, nec illuſtriores Cathedras occupent, in ordine eſſe ad Euagrium.

Episcoporum: de quo dogmate vidimus, adeoque omnino supra ordinem Diaconorum, quos ad mensarum ministerium ablegat, ne scilicet cum iis qui sacro ore sacrum Christi corpus conficiunt, se componant: Hoc sensu igitur ait, *Vbicunque fuerit Episcopus, siue Romæ, siue Eugubij, siue Constantinopoli, siue Rhegij;*
Hier. ep. 85. *siue Alexandriæ, siue Tanis; eiusdem meriti, eiusdem est & sacerdotij. Potentia diuitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem, vel inferiorem Episcopum non facit. Cæterùm omnes Apostolorum successores sunt.* Nec enim, si bene aduertit Spalatensis, de propriis Episcopis illarum sedium præcisè loquitur, neque enim illis se præferebant Diaconi, vt ex eadem Epistola constat, sed simplicioribus Presbyteris, verùm de omnibus in vniuersum Episcopis, quatenus etiam Episcopi nomen ad Presbyteros se fundit, haud igitur spectandã potentiam diuitiarum, aut potestatis amplitudinem, in qua alter alteri antecelleret, sed ipsum Episcopi ordinem contendit Hieronymus. Sed demus de iis Episcopis præcisè esse locutum, & parem fecisse Eugubinũ cum Romano facile respondetur: *Eiusdem meriti & sacerdotij* dixit, quantum ad *characterem sacerdotalem* & ordinis dignitatem, non verò quantum ad *iurisdictionis amplitudinem.* Quod enim vrget Spalatensis, Hieronymum, *nesciuisse distinguere ab ordine iurisdictionem, & ignorasse Episcopos iurisdictione esse inæquales, quos ordine pares faciebat,* tam est absurdum vt refutatione non indigeat. Quid igitur Hieronymus nesciuerit Antiochenum Episcopum omnibus Orientis Episcopis præfectum, nesciuerit Alexandrinum Ægypti, Libyæ, Pentapolis Antistitibus ius dixisse; nesciuerit fastigium Pontificatus Romani; vnde igitur habet illud ad Damasum;
Hieron. Ep. 57. ad Dam. *Quanquam,* inquit, *tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas. A sacerdote victimam salutis, à pastore præsidium ouis flagito. Facessat inuidia: Romanicul-minis recedat ambitio: cum successore piscatoris, & discipulo crucis loquor.* An igitur his, aut similibus verbis Eugubini Episcopum compellasset? Annon ad tam grandia ludibrio haberi se existimasset Eugubinus? Atqui mirum non est Spalatensem nobis Hieronymum opposuisse, qui etiam Leonem IX. Papam, ac Iuonem Carnotensem, acerrimos Pontificiæ dignitatis assertores, in nos armarit.
Spalat. Num. 7. Leo 9. Ep. 4 *Leo IX.* inquit, *veritatem hanc Romano Primatui, nunc valde aduersam, non potuit non fateri, Episcoporum, inquit, ordo vnus est; quamuis alij præferantur aliis; siue pro eo quod primas ciuitates & magis nominatas, secundum potentiam, aut leges sæculi retinent: siue quod in sanctis Patribus, pro aliqua reuerentia sanctitatis aliquod priuilegium dignitatis possident. Accipio,* inquit, *confessionem ex ore vnius Romani Pontificis, prælationem omnem, quæcunque est inter nos Episcopos, esse totam humanam, iure verò diuino Episcopos, omnes esse vnum, ac inter se pares.* At nimia ea est confidentia & audacia, quandoquidem de aliis Episcopis, & aliarum sedium prærogatiuis loquitur Leo, longèque diuersam esse rationem Pontificis, vel Spalatensi teste clamat. *His omnibus,* inquit, *diuino & humano priuilegio prælatus est Romanus Pontifex;* Quid potuit dici apertius?
Spalat. Num. 8. Iuo Ep. 199. At inquit, *Iuo Carnotensis ægerrimè ferebat ordinariam potestatem Episcopalem à quoquam prætextu superioritatis infringi & turbari, ita ergo scribit, Non reprehendimus institutionem Ecclesiasticam, per quam pax Ecclesiæ firmius colligata est; cùm inferiores à superioribus, sacramentorum dispensationem suscipiunt, nec vltra quam sibi concessum est, vsurpare præsumunt. Verùm vbi personarum æqualis est potestas, quarum altera alteri nihil præter charitatem debet, si altera alteri ius suum vult detrahere, & sibi soli arrogare sua quærens deceptus est sæculi ambitione. In*

propria

Digitized by Google

propria ſanè Epiſcopali primaria iuriſdictione neminem agnoſcit ſuperiorem, niſi pro conſecrationibus Epiſcoporum; & hanc non niſi iure humano poſitiuo per ſolam Eccleſiaſticam inſtitutionem. Frontem ferream habere eum oporteat, qui contra Pontificiam dignitatem teſtem citet Iuonem, qui ſe Petri manu, hoc eſt Pontificis ordinatione factum Epiſcopum gloriatur, ac eius authoritate fretus non veretur Richerium Senonenſem Archiepiſcopum Metropolitanum ſuum, qui eum pro collega & fratre, non ſolùm nollet habere, ſed & in ſedem Apoſtolicam contumelioſius inuecheretur, acerbius exagitare, ac furioſæ cuiuſdam inſolentiæ poſtulare: *Dicitis*, inquit, *in literis illis me ſedem inuaſiſſe Gaufridi* (huius locum & Eccleſiam Romæ ſcilicet obtinuerat Iuo) *Coepiſcopi veſtri: in quo manifeſtè contra ſedem Apoſtolicam caput erigitis: dum quod illa ædificat, vos quantum in vobis eſt deſtruitis; & quod illa deſtruxit, vos ædificare contenditis; cuius iudiciis & conſtitutionibus obuiare planè eſt hæreticæ prauitatis notam incurrere.* Et infra: *Eſt & aliud in literis illis, in quo euidentiſſimè & irreuerentiſſimè os veſtrum poſuiſtis in cælum, & lingua veſtra tranſiuit in terra, cùm benedictionem per manus impoſitionem Papæ datam & Cardinalium Romanæ Eccleſiæ, non ſimpliciter benedictionem, ſed qualemcunque hoſtili irriſione appellaſtis: cùm ad ipſam principaliter* (audiſne Marce Antoni) *& generaliſſimè pertineat, tam Metropolitanorum, quàm cæterorum Epiſcoporum conſecrationem confirmare vel infirmare; conſtitutiones veſtras & iudicia retractare, ſuas verò inconcuſſas retinere, & nullius inferioris iudicio retractandas, vel corrigendas concedere, &c.* Poſt iſta igitur Iuonis, an non eſt inſolentiſſimæ cuiuſdam inſaniæ eius teſtimonio abuti, ad imminuendam Pontificis dignitatem, & eum in reliquorum ordinem cogendum? Nolebat quidem ſummus ſuo ſæculo vir ordinariorum Epiſcoporum poteſtatem *prætextu ſuperioritatis*, vt obſeruat Spalatenſis, infringi aut turbari; ſed diſciplinæ Eccleſiaſticæ vindicem & aſſertorem agnoſcebat Pontificem. Iuo.ep.8.

Vt autem hanc orthodoxorum doctrinam euertat Spalatenſis, ſuos fumos nobis venditat: *Ac*, inquit, *ne putes omnes Epiſcopos æquales à viris ſanctis agnoſci inter ſe, non tamen cum Pontifice Romano; Nam idem Leo IX. inquies, vbi ſuprà Epiſcopos æquales fecit, ſtatim ſubdidit; Hu omnibus, diuino & humano priuilegio prælatus eſt Romanus Pontifex. Scias non aliundè noſtrum Papam habere ſuprà nos maioritatem, quàm vnde illam habent Patriarchæ cæteri, Primates & Metropolitani, ſuprà ſibi ſubiectos Epiſcopos inferiores, nimirum ex Eccleſiaſtica ordinatione.* Sed hanc vanitatem refellit Auguſtinus, atque Pontificis authoritatem ſcripturæ diuinæ authoritate niti, vnà cum reliquis Mileuitani Concilij Patribus agnoſcit. *Arbitramur*, inquit, *adiuuante miſericordia Domini Dei noſtri Ieſu Chriſti, qui te & regere conſulentem & orantem exaudire dignatur, authoritati ſanctitatis tuæ,* DE SANCTARVM SCRIPTVRARVM AVTHORITATE DEPROMPTÆ, *facilius eos qui tam peruerſa & pernicioſa ſentiunt eſſe ceſſuros, vt de correctione potius eorum congratulemur, quàm contriſtemur interitu.* Ergo iudicio Auguſtini eruitur ex viſceribus ipſius ſcripturæ Pontificis authoritas facientibus, ſcilicet ad eam rem locis illis, *Tu es Petrus*: *Ego rogaui pro te, Paſce oues meas*; quorum robur infringere non potuit Spalatenſis, quibuſcunque machinis eos oppugnauerit, ac quatere tentarit. A Cypriano iam petit præſidium: *Sanè*, inquit, *Cyprianus Epiſcopus Carthaginenſis, niſi ſe parem omnino cenſeret in poteſtate & regimine Eccleſiæ, cum ipſo Romano Pontifice, non alloqueretur Stephanum hoc pacto; Cui rei noſtrum eſt conſulere & ſubuenire,* SPALAT. Num.9. Aug.ep.92. Cypr.l.3. ep.13.

Digitized by Google

frater chariſsime, qui diuinam clementiam cogitantes, & gubernandæ Eccleſiæ libram tenentes, ſic cenſuram vigoris peccatoribus exhibemus, vt tamen lapſis erigendis, & curandis vulneratis, bonitatis & miſericordiæ diuinæ medicinam non denegemus. Quapropter facere te oportet pleniſsimas literas ad Coepiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos, &c. At ſi quis locus errorem Spalatenſis euertit, id præſtat hic Cypriani. Agebatur de exauctoratione Marciani Arelatenſis Epiſcopi, qui cùm Nouatianorum hæreſi ſe polluiſſet, ſubiectam ſibi Eccleſiam inquinare tentabat; Hunc igitur cùm ob labem ſummæ dignitati aſperſam, de gradu deiiciendum cenſeret Cyprianus, cur non ipſe infulas detraxit? Cur hæreticum Antiſtitem ſacris abſtentum ex Eccleſia non eiecit, cur dignitate non nudauit; ſed ad Stephanum Romanum Pontificem, qui id præſtaret confugiendũ ſibi duxit; niſi quod ſe vnum de numero collegarum, in æqualis dignitatis Epiſcopum, poteſtatem non habere agnoſceret, Stephanum verò Pontificem Epiſcoporum arbitrum & iudicem haberet? At inquit Spalatenſis, *eam curam ſibi communem arrogat cum Stephano*; Falleris mi homo *curam conſeruandi ac ſubueniendi*, ſcilicet pro muneris ſui parte, ſibi *cum Stephano communem* eſſe dicit, poteſtatem verò loco ſuo mouendi Epiſcopi, qui tamen id meritus eſſet, ſibi non tribuit, ſed eum honorem Pontifici defert, ac eum monet (hoc erat conſulere & ſubuenire labanti diſciplinæ) vt mittat pleniſſimas ad Galliarum Epiſcopos literas, quibus abſtento Marciano illo alius in locum eius ſubſtituatur; quod quanquam ad curam & gubernationem pertineret, alterius cuiuſdam erat dignitatis, quàm qua præditus eſſet Cyprianus. Certè omnium membrorum eſt mala corpori impendentia auértere, atque ei pro viribus conſulere. Nemo tamen negat capitis, in quo omnes ſenſus vigent, & ipſa potiſſimùm regina ratio primas partes eſſe in ea opera præſtanda; Similiter igitur omnibus omnino Epiſcopis curam incumbere depellendæ hæreſis, ac fidei propugnandæ certum eſt, ſed ſunt quædam quæ nonniſi à Pontifice, aut Pontificis inſtinctu executioni mandari poſſint. In his poſuit Cyprianus Arelatenſis Epiſcopi exauctorationem; propterea que ad Stephanum confugit. Sed de hoc Cypriani loco alibi fuſiùs. De nomine *Collegæ*, *Comminiſtri* & *Fratris* diximus in ſuperioribus, nec Pontificiam authoritatem ſuprà reliquos, vel tantillum imminuere oſtendimus: Calumniam verò meram habet, quod dicit *Pontificem velle, vt Epiſcopi eum tanquam Deum alloquantur, ad pedes eius deiecti.* Agnoſcit ſe mortalem Pontifex, & quod ad pedum oſcula etiam fratres ſuos admittit, nouit Spalatenſis à ſuperbia non proficiſci, ſed ex quodam pio erga caput præſtantiſſimi ordinis affectu promanare; Quod ſi pedum oſcula in aliis diſplicent, damnandus igitur illi ſanctiſſimus Epiſcopus Epiphanius, qui eum honorem ſibi tribui, teſte Hieronymo paſſus ſit; Imò damnandi illi ferè omnes prioris æui Antiſtites, qui eum non recuſarint, quod non ſibi, ſed numini tribui certo ſcirent & agnoſcerent. Miror autem Spalatenſis Auguſtini locum ex Epiſtola ad Bonifacium, profertreduſum ad Epiſcoporum cum Pontifice æqualitatem probandam.

Ep.aduer. Ioan. Hier.

SPALAT. Num.11. Aug.contr. duas epiſt. Pelag.l.1. init.

Verba Auguſtini à Spalatenſi Commentariolo illuſtrata ſunt; Cùm verò, inquit, *non deſinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto precio redemptas oues aditus vndecunque rimari, communiſque ſit omnibus nobis qui fungimur (includit etiam Bonifacium ad quem ſcribit) Epiſcopatus officio, quamuis ipſe in eo præmineas celſiori faſtigio ſpeculæ paſtoralis; facio quod poſſum pro mei particula muneris.* Quis ergo non videat Auguſtinum aduertere quidem

quidem omnibus Epiſcopis curam incumberè propugnandæ fidei, ac hæreſeωn profligandarum, vnum tamen Pontificem *in ſpecula paſtorali celſiore præeminere faſtigio* docere, adeoque & Auguſtinum, & priuatos quoſcunque Antiſtites *pro particula ſui muneris*, facere quod poſſunt? Neque verò Auguſtinus ad Cathedram reſpexit Patriarchalem, quæ tantùm Occidentem cõplecteretur, ſed ad Apoſtolicam cuius authoritas ad vniuerſam Eccleſiã ſe funderet. In vniuerſum enim pronunciat, *In Eccleſia Romana ſemper viguiſſe Cathedræ Apoſtolicæ Principatum*: Ipſamque Pontificiæ authoritatis amplitudinem ſcriptura niti perhibet ac aſſeuerat. Perſequitur Spalatenſis: *Hormiſdas verò*, inquit, *cùm Epiphanium Conſtantinopolitanum adhortatur; Similem, rectè ait, iam fidei curam gerentes per religioſam patientiam, par etiam præmium de boni operis ſperamus affectu: Ergo par ſtudium ſollicitudinis aſſumentes, quibus eſt in vna communione & credulitate ſocietas, curemus, &c.* Reſpondeo inſinuare Hormiſdam debere Epiphanium Conſtantinopolitanum zelum ſuum ſedulo imitari, ac pro muneris ſui ratione totis viribus iuuare Eccleſias, ſed de ea æqualitate quam venditat Spalatenſis, ne quidem per ſomnium cogitauit, ſiquidem ea ipſa Epiſtola Epiphanio Conſtantinopolitano vicariam ſedis Apoſtolicæ præfecturam delegat, quô diuerſarum Eccleſiarum lapſos in communionem Catholicam recipere, ac admittere poſſit, *vt tutè hoc & ſine redargutione, vel alicuius erroris palliatione valeat peruenire, dilecte frater perſonam meam in hoc te oportet ſubintrare, ſcientem, in huiuſcemodi materiis (ſicut prædictum eſt) quid faciendum ſit, quid cuſtodiendum: ſicque omnia prouidentem, vt non dubites de hac diſpoſitione rationem reddere Deo. Ita quidem vt literæ veſtræ ſignificent, eos qui nobis communione coniungentur, tales eſſe, qui per nos ſedi Apoſtolicæ noſtris literis miſceantur, & ea quæ continentur in libellis quos produxerint. Sic enim ab errore Seueri, & huic coniunctorum ac ſimilium liberabuntur, & damnum eorum qui ſanari non poterunt, ſuſtinemus. Idcirco vobis imponere cenſuimus ad veſtram diligentiam onera noſtra transferentes; quoniam non paruas probitatis tuæ iam demonſtrationes dediſtis hæreticis, obijciendo, vt non oporteat de iſto dubitare, aſſumere ſimul ſanationis curam, cui contingit probum oſtenſum fuiſſe.* Proinde ſibi parem non cenſebat etiam Conſtantinopolitanum Patriarcham. Neque eam æqualitatem fulciunt Ioannis primi ad Zachariam, aut Nicolai primi verba; Neuter enim Epiſcopos Pontifici pares facit, ſed vterque refricat demandatam ſucceſſoribus Apoſtolorum Eccleſiarum curam, in qua quiſque pro ratione officij, & pro particula muneris, vt loquebatur Auguſtinus, ſtudium ſuum ponere omnino teneatur.

Hormiſ. ep. 77.

Hormiſ. ad Epiphan. Conſtant. ep. 77.

Lubet verò tum ex Ioanne primo, tum ex Nicolao primo hominis vanitatem demonſtrare: Ille igitur; *Huius rei*, inquit, *gratia vobis, & nobis ſancta commiſſa eſt Eccleſia, vt pro omnibus laboremus, & cunctis opem ferre non negligamus. Quamuis ſingularum*, inquit Nicolaus, *Eccleſiarum quæ propter diuerſitatem terrarum multæ eſſe dicuntur (cùm vna ſit & vnica ſponſo ſuo, ſicut ipſe in Canticis Canticorum dicit: Vna eſt columba mea; Et per Pſalmiſtam, Erue de manu canis vnicam meam) Paſtor & Epiſcopus, & Pontifex Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui hanc creauit & redemit exiſtat: Ita vt ille veraciter, ac principaliter iſta ſit omnia; iuxta quod fidelibus per primum Apoſtolum dicitur: Conuerſi eſtis nunc ad Paſtorem & Epiſcopum animarum veſtrarum. Et iuxta quod egregius prædicator de eo loquens: Talis, inquit, decebat vt nobis eſſet Pontifex: ſubiturus tamen ad cælos hanc Apoſtolis commendauit; ac per eos tanquam hæreditario iure, ſucceſſo-*

SPALAT. Num. 11. Ioan. 1. ep. 1.

Nicol. ep. 42.

1. Pet. 2.

ribus eorum, nobis ſcilicet, quos Paſtores & Epiſcopos ac Pontifices ſuper ipſam conſtituit eius prouidentiæ curam indulſit; quatenus pro patribus nati filij, & pro eis conſtituti Principes, in omnem terrarum imitatores eorum eſſemus, ſicut & ipſius
Leo 9.ep.4 *Chriſti*: Neque rurſus eo ducunt verba Leonis IX. qui iſta ſcribit, *Quicunque Sacerdotes, & ſi diſpares ſunt merito, pares tamen ſunt officio.* Suprà enim vidimus Leonem, hunc primas partes iure diuino nixas Romano Pontifici tribuere; Pares autem officio dicit Sacerdotes, quod idem ſit officij genus, quanquam
Greg.7.l.3. ep.4. ratio curarum ſit diuerſa. Et Gregorius VII. cùm non *coadiutores*, ſed *ſocios* vocat Epiſcopos, eiuſdem fidei curam ſignificat, non authoritatis æqualitatem.

SPALAT. Num.12. At vrget Spalatenſis, *nil aliud quàm hanc ſuam æqualitatem, ſi diuina ſpectetur inſtitutio inter Epiſcopos voluiſſe Patres, quando Epiſcopos quoſcunque, oculos vocarunt Eccleſiæ*: Atque Origenem, Gregorium Nazianzenum, & Concilium
Orig. in Ioſ.hom.7. Toletanum profert; Verba Origenis ſunt, *Omnes qui credimus, inquit Origenes, vnum Deum habemus, qui nos in vnitate conſtringit, & continet Chriſtus,*
Id.tract 5. in Matth. *cuius corporis tu qui Eccleſiæ præſides oculus es, Paſtor es, &c.* Et alibi: *Sacerdotes autem, ait, rationabiliter poſſunt dici Eccleſiæ oculi, quoniam & ſpeculatores habentur.* Item, *Bonum quidem erat, vt ille qui factus eſt oculus, dignus eſſet capiti Chriſto, & toti Eccleſiaſtico corpori: ſi autem conuerſus oculus ille factus fue-*
Matth.18. *rit ſcandalum corpori vniuerſo, eiiciatur oculus ſcandalizans, & extra omne corpus expellatur, vt ſine illo oculo reſiduum corpus ſaluetur, quàm cum illo oculo debilitato totam Eccleſiam mittit in gehennam, intenebratam videlicet per oculum ma-*
Apud Baſil. ep.30. *lum.* Verba Gregorij Nazianzeni ſunt. *Lucerna corporis eſt oculus, lucerna autem Eccleſiæ Epiſcopus.* Et Concilium Toletanum VIII. ſic habet; *Nam dum*
Concil. Tol.8. c.4. *ſecundum carnis aſſumptæ myſterium Eccleſiæ ſuæ fuerit dignatus caput exiſtere Chriſtus; meritò in membris eius, intentio Epiſcoporum, officia peragere cernitur oculorum; ipſi enim de ſublimiori celſitudine ordinum regunt, & diſponunt ſubiectas multitudines plebium, &c. In ſublimi*, ait Spalatenſis, *ordinum Eccleſiaſticorum gradu ponunt Epiſcopos æquè omnes; & faciunt oculos Eccleſiæ, non manus Papæ: neque ad ſubſellia aut ſuppedanea Papæ illos deijciunt, quos in ſublimi à Chriſto poſitos agnoſcunt æquè omnes.* Sed meræ technæ ſunt hæ, & ſtrophæ putidiſſimæ. Oculorum nomen metaphoricõs ſumptum Epiſcopis tribuunt Patres, vt eos lucem eſſe mundi, quod de Apoſtolis vſurpauit Chriſtus, probent. At quis ne-
1.Cor.15. ſciat etiam ſtellam, vt argumentatur Apoſtolus, *à ſtella in claritate differre?* Atqui dignitatem capitis, quam vni Petro aut Pontifici tribuunt, illis locis non attingunt: Nemo verò diffitetur lumen eſſe mundi Epiſcopos, myſtici corporis Eccleſiæ oculos, qui capiti adhærentes totum corpus ſua luce perfundant. Aliud certè in ea oculorum metaphora non viderunt: Etiam probè Principum Conſiliarios *regnorum oculos* dicimus, nec tamen eis parem cum regibus poteſtatem tribuimus.

SPALAT. Num.13. Sed aliquantò neruoſius hoc argumentum verſat, atque vnius nos Auguſtini teſtimonio premit; *Conſideremus*, inquit, *obſecro collationem quandam Auguſtini, qua inter ſe confert Epiſcopos duos Cyprianum Carthaginenſem, & Ste-*
Auguſt.de vnico bapt. cont. Petil. c.14. *phanum Romanum; & in ea æqualitas quam quærimus manifeſta apparebit. Duo erant, inquit, eminentiſſimarum Eccleſiarum, Romana ſcilicet & Carthaginenſis Epiſcopi Stephanus & Cyprianus, ambo in vnitate Catholica conſtituti; quorum Stephanus baptiſmum Chriſti, in nullo iterandum eſſe cenſebat, & hoc facientibus grauiter ſuccenſebat. Cyprianus autem in hæreſi vel ſchiſmate baptizatos, tanquam*

non

habentes baptiſmum Chriſti, baptizandos in Eccleſia Catholica exiſtimabat; multi cum illo: quidam cum iſto etiam ſentiebant, vtrique cum eis in vnitate conſiſtentes. Vides, inquit Spalatenſis, *paritatem ſummam inter hos duos. Duo, inquit, erant Epiſcopi eminentiſſimarum Eccleſiarum; eminentiſſimam Romanam Eccleſiam vocat, ſed eminentiſſimam etiam Carthaginenſem: vtraque eminentiſſima, ergo pares. Eminentiſſimæ verò hæ duæ vocantur reſpectu aliarum Eccleſiarum, quæ eſſent in minoribus ciuitatibus. Carthago enim prima & maxima ciuitas totius Africæ, Romæ olim æmula; Roma verò prima & maxima ciuitas totius Italiæ; non ſic aliæ aut Africanæ aut Italæ. Separa tantillum ciuitates, ex quibus hi duo Epiſcopi habent eminentiam, quid relinquitur? nihil aliud niſi vt ſint Coëpiſcopi. Iam igitur etiam cum reliquis omnibus Epiſcopis erunt pares. Sed præterea quid tibi videtur de reſiſtentia Cypriani aduerſus Stephanum? An putas Auguſtinum ſtomachari contra Cyprianum, quod aduerſus Chriſti Vicarium & vniuerſalem Epiſcopum, ac totius Eccleſiæ Monarcham, vnicus ipſe, Stephani delegatus, nulla iuriſdictione niſi à Stephano habita, & quam ſtatim ei poſſet auferre, inſtructus intumeſceret? Minimè verò. Hanc enim prælationem Stephani ſupra Cyprianum non cognoſcit. Sed miratur quod Cyprianus à Stephano opinione diſſentiens, charitate tamen cum Stephano coniunctiſſimus eſſe voluerit, & pacem atque concordiam Catholicam hi duo, quando maximè inter ſe diſſentiebant, vt pares conſeruarint.* At toto cœlo errat, & longè abeſt Auguſtinus ab ea æqualitate inter Cyprianum & Stephanum inducenda; Neque enim propriè comparationem inter eos inſtituit, ſed vtriuſque dignitate propoſita in controuerſia de baptiſmo hæreticorum contraria ſenſiſſe eos citra vllum grauius odium dicit. Verba eius ſunt, *Duo erant eminentiſſimarum Eccleſiarum, Romanæ ſcilicet & Carthaginenſis, Epiſcopi, Stephanus & Cyprianus ambo in vnitate Catholica conſtituti. Quorum Stephanus baptiſmum Chriſti in nullo iterandum eſſe cenſebat, & hoc facientibus grauiter ſuccenſebat.* Auguſt. de vnico baptiſ. cont. Petil. c. 14.

Neque verò vtriuſque Cathedras pares facit, etiamſi vtramque eminentiſſimam aſſerat. *Puto*, inquit, *quòd ſine vlla ſui contumelia Cyprianus Epiſcopus Petro Apoſtolo comparatur, quantum attinet ad martyrij coronam; cæterùm magis vereri debeo, ne in Petrum contumelioſus exiſtam. Quis enim neſcit illum Apoſtolatus principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum? Sed etſi diſtat Cathedrarum gratia, vna eſt tamen Martyrum gloria.* Tom. 7. de bapt. cont. Donatiſt. lib. 2. c. 1.

Itaque concidit illa æqualitas à Spalatenſi Auguſtini teſtimonio malè roborata. Et Stephanus quidem etiam Auguſtini teſtimonio ſe maiorem Cypriano facto ipſo probauit; Nam diſertis verbis Auguſtinus ſignificat Stephanum anathemate percuſſiſſe, ac è cœtu piorum eiiciendos duxiſſe omnes, qui baptizatos ab hæreticis denuo baptizarent. *Cùm ergo*, inquit, *Stephanus non ſolùm non rebaptizaret hæreticos, verùm etiam hoc facientes vel vt fieret decernentes excommunicandos eſſe cenſeret, ſicut aliorum Epiſcoporum & ipſius Cypriani litteræ oſtendunt, tamen cum eo Cyprianus in vnitatis pace permanſit.* Auguſt. de vnico Bapt. cont. Pelagian. c. 14.

Vincentius quoque Lirinenſis Stephani ſtudium verbis magnificentiſſimis ornat, *Cùm ergo*, inquit, *vndique ad notitiam rei cuncti reclamarent, atque omnes quaqua verſum Sacerdotes pro ſuo quiſque ſtudio reniterentur, tunc beatæ memoriæ Stephanus Apoſtolicæ ſedis Antiſtes cum cæteris quidem collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit; Dignum vt opinor*, inquit, *ille exiſtimans, ſi reliquos omnes tantum fidei deuotione vinceret, quantum loci authoritate ſuperabat.* Aduerſus Epiph. ſer. 110. c. 9.

Hæc vt vides commentario non indigent, *Sed*, inquit Spalatenſis, SPALAT. Num. 13.

Quid tibi videtur de reſiſtentia Cypriani aduerſus Stephanum? An putas Auguſtinum ſtomachari contra Cyprianum, quod aduerſus Chriſti Vicarium & vniuerſalem Epiſcopum, ac totius Eccleſiæ Monarcham, vnicus ipſe Stephani delegatus, nulla iuriſdictione, niſi à Stephano habita, & quam ſtatim ei poſſet auferre, inſtructus intumeſceret? Minimè verò. Reſpondeat Auguſtinus ipſe, & Spalatenſi faciat ſatis; *Iam illa,* inquit, *quæ in Stephanum irritatus effudit, retractare nolo, quia & non opus eſt. Eadem quippè ipſa dicuntur, quæ iam ſatis diſcuſſa ſunt, & ea præterire melius eſt quæ periculum pernicioſæ diſſenſionis habuerunt. Stephanus autem & abſtinendos putauerat, qui de ſuſcipiendis hæreticis priſcam conſuetudinem conuellere conarentur. Iſte autem quæſtionis ipſius difficultate permotus, & ſanctis charitatis viſceribus largiſſimè præditus, in vnitate cum eis manendum qui diuerſa ſentirent. Ita quamuis commotius, ſed tamen fraternè indignetur, vicit tamen pax Chriſti in cordibus eorum, vt in tali diſceptatione nullum inter eos malum ſchiſmatis oriretur. Non autem hinc vberius excreuerunt hæreſes, & ſchiſmata quia id quod in eis Chriſti eſt approbatur, quod autem ipſorum eſt improbatur. Magis enim qui hanc legem rebaptizandi tenuerunt in plura fruſta conciſi ſunt.* Et rurſus: *Correxiſſe autem iſtam ſententiam,* inquit, *non inuenitur, non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt quod correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt, quanquam non deſint qui hoc Cyprianum prorſus non ſenſiſſe contendant, ſed ſub eius nomine à præſumptoribus atque mendacibus fuiſſe confictum.* Non erat ergo quòd obductam cicatricem refricaret, aut vulnera Martyris reſcinderet; quem periculoſiſſimæ diſſenſioni viam muniiſſe ſubindicat Auguſtinus; Certè omnes Epiſcopos qui cum eo ſenſerant errati pœnituit, & reſipiſcentiæ eorum meminit Hieronymus. Quàm imprudenter igitur Pontifici opponitur factum Cypriani, aduerſus quem & obtinuerit Stephanus, & periculoſiſſimum errorem pro ſedis ſuæ authoritate damnarit. Certè Vincentius Lirinenſis negotij exitum verſans, quæ eſſent & ab eo & collegis tentata vniuerſa, *tanquam ſomnia, tanquam fabulas, tanquam ſuperflua, abolita, antiquata, fuiſſe* vrget, ac in antiquitatis triumphis ponit.

Auguſt. de bapt. contr. Donat. l. 5. c. 25.

Id. ep. 48. ad Vincent.

In Dialog. cont. Lucif.

Noſtris fermè diebus, inquit Spalatenſis, *Monarchiæ Romanæ feruentiſſimi defenſores, magna hac veritatis luce compulſi, æqualitatem hanc poſuerunt, & acrius propugnarunt. Incidit tempore Concilij Tridentini, inter Theologos, in ipſo Concilio præſentes acris diſputatio de reſidentia Epiſcoporum: eſſetne de iure diuino an Eccleſiaſtico tantùm poſitiuo. Aduerſus communiſſimam, & veriſſimam ſententiam, inſurrexit Ambroſius Catharinus: & pro ſolita ſua audacia, ſcriptis opuſculis reſidendi obligationem, ad ſolùm ius reduxit Eccleſiaſticum poſitiuum. Vnum ex præcipuis ipſius, quo nitebatur, fundamentis, fuit id quod præcedenti noſtro quinto cap. aſſeruit, & confirmare laborauit Bellarminus: nimirum, ſolum Papam accipere à Deo immediatè totam poteſtatem Papalem: Epiſcopos verò à Papa ſuam habere iuriſdictionis poteſtatem. Hanc poſitionem, tanquam falſiſſimam, pluribus, ſtatim conatus eſt euertere, Franciſcus Torrenſis. Qui rationibus verè conuincentibus, probauit, nihilo ſecius totam poteſtatem Epiſcopalem, etiam iuriſdictionis Epiſcopum quemque accipere immediatè à Deo, ſicut eam accipit Papa.* Neque verò tanti eſt apud nos Torrenſis authoritas, vt huius aduerſus Catharinum in Concilio Tridentino diſputatione moueamur; Cenſuerit Epiſcoporum non ſecus ac Pontificum poteſtatem à Chriſto proximè manare, hoc enim docent & plerique alij ortho-

SPALAT. Num. 14.

Torrenſ. tract. de reſiſt. Paſt.

Digitized by Google

Orthodoxi, æqualitatem tamen quam Spalatenſis propugnat improbauit, nec ei vnquam in mentem venit, vt omnes Epiſcopos Pontifici pares faceret, ſed vt ipſe quoque Spalatenſis aduertit, ficulneum eſſe argumentum eorum, qui ex eo quod Epiſcoporum vt Pontificis proflueret immediatè à Chriſto poteſtas, æqualitatem inter eos inducerent ſententia eſt Torrenſis. Ad argumentum enim reſpondet non rectè concludi, *Niſi*, inquit, *ſi quis velit inde deducere æqualitatem inter Epiſcopos & Papam, debere eum deducere æqualitatem inter Presbyteros & Epiſcopos, quod ſupponit abſurdum.* Sed quod pro abſurdo duxit Torrenſis Hieronymo, non fuiſſe yiſum abſurdum vrget Spalatenſis; *Hieronymus*, inquit, *id ei lubens concedit, nec agnoſcit abſurdum. Hoc ego quoad eſſentiale miniſterium veriſimum eſſe iam probaui ſupra cap. 3. Sed & iure diuino diſtinctos ordines ibidem fecimus Epiſcopalem & Presbyteralem, & Presbyteros Epiſcopis ſuppoſuimus; non autem Epiſcopos Epiſcopis, nec Presbyteros Presbyteris. In noſtram igitur ſententiam, imò in apertam veritatem conſentire cogitur & Torrenſis.* At hic errorem ex errore nectit Spalatenſis; falſum enim falſiſſimum eſt dumtaxat accidentariis muneribus differre Preſbyterum ab Epiſcopo, & ſiue alius cenſeatur vtriuſque character, ſiue amplitudine dumtaxat character Epiſcopi à charactere Preſbyteri diſtinguatur, intrinſecè & formaliter hi duo ordines diſcriminantur etiam Hieronymi ſententia (de qua aliàs eſt à nobis dictum) quippè qui initiandorum Sacerdotum poteſtatem Epiſcopis tribuerit, qua neque ex officio, neque ex delegatione potiri poſſint Preſbyteri; vt vel hinc appareat Epiſcopos ex vi ſui ordinis Preſbyteris antecellere, quod certè nonniſi intrinſeca & formali, vt vocant differentia admiſſa probari poteſt.

Spalat. Num. 14.

Quod verò rationibus nil proficere ſe videat Spalatenſis, iam ad contumelias ſe conuertit, atque per ſummum ſcelus ac impudentiam Pontificem perditiſſimæ ambitionis poſtulat, eumque vſurpati diuini honoris reum facere tentat homo totus à Deo alienus, & ne quis excuſaret ac diceret Pontificem *quadam participatione diuinæ poteſtatis* ſe venditare, verè *& manifeſtiſſimè propriam ſibi arrogare diuinam poteſtatem*, os impudens clamat & obgannit. Probat verò primùm, quia *Innocentius tertius ſexies ad minimum, quod*, inquit, *ego obſeruaui, ſeriò reſcripſit: publiciſque ac ſolemnibus litteris ſuis in Corpus etiam iuris Canonici pro vniuerſali Eccleſiæ lege redactis, apertiſſimè declarauit; ſe Dei locum in terris tenere, & vinculum matrimonij rati iam & conſummati inter Epiſcopum & Eccleſiam ſuam occaſione mutationis ſeu tranſlationis ad aliam ſedem diſſoluere, non vt hominem, ſed vt Deum; quia quos Deus coniunxit homo non poteſt ſeparare, ſed Deus. Hinc iam paſſim à ſuis Paraſitis, publicis etiam ſcriptis in Romana Eccleſia maximè plauſibilibus Papa vocatur vice-Deus & Deus in terris, imo & Deus abſolutè.* Sed mera eſt calumnia, Non enim hic Innocentius homo mortalis ſe pro diuina, quam ſibi tribuat, poteſtate *vinculum matrimonij rati iam & conſummati inter Epiſcopum & Eccleſiam ſuam, occaſione mutationis ſeu tranſlationis ad aliam ſedem diſſoluere*, aſſerit, ſed authoritate ſibi in his à Deo communicata id ſe facere: Quod itaque ait ſe *non vt hominem, ſed vt Deum* matrimonium huiuſmodi dirimere, non aliud ſonat quàm Pontifici hanc traditam à Deo & conceſſam poteſtatem, quippè à quo ſit Eccleſiæ ſuæ caput impoſitus. Gloſſam vel corruptam cenſemus, vel ab homine minimè Theologo, ſed ad Ethnicorum Iu-

Spalat. Num. 15.

Innoc. 3 l. 1. ep. 326. 345. 447. 491. 503. 532. & cap. 2. 3. 4. de tranſl. Epiſc.

Gloſ. in extrauag. cùm inter. de verb. ſign. in fine.

Digitized by Google

riſcõſultorum de Imperatoribus diſſerentium loquendi formas exigente Pontificum titulos profectam exiſtimamus; ſed verior eſt coniectura, verba ſincerioris Gloſſæ *non habere Dominũ Deum noſtrum, ſed duntaxat Dominum noſtrum.* Malè verò à matrimonio ſpirituali ad carnale argumentũ texit. Atque cuique exploratum eſt ſtrictius vinculũ eſſe carnalis quàm ſpiritualis matrimonij, vt propterea huius non illius dirimendi poteſtatẽ ſibi meritò tribuerit Innocẽtius. Ergo neque propterea Pontificithus eſt adolendum, neque latria exhibenda, ſed qui hoc ex Innocentij dictis colligit, formando myſterio iniquitatis operam ſuam locaſſe non obſcurè ſignificat, quippè qui in ſanctiſſimum Chriſti Vicarium ſit inuerecundè contumelioſus. Ridendum verò ſe propinat ſuis de cultu Sanctorum, & adoratione ſanctiſſimæ Euchariſtiæ ineptiſſimis ac blaſphemiarum refertiſſimis obſeruationibus, quas perſequi vaniſſimæ fuerit leuitatis. Certè ſi qui non lapſu linguæ, ſed conſultò eas blaſphemias quas explicat promere audent, non ſolùm non ſunt ferendi, ſed etiam ſeueriſſimis pœnis ſunt coërcendi. Quantopere fœdæ illæ adulationes ſanctiſſimis Pontificibus diſpliceant, ipſi teſtes ſumus, qui olim vidimus fœlicis recordationis Paulum quintum vehemẽtius commotum in Theologum Dominicani ordinis, qui dicatis Theologicis Theſibus auguſtiores quàm modeſtiſſimus Pontifex ferret titulos, ac in his Vice-Dei, nomen ei tribuiſſet.

Exo. 4. Pſ. Cæterùm moneo pium & cordatum lectorem Moyſi ac Magiſtratibus omnibus Dei nomen à ſcriptura tributum, ac etiam Epiſcopis delatum à Conſtantino; Moneo rurſus Vice-Dei non ſolùm Pontificem, ſed omnes omnino Epiſcopos & Sacerdotes, quibus ille laxãdorum peccatorum poteſtatem fecerit eſſe; Addo neque ipſum Spalatenſem ire poſſe inficias quippè qui ſuprà, Epiſcopos & Sacerdotes Dei Vicarios fecerit, ac Vice Dei eſſe voluerit. Itaque Sycophanta non quid dicat, verùm vt dicat quærit. Durius loquutum pro ſæculi barbarie, fateor Bertrandum Cardinalem Eduenſem Epiſcopum, & potuiſſe aliquantò modeſtiùs, & multò prudentiùs ſcripſiſſe, *Decuiſſe diuinam Chriſti ſapientiam, vt Vicarium ſuum in terris ampliſſima poteſtate ornaret*; illa enim verba *diſcretus non fuiſſet*, & minus Latina ſunt, & aures ipſas potiſſimùm delicatas, quales habet Spalatenſis, oſtendunt.

Quod addit Spalatenſis *Chriſtum vt Deum in terris Vicarios non habere, ſed tantùm vt hominem*, falſitatis, addo etiam impietatis plenũ eſt, atque pugnat iſtud cum totis paginis huius capitis, quæ nil aliud nobis obtrudunt, quàm Epiſcopos & Sacerdotes Apoſtolorum ſucceſſores Dei Vicarios eſſe in relaxandis peccatis, quæ tamen poteſtas à Chriſto, non quà homo ſolùm ſpectatur, ſed etiam quà Deus eſt illis conceſſa; Neque enim dare Spiritum ſanctum aut remittere pecca-

Eſa. 43. v. 25 ta, humanæ eſt fragilitatis, ſed poteſtatis planè diuinæ. *Ego ſum*, inquit, *Deus qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Ac propterea hanc poteſtatem Apoſtolis communicaturus, imitari ſe Patrem dixit,

Ioan. 20. *Sicut*, inquit, *miſit me Pater, ego mitto vos. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittentur eis, & quorum retinueritis retinebuntur.* Putida verò ſunt ac ab impuro ore manant, quæ in ſanctiſſimam poteſtatem fortaſſe, & à vino & ab odio ebrius eructat, inuerecundus aduerſarius. Palpat tamen Pontificem, & eos imitatur qui Chriſtum Prophetam & Regem ſalutatum ludibriis dehoneſtarunt, ac verbis & verberibus inceſſerunt. Cum Simone

Digitized by Google

Simone Mago eum conferre non veretur, ac ore in cœlum posito Christum Dei mordet, lacerat; violat, ac omnis generis contumeliis onerat. Vereor tamen ne iras eius acuam.

Bacchæ bachanti si vis aduersarier ex insana reddes insaniorem.

Valeat igitur, & quantum volet genio & linguæ indulgeat, eius calumnias ignis qui non extinguitur, absterget.

DISCVSSIO
SEPTIMI CAPITIS
LIBRI SECVNDI

CONSPECTVS CAPITIS.

Spalatensis antilogia: Quo se fuderit Apostolorum potestas; Vt sortitione inter se facta certis regionibus suam operam addixerint, potuisse tamen vbique terrarum Apostolica munia obire: Pauci priuatarum vrbium Episcopi: sortitionem terrarum nihil amplitudini potestatis Petri officere: Explicati in hanc sententiam aliquot Patres: Apostoli in Ecclesiis à se fundatis priuatos Episcopos creabant: Hi priuati Episcopi aliquando Euangelistæ vocantur, nimirum quorum opera in aliis etiam gentibus conuertendis vterentur Apostoli: Apostolica potestas reuocata ad vnam Petri sedem: Irenæus & Cyprianus declarati: Apostolos Neophytis Episcopis non defuisse, nec tamen sedes eorum occupasse: Sententia priuatos Episcopos fuisse Apostolos versata: Alia quæstio de Diœcesecon distinctione disputata: Quid in his Principes præstiterint: Ecclesiarum priuilegia à Pontifice: Ineptè Spalatensis officia charitatis cum Iurisdictionis muniis confundit: factum Epiphanij apud Hieronymum diligenter excussum: Ioannis Hierosolymitani improbum factum: de Polycarpo & Irenæo: Quo sensu magni viri Cyprianus, Athanasius, Osius Cordubensis vniuerse Ecclesiæ curam habuisse dicti: de Lucifero Caralitano, Eusebio Vercellensi, Hilario & Eusebio Samosateno: Theophili Alexandrini laudes in profligandis Origenistis: Egregium de eo Hieronymi testimonium: in alienas tamen Ecclesias potestatem non habuit, multo minus Cyrillus eius nepos, qui etiam in debellando Nestorio authoritate Pontificis opus habuerit: Quas partes sibi sumpserit Augustinus in Electione Episcopi Milenitani: Delegatione Carthaginensis Ecclesiæ ad Innocentium Pontificem pro ei reconciliando Theophilo: Pontificis monita ad alios Episcopos cum imperio: fusè de Iuone Carnotensi: quatenus Episcopi priuati de sententia Almayni possint monere reliquos ad Cõcilium celebrandum: Residentiam Episcoporum esse de iure diuino, sed malè probari authoritate epistolæ suppositiæ, ac falso Damaso ascriptæ: scrupuli aliquot explicati: speciatim num Episcopis liceat diutius in aulis Principum versari: Innocentius III. defensus: de suffraganeis Episcopis: veri nominis Episcopos esse: de Episcopatu Gregorij Nazianzeni.

SPALAT. Num. 1.

VOD fuerunt Apoſtoli ſuo tempore in Eccleſia, hoc exceptis Apoſtolatus propriis priuilegiis, prorſus eſſe Epiſcopos ipſorum ſucceſſores, iam puto reddidi, manifeſtiſsimum. Apoſtolos verò ſingulos plenam habuiſſe Epiſcopalem poteſtatem, nulli certo loco à Chriſto Domino alligatam, neque vlla certa Diœceſi circumſcriptam, probaui lib. 1. c. 8. num. 5. & cap. 10. num. 21. 26. Poterant enim ſuam Epiſcopalem authoritatem pleniſsimè exercere in omni loco totius mundi, in quo eſſent præſentes: & ſicut habitu, ſeu mauis dicere in actu primo, erat eorum quiſque Epiſcopus totius mundi terreni; ita actu, ſeu in actu ſecundo, quiſque eorum Epiſcopus illius tantùm loci erat, quem actu ipſo regebat in ſpiritualibus. Et initio quidem ex communi, & mutuo conſenſu, non ſine interna Spiritus ſancti inſtitutione, quia pauci erant, & ipſi ſoli duodecim, ſeu paulò plures Apoſtoli; vt teſtes oculati vitæ, & Reſurrectionis Ieſu Chriſti, erant per vniuerſum mundum Euangelium diſſeminaturi; valdè magnas & latiſsimè patentes diœceſes ſinguli, ac inter ſe diuerſas, ſunt ſortiti; vt ampliſsima Regna, pro ſua quiſque diœceſi haberet, in qua quiſque eorum eſſet Epiſcopus actualis. Quam diuiſionem regionũ potiuſquàm diœceſum, non Petrus fecit; vt aliqui ex noſtris ſomniant, ſed ex cõpoſito ſimul omnes: id enim expreſsè docet Paulus, vbi ſcribit dextras ſocietatis inter ipſos datas, vt Iacobus, Cephas, & Ioannes in circumciſionem; Paulus verò & Barnabas, in Gentes ferrent Euangelium. Hinc nomine, & re vera Theologus, Gregorius Nazianzenus, ſingulis pene, ſingulas attribuit Prouincias; non minus Petro, quàm cæteris, quia & ipſum non vniuerſalem totius orbis facit Epiſcopum ſicut ferè Paulum; ſed Iudææ ſingularem: Sit, inquit, Petri Iudæa; Pauli Gentium vniuerſitas; Lucas ad Achaiam mittatur; Andreas ad Epyrum, Ioannes ad Epheſum; Thomas in Indiam; Marcus in Italiam &c. Concilium verò Aquenſe, Petro dat Occidentem; Ioanni Orientem: Paulo totam generaliter mundi latitudinem. At verò Didymus quemque Apoſtolum inſtinctu Spiritus ſancti, regiones ſibi deſignaſſe ſcribit.

Gal. 2.

Nazian. orat. 24. adu. Arian.

Conc. Aquenſe ſub Pipino l. 1. c. 12.

Suprà lib. 1. c. 10. n. 26. huius operis.

VANDO QVIDEM ſolemne eſt mendaciorum artificibus pugnantia dicere, à ſeipſis diſſentire, ac contradictionibus ſeſe implicare, efficere non potuit Spalatenſis, quin hac ſe labe toto hoc opere conſpergeret, & ſecum pugnaret ipſe, maximè verò in quæſtione de Epiſcoporum inter ſe æqualitate. Hanc vt ſuaderet aſſumpſit *Apoſtolis eos omnino pares eſſe*, ſed cùm à noſtris opponi ſibi videret *Apoſtolos ea amplitudine poteſtatis præditos fuiſſe quàm non habeant Epiſcopi, cùm illi in totum terrarum orbem dimiſſi vbiuis gentium munia Apoſtolica obire poſſent, Epiſcopi verò definitas ſedes habeant*, occurrit, quod Apoſtoli in Eccleſias orbis terrarum poteſtatem nacti ſint, *priuilegium eorum fuiſſe quod ad Epiſcopos non tranſierit, cæterùm ad eos tranſiiſſe reliquam poteſtatis amplitudinem qua potiebantur*, ſed præter quam quod plura addi poſſunt, in quibus Apoſtolorum gloriam non æquant, vt eſt ſupra à nobis demonſtratum, hoc ipſum quod priuilegium vocat, Apoſtolatui ita connexum fuit, vt Apoſtolus eſſe non potuerit qui eo caruerit, ac proinde cùm non habeant Epiſcopi Apoſtolis pares non ſunt. Itaque hac parte excluſus, aliò ſe recipit, ac contra poſitam à ſe doctrinam Apoſtolos *actu* vt diſtinguit, *Epiſcopos* facit certarum Diœceſeum, aut potius regionum quibus ſortitione inter ſe facta ſuam operam addixerint, quanquam orbis terrarum Epiſcopi eſſent, *habitu*

verò

Digitized by Google

verò totius orbis Episcopos facit. Ego quidem nullus dubito Apostolos quà Apostolos in toto terrarum orbe Apostolicas functiones obire potuisse, sed certæ alicuius sedis Episcopos fuisse, paucis exceptis, non inuenio, ac etiam Iacobum de quo esset id penè omnibus scriptoribus constitutum, solio Hierosolymitano deturbare est conatus. Inficiari verò non potest Apostolos quà Apostolos lustrasse regiones quæ eis sorte obtigissent, vt paulò duriùs sit eorum Apostolatum intra certorum Episcopatuum terminos coercere, nisi fortè velimus nunquam pro Apostolis, sed semper pro Episcopis se gessisse. Quod attinet ad Prouinciarum sortitionem, fateor de ea inter illos conuenisse, sed Petrum nil præ cæteris in eis diuidundis habuisse, quî verò probauerit Spalatensis reluctantem ac obsistentem nactus aduersarium? Neque enim id locus Pauli quo significat *sibi dextras societatis dedisse Petrum, Iacobum & Ioannem*, vt scilicet Iacobus, Cephas & Ioannes in Circuncisionem, Ipse verò & Barnabas in gentes Euangelium ferrent, euincit. *Hæc enim*, ait Benedictus Iustinianus, *Apostolici muneris distinctio non ius Apostolicum, aut auctoritatem dissecat, sed singulis suas veluti Prouincias ad commodiorem Euangelij promulgationem distribuit; vt enim ex Origene commemorat Eusebius, Apostoli in eum finem certas orbis terræ partes sortiti sunt, cùm tamen omnibus gentibus æquè omnes possent Euangelica præcepta tradere. Quocirca non absimili ratione Petrus & Paulus ita sibi docendi munera partiti sunt, vt Petrus quidem Iudæorum præcipuè, Paulus autem gentium patrocinium, ac procurationem susciperent, cùm alioqui ex Actis Apostolicis constet Paulum non paucis Iudæis Euangelicam tradidisse doctrinam, & Innocentius Pontifex affirmet in tota Italia, Gallia, Hispania, Africa, Sicilia, Ecclesias partim à Petro, partim ab iis quos Petri successores delegerant, fuisse constitutas.* Gal. 2. Benedictus Iustinian. in c. 2 ad Gal.

Gregorij Nazianzeni eum non iuuat locus, vt superiore libro ostendimus; falsum enim est singulis singulas attribuisse prouincias, eorum solùm peregrinationes recenset, ac exteras gentes adiisse, nec inter contribules suos vitam egisse vrget vt cauillum abstergeret eorum qui ei peregrinitatem obiicerent. Concilium etiam Aquense, cùm *Petro dat Occidentem, Ioanni Orientem, Paulo totam generaliter mundi latitudinem*, Peregrinationes eorum, non verò Episcopatus describit; Didymus verò nil habet quod nos lædat. Scribit *quemque Apostolorum instinctu Spiritus sancti regiones quas lustrarent sibi delegisse*. Hoc verò vltro damus, cùm constet in omnibus quæ illis Ecclesiæ initiis molirentur illis affuisse Spiritum sanctum, sed propterea eos Petro non subducit, qui credo & ipse Spiritu sancto perfusus, & pro dignitate capitis illustratus omnino fuit. *De loco Gregorij Naz. diximus superio. lib.* Conc. Aquense sub Pipino l. 1. cap. 12.

Admitto quoque quod scribit Spalatensis, *Apostolos quocunque se reciperent Ecclesias particulares fundare solitos, ac Episcopos renunciare, quos eis rectores imponerent*, sed hoc planè demonstrat illis locis non egisse Episcopos, sed hanc prouinciam aliis demandasse, quippe qui alio sibi migrandum scirent, nec diutius institutis à se in fide Christianis suam operam impendere possent. Fateor quoque eos *non solùm discipulos à se optimè institutos, ac Episcopatu initiatos in eas terras dimisisse, ad quas ipsi accessuri non essent, verùm etiam huiusmodi Episcopis potestatem fecisse per ampliſsimas regiones alios Episcopos creandi*, id enim factum Pauli satis probat, qui in populosissima Cretæ Insula Titum reliquit, vt ei Episcopos daret & presbyteros. Non abnuo quoque *opera eorum quibus eas Prouincias committerent in aliis instituendis Ecclesiis vsos*, cùm constet Titi industria vsum Paulum in confirmandis Ecclesiis Dalmatiæ & Græciæ; Neque SPALAT. Num. 2. Eod. nu. 2. Ep. ad Tit. cap. 1.

2. Tom. 4. verò propterea ſequitur hos quos mitterent non habuiſſe conſtitutas, ac definitas ſui Epiſcopatus ſedes; Aliarum enim regionum veluti Euangeliſtæ erant, vnde & Timotheum hortatur vt opus Euangeliſtæ faciat (Euangelij ſiquidem præconem, non Euangeliorum ſcriptorem hic ſignificat nomen Euangeliſtæ) ſed conſtitutæ ſibi Prouinciæ Epiſcopi cenſebantur; Quod facilè probari poteſt teſtimonio Actorum, quo imprudentiſſimè vtitur Spalatenſis, *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei quam acquiſiuit ſanguine ſuo.* Certum eſt enim Epheſi vnum Epiſcopum conſtitiſſe, ad quem ſcripſerit Ioannes, vt liber Apocalypſis teſtatur. *Angelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe*, inquit Angelus Ioanni, vt propterea inter reliquos miniſtros, & illum Epiſcopum, quem Angelum illius Eccleſiæ ſcriptura indigitat, ſit diſtinguendum, ac ſtatuendum hunc certam ſuam ſedem Epheſi habuiſſe, non verò etiam Philadelphiæ, Smyrnæ Thyatræ, aut aliis Aſiæ ciuitatibus, quæ ſingulæ ſuos quoque Angelos haberent.

SPALAT. Num. 2. Act. 20.

Apoc. 2.

Vt autem quidam eorum creditas ſibi terras aliquando deſeruerint, alibi opus facturi Euangeliſtarum, nuſquam tamen totius vniuerſi Epiſcopos eſſe ſe ſunt profeſſi. Barnabam verò non in Epiſcoporum ſolùm, ſed & in Apoſtolorum numero ponimus; Cenſemus verò & Syllam & Timotheum, Creſcentem ac Titum initiò diuerſas orbis partes vt Apoſtolos iuuarent luſtraſſe, ſed qui ex eorum numero Epiſcopatus capeſſere voluerunt, ac certis Eccleſiis ſe addixerunt, nullarum præterea Epiſcopi fuerunt, vt Spalatenſi aliquantò ſapientior Chryſoſtomus non obſcurè docet. Neque propterea intereuntibus Apoſtolis interiit poteſtas, ad ignotas terras concionatores mittendi. Perſeuerat enim ea poteſtas in Petri ſucceſſoribus, qui in his quæ ad publicum Eccleſiæ regimen pertinent, Apoſtolorum poteſtate etiamnum potiuntur. Id verò ferre non poteſt Spalatenſis, ſed homo dementiſſimus ineptire eos cenſet qui aſſeuerent; atque vt fidem inſolentiſſimæ aſſertioni faciat, ea loca Patrum affert quæ ſua etiam placita euertant. Certè, inquit, *Irenæus de Apoſtolis Epiſcopos inſtituentibus in Eccleſiis hæc habet; Valdè perfectos & irreprehenſibiles in omnibus eos volebant eſſe, quos & ſucceſſores relinquebant, ſuum ipſorum locum magiſterij tradentes. Quid verò eſt ſuum locum Magiſterij tradere Apoſtolos Epiſcopis, niſi illos eodem modo magiſtros facere quo illi erant; vniuerſales quidem in habitu, particulares verò in actu, & cum eadem poteſtate pro opportunitate excurrendi?* Et Cyprianus, *Epiſcopos à Deo habere aſſerit Ducatum Apoſtolatus. Hoc eſt vt ſint Duces in Eccleſia quales Apoſtoli fuerunt.* Atqui ſi hæc vera ſunt, falſum igitur quod ſupra dicebat Epiſcopos Apoſtolis ſucceſſiſſe, non quà Apoſtoli erant, ſed quà Epiſcopi tantùm, ſiquidem illi quos Apoſtoli magiſtros *eodem modo fecerunt quo illi erant, vt quos voluerunt in Eccleſia eſſe duces, quales Apoſtoli erant.* planè Apoſtolis, quà Apoſtoli erant, ſucceſſerunt, neque quidquam in Apoſtolatu cogitari poteſt, quod in illorum Epiſcopatu non deprehendatur, ita ſecum pugnat ac à ſeipſo diſſentit; Tum Irenæus igitur, tum Cyprianus eo ſenſu accipiendi ſunt, quo accipiendos eſſe ſuprà monuimus, proportione ſcilicet ſeruata & de imitatione, non verò de æquatione poteſtatis, vt quod in vniuerſa Eccleſia fuerunt Apoſtoli, hoc ſint Epiſcopi in priuatis ſuis Eccleſiis: Atque quidem cùm Apoſtoli vnum agnouerint Caput Petrum, quem ſacri illius Collegij principem tota antiquitas venerata ſit, non eſt quod eorum ſucceſſores, ſinguli ſingulas Cathedras ita ſibi vendicent, vt à Cathedra Petri defectionem moliantur:

Hom. 11. in Epiſt. ad Epheſ.

SPALAT. Num. 2. Iren. l. 3. c. cap. 3.

Cypr. de Aleator.

SPALAT. Num. 2.

Hoc

Hoc enim tentare non ausos ipsos Apostolos Optatus docet, cuius verba suprà non semel retulimus.

Quòd verò addit Spalatensis, *initio etiam Apostolos cum Neophytis Episcopis, qui eorum adhuc opera indigerent Ecclesias administrasse*, probè intellectum omnino verum est. Si enim dicatur pro munere Apostolatus illas quoque Ecclesias quas præsentia sua iuuarent, rexisse, difficultatem non habet; At si existimat Spalatensis Episcopos quoque illarum Ecclesiarum fuisse à vero omnino aberrat; Non sum tamen nescius ex nostris pleroſque in eam propendere sententiã, vt existiment fuisse quoque priuatarum ciuitatum Episcopos. Et Petrum quidem Antiochiæ primùm, deinde Romæ, Iacobum Hierosolymis, Ioannem Ephesi huiusmodi munus obiisse, alios denique alibi. Sed quod attinet ad Ioannem difficile probatu Ephesi Episcopum egisse, etiamsi ibi constiterit, quandoquidem Timotheum illi Ecclesiæ à Paulo impositum Episcopũ non obscurè indicat Paulus ipse, Et Ioannes quoque Angelum primum Episcopum Ephesinum habet in diuina illa sua Apocalypsi. At demus in priuatis Ecclesiis Episcopos fuisse, tamen illis non alligabantur, & Petrus ipse tum Antiochiæ tum Romæ Episcopum agens, orbis terrarum se Apostolum ostendit, ac dissitis terris leges dedit: Neque enim vnquam vnius eiusdem Diœcesis, nisi per errorem duo habiti sunt Episcopi; Satis scilicet erat Apostolatus munia illos obire, quorum vis *etiam actu* ad alias quoque se fundebat Ecclesias: Quid enim? Annon Paulus cùm Ephesi ageret, adeoque Corintho abesset, potestate externa Iurisdictionis in eam Ecclesiam vsus est, cùm incesto pollutum eius membrum Anathemate percussum Satanæ tradidit? Annon quâ Apostolus, non verò quâ Episcopus ius dixit, excommunicationisque sententiam tulit; *Ego quidem*, inquit, *absens corpore, præsens autem spiritu, iam iudicaui, vt præsens eum qui sic operatus est in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis & meo spiritu cum virtute Domini nostri Iesu tradere huiusmodi Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* 1. Cor. 5. Quæ verba author commentariorum Ambrosio ascriptorum de authoritate explicat; *Absens*, inquit, *facis præsens autem authoritate Spiritus qui nusquam abest.* Commentũ Amb. ad illum locũ. In nugis igitur reponendum quod Spalat. *de Iurisdictione illa sua externa potestatiua, quã asseuerat in dißitas Ecclesias actu non habuisse* commentatur. Imo eam habere se ostendit Apostolus beneficio Spiritus, qui vt loquitur Chrysostomus, *faciat omnes esse simul & vna, & efficiat ea etiam quæ sunt procul scire.* Chr. hom. 15. in 1. ad Cor. cap. 5. Iam verò conatur ostendere Spalatensis, *Ecclesiarum statu, Apostolorum excursionibus, constabilito, vnicuique Episcoporum circa propriam Ecclesiam*, quod nos vltrò concedimus, *laborandum fuisse cum singulis priuatæ Diœceses essent assignatæ.* Addit verò *hanc Diœceseon limitationem ex mero iure humano Ecclesiastico profectam, vt habetur apud Gratianum; Adeo vt*, inquit, *etiam Principes Laici propria authoritate & Episcopatus erexisse & fundasse ac dotasse inueniantur*: Respondemus verò ex iure quidem humano Ecclesiastico factum, vt limitibus circumscriberentur, ac distinguerentur Episcoporum Diœceses, sed hoc ius Ecclesiasticum contendimus exemplo niti Apostolorum, qui nouos hos limites fieri è re esse Ecclesiæ Spiritus sancti instinctu iudicarint; quare etiam apud Gratianum Calixtus cùm sanxisset nullum Episcopum alterius terminos vsurpare debere, hoc suum decretum firmat illis Deuter. verbis, *Non transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt Patres tui*, Deut. 19. Apostolos proculdubio intelligens. Namque ipso Apostolorum sæculo, Ecclesias

Ὅτι πάντας ὁμοῦ καὶ κατ' ἀυτὸ εἶναι πιεῖν, καὶ τὰ πόρρωθεν εἰδέναι καὶ παρασκευάζειν. SPALAT. Num. 4. Spal. Ibid. Idem ibid.

Digitized by Google

limitatas ac in Diœceſes diſtributas, quibus ſinguli Epiſcopi præeſſent, tam eſt manifeſtum, vt probatione indigere non videatur. Si parum certis niteremur, proferre poſſemus Metaphraſtem, in commentariis ac rebus geſtis Petri & Pauli, & Dorotheum in Synopſi, qui Petrum per plurimas gentes Epiſcopatus diſtinxiſſe, ac Epiſcopos creaſſe teſtentur; ſed longè certiora & ſolidiora ſunt quæ ex ſcriptura colliguntur. Igitur ex Scripturis hæc habemus. Paulus & Barnabas Lyſtram, Iconium & Antiochiam pertranſeuntes conſtituerunt illis per ſingulas Eccleſias Preſbyteros; Hos Epiſcopos fuiſſe non dubitat Spalatenſis, & indicant Interpretes. Rurſus Paulus Epheſo diſcedens Epiſcopos ſingularium illorum locorum alloquitur; *Quos poſuerat Spiritus ſanctus regere Eccleſiam Dei*, non vniuerſam vt omnes vident, ſed ſibi aſſignatam; quare etiamnum, vt ſuprà monebamus Ioannes, Aſiæ Eccleſias quæ Angelos, hoc eſt Epiſcopos haberent in Epheſi, Smyrnæ, Pergami, Thyatiræ, Sardis, Philadelphiæ, ac Laodiceæ Eccleſias diſtinxit. Iterum Paulus aſſerit ſe Titum Cretæ reliquiſſe, *vt conſtitueret per ciuitates presbyteros*, & proculdubio priuatos hos Epiſcopos alloquitur Apoſtolorum Principes; *Paſcite*, inquit, *qui in vobis eſt gregem Dei*, qui *in vobis* eſt dixit, vt creditas illis Eccleſias ſignificaret. Atque vt ex hiſtoria Eccleſiaſtica & Patribus exempla promamus, narrat Euſebius Ioannem Euangeliſtam, cùm ab exilio reuerteretur, per varia Gentium loca Epiſcopos conſtituiſſe, & ſcribit Irenæus Apoſtolos, *eam quæ vnoquoque loco eſt Eccleſiam Epiſcopis regendam tradidiſſe*, vt appareat ius Eccleſiaſticum omninò exemplo niti Apoſtolorum, qui Spiritus ſancti afflati inſtinctu Diœceſes circunſcripſerunt, ac limitibus diſtinxerunt. Quod attinet verò ad Laicos principes, hi quidem loca Epiſcopis aſſignarunt, attribuerunt, ac etiam dotarunt & inſtruxerunt, at poteſtatem aut iuriſdictionem haudquaquam contulerunt; ſed eam à Pontifice dari curarunt; Teſtis magnus Iuſtinianus, qui primæ Iuſtinianeæ ſuo beneficio & opera in Metropolim erectæ dignitatem recenſens, hoc ſe priuilegium à Vigilio Pontifice impetraſſe agnoſcit; *Per tempus*, inquit, *primæ Iuſtinianæ noſtræ Patriæ Archiepiſcopum habere ſemper ſub ſua iuriſdictione Epiſcopos Prouinciarum Daciæ Mediterraneæ, & Daciæ Ripenſis Priualis, Dardaniæ, & Myſiæ ſuperioris, atque Pannoniæ, & ab eo hos ordinari: ipſum verò à proprio ordinari Concilio, & in ſubiectis ſibi Prouinciis locum obtinere eum Sedis Apoſtolicæ Romæ, ſecundum ea quæ definita ſunt à ſanctiſſimo Papa Vigilio.*

Apud Surium in vitis Patrum ad diem Ap. Pet. & Paul.

Act. 14.

Act. 20.

Apoc. 2. & 3.

Tit. 1.

1. Pet. c. 5.

Euſeb. l. 3. cap. 23.

Iren. lib. 4. cap. 63.

Nouel. 131. cap. 3.

SPALAT. Num. 4

At inquit Spalatenſis, *Hæc Parochiarum ſeu Diœceſum inter Epiſcopos ad vitandam confuſionem diſtinctio, ne alter alterius turbaret regimen & gubernationem, non fuit adeo rigidè inſtituta; vt interim dictante charitate quilibet Epiſcopus non poſſet in alia etiam Diœceſi ſua vti poteſtate; quippe quæ iure diuino non eſſet locis circumſcripta. Ita Epiphanius Cypri Epiſcopus aliquando cùm eſſet in Diœceſi Hieroſolymorum in monaſterio Bethleemitico, Diaconum ordinauit quendam, & poſtea Presbyterum; illiuſque Monaſterij in ſpiritualibus fermè deſtituti, curam gerit non exiguam, illudque egregiè inſtituit & inſtruxit. Hac re offenſus Ioannes Epiſcopus Hieroſolymitanus, in Epiphanium excanduit. Ad quem Epiphanius increpatorias ſcripſit, & illum acriter obiurgauit tanquam immeritò iraſcentem. Ob Dei timorem, inquit, hoc ſumus facere compulſi, maximè cùm nulla ſit diuerſitas in Sacerdotio Dei, & vbi vtilitati Eccleſiæ prouidetur. Nam etſi ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi habent ſub ſe Eccleſiam, quibus curam videntur impendere, & nemo ſuper alienam menſuram extenditur; tamen præponitur omnibus charitas Chriſti.* Sed

Apud Hieron. ep. 60.

malè

malè omnino officia charitatis, cum iuriſdictionis muniis confundit: Fatemur equidem Epiſcopos ex charitate laboranti Eccleſiæ alienæ ſuam operam impendere poſſe, ac etiam pro viribus eam iuuare omnino teneri, ſed poſſe ex Iuriſdictione negamus ac pernegamus: atque ſi id concedatur turbas & confuſionem in Eccleſiam induci aſſeueramus. Neque verò quicquam eum iuuat factũ Epiphanij de quo Hieronymus. Imò ſi verum fateri licet maximè eum lædit, ac eius dogma funditùs euertit, noſtram verò ſententiam plane firmat. Sed veterator ac præſtigiator callidiſſimus ita locum verſat, vt ea reticeat quæ nobis faueant, proferat verò tantùm in lucem quæ pro ſuo dogmate in ſpeciem facere videantur: Res ita habet Epiphanius Salaminæ Cypri Epiſcopus, Palæſtinam & loca ſancta luſtrans in monaſterio Bethleemitico, quod fratrum peregrinorum qui Prouinciæ Ioannis Hieroſolymitani Epiſcopi nihil deberent, vt ipſe Epiphanius ſcribit, atque etiamnum propter ſuſpicionem hæreſeos qua ſe inquinaſſet ab eo diſſentirent, ac vt explicat Hieronymus communionis cœpiſſent habere diſcordiam Diaconum ordinauerat, ac rurſus Preſbyterum. Hac re offenſus Ioannes qui debuerat gratulari, cùm id ob Dei timorem facere compulſus eſſet Epiphanius, ne ſcilicet vt ipſe Epiphanius ſignificat, ab Epiſcopo ſuo diſſidentes viderentur quoque quadam duritia & conſcientia Epiſcopi antiquæ fidei ab Eccleſia ſeparari, mirum in modum excanduit, ac minitatus eſt ſe litteras ſcripturum in extremos fines terræ, quibus quereretur violatam Eccleſiaſticam diſciplinam. Epiphanius qui planè iniuſtam eſſe hominis de hæreſi valdè ſuſpecti querelam noſſet, tamen ei ſe excuſat: Atque primùm oſtendit ſe quidem in Diœceſi Hieroſolymitana Diaconum & Preſbyterum ordinaſſe, ſed *in monaſterio fratrum peregrinorum, qui eius Prouinciæ nil deberent*, vt iam agnoſcas non inuolaſſe eum in patrimonium Ioannis; Demum addit ſe etiam *charitatis neceſsitate compulſum*, quod ſcilicet illius monaſterij fratres, qui ſibi Sacramenta Domini conficerent, non haberent; nec Hieronymus & Vincentius qui adeſſent propter verecundiam & humilitatem vellent *nomini ſuo debita ſacrificia* exercere, proptereaque intumeſcere, ac iraſci non debuiſſe Ioannem contendit. Verba Epiphanij, interprete Hieronymo ſunt; *Nil tibi nocuimus, nihil iniuriæ fecimus, nec quicquam violenter extorſimus. In monaſterio fratrum, & fratrum peregrinorum, qui Prouinciæ nihil tuæ deberent, & propter noſtram paruitatem & literas, quas ad eos crebrò direximus, communionis quoque tuæ cæperunt habere diſcordiam, ne viderentur quadam duritia & conſcientia noſtra, antiquæ fidei ab Eccleſia ſeparari, ordinauimus Diaconum: & poſtquam miniſtrauit, rurſum Presbyterum: ſuper quo debueras gratulari, intelligens quod ob Dei timorem hoc ſumus facere compulſi: maximè cùm nulla ſit diuerſitas in Sacerdotio Dei, & vbi vtilitati Eccleſiæ prouidetur. Nam etſi ſinguli Eccleſiarum Epiſcopi habent ſub ſe Eccleſias, quibus curam videntur impendere, & nemo ſuper alienam menſuram extenditur: tamen præponitur omnibus Charitas Chriſti, in qua nulla ſimulatio eſt: nec conſiderandum, quid factum ſit, ſed quo tempore, & quomodo, & in quibus, & quare factum ſit. Cùm enim vidiſſem, quia multitudo ſanctorum fratrum in monaſterio conſiſteret, & ſancti presbyteri Hieronymus & Vincentius propter verecundiam & humilitatem nollent debita nomini ſuo exercere ſacrificia, & laborare in hac parte miniſterij, quæ Chriſtianorum præcipua ſalus eſt; inuenire autem & comprehendere ſeruum Dei non poſſes, qui te, eo quod graue onus Sacerdotij nollet ſuſcipere, ſæpè fugiebat; ſed nec alius quis Epiſcoporum facilè eum reperiret: vnde & ſatis mi-*

Epiphan. apud Hier. ep. 60. Ioa. Epiſc. Hieroſ.

Digitized by Google

ratus sum, quomodo dispensatione Dei ad nos venerit cum Diaconis monasterij, & cæteris fratribus, vt mihi satisfaceret, quia nescio quid aduersum eos habebam tristitiæ: cùm igitur celebraretur collecta in Ecclesia villæ, quæ est iuxta monasterium nostrum, ignorantem eum & nullam penitus habentem suspicionem, per multos Diaconos apprehendi iussimus, & teneri os eius; ne fortè, liberari se cupiens, adiuraret nos per nomen Christi: & primum Diaconum ordinauimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes vt ministraret. Valdè quippe obnitebatur, indignum se esse contestans. Vix ergo compulimus eum, & persuadere potuimus testimoniis scripturarum, & propositione mandatorum Dei. Et cùm ministraret in sanctis sacrificiis, rursus eum, ingenti difficultate, tento ore eius, ordinauimus presbyterum: & iisdem verbis, quibus antea suaseramus, impulimus vt sederet in ordine Presbyterij. Post hæc scripsimus ad sanctos presbyteros monasterij, & cæteros fratres: & increpauimus eos, quare non scripsissent super eo, cùm ante annum multos eorum queri audissem, cur non haberent, qui sibi Domini Sacramenta conficerent, & illum omnes suo poscerent testimonio, & grandem vtilitatem in commune monasterij testarentur: quare tunc reperta opportunitate, non scripsissent nobis, neque super ordinatione eius aliquid poposcissent. Hæc ita acta sunt, vt locutus sum in charitate Christi, quam te erga paruitatem nostram habere credebam: quanquam in monasterio ordinauerim, & non in parochia quæ tibi subiecta sit. Itaque duplici ratione se tuetur, primùm quòd nulla vsurpatione, sed mera charitate Christi adductus cuncta peregerit, ratus etiam rem gratam Ioanni quem sui amantissimũ crederet se facturum. Hoc vt probet infrà addit vanos fuisse rumores, qui circumferrentur de inhibitione sibi à Ioanne facta, ne in sua Diœcesi vllos ordinaret, ac sanctè iurat nihil ea de re se vnquam compertum habuisse; Demum contendit Ioanni querendi iustam occasionem non fuisse, quod in monasterio ordinasset, & non in Parochia quæ illi subiecta esset. Cæterùm protestatur se nil vnquam in ordinationibus faciendis vsurpasse, quòd Ecclesiam scinderet, sed ex charitate quædam & indulsisse aliis, & quædam sibi tribuisse quorum eum

Idem ibid. non pœniteret, *O verè benedicta*, inquit, *Episcoporum Cypri mansuetudo, & bonitas, & nostra rusticitas sensu tuo & arbitratu digna misericordia Dei. Nam multi Episcopi communionis nostræ & presbyteros in nostra ordinauerunt* Prouincia, *quos nos comprehendere non potueramus, & miserunt ad nos Diaconos & Hypodiaconos, quos suscepimus cum gratia. Et ipse cohortatus sum beatæ memoriæ Philonem Episcopum, & sanctum Theoprobum, vt in Ecclesiis Cypri quæ iuxta se erant, ad meæ autem Parochiæ videbantur Ecclesiam pertinere, eo quòd grandis esset, & latè patens Prouincia, ordinarent presbyteros, & Christi Ecclesiæ prouiderent. Nunquam autem ego ordinaui Diaconissas, & ad alienas misi Prouincias, neque feci quidquam, vt Ecclesiam scinderem.* Igitur locus à Spalatensi inductus eum iugulat, neque Epiphanius ex officio, sed dumtaxat ex charitate in aliena Diœcesi potuisse se clericos ordinare existimauit, & quod in Bethleemitico monasterio peregit, non potest alio trahi, cùm Parochia Episcopo Hierosolymitano subiecta non esset.

Spalat. Num. 4. *At*, inquit, *Hierosolymitano Patriarchæ* (de titulo scilicet) *propter hæresim anathema interminatus est*; Id verò quî probat? Postquam primùm ostendisset Epiphanium *charitatiua potestate*, vt ille quidem ambiguas sententias librans ac dispensans loquitur, *non vlla iurisdictione*, quam in Patriarcham Hierosolymitanum Cyprius Episcopus non haberet, Ioannem modestè increpasse sequentia

profert

profert, quibus eum acrius pungit. *Feciſtis nos*, inquit, *etiam pœnitentiam agere quare vobis communicauerimus; ita Origenis errores & dogmata defendentibus. Simpliciter loquor, nos ſecundum quod ſcriptum eſt, nec oculo noſtro parcimus, vt non effodiamus eum, ſi nos ſcandalizauerit: nec manui, neque pedi, ſi nobis ſcandalum fecerit; & vos ergo, ſiue oculi noſtri, ſiue manus, ſiue pedes fueritis, ſimilia ſuſtinebitis. Audis*, inquit, *Epiphanium aduerſus Hieroſolymitanum Patriarcham excommunicationem comminantem? Ita vbi cauſa communis eſt, & tractatur de hæreſi, quiſque Epiſcopus aduerſus quemcunque alium, etiam ſummum, debet ex officio proprio, propriaque authoritate, quam à Deo non loco alligatam habet, opponere murum pro domo Dei. Mox verò idem Epiphanius ſuo conatu, apud vniuerſas penè Eccleſias effecit, vt Origenis malæ ſententiæ publicè damnarentur. Hanc verò vniuerſalem eſſe in vnoquoque Epiſcopo, vbi charitas ita poſtularit, poteſtatem libet nunc pluribus confirmare.* Ego verò non audio quod ingerit Spalatenſis, Epiphanium Patriarchæ Hieroſolymitano aut diem dixiſſe aut excommunicationis ſententiam interminatum fuiſſe, tantùm illud audio ſapientiſſimum ſenem Iuuenem Epiſcopum ab Origenis erroribus deterruiſſe propoſita ei Eccleſiæ cenſura, quam ſibi ſi perſeueraret impendere, dubitare non poſſet. At præterquam quod hæretici iure ipſo ſunt ab Eccleſia præciſi & abſtenti, neſcire non potuit Epiphanius futurum, vt Ioannem impenſius Origeni fauentem, ac eius dogmata totis viribus propugnantem, ſuus Patriarcha Antiochenus ſcilicet Antiſtes Orthodoxus anathemate feriret, ac diris deuoueret. Sed credo non ſtatuerat Epiphanius hanc Prouinciam occupare, aut excommunicationis fulmen in Epiſcopum Hieroſolymitanum contorquere. Potuit tamen Patriarcham Antiochenum monere, atque apud eum precibus & adhortationibus ſuis efficere, vt eum qui Eccleſiam turbaret, ac Origenis ſe importunum defenſorem præberet, anathemate percelleret, & cœtu ac ſacris fidelium interdiceret. Sed quàm inſcitè ac impudenter factum Epiphanij ad inſtitutum ſuum curuare nititur, cùm contrà in eo explicando ea habeat Hieronymus, quæ omnino probent circumſcriptam, & certis limitibus definitam Epiſcoporum poteſtatem. Scripſerat ad Theophilum Patriarcham Alexandrinum Ioannes ille Hieroſolymitanus, vt ſe purgaret, & ſe Orthodoxum probaret, cuius rei indignitate motus Hieronymus eum his verbis exagitat; *Scribit*, inquit, *ad Theophilum Epiſcopum Apologiam, cuius illud exordium eſt; Tu quidem vt homo Dei & Apoſtolica ornatus gratia curam omnium Eccleſiarum, maximè eius quæ in Hieroſolymis eſt ſuſtines; cùm ipſe plurimis ſolicitudinibus Eccleſiæ Dei quæ ſub te eſt diſtringaris. Laudat faciem ad perſonam principum trahit, Tu qui regulas quæris Eccleſiaſticas, & Nicæni Concilij Canonibus veteris, & alienos clericos, & cum ſuis Epiſcopis commorantes tibi niteris vſurpare; reſponde mihi ad Alexandrinum Epiſcopum Palæſtina quid pertinet? Ni fallor hoc tibi decernitur, vt Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia. Aut igitur ad Cæſarienſem Epiſcopum referre debueras, cui ſpreta communione tua, communicare non noueras: Aut ſi procul expetendum iudicium erat Antiochiam potius litteræ dirigendæ. Sed noui cur Cæſaream cur Antiochiam nolueris mittere. Sciebas quid fugeres, quid vitares. Maluiſti occupatis auribus moleſtiam facere, quàm debitum Metropolitano tuo honorem red-*

Spalat. Num. 4.

Hierem. 13.

Apud Hier. epiſt. 67.

Hieron. ad Pammach. adu. error. Ioan. Hier. ep. 61.

dere. Viderit ergo Spalatenſis, num hæc pro ſua ſententia faciant, num verò potius noſtram aſſerant.

SPALAT. Num. 5. Irc. l. 3. adu. hæreſ. c. 3. At inquit, *Polycarpus Apoſtolorum diſcipulus Smyrnæ primus Epiſcopus, ſub Aniceto venit Romam fidei cauſa, & in Aniceti ſummi Pontificis Eccleſia propria curam geßit Epiſcopalem præſente Aniceto; nimirum in ea Euangelizauit, multoſque hæreticos conuertit in Eccleſiam Dei: veritatem fidei annuncians, quam ipſe ex ore Apoſtolorum didicerat; eamque veritatem tradidit Eccleſiæ, vt narrat Irenæus, qui eundem Polycarpum iuuenis cùm eſſet viderat. Eiuſdemque Polycarpi zelum magnum contra hæreſes colligi ſcribit idem ex Epiſtolis, quas, inquit, cùm ad vicinas Eccleſias quo eas confirmaret; tum ad quoſdam fratres, quo eos tum admoneret, tum cohortaretur, miſit.* Præſtitit ſcilicet iſta ex charitate & zelo Polycarpus, ſed minimè citra facultatem ſibi ab Aniceto factam. Certè quam benè Polycarpo cum Aniceto conuenerit, à quo etiam Romæ ritus qui in Eucharistia peragi ſolent obeundi poteſtatem acceperit, Euſebius teſtatur. *Irenæus*, addit Spalatenſis, *etiam ipſe, Cùm quidam ſanam & ſinceram Eccleſiæ conſuetudinem Romæ deprauare ſtuderent, varias contra eos, ſcribit Euſebius, compoſuit Epiſtolas. Irenæus igitur Lugdunenſium Epiſcopus Romanæ Eccleſiæ laboranti ſuccurrit, & Eleutherum adiuuat, vt Romanæ Eccleſiæ ſincera conſuetudo ab hæreticis non labefactaretur.* Scripſiſſe Irenæum Epiſtolas, vt eximia qua pollebat doctrina laboranti Romanæ Eccleſiæ opem ferret audio, Iuriſdictionem aut poteſtatem in ea regenda oſtentaſſe non audio; illud citrā alieni iuris vſurpationem præſtare potuit, imò omnino ex charitate & zelo debuit, hoc verò ſine noxa & graui ſcelere non potuit. Similis eſt ratio de Cypriano quem conſtat *vniuerſam Eccleſiam ſuo ſtudio, ac laboribus* iuuiſſe, nullius verò vnquam collegarum in patrimonium inuolaſſe, vt etiam Marcianum Arelatenſem Nouatianorum hæreſi pollutum, ac propterea gradu Epiſcopi prorſus indignum loco mouere auſus non fuerit, ſed de eo exauctorando ad Stephanum Romanum Pontificem ſcripſerit; vt eſt ſuprà à nobis demonſtratum.

Apud Euſ. l. 5. cap. 19.

Euſeb. li. 5. cap. 24.

Euſeb. l. 5. c. 19.

SPALAT. Num. 6. Nazianz. orat. 19. in Cypr. Quod igitur in ipſius laudem ſcribit Nazianzenus, *Non enim*, inquit, *Carthaginenſium Eccleſiæ præſedit ſoli ſeu Africæ, quæ ex illo & per illum celebris in præſentem vſque diem eſt facta; ſed Heſperiæ vniuerſæ, imò Orienti fere ipſi, ad finem vſque meridiei & Septemtrionis.* de vbertate ac *præſtantia doctrinæ*, qua Heſperiam Orientem & mundum vniuerſum perfuderit accipiendum eſt, non de *eminentia Iuriſdictionis*, quam proculdubio extra Africæ fines nullam habuit, neque contrarium ſuadet quod affert Spalatenſis, *Hiſpaniarum Eccleſias ad eum tanquam ad vniuerſæ Eccleſiæ oraculum confugiſſe*, ſcilicet vt præclarum ac eximium doctorem, non verò vt ſuarum quoque Eccleſiarum paſtorem eum conſuluerunt, vt propterea operam luſerit Spalatenſis in his explicandis quæ inſtitutum eius non probant, nec cauſam iuuant. Quo ſenſu autem Pontifices alios ſibi Epiſcopos exæquarint, diximus ſupra ad caput ſextum.

SPALAT. Num. 7. Ath. Apol. de fuga ſua. Sed Spalat. reparando prælio noua ſubſidia conquirit; *Si hæc non ſufficiant*, inquit, *accipe alia. Athanaſius de magno Oſio Cordubenſi Epiſcopo illud effatur; In qua Synodo ille nō dux & anteſignanus fuit? quæ Eccleſia illius preſidētiæ nō pulcherrima monu-*

monumenta retinet; Ac de eiuſdem Athanaſij promotione ad Epiſcopatum, dum loquitur Nazianz. hæc de ipſo habet. Populi illi concredita eſt præſidentia, hoc eſt dicere, orbis vniuerſi præfectura. Sed tacet Oſium Pontificis Legatum in Oriente egiſſe, ac etiam eo nomine Nicenæ Synodo præfuiſſe, vt docent Gelaſius Cyzicenus, Photius & alij, de quibus ſuo loco. Et quidem omninò ſuadet Eccleſiaſticæ diſciplinæ tenor ac ſeries, vt credamus maiori eum quàm Epiſcopi authoritate nixum Orientis Synodis præſediſſe. Quis enim animum induxerit, vt credat paſſuros fuiſſe Orientis Epiſcopos hominem exterum, quanquam eximia doctrina & ſanctitate vitæ, ſolis tamen priuati Epiſcopatus infulis clarum, ante Principes Epiſcoporum ſuæ gentis, Patriarchas ſcilicet de quorum gloria vehementius ſemper laborarint, ac pro qua tam acriter ſemper contenderint in Conciliis ſedere, ſi non is Pontificis vices obiiſſet, cui eum locum deberi agnoſcerent?

De Athanaſio iam videamus, Multa profert Spalatenſis, ex quibus colligi putat in vniuerſam Eccleſiam eum poteſtatem habuiſſe, & quod Baſilius ac Nazianzenus eximiæ eius pietati, eruditioni, zelo & charitati tribuunt, ad iuriſdictionem inſulſiſſimè torquet. Primo loco profert illud Nazianzeni, *Prolapſam fidei doctrinam erigit: ac liberè rurſus Trinitas prædicatur, ſuper Candelabrum poſita, ſplendidoque vnius diuinitatis lumine animas omnes colluſtrans: Leges etiam rurſus orbi terrarum præſcribit; atque omnium mentes ad ſe conuertit; aliis Epiſtolas mittens, alios accerſens; nonnullos etiam vltro accedentes erudiens, &c.* SPALAT. Num 7. At quidem doctrinæ radios quaquauerſum fundentem pingit Athanaſium, ſed iuriſdictionem in alienas Eccleſias exercentem non deſcribit; Leges enim quas orbi poſuiſſe aſſerit rectæ fidei placita & diſſertationes fuere, quibus homo diſertiſſimus & eruditiſſimus ſanctiſſimæ Trinitatis Orthodoxa prædicatione ſincerioris religionis Chriſtianæ præceptis informaret, ac contra Arrianos muniret, omnes ad veram pietatem pro temporis neceſſitate edocens & erudiens. At inquit Spalatenſis, *Idem Athanaſius pro communi cauſa totius Eccleſiæ, Concilium etiam externorum Epiſcoporum cogit; vt patet ex Synodali Epiſtola eiuſdem Concilij cuius inſcriptio eſt; Athanaſius, caterique Epiſcopi, qui Alexandriæ ex Italia, Arabia, Ægypto, & Libya hic adſunt, &c. Docentque & inſtruunt Antiochenos, qui ex diuerſo erant Patriarchatu. Patet idem ex iis etiam quæ ipſemet ſcribit hoc pacto ad Epiſcopos Africanos: Congruum quidem erat, vt ea (de fide conſubſtantialitatis) pluribus exequeremur; verùm quia iam ſcientibus ſcribimus, ideo paucis ſignificandum erat optantes apud omnes vinculum pacis conſeruari; & omnes qui ſunt Catholicæ Eccleſiæ idem dicere & ſentire. Verùm ita à nobis non docendi animo, ſed admonendi ſcribuntur.* Apud Ath. ad Ant. Athan. ep. ad African. Sed primùm errat quod vocaſſe Athanaſium exteros Epiſcopos cenſet, vt in Concilium à ſe indictum coïrent. Agebant qui erant ex Italia in Oriente; In his Lucifer Caralitanus, & Euſebius Vercellenſis Pontificis, vt poſteà dicemus, legati: Itaque cùm Eccleſiarum neceſſitatem id poſtulare viderent, laboranti pro pietate Athanaſio opem ferre dignum duxerunt, atque vel ipſi Concilio interfuerunt, vt quidam putant, qui mendum inſcriptioni Concilij ſubeſſe ſuſpicantur, vel quod habet Epiſtola ipſa Diaconos ſuos illuc miſerunt, ſcilicet id muneris ſibi à Pontifice iniuncti ratione poſtulante. Afri verò nulli interfuerunt, niſi qui vnà cum Ægyptiis Alexandrinum Epiſcopum pro ſuo Patriarcha

Epiph.hær. 68. Τοῦτο γὰρ ἔθος ἐστὶ, τὰ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ Ἀρχιεπισκόποις τοῖς ἐκ Διὸς καὶ Θεωνίδος, Μαρκίῳ τε, καὶ Ἀκίλᾳ, Αὐξεντιανῷ, Μαρκιανῷ τε καὶ Πετρωνίῳ, ἔχειν τιὰ ἐκκλησιαστικὴν διάκρισιν.

agnoſcerent & haberent. *Hic enim mos eſt*, inquit Epiphanius, *Alexandrinorum Archiepiſcoporũ, vt per totam Aegyptum ac Thebaidem, Mareotidẽ, Libyam, Ammoniacam, Mareotidem, & Pentapolim Eccleſiaſtica negotia adminiſtrent.* Et præterea cũ ad Antiochenos, ſe *non docendi* (quantominus imperandi,) *ſed admonendi* animo ſcribere ſignificant, omninò oſtendunt in vniuerſam Eccleſiam imperiũ minimè ſibi tribuiſſe. Epiſtola verò ad Africanos addunt ſe Damaſo Epiſcopo magnæ Romæ aduerſum Auxentiũ Mediolanenſis Cathedræ inuaſorẽ ſcripſiſſe, vt eum abdicatum cœtu piorum & ſacris Chriſtianorum excluderet, ac prohiberet. [a] *Certè*, inquit Athanaſius, *quum hoc animo eſſemus, & contigiſſet nos in vnum conuenire, ſcripſimus dilecto Damaſo Epiſcopo magnæ Romæ, contra Auxentium inuaſorem Mediolanenſis Eccleſiæ, eumque non ſolùm in communione eſſe Arianicæ ſectæ, ſed præter hoc multorum ſcelerum reum eſſe, quæ deſignauit cum Georgio ſocio ſuæ impietatis, Miramúrque cur nondum depoſitus eiectúſque ſit ex Eccleſia.* Iam verò ſi in totum terrarum orbem Imperium habere ſe in animum induxiſſent, proculdubio ad Damaſum non confugiſſent, ſed licet abſentes corpore, præſentes tamen Spiritu, quod fecit Apoſtolus, impium hominem Anathemate percuſſiſſent ac exauctoraſſent, cùm non dubitaret id ſceleribus ſuis iam pridem promeritum eſſe, adeoque dolerent nondum eſſe expulſum, & ex Eccleſia eiectum. Sed plus fortaſſe quàm nos Athanaſio tribuerit Baſilius: [b] *Tantam*, inquit ad Athanaſium, *geris omnium Eccleſiarum curam, quantam eius quæ tibi peculiariter à Domino noſtro credita eſt*; Ex zelo ſcilicet & charitate, non verò ex iuriſdictionis poteſtate. Orat verò vt & hunc zelum promat in componendis Eccleſiæ Antiochenæ diſſidiis, & Meletianorum ac Paulinianorum ſchiſmate adhortationibus ſuis ſopiendo, ac omnino tollendo, ſed hac in re quoque egregiam operam nauauit Hieronymus preſbyter nullis Epiſcopatus inſignibus ornatus, vt proinde conſtet ad Athanaſij eruditionem, pietatem & charitatem confugiſſe Baſilium, vt cùm ſumma eſſet inter Epiſcopos dignitate nominis ſui authoritate contumaces, quoſque frangeret & Orthodoxos in fide contineret. Equidem vt ſimpliciter ac verè omnino de doctrinæ & eruditionis præſtantia, verba Baſilij de Athanaſio accipi poſſint, ita ad imperium aut iuriſdictionem nonniſi hyperbolicè referri queant, niſi fortè velimus magnos Patres recens celebrati Concilij Nicæni Canones nihili duxiſſe, & ſanctiſſimas ſanctiones violaſſe, ac planè euertiſſe. Lubet enim cum Hieronymo eius decretum vrgere, aduerſum eos qui Alexandrino Epiſcopo imperium in Antiochenam Eccleſiam aſſerere moliuntur, *Ad Alexandrinum Epiſcopum*, inquit Hieronymus, *Palæſtina quid pertinet? ni fallor hoc ibi* (in Concilio ſcilicet Nicæno) *decernitur, vt Palæſtinæ Metropolis Cæſarea ſit, & totius Orientis Antiochia.*

[a] Athan.ep. ad African. Οὗτος οὖν δικαίως, ἐπειδὴ συνίδεν ἡμᾶς, ἐχόμενα μὲν καὶ τοῦ ἀγαπητοῦ ἡμῶν Δαμάσου, τοῦ ἐπισκόπου τῆς μεγάλης Ῥώμης, φίλου δὲ τοῦ Ἀθανασίου τοῦ ἐπιλεξαμένου ἡμᾶς ἐν Μεδιολάνῳ ἐκκλησίᾳ διηγούμενοι τὰ κατ' αὐτὸν, ὅτι τοῦ μόνου τῆς Ἀρειανῆς αἱρέσεως ἐστὶ κοινωνὸς, ἀλλὰ καὶ ἄλλοις πολλοῖς κακοῖς, ἐπεξέμεν πάντα μὴ δύνασθαι τοῦ πλήθους τῶν ἀσεβειῶν αὐτοῦ· καὶ δαιμόζοντες, ὡς μάχεσθαι τῶν οὐ κεκρίκασι καὶ ἐκβεβλήκασι τῆς ἐκκλησίας.

[b] Basil. ep. 52. Hier.ep.61. ad Pamm.

Neque aliud ſonant encomia illa quibus eum ornat Baſilius, & ad ferendam opem afflictiſſimis Eccleſiæ Antiochenæ rebus hortatur. Tota igitur illa cura aut Baſilij aut Athanaſij in erudiendis, ac ex charitate monendis etiam alienæ Eccleſiæ alumnis poſita eſt, non in illis vlla imperij poteſtate coercendis. Sed ſi ſumma illa poteſtate quam Athanaſio tribuit Spalatenſis, præditum Athanaſium exiſtimauit Baſilius, cur eo prætermiſſo ſibi Damaſi in Occidente poſiti opem implorandam duxit, vt ſua authoritate Concilij Ariminenſis placita reſcinderet, ac nullius eſſe ponderis ſignificaret.

Perſe-

Perſequitur Spalatenſis, *Quid non fecit Antiochiæ Lucifer Carallitanus in Sardinia Epiſcopus, vt pacem in illa Eccleſia componeret? qui & Epiſcopum in ea ordinauit Paulinum. Quantum in eadem laborauit Euſebius Vercellenſis? de quo illud ſcriptum inuenies: Euſebius verò circumiens Orientem atque Italiam medici pariter & Sacerdotis fungebatur officio, ſingulas quaſque Eccleſias abiurata infidelitate ad ſanitatem rectæ fidei reuocabat.* At Luciferum illum ac Euſebium Vercellenſem à Pontifice in Orientem dimiſſos, qui hæc munia obirent eum docebit Nicetas ex veterum credo hiſtoriarum quæ exciderunt monumentis; namque verſans locum illum Gregorij Nazianzeni, *Epiſcopi quidam ex occidente. Roma*, inquit, *duo Epiſcopi Cæſaream venerant, Lucifer & Euſebius ad Cæſarienſis Eccleſiæ motus componendos miſſi.* Fauet Hieronymus: *Lucifer*, inquit, *Carallitanus Epiſcopus, cum Pancratio & Hilario, Romanæ Eccleſiæ clericis, ad Conſtantium imperatorem à Liberio Epiſcopo pro fide Legatus miſſus, cùm nollet ſub nomine Athanaſij Nicænam damnare fidem, Palæſtinam relegatus, miræ conſtantiæ, & præparati animi ad martyrium, contra Conſtantium Imperatorem ſcripſit librum, eique legendum miſit: ac non multò pòſt ſub Iuliano principe Caralis reuerſus Valentiniano regnante obiit.* Addit Spalatenſis, *Quis curam & labores Hilarij Pictauienſis in Orientalibus Eccleſiis mundandis & perpurgandis, enumeret? Nonne idem plura in Galliis congregauit Concilia, quibus Orientalium errores aduerſus Nicænam fidem pugnantes damnarentur? Eiuſdem labores in Italia contra Auxentium Mediolanenſem, ipſemet ſatis explicat in ſua Epiſtola ad omnes fideles conſcripta. Ac de vtroque hoc inſigni viro Euſebio & Hilario, illud encomium habent hiſtoriæ: Ita duo iſti viri, velut magnifica quædam mundi lumina Illyricum, Italiam, Galliaſque ſuo ſplendore radiarunt. Vides an horum Epiſcopatus habuerit Pictauienſi ac Vercellenſi Diœceſibus poteſtatem limitatam & incluſam.* Hilarium nemo vnquam ſatis laudarit, qui iniuſto exilio damnatus, & à Conſtantio Arriano Imperatore in Orientem amandatus ac deportatus, nulli labori pepercerit, omnem lapidem denique mouerit, vt impios Arij errores euelleret ac radicitus extirparet, ac Occidenti redditus in iis exagitandis ac profligandis egregium ſtudium poſuerit, atque in eam rem, tota Gallia collegis ſuis author fuerit plurimas Synodos cogendi, quarum authoritate Orientalium deliramenta & damnarentur, & anathemate ferirentur? Conſtat iſtud ex epiſtola Synodali Concilij Lutetiæ eiuſdem opera habiti, cuius inſcriptio ita habet; *Dilectiſſimis & beatiſſimis conſacerdotibus Epiſcopis Orientalibus, omnibus per diuerſas Prouincias in Chriſto manentibus Gallicani Epiſcopi, ſalutem.* Itaque, vno Saturnino Arelatenſi excepto, Galliarum Epiſcopi cum Hilario coniunctis operis huiuſmodi Concilia ordine ſcilicet ſeruato cogebant. Verè autem omnino & citra omnem adulationis notam, de Hilario ac magno Euſebio Eccleſiæ luminibus pronunciauit Ruffinus; *Duo iſti viri velut magnifica quædam mundi lumina Illyricum, Italiam, Galliaſque ſuo ſplendore radiarunt.* Sed nunquid propterea vniuerſæ Eccleſiæ Epiſcopi fuerunt? Annon Vercellenſi Euſebius, ſua Pictauienſi Hilarius contentus fuit? Magna lumina doctrinæ ſuæ radios in omnes terras, potiſſimum verò in Orientem protulerunt ac profuderunt, non verò poteſtatis aut iuriſdictionis ſpecimen vllum in alienis Eccleſiis, niſi Pontificis authoritate freti, quod de Vercellenſi Euſebio probauimus, præbuerunt; Alij ſcilicet ſunt in Epiſcopis limites iuriſdictionis & imperij, alij eruditionis & doctrinæ. Iuriſdictio ac imperium Epiſcopatus ſibi aſſignati limitibus circun-

Spalat. Num. 9.
Ruff. l. 11. c. 27.
Socr. l. 3. cap. 7.
Ruffin. l. 11. c. 30. 31.
Nicætas comment. ad orat. 20. Greg. Naz.
Hieron. in Caral. Script. Ecc.
Ruff. vbi ſup. & Seu. hiſt. l. 2.
Bar. tom 4. an. 362. nu. 249.
Theod. l. 5. cap. 4.
Ruffin l. 2. cap. 31.

ſcribitur; Eruditio ac doctrina nullis terminis clauditur, ſed in totum terrarum orbem ſolis cuiuſdam inſtar ſe fundit ac porrigit.

SPALAT. Num.10. At inquit Spalatenſis, *Euſebius Samoſatenus ſimplex vnius ciuitatis Epiſcopus, extra ſuam tamen Parochiam, imò extra totam Prouinciam, in Syria ac Meſopotamia, adeo pro reſtituendis collapſis Eccleſiis laborauit, vt etiam plures Epiſcopos in illis ordinarit: Acacium Beroeæ; Theodotum Hierapolis; Euſebium Chalcedonis; Cyri Iſidorum; Eulogium Edeſſæ: Protogenem Charris: Marin verò, noua Epiſcopalis ſedis erectione, Dolichæ Epiſcopum perfecit. Vtriuſque verò Euſebij, nec non & Luciferi actiones, Epiſcopi particularis poteſtatem vt ipſe putabat excedentes, Baronius non intelligens, ad Legationem ſiue Romani Pontificis, ſiue alicuius Synodi, ſibi confugiendum putauit. Sed legationes haſce cùm non haberet vnde comprobaret, ad ſolita ſua ſomnia & inanes ſe recipit diuinationes. Profecto Euſebius Vercellenſis, dum ſubſcribit in quadam Synodo, nullam facit ſua legationis mentionem. Et nimis arduum erit ei Cypriani, Athanaſij, Baſilij & aliorum quos ſubdam, egregiam operam, pro tota Eccleſia vniuerſali in alienis Prouinciis nauatam ad Legationes reducere. Et dum ſæpè Orientales Epiſcopi pij pro publica cauſa ex officio ipſorum proprio laborantes, opem etiam Romani Pontificis & Occidentalium interdum implorent; annuunt ſociis qui ſunt in alia naui, vt collaborantibus collaborent, & adiuuent illos.* Bat.tom.4. an.362.nu. 200.227. Idem.num. 224. Baſil. ep. 48.51. Luc.2. Sed nos Euſebio & Lucifero ſuam legationem ſuprà aſſeruimus, & in Euſebij Samoſateni facto obſeruandum venit, id neceſſitati Eccleſiarum tribuiſſe eum quas etiam militis habitu obiret à Valentinio in exilium pulſus, atque etiam ad mortem laceſſitus.

Theophili Alexandrini labores nunc venditat Spalatenſis, vt eum totius Eccleſiæ curam egiſſe oſtendat, fatemur verò egregiam operam nauaſſe in euellenda ac profliganda Origenis impia hæreſi, quæ latius illo ſæculo ſe proferret, quippe quo adnitente *erectum Alexandriæ vexillum crucis, & aduerſus hæreſim trophæa fulgentia gaudens populorum turba*, vt loquitur Hieronymus, *proſpectaret*, ſed egiſſe illum Epiſcopum extra ſui Patriarchatus fines tam falſum eſt, quàm eſt verum ſincerioris doctrinæ retinendæ authorem eum fuiſſe pleriſque etiam extra Alexandriam, Ægyptum, & reliquas ſibi ſubiectas Prouincias, vt meritò à Paulo Emeſeno publico Epheſinorum Patrum conuentu *columna fidei* vnà cum Athanaſio dictus ſit, vtque meritò à Hieronymo de eo dictum quidem ſit *pertonuiſſe vocem eius in toto orbe*, ſed aliud eſt docere, aliud præeſſe; nec qui docent protinus Epiſcopi dicendi ſunt. Certè Hieremias cuius verba vſurpat Theophilus, nunquam paſtoris munere functus eſt, ſed propheta fuit, cui ex officio quidem incumberet populis Dei voluntatem patefacere, vt propterea vaticiniis, concionibus, adhortationibus, ac præclaris monitis labantem pietatem ſuſtentarit, vitia extirparit, virtutes plantarit. Sed authoritate aliqua pontificia in ea opera præſtanda vſum eum quî verò probauerit aduerſarius? Ad eum igitur modum, quod attinet ad alienas Eccleſias Theophilus, doctorem & adhortatorem egit, non Epiſcopum, neque fortè Hieronymus magnum Eccleſiæ lumen ei hac in parte concedit, quippe qui Origenis dogmatum acerrimus etiã impugnator fuerit, ac iis extirpandis inſignem quoque operã nauarit. Hieron. ad Theoph. ep.70. In Concil. Eph. tom. 6. c.14. Audiamus Hieronymũ & Theophili ſtudiũ, & ſuã operã cõmendantem; *Vox*, inquit, *beatitudinis tuæ in toto orbe pertonuit, & cunctis Chriſti Eccleſiis lætantibus* Hier. ep.71. ad Theoph.

diaboli

Digitized by Google

diaboli venena ſiluere. Nequaquam amplius antiquus ſerpens ſibilat; ſed contortus & euiſceratus in cauernarum tenebris deliteſcens, ſolem clarum ferre non ſuſtinet. Qui quidem ſuper hac re, & antequam ſcriberes ad Occidentem epiſtolas miſeram, ex parte hæreticorum ſtrophas meæ linguæ hominibus indicans. Ex diſpenſatione Dei factum puto, vt eo in tempore tu quoque ad Anaſtaſium Papam ſcriberes, & noſtram dum ignoras ſententiam roborares. Verùm à te nunc admoniti magis ſtudium accommodabimus, vt hic & procul ſimplices ab errore reuocemus. Nec timeamus ſubire odia quorundam. Non enim debemus hominibus placere, ſed Deo; quanquam ardentius ab illo defendatur hæreſis, quàm à nobis oppugnetur. Simulque obſecro, vt ſi qua Synodica habes, ad me dirigas: quo poßim tanti Pontificis authoritate firmatus liberius, & confidentius pro Chriſto ora reſerare. Vincentius presbyter ante biduum quàm hanc epiſtolam darem, de vrbe venit, & ſuppliciter te ſalutat, crebróque ſermone concelebrat Romam, & totam Italiam tuis poſt Chriſtum epiſtolis liberatam. Adnitere ergo Papa amantißime atque beatißime, & per omnem occaſionem ad Occidentales Epiſcopos ſcribe, vt mala germina, acuta vt ipſe ſignifi-eas ſuccidere falce non ceſſent. Hic quædam ſunt aduertenda; Primùm Theophilum ad Pontificem Romanum Anaſtaſium de obrutis Origenis ſectatoribus ſcripſiſſe, vt ſcilicet ſe Romanæ communionis eſſe oſtenderet. Meminerat verborum Hieronymi; *Scito nobis nihil eſſe antiquius, quàm Chriſti iura ſeruare,* Hier.ep.68. *nec Patrum transferre terminos, ſemperque meminiſſe Romanam fidem Apoſtolico ore laudatam: cuius ſe eſſe participem Alexandrina Eccleſia gloriatur.* Ac propterea ſuum in Catholica fide aſſerenda ſtudium prodit: ac etiam Anaſtaſium eorum omnium, quæ in Ægypto geſſiſſet certiorem reddit. Demum Hieronymum ei ſe ſocium adiungere in aſſerenda fide, & ſimplicibus ab errore reuocandis, tum tota in Syria, tum procul vt iam appareat de iuriſdictione Epiſcopali non agi; Ac etiam quod Romam, & totam Italiam ſuis poſt Chriſtum epiſtolis liberatum ſcribit, ſic accipiendum eſſe, vt monitoriæ & adhortatoriæ fuerint, nihil imperij præ ſe ferentes, & eo fine ſcriptæ, vt Pontificem & reliquos Epiſcopos rerum in Ægypto geſtarum cómonefacerent, quo aduerſus ſceleratiſſimam hæreſim fidei zelum demonſtrarent. Neque ſanè plus à Theophilo exigit Hie- Hier.ibid.
ronymus, *Adnitere ergo,* inquit, *Papa amantißime atque beatißime, & per omnem occaſionem ad Occidentales Epiſcopos ſcribe, vt mala germina, acuta vt ipſe ſignificas ſuccidere falce non ceſſent.* Et quod attinet ad Epiſcopatuum curas intra Patriarchatus ſui fines eas cohibet: *Optamus,* inquit, *ſi fieri poteſt, in diebus noſtris Catholicam fidem, & Eccleſiæ regulas cum ſubiectis nobis populis cuſtodire, & omnes nouas ſopire doctrinas.* Itaque vt ad epiſtolam à Spalatenſi recitatam reuertamur, Theophilus pro ratione ſui muneris Alexandria, & Ægypto illam peſtem depulit, ac præterea collegas ſuas Epiſcopos in his Epiphanium adhortatus eſt, vt quiſque laboranti Eccleſiæ opem ferret, ac perniciei auertendæ inuigilaret ac ſtuderet. Cæterùm cùm is ipſe Theophilus grauis Chryſoſtomi hoſtis Innocétiſſimo Epiſcopo diem dixiſſet, iudicium ſibi ſubeundũ non duxit Chryſoſtomus, & de ſeditioſo homine apud Innocentium conqueſtus, iniuriam ſibi ab eo factam, his verborum fulminibus exaggerandam duxit. *Quomodo,* inquit, *idoneus cenſeri poßit huiuſmodi, vt in iudicis thrônum conſcendat ſibi minimè congruentem? Neque enim congruum eſt, vt hi qui in Ægypto ſunt, iudicent eos qui in Thracia, & præſertim ille qui ipſe reus eſt, inimicus & hoſtis.* Non habebat igitur iudicio Chryſoſtomi Theophilus poteſtatem, aut iuriſdictionem in vni-

Theophil. Hieronym. apud Hier. ep 69.

Chryſ.ep. ad Innoc.

Πῶς ἂν ἴδοι τις ὀρθῶς τὸ δικαστὴν ἔσεσθαι τοῦ μὴ δικαίου ἀνδρὸς ἀνάξιον αὐτὸν ἀποφαίνοντα; οὐδὲ γὰρ ἀκόλουθόν ἐστι τὸν ἐξ Αἰγύπτου τὸν ἐν Θρᾴκῃ δικάζειν, ἐξ ὧν ἀναίτιος αἰτίας ὤν, καὶ ἐχθρὸν ἐξ ὑπολήψεως.

Tom. 1. Conc. c. 14. Ep. Cyrill. ad Cæleſt. Εἰ δὲ ὧν πεποίηται, καὶ μὴ πάντα τῇ σῇ διανοίᾳ χάριτα τὰ κατόρθωμα, καὶ μέμψασθαι ἔξω ἡμῖν, ἢ διαφυγεῖν δυνατὸν τὸ δίκαιον λυπεῖν, καὶ μάλιστα ἐν ἀναγκαίοις οὖσι πράγμασι, ὅπου καὶ ἡ πίστεως ὀρθότης παρεκινδύνευται παρά τισιν, ἵνα φῶς αὐτὸ ἡμῶν τῷ κόσμῳ καὶ ἀκίνδυνος ᾖ σωτηρία. ἢ τὸ ἀρκεῖν τῷ παρεστῶτι χρῆσθαι τόπῳ. ἐπεὶ δὲ ἢ διὰ πάντων ἀπαιτεῖ παρ' ἡμῶν τὸ πεφιλῆσθαι ὑπὸ πάντων, ἢ τὰ μακρὰ τῶν ἐκκλησιῶν ἴσως πείθουσιν αὐτὸ κατοῦδαι τῇ σῇ ὑπάπτῃ, χρέος πάλαι αὐτὸ ἐκτίσαι, ἐκεῖνο δηλῶν, ὅτι διακωλῷ τὸ πάντα καὶ γνῶ ὁ σπεύδει, ἢ εἰ τῶν ἐκκλησιῶν τῶν δυσμικῶν ἢ ὀρθοτομούντων ὁ πίστει πρὸ ἁπάντων πεχόντων ἐκκλησιῶν, πλεῖστα διαφέρῃ. οὐ δὲ ἡμεῖς τὸ παραπονηρὸν ἐκεῖνο θεῖον, ἢ ὑφίεμεν εἰς ἀσύ(ασ-

SPALAT. Num. 12. Chryſ. in laud. S. Euſtath. Auguſt. ep. 110. Concil. Afric. ſub. Pont. c. 68. Ηρεσεν ἐν μὲν

uerſam Eccleſiam. Sed his omiſſis Cyrilli Theophili nepotis, ac eius in ſede Alexandrina ſucceſſoris inſignes labores, quos in refellendo Neſtorio, ac impia eius hæreſi profliganda pertulit, immortali gloria dignos cenſemus; verũ quis adeo hoſpes eſt, aut peregrinus in horum laborum annalibus, qui neſciat ad Cæleſtini Pontificis Romani auxilium pro beſtia conficienda confugiſſe? Quis neſciat partes illi ſuas demandaſſe Cæleſtinum, vt ſua authoritate horrendum ac ingens monſtrum debellaret? Audiamus quibus verbis magnus Antiſtes hanc cauſam pandat, *Si in rebus*, inquit, *vſque adeo ſeriis ac neceſſariis, vbi recta fides malè à quibuſdam deprauata diſtortaque periclitatur, citra notam ſilere; & cuncta quæ hactenus mota agitataque ſunt, citra moroſitatis vitium, pietatem tuam cælare licuiſſet, dixiſſem vtique mihi: bona ac periculi expers res eſt ſilentium. & illud rurſum: Præſtat quietam vitam agere, quàm turbis operam dare. Quoniam verò Deus hiſce in rebus prudentiam à nobis exigit,* LONGAQVE ECCLESIARVM CONSVETVDO SVADET, VT EIVSMODI RES SANCTITATI TVÆ COMMVNICENTVR; *non poſſum equidem quod apertum eſt (nempè Satanam, peſsimam illam infrenemque beſtiam, quæ ab impietatis ſtudio nunquam deſiſtit, in præſentia omnia miſcere, contraque Dei Eccleſias magna vi inſanire, necnon in omnium vbique populorum, qui in rectæ fidei ſemita ambulabant, ſubuerſionem ſtudioſè eniti) ad pietatem tuam non perſcribere.* Ergo ſe vniuerſæ Eccleſiæ Epiſcopum non gerebat, ſed ſuperiorem agnoſcebat Pontificem, ad quem cauſas fidei omnino referendas duceret. Aurelium Carthaginenſem laudat Chryſoſtomus, ob ſuſceptos ex charitate labores pro omnibus terræ Epiſcopis, ſed orbis terræ Aurelium Epiſcopum non facit. Sic in laudatione Euſtathij Antiocheni Epiſcopi eius labores commendans ſcribit: *Edoctus*, inquit Chryſoſtomus, *probè fuerat à Spiritus gratia Eccleſiæ Antiſtitem, non de illa ſolùm quæ ipſi à Spiritu ſit commiſſa, curam debere gerere, verùm etiam de vniuerſa quæ per orbem terrarum gerit:* ex charitate ſcilicet & zelo fidei, non ex poteſtate & imperio. Auguſtinus quoque pro eximia illa charitate qua flagraret, rogatus à fratribus & ſeruis Dei Mileuitanis, vt Mileuim ſe conferret, ad populi turbas quæ in ordinatione Epiſcopi à Seuero illius ſedis Epiſcopo ante obitum deſignati propterea timerentur, quod Seuerus de illa ſua deſignatione ad populum non eſſet loquutus, hunc laborem ſuſcepit, ac eam induſtriam adhibuit, qua factum ſit vt citra ſeditionem deſignatus à præcedente Epiſcopo ordinatus fuerit, ergo Mileuitanum Epiſcopum egit; vnde conſecutio? Turbas ſcilicet ſedauit grauitate & nominis dignitate, non verò vlla poteſtatis aut iuriſdictionis oſtentatione; Verba eius ſunt ad ſuos Hipponenſes, cùm de Erradio ſibi ſufficiendo ageret. *Sicuti nouit charitas veſtra in Mileuitana Eccleſia modo fui, Petierant enim me fratres, & maximè ſerui Dei qui ibi ſunt, vt venirem: quia poſt obitum beatæ memoriæ fratris & Coepiſcopi mei Seueri, nonnulla ibi perturbatio populi timebatur. Veni & quomodo voluit Dominus adiuuit nos pro ſua miſericordia, vt cum pace Epiſcopum acciperent quem viuus deſignauerat Epiſcopus eorum. Hoc enim eis cùm innotuiſſet, voluntatem præcedentis & decedentis Epiſcopi ſui libenter amplexi ſunt.* Africani quoque Patres pertæſi diſſidij, quod ob iniuſtè vexatum à Theophilo Patriarcha Alexandrino Chryſoſtomum, inter Romanam & Alexandrinam Eccleſiam exortum fuerat legationem inſtruxerunt, ad Innocentium Pontificem miſerunt, & laudatiſſimam operam in reconcilianda Eccleſia Alexandrina cum Romana poſuerunt. *Placuit etiam*, inquiunt Patres Africani, *vt de diſſenſione*

ſenſione Romanæ atque Alexandrinæ Eccleſiæ ad Sanctum Papam Innocentium ſcribatur, quo vtraque Eccleſia inter ſe pacem quam præcepit Dominus teneat. Scilicet Romanus Pontifex Chryſoſtomi cauſæ pro officio omnino fauens Theophili & aſſeclarum, qui ſanctiſſimi viri innocentiam afflixiſſent communionem auerſatus, ne quidem epiſtolas à Theophilo miſſas accipere voluerat, ac vt loquitur apud Palladium Theodorus Diaconus, Romanæ Eccleſiæ ſententia erat, *non communicare in finem vſque Orientalibus Epiſcopis, maximèque Theophilo, donec Dominus vniuerſalis Synodi tribueret locum, ac per eam curaret putrida membra qui ita geſſerat:* Patres igitur Africani vt eos motus componerent legatione miſſa Innocentium orarunt, vt iras poneret, ac cum Alexandrinis in gratiam rediret. Sed nunquid aut Eccleſiæ Romanæ aut Alexandrinæ diem dixerunt, & niſi parerent aut acquieſcerent ſe maiora molituros, ac in ordinem eam quæ non obſequeretur, ſe coacturos interminati ſunt? Proculdubio precibus tantùm contenderunt ab Innocentio, vt Alexandrinos in ſuam communionem admitteret. Itaque vt animum parentis filio reconciliarent, eſt ea legatio ſuſcepta, quæ non modò mouit, ſed etiam Innocentium reconciliauit Alexandrino Epiſcopo. Ineptiſſimè ergo ex his charitatis officiis iuriſdictionis munia colligit ac concludit Spalatenſis, cùm ab his vſurpandis longè abfuerint Africani. Cæterùm non ad Theophilum, ſed ad Innocentium ſcribendum duxerunt, quod penes Innocentium non penes Theophilum eſſet poteſtas, aut reddendæ aut negandæ communionis Eccleſiaſticæ. Sed perſequitur Spalatenſis.

ἀντιπεμψαι τὴν ἐπιστολὴν τοῦ ἁγιωτάτου Ἐπισκόπου τῆς μεγάλης Ῥώμης τῷ Ἀλεξανδρείας ἐκκλησίας πρὸς τὸ ἀκοινώνητον ποιῆσαι τοὺς ἀπὸ τῆς Ἑῴας ἐπισκόπους τῷ Θεοφίλῳ· ὅπως ἑκατέρα ἐκκλησία περὶ ἑαυτῆς ἐκκλησιάζῃ, καὶ μὴ κοινωνοῦσα τοῖς ἀποκεκομμένοις. Pallad. in vit. Chryſ.

Epiſcopi Illyrici ſynodaliter etiam magnam curam ſuſcipiunt Eccleſiarum diœceſeos Aſianæ, Phrygiæ, Carophrygiæ & Pacatianæ, ad eaſque in recta fide retinendas & litteras ſcribunt, & legationem expediunt, ſed ex charitate non ex poteſtate faciunt & hortantur non imperant. *Africanæ quoque Eccleſiæ,* proſequitur, *de Conſtantinopolitana ſolicitæ, cuius Epiſcopus Paulus in errores prolapſus illam deturpabat ad eum Synodales litteras ex tribus Concilijs Africæ commonitorias expediunt. eaſque ad manus Romani Pontificis Theodori tranſmittunt, vt ipſe per ſuum Reſponſalem quem Conſtantinopoli habebat Paulo curet conſignandas, hortanturque ipſum Theodorum, vt ipſe quoque aduerſus eundem Paulum inſurgat* Subit mirari hominis frontem, qui hanc Epiſtolam proferre non ſit veritus, cùm ſententiam eius planè euertat ac Pontificis in omnes Eccleſias authoritatem clariſſimis verbis explicet, & omnino aſſerat. Sic enim ordiuntur Patres, *Magnum & indeficientem, omnibus Chriſtianis fluenta redundantem, apud Apoſtolicam ſedem conſiſtere fontem nullus ambigere poſſit, de quo riuuli prodeunt affluenter, vniuerſum largiſſimè irrigantes omnem Chriſtianorum, cui etiam in honore beatiſſimi Petri Patrum decreta peculiarem omnem decreuere reuerentiam in requirendis Dei rebus, quæ omnino & ſollicitè debent, maximè verò iuſtèque ab ipſo præſulum examinari vertice Apoſtolico, cuius vetuſta ſollicitudo eſt tam mala damnare, quàm probare laudanda. Antiquis enim regulis ſancitum eſt, vt quicquid quamuis in remotis vel in longinquo poſitis ageretur Prouinciis, non prius tractandum vel accipiendum ſit, niſi ad notitiam almæ ſedis veſtræ fuiſſet deductum, vt huius authoritate, iuxta quæ fuiſſet pronunciatio firmaretur, indéque ſumerent cæteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte prædicationis exordium, & per diuerſas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei Sacramenta ſalutis.* Addunt verò eximij Patres ad calcem epiſtolæ de Paulo Conſtantinopolitano Antiſtite; *Quod ſi diſſimulauerit, authoritas almæ ſedis veſtræ iuxta Patrum ſanctiones, ſa-*

Spalat. Num. 12. ſub fin.

Apud Concil. Later. ſub Mart. Secret. 2. & Baron. to. 8. ann. 649. nu. 9. 14.

Synod. Lat. ſub Mart. to. 2. Conc. Conſul. 2. p. 427.

lubri consilio pertractabit à sano corpore separare vulnus insanum, remotoque morbi sæuientis statu, cautius, quæ sunt syncera, perdurent, & grex purior ab hac mali contagione, spiritali vestri culminis ferramento purgetur. Hoccine igitur est probare omnes omnino Episcopos Oecumenicos esse *Episcopos*, non verò ad Pontificem pertinere omnium Ecclesiarum curam? Illi igitur quidem ex charitate hanc curam suscipiunt, ac Theodorum Pontificem hortantur, vt pro potestate sibi à Christo tradita in subiectum sibi Patriarcham aduertat. Pergit Spalatensis.

SPALAT. Num. 13. Simp. ep. 17 ad Acac. *Acacium Constantinopolitanum monet muneris sui Simplicius Papa his verbis; Fidelis seruus ostenderis, si non tantùm in Ecclesia cui præsides, sed vbicunque poteueris pro vnitate Catholica, & paternis definitionibus suadere non renuas.* Sed suadere imperare non est, aut ex potestate aliquid moliri; propterea etiam Simplicius Ecclesiam, cui præsideret ab aliis distinxit. Cùm igitur pro suæ sedis authoritate suos in officio continere deberet, ac reliquos ad pietatem hortari Episcopos, eum neglecti officij & oblitæ charitatis postulat Fœlix: *Certè*, inquit, *si (quod non credimus) dedignaris beati Apostoli victoriis reuerentiam tuis deferre fastuosis affectibus, memor saltem officij pro fidei integritate Catholicæ, pro paternarum custodia sanctionum, pro Synodi Chalcedonensis constitutione seruanda, quæ Nicæni conuentus penitus probat articulos; atque pro eis vbique hostibus comprimendis, sicut orthodoxorum vrbis illius imitator Antistitum constanter exurgere debuisses; quoniam te aliter inter membra corporis Christi monstrare non possis, nisi nullatenus prouidere desisteres illis, quæ per totum mundum dicuntur obrepsisse contagiis.* Ad finem verò Epistolæ etiam eum ab Ecclesia abstinendum tacitè insinuat, non solùm si cum orthodoxis non sentiat, verùm si ab officio desistat;

Fœl. ep. 1. ad Acac. to. 2. Conc.

Id. ibid. sub fin. *Saluo eo*, inquit, *quod in die iudicij talem à nobis Ecclesiam certum est, qualem à Patribus accipimus exigendam: etiam in hac vita se ad eam non pertinere cognoscat, qui non solùm plenitudini eius noxia conatur inferre, sed etiam qui ea quæ eidem congruentia sunt, dissimulat prouidere. Absit vt de tua dilectione taliter nos credamus, quem & dudum pro Catholica fide viriliter stetisse reminiscimur, & à totius Ecclesiæ corpore nolumus discrepare. Quapropter instantius (qui te sincero diligimus charitatis intuitu) crebrò repetitis hortationibus incitamus, vt ipse vicissim ea post hæc deuites, quæ te ab omni domo Christi ostendant esse disiunctum; nec magis illa sectaris quæ ab eadem te faciant esse diuisum.* Sed lubet ascribere initium Epistolæ, vt quam personam sustinuerit Fœlix Spalatensi sit exploratum. *Postquam sanctæ memoriæ decessore meo Papa Simplicio de huius vitæ cursu superna præceptione migrante, ministerij quod regebat ad meæ humilitatis officium gubernacula peruenerunt; in diuersas generalis Ecclesiæ curas, quas vbique terrarum cunctis populis Christianis summi pastoris voce delegante beatissimus Petrus Apostolus peruigili moderatione dispensat; continuò me sollicitudo maxima, quæ & prædecessorem meum incessanter vrgebat, tam Alexandrinæ vrbis, quàm status fidei totius Orientalis regionis excepit.* Num hæc ad gustum sunt Spalatensis?

SPALAT. Num. 14. Multa sæcula præteruolat, vt Iuonem consequatur, cuius curas & labores pro communi statu Ecclesiæ Gallicanæ, imo & Anglicanæ, adeoque vniuersæ Ecclesiæ susceptos, laudibus in cœlum tollit, scilicet vt eum Episcopum vniuersalem faciat. Atqui non illi magis quàm nobis probantur clarissimi suo sæculo Antistitis labores pro nostris Ecclesiis susceptı, sed docendum aduersario fuit Iuonem extra Carnutensem suam Diœcesim Episcopum egisse, collegas in or-

dine

dinem ex officio & poteſtate coëgiſſe, in eorũ patrimonium inuolaſſe, ac ſuis cos legibus addixiſſe: Profitetur quidem *non debere zelum Dei in cordibus Epiſcoporum tepere, ſed eis domus Dei decorem cordi eſſe oportere, vt pro ea etiam mortem oppetere non recuſent*; Illos etiam adhortatur, *vt collectis in vnum animi viribus murum ſe pro Dei Eccleſia opponant, hoſtem antiquum gregibus imminentem caulis arcere ſtudeant, neque ſe vllius priuato amore, aut vlla commodorum ſpe ab officio abduci patiantur.* Sed nunquid hoc eſt poteſtatem in alios Epiſcopos ſibi vſurpare, aut vendicare? SPALAT. Num. 14.

Rurſus comitem quendam alienæ Diœceſeos ad ſuam quoque curam pertinere ſcribit, & adhortationibus apud eum agit, vt Angliæ Regem ſanioribus conſiliis informet, ac ſibi ipſe à vexanda Eccleſia maiorumque inſtitutis violandis temperet, ſed monita non iuſſa profert, adeoque pro ea ipſa re quam propugnamus apud ipſum contendit: *Quæ ratio*, inquit, *qua lex permittit, vt Ranulphus Dunelmenſis Epiſcopus de Eccleſia alterius regni ad aliam Eccleſiam tranſeat?* SPALAT. Num. 15. Non igitur exiſtimabat Dunelmenſem Epiſcopum in Eccleſiam vniuerſam ius Iuo ep. 154. aliquod, aut poteſtatem ex vi ſuæ ordinationis conſequutum? Et idipſum confirmat alia epiſtola, qua de Lexouienſi Epiſcopo ad Archiepiſcopum Rothomagenſem ſcribit. Docet enim ſe non ex officio, ſed ſolo charitatis intuitu Archiepiſcopum Rothomagenſem, ad quem illa Eccleſia pertineret, monuiſſe, *vt ingruentis mali occaſiones amputaret.* Non igitur exiſtimabat alienarum Eccleſiarum ad ſe curam ex officio pertinere. Id. ep. 157.

Rurſum cùm Sennonẽſis Eccleſia, cuius ipſe ſe ſuffraganeum agnoſceret, multis deformata eſſet vulneribus, Archiepiſcopum ſuum eius Eccleſiæ Antiſtitem ſeriò monuit, vt medicum ſe præſtaret ac ea tolleret, ſed *filiali dilectione*, vt ipſe loquitur, cum eſt hortatus, & officij commonefecit, nec ſibi licere falcem in illam meſſem mittere, ex officio exiſtimauit. Hæc clariora ſunt, quàm vt maiori explicatione indigeant. Itaque curas ſuas ad charitatis zelum, non ad iuriſdictionem aliquam quam in reliquas Eccleſias vſurparit, aut ſibi vindicarit, reuocat eximius Antiſtes. At nonne ſe proprio gladio iugulat Spalatenſis? SPALAT. Num. 16.

Bernardum ſolitudinis incolam ac Monachum, quem aliàs plangentis non docentis officium habere docet, proferre non veretur, cuius exemplo probet Epiſcopos omnium Eccleſiarum curam habere ſibi impoſitam. Quid igitur Bernardus Monachorum magnum decus, ab omni ambitione alieniſſimus, ſedes inuaſit Epiſcoporum, ac Epiſcopum ſe in vniuerſa Eccleſia geſſit? *Eugenium*, inquit, *Romanum Pontificem inſtruit*; Sed qua charitate, qua humilitate, qua ambitionis deprecatione. Adi illum: Sic Iethro Moſen monuit, ac ſtudio labore iuuit, prudentiſſimumque conſilium ſuggeſſit. Nunquid igitur in Iudæorum gentem, ius aliquod ſibi arrogauit Iethro? Sed *Cardinales, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & alios Eccleſiaſticos quoque docet, hortatur, monet, arguit, obſecrat, & increpat*; nunquid verò ex officio, an non potius ex zelo & charitate qua flagraret vir optimus & mitiſſimus? SPALAT. Num. 17.

Alium iam callem inſiſtit Spalatenſis, *Epiſcoporum ſingulorum authoritatem*, inquit, *non eſſe iure diuino in ſolas particularium Eccleſiarum anguſtias contrahendam, inde etiam confirmatur quod in Conciliis generalibus, ſuam quiſque propriam in totius vniuerſalis Eccleſiæ regimine habeat pro ſua virili, poteſtatem; non modò conſulendo, ſed etiam definiendo: Imo etiam particulares Epiſcopi poſſunt, in cauſa communi monere alios ad congregandum Concilium generale.* Reſpondeo non om- SPALAT. Num. 18.

Digitized by Google

mino malè aliquos ex noſtris admittere duplex connubium, cùm Eccleſia inire Epiſcopum cum ſacra poteſtate donatur, ac antiſtes renunciatur, vnum cum vniuerſali Eccleſia, cui tanquam nobile membrum corpori ſe addicat, & eius curam ſuſcipiat: at non vt ei leges ponat, aut ius dicat aliquando, ſed cuius gloriam pro viribus procuret neruos omnes intendens, vt ſarta tectaque maneat doctrina, quam toto orbe prædicat; ſed connubium illud ad communionem membrorum inter ſe, adeoque cum capite ipſo ſpectat, nec aliò ſe fundit; Alterum cum priuata Eccleſia cuius adminiſtratio ei defertur, vt eam iure ſuo moderetur, ac inſtar ſponſi leges ponat, eam dirigat, gubernet, & ab officio aut fide aberrantem in viam pro poteſtate ſibi credita reducat: Hoc ad iuriſdictionem non ad nudam communionem ſpectat. Damus igitur priori ratione Epiſcopum conſulere rebus vniuerſæ Eccleſiæ, & poſſe & debere, ex zelo ſcilicet & charitate, quod ſcilicet ille in eadem naui ſit, cùm vna ſit Eccleſia per totum orbem diffuſa, quæ priuatas quaſque ſuo ſinu cohibeat, ſed legem ei ponere, controuerſias dirimere, definire ac decernere, niſi in Concilio vnà cum reliquis negamus. Aliud verò eſt in Concilio eum ſententiam dicere, aliud ex priuata Cathedra legem ponere aliis Eccleſiis. In Concilio agit totius partem, nec ſolus ſedet aut pronunciat, ſed vna cum collegis qui ex toto terrarum orbe, vel ex tota prouincia, vel ex integra natione coëunt; atque ſi à cæterorum iudiciis recedat, ac eis contraria ſentiat, eius nulla ratio habetur. Hoccine igitur eſt vniuerſalem Eccleſiæ Epiſcopum agere? Nec multò ſapientius hâc vniuerſalem poteſtatem Epiſcopis aſſerere velle mihi videtur Spalatenſis, ex eo quod *particulares Epiſcopi poßint in cauſa communi monere alios ad congregandum Concilium generale.* Primùm enim Pontificis quem defertor in Cathedra peſtilentiæ, & irriſorum poſitus *Magnum Herculem*, vocat Eccleſiam Dei moderantis ad quem ex authoritate, & officio cogendarum Synodorum ius pertineat, ſententia expectanda eſt, vt eſt perpetuis Eccleſiæ legibus conſtitutum. Demum priuati Epiſcopi etiam teſte Almayno, quem profert Spalatenſis, ſi quid in ea re poſſint, aut moliantur *adhortando, monendo, ac manifeſtando*, vt ille loquitur, *non imperando aut præcipiendo* faciunt. Cæterùm Almaynus de tempore loquitur, quo contingeret Eccleſiam caput non habere: *Quilibet*, inquit, *Eccleſia particularis, ad cuius notitiam peruenit congregandi Concilium neceßitas, debet cæteris Eccleſiis neceßitatem congregandi manifeſtare, & ſic denunciatiuè congregare, non autem præceptiuè, & nominando locum ad quem ſit tutus acceſſus. Debet enim oculus videns corporis pericula, cæteris indicare membris, vt contra periculum ſe protegat corpus & defendat; & iſta manifeſtatione facta cæteræ Eccleſiæ tenentur conſentire, & conuenire primæ: non virtute præcepti primæ, cùm in eas nullam habeat iuriſdictionem, ſed virtute præcepti diuini. Sicut poſtquam per expertum Medicum, alicui indicatum eſt de aliquo neceſſario ad ſui conſeruationem tenetur ille ad illud, non virtute præcepti Medici, ſed virtute præcepti iuris naturalis & diuini.*

Almayn. de aut. Eccl. c. vlt.

Igitur non eſt quod *ad ſolum præceptum Eccleſiaſticum* eas leges referat Spalatenſis, quibus Epiſcopis prohibetur ne alienas Eccleſias inuadant, aut in eas iuriſdictionem vſurpent, ſed ad exemplum quoque Apoſtolorum qui ea de re ſanxerint, & conſtantiſſimum morem in orbem inuexerint, omnino reuocari debent. Nec contrarium docent Canones à Gratiano collecti, ad quos nos importunus aduerſarius remittendos duxit; Imò verò ſi res ritè perpendatur, cùm omnes illi Canones Concilij Nicæni, Sardicenſis ac Chalcedonenſis decretis nitan-

SPALAT. Num. 19.

tur

tur quæ legem non posuerint, sed refricarint, apparet hanc totius orbis mentem fuisse, ac vbiuis gentium obseruatum, ac proinde valere hic laudatissimam, & decantatissimam Augustini sententiam, quam pro *robusta*, vt vocat, consuetudine de non rebaptizandis hæreticis prompsit; *Sunt multa quæ vniuersa tenet Ecclesia, & ob hoc ab Apostolis præcepta bene creduntur, quanquam scripta non reperiantur, maximè verò cùm ab Apostolis quoque seruata ostendantur.* August. Ep. 118.

Sed ea quoque addit Spalatensis, quæ sententiam nostram firment; *Ex hac*, inquit, *limitatione Diœcesium, & deputatione Episcoporum ad suam cuiusque propriam particularem sedem, oritur obligatio residentiæ. Non enim fiunt Episcopi, vt sint otiosi, & Episcopatum ambiant tanquam dignitatem, qui tamen opus est, & ministerium atque labor; sed statim in ipsa promotione seu ordinatione certæ Ecclesiæ regendæ, & gubernandæ deputantur.* Namque si nonnisi iure humano certæ alicui Ecclesiæ addicuntur, non possunt potiori iure quàm humano quoque illi Ecclesiæ esse astricti & obligati, quod tamen cum præstantissimis Theologis postea iure optimo negat, atque eo nomine Catharinum insectatur, qui contrarium asserere sit ausus. Cæterùm *residentiam Episcoporum de iure esse diuino* haud ægrè admittimus, sed vltrò cum Illustrissimo Cardinale Bellarmino, qui doctrinam à se traditam & defensam, magna nominis & famæ commendatione facto ipso comprobauit, sentimus. Damasum hic nos audire iubet cum vera pietate de his differentem, sed laruam Damasi non Damasum exhibet, qua de re plura in sequentibus. Det igitur locum aliis personatus Damasus. Spalat. Num. 20. 1. Tim. 3. & 8. qu. 1. cap. qui Episcopatum. & Hier. ep. 83. Spalat. Num. 21.

In eandem quoque sententiam, inquit Spalatensis, *habemus egregiam epistolam Hidelberti Cænomanensis, quæ est in ordine 46. Sed ante omnes Athanasius maximam Episcoporum residendi necessitatem & agnoscit, & exponit, sic alloquens Constantium Imperatorem; Ecclesia non deserenda ab Episcopo: Nosti ex lectione scripturarum, quanti sceleris sit Episcopum Ecclesiam suam deserere, & negligere gregem Dei. Pastorum enim absentia lupis inuadendi gregis occasionem præstat. Si igitur fugissem, quam excusationem apud veros Episcopos, vel potius apud eum, qui mihi hunc gregem concredidit, habuissem? Quomodo non & ipse populus in die iudicij incuriam sui in me coniecisset, dicens; Is qui Episcopi munere fungebatur, nobis neglectis adeò vt non esset qui nos admoneret, fugam iniit?* Hæc certè nobis probantur quàm maximè. Quod autem Spalatensis potestatem facit Episcopo nuncium remittendi suæ Ecclesiæ, à nostra doctrina alienum non est, quippè qui fateamur multas extare posse causas, quibus adductus muneri cedere possit. Probamus quoque quod de sufficiendo legitimo pastore, & de mercenario non inducendo addit, sed paulò morosiorem se præbet in iis conditionibus explicandis, quibus censeat eum stare oportere qui Episcopatui renunciare velit. Neque enim negant Peritiores quique eum qui beneficio cedit eius redituum partem aliquam sibi seruare posse; Sed non sunt ista præsentis instituti. Quod verò rursus Episcopos vniuersæ Ecclesiæ *indefinitè*, vt loquitur præficit, error est à nobis suprà profligatus. Spalat. Num. 22. Athan. Apolog. ad Constan.

Admittimus vero in communis Ecclesiæ commodis procurandis occupatum Episcopum posse ad tempus aliquod à Diœcesi sua abesse, quod scilicet

bonum publicum Eccleſiæ cuicunque priuato præponderet, ſed non debet eas moras trahere, quæ inſignem perniciem aut diſpendium credito ſibi gregi afferant, cùm paſtorem agere eum conueniat, cui nihil antiquius ſit quàm ſuorum ſalutem procurare. Non alia certè lege huius ordinis viros in aula Principum agere, ac diutius morari permittunt ſacri Canones, quanquam nobis quoque probetur de ea re Bleſenſis iudicium, cuius non pigebit verba aſcribere. *Non eſt*, inquit, *nouum quod Regum conſiliis interſint Epiſcopi; ſicut enim honeſtate & ſapientia cæteros antecedunt, ſic expeditiores & efficaciores in Reipublicæ adminiſtratione cenſentur. Quia ſicut ſcriptum eſt minus ſalubriter diſponitur Regnum, quod non regitur conſilio ſapientum. Scriptum etiam legitis: Væ terræ cuius Rex puer eſt, & cuius Principes manè comedunt. Beata terra eſt cuius Rex ſenſatus eſt, & cuius Principes veſcuntur tempore ſuo. In quo notatur eos conſiliis Regum debere aſſiſtere, qui ſciant & velint & poſſint patientibus compati, paci terræ ac populi ſaluti proſpicere, erudire ad iuſtitiam Reges, imminentibus occurſare periculis, vitæque maturioris exemplis informare ſubditos, & quadam authoritate poteſtatiua præſumptionem malignantium cohibere. Et poſt aliquot veteris ſacræ Scripturæ exemplа allata*, inquit Spalatenſis, *Samuelis, Iſaiæ, Eliſæi, Ioiadæ, Zachariæ, addit; Vnum noueritis, quia niſi familiares & Conſiliarij Regis eſſent Epiſcopi, ſuprà dorſum Eccleſiæ fabricarent hodie peccatores, & immaniter ac intolerabiliter opprimeret clerum præſumptio Laicalis. Nunc autem ſi quid in Eccleſiæ attentatur iniuriam authoritate Pontificali corripitur. Aut ſi ad hoc Eccleſiaſtica cenſura non ſufficit, ſpiritualis gladij defectus ciuili ſuppletur, & ad eorum arbitrium principalis animaduerſio exercetur. Si quandoque, vt fieri ſolet, aduerſus inſontes Regis indignatio vehementius excandeſcit, Epiſcoporum precibus temperatur. Iſtis mediantibus manſueſcit circa ſimplices iudiciarius rigor, admittitur clamor pauperum, Eccleſiarum dignitas erigitur, releuatur pauperum indigentia, firmatur in clero libertas, pax in populis, in Monaſteriis quies, iuſtitia liberè exercetur, ſuperbia deprimitur, augetur Laïcorum deuotio, religio fouetur, diriguntur iudicia, leges acceptantur, decreta Romana vim obtinent, & poſſeſſiones Eccleſiaſticæ dilatantur. Iſti ſingulis præcipuis ſolemnitatibus ſuis interſunt Eccleſijs, vbi eleemoſynarum largitione, conſolatione pupillorum, ac viduarum ſubiectorum correctione, atque aliis ſanctitatis operibus redimunt dies, quos in curia conſumpſerunt. Porrò Archiepiſcopi vel Epiſcopi, qui in curia Regis Siculi conuerſantur per ſeptennium, aut decennium à curia non recedunt, nec refert viuant, aut deceſſerint quantum ad Eccleſiaſticarum poſſeſſionum cuſtodiam vel regimen animarum. Ab hac equidem curialitate noſtros quandoque volumus Epiſcopos prohibere, ſed conſilioſis & prudentibus viris viſa eſt expediens eorum cohabitatio circa Regem; quos ſi extraheremus à familiaritate illius, ſubſtraheremus quietem Monaſteriis, oppreſſis ſolatium, Eccleſijs libertatem. Vnde licet propter incommoditates varias, quas ibi ſuſtinent deſiderio deſiderarent egregi: publicæ tamen vtilitatis obtentu, communi fratrum noſtrorum conſilio, non ſolùm in hac vita Caſtrenſi tolerari, ſed ad eam trahi debuerant & compelli.* Hæc Bleſenſis.

SPALAT. Num. 24. Pet. Bleſ. ep. 84. Eccl. 10.

SPALAT. Num. 25.

Sed immeritò contumeliis onerat Innocentium tertium Pontificem Spalatenſis, quod exiſtimarit *à nullo alio præterquàm à Pontifice ſolui poſſe connubium ab Epiſcopo cum priuata Eccleſia initum*; Id enim eius placitum communi Eccleſiæ

cleſiæ praxi nititur, quæ huiuſmodi diſſolutionem, nonniſi ab eo qui à Chriſto plenam, ac integram potestatem acceperit, fieri poſſe doceat; Neque propterea ſe Deum, vt ſuprà oſtendimus, Pontifex facit, ſed ſe Chriſti tantùm Vicarium prodit eximia authoritate præditum, qua eum non nudarint impiæ, ac iniuſtæ deſertoris querelæ. Probauimus ſanè omnino ineptire eum, in aſſerendo eo vinculo, quod inter Eccleſiam vniuerſam & Epiſcopum intercedere comminiſcitur: Non enim vniuerſæ Eccleſiæ ſe obligat, niſi qua priuatæ quæ illius membrum eſt ſe addicit inito cum ea ſpiritali illo connubio, quod omnibus tum Theologis, tum iuris Canonici interpretibus meritò probatur. Eo ſiquidem detracto nulla iam niſi pij viri obligatione aſtringitur, ad communis Eccleſiæ commoda procuranda, ſed eo poſito priuatæ quidem ex officio & charitate, communi verò ex charitate proſpicere tenetur. Et quæ contra affert Spalatenſis, quia gratis dicuntur, gratis quoque refelluntur.

Iam verò Epiſcopos Suffraganeos, quos titulares vocat exagitandos ſuſcipit, & acerbè etiam inſectatur, ac *Nullatenenſes* à barbarie populi emendicato vocabulo homo planè barbarus prædicat ac traducit. Nolim prolixiorem de eorum dignitate, quam parem cæteris Epiſcopis habere nulli orthodoxo dubium eſt inſtituere, ne videar ambitioſius eam cauſam egiſſe. Sed primùm ſecum pugnat Spalatenſis, quippè qui cùm cenſeat iure diuino vniuerſæ Eccleſiæ Epiſcopos ex vi ſuæ ordinationis creari, neget tamen renunciari poſſe Epiſcopum, qui certam & conſtitutam ſedem non habeat; Namque ſi tantùm iure Eccleſiaſtico circumſcriptas, ac limitibus diſtinctas ſedes ſortiantur, cur non poterit Eccleſia Epiſcopum ſine definita ſede creaſſe? Quod verò illis ab infidelibus, aut hæreticis occupatas Eccleſias attribuit, facit pro iure ſuo, quo Tyrannicum imperium eam non priuat. Etſi enim iam Eccleſiæ non ſint, eſſe tamen poſſunt; Et credo cùm Apoſtoli diſcipulos ſuos renunciarent Epiſcopos priuatarum vrbium ad quas eos mitterent, vt in his Euangelium diſſeminarent Eccleſiæ nondum erant vrbes illæ, vt proinde conſtet etiam potiori quodam iure ciuitatum, & locorum in quibus aliquando religio obtinuerit Epiſcopos à Pontifice poſſe renunciari. Sed demus in eam ſpem non ordinari, verū vt operam ſuam, quod fit, aliis Eccleſiis addicant, quis non videat ſummæ charitatis ſpecimen eſſe, quod indigentibus huiuſmodi Epiſcoporum opera Eccleſiis à communi parente miniſtri imponantur? Propterea autem illis ab infidelibus oppreſſarum Eccleſiarum tituli tribuuntur, quod in vna ciuitate vnus tantùm ex decreto Concilij Nicæni, cuius ſanctiones non tenuiſſe pœnituit Auguſtinum Hipponenſis Eccleſiæ, aſpirante Valerio renunciatum Antiſtitem, eſſe debeat, vt fuſiùs alio loco docebo. Itaque opus non eſt confugere ad matrimonium, quod cum vniuerſa Eccleſia ineant, cùm vice priuatæ Eccleſiæ illis ſit ea cui operam ſuam in ſubſidium proprij Antiſtitis collocant & impendunt, ac propterea nautis ſine naui, aut maritis ſine vxore ſimiles non ſunt, tanquam enim in propria naui laborant, & fratrum ſuorum citra vllam adulterij ſuſpicionem vxores, ac familiam inſtituunt, ac moderantur: Neque ad amuſſim connubij alicuius carnalis fuerint iſta exigenda. Certè Gregorius Nazianzenus Sazimorum, quô eum Epiſcopum crearat Baſilius, ab Anthimo acceſſu prohibitus, Nazianzi Patri ſuo Epiſcopo operam ſuam addixit, ac ſenio confectum in Epiſcopatu iuuit, vt etiam quanquam

SPALAT. Num. 26.

SPALAT. Num.17. Canone 16. perperam ſit à pleriſque Nazianzenus Epiſopus habitus. *Vacantes Epiſcopos*, de quibus Canon ſextus decimus Antiochenus agit, credo eſſe quos Eccleſiis ſuis infideles ſpoliaſſent; ſed ſedibus ſuis orbati Epiſcopi eſſe non deſinebant, tantummodo prohibentur vacantes alias Eccleſias citra plenariæ Synodi authoritatem, cui Metropolitanus intereſſet inuadere, quod iuſto iuſtius nos quoque ducimus. Quod autem Alexius Comnenus eos, *ex reditibus ditiorum Monaſteriorum alendos* cenſuit, argumento eſt reueritum eſſe in illis characterem Epiſcopalem, nec exiſtimaſſe eſſe abiiciendos, aut ab Eccleſia contemnendos. Calumnia verò eſt quod inculcat aduerſarius, *idcirco multiplicari, vt eorum opera Conciliorum generalium definitiones labefactentur*, cùm nullum Concilium proferre poſſit, in quo turbarum authores fuerint, orbique ipſi ſit exploratum, etiam in Concilio Tridentino egregiam operam cum aliis collegis nauaſſe, ac pro fulcienda pietate inſigniter decertaſſe. Gerſonius verò eos ſolùm perſtringit, qui ſine vſu & exercitio, quales nullos vidimus, Epiſcopatus titulo gloriarentur. Verba eius ſunt. *Status Epiſcopalis, licet eſſe poſſit in aliquo ſine plebe, & ſine vſu vel exercitio; hoc fieri non conuenit: quia vanum & monſtruoſum in Eccleſia videretur: Quoniam fruſtra eſt poteſtas, cui non ſubeſt operatio.* Atqui funguntur planè Epiſcoporum officio, qui Epiſcopalia munera etiam in aliena Eccleſia exequuntur, & credo aliquantò maiori cum laude in eo munere verſantur, quàm à grege ſuo abeſt ſceleratus ac planè mercenarius deſertor.

ALEX. Com. in Iur. Can. Græcor.

SPALAT. Num.vlt. Gerſon.de ſtat.Prælat. Conſid.8.

DISCVSSIO

DISCVSSIO
OCTAVI CAPITIS
LIBRI SECVNDI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Ecclesiæ Romanæ studium præcipuum Ethnicos conuertendi, & ad familiam Christi adducendi: Id ad summam eius authoritatem pertinere: Nec tamen negatum iis qui in eius cõmunione essent: Potissimùm verò Patriarchas in consortium huius laboris admissos: Expenduntur quæ contra affert Spalatensis: Et Polycarpi, Irenæi, Origenis, Constantini magni, Athanasij, Eusebij Samosateni, Basilij, Gregorij Nazianzeni, Augustini, & multorum aliorum facta discutiuntur: Item Gregorij magni, & aliquot recentiorum: Vnde in his supremam habeat potestatem Pontifex: Baronius à calumnia vindicatus: Spalatensis Caluini crimine implicatus: Non esse penes vnum Episcopum potestatem alium initiandi: Sed ad minimum tres desiderari: De diuisione Episcopatuum, in causa Donatistarum: Ad Pontificem istud pertinuisse: Nec renuisse Africanas Ecclesias: Quinta Synodus non nisi approbante Vigilio Oecumenica habita: Creandorum Episcopatuum potestatem ad Pontificem rectè reuocat Baronius: Bellarminus defensus: Obiter de Principatu Romanæ Ecclesiæ: De causa Cæciliani: Baronius rursus defensus:

MAGNVS *est orbis terrarum; regiones nouæ olim ignotæ solent iam detegi, Christiana Religio in multis locis iamdiu abolita est & extincta, in quibus potest innouari: amplissimæ sunt in multis locis sub vnico Episcopo Prouinciæ, quæ plures possent, & deberent habere Episcopos: vt propterea noui sæpè sint in Ecclesia Episcopatus erigendi, vnde & surgere potest quæstio, cuiusnam sit huiusmodi nouos Episcopatus erigere, & de nouo certis locis suos primos Episcopos deputare & ordinare. Cuius quæstionis plena & plana solutio facilè peti posset ex hactenus à me tractatis, & explicatis, nisi noster summus Pontifex hanc esse ipsius solius potestatem profiteretur. Nullum enim ego cerno discrimen in Episcopi creatione, siue is sit defuncto alicui Episcopo substituendus, siue nunc primùm in loco vacante, in quo nullus aut vnquam, aut iamdiu fuerit Episcopus, instituendus. Loquor tamen intra solius iuris diuini terminos: nam de iure humano quid sit seruandum in Ecclesia tractabo lib. 3. Quicunque igitur habet in Ecclesia potestatem Episcopos ordinandi, is profectò eam habebit tam in primi alicuius Episcopi institutione, quàm in demortui locum substitutione. Iam verò docui Christum Dominum potestatem hanc multiplicandi Ecclesiasticos Ministros, & propagandi, omnibus & in singulis Apostolis plenam dedisse illis verbis;* Sicut misit me Pater, & ego mitto vos: *& Apostolos eandem potestatem mandato Christi, in Episcopos omnes & singulos, sicut ipsi Apostoli omnes & singuli illam habuerunt, transtulisse. Hanc itaque potestatem actu ipso in Ecclesia per multa sæcula, etiam in nouis creandis Episcopis, à priuatis etiam Episcopis, sed potissimùm à Metropolitanis exercitam fuisse, hoc cap. suscipio confirmandum.*

SPALAT. Num. 1.

Sup. cap. 1. init. & ca. 2. num. 51. & seq.

Ioan. 20.

Digitized by Google

Tertull.de præſcript.

VM præclarè à Tertulliano de hæreticis dictum ſit, *Negotium eſſe illis non Ethnicos conuertendi, ſed noſtros euertendi. Hanc magis gloriam captant*, inquit ille, *ſi ſtantibus ruinam, non ſi iacentibus eleuationem operentur*: Contrà, Eccleſiæ Romanæ perpetuum ſtudium fuit, miſſis per totum orbem viris planè Apoſtolico ſpiritu præditis Gentes ad cultum Dei, ac mediatoris Chriſti reuocare, fidem propagare, ac propagatam modis omnibus ſartam tectamque ſeruare. Et quidem primùm eius fundatorem Petrum hanc operam pietati ſedulò nauaſſe, author nobis eſt magni nominis Pontifex Innocentius primus; *Cùm*, inquit, *ſit manifeſtum in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, inſulaſque interiacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores, conſtituerint Sacerdotes?* Perſeuerauit in Eccleſia Romana ingens hoc ſtudium, vt meritò poſt Apoſtolos vita functos omnium ferè Gentium ad fidem Chriſti conuerſio ei accepta feratur. Sed hic præ indignatione frontem contrahit, ac corrugat Catholicæ Eccleſiæ hoſtis Antonius de Dominis, ac ei hanc gloriam inuidens, in alios eam confert, pleroſque accerſit, qui in Ethnicis ad fidem adducendis operam poſuerint. Sed primùm aduertendum eſt noſtram, non eſſe ſententiam proximè, ſemper, & immediatè à Pontifice miſſos, qui in hoc opus incumberent, ſed etiam plerumque ab iis Epiſcopis qui communionis Catholicæ eſſent, ac Pontificem pro Eccleſiæ Catholicæ capite agnoſcerent; Cùm enim Romanæ Cathedræ primatum colerent, Pontificique adhærerent, proculdubio nullos vnquam aut ordinauerunt, aut ad prædicandum miſerunt, quos ei ſedi non addicerent, vt proinde eorum labores in triumphis eiuſdem Eccleſiæ ponantur. Maximè verò in his ſpectanda ſemper fuit duorum Patriarcharum Antiocheni & Alexandrini, coniuncta cum Pontificis authoritate dignitas, ſiquidem veluti vna Petri ſedes tribus in ciuitatibus collocata habitæ ſunt Romana, Alexandrina & Antiochena. Quanquam Romana propter capitis dignitatem ſemper primas tulit: *Cùm multi ſint Apoſtoli*, inquit Gregorius, *pro ipſo tamen principatu tota Apoſtolorum Principis ſedes in authoritate conualuit, quæ in tribus locis vnius eſt. Ipſe enim ſublimauit ſedem, in qua etiam conquieſcere, & præſentem vitam finire dignitas eſt. Ipſe decoranit ſedem, in quam Euangeliſtam Diſcipulum miſit. Ipſe firmauit ſedem, in qua ſeptem annis quamuis diſceſſurus ſedit; Quum ergo vnius atque vna ſit ſedes, cui ex authoritate diuina tres nunc Epiſcopi præſident, quicquid de vobu boni audio mihi imputo.* Quare ſi quando operam nauarunt conuertendis exteris Gentibus authoritate Petri fecerunt, nec à Pontificis reuerentia receſſerunt, ſed potius tanquam perpetui Petri Vicarij proximum eius ſucceſſorem v enerati ſunt, & laboribus ſuis iuuerunt. Imò verò ſi verum fateri licet, idcirco his tribus ſummis orbis ciuitatibus ius Patriarchicum eſt conceſſum, vt in propaganda religione, & ad Chriſtum adducendis omnibus omnino populis inſigniorem & illuſtriorem operam ponerent, vt ſuo loco oſtendetur. Sed vrget Spalatenſis.

Innoc.ep.1. ad Decentium.

Greg.lib.6. ep.37.

SPALAT. Num.2. Greg. Tur. hiſt.Franc. l.1.c.29.

Polycarpus, inquit, *Ioannis Euangeliſtæ Diſcipulus Epiſcopus Smyrnæorum in Gallias aliquot ſuos Diſcipulos, vt Euangelium Chriſti annunciarent amandauit, Irenæum, qui ipſemet fatetur ſe fuiſſe à puero Polycarpi auditorem, & poſtea*

poſteà factus eſt Epiſcopus Lugdunenſis, Antiochium Thyrſum, Fœlicem, Benignum quos ad docendam Galliam, & prædicandum Euangelium ab Oriente à Polycarpo directos teſtantur Martyrologia. At Polycarpus vt ſe Romanæ communionis Epiſcopum oſtenderet, exorto de Paſchatis celebratione diſſidio, Romam ſe contulit, ac cum Aniceto non ſolùm de ea diſceptatione, ſed de aliis quoque rebus ad religionem pertinentibus contulit, facta ei poteſtate ab Aniceto Ritus qui in Euchariſtia peragi ſolerent obeundi, indeque meritò factum putat Baronius, vt Aniceti aut rogatu aut mandato ſuos ille diſcipulos eximios quidem religionis doctores & præcones in Gallias diſſeminandi Euangelij gratia miſerit in his Irenæum egregium dignitatis Eccleſiæ Romanæ propugnatorem, *Ad hanc Eccleſiam*, inquit, *propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem conuenire Eccleſiam, hoc eſt eos qui ſunt vndique fideles, in qua ſemper ab his qui ſunt vndique, conſeruata eſt ea quæ eſt ab Apoſtolis Traditio. Fundantes igitur & inſtruentes beati Apoſtoli Eccleſiam Lino Epiſcopatum adminiſtrandæ Eccleſiæ tradiderunt. Huius Lini Paulus in his quæ ſunt ad Timotheum Epiſtolis meminit. Succedit autem ei Anacletus poſt eum tertio loco ab Apoſtolis Epiſcopatum ſortitur Clemens, qui & vidit ipſos Apoſtolos & contulit cum eis, cùm adhuc inſonantem prædicationem Apoſtolorum & Traditionem ante oculos haberet. Non ſolus enim, adhuc multi ſupererant tunc ab Apoſtolis docti.* Itaque ipſemet Irenæus ſucceſſionis Romanorum Pontificum ſeriem ibidem omnibus omnino hæreſibus opponit, ac de ea vna gloriatur & triumphat. *Hac ordinatione*, inquit, *& ſucceſſione ea quæ eſt ab Apoſtolis in Eccleſia traditio, & veritatis præconiatio peruenit vſque ad nos.* Atque ibidem Polycarpum à quo in Gallias miſſus eſſet, Romam aliquando profectum ſub Aniceto, multos hæreticos ad ſincerioris fidei profeſſionem reuocaſſe author eſt, vt tum Polycarpi, tum Irenæi, cùm Eccleſia Romana conſenſio nulli iam obſcurior eſſe poſſit. Origenis in Arabiam profectionem probauit Demetrius Epiſcopus Alexandrinus, ac propterea non potuit Pontifici Romano in cuius communione eſſet non probari. *Origenem Alexandrinæ Scholæ*, inquit Euſebius, *operam nauantem, miles quidam adiit, & literas à Præſide Arabiæ tum Demetrio Epiſcopo, qui ibidem rexit Eccleſiam, tum præfecto qui tum Ægypto præfuit attulit, vt cum omni feſtinatione Origenem ad ipſum mitterent, qui in ſacris literis ipſum erudiret. Qua propter ab illis ad eum miſſus, Origenes proficiſcitur in Arabiam; ac negotio cur eo ſe contuliſſet, breui ad exitum perducto, iterum Alexandriam reuertitur.* Similiter quod Pantænum eruditionis gloria inſignem miſerit in Indiam, non potuit quoque non eſſe Pontifici acceptiſſimum; Neque Conſtantinus Pontificem quoque læſit, cùm Epiſcopum quendam ordinari fecit, qui ad Iberos ad fidem vocandos ipſorum rogatu mitteretur, eos enim adhibuit huius ordinationis miniſtros, qui in Romani Pontificis communione agerent. Sed rectè & ex fide priſcæ hiſtoriæ aduertit Cardinalis Baronius, iam olim ſub Traiano Imperatore illam Illyriæ partem quæ vergit ad mare Ponticum prædicatione ſancti Clementis Papæ Petri germani diſcipuli fidem ſuſcepiſſe. Irenæus verò indiſcriminatim Iberos Chriſtianæ vnitatis teſtes profert. *Neque*, inquit, *quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Iberis ſunt*, vt proinde valdè nutet illa diſtinctio de Iberis Caucaſum incolentibus, & de his qui ad mare Ponticum vergunt; Nam fieri potuit, vt à ſemel ſuſcepta fide tum hi tum illi defecerint, ac proinde temporibus Conſtantini Spiritu Dei afflatus

Apud Euſ. lib. 5. c. 19. Euſeb. l. 5. hiſt. cap. 6. & Hier. de ſcript. Eccl. Martyrol. 24. Sept. & 1. Nou. Euſeb. li. 5. hiſt. Eccl. cap. 24. Bar. ad ann. 168. 169.

Ire. l. 3. c. 3.

Iren. li. 3. c. 3. adu. hær.

Euſeb. l. 6. cap. 13.

Iren. lib. 1. cap. 3.

Ruffin. lib. 1. cap. 10. eorum Rex Bacanus, quem se Hierosolymis vidisse refert Ruffinus, ad Imperatorem legationem miserit, qua peteret sibi Christianos Antistites & Sacerdotes dari.

Athanasius Frumentium Tyrium, cuius & Ædisij Tyrij quoque opera Euangelium ad Indos peruenisset Duce Moropsio Philosopho Christiano pro Patriarchæ authoritate, renunciare Episcopum omnino potuit ac debuit, vt nascenti Ecclesiæ dignum Episcopum imponeret? Sed quis nesciat Athanasium quippe Marci, quem discipulum Petri fuisse nemo ambigit, successorem, communionem Ecclesiæ Romanæ coluisse, cuius Pontificem afflictissimis suis rebus appellarit, & ad cuius tribunal ab Arrianis immaniter vexatus prouocarit? Quod igitur signis ac miraculis editis Frumentius ab eo in Indiam missus innumerorum barbarorum multitudinem ad fidem adduxerit, in Ecclesiæ Romanæ bonis quoque ponimus, quippe ad quam hoc nomine magna fieret filiorum accessio. De Eusebio Zamozateno Orthodoxo quoque Episcopo diximus superiori capite. Basilius Gregorium Nazianzenum primum Sasimorum creauit Antistitem oppido ad Episcopatus fastigium euecto. Id scilicet pro primæ Capadociæ Archiepiscopi authoritate fecit, sed Athanasij Patriarchæ sui, vt Athanasius Pontificis etiam hac in parte nutum sequebatur. Cæterùm cùm Dorillæ ad Episcopum ordinandum Gregorius Nazianzenus vna cum Collegis aliquando conuenisset, factum purgandum duxit, ac minimè se suosque collegas in Romani Pontificis quem Ecclesiæ caput agnoscerent, fines inuadere voluisse ostendit, sed laboranti Ecclesiæ opem ferre; Atqui Basilium in eadem sententia fuisse, ac Pontificem Romanum instar capitis habuisse est à nobis in ipso limine operis abundè probatum. Persidis haud certè prima, sed reuera maxima conuersio S. Maruthæ Mesopotamiæ Episcopi laboribus post Deum accepta ferenda est, quippe qui Persarum Regi quem capitis acerbissimo dolore leuasset, & à filio dæmonem expulisset gratissimus, Ecclesias tota regione sub Theodosij Iunioris Orthodoxi Principis, à quo Legatus in Persidem missus esset, fundarit, sed nullus dubito eum à Patriarcha suo, qui in Pontificis communione suas contineret Ecclesias potestatem accepisse, aut certè eum assensorē habuisse. Burgundiones à quodam Episcopo Gallo ad fidem adducti sunt, & sacris limphis tincti, sed Galliarum Episcopi Petrum suæ ordinationis Principem ac fontem agnoscunt. *Gratulantes*, inquiunt, *quod tantæ sanctitatis, tantæ fidei, tantæque doctrinæ Apostolicæ Sedi, vnde religionis nostræ propitio Christo fons & origo manauit, Antistitem dederit, petentes etiam vt datum concessumque munus Pontificij vestri, longissima ad ædificationem Ecclesiarum suarum ætate custodiat.*

Inter ep. Leon. ep. Rauennij aliorumq; Episcopor. Gallor.

Aug. ep. 261. *Augustinus in suæ Diœcesis Hipponensis Castello Fussala sedem nouam fecit Episcopalem: eique simul cum Primate Numidiæ, Antonium primum præfecit Episcopum.* Sed Augustinum in his & similibus rebus ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus authoritate Apostolica, quā & Primas Numidiæ, & reliqui Aphri apprimè colerent ac venerarentur nixum, satis ostendit Epistola de ea re scripta ad Cœlestinum Pontificem, apud quem Primus ille Episcopus Antonius ab Augustino & Collegis meritò exauctoratus, de iniuria sibi facta expostularat, ac conquestus fuerat.

Eod. nu. 2. *Iuuenalis Patriarcha Hierosolymitanus Antiocheno Patriarchæ subditus, Saracenis Petrum quendam eorum contribulem non ita pridem Christianorum ritibus, & sacris ab Euthymio viro sanctissimo initiatum primùm in Palæstina Episcopum*

pium renunciauit, ſed agnoſcebat Iuuenalis nedum ſuam ſedem Hieroſolymitanam, verùm Palæſtinam vniuerſam, adeoque integrum Antiochenum Patriarchatum à Pontifice pendere, ac etiamnum regi & iudicari. Extat luculentiſſimum de ea re teſtimonium in Concilij Epheſini Actis; Cyrilli enim aduerſus Ioannem Antiochenum cauſam agens hæc habet. *Oportebat quidem Ioannem reuerendiſſimum Antiochiæ Epiſcopum, hac ſancta & magna & Oecumenica Synodo conſiderata confeſtim accurrere, vt de iis quæ illi obiiciuntur, ſe purgaret; & ad Apoſtolicam ſedem magnæ Romæ nobiſcum confidentem; & obedientiam ac honorem deferre Apoſtolico ſanctæ Dei Eccleſiæ Hieroſolymorum, apud quem maximè mos eſt; ex Apoſtolico ordine & traditione, vt ipſa Sedes Antiochena dirigatur, & apud eum iudicetur. Barbaris Gentibus ad Euxinum & Meotim, & aliis, Epiſcopos primos à Patriarcha Conſtantinopolitano Imperatoris iuſſu datos fuiſſe, ſcribit Procopius*, addit Spalatenſis; Iuſtiniani etiam edicto Pontificem agnoſcebat omnium Eccleſiarum Caput Patriarcha Conſtantinopolitanus. Verba Imperatoris ſunt: [a] *Nec enim patimur quicquam quod ad Eccleſiarum ſtatum pertinet, quamuis manifeſtum & indubitatum ſit quod mouetur, vt non etiam veſtræ innoteſcat ſanctitati, quæ caput eſt omnium ſanctarum Eccleſiarum. Per omnia enim (vt dictum eſt) properamus honorem, & authoritatem creſcere veſtræ ſedis.* Narrat idem Procopius, & refert quoque Euagrius eundem [b] *Iuſtinianum Imperatorem, templo Deiparæ apud Abaſgos ædificato, Sacerdotes illis deſignaſſe, à quibus Chriſtianæ religionis dogmata accuratiſſimè didicerunt.* Vtinam verò intra hos terminos ſe continuiſſet Iuſtinianus, nec ſe curioſius rebus Eccleſiaſticis immiſcuiſſet, feciſſet ſanè illuſtriori gloria & maiore famæ commendatione, quam curioſior illa rerum Eccleſiaſticarum tractatio obſcurauit. [c] *Rupertum Epiſcopum Regio Francorum genere procreatum, Theodopertus Rex Francorum iuſſit ad Boios proficiſci cum duodecim Myſtis, diuinæ ſapientiæ conſultiſſimis. Iſque ſuis concionibus Boiorum populo perſuaſit, vt deſerta auita ſuperſtitione exploſo, atque exſibilato gentili numinum cultu, ſapientiam Chriſtianam reciperent, & vnius Dei cultum amplecterentur. Atque apud eos plura templa conſecrauit.* Sed vt ſupra monui Galliarum Epiſcopi ſuam dignitatem acceptam ferunt Petro, & in eius cómunione conſtantiſſimè ſemper perſeuerarunt. *Gregorius ægrè fert, quod Sacerdotes Galli Angliæ propinquiores, ad conuerſionem Anglorum conuerti cupientium, animum adiicere neglexerint, & non ſe ſtatim cooperatores exhibuerint. Non ergo*, inquit Spalatenſis, *tenebantur expectare mandatum Papæ, ſed ex proprio Sacerdotali munere debebant in Angliam proficiſci.* Quis verò dubitet Sacerdotes ſerendo ac propagando Euangelio diligentem operam nauare debere, etiam à Pontifice, cui ea res non poſſit non eſſe gratiſſima, minimè inuitatos? Meritò igitur apud Theodoricum & Theodopertum Reges, de Sacerdotibus Chriſtiani regni conqueritur Gregorius, quod negligentius in Anglorum ſalute procuranda agerent, maximè verò cum ardentiſſimis votis ab eis Angli efflagitarent, vt hanc ſuæ gentis conuerſioni operam impenderent. Hoc enim pacto, neque ſuo muneri ſatisfaciebant, neque ſanctiſſimi Pontificis votis obſequebantur; quare Gregorius eorum ſocordiæ pertæſus deſtinandum ſibi ad Anglos putauit eximium Monachum, magni Auguſtini cognominem, qui celeberrimæ Inſulæ incolas ad fidem Chriſti traduceret, & ſincerioris doctrinæ præceptis imbueret, ac ad pietatem informaret, erudiret & inſtitueret. De hoc Gregorij facto audi iudicium venerandiſſimi Bedæ: *Cùm primùm Gregorius, in-*

Concil. Eph. part. 2. Act. 4. tom. 1. Ἐχθὲς μὲν Ἰωάννῃ τῷ ἐκκλησίαν ἐπίσκοπον Ἀντιοχέων, ἐδυσωπούμεθα τὴν ἁγίαν καὶ μεγάλην, καὶ οἰκουμενικὴν σύνοδον ταύτην, ἐνδίκως εἰς ἀπολογίαν τῶν ἐγκαλουμένων τῷ δρασαι, καὶ τὸν ἀποστολικὸν θρόνον σωβασμένα ἀεὶ τῆς μεγάλης Ῥώμης, καὶ τῷ ἀποστολικῷ ἀνδρὶ, ὡς ἂν ἀρχιερεῖ τοῦ θεοῦ ἐκκλησίας ὑπακούσαι καὶ πειθῆσαι. πάντ' ἂν μάλιστα ἔδει αὐτὸν Ἀντιόχου θρόνον ἐξ ἀποστολικῆς ἀκολουθίας καὶ παραδόσεως, ἰδιωτεῦσαι, καὶ παρ' αὐτῷ διαζῆσαι.

[a] Iuſt. Imp. ep. ad Ioan. Pap. cod. de ſum. Trin. & fid. Cath.

[b] Euag. l. 4. ca. 21.

[c] Auent. Ann. Baior. lib. 3.

[d] Greg. l. 5. indic. 14. ep. 58.

Proc. hiſt. Perſic. & Euang. l. 4. cap. 22.

Lib. 2. hiſt. Ang. c. 1.

quit, *in toto orbe gereret Pontificatum, & conuersis iam dudum ad fidem veritatis esset prælatus Ecclesiis, nostram gentem eatenus idolis mancipatam Christi fecit Ecclesiam.* Quid potuit illustrius dici? *Lindisfarnensis Episcopus, nouum creat Episcopum nomine Cedd, qui apud Orientales Saxones, nuper ab eodem Cedd conuersos, vt Episcopus resideret. Stephanus Emeritensis, indiscreta Bambæ Regis impulsione, in exiguis Monasteriis, & Viculis, nouos aliquos Episcopos ordinauit. Ea de re pœnitentiam egit in Concilio Toletano, & culpam fassus est; atque à Concilio reprehensus, non quod quæ non potuerit, sed quæ non debuerit, egerit contra Canones & Ecclesiastica statuta; quæ in vilioribus locis Episcopatus erigi non patiuntur.* Patres Concilij Toletani Regis Bambæ reuerentia adducti, mitius egerunt cum ordinatis, cæterùm ad praui facti exemplar abolendum, prolatis in medium sacris Canonibus, sic edixerunt; *Si quis contra hæc Canonum interdicta venire conatus fuerit, vt in locis illis Episcopum eligat fieri, vbi Episcopus nunquam fuit, anathema sit in conspectu Dei omnipotentis. Et insuper tam ordinator quàm ordinatus, gradum sui ordinis perdat; quia non solùm antiquorum Patrum decreta, sed & Apostolica ausus est conuellere instituta.* Hoc certè in Ecclesia possumus, quod iure possumus, cùm itaque nullo iure licuerit Emeritensi, Episcopatus in oppidulo excitare, omnino non potuit, propterea etiam Synodius eorum Episcopatuum creationem tanquam planè vanam, irritam & ingratam habuit. *Suuibertus à Sancto VVilfrido Merciorum Antistite in Anglia, ordinatus est primus, & nouus Traiectensium Episcopus.* Sibutius ab Amburgensi præsule Rugorum genti datus est Episcopus, fatemur, sed erant illi in communione Romanæ Ecclesiæ, ad quam suam originem referrent, & eius Pontificem capitis loco haberent, ac reuererentur.

Beda l. 3. cap. 22. Conc. Toletan. 12. c. 4.

Ex tom. 3. Conc. part. 1. pag. 104.

Marcell. apud Surium die 1. Martij. Regino & ex eo Baro. an. 959.

SPALAT. Num. 3.

De Adalberto Pragensi Episcopo, qui primùm religionem in Poloniam intulit, dubium non est, Pontificis quem summoperè coleret, vt exitus ipse probauit, authoritate nixum, id sibi muneris sumpsisse; neque verò diplomate ei opus fuit, quod velle nos existimare videtur Spalatensis, neque expressiore eius rei significatione, cùm opus ipsum per se sanctum sit & pium, adeoque ab ipsis Pontificibus, iis quibus facultas non desit, & occasio faueat tacitè saltem indictum ac iniunctum. Cæterùm quærenti Spalatensi, à quo didicerit Baronius, authoritatem instituendi nouas ad gentes legationes in solo vigere Pontifice; Respondemus inde didicisse vnde probatur eum caput esse Ecclesiæ, & ab eius Ecclesia, quod dixit Cyprianus exortam vnitatem sacerdotalem: Hoc certè vt significaret Christus Petrum primum esse voluit, qui prædicando Euangelio in gentibus Apostolis viam muniret, ac ostium aperiret, vt ex Actis Apostolicis non obscurè colligitur. Monendus tamen mihi es, ô Lector, Baronium ad vnum Pontificem reuocasse potestatem mittendorum concionatorum ad exteras gentes, propter labefactatam ac conuulsam Sedium Patriarchalium & authoritatem & fidem. Cùm namque in Pontificis communione agerent, partem curarum in eas coniiciebat Pontifex, sed eis in schisma prolapsis, ac in errorem abreptis, meritò hoc sunt iure nudatæ, quippe quo non nisi Petri beneficio à quo defciuerint gauderent. Cæterùm qui Adalberti vitam à Surio collectam replicare voluerit, facilè deprehendet vera de Adalberti facto sensisse Baronium, ac contra mendaciissima esse quæ Spalatensis inducit. Vice omnium sint hæc de eius in Bohemiam reditu authoris verba; *Posteà*, inquit, *populus terræ Episcopum suum reuocat sancti viri Pappatem, radium sapientem, & qui fratre charior Domino terræ*

Apud Surium die 23. Aprilis.

terræ fuit, Chriſtianum Monachum, virum eloquentem in hoc opus eligunt. Hi duo cum litteris Metropolitani Romam veniunt, de reditu paſtoris Papam appellant. populo pœnitenti matrem ſuam requirunt. Promittunt ex ore populi errata corrigere, quæ deliquerunt ſoluere, deſinere à malis, ſtudium dare bonis abſceſſus ſancti viri contrarius erat Domino Papæ, talem margaritam à ſuo corpore auellere durum erat magnæ Romæ: ſed facta Synodo, ratio obtinuit: quia gens ſuam plenam ſatisfactionem pollicens vocat, dimiſſum gregem contra voluntatem repetat. Amborum, Papæ & Abbatis, imperio parens fracto ſuo libitu, flens Epiſcopus ad Epiſcopatum rediit: pro cuius regimine virgam, pro pignore annulum dante Apoſtolico, accepit. Dominica die veniens venit domum ad vnam ciuitatem, vbi ipſa die mercatus erat magnus. Quæ viſio non parum adduxit triſtitiæ ſancto viro. Ad eos verò, qui ſe reduxerant, improperando ſic ait: Ecce veſtra promiſsio bona: pœnitentes veſtri ne feriantur hac die ſacra.

Factum Ottonis Bambergenſis Epiſcopi in gratiam & hortationé Boliſlai Poloniæ Ducis, Pomeranis ad fidem adducendis operam nauantis, noſtram ſententiam firmat, neque Ottho Pontificem ſuſcepti inſtituti certiorem reddidit, tantùm vt probaret eius ſe partibus in diſſidio, quod inter eum & Imperatorem exarſiſſet adductum, ſed quod omninò æquum duceret tanti ponderis cauſam ad Pontificem à quo non ita longè abeſſet, referri. Verba Vrſpergenſis ſunt, & quidem è caſtris aduerſariorum Pontificis, *Otto Dei gratia, Babenbergen. Eccleſiæ Epiſcopus, diuino admonitus inſtinctu, prædicti Apoſtolici authoritate & aſſenſu roboratus, partes Pomeranorum, cum quibuſdam ciuitatibus terræ Lutatiæ aggreſſus eſt, vt eos ab errore ſuo reuocaret, & ad viam veritatis & ad agnitionem filij Dei perduceret.* Immeritò igitur vapulat Baronius, qui adeò abeſt à fœda illa adulatione qua eum Pontifici quæ ſunt Chriſti propria tribuiſſe confingit Spalatenſis, vt eius ſcriptione nihil modeſtius, nihil religioſius excogitari poſſit. Sed deſertori ſtomachum mouent quæcunque Nouatores perſtringunt, ac Eccleſiæ Dei & Pontificis gloriam illuſtrant. Non ſumus neſcij Apoſtolis dictum à Chriſto, *Euntes in mundum*: Sed Paulus ipſe poſt illa verba, *ne in vanum curreret dextras ſibi ſocietatis dari à collegis* procurauit, ſcilicet vt Apoſtoli & Apoſtolici viri, nil niſi ex ordine Eccleſiæ præſtituto aggrediantur, aut moliantur.

SPALAT. Num. 4.

Vrſperg. in Chron. an. 1124.

De Adriani Epiſtola, quia integra non extat, nil aliud dicendum occurrit quàm Pontificem ſuo munere fungentem authorem fuiſſe Euangelij ſuo ſæculo exteris gentibus prædicandi; quod præſtitit non quà priuatus Epiſcopatus, ſed quà Chriſti ſummus in terris Vicarius. Certè iudicio Spalatenſis, *Si Pontifex eſt Petri legitimus ſucceſſor, ipſe maximè debet in totius mundi conuerſione laborare, aut ſaltem alios ad hoc mittere, & deſtinare*; Atqui eſſe Petri ex aſſe quod aiunt, heredem & ſucceſſorem tam eſt certum, quàm certum eſt Petrum Romanam Eccleſiam rexiſſe, ac eius gubernacula ſucceſſoribus ſuis tractanda reliquiſſe: Igitur non ſolùm Bonifacius Germanorum Apoſtolus, ſed quique alij Epiſcopi Orthodoxi, qui in gentibus Euangelium prædicandi Prouinciam ſumpſerint, eius ſe muniri authoritate curarunt, vel facti ſui rationem reddiderunt. Et quod opponit Spalatenſis, *Multos id tentaſſe inconſulto Pontifice*, nos non lædit; Fatemur enim, vrgente charitate Chriſti, occaſione vltrò oblata, poſſe non ſolùm Archiepiſcopos, Epiſcopos & Paſtores, verùm etiam Doctores nullis infulis ornatos, Gentibus ad fidem adducendis operam nauare, etiã inconſulto

Pontifice, cui vt diximus, non poſſit non eſſe ea res gratiſſima & acceptiſſima; ſed id præſtitiſſe aliquos, qui vel ad ſuos Patriarchas, vel ad Pontificem ipſum de his non retulerint, ægrè probauerit Spalatenſis. De Patriarchis verò qua in Eccleſia ſint poteſtate, videro inferius. Quod autem legationes Pontificiæ multis clariſſimis Antiſtitibus tum in Oriente tum in Occidente demandatæ, id euidentiſſimè comprobarent, quod nos defendimus, occupat argumentum Spalatenſis, & Caluini Spiritu afflatus, *artificium*, vt vocat, (at hæc eius eſt vafricies) *fuiſſe Pontificum, qui vt honeſto titulo eorum labores ſibi vendicarent, legatos omnes ſuos renunciarent.* Pollicetur ſe de ea re alibi fuſius acturum, ac diſputationem in alium locum reiicit, vt Conciliorum nos authoritate premat; Sed ſi verum hic quoque dicere licet, imbecilliora ſunt & hebetiora eius tela, quàm quæ nos lædere queant.

SPALAT. Num. 6. Cõc. Carr. 3. c. 42. & Afric. c. 20.

In Concilio Carthaginenſi 3. circa tempora Syricij Papæ, Epigonius Epiſcopus dixit: Multis in Conciliis hoc ſtatutum eſt à cœtu Sacerdotali, vt plebes quæ in Diœceſibus ab Epiſcopis detinentur, quæ Epiſcopos nunquam habuerunt, non niſi cum voluntate eius Epiſcopi à quo tenentur, proprios accipiant Rectores, id eſt Epiſcopos. Solo ergo, inquit, *Epiſcopi magnam Diœceſim habentis conſenſu, poſſunt loca celebriora nouam erigere ſedem Cathedralem. Et ita poterat Epiſcopus ipſe alium Epiſcopum creare, aſſignata ei parte ſuæ amplæ Diœceſis, & à ſe ſeparata.* At primùm quàm falſum ſit ſolo conſenſu Epiſcopi magnam Diœceſim habentis, potuiſſe Epiſcopum alium creari, qui parti ſibi ab eo conceſſæ præeſſet, norunt qui integros huius Concilij Canones legerunt. Canone trigeſimo nono. *Honoratus & Vrbanus Epiſcopi dixerunt: Et illud nobis mandatum eſt, vt quia proximè fratres noſtri Numidiæ duo Epiſcopi ordinare præſumpſerunt Pontificem, non niſi à duodecim cenſeatis celebrari Epiſcoporum ordinationes. Aurelius Epiſcopus dixit: Forma antiqua ſeruabitur, vt non minus quàm tres ſufficiant, qui fuerint à Metropolitano directi ad Epiſcopum ordinandum. Propterea, quia in Tripoli fortè & in Arzuge interiacere videntur barbaræ gentes: nam & Tripoli (vt aſſeritur) Epiſcopi ſunt quinque tantummodo, & poſſunt fortè de ipſo numero vel duo neceſſitate aliqua occupari: difficile eſt enim, vt de quolibet numero omnes poſſint occurrere. Nunquid debet hoc ipſum impedimento eſſe Eccleſiaſticæ vtilitati? Nam & in hac Eccleſia, ad quam dignata eſt veſtra ſanctitas humaniter conuenire, crebrò ac penè per diem Dominicam ordinandos habemus. Nunquid nam frequenter duodecim potero vel decem, vel non multò minus aduocare Epiſcopos? Sed facile eſt mihi duos adiungere meæ paruitati vicinos. Quapropter cernit mecum charitas veſtra, hoc ipſum obſeruari non poſſe.* Et quia in tempora Syricij incidimus, eius quoque ſæculo Concilium Arelatenſe ſecundum de ea re hunc in modum ſtatuit; *Nullus Epiſcopus ſine Metropolitani permiſſu, nec Epiſcopus Metropolitanus ſine tribus Epiſcopis Prouincialibus præſumat Epiſcopum ordinare, ita vt alij comprouinciales epiſtolis admoneantur, vt ſe ſuo reſponſo conſenſiſſe ſignificent. Quod ſi inter partes aliqua nata fuerit dubitatio, maiori numero Metropolitanus in electione conſentiat.* Syricius verò ipſe edixerat, *Ne vnus Epiſcopus Epiſcopum ordinare præſumat: propter arrogantiam ne furtiuum beneficium præſtitum videatur. Hoc enim in Synodo Nicæna conſtat eſſe definitum.* Canon verò Concilij Nicæni quem refert Syricius hoc habet, *Epiſcopum conuenit, maximè quidem ab omnibus qui ſunt in Prouincia Epiſcopis ordinari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter inſtantem neceſſitatem, aut propter itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis*

Conc. Afr. ſub Cæleſt. & Bonifac. ca. 16.

Conc. Arelat. 2. c. 5.

Inter ep. Syricij Papæ tom. 1. Conc. p. 534. c. 2.

Conc. Nic 1. Can. 4.

Ἐπίσκοπον χειροτονεῖσθαι μάλιστα μὲν ὑπὸ τῶν

omnimodis in idipſum conuenientibus, & abſentibus quoque pari modo decernentibus, & per ſcripta conſentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quæ geruntur per vnamquamque Prouinciam, Metropolitano tribuatur Epiſcopo. Proferuntur de ea re Apoſtolicæ conſtitutiones, & decretum Anacleti Papæ; ſed nutantibus teſtimoniis non vtimur; ſufficiunt quæ ſunt à nobis adducta ad ſententiam Spalatenſis euertendam. Propterea falſitatem ſubodoratus alio confugit. *Aut ad ſummum*, inquit, *poterat poſt conſenſum Epiſcopi, is ad quem de iure ſpectat Epiſcoporum ordinatio, nempè Metropolitanus vel Synodus, nouum Epiſcopatum erigere per ampliorisEpiſcopatus diuiſionem; vt patebit ex dicendis. Nec eſt audienda illa Gloſſa huius Canonis, quæ dicit ſomnians non probans: Concilia quædam impetraſſe priuilegium à Papa, diuidendi vnum Epiſcopatum in duos, de conſenſu tamen Epiſcopi: Iam enim oſtendi, etiam ſine Papa, id ſæpe factitatum: & ſtatim oſtendam Concilia ſæpe etiam ſine Papa, aut nouas Epiſcopales ſedes erexiſſe: aut erigendarum curam, & facultatem Epiſcopis conceſſiſſe.* Poterat quidem de conſenſu Epiſcopi Synodus, aut cum aliquot collegis Metropolitanis id præſtare, ſed tum Metropolitani tum Synodi authoritas vno ſupremo rectore nititur, & conſtat ipſas Africanas Synodos de rebus grauioribus ad Pontificem ſemper retuliſſe; Ac Auguſtinus ipſe Africanus Epiſcopus, refert ſibi ac aliis eius Prouinciæ Epiſcopis à Zozimo Papa iniunctam legationem, ob quaſdam Eccleſiaſticas neceſſitates quæ in Cæſarea Mauritaniæ vrgerent, vt vel hinc conſtet Pontificem Africanarũ quoque Eccleſiarum curam geſſiſſe, & quidem ex officio. Quod attinet ad factum Donatiſtarum, ſanxerat de ea re antè Melchiades Pontifex quem laudat Auguſtinus, ac de eis edixerat, *Melchiadis vltima prolata eſt ſententia*, inquiũt Auguſtinus, *quam innocens, quam integra, quam prouida atque pacifica; qua neque collegas, in quibus nihil conſtiterat, de collegio ſuo auſus eſt remouere, & Donato ſolo, quem totius mali principem inuenerat, maximè culpato ſanitatis recuperandæ optionem liberam fecit: cæteris paratus communicatorias literas mittere, etiam iis quos à Maiorino ordinatos eſſe conſtaret: itavt quibuſcunque locis duo eſſent Epiſcopi, quos diſſentio geminaſſet, eum confirmari vellet qui fuiſſet ordinatus prior, alteri autem eorum plebs alia regenda prouideretur. O virum optimum, ô filium Chriſtianæ pacis, & patrem Chriſtianæ plebis.* Cúmque bonũ factum, quorumdã opera tumultibus occaſionem dediſſet ad Pontificem ſcribendũ duxerunt Africani Patres, vt quid facto opus eſſet, ſignificaret ac perſcriberet. *Placuit*, inquit, *vt literæ mittantur ad fratres, & Coepiſcopos noſtros, & maximè ad ſedem Apoſtolicam, in qua præſidet memoratus venerabilis frater, & Collega noſter Anaſtaſius, quo nouerit habere Africam magnam neceſſitatem, propter Eccleſiæ pacem & vtilitatem.* Vt iam nemini dubium eſſe poſſit authoritate Pontificis, totum negotium eos abſoluiſſe. At inquit Spalatenſis, *In Africano Concilio* (multorũ Conciliorum ea eſt rapſodia ac farrago), *ponitur etiam alius talis Canon. Placuit & illud vt plebes, quæ nunquam habuerunt proprios Epiſcopos, niſi ex Concilio plenario vniuscuiuſque Prouinciæ & Primatis, atque conſenſu eius ad cuius Diœceſim eadem Eccleſia pertinebat, Decretum fuerit minimè accipiant. Audis*, inquit, *poſt Epiſcopi conſenſum diuiſionem vnius Epiſcopatus in duos aut plures Concilij plenarij nationalis, ſeu regionalis authoritate fieri poſſe & debere. De Papa verò nulla hic mentio. Conceditur etiam ab eodem Concilio, vt vna plebs quæ proprium amiſerit Epiſcopum Donatiſtam poſſit extincta ſua ſede Cathedrali alteri Ec-*

τούτων τὸ ὑφ' ἑαυτὸν ἐπαρχίαν κανόνισθαι. εἰ δ' ἄρχοις τὸ τοιοῦτον, ἢ διὰ κατεπείγουσαν αἰτίαν, ἢ διὰ μείζονος ὁδοῦ, ἢ ἅπαντες ἡμῖν ὁμοῦ τὸ αὐτὸ συναχθέντες, συμφέρειν γνώμην ἢ τῶν ἀπόντων, καὶ συντιθέναι διὰ γραμμάτων, τό τε τιμῶ χειροτονίαν πεπιστεῦσθαι. τὸ δὲ πῶς ἢ χειροθέτειν δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ. Conſt. ap. lib. 3. c. 20.

Apud Gratian. ex ep. 2. ad Anacl. Pap.

SPALAT. Num. 6. in fin.

Vide ep. 157. Auguſt. ep. 162.

Conc. Afr. ca. 35.

Εἰς ὑπερορίαν πέμπειν, ἵνα χάλκωμα πυρώσαντες ἐπὶ τὸν ἀδίκους, καὶ συναπτόμενοι ἡμῶν, ἢ μᾶλλον τῷ θεῷ τῷ ἀποστολικῷ καθίδρυσαν, ὃ ἢ θεραπεύσαι ὁ μωμοποιήσῃς θεραπεύσαντες ἀδίκους, ἢ συλλειτουργὸς ἡμῶν Ἀναστάσιος ἐπειδὴ χάσκει τῷ Ἀφρικῷ μεγάλην χρείαν αἰδέλλω, ὥστε διὰ τὴν εἰρήνην τῆς ἐκκλησίας εἰρηνίῳ καὶ χρησιμότητα.

SPALAT. Num. 7.

Conc. Afr. cap. 66.

Ibid. c. 56.

cleſiæ Cathedrali vniri & incorporari. Vt ſic videas authoritate Synodi Prouincialis, præſertim plenioris poſſe, & vnum Epiſcopatum in duos diſſecari: & duos invnũ redigi. Sed ſi huius farraginis diſpoſitioni ſtandũ ſit, annon Legati Pontificis, Fauſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Potentinæ, ac Philippus & Aſellus Preſbyteri, ipſi quoque Eccleſiæ Romanæ Legati huic Concilio ſubſcripſerunt: Et nunquid non Aurelius Carthaginis & Africæ Primas, teſtatus eſt conſtitutum Patribus, vt ad Pontificem Bonifacium de omnibus perſcriberetur? Nimirum vnitatis retinentiſſimi Patres ſe nunquam à Pontificis communione, adeóque obedientia auelli paſſi ſunt, ſed eius ſemper ſtatutis etiam in ipſo diſſidiorum ardore ſteterunt, quicquid in contrarium aſſeuerent quidam Nouatores erga ſedem Apoſtolicam improbè affecti: ſic enim cùm de appellatione Epiſcoporum ad Romanam ſedem, de qua illi Canones Concilij Nicæni, qui verè erat Sardicenſis, proferri vellent ad Bonifacium ſcripſerunt, *quæ in Commonitorio* (legatis ſcilicet à Pontifice tradito, & Patribus in Synodo oblato) *allegata ſunt de appellationibus Epiſcoporum ad Romanæ Eccleſiæ Sacerdotem, & de Clericorum cauſis apud ſuarum Prouinciarum Epiſcopos terminandis, nos vſque ad probationem ſeruaturos eſſe profitemur, & beatitudinem tuam ad hoc nos adiuturam in Dei voluntate confidimus.* Pergit Spalatenſis.

In Conc. Afric. ep. ab omni Concil. Afric. cap. 101.

Spalat. Num. 8. Tyr. de bello ſac. l. 14. c. 12.

In quinta Synodo generali, cùm Hieroſolymitana Eccleſia fuiſſet ad titulum Patriarchatus euecta, & pro eius dignitate aliquot Metropoles fuiſſent, huic Alexandrino, inde Antiocheno ſubtractæ, eique aſſignatæ; vt præter Metropolitanos, haberet etiam aliquot proprios Suffraganeos; non modò aliquos Suffraganeos, dictis Metropolitanis ſubtraxerunt, ſed etiam quoſdam de nouo Epiſcopatus erexerunt. Nec dicas Vigilij Papæ conſenſu & authoritate id factum; quia Vigilius licet Conſtantinopoli præſens, nunquam tamen voluit illi Synodo intereſſe; Imò eam diu oppugnauit, vt habebis libro ſexto & ſeptimo. At quantoperè laborarint quintæ Synodi Oecumenicæ Patres, vt Vigilium haberent aſſenſorem, vel ipſa Synodus clamat, in cuius actis illud præterea obſeruatu dignißimum eſt Primaſium Afrum Sabinianum Zaparæ in Illyrico, Epiſcopum Proiectum Naiſitanum, Paulum ſecundæ Iuſtinianeæ ad Concilium ab Orientalibus vocatos planè recuſaſſe accedere, & Primaſius quidam Afer rogatus Synodi nomine vt veniret reſpondit, *Papa non præſente non venio*: Fateor verò tunc Concilio, nec per ſe, nec per legatos interfuiſſe, nec dum celebraretur conſenſiſſe, imò etiam à celebratione, eius decreta aliquanto tempore repudiaſſe. Rebus tamen compoſitis, annuit ipſe & Concilij Oecumenici titulum ei reddidit, quare de eo ſic pronunciat. *Quintum quoque Concilium pariter reuocat.* Certè contenderant Patres à Vigilio, vt auguſtiſſimo confeſſui ab Imperatore etiam inuitatus præſideret; *Petimus*, inquit, Eutychius Conſtantinopolitanus Epiſcopus epiſtola ad Vigilium, *præſidente nobis veſtra beatitudine de tribus Capitulis conueniri & conferri.* (tria ſcilicet iſta capitula, (de quibus alias) perplexum habebant Pontificem, ob propenſum in hæreſim Imperatoris ſtudium.) Adeóque poſteriores Græci quamquam Schiſmatici, tamen vt Concilio pondus & robur addant Vigilium illius cœtus Principem faciunt. Sic enim Zonaras Quintum Concilium eſt coactum 165. Epiſcoporum, quorum Princeps fuit Vigilius Papa Romanus; Sed de hoc Concilio alibi videro cum Spalatenſi.

Collat. 2.

Lib. 1. ep. 24.

In

Digitized by Google

In Anglica quadam Synodo, addit Spalatenſis, *quam refert Beda, & ponitur tomo ſecundo Conciliorum, Nonum capitulum ponitur; Vt plures Epiſcopi creſcente numero fidelium augerentur. Bambergenſis quoque Eccleſia*, addit Spalatenſis, *in Synodo quadam Francofordienſi, Henrico Rege inſtante, eamque egregiè dotante & exaltante in Cathedralem tunc primùm eſt erecta; Moguntinuſque Archiepiſcopus Eberardum Regis Cancellarium, primum Bambergenſem Epiſcopum ordinauit.* Sed diſſimulandũ aduerſario non fuit Anglos Epiſcopos, adeoque ipſum Moguntinum Archiepiſcopum in communione fuiſſe Pontificis, quem parentem Epiſcoporum agnoſceret & ſuſpiceret. Scilicet vt noſtram ſententiam euerteret, probandum illi fuit non ſolùm plures ex aliorum Epiſcoporum numero, nouos Epiſcopatus excitaſſe, his Antiſtites impoſuiſſe, & Eccleſias nouis inductis limitibus diuiſiſſe ac diſtraxiſſe; ſed id quoque feciſſe citra vllum Pontificis conſenſum aut *expreſſum*, vt vocant, aut *tacitum*; adeoque citra omnem eius approbationem, ſecus enim operam luſerit, ac in caſſum ſe torſerit. Sic enim verbi gratia Conciliorum Oecumenicorum indicendorum poteſtatem penes vnum Pontificem eſſe conſtantiſſimè aſſeueramus, indicta tamen ab aliis Oecumenica & legitima eſſe poſſe non inficiamur, accedente ſcilicet ipſius conſenſu ac approbatione; cui rei Concilium 2. Oecumenicum primum ſcilicet Conſtantinopolitanum fidem facere poſſit; Namque etſi ex Pontificis præſcripto in illum cœtum non coïuerunt Orientis Epiſcopi, quos contra Romam celebrandæ Synodi cauſa vocarat, tamen quia poſt celebratum conuentum eius decreta probauit Damaſus in Synodorum Oecumenicarum numero ponitur. Scilicet vt ipſi quoque ſuis ad Damaſum literis non obſcurè ſignificant, coëundi poteſtatem ſibi contra Pontificis arbitrium non attribuerant; ſed vrgente Eccleſiarum neceſſitate ſibi differendum non exiſtimarunt rati Pontifici probatum iri, quod citra eius contemptum feciſſent. Haud diſſimiliter quicumque aliarum ſedium Epiſcopi, vel nouos Epiſcopatus excitarunt, vel Epiſcopos Eccleſiis impoſuerunt, id cum bona Pontificis gratia ſe facere poſſe ſunt arbitrati, nec tantùm ſibi tribuerunt, vt eo contempto id ſibi licere in animum inducerent.

SPALAT. Num. 9. Vide Bed. lib. 4. c. 5. SPALAT. Num. 10. Dirmar. apud Bar. tom. 11. an. 1006. init.

Ad mentem redire videtur homo lucidis interuallis obnoxius, quamquam non magna animi firmitate aut conſtantia; *Legibus ſuis*, inquit, *vehementer ſemper vrſit Eccleſia, vt aſſignata ſemel ſua Epiſcopatui cuique Diœceſi, non liceat in ea præter vnicum, Epiſcopos, multiplicare; ſuppoſito nimirum Diœceſim illam tantam eſſe, cui poſſit ille vnus Epiſcopus, ſuo regimine ſatis eſſe; Ita Nicæna Synodus prima vehementer abhorret, ne in vna Eccleſia Cathedrali duo ſedeant aut plures, Epiſcopi; Laodicenum & Sardicenſe Concilium, iuxta Apoſtoli Tito datum præſcriptum, vt per ciuitates Epiſcopi conſtituantur, prohibent ne in vicis ac villulis modiciſque ciuitatibus, Epiſcopi ordinentur.* Sanctiſſima decreta improbè excipit ac interpretatur; *Hæ prohibitiones*, inquit, *manifeſtè ſupponunt, poſſe Epiſcopos ex vi ordinis & poteſtatis Epiſcopalis, alios Epiſcopos ordinare; ac ne id faciant, ſectione Eccleſiarum, vel in pagis, & modicis ciuitatibus, in quibus Presbyteri alicuius opera ſatis eſſe poſſit, cùm Epiſcopi ciuitatis maioris vicinæ cura, & ſuperintendentia Epiſcopali præcipiunt. Si enim poteſtatem hanc penes ſolum Romanum Pontificem eſſe intelligeret Eccleſia, prohibitiones has fruſtra repeteret & vrgeret; ſatis eſſet monere Papam ſolum, vt ipſe neque ordinet, neque ordinandi Epiſcopos facultatem tradat in locis, Epiſcopali Cathedra non dignis. Sed leges hæ cùm ab*

SPALAT. Num. 11. Conc. Nic. cap. 8. Cõc. Sard. cap. 6.

Eccleſia in genere Epiſcopis omnibus præſcribantur, non minus Romanum quàm cæteros etiam obligabunt Epiſcopos quoſcunque. Quaſi verò in ipſa ciuili politia non multæ leges ferantur, quibus priuati quique prohibeantur, ne in principis iura temerè inuolent, aut quæ ad vnum illum ſpectent, haud temerè, hoc eſt citra eius aut nutum aut conſenſum ſuſcipiant; verbi gratia monetam cudere cuique priuato peruium eſt, & poteſt etiam non adulteratam cudere, tamen qui faxit, omnino plectetur. Pari iure igitur priuatis Epiſcopis interdicitur, ne Eccleſias diſtrahant, quamquam aliàs obuium eis eſſet eas diſtrahere, ne ſcilicet confuſionem aut turbas inducant, proinde nullam iniuriam eis facit Baronius, qui poteſtatem huiuſmodi ad Pontificem non quà Patriarcha eſt, id enim ad ſolas ſui Patriarchatus Eccleſias ſe funderet, ſed quà Caput eſt Eccleſiæ vniuerſæ, in qua maximè cauendum eſt ne quid tumultus ſuboriri poſſit, reuocat, cùm id ex ordine ſit Eccleſiæ; ſed ipſe Spalatenſis magnus eſt nugator & ſycophanta. Quod verò addit *ſe & rationibus & factis ac exemplis probaſſe ſolum Papam non eſſe nouorum Epiſcopatuum erectorem*, eſt à nobis diſcuſſum ac expunctum. De primaria enim & abſoluta poteſtate nobis ſermo, quã nulli alij præterquam Pontifici concedimus; rationes verò, exempla, & facta ab eo allata, ſecundariam ac dependentem tantùm arguunt in Epiſcopis poteſtatem, quæ ſcilicet niteretur Capitis conſenſu, atque approbatione nemini eorum aut prætermittenda aut ſpernenda.

SPALAT. Num. 11. Baronium deſerit, vt Bellarminum inſectetur, ſed lacertos habet magnus & eruditus Cardinalis. *Non ſolus*, inquit, *Baronius ad cumulum Pontificiæ poteſtatis augendum, illam quoque ſoli Pontifici tradidit ſuprà, vt vel ipſe, vel ex ipſius commiſſione & conceſſione, noui erigantur, vbi opus ſit, Epiſcopatus*; *ſed etiam Bellarminus: Apoſtolorum, inquit, proprium erat, vt Eccleſias conſtituerent, & fidem propagarent in iis locis, vbi nunquam fuit. Et hoc ad Romanum Pontificem pertinere, & ratio & experientia ipſa nos docet; Nam ab Apoſtolicis temporibus qui Eccleſias fundauerunt in variis partibus orbis terræ, & adhuc hodie fundant, Romani Pontifices fuerunt. Ego tamen & ratione ex ipſo Euangelio deducta, iam ſatis docui, id poteſtatis penes quemque Epiſcopum reperiri, & ſucceſſionem noſtram ab Apoſtolis, hanc etiam poteſtatem nobis omnibus tradere; & experientiam contrarium prorſus quàm aſſerat Bellarminus, conuincere & demonſtrare.* Scilicet eum ſua ſomnia delectant; ſed nos oſtendimus, non in omnibus ſucceſſiſſe Epiſcopos Apoſtolis, verùm quædam eſſe quæ vita functis Apoſtolis, in vno Pontifice reſederint, tanquam in Petri primi ac præcipui Eccleſiæ paſtoris ſucceſſore, ac herede legitimo, intercepta Apoſtolorum obitu reliquorum poteſtate illa, quam nonniſi ad tempus viguiſſe oportuerit, vt ſcilicet initiò propagaretur, ac feliciùs diffunderetur Eccleſia.

Bellarm. de Rom. Põt. l. 2. cap. 12.

SPALAT. Num. 13. Bellar. de Eccl. lib. 4. cap. 8. Sed quàm benè à Bellarmini argumentis ſe expediat, eique contra nodos nectat videamus. *Vrget*, inquit, *vlterius idem Bellarminus alibi, ſolum Papam habere hanc, de qua nunc diſputamus poteſtatem. Nam, inquit, vt beatus Auguſtinus ſcribit Epiſt. 162. in Romana Eccleſia ſemper viguit Apoſtolicæ Cathedræ Principatus.* Quid ad hæc Spalatenſis, *De hoc ego principatu*, inquit, *diſſeram ſeorſim libro quarto. Nunc verò dico Romanam Eccleſiam, & ex magnitudine ciuitatis, & etiam ex eo quod eam duo primi Apoſtoli fundauerũt, Petrus & Paulus; & ex aliis; & ex aliis capitibus extra ius diuinum habuiſſe, vt ſemper reputata*

ſit

ſit Eccleſia principalis; non tamen Domina & Regina ſuper vniuerſas Chriſti Eccleſias; neque Auguſtinus, neque vllus ex Antiquioribus Patribus, vt poſtea oſtendam, ſummam Eccleſiaſticarum rerum in Romana Cathedra poſuerunt. Igitur Auguſtinum non legit, aut certè ludebat & illudebat ille, cùm in cauſa Cæleſtij ac Pelagij vna cum collegis contenderet, vt pro authoritate qua polleret in Eccleſiam vniuerſam hos errones ac nebulones nedum Africæ, ſed etiam Orienti ipſi inſultantes, comprimeret, ac in ordinem cogeret; *Arbitramur*, inquit vna cum collegis, *adiuuante miſericordia Domini Dei noſtri Ieſu Chriſti, qui te & regere conſulentem, & orantem exaudire dignatur, authoritati ſanctitatis tuæ, de ſanctarum ſcripturarum authoritate depromptæ, facilius eos qui tam peruerſa & pernicioſa ſentiunt eſſe ceſſuros, vt de correctione potius eorum congratulemur, quàm contriſtemur interitu.* Ad quæ reſpondet grauiſſimè Innocentius: *In requirendis de his rebus, quas omni cum ſolicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero iuſtoque & Catholico tractari Concilio, antiquæ traditionis exempla ſeruantes, & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, veſtræ religionis vigorem non minus nunc in conſulendo, quàm antea cùm pronunciaretis vera ratione firmatis. qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe iudicium, ſcientes quod Apoſtolicæ ſedi, cùm omnes hoc loco poſiti ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum, debeatur, à quo ipſe Epiſcopatus, & tota auctoritas nominis huius emerſit.* Et rurſus. *Verùm hæc miſſa facio: neque enim hoc veſtram credo latere prudentiam. Quod etiam actione firmaſtu, niſi ſcientes quod per omnes Prouincias de Apoſtolico fonte petentibus reſponſa ſemper emanent? præſertim quoties fidei ratio ventilatur. Arbitror omnes fratres, & coëpiſcopos noſtros, non niſi ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris auctorem referre debere, velut nunc retulit veſtra dilectio, quod per totum mundum poſſit omnibus Eccleſiis in commune prodeſſe. Fiant enim neceſſe eſt cautiores, cùm inuentores malorum ad duplicis rationem Synodi ſententiæ veſtræ ſtatutis, viderint ab Eccleſiaſtica communione ſeiunctos. Nam & Canonum potiemini gratia ſeruatorum, & beneficio veſtro totus orbis vtetur.* Excipiet fortaſſe Spalatenſis verba eſſe Pontificis ſua venditantis: Audiat igitur de ea re Auguſtini iudicium; *Ad omnia*, inquit, *nobis ille reſcripſit eodem modo quo fas erat, atque oportebat Apoſtolicæ ſedis Antiſtitem. Quæ omnia modò legere poteris, ſi eorum fortè ad te vel nulla, vel non cuncta peruenerant: vbi videbis ſeruata erga hominem moderatione, quæ debuit, ne damnaretur, ſi praua damnaret, ipſum tamen nouellum & pernicioſum errorem ſic authoritate Eccleſiaſtica compreſſum, vt multum miremur, adhuc eſſe quoſdam, qui per quemlibet errorem gratiæ Dei conentur obſiſtere.* Non exiſtimauit igitur Auguſtinus aliquid eſſe in hac Pontificis ſcriptione cenſura dignum, vt proinde ſuperbus ſit & inſolens, qui hic cenſoriam virgulam arripiat, vt innocentiſſimum pronunciatum iugulet ac confodiat. Sed prius Auguſtini dictum alio torquere nititur obſtinatiſſimus homo; *Principatus hic Romanæ Eccleſiæ*, inquit, *ab Auguſtino commemoratur, non occaſione vllius actionis Romanæ, quam Regimen totius Eccleſiæ peperiſſet; ſed propter ſolam communionem cum Cæciliano; vt inde haberetur innocentia Cæciliani, quem Eccleſiæ magnæ & multæ, & inter eas Romana adeò præcipua, tanquam dignum & innocentem in ſua retinerent communione. Itaque potius habemus ex Auguſtino Romanam Eccleſiam non habere hunc abſolutum in totam Eccleſiam Principatum, vt ipſa ſola nouas poſſit fundare Eccleſias; ſiquidem ipſius ſolius communio Cæcilianum non iuſtificaret; ſed cæterarum quoque Eccleſiarum, licet ex eis præcipua eſſet Romana, cuius communio plurimùm prodeſſet ad alicuius inno-*

Aug. epiſt. 92.

Apud Aug. tom. 2. ep. 91. Innoc. Papæ ad Patres Cõcil. Carth.

Innoc. ad Patres Cõcil. Mileu. apud Aug. to. 2. ep. 93.

Aug. to. 2. ep. 106. Bonifacio.

Spalat. Num. 13. in fin.

centiam confirmandam. Hoc ſcilicet eſt Auguſtini, mentem non explicare, ſed deprauare; ſi enim nil eximium, nil excellens, præ reliquis Eccleſiis Romanæ tribuit, quid attinuit hæc potentiſſima verba attexuiſſe; *In qua ſemper viguit Apoſtolicæ Cathedræ principatus?* An otiosè aut ad neſcio quàm vaniſſimam pompam inducta ſunt & inſerta? Et vt ſcias de eo Principatu intellexiſſe, cui de reliquis Eccleſiis ſtatuendi ius eſſet & fas paratum fuiſſe coram Pontifice ac Collegis cauſam dicere, Cæcilianũ, ſcribit. *Poſſet*, inquit, *non curare conſpirantem multitudinem inimicorum, cùm ſe videret & Romanæ Eccleſiæ, in qua ſemper Apoſtolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris, vnde Euangelium ad ipſam Africam venit, per communicatorias literas eſſe coniunctũ, vbi paratus eſſet cauſam ſuam dicere.* Neque verò excupiat aduerſarius alios quoque Epiſcopos, qui ius ei dicerẽt, recenſuiſſe Auguſtinum; id enim vltro admittimus; ſed quorum iudicio Pontifex præeſſet. Hoc ſiquidem etiam factum pluribus locis teſtatur eximius Pater;

Aug. cont. ep. Parm. lib. 1. cap. 5. *Vltro*, inquit, *paſſus eſt* (Parmenianus) *ſuos ipſos adiiſſe Conſtantinum, & arbitrio eius à iudicibus Epiſcopis cauſam cognitam, quibus præfuit Meltiades Romanæ vrbis Epiſcopus. In quo iudicio ſicut Eccleſiaſtica geſta teſtantur, quia victi ſunt iſti, & innocens Cæcilianus inuentus eſt, eundem Meltiadem crimine traditionis accuſant. Quod quæro quomodo cognouerint? Si enim ante iudicium non ſibi præiudicare debuerunt, vt apud talem iudicem cauſam agere inciperent, etiam ex præcepto*

Id. ep. 166. *Imperatoris, quem ipſi adierant, tale ſubiere iudicium.* Ac rurſus: *Sed quia Conſtantinus non eſt auſus de cauſa Epiſcopi iudicare, eam diſcutiendam atque finiendam Epiſcopis delegauit. Quod & factum eſt in vrbe Roma præſidente Melciade Epiſcopo illius Eccleſiæ, cum multis collegis ſuis. Qui cùm Cæcilianum innocentem pronunciaſſent, & Donatum qui ſchima Carthagini fecerat, ſententia percuſſiſſent, iterum veſtri ad Imperatorem venerunt, & de iudicio Epiſcoporum in quo victi fuerant, murmurarunt.* Rurſus de Reticio Auguſtuduno Epiſcopo; *Reticium*, in-

Id. cont. Iul. l. 1. c. 2. quit, *ab Auguſtuduno Epiſcopum magnæ fuiſſe authoritatis in Eccleſia tempore Epiſcopatus ſui, geſta illa Eccleſiaſtica nobis indicant, quando in vrbe Romana Melciade Apoſtolicæ ſedis Epiſcopo præſidente cum aliis iudex interfuit, Donatumque damnauit, qui prior author Donatiſtarum ſchiſmatis fuit, & Cæcilianum Epiſcopum Eccleſiæ Carthaginenſis abſoluit.* Sed nullus melius quàm Proſper Auguſtini diſcipulus mentem eius expreſſerit, aut felicius explicarit. Igitur de Romanæ

Lib. 2. de voc. Gent. c. 6. Eccleſiæ ad mentem proculdubio Auguſtini loquens, ſic ait, *Roma per Sacerdotij Principatum* (Irenæus potentiorem principalitatem vocat) *amplior facta eſt arce religionis quàm ſolio poteſtatis.* Ac rurſus:

Sedes Roma Petri, quæ paſtoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non poßidet armis
Religione tenet, &c.

Non itaque ſolo communionis, ſed etiam poteſtatis iure de cauſa Cæciliani cognouit; ac iudicium tulit Melciades Romanus Pontifex; De Epiſcopatu ab Auguſtino Fuſſalæ excitato diximus ſuprà.

Spalat. Num. 14. Bell. de Eccl. l. 4. c. 8. Derationibus quibus ſuam ſententiam fulcit Bellarminus iam videndum. *Ab authoritate*, inquit, *Auguſtini tranſitum facit Bellarminus ad rationem, qua probet Romani ſolius Pontificis, in nouis creandis Epiſcopis, poteſtatem. Ratio, inquit, huius eſt, quia inſtitutio nouorum Epiſcopatuum, non poteſt pertinere ad vllum qui habeat definitam regionem, quales ſunt Epiſcopi particulares; ſed ad eum qui toti Eccleſiæ præeſt; & cui propriè cura incumbit Eccleſiam propagandi, quales fuerunt,*

omnes

Digitized by Google

omnes Apoſtoli, Petrus quidem ex officio, & cæteri ex delegatione ; & quicunque aliter intrat, non eſt de Eccleſia Apoſtolica, cùm non poßit oſtendere originem ſuam ab Apoſtolis. Nec tamen ob id negamus, quin etiam Patriarchæ, & Metropolitani aliquando poßint nouos Epiſcopatus *erigere; quod ſanctum Athanaſium in Oriente, & ſanctum Bonifacium in Germaniis feciſſe conſtat ; modò à ſede Apoſtolica facultatem habuerint. Hæc tamen ipſius ratio tota vndique ruit ; nam ego iam probaui vnumquemque* Epiſcopum *iure diuino, habere poteſtatem indefinitam ac illimitatam, reſpectu locorum & ſubditorum : limitationem verò & ſeparationem particularium* Eccleſiarum, *totam eſſe iure humano Eccleſiaſtico conſtitutam.* At hæc eius commenta & ſomnia totis his libris, & profligauimus, & profligabimus; oſtendimus verò Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos in communione Pontificis agentes, tacito aut expreſſo Pontificis conſenſu, eam ſibi poteſtatem tribuiſſe ; Et quod *de commißione* (ſic enim loquitur) *nullum veſtigium apparere* opponit Spalatenſis, friuolum eſt ; Sufficit enim oſtendi poſſe de maioribus eos negotiis ſemper ad ſedem Apoſtolicam retuliſſe. Hoc de Athanaſio, hoc de Baſilio, hoc de reliquis probauimus, & firmabimus quoque aliis locis.

Ad Baronium reuertitur, *Hic adde ſi vis*, inquit, *nouum Baronij argumentum; Quod nimirum in ſingulis Romanis Pontificibus recenſeantur, ac præſertim primis & vetuſtiſſimis, non ſolùm ordinationes clericorum, qui Eccleſiæ Romanæ vſui eſſent, ſed & Epiſcoporum, qui in diuerſas orbis Prouincias mitterentur ; Vt ex his etiam, inquit, perſpicuum reddatur fuiſſe muneris Romanorum Pontificum, non ſolùm vrbis, ſed & orbis totius Eccleſiæ conſulere. Habuit*, inquit, *id muneris Romanus Pontifex, primùm iure diuino non vt Romanus Pontifex, ſed ſimpliciter vt Epiſcopus ; & ideo ſolus id muneris non habuit ; ſed æquè Epiſcopi etiam alij vt vidimus, munus hoc exercuerunt. Deinde habuit id potiſſimum iure etiam Eccleſiaſtico, tanquam Patriarcha primus & maximus inter cæteros, ſoluſque in toto Occidente ; non quidem vt ipſe ſolus, ſed vt ipſe præcipuè, hoc munere fungeretur.* At Epiſcopis ſuas aſſignatas ſedes etiam authoritate Apoſtolorum ſuprà oſtendimus, vt proinde quà Epiſcopus eam poteſtatem habere non potuerit, quà Patriarcha verò non habuiſſet ſummam, & ad reliquos Patriarchatus ſe quaqua verſum fundentem, cùm tamen conſtet non ſemel Orienti Epiſcopos dediſſe, vt ſuprà eſt à nobis in cauſa Anatolij, & ordinatione Nectarij demonſtratum. Quod verò ordinationes huiuſmodi à vetuſtiſſimis quoque Pontificibus factas, *ad ius Metropoliticum* refert, nulla ratione nititur, ſiquidem in omnes orbis partes dimittendos Epiſcopos ordinarunt ; quod Metropolitarum ius eſſe non poſſit. Certè iure Metropolitico, tam multos in remotiſſimas etiam terras non miſerunt, Bonifacium in Germaniam Gregorius II. Kilianum in Franconiam Cono, Auguſtinum in Angliam Gregorius I. in Galliam, Hiſpaniam, Africam quoque Petrus: Fortè dicet Spalatenſis, hæc quà Patriarchas Occidentis feciſſe Pontifices, ſed vt reliquos taceam, à me poſtea in aciem contra importunum aduerſarium educendos ; Beda ſui ſæculi fidem ſecutus Gregorium non quà Patriarcham, ſed quà orbis terrarum præſulem ac Pontificem Auguſtinum, ac ſocios in magnam Britanniam dimiſiſſe, teſtis eſt locupletiſſimus, vt ſuprà ex libr. 2. cap. 1. hiſtor. gent. Angl. Certè qua poteſtate Pontifices, ſuis ſedibus pulſos Orientis Epiſcopos, Eccleſiis ſuis reddiderunt, ac reſtituerunt, eadem quoque in omnes terras Epiſcopos dimiſerunt, qui in opus Dei ſeriò incumberent, ac Euangelium diſſe-

SPALAT. Num. 15. to. 2. an. 154. nu. 2.

Digitized by Google

minarent. Quis igitur non videat Pontificem pro ſuæ ſedis dignitate in omnes omnium terrarum Eccleſias ius habuiſſe, vt meritò Pataræ Epiſcopus orthodoxus Iuſtiniano Imperatori, acerbius Siluerium Pontificem vexanti iudicium Dei conteſtatus, de tantæ ſedis Epiſcopi expulſione dixerit apud Liberatum, *Multos eſſe in hoc mundo Reges, & non eſſe vnum ſicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam mundi totius.* Erat ille non Occidentalis, ſed Pataræ Liciæ Prouinciæ Conſtantinopolitanæ ſedi additæ Epiſcopus, & tamen totius orbis Eccleſias Pontifici ſubiicit, atque hac Romani Pontificis dignitate, magnum terret Imperatorem, ac ad mutandam ſententiam adigit.

DISCVSSIO
NONI CAPITIS
LIBRI SECVNDI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Sultitia Hæreticorum imago ab Epiphanio ſapientiſſimè expreſſa: Spalatenſis inconſtantiſſima doctrina de æqualitate Epiſcopi, & Presbyteri impugnata & profligata: Eſſentialiter differre ex multis capitibus probatur: Potiſſimùm ex poteſtate ordinandi: Et Sacramenti confirmationis iure proprio adminiſtrandi: Obiter de Collegio: Sapiens monitum Spalatenſis: Duplici errore ab ipſo fœdatum & inquinatum: De capitulo Canonicorum: Canonici defenſi: Ex his Parochi olim aſſumpti: Vanum commentum de poteſtate Epiſcoporum etiam Presbyterorum in vniuerſam Eccleſiam profligatum: Vnum Pontificem in totam Eccleſiam hanc poteſtatem nactum: Diſcrimen inter Canonicos & Parochos: Penes Canonicos adminiſtrationem eſſe Eccleſiarum mortuo Epiſcopo: Ignatius declaratus: Item Cyprianus: De Clero Romano: Baronius defenſus: Fraudes Spalatenſis in eo vexando: Cypriano abutitur: Clero Romano quantum tribuerit: Quàm de ſede Romana ſollicitus fuerit: Carthaginenſem Eccleſiam Romanæ ſubiectam: Rurſus de Capitulo & Epiſcopo: De Presbyteris ab Epiſcopis in conſortium honoris aſſumptis: Quorſum aſſumptus à Valerio Auguſtinus: De Donatiſtis: Quàm abhorruerint veteres ab Ariſtocratia: Epiſcopis morbo affectis dati Coadiutores: De Gregorio Nazianzeno diſputatio: De ſchiſmate Antiocheno: De Epiſcopis Donatiſtarum & Nouatianorum: Canon Nicænus de vno Epiſcopo in vna ciuitate: Nouatiani & Donatiſtæ planè in numero Hæreticorum & Schiſmaticorum: Authoritate Patrum probatum: De Liberio & Felice: De duobus Patriarchis Antiochenis tempore Gregorij: Canon Lateranenſis: Alij paſſim Canones: Epiſcopum datum coadiutorem alteri: Almaynus defenſus: De Chorepiſcopis.

SPALAT. Num. 1.

ITA quidem poſuimus ordinem Presbyteralem ab Epiſcopali diuerſum, cap. 3. huius libri, vt tamen in eſſentialibus, qui ſpectant ad Eccleſiaſtica miniſteria erga fideles populos exercenda, Presbyteri Epiſcopis ſint penitus æquales, vt propterea in ipſis miniſteriis non minus Presbyteri, quàm Epiſcopi ex vi ſui ordinis, iure diuino, & poſſint, & teneantur in miniſterio laborare. Et hoc potiſſimùm eſt quod Hiero-

Hieronymus dicebat, initio communi Presbyterorum consilio Ecclesias fuisse rectas. Ac nisi ex hac communione ministeriorum, schismata pullulassent, neque nomina Episcoporum & Presbyterorum fuissent separata; neque veri Episcopi suam prælationem, quam ex vi ordinationis habent erga Presbyteros, tam sæpè, & tam euidenter exercuissent solam contenti habere suprà Presbyteros ministrorum ordinationem. Re vera itaque in vnaquaque Ecclesia, vnus præest Episcopus: cæteri verò Presbyteri vnum faciunt Collegium, cuius caput est Episcopus: illi tamen & ad eandem curam ordinati sunt, & ad eadem munera regendarum animarum docendo, prædicando, & Sacramenta ministrando vocati, ad quæ etiam Episcopus sit vocatus & ordinatus. Lex tamen Ecclesiastica aliquos præterea actus Presbyterales Episcopis solis reseruauit, ac ne à Presbyteris exercerentur prohibuit; vt sunt multæ personarum, & rerum benedictiones, atque hoc pro maiori Episcoporum dignitate & authoritate; & ad vitandas non paucas in Ecclesia confusiones: Ministeria tamen ordinaria Ecclesiastica Presbyteris, cuiusque Ecclesiæ propriis, specialiterque vocatis, ordinatis & deputatis, integra sunt relicta; ita tamen vt in his ipsis ministeriis exercendis Presbyteri à nutu & voluntate Episcopi dependerent, nihilque prorsus agerent circa Ecclesiasticum regimen, nisi iussu & directione Episcopi; vt ita vitaretur confusio, & schismatum occasio præcideretur. Hinc sæpius inculcatæ sunt leges in Ecclesia, vt Presbyteri suorum Episcoporum nutibus obsequantur, & Presbyteralem potestatem non nisi Episcoporum ductu promant & exequantur. Hier. in ep. ad Tit. c. 1.

STVLTITIÆ hæreticorum imaginem oculis subiecturus magnus Epiphanius, postquam *rudibus quibusdam atque imperitis, qui vniuscuiusque membri conditionem, atque vsum & ornatum nescirent*, similes esse dixisset, adiecit; *Perinde illos facere, ac si capiti calceos inducant, & coronam pedibus, & ventri torquem aureum: cætera verò, cuiusmodi sunt pedalia ornamenta, quos nonnulli vdones vocant, aut braccas manibus circundent, annulos pedibus*, quibus verbis erroneam & inordinatam eorum dispositionem, *qui ignorantia laborant*, ad viuum expressit, ac etiam perstrinxit. Ac certè quidam cùm priscæ fidei & æui Antistites, cùm Ecclesia ordinis, & rerum distinctarum conuenientissima dispositione delectentur, hæretici contrà susque deque miscere omnia ac turbare conantur, vt iam mirari desinamus calice eorũ epotum Spalatensem, ac eodem œstro percitum ad hunc lapidem impegisse, & ordinum omnium confusionem in Ecclesiasticum cœtum inducere, molitum esse. Profert se hic malus hæreticorum genius, qui eum transuersum agit hoc potissimùm capite, quo etsi in speciem Episcopos Presbyteris maiores admittere videatur, re ipsa tamen pares facit, quanquam pro more suo valde inconstans est in ea sententia, tradenda & explicanda. Principio igitur ordinem Episcoporum ab ordine Presbyterorum solis accidentariis officiis discriminari, neque vllam inter hos & illos intercedere *essentialem*, quam vocant, distinctionem contendit; Ac quanquam superiori tertio capite Hieronymi sententiam de inuecta sola occasione, schismatum Episcopali dignitate repudiare visus est, hic tamen eam amplectitur, ac omnino propugnat, atque *initiò communi Presbyterorum consilio, Ecclesias administratas fuisse* clamat; additque *nisi ex hac communione ministrorum schismata pullulassent eam Episcoporum & Presbyterorum distinctionem, haudquaquã locum in Ecclesia habituram fuisse*; Eo autem tota disputatio recidit, vt asserat ex Hæres. 59. Οὗτοι πανάπαιγνος, ἢ μὴ γινώσκοντες τὸ ἰσχὺς πίστεως, καὶ χρῆσις, ἢ κόσμος ἱερέως μέλλει. ὡς φορτίδιον τὸ ὑποδήματα τῇ κεφαλῇ, τὸν ἢ στέφανον τοῖς ποσί, καὶ κλοιὸν χρύσεον περὶ ἢ χειρίδες. τὰ δὲ ἄλλα, πόδια ὡς εἶπον, τὰ δὲ ἱματίων γαστρώδεα, ἃ περιπου ἐμβάλλουσι κίνδυνοι, ἢ βραχίονι, χερσὶ φορτίδιον, δακτυλίδες ἢ τοῖς ποσί.

Digitized by Google

institutione quidem diuina indiscreta specie initiò fuisse, postea verò emergentium schismatum occasione Ecclesiam leges tulisse, quibus eorum officia separarentur, ac quædam Episcopis permitterentur quæ Presbyteris non licerent;

SPALAT. Num 4. Sed inconstantissimè vt dicebam in hac quæstione versatur, vult enim *Episcopum, suam iure diuino habere suprà Presbyteros prælationem*, & tamen, *eodem iure diuino* scribit esse eos in ministeriis essentialibus (sunt ipsissima illius verba) *sui*

SPALAT. Num.5. *Episcopi socios & Collegas*; Et vt de mente eius constet, subiicit illos, *iure diuino non minorem habere in populo Dei pascendo potestatem quam habeant Episcopi.* Quî ista cohæreant?

Orthodoxi igitur quique alium callem, insistunt, docentque nedum Ecclesiæ constitutione, sed ipsa quoque diuini iuris sanctione Episcopos maiores esse Presbyteris, ac etiam essentiali, quod aiunt, discrimine ordinem Episcoporum à Presbyterorum ordine differre ac discrepare. Probant verò argumento Epiphanij, quod scilicet quædam ad Episcopos pertineant, quæ nulla ratione in Presbyteros conuenire possint. Verba magni Patris sunt; *Hoc*, inquit, *enim constare quî*

Hæres.75. Καὶ πῶς ἔσται τοῦτο δυνατόν; ὁ μὲ γὰρ ὄντα πατέρα μητρικὴν τάξιν. πατέρας δὲ ἡμᾶς τῇ ἐκκλησίᾳ. ὁ δὲ πατέρας μὴ δυνάμενόν ἡμᾶς, διὰ τὸ λειποῦ πολλαχοῦ τίνα ἡμᾶς τῇ ἐκκλησίᾳ, οὐ μᾶλλον πατέρας, ὁ διδασκάλους. Hier. ep. 85. ad Euagriũ.

potest? scilicet pares esse Presbyteros Episcopis: *Siquidem Episcoporum ordo ad gignendos Patres præcipuè pertinet. Huius enim est Patrum in Ecclesia propagatio. Alter cùm patres non possit, filios Ecclesiæ regenerationis lotione producit, non tamen patres aut magistros. Quînam verò fieri potest, vt is Presbyterum constituat, ad quem creandum manuum imponendarum ius nullum habeat? Aut quomodo Presbyter Episcopo dici potest æqualis? Verùm Aërium istum nimia quædam procacitas æmluatioque decepit.* Sanè Hieron. quem plerique in contraria sententia fuisse autumant, cùm Presbyterorum causam aduersum insolentiores quosdam Diaconos, qui se magna audacia eis præferrent, propugnat, etsi pro suscepti argumenti ratione ad Episcoporum dignitatem proximè accedere contendit, vnam tamen ordinationem quam fatetur Episcoporum propriam esse excipit, negatque in Presbyteros conuenire. *Quid facit*, inquit Hieronymus, EXCEPTA ORDINATIONE, *Episcopus quod Presbyter non faciat?* Cùm igitur ordinandi potestas essentialiter, & intrinsecè ad Episcopi dignitatem spectet, relinquitur haud solis accidentariis officiis, verùm essentiali quoque discrimine differre à Presbyteris Episcopos; illisque esse planè superiores. Miror verò cùm concesserit ordinationem ad vnos Episcopos pertinere, negasse inter eos *essentiale* vllum intercedere discrimen; quasi verò ordinandi ius perfunctoria sit quædam potestas, & accidentarium munus, quod ex visceribus ipsis amplissimæ dignitatis non eruatur, cùm tamen constet in eo Episcopalis dignitatis cardinem appendi? Ostendat igitur vel etiam ex delegatione demandatam, aliquando ab Ecclesia hanc Prouinciam Presbyteris, & dabimus confestim manus; Sed quia nec probat, nec verò probare potest, errorem suum cognoscat, & in nostram sententiam transeat. Certè est hoc ineluctabile nostrorum argumentum, ordinandi potestate discriminantur Episcopi à Presbyteris, ordinandi potestas intrinseca & essentialis est ordini Episcoporum; igitur essentiali discrimine separantur: Assumptionem volens nolens probat Spalatensis capite tertio.

SPALAT. Num.30. & nu. 32. & 33. c.3. præced. Admittit enim duo ista *iure diuino distingui à Presbyteris Episcopos, eisque superiores esse*; Et *sola ordinatione quippè quæ nulla ratione in Presbyteros conuenire queat, aut eis etiam demandari, separari, ac superiores esse.* Cùm igitur differentia maximè propria essentiam, ac definitionem rei subeat, nec alia occurrat qua separentur à Presbyteris Episcopi, aut eis antecellant, omnino conuincitur hanc

intrin-

Digitized by Google

intrinſecam eſſe, & *eſſentialem*, qua ſcilicet etiam eſſentialiter diſcriminentur. Propterea fortaſſe cum hoc capite in *eſſentialibus miniſteriis*, vt loquitur pares Epiſcopis facere Preſbyteros ille moliretur, ſuſpenſa tantùm quod aiunt manu ordinationem attingendam, nec niſi leuiſſimè verſandam ſibi duxit, ſed alio diſputationem inflexit, vt non niſi lege Eccleſiaſtica arceri Preſbyteros ab iis præſtandis, quæ Epiſcoporum cenſeantur propria, oſtenderet; *Presbyteri*, inquit, *vnum faciunt collegium, cuius caput eſt Epiſcopus; illi tamen & ad eandem curam ordinati ſunt, & ad eadem munera regendarum animarum docendo, prædicando & Sacramenta miniſtrando vocati, ad quæ etiam Epiſcopus ſit vocatus & ordinatus. Lex tamen Eccleſiaſtica aliquos præterea actus Presbyterales Epiſcopis ſolis reſeruauit, ac ne à Presbyteris exercerentur prohibuit, vt ſunt multæ perſonarum & rerum benedictiones, atque hoc pro maiori Epiſcoporum dignitate & authoritate, & ad vitandas non paucas in Eccleſia confuſiones; miniſteria tamen ordinaria Eccleſiaſtica Presbyteris cuiuſque Eccleſiæ propriis, ſpecialiterque vocatis, ordinatis & deputatis integra ſunt relicta; ita tamen vt in his ipſis miniſteriis exercendis Presbyteri à nutu, & voluntate Epiſcopi dependerent, nihilque prorſus agerent circa Eccleſiaſticum regimen, niſi iuſſu & directione Epiſcopi, vt ita vitaretur confuſio, & ſchiſmatum occaſio præcideretur. Hinc ſæpius inculcatæ ſunt leges in Eccleſia, vt Presbyteri ſuorum Epiſcoporum nutibus obſequantur, & Presbyteralem poteſtatem non niſi Epiſcoporum ductu promant & exequantur.* Spalat. Num. 1.

Addi poſſet Tertullianus, ſi hæreſim excipias, probatiſſimus author, ac rerum Eccleſiaſticarum peritiſſimus: *Ius*, inquit, *habet dandi baptiſmum ſummus Sacerdos qui eſt Epiſcopus, dehinc Presbyteri & Diaconi, ſed non ſine Epiſcopi facultate.* Tertull. lib. de Baptiſm.

Sed Spalatenſis inſigni fraude præſtantiſſimum munus Epiſcoporum, *ordinationem* ſcilicet præterit, vt ea ſolùm attingat quæ aliqua ratione in Preſbyteros quoque conueniant. Cæterùm ſunt & alia Epiſcoporum munia, quæ ex vi ſui ordinis perficere nullo modo poſſint Preſbyteri, vtcunque queant eis demandari, ac ex legatione committi. In his eſt confirmationis Sacramentum, de quo etiam dubitant Theologi, an Pontifex eius adminiſtrandi poteſtatem facere poſſit Preſbyteris, ſed quicquid ſit de ea re cuius pars aiens quibuſdam exemplis nititur, quæ tamen alij aut reiiciunt, aut explicant, planè certum eſt ex officij proprij ratione non habere Preſbyteros, vt hoc Sacramentum conferre queant, ſed ad vnum Epiſcopum iure ſuo pertinere eius adminiſtrandi poteſtatem. Hoc Patres docent Innocentius primus: *De conſignandis infantibus manifeſtum eſt non ab alio, quàm ab Epiſcopo, fieri licere. Nam Presbyteri, licet ſint Sacerdotes, Pontificatus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontificibus ſolis deberi, vt vel conſignent, vel paracletum ſpiritum tradant, non ſolùm conſuetudo Eccleſiaſtica demonſtrat, verùm & illa actio Actuum Apoſtolorum, quæ aſſerit Petrum & Ioannem eſſe directos, qui iam baptizatis traderent Spiritum ſanctum. Nam Presbyteris, ſeu extra Epiſcopum, ſeu præſente Epiſcopo baptizant, chriſmate baptizatos vngere licet, ſed quod ab Epiſcopo fuerit conſecratum, non tamen frontem ex eodem oleo ſignare quod ſolis debetur Epiſcopis, cùm tradunt ſpiritum Paracletum.* Ep. ad Decentium Eugubinũ cap. 3.

Hieronymus: *Quod ſi hoc loco quæris, quare in Eccleſia baptizatus, niſi per manus Epiſcopi, non accipiat Spiritum ſanctum, quem nos aſſerimus in vero baptiſmate tribui: diſce hanc obſeruationem ex ea authoritate deſcendere, quod poſt aſcenſum Domini Spiritus ſanctus ad Apoſtolos deſcendit: & multis in locis idem factitatum reperimus, ad honorem potius Sacerdotij, quàm ad legis neceſsitatem: Alioqui ſi ad Epiſcopi tantùm impre-* Adu. Lucif. cap. 4.

cationem Spiritus ſanctus defluit: Lugendi ſunt qui in vinculis, aut in caſtellis, aut in remotioribus locis per Presbyteros & Diaconos baptizati antè dormierunt, quàm ab Epiſcopis inuiſerentur. Eccleſiæ ſalus in ſummi Sacerdotis dignitate pendet: cui ſi non exors quædam, & ab hominibus eminens detur poteſtas, tot in Eccleſiis efficientur ſchiſmata, quot Sacerdotes, &c. Leo primus: *Chorepiſcopis nec erigere altaria, nec Eccleſias, vel altaria conſecrare licet, nec per impoſitiones manuum fidelibus baptizandis, vel conuerſis ex hæreſi Paracletum Spiritum ſanctum tradere, nec Chriſma conficere, nec Chriſmate baptizatorum frontes ſignare. Hæc enim omnia illicita ſunt Chorepiſcopis, qui ad exemplum & formam ſeptuaginta diſcipulorum eſſe noſcuntur. Quoniam quanquam conſecrationem habeant, Pontificatus tamen apicem non habent. Quæ omnia ſolis deberi ſummis Pontificibus authoritate Canonum præcipitur, vt per hoc & diſcretio graduum, & dignitatis faſtigium ſummi Pontificis demonſtretur.* De Chorepiſcopis videro breui. Sed hoc loco ponderanda eſt Leonis ratio, cur Chorepiſcopis Sacramentum Confirmationis conferre non permittatur; *Quanquam*, inquit, *conſecrationem habeant, Pontificatus apicem non habent.* Cuius doctrinæ fundamentum eſt in ſacris litteris. Nam in actis Apoſtolicis; Ad confirmandum eos qui in Samaria à Philippo baptizati erant, etiam vſque ad infimam plebem mittuntur Apoſtolorum præcipui Petrus & Ioannes, cùm tamen idem Petrus Cornelium virum inſignem, ac diuinitus ſibi commendatum vnà cum eius familiaribus non per ſe, ſed aliorum miniſterio baptizare voluerit. Perperam igitur Spalatenſis, pleraque ex vi ordinis tribuit Preſbyteris, quæ tamen citra Pontificis veniam præſtare non poſſint. Cæterùm quod attinet ad collegium Preſbyterorum, cui *ſenatus Eccleſiarum*, nomen tribuit Hieronymus, de eo paulò fuſiùs agendum eſt, tum vt deliramenta Caluiniſtarum, qui ad eius amuſſim ſuorum Seniorum, vt vocant, Conſiſtorium exigere velle videntur, refellamus, tum vt quædam ipſius Spalatenſis errata diſpungamus. Planè igitur verum eſt prioribus ſæculis Preſbyterorum extitiſſe collegia, ſed quibus moderarentur Epiſcopi à quibus tota collegij authoritas penderet, vt eis duntaxat eſſent à conſiliis, atque variis in officiis ſuam operam impenderent: Preſbyteria quoque vocabantur, quod Preſbyteris conſtarent, quos in rebus maioris momenti, maximè verò vbi de diſciplina Eccleſiæ ageretur, aduocare ſolerent Epiſcopi. Hinc Cornelius Pontifex Romanus ad Cyprianum, ſcribit in reconciliatione quorundam ſchiſmaticorum Preſbyterorum, *ſe totum Presbyterium contraxiſſe*: Sediſſe autem vnà cum Epiſcopo, atque hac ratione collegas eius dictos omnino apparet, ſediſſe quidem ex Cypriano. *Admonitos nos ſciatis*, inquit, *vt Numidicus Presbyter adſcribatur Presbyterorum Carthaginenſium numero, & nobiſcum ſedeat in Clero:* Collegas demum inde dictos Epiſcoporum, non quod pares poteſtate eſſent, ſed quod ad idem collegium pertinerent, patet ex Concilio Carthaginenſi; *Vt Epiſcopus in Eccleſia, & in conſeſſu Presbyterorum ſublimior ſedeat: Intra domum verò, collegam ſe Presbyterorum eſſe cognoſcat.* Præerat igitur conſeſſui Preſbyterorum cum ſumma poteſtate Epiſcopus, cuius rei luculentiſſimum exemplum in Alexandrina Eccleſia obſeruat Hieronymus, in qua à diui Marci temporibus obſeruatum ſcribit, vt pluribus Preſbyteris vnus Epiſcopus ſuperponeretur. Ita verò ab Epiſcopi nutu pendebant, vt ſi quid eo inconſulto ſtatuiſſent, nullius roboris in Eccleſia haberetur, quamobrem Eccleſiaſticæ diſciplinæ in lapſis, aut admittendis, aut reconciliandis rigorem inconſulto Epiſcopo,

Epiſt. 88.

Act. 8.

Act. 10.

Hier. in c. 3. Iſaiæ.

Lib. 3. ep. 11. inter epiſt. Cypr.

Li. 4. ep. 10.

Conc. Carthagin. 4. Can. 35.

Ep. ad Euagrium.

pò, temerè laxantes Presbyteros Cyprianus Episcopus, non semel authoritate repressit. Quid habent igitur Caluinistæ in suis Consistoriis, quod cùm sacro illo Presbyterorum Collegio conferre possint? Nam vt cætera omittam, constabat Collegium illud, non Laïcis illis senioribus, sed probatissimis quibusque ex Clero, qui honorem illum non pretio, sed præmio essent adepti. Demum penes vnum Episcopum erat summa rerum, seniores verò apud Caluinistas totum imperium occupant: Et ad nutum suum etiam cæremonias, & leges disciplinæ suæ Ministris præstituunt, quanquam fere sint ex fæce vulgi, vel ex indoctorum grege: Sed vt ad Spalatensem reuertamur. Sapienter quod mirari subit nullorum Presbyterorum Episcopus Episcopos adhortatur, vt non pro famulis & mancipiis, sed pro fratribus ac Collegis suis habeant Presbyteros; Verùm hoc prudentissimum ac piissimum monitum duplici errore fœdat, ac inquinat; Primùm enim etiam contra traditam à se tertio capite doctrinam pares eos facit Episcopis in pascendo grege, nec ipsam ordinationem excipit, quæ eius curæ præcipuum caput censeri possit, cùm pascendo gregi Sacerdotes illa sua ordinatione deputentur, ac idonei ministeriorum dispensatores renuncientur. Demum per summum scelus potestatem quam habent in Presbyteros Episcopi, Principibus Laïcis acceptam haberi vult, nec meminit ipso sæculo Apostolorum, Episcopos Presbyteris ius dixisse, ac Presbyterorum causas ad Episcoporum tribunalia omnino pertinuisse: Innuit tamen Apostolus ad Timotheum; *Aduersus Presbyterum*, inquit, *accusationem noli recipere, nisi duobus vel tribus testibus*; Quem locum Epiphanius interpretatus Presbyteri nomine, quemlibet Sacerdotem intellexit hanc ipsam quæstionem quam versamus aduersus Aërianos pertractans; Sed de his alibi fusiùs. Nunc lubet ad locum Petri, quo omnem dominationem in clerum prohibere videtur Apostolorum Princeps respondere: *Non*, inquit, *vt dominantes in Cleris, sed forma facti gregis, &c.* Respondeo dominandi ambitum reprehendere, ac damnare Apostolum qui à Christo magistro audierat; *Scitis quia Principes Gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos, non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos maior fieri sit vester minister, & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus.* Certè vtroque loco violenta imperia præfectis Ecclesiarum parum digna notantur, nam hoc loco Græcè, ait Petrus μηδὲ ὡς κατακυριεύοντες, hoc est, *violenter dominantès*, & Christus apud Matthæum de Regibus Ethnicis dixit, κατακυριεύουσιν quasi dicat, dominatum exercent in eos, quos videlicet imperio suo regunt. Docuit autem Christus, & eum imitatus Apostolus non esse imperio Ecclesiastico arrogantiùs abutendum; nam alioqui Ecclesiæ Præsules, atque Antistites eximio quodam, atque excelso imperio potiri docuit præter cæteros Gregorius Nazianzenus, qui præsidem ita affatur. *An me liberè loquentem æquo animo feretis? nam vos quoque imperio meo, ac throno lex Christi subjicit, imperium enim nos quoque gerimus, addo etiam præstantius, ac perfectius, nisi verò æquum est Spiritum carni fasces submittere, & cœlestia terrenis cedere.* Quod attinet ad caput *Grauem*, non vna causa fuit Honorio III. plectendi Archidiaconum Ambianensem, quod Episcopum suum, Dominum suum vocare renuisset, sed quod præterea vim ei intulisset. Atque hæc tria ibidem notantur: *Qui contra iuramentum negat Prælatum Dominum suum, vel coram iudice sæculari de ipso conqueritur, vel ipsum inuadit, deponi debet.*

1. Timot. 5.

Epiphan. hæres. 75. adu. Aëriũ.

1. Petr. 5. Luc. 22.

SPALAT. Num. 6. &7. Reuertitur iam ad Collegium Presbyterorum, atque contendit *Senatum illum Ecclesiarum quem Hieronymus prædicat Capitulum fuisse, vt iam vocant Episcoporum, in quo plures essent non solùm Presbyteri, verùm etiam Diaconi, Subdiaconi, ac inferiorum ordinum ministri, qui Episcopis adessent, & opera sua iuuarent, quique propterea ex communi massa redituum illius Ecclesiæ alimenta, & necessaria quæque acciperent*: Hæc verò discussione opus non habent, cùm vltro demus fuisse iam inde ab initio rerum huius ordinis Sacerdotes, qui se Ecclesiæ certis legibus addicerent, potissimùm verò vt laboranti pro pietate suo Antistiti suppetias ferrent, eumque sui ordinis caput agnoscerent, ac propterea ab Ecclesia alerentur, fouerentur & rebus omnibus ad victum, & vestitum necessariis instruerentur. Quanquam autem vtriusque generis Canonicos, tum qui regulares, tum qui absolutè Canonici dicuntur, contumeliis oneret, ac immaniter proscindat homo planè exlex, ac Canonum contemptor, certum est tamen iustissima ratione ab Ecclesia retineri, cùm noctu diuque cultui diuino vacare non desinant, ac statis quibusdã horis numen propitiari studeant; Cũ præterea constet in eorum Collegiis plures inueniri, qui doctrina singulari, & eximia pietate ornati, non pœnitendam operam in subleuandis Episcopis, & populorum salute procuranda ponant. Qui verò Canonem non tenent, & à regulis exorbitant, nec Ecclesiæ, nec piis quibusque probantur; Quanquam potuit eis ab Ecclesia concedi, vt reditus Ecclesiæ olim communi vitæ addictos inter se partirentur, quibus se alerent ac sustentarent. Neque enim propterea eorum euertitur institutum, sed etiamnum constitutis horis sacra celebrant, preces quas Canonicas vocant recitant, nullumque pietatis opus in quod olim incumberent prætermittunt. Ex iis olim assumptos qui in Parochiis plebes moderarentur, & ad pietatem informarent, fatemur cùm eius rei vestigia pleraque, hodie quoque extent. Sed cùm distineri eos propriæ Ecclesiæ, cui essent mancipati curis contingeret, sapienter omnino vt singulæ Parochiæ suos haberent Parochos ei Glebæ addictos est à Pontificibus prouisum. Hos pastores in Ecclesiastica Hierarchia sub Episcopis à quibus omninò pendent ponimus, & qui ex ea serie bene præsunt, ipsos quoque *duplici honore dignos* censemus; Admittimusque cùm non possit Episcopus per se toti Diœcesi prospicere, ac consulere eos regendis priuatis Ecclesiis planè esse necessarios.

SPALAT. Num. 8. Quod verò nititur probare Spalatensis, *Episcopum indefinitè in omnem Ecclesiam potestatem ex vi ordinationis accipere, ac tantùm iure Ecclesiastico vni certæ Diœcesi esse addictũ, cuius tamen actu non sit Episcopus, nisi actu quoque in opus incumbat*; Inane est commentum ad turbas in Ecclesiam inducendas à viro otioso malignè excogitatum. *Habitibus perficimur*, inquiunt Philosophi, *atque ab illis nomen ducimus*. Et certum est esse Philosophum, qui etiam à Philosophiæ exercitiis ferietur, cùm in *proxima potentia*, vt loquuntur, sit ad Philosophiæ actus promendos & exercendos. Similiter totius Diœcesis Episcopus omnino est, qui etiam actu in singulis Parochiis moderandis non occupatur, quia ex vi suæ ordinationis, & assignatæ sibi potestatis in promptu illi est munere suo defungi, ac incumbere in opus, secus nec ipsi Parochi totius Parochiæ sibi demandatæ vnquam actu essent Rectores, cùm *simul* non possint singulis eius partibus moderandis suam operam impendere. Ad huius commenti vanitatem accedit,

dit, quod addit *Presbyteros ex vi ſuæ ordinationis poteſtatem nanciſci in totam Eccleſiam*; Etſi enim ex vi ſuæ ordinationis poſſunt ſingulas Parochias regere, in omnes tamen poteſtatem non accipiunt; Et verò antequam huic vel illi mancipentur, & in ordine Presbyterorum manent, eſt quidem eorum poteſtas illimitata *paſſiuè* ſcilicet, vt loquuntur in ſcholis, non verò *actiuè*; hoc eſt limites nullos habet, non quod ad omnem ſe fundat Eccleſiam, ſed quod indiſcriminatim huic vel illi ab Epiſcopis præfici poſſint; ac proportione quadam idem in Epiſcoporum poteſtate venit obſeruandum; Si enim nudè ſpectetur eorum ordinatio, ex ea habent vt poſſint cuicunque Eccleſiæ mancipari, in totam verò Eccleſiam ius habere non poſſunt, cùm ſit hoc eius Pontificis priuilegium, cui de omnibus indiſcriminatim Chriſti ouibus ſit dictum; *Paſce oues meas*, & contrà illis dicatur, *Paſcite eum qui in vobis eſt gregem*. Pro modo igitur ſuæ iuriſdictionis ſunt illis certæ ſedes etiam iure diuino conſtitutæ, non quidem in ſpecie, vt has vel illas ſedes à Deo ſint immediatè conſequuti, ſed in genere quod nimirum cùm vnum ſummum Pontificem toti ſuæ Eccleſiæ præfeciſſet, reliquos intra fines ſibi ab Eccleſia conſtituendos ſe continere voluerit. Propterea ſcilicet quod aliis locis monuimus, etiam ipſo naſcentis Eccleſiæ ſæculo Apoſtoli, ac eorum diſcipuli conſtituebant per ciuitates Epiſcopos, vt ſcilicet ad amuſſim primæuæ illius fundationis reliquas exercendas eſſe nos edocerent. Certè quotieſcunque Eccleſia de limitibus Epiſcoporum ſtatuit ac edixit, Apoſtolorum exemplum ſe ſequutam proteſtata eſt. Igitur vt ad Presbyteros reuertamur, non conſequuntur vllam in Eccleſiam vniuerſam, ex vi ſuæ ordinationis iuriſdictionem, ſed hoc tantùm ex ea habent, vt poſſint authoritate Epiſcoporum, cuicunque Parochiæ legitimo paſtore deſtitutæ Rectores imponi; quanquam fateor non eſſe eos Epiſcoporum nudos Vicarios, ſed ſui ordinis veros ac germanos adminiſtros in priuatas Eccleſias poteſtate præditos, quæ tamen ab Epiſcoporum authoritate pendeat, eique planè ſubiiciatur.

Ioan. 21. Act. 20.

Miror autem Spalatenſem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, non planè rudē *Canonicos cum Parochis confudiſſe*, nec attendiſſe longum latumque intercedere inter eos diſcrimen, cùm propriè Canonicis, quà Canonici ſunt, *animarum* vt vocant *curæ* nulla tribuatur, Parochis verò ex officio huiuſmodi cura incumbat; Eſt certè hoc lippis, & tonſoribus notum; Sed demus parem eorum eſſe rationem, quid inde ſequitur? *Propterea*, inquit, *ſtatim atque mortuus eſt Epiſcopus, interim dum alius ſubſtituatur ordinariè regimen illius Eccleſiæ, totum plenum & integrum, excepta ordinatione & actibus ordinis Pontificalis propriis, eſt penes totum collegium Presbyterorum, ſiue Capitulum Canonicorum, ſed Presbyterorum. Canonici enim non Presbyteri, cùm nullam habeant poteſtatem Presbyteralem, nec ſint in miniſterium aſſumpti, neque ſint Apoſtolorum in Presbyteratu ſucceſſores, vt ſunt Presbyteri: nihil iuris habent in regimine.* Qua ratione Canonici mortuo Epiſcopo Diœceſim adminiſtrandam ſuſcipiant, non eſt obſcurum in hiſtoria verſatis; Et quidem cùm olim Epiſcopo conuiuerent, perpetuò ei eſſent à Conſiliis, eorumque opera ipſe vteretur in Diœceſi ſua regenda obtinuerat mos, vt eo è viuis ſublato ad eorum collegium rerum ſumma, donec in eius locum alius eſſet ſuffectus reuolueretur; Quanquam igitur quod ad conuictum attinet, & Conſiliorum etiam plerumque participationem, quæ erant Canonicis cum Epiſcopis communia interciderunt; Tenuit tamen mos antiquus in admin-

SPALAT. Num. 10.

ſtratione Eccleſiarum Cóllegio Canonicorum (Capitulum dicunt) mortuo Epiſcopo attributa. Falſus verò iudicij eſt Spalatenſis, qui exiſtimarit *nihil ad Subdiaconos & Diaconos eam adminiſtrationem pertinere, etiamſi de Collegio ſint Canonicorum*; *Canonici*, inquit, *non Presbyteri, cùm nullam habeant poteſtatem Presbyteralem, nec ſint in miniſterium aſſumpti, neque ſint Apoſtolorum in Presbyteratu ſucceſſores, nihil iuris habent in regimine.* Quaſi verò poteſtas iuriſdictionis aut regiminis, poteſtate ordinis nitatur? Hæc tam ſunt abſurda, vt refutatione non indigeant.

SPALAT. Num. 13. Sed quàm inconſtans, & à ſe diuerſus eſt Spalatenſis; Audi eum infra, *Siue igitur*, inquit, *Epiſcopalis quæcunque ſedes vacet, per obitum ſui Epiſcopi, ſiue per diuturnam abſentiam, Eccleſiaſticum totum regimen penes Canonicum Presbyterale Collegium reſidere, optimè dixit Martinus. Cuius Collegij Presbyteralis præcipui eſſent illæ quas nominauit dignitates; quæ totum Collegium Canonicum repræſentant; Nam etiam Archidiaconus multa externa officia regiminis externi, tameſi Presbyter ex vi ſuæ dignitatis ſuique gradus non ſit, habet exercenda, præſertim circa rerum Eccleſiaſticarum temporalium adminiſtrationem, & Cleri ac pauperum ſuſtentationem.* Si Archidiaconus non quà Preſbyter, ſed ex vi ſuæ dignitatis multa exercenda habeat circa rerum temporalium adminiſtrationem, igitur Preſbyterum eſſe non eſt neceſſe eum qui in partem illius poteſtatis, & ſollicitudinis veniat. Eſt præterea falſum *Presbyteros, quà Preſbyteros Apoſtolis in poteſtate regiminis ſucceſſiſſe*; Epiſcoporum ea laus eſt, cùm ſatis habeant Presbyteri ſeptuaginta duorum diſcipulorum ſucceſſores audire.

Gregor. l. 11. ep. 10.

SPALAT. Num. 10. Ignat. ep. ad Antioch. At inquit Spalatenſis; *Ignatius certè Martyr Epiſcopus Antiochenus, ſtatim fermè poſt Apoſtolos, dum Romam vinctus ad martyrium duceretur, non vllum certum Vicarium ſibi ſubſtituit; ſed toti Collegio ſuorum Presbyterorum ſuam Eccleſiam commendauit. Presbyteri, inquit, paſcite gregem qui inter vos eſt, donec Deus deſignauerit eum qui principatum in vobis habiturus eſt: Ego enim iam immolor, vt Chriſtum lucrifaciam.* Quid tum? An propterea pari cum ſuo Epiſcopo authoritate eſſe voluit? Et quidem, *ordinandi poteſtatem, ac actus ordinis Pontificalis proprios* perpetuò excipit Spalatenſis. At inquit mirus nugator; *Non dixit, Paſcite gregem donec Pontifex Romanus vobis ordinet Epiſcopum; ſed Deus; quia Epiſcopatum eſſe à Deo immediatè agnoſcebat; Ideo ait, donec Deus deſignauerit eum, qui ex vobis ſit principatum hunc, ſiue primatum habiturus: à Deo ergo Epiſcopi habent, vt ſint in ſua Eccleſia Principes.* Quaſi verò qui etiam à Pontifice renunciantur Epiſcopi, à Deo à quo iuxta Salomonem *ſortes diriguntur*, non deſignentur Eccleſiarum Epiſcopi? An non omnis poteſtas à Deo eſt? An non ſanctiſſimum ordinem in Eccleſia Chriſtum reliquiſſe eſt ſuprà à nobis, & conceſſum, & probatum? Atqui, vt iſta omittam, etiam præcipua quædam ratio fuit Ignatio ſuæ Eccleſiæ curam totam Dei arbitrio, ac prouidentiæ permittendi, quippè citra cuius opem illa diutius conſiſtere non poſſet, cùm grauiſſimis vrgeretur perſecutionibus, ac nauis illius latera, vt ita dicam Decumani quaterent fluctus; Nauclero ipſo (hoc eſt ſanctiſſimo ipſo Ignatio Antiochenæ Eccleſiæ Pontifice) poſt vinculorum moleſtias breui ad beſtias damnando: Neque verò dubitamus ſapienter omnino etiam pacatis rebus curam Eccleſiæ demandari potuiſſe Collegio Preſbyterorum, ſed hinc colligi

Preſ-

Presbyterorum cum Episcopis æqualitatem, quod caput est huius disputationis, inficiamur. *Ita etiam Cyprianus*, inquit ille, *cùm paululum secessisset, suam suo Clero commendat Ecclesiam, ait enim: Et quoniam mihi interesse nunc non permittit loci conditio, peto vos pro fide & religione vestra, fungamini illic & vestris partibus & meis, vt vel nihil ad disciplinam, vel ad diligentiam desit.* Cypr.l.5. ep.2. Presbyterorum suorum fidem, & religionem expertus Cyprianus, ac ad tempus, persecutione sæuiente, secedere coactus, ne quid detrimenti ex pastoris absentia grex caperet, eos obtestatur, vt reuocata ad se tota cura perinde, ac si ipse præsens esset, Ecclesiam Carthaginensem administrarent; Igitur *curam sciebat esse communem*, admitto; *æqualem* nego. Est quidem cura salutis nauis gubernatori, ac nautis communis, adeoque absente nauclero etiam nautæ gubernacula tractare possunt, & sæpissimè maiori etiam industria quam ipse, faciunt; at pari potestate, & authoritate non possunt. Nec quemquam moueat, quod Presbyteros suos collegas vocat; id enim facit quod ad collegium cuius ipse caput esset pertinerent, non quod ei aut authoritate, aut dignitate pares essent. Vt suprà ostendimus.

Sed iam per speciem huius administrationis collegio Presbyterorum demandatæ aliò nos trahit, & immerentem Baronium vexat. *Romanus Clerus*, inquit, *vacante illa sede post Martyrium Fabiani sibi ait incumbere custodire gregem; Qui videmur, inquiunt, præpositi esse, & vice pastores. Et quia hortatur Clerum Carthaginensem ad multas virtutes, præsertim absente Cypriano eius Episcopo qui aliquantulum secesserat; & suo exemplo monet, quid facere debeat in persecutione circa tentatos & confessores. Hinc satis insulsè colligit Baronius, sublato visibili vniuersalis Ecclesiæ capite, Cleri Romani partium esse (quippè qui propinquiora membra capiti inhærent) Catholicæ Ecclesiæ, vbique locorum positæ prospicere atque consulere. Nam etiam Cyprianus ex charitate, imo etiam ex officio, vt ipse testatur, maximam curam vice versa suscipit ipsiusmet Ecclesiæ Romanæ, eadem vacante sede post Fabianum: & instituit Clerum Romanum, non minus quàm si ipse esset Episcopus Romanus.* Spalat. Num. 11. Apud Cyp. ep.3.edit. Pamel. Baron.to.2. ann. 253. nu.26.32. Cypr.l.3. ep.6. At ignorasse se hic eorum ad quos scriberet Cyprianus prodit, non enim ad Presbyteros & Diaconos Romanos, sed ad Clerum suum Carthaginensem, hanc quam profert Epistolam scripsit Cyprianus, vt vel hoc ipsum eius exordium ostendit; *Quales*, inquit, *literas ad Clerum Romæ agentem fecerim.* Si enim quod eum docere potuit Pamelius ad Romanos scriberet, ita potius loqueretur; *Quales literas ad vos fecerim.* Ad suos igitur Carthaginenses exemplar mittit epistolarum, quas aut dedisset, aut accepisset, vt eorum diligentia quæ essent à Clero Romano, à confessoribus, & à seipso quoque latius expressa fratribus innotescerent; Iubetque eos eiusmodi epistolarum copiam omnibus facere etiam peregrinis Episcopis, Presbyteris & Diaconis, si qui præsentes fuerint, quatenus eas exscribere possint; *Vt*, inquit, *in Ecclesiarum statu quo-quo modo interim componendo seruetur ab omnibus vna fidei consensio. De cæteris verò quæ agenda erunt*, inquit, *sicut & collegis meis plurimis scripsi, plenius consilio tractabimus, quando conuenire in vnum permittente Domino cæperimus.* Id.l.3.ep.4. Idem ibid. Sed immaniter errat, & insulsissimè agit Spalatensis, qui ex his quæ à Cypriano sunt suis Carthaginensibus, perscripta colligat *scribere Cyprianum se cum suo collegarum Concilio, Romano Clero præscripturum*; vt scilicet toti Ecclesiæ non prospexisse, aut non consuluisse Clerum Romanum vacante sede Pontificis, contra Baronium nobis persuadeat. Sunt istæ fraudes desertore dignæ.

Digitized by Google

Spalat. Num.11. Id.l.3.ep.5. l.5.ep.12. Addit verò, *Et ſanè Cyprianus, quando etiam tantiſper meritò, vt docet ſeceſſerat, ſuam tamen Eccleſiam per literas, & nuncios perpetuò rexit, & gubernauit, vt Cleri Romani regimine non indigeret; vt manifeſtè cernimus in vna ipſius Epiſtola ad Romanos, in qua deſcribit ipſe diligenter curam, quam ſuæ geſſit Eccleſiæ dum ſeceſſerat. Et quia Romanus Clerus ſcribens ad Clerum Carthaginenſem, vt ſuprà diximus, aliquid attigerat de ſua opinione circa lapſos (communicabant enim plurimum inter ſe Eccleſia Romana & Carthaginenſis, & ſe inuicem iuuabant:) Vt*

Cypr.l.5. ep.5. *ſit nobis, inquit Cyprianus ad Clerum Romanum ſcribens, circa vtilitatem Eccleſiaſticæ adminiſtrationis commune conſilium.* Non defuiſſe ſuis Carthaginenſibus etiam abſentem Cyprianum, argumento ſunt diuinæ Epiſtolæ ab eo in illo ſuo receſſu ad Clerum Carthaginenſem ſcriptæ; quarum etiam altera ita ſe purgat:

Idem ep.15. ad Clerum Romanum. *Abſens corpore nec ſpiritu, nec actu, nec monitis meis defui; quominus ſecundum Domini præcepta fratribus noſtris in quibus poſſem, mea mediocritate conſulerem, & quid egerim loquuntur vobis epiſtolæ pro temporibus emiſſæ numero tredecim, quas ad vos tranſmiſi. In quibus nec Clero conſilium, nec confeſſoribus exhortatio, nec extorribus quando oportuit obiurgatio, nec vniuerſæ fraternitati ad deprecandam Dei miſericordiam allocutio & perſuaſio noſtra defuit; quantum ſecundum legem fidei, & timorem Dei Domino ſuggerente, noſtra mediocritas potuit eniti. Poſteaquam verò & tormenta venerunt, ſiue iam tortis fratribus noſtris, ſiue adhuc vt torquerentur incluſis, ad corroborandos & confortandos eos noſter ſermo penetrauit. Item cùm comperiſſem eos qui ſacrilegis contactibus manus ſuas, atque opera maculaſſent, vel nefandis libellis nihilominùs conſcientiam polluiſſent; exambire ad martyres paſſim, confeſſores quoque importuna & gratioſa deprecatione corrumpere, vt ſine vllo diſcrimine atque examine ſingulorum darentur quotidie libellorum millia contra Euangelij legem; literas feci quibus martyres & confeſſores conſilio meo, quantum poſſem ad Dominica præcepta reuocarem. Item Presbyteris & Diaconibus non defuit Sacerdotij vigor, vt quidam minus diſciplinæ memores, & temeraria feſtinatione præcipites, qui cùm lapſis communicare iam cœperant, comprimerentur, intercedentibus nobis. Plebi quoque ipſi quantum potuimus animum compoſuimus, & vt Eccleſiaſtica diſciplina ſeruaretur inſtruximus.* Sed quod vereretur Clerus Romanus, ne per abſentiam Antiſtitis aliquid pietati deperiret, pro officij ſui ratione Clerum Carthaginenſem hortatus eſt, vt interea dum abeſſet Epiſcopus fratres in fide confirmaret, & lapſorum curam haberet; Cauſam ſcri-

Clerus Roman. ad Carth.ep.3. inter epiſt. Cypr. ptionis affert: *Cùm incumbat nobis, qui videmur præpoſiti eſſe, & vice paſtoris cuſtodire gregem: ſi negligentes inueniamur, dicetur nobis, quod & anteceſſoribus noſtris dictum eſt, qui tam negligentes præpoſiti erant, &c.* Addit quoque ad calcem epiſtolæ, *Eccleſiam Romanam cum ſumma ſollicitudine excubare, pro omnibus qui inuocant nomen Domini*, ſuaſque literas *ad quoſcunque potuerint* tranſmittere Carthaginem iubet per idoneas occaſiones, vt ſcilicet de mente Eccleſiæ Romanæ omnibus conſtaret. Vt igitur eſſent Carthaginenſes abundè à Cypriano eruditi, monitis non egerent Romanorum, muneri tamen ſuo faciendum ſatis duxerunt magnæ ſedis Presbyteri, & cùm per Pontificis obitum inclinata Eccleſia in eos recumberet, vbi Cyprianum tempeſtate iactatum, ac telis impiorum appetitum receſſiſſe intellexerunt pro ſuo zelo, Eccleſiam Carthaginenſem ſuis præceptis aduerſum ſæuientem procellam munire, ac inſtruere operæ precium duxerunt: Fateor, ipſe quoque Cyprianus orbatos ſuo capite conſolatus eſt, & ad conſtantiam non ſemel eoſdem cohortatus eſt, ſed in his mutuis officiis,

Digitized by Google

officiis, vt consilia participarint; Fuit tamen quod postea monuit Augustinus, Cathedrarum impar gratia, hoc est dignitas diuersa ac longè distans. Cyprianus officia charitatis impendit, Romani officio satisfecerunt, nec solùm vni Carthaginensi Ecclesiæ opem tribuerunt, sed & reliquas quoque per orbem iuuerunt; Id non obscurè colligitur ex ipsis eorum literis ad Carthaginenses datis, *Petimus nos*, inquiunt, *qui habetis zelum Dei harum literarum exemplum ad quoscunque poteritis transmittere per idoneas occasiones, vel vestras, faciatis, siue nimirum mittatis, vt stent fortes & immobiles in fide.* Ep. 3. lib. 1. Nominatim verò Epistola ad Cyprianum significant se in Siciliam quoque misisse literas, quarum ad eum exemplaria perferri curarint, vt quid in negotio lapsorum statuissent, exploratum haberet; *Quales literas in Siciliam quoque miserimus, subiectas habebis. Quanquam nobis differendæ huius rei necessitas maior incumbat, quibus post excessum nobilissimæ memoriæ viri Fabiani, nondum est Episcopus propter rerum & temporum difficultates constitutus, qui omnia ista moderetur, & eorum qui lapsi sunt, possit cum authoritate & consilio habere rationem.* Epist. 31. Vides Pontificis fuisse de lapsis authoritate & consilio statuere, quamquam etiam clerus Romanus ad Cypriani sententiam accedat, esse eam quæstionem collatione consiliorum cum Episcopis, presbyteris, Diaconis, confessoribus pariter ac stantibus laïcis, id est iis qui à fide non excidissent pertractari, quod scilicet totus orbis penè vastatus & vbique iacentes deiectorum reliquiæ, tam grande expeterent consilium, ne minora essent, vt loquûtur, remedia quàm funera; sed vt par fuerit orbis terrarũ consilium aduocari, in vna tamen Cathedra Apostolica, decernendi ac edicẽdi de communi negotio viguit authoritas; Propterea scilicet Cyprianus ipse quæ etiam de ea re censuisset cum collegis ad sedem Romanam referenda duxit, vt factum suum ei probaret, atque eius rationes explicaret; Placuisse autem sibi significauit Clerus Romanus; *Quanquam*, inquit, *nobis in tam ingenti negotio placeat, quod & tu ipse tractasti prius, &c.* Ibidem. Retulisse autem ad sedem Apostolicam Cyprianum non solùm de lapsorum causa, sed de emergẽtibus quibuscunque aliis negotiis ipse alia epistola significat. *Post factas ad nos literas*, inquit florentissimus Martyr, *quibus actus noster expositus, & disciplinæ ac diligentiæ, quantulacunque ratio declarata est, aliud accessit quod nec ipsum latere vos debuit*, ac pluribus Luciani inuerecundiam persequitur, qui Pauli & aliorum confessorum nomine passim lapsis omnibus sine discrimine & sine examine libellos concederet, quibus ab inuito Cypriano pacem nulla etiam exomologesi facta extorquerent; scilicet eam *Ecclesiam principalem à quo Sacerdotalis vnitas esset exorta*, agnoscebat. Epist. 23.

Sed pergit Spalatensis; *Quantam verò etiam*, inquit, *Romanæ Ecclesiæ fortasse eadem sede vacante curam gesserit (nam diu vacauit, quia propter rerum & temporum, inquit idem, difficultates, Episcopus Romanus post Fabianum constitui non statim poterat) ex alia eiusdem ad eundem clerum Epistola facilè colliges; sic enim scribit: Quanquam sciam vos fratres charissimi literis meis frequenter admonitos esse, vt glorioſa voce Domino confessis, & in carcere constitutis omnis diligentia præbeatur, tamen identidem vobis incumbo, ne quid ad curam desit iis quibus ad gloriam nihil deest. Atque vtinam loci & gradus mei conditio permitteret, vt ipse nunc præsens esse possem, promptus & libens, solemni ministerio, cuncta circa fortissimos fratres nostros, dilectionis obsequia complerem; sed officium meum vestra diligentia præsentet & faciat. Omnia quæ fieri oportet circa eos quos in talibus meritis fidei* SPALAT. Num. 12. Cypr. l. 2. epist. 7. Lib. 3. ep. 6.

ac virtutis ſuæ illuſtrauit diuina dignatio. Tantum igitur abeſt, inquit Spalatenſis, *vt Clerus Romanus, ſua ſede vacante, curam geſſerit aliarum Eccleſiarum, præſertim Africanarum, quod contendit Baronius, vt etiam ipſemet rectus, aut ſaltem directus fuerit à Cypriano. Qui ſi per occupationes ſuæ Eccleſiæ licuiſſet, paratus erat ſe Romam conferre, vt officio ſuo multa circa illius Eccleſiæ regimen, ſede illa vacante, ipſe præſens exerceret.*

Dolus an virtus quis in hoſte requirat?

Hæc ſcilicet Plani altera fraus eſt, namque epiſtola quam profert, non eſt Cypriani ad Clerum Romanum, ſed Cypriani ad Clerum Carthaginenſem, quem hortatur, vt quia diutius eum abeſſe à grege ſuo oporteat, officium ſuum repræſentet, omnémque curam, ac ſi præſens eſſet adhibeat circa confeſſores tum viuos, tum vita in carceribus functos; quàm bellè igitur torſit iſta homo aſtutus ad clerum Romanum, vt Cyprianum deſiderio viſendæ Romanæ Eccleſiæ non ſuæ Carthaginenſis arſiſſe nobis perſuadeat?

Quod autem addit ex alterius Epiſtolæ initio ſatis colligi *interceßiſſe quidem inter Carthaginenſem & Romanam Eccleſiam charitatis quandam neceſsitudinem, non autẽ alia ratione fuiſſe Carthaginenſem Romanæ ſubiectam*, nulla ratione nititur. Namque priſci illi Epiſcopi eo quidem dicendi genere vtebantur, quod eſſet magis comitatis, lenitatis & beneuolentiæ quàm vllius prophanæ aut violentæ dominationis, tamen cùm id res poſtularet, *Matricem Eccleſiarum*, vt loquitur ipſe Cyprianus Romanam agnoſcebant, ac vt ſuperiorem venerabantur, quo ſenſu etiam & ipſe Cyprianus *Principalem* vocat non quidem origine cùm Hieroſolymitana prior extiterit, ſed authoritate quam in reliquas beneficio Pontificatus Principis Apoſtolorum ſit conſecuta; Quid autem in eam rem reſcripſerit Clerus Romanus ſuprà oſtendimus, vt proinde inſulsè ac ineptè Baronium Spalatenſis, inſulſitatis poſtularit, atque hoc nomine ſe vnum ridendum præbuerit.

SPALAT. Num. 13. In viam iam ſe reuocat, & ad inſtitutum reuertitur. Probatque teſtimonio Martini I. Papæ, mortuo Epiſcopo ad Canonicorum collegium ius administrandæ Eccleſiæ deuolui, quod illi lubentes concedimus. Verba Martini ſunt. Martin. ep. 15. tom. 2. epiſt. decr. Ro. Pont. *Iußio*, inquit, *à Calliopa*, is erat Exarchus Rauennas Theodorus nomine, qui iuſſu Imperatoris Monothelitæ Martinum Pontificem orthodoxæ ſententiæ propugnatorem egregium in orientem deportandum naui impoſuerat, *porrecta eſt presbyteris & diaconis, in qua humilitatis meæ abiectio continebatur, quod irregulariter & ſine lege Epiſcopatum ſubripuiſſem, & non eſſem in Apoſtolica ſede dignus inſtitui; ſed omnimodis in hanc Regiam vrbem tranſmitti; ſubrogato in loco meo Epiſcopo. Quod necdum aliquando factum eſt: & ſpero quod nec aliquando fiet; Quia in abſentia Pontificis Archidiaconus, Archipresbyter & Primicerius locum præſentant Pontificis.* Addit Spalatenſis, *Siue igitur Epiſcopalis quæcunque ſedes vacet per obitum ſui Epiſcopi, ſiue per diuturnam abſentiam, Eccleſiaſticum totum regimen penes Canonicum presbyterale Collegiũ reſidere, optimè dixit Martinus, cuius Collegij presbyteralis præcipui eſſent illæ, quas nominauit dignitates; quæ totum Collegium Canonicum repræſentant; nam etiam Archidiaconus multa externa officia regiminis externi, tametſi presbyter ex vi ſuæ dignitatis, ſuique gradus non ſit; habet exercenda*; Sed cum vmbra ſua digladiatur, nos enim id vltrò concedimus, quanquam, vt ſupra aduertimus, hic quoque in aſſerenda Archi-

diaconi

diaconi iurisdictione secum pugnat; quippe qui nullum Diaconum aut Subdiaconum administrandæ Ecclesiæ cum cæteris ius participare docuerit. Addit rursus, Bene etiam dixisse *Martinum, absente quacunque occasione Episcopo à sua sede, alium Episcopum illo superstite, & non deposito ritè, nec priuato non esse substituendum, sed Ecclesiam communi presbyterorum consilio interea esse regendam, atque inde noua etiam iura, sede vacante, Canonicorum Capitulum in regimine statim succedere confiteri.* Hæc cùm sint etiam sanctissimi Concilij Tridentini authoritate firmata, non est curà nobis conuellantur; Maneat igitur intra limites iuris Pontificij Spalatensis, oliuas gladiis inseremus; Vellicat tamen eius interpretes, ac demùm eos ædificare, mutare quadrata rotundis, homo parum rotundus aut teres clamat; sed sub hoc iudice lis ista non est; neque eius sententiæ standum putamus, quâ vult *Episcopo negligentius se gerente, presbyterorum collegium eius authoritatem ordinariam exercere*; Hoc enim modo fenestram seditionibus aperiri credimus, cùm procliue sit presbyteris socordiæ Episcopum postulare, vt in eius patrimonium hoc colore & prætextu inuolare possint; Sed hæc quidem *extra oleas.* Eod. nu. 13.

Ad maioris momenti disputationem aggreditur, & vt presbyteros ad Episcopatus fastigium euehat, factum quorumdam antistitum profert, qui socios sibi asciuerunt aliquos ex presbyterorum numero; *Neque fuit*, inquit, *tanta Religio priscis illis sanctis Episcopis, socium sibi interdum asciscere aliquem ex suarum Ecclesiarum presbyteris, qui & ipse tum iurisdictione & ordine, vsuque pleno Episcopalis propriæ potestatis, tum etiam nomine in eadem Ecclesia simul esset, & diceretur Episcopus. Huius rei duplicem confirmationem mihi præbet Augustinus: Alteram quod ipse viuente Valerio Episcopo Hipponensi, factus est Episcopus similiter Hipponensis: Accessit enim ad illum Episcopatum, non successit; & quamuis id ipse recusaret & contra morem ordinarium Ecclesiarum esse cerneret & opponeret. Primas tamen Numidiæ, qui illum ordinauit Megalius Calamensis, & ipse Valerius Hipponensis, id fieri solere persuadebant, & transmarinis atque Africanis exemplis probabant: Propterea tamen consentit: Alteram quod, vt idem scribit Augustinus in Collatione illa celebri cum Donatistis, Catholici Episcopi 186. proposuerint Donatistis, si pars Donati vinceret, se cessuros Ecclesias liberas ipsis Donatistis, & Episcopalia munera plenè deposituros, si hoc vincerent ipsi Catholici, tunc se libenter Episcopos Donatistas, vt Collegas in honore Episcopali inter se admissuros, Quod si plebes duos in Ecclesia Episcopos ferre non possent, vtrisque de medio recedentibus singuli constituerentur Episcopi, ab eis Episcopis ordinandi, qui in suis plebibus singuli inuenirentur.* In prolixa ista & satis verbosa disputatione multa sunt Theologorum censura digna: Primùm quod dissimularit huiusmodi presbyteros ab Episcopis in consortium potestatis assumptos vel primùm fuisse initiatos, consecratos ac renunciatos Episcopos, vt fungi illo munere possent, vel etiam antequam assumerentur, Episcopos fuisse: Et quidem Augustinum fuisse ordinatum Episcopum antequam cum Valerio regendam Hipponensem Ecclesiam susciperet, nulli dubium est: Idque ipse cum Possidonio testatur: Donatistas verò quibus eam gratiam se facturos Catholici Antistites sunt polliciti si vincerent Donatistæ Episcopatus se eis tradituros, si vincerentur, collegas admissuros, Episcopi erant charactere olim insigniti, vt solus potestatis vsus illis esset concedendus. Demum immaniter errat quod ad adamatã suam Aristocra- SPALAT. Num. 14.

Pauliti. apud Aug. ep. 36. & habetur 7. q. 1. c. non autem. Possid. de vita Aug. cap. 8. Aug. Breu. Collat. 1. c. 5. & ext. de Parochiis, &c. cap. 1.

Spalat. Num. 14. in fin. tiam, ſeu potius Anarchiam iſta referat. *Nouerant*, inquit, *hoc etiam à tempore Apoſtolorum ita in Eccleſiam fuiſſe inductum, vt vnicus Epiſcopus cæteris presbyteris præeſſet. Quia tamen communitas illa regendi ſimul cum presbyteris penè Ariſtocraticè placuit priſcis ſanctis Patribus, ſibi licere meritò arbitrabantur pro bono pacis tantiſper à tali vſu recedere.* Quaſi verò non ſit cernere in vtroque exemplo haud quidem amore Ariſtocratiæ, ſed impellente neceſſitate duos Epiſcopos vni Eccleſiæ impoſitos. Auguſtinum ſanè Valerius Collegam, ſeu potius *Coadiutorem* aſciuit, quod cùm homo natura Græcus, minuſque lingua Latina & literis inſtructus, verbo Dei & doctrina ſalubri gregem ſuum informare ac inſtruere dignè ſuo iudicio non poſſet, ac præterea quod cũ Auguſtino viro diſertiſſimo ac doctiſſimo prædicandi illam Prouinciam demandaſſet quod tamen non eſſet in Epiſcoporum ordine, non defuiſſent ex numero Epiſcoporum, qui violatas leges Eccleſiæ, & in eam peregrinos mores inuectos criminati eſſent vt idcirco Epiſcopum eum omnino renuntiandum duxerit.

Apud Poſſidonium in vita Auguſtini.

Donatiſtas verò admiſerunt Catholici, quod periculum eſſet, ne ſi ſedibus ſuis tolli ſe viderent, turbas cierent, plebes concitarent, & compoſitam pacem diſſuerent ac diſſoluerent. Certè vt annuerent, & etiam de ea re ſancirent adductos ſe Patres Carthaginenſes, ſignificant quod multæ controuerſiæ inter Epiſcopos, Catholicos ſcilicet & Donatiſtas, ortæ eſſent, quibus Eccleſiæ turbarentur. *Quia*, inquiunt Patres, *multæ controuerſiæ poſtea inter Epiſcopos de Diœceſibus ortæ ſunt, & oriuntur, quibus tunc minus videtur eſſe proſpectum: nunc iſto Concilio ſancto placuit, vt vbicunque Catholica fuit, & pars Donati, ad diuerſas Cathedras pertineant*: Cæterùm pacatis rebus adeo erant de vno Epiſcopo præficiendo ſolliciti, vt eius moris retinendi cauſa non dubitauerit Melchiades edicere, vt *quibuſcunque locis duo eſſent Epiſcopi quos diſſenſio geminaſſet*, (audiſne Spalatenſis tuam illam Ariſtocratiam diſſentione & ſchiſmate niti?) *eum confirmandum vellet, qui fuiſſet ordinatus prior, alteri autem eorum alia plebs regenda prouideretur*. Bonum factum edicto aſcripſit Auguſtinus; O, inquit, *virum optimum, ô filium Chriſtianæ pacis & Patrem Chriſtianæ plebis.* Quod igitur inſecutum eſt, *neceſſitati Eccleſiarum*, non *Ariſtocratiæ* amori eſt tribuendum; & præterea viderunt Orthodoxi ipſo fatente Spalatenſi, id præter morem eſſe Eccleſiæ, adeoque contra Canones Nicænos, ac nonniſi vrgentibus malis in eam conditionem conſenſerunt. Propterea vt ipſe quoque Spalatenſis aduertit,

Conc. Afr. Can. 84.

Ep. 162.

Auguſt. ep. 100. *Pœnituit aliquando Auguſtinum Epiſcopatus viuo Valerio ſuſcepti*; verba eius ſunt, *Adhuc in corpore poſito beatæ memoriæ Patre & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat. Quod ergo reprehenſum eſt in me, nolo reprehendi in filio meo.* Vides quàm ab illa tua Ariſtocratia abhorruerit Auguſtinus, *qui in filij ſui Eradij ordinatione noluerit reprehendi, quod in ſua eſſet reprehenſum.* Et tamen narrat in eius vita Poſſidonius, nonniſi hortatu Primatis Numidiæ Megalij Calamenſis Epiſcopi, & reliquorum qui adeſſent Epiſcoporum in eam ordinationem conſenſiſſe; *Dumque*, inquit Poſſidonius, *id fieri ſolere ab omnibus ſuaderetur, atque id ignaro tranſmarinis & Africanis Eccleſiæ exemplis probaretur, compulſus atque coactus ſuccubuit, & Epiſcopatus curam & maioris loci ordinationem ſuſcepit. Quod in ſe ipſo poſtea fieri non debuiſſe, vt viuo ſuo Epiſcopo ordinaretur, & dixit & ſcripſit, propter Concilij vniuerſalis vetitum, quod iam ordinatus*

Poſſidon. de vita Auguſt. tom. 1.

dinatus didicit, nec quod sibi factum esse doluit, aliis fieri voluit. Vnde etiam sategit, vt Conciliis constitueretur Episcoporum ab ordinatoribus deberi ordinandis, vel ordinatis omnium statuta Sacerdotum in notitiam esse deferenda. His omninò probatur consensurum eum non fuisse, si Nicæni Concilij Canones tenuisset, ac demum legem illam Nicænam tanta in veneratione habuisse, vt ab ea successores suos aut alios Dei Sacerdotes exorbitare noluerit, eoque nomine Episcopis author fuerit, vt Concilij authoritate decerneretur esse ab ordinatoribus ordinandis maiorum statuta legenda antequam initiarentur. Non negamus verò vel vrgente Ecclesiarum necessitate, vel Episcopis morbo, ætate, aut quacunque alia peremptoria occasione præpeditis, ac minimè muneri suo satisfacere valentibus, aliquando duos Episcopos vni eidemque plebi datos, quamquam magna cura prouisum est semper, ne qua fraus fieret in secundi renunciatione. Extant de ea re plerique Canones: Sic vt institutum persequamur Narcisso Hierosolymitano Episcopo, ob ingrauescentem ætatem centum amplius annorum, datum Collegam Alexandrum, iam alterius in Cappadocia Ecclesiæ Episcopum, qui voti & locorum visendorum causa Hierosolymam aduenerat, narrat Eusebius.

Addit Spalatensis: *Nazianzenam Ecclesiam à duobus Gregorijs Patre & filio plenè Nazianzenis Episcopis simul gubernatam;* sed erat quod magnum Annalium parentem consuleret. Is illum docuisset nunquam fuisse Gregorium filium Nazianzi Episcopum, etiam patre è viuis sublato, tantùm abest vt eo viuo ac spirante Antistitem gesserit; Et quanquã video magnos viros, ac ipsum Hieronymum, qui illi à disciplina fuit in ea esse sententia, vt putent Nazianzi, Episcopum fuisse, tamen hanc sibi Gregorius personam detraxit carmine de vita sua, adeóque se hospitem tantum in Patris Ecclesia fuisse, non illi sedi fixum Episcopum testatur.

SPALAT. Num. 15. Nazianz. in carm. de vita sua. Hieron. de script. Ecclesiast. Ruffinus.

Κρόνον
Τῆς πατρικῆς, &c.
Κρόνον βαχλιὼ ὡὼ ὡς ξένος ἀλλοτρίας
Εχον τὴν ἐμμέλειαν οὐκ ἀρήσομαι.

Greg. Naz. ep. 42. in fine.

Πᾶσι γὰρ δῆλον, ὅτι μὲν Ναζιανζοῦ, Σασίμων δὲ προσελήφθημεν. Εἰ καὶ πρὸς ἄλλον αὐδῆ τῆς πατρὸς, ἀλλ' οὖν ἐκπυστόν, ὡς ξένον τὴν προστασίαν περιλεξάμεθα.

Rem verò clarissimè aperit Epistola ad Gregorium Nyssenum: *Inter omnes constat*, inquit, *me non Nazianzi, sed Sasimorum Antistitem creatum fuisse, tametsi in Patris reuerentiam, & eorum qui supplices hoc à me contenderunt, ad breue tempus præfecturam quasi hospites suscepimus.* Quare qui eum Nazianzenum Episcopum faciunt, ad susceptam ab eo ad tempus curam Patriæ Ecclesiæ respiciunt; Certo autem est certius eam curam suscepisse sola in Patrem charitate qui eum vt se ægrè etiam ob ingrauescentem ætatem animam trahentem subleuaret, eum esset obnoxiissimè precatus, additis minacibus verbis ni obsequeretur ac morem gereret. Itaque *plenè*, hoc est titulo Episcopi Ecclesiã Nazianzenam non rexit. Sed è diuite suo penu alia exempla profert Spalatensis: *Obseruamus similiter*, inquit, *aliquando in Antiochena Ecclesia tres Episcopos simul eodem tempore, etiam saltem duos Catholicos præsedisse, Euzoium Arianum, Meletium & Paulinum Orthodoxos, triginta circiter annis post Canonem Nicænum. Ioannes Apameæ Episcopus, à Meletio factus collegam habuit, & adiutorem Stephanum. Et circa Nicænum Concilium Romæ præter Romanum, diu perseuerarunt duo alij Episcopi, vnus Donatistarum, alius Nouatianorum; non quidem in schismate &*

Carmine de vita sua. SPALAT. Num. 15. Bar. tom. 4. an. 362. nu. 202. Theod. l. 5. cap. 4. Aug. de hær. c. 69. & cont. Cresc.

Soct.l. 7. c. 11. & Sozo.l 6. c. 9. Sozom. l. 4.cap.10. Id. l.7.c.11. Leo Oſtiēſis l.5. c.43.

tanquam Antipapæ, ſed ſuæ quiſque præfectus plebi. Et Liberius ſimul cum Fælice aliquandiu Romanam rexit Eccleſiam. Ita Conſtantinopoli præter Conſtantinopolitanum ordinarium, diu quoque perſeuerauerunt Epiſcopi Nouatiani. Et Capuæ duos Epiſcopos Landulfum & Landilulfum ſimul illam Eccleſiam rexiſſe, Papæ etiam conſenſu, narrat Leo Oſtienſis. Vt mirum non ſit Canonem Nicænum non ſtatim plenam habuiſſe executionem, cuius ne notitia quidem plena per totam fuerit ad plures annos etiam peruagata. Multa hic aut cenſuram aut etiam deletilem ſpongiam merentur. Primùm enim quod attinet ad Euzoium Arianum, Meletium & Paulinum orthodoxos, vel ipſis pueris notum eſt Antiochenam Eccleſiam diro ſchiſmate diſciſſam, ac afflictam tres illos pertuliſſe Epiſcopos, quorum tamen potentiſſimus eſſet Euzoius Arrianus; quippe qui omnes fermè ciuitatis Eccleſias occupaſſet; Paulinus autem vnam dumtaxat eamque valdè anguſtam obtineret, Meletius verò extra ciuitatem celebraret, itaque ſciſſa in partes Eccleſia, haud mirum eſt ſtudiorum diuerſitatem id monſtri Antiochiæ peperiſſe, vt tres Epiſcopos haberet, quorum quiſque partem plebis poſt ſe adduxiſſet At quàm id orthodoxis diſplicuerit, vel ex eo coniicere licet quod non multò poſt illa luctuoſiſſima ſchiſmatis initia à ſuarum partium hominibus contenderunt, *vt ſe iuramento obſtringerent, ac ſanctè pollicerentur effecturos ſe, vt alterutro Catholicorum Meletio ſeu Paulino vita functo, is vnus pro Epiſcopo haberetur, quem eſſe ſuperſtitem contingeret, nec alius in demortui locum ſufficeretur*: Sed & ipſe Meletius ſchiſmatis & nefariæ diſſenſionis pertæſus, antè quoque Paulinum conuenerat, efficereque tentarat vt in eam ſententiam veniret, nimirum vt alterutro mortuo ad ſuperſtitem Eccleſia reuolueretur, qui eam ſolus adminiſtraret, Orationem eius expreſſit Theodoretus, *Meletius miſſimus omnium mortalium*, inquit, *blandè placidéque appellato Paulino; quoniam me quoque, inquit, gregis huius Dominus cuſtodiæ præfecit ouium, & tibi aliæ ſunt commiſſæ, cùm ſit inter pecudes pietatis communitas, iungamus amicè caulas, & ſoluamus contentionem Magiſterij, communitérque in paſcua agentes eius oues communiter curemus, ſin ſolium ipſum intercedit concordiæ, remouere & hanc contentionem conabor. Nam vbi ego in illo diuinum collocauero Euangelium, vtrimque aſſideamus vterque. Quod ſi prior vita ego defunctus fuero, eſto ſolus tu amicè magiſter ouium. Sin tibi priori hoc acciderit, curam ego tum pro virili mea geſturus ſum gregis.* Quod attinet ad Stephanum Ioanni Apameæ Epiſcopo Collegam datum à Meletio, non id tradit Theodoretus, Verba eius ſunt; *Apameam verò miſit, qui Pontificali munere fungeretur Ioannem, claro quidem illum ortum genere, ſed ſua magis quàm maiorum virtute illuſtrem; perinde enim erat eruditione atque moribus excultus. Is tempeſtatis ſuperiore tempore rexerat conuentum concordantium, ſecum in fide, vſus ſocio operis laudatiſſimo Stephano, quem ad alios labores miſit diuinus Meletius.* Ioannem in ſedanda tempeſtate vſum ſocio laudatiſſimo Stephano antequam renunciatus eſſet Epiſcopus Apameæ docet; Collegam in Epiſcopatu habuiſſe non docet, contrà aſſeuerat Meletium ad alios cum labores miſiſſe. Quod verò addit circa Nicænum Concilium Romæ diu præter Pontificem perſeueraſſe duos alios Epiſcopos, alterum Donatiſtam, alterum Nouatianum, tam eſt verum quàm eſt falſum, *neque in ſchiſmate fuiſſe, neque Antipaparum*, vt loquitur *loco habitos eſſe*, & miror ea fronte fuiſſe, vt Auguſtinum & Optatum huius rei teſtes proferre non erubuerit: Auguſtinus quidem

Soct. l.3. cap.7. Hier. ep. ad Damaſ.

Theod. l.5. cap.3. Μελέτιος δὲ, ὁ πάντων ἀνθρώπων ἥμερος, φιλοφρόνως ἅμα καὶ ὑπὲρ ἐκεῖνον ἦν πρὸς τὸν Παυλῖνον. ἐπιβὰς γὰρ ἐμοὶ τῆς δεσπάτου τῶν ἐπιμελείας ὁ τῆς ἀρχιέσεως κύριος, καὶ σὺ τῶν ἄλλων αἰδέλφε τῆς εὐσεβείας, κοινωνῶ ἐγὼ ἀλλήλοις τῆς εὐσεβείας τὰ δρέμματα, συναφέλωμεν ὦ φιλότης τὰ ποίμνια, καὶ τῶν φροντίδα ἐγκαταλύσωμεν διαμάχην. κοινῇ δὲ τὰ ποίμνια νέμοντες, κοινῶν αὐτοῖς ἀναπτύξωμεν θρασείαν· εἰ δὲ ὁ μέσος θάνατος ἡμᾶς ἄρει, ἐγὼ μὲν ταύτῃ ἀξιλόγου πιέσεως.

Id.ib.c.4.

quidem edito de hæreſibus libro, poſtquam dixiſſet eos ſchiſma in hæreſim vertiſſe, ac pertinaci diſſentione firmata in Africa ſedes poſuiſſe, ſubiecit; *Iſti hæretici in vrbe Roma Montenſes vocantur, quibus hinc ex Africa ſolent Epiſcopum mittere, aut hinc illuc Afri Epiſcopi eorum pergere, ſi fortè ibi eum ordinare placuiſſet.* Contra Creſconium verò, apertè docet errore, aut potius furore abductos Donatiſtas Romam, quô ex Africa ordinare paucis ſuis Epiſcopum eſſent ſoliti, accuſaſſe vnà cum aliis Eccleſijs Apoſtolorum labore fundatis, *nec errorem qui eos ad tantum ſcelus nefaria diſſenſione compelleret, corrigere voluiſſe:* quî ergo dici poſſit ſententia Auguſtini non fuiſſe Donatiſtam Epiſcopum Romæ conſiſtentem ſchiſmatis & nefariæ diſſenſionis genuinum partum? Sed quâ ratione ſi Romæ habuerunt Epiſcopos, nec Antipapas vt loquitur, nec ſchiſmatis crimine implicitos, ad Cathedram Petri prouocaſſet Auguſtinus, vt Donatiſtas in Eccleſia non eſſe doceret? *Numerate*, inquit, *Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede, & in ordine illo patrum, quis cui ſucceſſit videte, ipſa eſt Petra quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ.* Superat verò omnem impudentiam quod addit Spalatenſis, *Optatum quoque in ea ſententia fuiſſe.* Non ſolùm enim nefariæ diſſenſionis poſtulat Donatiſtas, ſed & eos Romæ Epiſcopum conſtituiſſe, vt Eccleſiam ſibi vindicarent, & plebem Chriſtianam ſcinderent, clariſſimè docet; *Veſtræ Cathedræ vos*, inquit, *originem reddite, qui vobis vultu ſanctam Eccleſiam vindicare. Sed & habere vos in vrbe Roma partem aliquam dicitis. Ramus eſt veſtri erroris, protentus de mendacio, non de radice veritatis. Denique ſi Macrobio dicatur vbi illic ſedeat, numquid poteſt dicere in Cathedra Petri? quàm neſcio ſi vel oculis nouit, & ad cuius memoriam non accedit, quaſi ſchiſmaticus contra Apoſtolum faciens, qui ait, memorijs ſanctorum cõmunicantes. Ecce præſentes ſunt ibi duorum memoriæ Apoſtolorum. Dicite ſi ad has ingredi potuit: itavt obtulerit illic, vbi Sanctorũ memorias eſſe conſtat. Ergo reſtat vt fateatur ſocius veſter Macrobius, ſe ibi ſedere, vbi aliquando ſedit Encolpius: Si & ipſe Encolpius poſſet interrogari, diceret, ſe ibi ſedere vbi ante ſedit Bonifacius Ballitanus. Deinde ſi & ipſe interrogari potuiſſet, diceret, vbi ſedit Victor Garbienſis à veſtris iam dudum de Africa ad paucos erraticos miſſus. Quid eſt hoc quod pars veſtra in vrbe Rom. Epiſcopum ciuem habere non potuit? Quid eſt, quod toti Afri & peregrini in illa ciuitate ſibi ſucceßiſſe noſcuntur? non apparet dolus? non factio quæ mater eſt ſchiſmatis? Interea Victor Garbienſis, vt hinc prior mitteretur, (non dico lapis in fontem, quia nec valuit puritatem Catholicæ multitudinis perturbare,) ſed quia quibuſdam Afris vrbica placuerat commoratio, & hinc à vobis profecti videbantur, ipſi petierunt, vt aliquis hinc qui illos colligeret mitteretur. Miſſus eſt igitur Victor. Erat ibi filius ſine patre, tiro ſine principe, diſcipulus ſine magiſtro, ſequens ſine antecedente, inquilinus ſine domo, hoſpes ſine hoſpitio, Paſtor ſine grege, Epiſcopus ſine populo. Non enim grex aut populus appellandi fuerant pauci qui inter quadraginta, & quod excurrit, Baſilicas, locum vbi colligerent, non habebant. Sic ſpeluncam quandam foris à ciuitate gradibus ſepſerunt, vbi ipſo tempore conuenticulum habere potuiſſent, vnde Montenſes appellati ſunt. Igitur quia Claudianus Luciano, Lucianus Macrobio, Macrobius Encolpio, Encolpius Bonifacio, Bonifacius Victori, ſucceßiſſe videntur: Si Victori diceretur, vbi ſederit, nec ante ſe aliquem illic fuiſſe monſtraret; nec Cathedram aliquam niſi peſtilentiæ oſtenderet.* Neſcio quod os ſit ei, qui inficietur huiuſmodi Donati-

Cap. 69.

Aug. tom. 7. init. contra partem Donati.

Optat. l. 2.

Digitized by Google

ſtas Epiſcopos in ſchiſmate egiſſe, ac proculdubio orthodoxo Pontifici ſe oppoſuiſſe, atque adeo quod ſchiſmaticorum proprium eſt nutantem ſcidiſſe Eccleſiam.

De Nouatianis Epiſcopis Romæ creatis ſchiſmaticos planè fuiſſe dubitare non ſinit Cyprianus. *Recitatis primùm ipſis quæ in Africa egiſſet Nouatus, Romam quoque,* inquit, *ad euertendam Eccleſiam hauigans ſimilia illic & paria molitus eſt à clero, portionem plebis auellens fraternitatis ſibi bene cohærentis, & ſe*
Cypr.ep. 49. *inuicem diligentis concordiam ſcindens. Planè quia pro magnitudine ſua debeat Carthaginem Roma pandere, illic maiora & grauiora commiſit, qui iſtic ad-*
Epiſt.24. *uerſus Eccleſiam Diaconum fecerat, illic Epiſcopum fecit.* Alibi quoque Nouatum Epiſcopo ſuæ factionis Romæ conſtituto, *adulterum & contrarium caput*, extra Eccleſiam ſuis impoſuiſſe conqueritur. *Gliſcente*, inquit, *& in peius recrudeſcente diſcordia Epiſcopum ſibi conſtituit, & contra Sacramentum ſemel traditum diuinæ diſpoſitionis* (vides vt ſanctiſſimus Martyr diuina diſpoſitione vnius Epiſcopi creationem niti prædicet) *& Catholicæ vnitatis, adulterum & contrarium caput, extra Eccleſiam fecit.* Propterea etiam ad confeſſores
Epiſt.54. Romanos à Nouato ſeductos, hunc in modum loquitur; *Grauat me atque contriſtat & intolerabilis perculſi & penè proſtrati pectoris mœſtitia perſtringit, cùm vos illic comperiſſem contra Euangelicam legem, contra inſtitutionis Catholicæ vnitatem alium Epiſcopum fieri conſenſiſſe, id eſt quod nefas eſt, nec licet fieri, Eccleſiam alteram inſtitui, Chriſti membra diſcerpi, Dominici gregis animum & corpus vnum*
Epiſt.52. *diſciſſa æmulatione lacerari.* Item ad Antonianum, *Qui nec vnitatem Spiritus, nec coniunctionem pacis obſeruat, & ſe ab Eccleſiæ vinculo atque à Sacerdotum collegio ſeparat; Epiſcopi nec poteſtatem poteſt habere, nec honorem qui Epiſcopatus nec vnitatem voluit tenere, nec pacem.* Propterea quoque qui ab Eccleſia defeciſſent, & in Nouatianorum caſtra tranſiiſſent, vna voce ſchiſmatis crimen,
Cypr.ep. 46. quo ignari rerum ſe implicuiſſent, deprecantur. *Nos, inquiunt, Cornelium Epiſcopum ſanctiſſimæ Catholicæ Eccleſiæ, electũ à Deo omnipotente, & Chriſto Domino noſtro ſcimus. Nos errorem noſtrum confitemur; nos impoſturã paſsi ſumus: circumuenti ſumus perfidia & loquacitate captioſa. Nam etſi videbamur quaſi quandam communicationem cum ſchiſmatico & hæretico homine habuiſſe, ſincera tamen mens noſtra ſemper in Eccleſia fuit, nec enim ignoramus vnũ. Deum eſſe, vnum Chriſtũ eſſe Dominũ, quem confeſsi ſumus, vnũ Spiritum ſanctũ, vnum Epiſcopum in Catholica Eccleſia eſſe debere.* Sed eſſent nobis integræ illæ epiſtolæ exſcribendæ, ſi omnia diuini Martyris de ea re teſtimonia colligere animus eſſet; Neque verò aut Sozomeni aut Socratis iudicio quiſquã moueri debet, quos Nouatianos fuiſſe omnibus conſtet, & improbiſſimæ cauſæ addictos. Itaque quod illi narrant, ac etiam probant Conſtantinopoli ſediſſe Nouatianum Epiſcopum, & in regia vrbe fuiſſe Nouatianorum Eccleſiam, fraudi malè feriatorum hiſtoricorum, deputandum venit. Fuiſſe quidé Conſtantinopoli Epiſcopum Nouatianum, ſed *Schiſmaticum*, fatemur, fuiſſe quoque Eccleſiam ſcimus, ſed *Eccleſiam malignantium*, quæ ſcilicet cum legitimis paſtoribus non colligeret, ſed vtique ſpargeret, ac peregrinas opiniones & dogmata amplecteretur & defenderet.

At inquit Spalatenſis: *Liberius ſimul cum Fœlice aliquamdiu Romanam rexit Eccleſiam*; Turbo & procella Eccleſiæ Fœlix ille initio fuit, & Arrianorum factione ac Conſtantij impij Principis fauore, deiecto ac depreſſo Liberio

Liberio legitimo Pontifice, per vim ac ſcelus Cathedræ Apoſtolicæ impoſitus Rector: Certè depulſo Liberio aduerſus Conſtantium ſcribens Hilarius, conqueritur magnis vocibus, *Vertiſti*, inquit ad Conſtantium, *deinde vſque ad Romam bellum tuum, eripuiſti illinc Epiſcopum; Et ô te miſerum, qui neſcio vtrum maiore impietate relegaueris quàm remiſeris.* Quæ autem Liberio exulante, ac Fœlice ſedem Romanam occupante contigerint, alibi explicabitur. Hilar. l cõtra Conſtantium.

Quod attinet verò ad duos illos Epiſcopos Capuanos Pontificis etiam conſenſu eius Eccleſiæ gubernacula tractantes apud Leonem Oſtienſem impoſitum fuiſſe Pontificiâ Capuanis, & Pontificem facti pœnituiſſe prodit non malus author, qui etiam ingentium cladium cauſam fuiſſe noui Epiſcopi ordinationem, vero Epiſcopo ſuperſtite, aſſeuerare non veretur. Iam ad Auguſtinum reuertitur, vt probet *Canonem Nicænum non perinde obtinuiſſe, cùm multos quoque fugeret, num etiam eſſet vnquam conditus*; Sed ſuo ſe gladio iugulat, cùm aſſentiatur eius reuerentia adductum Auguſtinum, quod ſuprà monuimus, noluiſſe Eradium ſuum ſucceſſorem Epiſcopatus ordine initiare, ſed eum duntaxat curarum ſuarum (quæ ſcilicet ad munus Epiſcopale pertinerent) participem feciſſe: *Eius tamen*, inquit, *obſeruatio exacta, detinuit poſtea Auguſtinum, ne ſuccеſſorem ſibi electum, & deſignatum Eradium, atque conſenſu plebis admiſſum & approbatum, ſe viuente Epiſcopum ordinaret: Maximam tamen curæ ſuæ partem in illum adhuc Presbyterum, mox futurum Epiſcopum tranſtulit, vt ipſi antemeridianum tempus totum liberum vacaret ad ſcribendum.* Ergo ſtandum Canoni Nicæno omnino iudicauit Auguſtinus. Non paret tamen Spalatenſis. *Sed &*, inquit, *Gregorij tempore, duo erant Eccleſiæ Antiochenæ Patriarchæ; Gregorius, & Anaſtaſius, & vtrumque Gregorius Magnus vocat, & agnoſcit Patriarcham Antiochenum, item duo Portuenſes.* Atqui quod attinet ad Antiochenos non vnam plebem regebant, & reliquiæ hæ erant Melitiani Schiſmatis, cuius importunitate factum ſit, vt duo Epiſcopi etiam orthodoxi fuerint inſtituendi, quod nimirum pars Antiochenſium memoriam Meletij, pars verò nomen Paulini coleret, atque propterea plebs malè coiret, ac quæque ſuæ perſuaſionis Epiſcopum deposceret. Sanè ex vnius Chryſoſtomi oratione de Anathemate liquet, quã ægrè paſſi fuiſſent Meletiani communionis Paulini Epiſcopum ſibi imponi, ac ex alio capite conſtat eodem odio exarſiſſe Paulinianos in Meletij fautores, vt propterea ne ſoporatus dolor recrudeſceret poſterioribus etiã temporibus cum Antiochenſibus indulgendum, & eis condonandum fuerit, vt quæque pars ſuæ opinionis Patriarcham haberet. De duobus Portuenſibus non eſt, quod ſubſcriptionibus priuilegij ſancti Medardi fidem habeamus; Nutant illæ, & vt oculatiſſimus Baronius aduertit illis temporibus non congruunt, atque omnino poſt Gregorij ſæculum videntur aduectæ. Innocentij decretum in Concilio Oecumenico Lateranenſi editum noſtram ſententiam firmat. *Quoniam*, inquit, *in pleriſque partibus intra eandem ciuitatem atque Diœceſim permixti ſunt populi diuerſarum linguarum habentes ſub vna fide varios ritus & mores diſtrictè præcipuus, vt Pontifices huiuſmodi ciuitatum ſiue Diœceſim prouideant viros idoneos, qui ſecundum diuerſitates rituum & linguarum diuina officia illis celebrent, & Eccleſiaſtica Sacramenta illis miniſtrent, inſtruendo eos verbo pariter & exemplo. Prohibemus autem omnino, ne vna eademque ciuitas ſiue Diœceſis diuerſos Pontifices habeat, tanquam vnum corpus diuerſa capita quaſi noſtrum. Sed ſi propter prædictas cauſas vrgens ne-*

Leo Oſtienſis l. 1. c. 43.

Spalat. Num. 15. circa med. Aug. epiſt. 110.

Greg. lib. 1. cap. 24.

Apud Greg. in fine regiſt. in ſubſcriptionib. priuil. Monaſt. S. Medard.

Baron. ad ann. 593.

p. 2. 3. tom. Conc. p. 1453.

ceſsitas poſtulauerit, Pontifex loci Catholicum Præſulem nationibus illis conformem, prouida deliberatione conſtituat ſibi Vicarium in prædictis, qui ei per omnia ſit obediens & ſubiectus, vnde ſi quis aliter ſe geſſerit excommunicationis ſe nouerit mucrone percuſſum. Et ſi nec ſic reſipuerit, ab omni Eccleſiaſtico miniſterio deponatur, adhibito, ſi neceſſe fuerit, brachio ſæculari ad tantam inſolentiam compeſcendam. Cauſæ ſeptimæ tota quæſtio 1. etiam locis à Spalatenſi prolatis nobis quoque fauet, & niſi cœcus eſt videt cap. 6. Cyprianum proferri, qui *vnius Epiſcopi in Eccleſia ordinationem Dei traditionem dicat.* Alibi quoque Cyprianus, *diuinam diſpoſitionem* vocat, vt ſuprà monuimus. Neque verò noſtram ſententiam euertunt leges Eccleſiaſticæ in eam rem latæ; Legibus enim Eccleſiaſticis furta, adulteria, falſa teſtimonia prohibentur, cùm tamen præceſſerint de iiſdem rebus ſanctiones diuinæ ipſius decalogi tabulis expreſſæ. Quod autem ex illa ſua farragine teſtimoniorũ colligit *poſſe duos Epiſcopos vni Eccleſiæ præfici modò is qui adiutor accedit, alium ſupra ſe eſſe agnoſcat.* Nobis omnino probatur & morem in Eccleſia receptum firmat, quo vel ob ætatem muneri Antiſtitis impatem vel ob aduerſam valetudinem vel ob quantamcunque aliam legitimam cauſam in ampliſſimis potiſſimum Diœceſibus Epiſcopis, ſuffraganei, vt vocant, dantur qui vice illorum munia Pontificalia cum dignitate obeant & exequantur. Viderit ergo Spalatenſis quàm rectè hunc morem ſuprà impugnarit. Quod autem hic quoque parochos ab Epiſcopis pendere vult, eſt æquitati conſentaneum; Sed latius quàm par ſit poteſtatis Epiſcopalis limites extendit. *Imò,* inquit, *ſi vult Epiſcopus & Canones non prohiberent poteſt ſuos parochos plenè Epiſcopos facere, & ordinare, vt omnes ſui ordinis actus plenè poſsint explere, & ſimul ac in ſolidum cum ipſo Eccleſiam gubernare. Sed in pluribus peccabit, nam Canonicè non procedet, Canones enim iubent has ordinationes, ſaltem à tribus Epiſcopis peragi, vetantque ne in pagis fiant Epiſcopi.* Sed quàm ſint hæc à vero abhorrentia, adeoque ab ordine vnitatis bono Eccleſiis ab Apoſtolis præſtituto aliena, norunt omnes.

Num. 15.

Num. 15. ſub fin. Ne prælat. Vic. ſuas &c. cap. 1. 2.

Malè etiam contra Almaynum, *omnes Presbyteros pares* facit, de poteſtate enim externa Almaynus loquitur, quam in illis parem non eſſe res ipſa probat. Sed quia alio loco de his acturum ſe pollicetur Spalatenſis, hanc diſputationem non occupabimus. Hoc tantùm monuerimus fundamentum, quo nititur hæc *Presbyterorum inter ſe æqualitas* planè flaccidum eſſe, ſi quidem huius aſſertionis rationem vult eſſe Spalatenſis, *quod Presbyteri Epiſcopis omnino in eſſentialibus pares ſint,* quod tamen omnino falſum eſſe inuictiſſimis argumentis ſuprà probauimus. Sed errorem errori addit aduerſarius. *Ex eadem,* inquit, *radice æqualis poteſtatis Presbyteralis cum Epiſcopali eſſentiali circa miniſterium paſtorale & maiori vel minori permiſsione facta Presbyteris à ſuis Epiſcopis actuum Presbyteraliũ exercendorum, ordo quidem olim viguit in Eccleſiis Chorepiſcoporum, qui minus quidem poſſent quàm Epiſcopi, plus verò quàm ordinarij Presbyteri. Et hos Epiſcopi in Oppidis celebrioribus ſuæ Diœceſis, & in ſuis etiam Cathedralibus ſuos Vicarios collocabant, & cũ ſua propria conſecratione ordinabant.* De Chorepiſcopis diuerſæ ſunt diuerſorum ſententiæ, nec nodos ſoluit Spalatenſis. Dico igitur primùm Chorepiſcopos, quorũ meminerunt antiquiores Synodi Vicarios fuiſſe Epiſcoporum, qui ruri Sacramenta populis miniſtrarent, verbum Dei prædicarent, & prouentus Eccleſiarũ quibus tum pauperes tum peregrini alerentur, colligerent.

Spalat. Núm. 16. Almayn. de pot. Eccl. & lai. qu. 1. cap. 4.

Spalat. Num. 17.

Neocæſarienſis. Nicænæ, Antiochena.

Hæc

Hæc non obſcurè Canone Neocæſarienſi ſignificantur, ad quem videndus eſt Balſamon. Dico ſecundò planè Epiſcopos fuiſſe, ſi modò fides habeatur Concilio Antiocheno: ſic enim habet Canon decimus: *Ii qui ſunt in vicis vel pagis, vel qui dicuntur Chorepiſcopi, etiamſi Epiſcopi ordinationem manuumque impoſitionem acceperint, viſum eſt, vt ſuum modum ſciant, & ſibi ſubiectas Eccleſias adminiſtrent, earumque cura & ſollicitudine gerenda contenti ſint: Conſtituant autem lectores, Hypodiaconos, & Exorciſtas, & eorum promotionem ſufficere exiſtiment: nec Presbyterum, nec Diaconum ordinare audeant abſque vrbis Epiſcopo, cui ſubijcitur ipſe & regio. Si quis autem ea quæ definita ſunt, tranſgredi audeat, ipſe quoque deponatur ab eo honore quem habet; fiat autem Chorepiſcopus ab Epiſcopo ciuitatis, cui ſubiicitur.* Ex duplici capite habetur Epiſcopos fuiſſe, namque primùm ſignificat Canon χειροτονίαν, hoc eſt, manus impoſitionem, qua initiarentur Epiſcopi percepiſſe, ac omnino in Epiſcopos conſecratos fuiſſe: χειροτονία verò planè Epiſcopum facit; igitur Chorepiſcopi de quibus hoc Canone agitur, Epiſcopi proculdubio fuere. Propterea Dionyſius exiguus illam partem Canonis ita vertit: *Quamuis manus impoſitionem Epiſcoporũ perceperint, & vt Epiſcopi conſecrati ſint.* Demum Canon ſignificat citra facultatem Epiſcopi ciuitatis poſſe Subdiaconos & inferioris ordinis Clericos ordinare, cum bona autẽ venia Epiſcopi ipſos Diaconos atque Preſbyteros. At hoc ſolis Epiſcopis concedi poteſt; ergo proculdubio Epiſcopi fuere. Sed fiet res manifeſtior refutatione argumentorum, quæ à Spalatenſi contrà afferuntur. „ *Canon*, inquit, *Nicænus expreſsè prohibet, ne in vna Diœceſi ſint duo Epiſcopi; qui canon fuit in Eccleſia perpetuò inuiolabiliter ordinariè ſeruatus, & non niſi ex graui cauſa interdum ex diſpenſatione violatus. Chorepiſcopi tamen diu fuerunt ordinarij in vnaquaque Eccleſia miniſtri; nam & Canon idem Antiochenus, & Damaſi epiſtola & Leonis de Chorepiſcopis vt iam ordinariis in Eccleſiis miniſtris ſermonem habent.* Reſpondeo primùm exiſtimaſſe Antiochenos Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe, ne duo eſſent in ciuitate Epiſcopi *pari omnino dignitate*, & quorum alter ab altero in iuriſdictionis poteſtate non penderet. Ac propterea noluiſſe Chorepiſcopos, quanquam *manuum impoſitione* renunciatos Epiſcopos maiores ordines, Diaconatum ſcilicet & Presbyteratũ citra proprij Epiſcopi facultatem conferendi ius habere. non verò exiſtimaſſe illo canone prohiberi, ne Epiſcopus etiam vrgente neceſſitate Collegam ſibi aſciſceret, qui ei ſuam operam addiceret, ac parte curarum leuaret, cùm Eccleſiæ ſuæ per ſe regendæ vnus non ſufficeret. Quod etiam quanquam iure communi prohibitum eſſet, poſſe tamen iuſtis de cauſis cõcedi iudicarent. Et ſanè planum agit hic Spalatenſis. *Planum eſt*, inquit, *in dicto Antiocheno Canone haberi Chorepiſcopos, iam profectò Presbyteros, dum Chorepiſcopi fiunt nouam accipere ſolitos ordinationem per manuum impoſitionem, & eandem qua Epiſcopi conſecrabantur: Sed quod hæc ipſa ordinatio illos plenè faceret Epiſcopos non habet Canon: Imò habet contrarium, & expreſsè docet illos non propterea plenam accipere Epiſcopalem poteſtatem, ſed eos Parochos duntaxat facit, qui extra propriam parochiam nihil penitus poſsint, ſolamque eis indulget Lectorum, Exorciſtarum & Subdiaconorũ, negat verò eis Presbyterorum & Diaconorum ordinationem quam ſolis reſeruat Epiſcopis illius totius Diœceſis, iuxta duas illius Canonis Latinas verſiones: Nam tertia videtur concedere vt poſsint Chorepiſcopi etiam Diaconos & Presbyteros, de licentia tamen Epiſcopi ordinare. Sed hoc ipſum ſignificat Chorepiſcopos ex vi ſuæ Chorepiſcopalis ordinationis id non habere, ſed ex legatione & commiſsione vt voluit in minoribus*

Synod. Antioch. Can. 10.

Τοὺς ἐν τοῖς κώμαις, ἢ τοῖς χώραις, ἢ τοὺς καλουμένους χωρεπισκόπους, εἰ καὶ χειροτονίαν ὑπὸ ὁποσωνοῦν ἐπισκόπων ἐπλήρωσαν, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ εἰδέναι τὰ ἑαυτῶν μέτρα, καὶ διοικεῖν τοὺς ὑπ' αὐτοὺς ἐκκλησίας, καὶ τὴν τούτων αἰρεῖσθαι φροντίδα καὶ ἐπιμέλειαν, καὶ ἀρκεῖσθαι ἀναγνώστας, καὶ ὑποδιακόνους, καὶ ἐξορκιστὰς, καὶ τῇ τούτων αἱρέσει θεραπεύειν· μήτε δὲ πρεσβύτερον, μήτε διάκονον χειροτονεῖν πόλεως, ἄνευ τοῦ τῆς πόλεως ἐπισκόπου, ᾧ ὑπόκειται αὐτὸς τε καὶ ἡ χώρα. Εἰ δέ τις παρὰ τοὺς ὅρους τούτους τολμήσειεν παρελθεῖν τὰ ὁρισθέντα, τεθαρρηκὼς ἑαυτῷ, καὶ δι' ὧν μετέχει τιμῆς· χωρεπισκοπείσθω δὲ καὶ γινέσθω ἀπὸ τοῦ ἰδίου τόπου. ἢ ὑπόκειται. ὁποσωνοῦν. SPALAT. Num. 18.

[a] Conc. Nicæ. ca. 8. Nu. 18. in fine.

Dist. 69.c. 1. *quoque ordinibus ſeptima Synodus generalis: Quamuis talis delegatio mihi ſit plurimùm ſuſpecta, non enim puto Epiſcopum poſſe ordinationes per alium exercere, qui non ſit Epiſcopus.* Hæ ſunt ſuæ Strophæ quibus ſimplicioribus ac minus eruditis illudit ac imponit. Res verò omnino ita habet Chorepiſcopis, qui ritu Pontificũ eſſent conſecrati, ac planè Epiſcopi renunciati vult Concilium etiam citra Epiſcopi Diœceſeos priuatã facultatem licere Lectores & Subdiaconos atque Exorciſtas ordinare, Diaconos verò & Presbyteros δύχα τῦ ὁν τῇ πόλ ἐπισκόπου, *præter ciuitatis Epiſcopum*, hoc eſt, *citra eius facultatem* non licere. Non igitur quod nugator contendit huiuſmodi Chorepiſcopis ordinandi poteſtatem adimunt, ſed eius vſu citra Epiſcopi ciuitatis licentiam interdicunt. Atqui falſum falſiſſimum eſt conſecrandi ac initiandi Presbyteros, aut etiam Diaconos facultatem vnquã vllis Presbyteris conceſſiſſe, aut etiam concedere potuiſſe Epiſcopos. Sed quia argumenta Spalatenſis Damaſi potiſſimùm authoritate nituntur, iam fraus eſt aperienda.

Spalat. Num. 19. *Damaſus*, inquit, *ſic loquitur, nimis ergo eorum* (Chorepiſcoporum) *inſtitutio improba nimis eſt praua, quia vt hi de ſummo Sacerdotij miniſterio aliquid præſumant, omni authoritate caret, & ſacris Canonibus inuenitur eſſe contrarium, atque ad totius Eccleſiæ perturbationem ſuperba & ſuperflua tendit elatio.* Neminem mouere debent quæ ſunt ab hoc Damaſo, in ſui temporis Chorepiſcopos ſcripta: nec enim Damaſi Pontificis iudicio Hieronymi eloquentiſſimi genuinus partus eſt ea epiſtola. Audi optimum Cenſorem.

Petauius comm. ad Hæreſ. 69. Arian. *Extat inter Pontificum Decretales Epiſtola Damaſi quinti de Chorepiſcopis: in qua vehementer ordinem illum exagitat, negatque funditùs à Presbyteris vlla ex parte diſcrepare. Sed multa ſunt, quæ ſuſpectam illius Epiſtolæ fidem non obeſæ naris hominibus reddant. Nam vt de ſtilo ipſo ſcribendique genere nihil hic dicam: Nonne falſiſſimum eſt, quod ibidem refertur, Chorepiſcopos tam à Romana ſede, quàm à totius orbis Epiſcopis abrogatos, ac miniſterio prohibitos fuiſſe? vel vnius Leonis epiſtola, argumento eſſe poteſt, non modò non antiquatos à Romano Pontifice Chorepiſcopos, ſed aſcitos eſſe, ac certa diſciplina conſtrictos: cùm ſuis ſe finibus continere iubentur, nec ea quæ Pontificum propria ſunt vſurpare munera. Quamuis, inquit, cum Epiſcopis plurima illis miniſteriorum communis eſt diſpenſatio. Quod ad reliquos ſpectat totius orbis Epiſcopos, à quibus prohibitos eſſe dicit, tantùm abeſt, vt id verum ſit vt in Oecumenica Synodo Chalcedonenſi inter Clericos recenſeantur* Can. 11. Εἴ τις Ἐπίσκοπος ὅτι χειροτονίαν ποιήσατο, &c. καὶ χειροτονήσει ὅτι χεῖρας Ἐπίσκοπον, ἢ Χωρεπίσκοπον, ἢ Πρεσβύτερος, ἢ Διάκονος, &c. *& in Epheſina, vti diximus inter Epiſcopos ſubſcripſerit Cæſarius Chorepiſcopos. Quinetiam in Capitul. Caroli Imp. cap.* IX. *de Chorepiſcopis ex Antiochena & Ancyrana Synodo decretum inſeritur, vt appareat etiam tum in Galliis fuiſſe Chorepiſcopos. Nam & ad Gallicanos Epiſcopos Leo Papa de iiſdem ſcripſerat. Non minus falſum eſt, quod illic ſuppoſititius Damaſus affirmat: nõ licuiſſe Chorepiſcopis Subdiaconos ordinare contra Antiocheni Concilij canonem, & Leonis Epiſtolam; qui Presbyterorum duntaxat, ac Diaconorum conſecrationem adimit.* Plura addit quibus oſtendit non Damaſi, ſed ſequioris ſæculi authoris otio ad nugas abutentis partum eſſe. Sed inſtat Spalatenſis;

Spalat. Num. 19. *Ante paucos annos formatum Antiochenum prædictum Canonem cernebat Damaſus, nec diſtinguebat duo hæc genera Chorepiſcoporum, neque agnoſcebat vlla ratione quemcunque Chorepiſcopum poteſtatem ſuſcipere Epiſcopalem, niſi ex mera vſurpatione, ſuperbia & elatione; quod non diceret, ſi Canon Antiochenus Chorepiſcopos ad Epiſcopalem eueheret poteſtatem. Quam ſimiliter Epiſcopalem poteſtatem negant eis,*

Con-

& Concilium Neocæsariense suprà allatum, & quotquot de Chorepiscopis mentionem fecerunt. Adhibebatur itaque in faciendo Chorepiscopo cæremonia Episcopalis consecrationis, sed verè ad ordinem Episcopalem ille non proue-hebatur; non enim inuenio à tribus Episcopis talem consecrationem peragi solitam. Nugæ nugerrimæ pseudo-Damasus alios proculdubiò somniauit Chorepiscopos, quam de quibus agat Concilium Antiochenum: Etsi enim Concilium Antiochenum consecrandi Diaconos & Presbyteros potestatem Chorepiscopis adimat citra facultatem Episcopi ciuitatis, tamen Subdiaconos consecrandi absolutè eis concedit, & cum bona venia Episcopi etiam Presbyteros & Diaconos. Quare ex his nihil aliud colligi possit, quàm Vicariam potestatem habuisse in rebus maioris momenti, quod nos vltrò fatemur, cùm Vicarios faciamus vrbanorum Episcoporum, qui occupati in vrbana plebe regenda, eos rus allegabant, in eosque magnam iuris potestatisque suæ partem transferebant, vt rusticanis Sacramenta administrarent, & reliqua munia Episcopalia ruri obirent; non verò colligi possit nulla authoritate Episcopali fuisse. Quod verò addit Spalat. *Non inuenire se Chorepiscoporum consecrationem à tribus Episcopis peragi solitam*; quantum Damaso suo tribuat, ostendit. Hæc enim pseudo illius Damasi verba sunt: *Videtur mihi quod tunc non ab vno, sed à pluribus ordinabantur*; Neque contrarium suadet Antiochenus Canon, quo decernitur, vt *Coepiscopus ab Episcopo ciuitatis vel loci qui adiacet, ordinetur.* Neque enim Canon alios excludit, qui cùm Episcopo proprio manus imponát. Sed à proprio Episcopo pendere vult ordinationem, quippè cuius hortatu & inuitatu fiat, adhibitis Collegis qui eo inconsulto Chorepiscopum minimè consecrarent. Nec alicuius momenti est, quod addit Spalatensis: *Concilium Antiochenum celebratum Iulio Romano superstite, ac proinde verisimile ea audacia non fuisse, vt contra recentem Nicænum Canonem de non multiplicandis Episcopis, in vna Diœcesi alium Canonem ederent.* Diximus enim suprà mentem eos Concilij fortè interpretatos, vt magnæ Synodi decretum de Episcopis pari omninò dignitate eidem Ecclesiæ impositis, non verò de iis quorum alter ab altero penderet, intellexerint. Addo verò Antiochenorum Patrum, non fuisse adeò sinceram fidem (erant quippe fere omnes semi-Arriani) vt multùm tribuisse eos Nicænis Canonibus credere cogamur. Sanctissimum Concilium vocant initio, sed ad eam vocem exclamat interpres Lutheranus; *Hypocritæ verbis Concilium Nicænum extollunt: reipsa verò eiusdem præcipuum decretum de diuinitate Christi abolere conati sunt:* Et certò quoque certius est multa perperam odio magni Athanasij, quem perditum cuperent, edixisse, ac contra priscam Ecclesiæ disciplinam sanxisse. Sed & ipse Spalatensis superiùs vrgebat, *Etiam post receptum Canonem Nicænum multos veri nominis Episcopos, ab aliis Episcopis Collegas ascitos, ac in partem Curarum communicata dignitate vocatos*, quod & historiæ docent. Igitur multò magis fieri quoque potuit, vt aliqui ab iisdem pro rerum suarum necessitate adhiberentur, & in consortium regiminis assumerentur qui ab eis penderent: Nec enim insolens est in Ecclesia mos, vt vnus Episcopus in functionum sacrarum vsu ab alio pendeat, cùm & Augustinum Hippone, Valerio & Gregorium Sozimorum Episcopum Nazianzi Gregorio Patri concessisse, ac primas detulisse, nulli possit esse obscurum, quicquid dicat contrà Spalatensis. Hinc scilicet factum est, vt nulla imminutione dignitatis Episcoporum magnarum Diœcesibus sint eis suffraganei additi, qui illis adnitentibus

Scilicet id innuit χωρεπίσκ.

Eod. nu. 19.

Ehinger. ad prim. cap. Conc. Antioch.

vices eorum impleant, ac Pontificia munera eorum nomine exequantur. De his ſuprà.

Verùm itaque omnino eſt, vt ad inſtitutum reuertamur Chorepiſcoposolim Epiſcopos fuiſſe, vt quod eos in ordinem Preſbyterorum cogere Leo videatur præter genium, & mentem ſit magni Pontificis, cuius epiſtolam corruperit marginalis obſeruatio ab otioſo homine facta, quæ poſtea in contextum irrepſerit, de quibus omnibus videndus doctiſſimus Petauius ad Epiphanium, qui numeris omnibus abſolutam nobis dedit de Chorepiſcopis diſputationem. Veriſſimum quoque eſt poteſtatem habuiſſe initiandi Preſbyteros etiam & Diaconos, ſed non citra facultatem Epiſcopi, quibus ruri Vicarij eſſent. Quod verò ex ſuperioribus retexit Spalatenſis, *Poſſe Epiſcopum ad ſimilem ſui gradum Parochum euehere*, eſt ſuprà à nobis diſpunctum & exploſum, ſed quod addit, *Poſſe iam Chorepiſcopos creari inſtar illorum priorum*, non inficiamur. At Pontificis fuerit maximi, non priuati alicuius Epiſcopi de his ſtatuere.

DISCVSSIO

DISCVSSIO
DECIMI CAPITIS
LIBRI SECVNDI.
DE CÆLIBATV SACERDOTVM.

CONSPECTVS CAPITIS.

Extare legem Ecclesiasticam de Celibatu sacrorum ministrorum: Immanitatis & sæuitiæ immeritò postulari eius authores: Impudens Spalatensis dictum de Lupanaribus: Pius secundus, ac Panormitanus de Celibatu: Libidinis remedia in vno coniugio minimè posita: Matrimonium non pugnare cum ordine, sed eius actus à diuinis rebus abducere: Ac etiam officiis ministrorum aduersari. Quæ sint Deo litare: Propitiari numen: Sacris altaribus assistere, ac ministrare. Hæc diligentius expenduntur: Spalatensis Iouiniani sectator: De Maioribus & Minoribus ordinibus: Et primùm de Minoribus: In ijs esse Celibes, & non Celibes: Alexandri III. factum à calumnia vindicatum: De Maioribus ordinibus, & primùm quidem de Subdiaconis, ijs quoque positam legem continentiæ, non in sola Romana Ecclesia, priuata, sed vbique terrarum: Siculorum factum declaratum, sub Pelagio & Gregorio: Gratianus reiectus: Soluuntur argumenta Spalatensis: De Diaconis: Impositam etiam illis legem continentiæ: Canon Ancyranus explicatus: De Stephani Papæ Canone apud Gratianum: Falsissimum esse Syricium primum esse authorem continentiæ Diaconorum: De Presbyteris & Episcopis: Fraus Spalatensis in eorum Celibatu explicando: Testimonia Patrum pro eorum Celibatu: De Apostolis coniugatis: Vxores reliquisse: Soluuntur argumenta Spalatensis, contra Celibatum Episcoporum & Presbyterorum: Potissimùm quæ ex Apostolo hauriuntur: Soluuntur alia ex Canonibus: De aliquot Episcopis & Presbyteris, quos coniugatos vult fuisse Spalatensis: Rursus de lege Celibatus: Syricius à calũniis vindicatus: Spalatensem ex eodem ore calidũ & frigidum efflare in causa Syricij: Etiam Caluino fauere: Innocentij de Syricio iudicium: Concilium Carthaginense secundum, declaratum: Eius iudicio Celibatum Apostolos habere authores: Id omninò tenendum: Alternans Græcorum Cælibatus improbatus: De Concilio Agatensi: De duobus Turonensibus: De duobus aliis Toletano & Aurelianensi: Fraudes quædam Spalatensis notantur: Soluuntur argumenta quæ profert ex Patribus: Expenduntur exempla: Apostolus explicatus: De Gregorio VII. Germanorum Clericorum insolentia: Eorum obiectiones depulsæ: De Ecclesia Orientali: Non ponere laqueum animabus leges continentiæ: Quomodo intelligendum Presbyterum vxorem relinquere, non debere sub obtentu religionis: Dionysius Corinthiorum Episcopus declaratus: Item Origenes: Item Athanasius de Dracontio: De Paſnutio & Socrate: Baronius & Bellarminus defensi, de Concilio Gangrensi: De pseudo-Synodo Trullana & eius Canonibus: Iouiniano & Vigilantio fauisse: Synodi Elibertina & Turonatensis, & Aurelianensis explicata: Soluuntur noue obiectiones ex scriptura: Cælibatum nullam maculam inurere nuptiis: Coniugatis non licere absque licentia vxorum continentiam amplecti? Canon Stephano tributus, expensus: Charitas Ecclesiæ Romanæ in Græcos: Aliquot corollaria Spalatensis examini subiecta: Spalatensis coniugatos Antistites palpat: De Bigamis: Posse ordinari annuente Ecclesia: Dispunguntur solutiones Spalatensis ad nostrorum argumẽta: Spalatensis voluptuaria vox: Nuptiæ laudatæ, sed prælata virginitas.

Digitized by Google

Spalat. Num.1.

INISTRI Ecclesiæ, ac præsertim ipsius Rectores quinam sint vnde, & quomodo, & vbi suũ aut accipiant, aut exerceant munus, explicatum est à me hoc secundo libro nouem capitibus præcedentibus; iam verò quales esse debeant, & quinam apti vel inepti ad Ecclesiastica ministeria obeunda sint censendi, est differendum. Et quidem illiteratos iam excluſimus suprà cap. 4. diuites verò exagitabimus libro 9. Restat vt ex alis præcipuis conditionibus, quas Ecclesia in suo ministro videtur requirere, Cælibatus hoc loco à nobis expendatur; cuius occasione bigamiæ impedimentum apparebit: videamusque an ille, & plena continentia sit sacris ministris necessaria, & quo iure si præcipitur Clericis, illa præcipiatur. Nam de aliis conditionibus, siue irregularitatibus, quæ sacrum ordinem, siue accipiendum, siue acceptum exercendum impediunt erit in sequentibus libris, suis locis disputandum.

VM Vestali imprudenti hic olim versus excidisset, eumque scripsisset

Fœlices nuptæ, moriar, nisi nubere dulce est.

Ex Senecæ Controu. lib.6.

Rea facta est incesti, nec defuit qui exciperet *ô te supplicio omni dignam cui quicquam Sacerdotio fœlicius est*; nimirum exigua mercede virgo non erat, cui magistratus suos fasces summitterent, cui Consules Prætoresque via cederent, adeoque visum est, etiam sine stupro incesta quæ stuprũ cupiisset. Incesti ergo ac sacrilegij meritò damnandus Spalatensis, qui in ipso fastigio sacrorum positus, ac summi Sacerdotij insignioribus infulis decoratus voluptuariam doctrinam scripsit, qua abiiciendi Cælibatus, & eiurandæ pudicitiæ Sacerdotalis authorem se præbuerit, nec erubuerit his suas maculare cartas; *Ordinarius*, inquit, *moderatus & commodus matrimonij vsus multò habiliorem facit hominem, etiam ad diuina pacatiùs & tranquilliùs consideranda, & Deo quietiùs inseruiendum, imò & ad orationes deuotionesque extraordinarias feruentiores suo tempore fundendas.* Et paulò pòst. *Naturam consulamus, profectò fumus, qui non exhalatur totam domum perpetuò reddit fuliginosam; secus est si aptato camino erumperet. Et cerebrum obsessum occupatumque vaporibus cruditatum in stomacho indigestarum ineptũ est ad philosophandum. Quod si subinde à cruditatibus euacuetur, in debita conseruatur temperie ac perspicuitate.* Quid potuit à Iouiniano quem Epicurum Christianorum vocat Hieronymus, contumeliosius in virginitatem aut pudicitiam Sacerdotalem dici? Vbi igitur illud Ambrosij, *Semper spectauit ad gratiam Sacerdotum, iacere semina integritatis, & virginitatis studia prouocare?* Et tamen hic proprio se iugulat gladio Spalatensis: Fatetur enim Cælibatum decere Ecclesiæ ministros, tantummodò negat *vllam esse legem, quæ eius subeundi, aut seruandi necessitatem illis imponat*: Et quidem si legem diuinam intelligat, nos habet assensores; neque enim auscultamus aut Maiori, aut Clicthoueo, tradentibus legem continentiæ iure diuino præstitutam esse sacrorum Ministris; si verò legem quoque Ecclesiasticam intelligat, vt conspectus capitis, & sectio quarta planè indicant, se in summa legum Ecclesiasticarum, adeoque doctrinæ Patrum, ignoratione versari prodit. Si enim ad Cælibatum sacri ministri iure etiam Ecclesiastico non tenentur, quid igitur sibi vult Canon ille Neocæsarienſis Synodi,

Spalat. Num.90.

Ambr.l.3. de Virginib.

Spalat. Num.1.2.3.

Digitized by Google

di, *Presbyter si vxorem duxerit, ordine deponatur.* Quid item Elibertini Canon trigesimus tertius. *Placuit in totum Episcopis, Presbyteris Diaconibus, & Subdiaconibus positis in ministerio, abstinere se à coniugibus, & non generare filios, quod quicunque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur?* Quid quoque ille magnæ Nicænæ Synodi, *Interdixit per omnia magna Synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero est, licere subintroductam habere mulierem; nisi forte aut matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantùm personas quæ suspicionem effugiunt?* Scio recentiores Lutheranos animum induxisse vt crederent, hoc Canone non prohiberi, ne quis vxoratus sacro ministerio fungatur, sed interdici Clericis in cœlibatu spontaneo viuentibus, ne fœminas secum habitantes alant, cum quibus in suspicionem impudicitiæ venire queant. At præterquam quod hic quoque prohiberi vxores, docet fax Germaniæ Lutherus, magnus Basilius à nostra stat sententia epistola ad Paregorium; *Nec primi,* ait, *nec soli, Paregori, sanciuimus non debere mulierculas cohabitare viris.* Quod etiam Carthaginensis Synodi secundæ, Canon secundus probat. *Episcopos, Presbyteros, & Diaconos,* inquit sancta Synodus, *ita placuit, vt conuenit decet sacrosanctos Antistites, & Dei Sacerdotes, nec non & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inseruiunt, continentes esse in omnibus, quò possint simpliciter, quod à Deo postulant impetrare,* VT QVOD APOSTOLI DOCVERVNT, *& ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. Ab vniuersis Episcopis dictum est: Omnibus placet vt Episcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ custodes etiam ab vxoribus se abstineant.* Id rursum Toletanæ Synodi secundæ alio Canone firmatur. *Illud præterea speciali ordinatione decreuimus, quod nec antiqua Concilia in vniuersis penè Canonibus siluerunt, vt nullus Clericorum à gradu Subdiaconatus, & suprà, in consortij familiaritate habeat mulierem, vel ingenuam, vel libertam, vel ancillam: sed si sunt ei huiusmodi seruitia, matri, vel sorori, vel alicui propinquæ contradat: & quicquid suis manibus profecerit, proprio Domino deferatur. Aut si propinquitas memorata deest, alterius domus adhærentis habitaculum requiratur, dum modo nulla occasio introëundi domum Clerici, fœminæ permittatur, vnde aut laqueum possit incurrere, aut noxialis fama innocentiæ fortasse possit oriri.* Ac vt aliquando finiamus, Concilium Arelatense, hunc esse Canonis Nicæni sensum quoque ostendit: *Si quis,* inquit, *Clericus à gradu Diaconatus, in solatio suo mulierem præter auiam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conuersam secum vxorem habere præsumpserit, à communione alienus habeatur.* Item alio Canone; *Nullus Diaconus, vel Presbyter, vel Episcopus ad cellarij secretum intromittat puellam, vel ingenuam, vel ancillam.* Certè hic quoque se inconstantissimum prodit Spalatensis, namque volens nolens admittit *Ecclesiam suis ministris etiam interdum præcepisse continentiam,* adeoque *commune decretum totius Ecclesiæ* infra vocat; Quomodo igitur *ad Cælibatum iure etiam Ecclesiastico non tenentur?* Sed si Ministri Ecclesiæ lege Cælibatus non tenentur, quorsum eos, Patres tum Græci, tum Latini in hæc vincula immerito coniecerunt, ac parendi eis necessitatem imposuerunt? Durus scilicet Eusebius, adeoque Spalatensis iudicio, immanis, qui scripserit de demonstratione Euangelica. *Verumtamen,* inquit, *eos qui sacrati sunt, atque in Dei ministerio cultuque occupati, continere deinceps seipsos à commercio vxoris decet: qui autem non ad tantum assumpti sunt Sacerdotij munus, ijs idem sermo diuinus indul-*

Canon 1. Conc. Neocæsar. Πρεσβύτερος ἐὰν γαμήσῃ, τῆς τάξεως αὐτὸν μετατίθεσθαι.

Conc. Elib. Can. 33.

Conc. Nicæn. Can. 3. Ἀπορρίπτειν τελέως ἀπὸ μέλλοντος γαμεῖν ἢ μετὰ γαμοῦντος μήτε ὑποδιάκονον, μήτε διάκονον, μήτε ὅλως πρὸς τῷ θυσιαστηρίῳ λειτουργοῦντα, μήτε ἐν τῷ κλήρῳ ἑστῶτα συνοικεῖν ἔχειν τινὰ ὃν μὴ ἄρα μητέρα ἢ ἀδελφὴν, ἢ θείαν ἢ ἃ μόνα περίεστιν πρόσωπα τὰ ὑποψίας διαφεύγοντα.

D. Basil. ep. 198. ad Paregorium. Οὔτε πρῶτος, οὔτε μόνος ἐνομοθέτησα γυναῖκας ἀδελφὰς μὴ συνοικεῖν.

Conc. Carthagin. 2. Can. 2.

Conc. Tol. 2. Can. 2.

Conc. Arelat. 2. Can. 3.

Spalat. Num. 3. Num. 68.

Lib. 1. c. 9.

Digitized by Google

Epiph.hær.59. Καὶ γὰρ τῷ μὲν ὄντι οὐ λέγεται τὸ ἄγαμον τοῦ θεοῦ χάρισμα μηδ' ἐπὶ τοῖς καὶ γυνὸν ἐπιδημίαν τὸν ἀπὸ σαρκὸς τοῦ γάμου τελεσιουργίας ἢ αὐτὸν γυναικὸς ἀνδρὸς γάμου συναφθέντας, ἀλλὰ τὸ ἁγνὸν ἑαυτῶν καὶ ἀμόλυντον ἐν τῷ βίῳ τηρήσαντας, μιᾶς γυναικὸς ὄντας ἀνδρας, οὐ λέγω), ἀλλὰ καὶ ἀπὸ μιᾶς ὑπερτιθεμένους, ἢ γαμήσαντας, διάκονον ἢ καὶ πρεσβύτερον, καὶ ἐπίσκοπον, ἢ τὸν διάκονον, μέλλοντα ὅπου ἀκεκλεῖσθαι κανόνες αἱ ἐκκλησιαστικαί. Ambr.lib.1. offic.c.50. Hieron. l.1. cont.Iouin. Cyril. Hieroſo.Cat.12 Εἰσιτω γὰρ ἡμῖν ἀγροικότερον καὶ ἰδιωτικώτερον τῆς ἀγνείας ἐξ ἀγροῦ ἐξηλυθὼς ἀνὴρ ἀπαιδευτότερος· εἰ γὰρ ὁ τῷ ἱερῷ κλήρῳ ἐπιτιθεὶς ἀπόστολος ἀπὸ γυναικὸς, αὐτὸς ὁ ἱερὸς τοῦ ἁγίου ἐξ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς ἤρχεται; Inno. ep.4. Num. 2. Hier.ep.83. ad Ocean. Num. 4.

ger. Durus & immanis Epiphanius, cuius hæc ſunt verba; *Ita enim*, inquit, *profecto ſeſe res habet, vt poſt Chriſti in orbem terrarum aduentum, eos omnes, qui ſecundum priores nuptias mortuâ vxore alteris ſeſe nuptiis illigarint, ſanctiſſima Dei diſciplina reijciat: propterea quod incredibilis eſt Sacerdotij honor & dignitas. Atque iſtud ipſum ſacroſancta Dei Eccleſia, cum omni prouiſione diligentiaque ſeruat. Quin eum inſuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi ſit vnius vxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi aut Hypodiaconi ordinem admittit. Sed eum duntaxat qui ab vnius vxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus: quod in illis locis præcipuè fit vbi Eccleſiaſtici Canones accuratè ſeruantur.* Durus & immanis Ambroſius qui dixerit; *Inoffenſum exhibendum & immaculatum miniſterium, nec vllo coniugali coïtu violandum cognoſcitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipſo conſortio coniugali, ſacri miniſterij gratiam recepiſtis.* Durus & immanis Hieronymus, qui libro primo contra Iouinianum dixerit. *Petrus & cæteri Apoſtoli, vt ei ex ſuperfluo interim concedam, habuerunt quidem vxores, ſed quas eo tempore acceperant quo Euangelium neſciebant, qui aſſumpti poſtea in Apoſtolatum relinquunt officium coniugale.* Durus & immanis Cyrillus Hieroſolymitanus. *Decebat ſanè*, inquit, *puriſſimum puritatis doctorem ex puris prodire thalamis. Si enim qui apud Ieſum bene fungitur Sacerdotio, abſtinet à muliere: ipſe Ieſus quomodò ex viro & muliere proditurus eſſet?* Durus & immanis Innocentius, quamquam ab Auguſtino laudatus Pontifex, quippè qui edixerit; *Si conuicti fuerint Presbyteri, in Preſbyterio filos procreaſſe, à Sacerdotali remoueantur officio: quia qui ſancti non ſunt, ſancta tractare non poſſunt: atque alieni efficiantur à miniſterio, quod viuendo illicitè polluerunt.* Itaque immanitatis ac ſæuitiæ ſacras Synodos, & Patres omnes tum Græcos, tum Latinos poſtulat homo inuerecundus? Addit verò *nuptias ſacris myſteriis non aduerſari*, quod quàm ſapienter dictum ſit videro inferius, atque vt ſcenæ ſeruiat, Angliæque Antiſtites demereatur; *Plures Eccleſias optima ratione ſuos miniſtros, & habuiſſe, & habere coniugatos*, contendit; Ac vt ad ſummam impudentiam nihil deeſſe poſſit; criminatur *lupanaria* (apud ſcilicet Catholicos) *thalamis præferri.* At vt ab hoc poſtremò exordiar, quod os eſt illi cui religio non ſit, Hieronymi dictum, tam flagitiosè in Eccleſiam torquere? Homo eloquentiſſimus pungit eos qui Carterium bigamum dicerent, ac propterea Pontificatu indignum cenſerent, quod ſcilicet ante baptiſmum vxorem habuiſſet, ac ea mortua baptiſmate initiatus alteri nupſiſſet, ac quamquam irrito labore eorum refellere opinionem conatur, qui vxorem ante baptiſmum ductam, baptiſato imputarent, homini; *Omnia ſcorta*, inquit, *& publicæ colluuionis ſordes, impietas in Deum, parricidium, & inceſtus in parentes, atque in extraordinarias voluptates vtriuſque ſexus mutata natura, Chriſti fonte purgantur: vxoris inhærebunt maculæ, & lupanaria thalamis præferentur?* Quid hæc ad Cælibatus leges? An non, è proſtibulo, eſt calumniandi iſta libido? Addit neſcio quid & de Pio ſecundo à Platina acceptum; *Meritò (inquit) aliquando Pius ſecundus multis rationibus vxores Sacerdotibus eſſe ablatas aſſeruit: ſed pluribus iam rationibus eas videri eſſe ipſis reſtituendas.* Veſtigium nullum in ſcriptis Pij ſecundi apparet huius commẽti; Fortaſſe Platina hac fabula ſeipſum vltum iuit de Pontificibus, à quibus eſſet malè acceptus; Sed demus veram eſſe narrationem Sabellico quoque, ac Fulgoſio probatam, excidit proculdubio ea vox Pio ante initum

Digitized by Google

tum Pontificatum, ac proinde magni ponderis non est: namque si Pontifex renũciatus ita sensisset, qua erat potestate & authoritate in Ecclesia, omnino poterat, vel legem continentiæ abrogare, aut de ea tollenda ad Concilium Episcoporum, aut etiam ad Cardinalium sapientissimum consessum referre, quorum neutrum feciſſe legitur. Panormitanus scenam hanc quoque ornat; *Panormitanus*, inquit, *optimè sentit Ecclesiam bene facturam, si Sacerdotibus connubia permitteret: Ait enim, Credo pro bono & salute animarum, quod esset salubre statutum, vt volentes continere, & magis mereri, relinquerentur voluntati eorum, non volentes autem continere possint contrahere: quia experientia docente, contrarius prorsus effectus sequitur ex illa lege continentiæ, cùm hodie non viuant spiritualiter, nec sint mundi, sed maculentur illicito cœtu cum eorum grauissimo peccato, vbi cum propria vxore esset castitas, vt dicitur cap. Nicæna dist. 31. Verùm deberet Ecclesia facere sicut bonus medicus, vt si medicina experientia docente, potius officit quàm prosit eam tollat.* Si Panormitanus in aliam propenderet sententiam, *Leguleius*, audiret, quia verò causæ Spalatensis, seruire videtur eius pronunciatum, quamquam audax, & temerarium laudibus ornatur, ac eius iudicium Ecclesiæ iudicio anteponitur. Atqui isto legislatore non vtimur; Ac proculdubio præponderant rationes, quibus nostri probant sapienter omnino Ecclesiam cœlibatus legem tuliſſe, ac sacris ministris imposuisse. Cæterũ nemini vis infertur, nemo inuitus rapitur, sed cuique ante ritum sanctissimæ ordinationis liberũ est nubere, ac non nisi eos qui sua sponte se addixerint, lege continentiæ teneri volumus: at verò postquam initiari se procurauerint, & sacræ militiæ nomen dederint, ipsi sibi in posterum vitam cœlibem indixerunt, à qua si inito matrimonio postmodum exorbitarint, plectendi sint vt sacrilegi, non ferendi vt coniuges. Neque existimandum est in vno coniugio posita esse libidinis remedia, cùm etiam plures coniugatos libidinosissimos, & alieni thori peruasores habeamus; optimum & præstantissimum est ieiunium cum oratione coniunctum, quamquam vereor ne bellis istis antistitibus quos palpat, nõ probetur. Neque verò dicimus matrimonium per se cum sacro ordine pugnare, quippe qui Christianorum fœdus sanctissimum habeamus, sed coniugalis actus comitem libidinem, & thalamorum obscœnas voluptates, parum cum castissimis ministrorum functionibus consentire existimamus: his enim animus à diuinis rebus abducitur, & totus terrenis implicatur ac immergitur, vt propterea nulla capitalior pestis eius cogitari possit. Certè dictat lex naturæ vnicuique temperandum esse, ab his actionibus quæ cum officio eius pugnent, aut certè ipsum impediant, vel dehonestent; Coniugales verò illi amplexus vehementer impediunt officium Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum, (quare etiam Apostoli vxores suas, non solùm *ne impedimento essent suscipiendis peregrinationibus*, quod vult Spalatensis; sed quoque vt Christum expeditius sequerentur, reliquerunt) ipsosque sacros ordines valde dehonestant; quare par est vt ab his abstineant altaris ministri; Itaque laudatissima ratione sacris ministris hoc interdixit Ecclesia; Et vt de assumptione constet animo omnino reputandum est, hæc esse sacrorum ministrorum officia, *Incruentam victimam, magnum Christianorum sacrificium Deo litare, propitiari numen, sacris altaribus assistere ac ministrare, preces ad Deum fundere, in lege Dei iugiter meditari, verbum Dei prædicare, denique verbo & exemplo cæteris prælucere, populique salutem quoquomodo promouere.* Primùm igitur præcipua illa Sacerdotalis functio, quæ in sacrificando posita est, magnam omnino & animi, &

Panorm. in c. cum olim de Cler. coniug. & in c. omnes de pœnit. & remiſſ.

Ad num. 1.

Spalat. Num. 2.

corporis puritatem depoſcit, vt propterea ab omni ſenſu voluptatum remotos eſſe oporteat, qui in hoc ſe munus initiari patiantur. Audi Chryſoſtomum: *Porrò illum ipſum oportet tanto omnibus in rebus iis præſtare, pro quibus intercedit, quantò par eſt vt ſubditos præfectus excellat. Quum autem ille, & Spiritum ſanctum inuocauerit, ſacrificiumque illud horrore, ac reuerentia pleniſſimum perfecerit, communi omnium Domino manibus aſſiduè pertractato: Quæro ex te: quoto illum in ordine collocabimus? quantam autem ab eo integritatem exigemus? quantam religionem? conſidera enim quales manus hæc adminiſtrantes eſſe oporteat: qualem linguam, quæ verba illa effundat, qua denique re non puriorem ſanctioremve eſſe conueniat animam, quæ tantum illum tamque dignum ſpiritum receperit?* Audi Hieronymum: *Non dicit*, inquit, *Paulus: Eligatur Epiſcopus, qui vnam ducat vxorem, & filios faciat: ſed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni ſubditos diſciplina. Certè confiteris non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat: alioquin ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur. Aut permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem ſint virgines, quod mariti: aut ſi Sacerdotibus non licet vxores tangere, in eo ſancti ſunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum: Si Laïcus, & quicunque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio coniugali: Sacerdoti cui ſemper pro populo offeranda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum eſt, ergo ſemper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolùm in domibus ſuis non erant, ſed purificabantur ad tempus ab vxoribus ſeparati, & vinum & ſiceram non bibebant, quæ ſolent libidinem prouocare. Eliguntur mariti in Sacerdotium non nego: quia non ſunt tanti virgines, quanti neceſſarij ſunt Sacerdotes.* Audi Syricium: *Dominus Ieſus cùm nos ſuo illuſtraſſet aduentu in Euangelio proteſtatur, quia legem venerat implere, non ſoluere: & ideò Eccleſiam cuius ſponſus eſt, caſtitatis voluit ſplendore radiare, vt in die iudicij cùm rurſus aduenerit, ſine macula & ruga eam poſſit, ſicut per Apoſtolum ſuum inſtituit, reperire. Quarum ſanctionum Sacerdotes omnes, atque Leuitæ indiſſolubili lege conſtringimur: vt à die ordinationis noſtræ ſobrietati ac pudicitiæ, & corda noſtra mancipemus, & corpora, dummodo per omnia Deo noſtro in his, quæ quotidie offerimus, ſacrificiis placeamus. Qui autem in carne ſunt dicente electionis vaſe, Deo placere non poſſunt. Vos autem iam non eſtis in carne, ſed in ſpiritu, ſi tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Et vbi poterit niſi in corporibus ſanctis Dei Spiritus habitare?* Audi Innocentium primum. *Præterea*, inquit, *quod dignum, & pudicum, & honeſtum eſt, tenere Eccleſia omnino debet, vt Sacerdotes, & Leuitæ cum vxoribus ſuis non coëant: quia miniſterij quotidiani neceſſitatibus occupantur. Scriptum eſt enim: Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter.* Vides vt ſanctiſſimi Patres ſatis eſſe non ducant, ſi ab vxoribus abſtineant Sacerdotes, tantiſper dum ſacrificandi vices præterierint, quod Orientales ſeruant, ſed præterea eos exiſtiment ad hoc ordinatos, vt in ævum ſe velut Nazaræos, quoſdam Deo conſecrent, totumque vitæ ſuæ tempus intelligant dicatum, & conſecratum eſſe Domino, quod proinde totum impendant ad ſalutem populi, orando, ſacrificãdo, aliiſque diuinis exercitiis vacando, non autem certa tẽporum interualla rebus, aut actionibus ſecularibus attribuãt. Et verò diſparem eſſe Noui Teſtamenti miniſtrorũ, ac Leuitarum Tabernaculi conditionem oſtendũt, quod Leuitis propter generis propagationem, quippe quorũ vna Tribu ac ſtirpe Aaronica, totum illud vetus Sacerdotium cõprehenderetur, neceſſariò tẽpus aliquod vtendi*

Lib. 6. de Sacerd. c. 4. Εἰ δὴ τοσούτων ἀγαθῶν ἕνεκα δεῖ διὰ παντὸς, ποσοῦτο διαφέρειν ὀφείλομεν, ὅσοι τῶν προκειμένων ἐκείνοις. ὅταν δὲ καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καλῇ, καὶ φρικώδη θυσίαν ἐκτελῇ τις, καὶ τὸ κοινὸν πάντων δεσπότου χερσὶν ἐφάπτηται διὰ παντὸς τοῦ τάξοντος αὐτὸν, εἶτα μιαίνῃ; πόσῳ δὴ αὐτὸν ἁπαντάσεσθαι τῷ δεξομένῳ κελεύεις; ἐννόησον γὰρ ὁποίας τὰς παῦτα διακονούσας χεῖρας εἶναι χρὴ, ὁποίαν δὲ γλῶτταν τὴν ἐκείνῳ προσφώνουσαν τὰ ῥήματα· τίνος δὲ οὐ καθαρωτέραν καὶ ἁγιωτέραν, τὴν τοσοῦτο πνεῦμα ὑπὸ ξαυτῇ λαμβάνουσαν;

Hieron. l. 1. cont. Iouin. c. 19.

Syric. ep. ad Hime. Tarraco. c. 7.

Matth. 5. Rom. 8. 1. Cor. 3. 2. Cor. 6.

Innoc. 1. ad Victricium cap. 9.

Leuit. 20.

vtendi coniugij concedendum fuerit. Iam verò nulli ſtirpi addicto nouæ legis Sacerdotio diſpar miniſterium, diſpares mores conſequantur, neque iam noſtris Sacerdotibus illæ temporum vices vlla ratione concedi debeant. Secundum of- 1. Cor. 7.
ficium eſt orare; Coniuges autem, vt ſignificat Paulus, quando vacant orationi ex conſenſu ad tempus abſtinere debent: Igitur miniſtri altaris, quibus ſemper orandum eſt, ſemper & omnino à coniugio abſtinendum erit. Hac ratione vti- 1. Pet. 3.
tur Origenes. *Si oratio*, inquit, *iuſti ſicut incenſum offertur in conſpectu Domini*, Orig. hom. 23. in Num.
& eleuatio manuum eius ſacrificium eſt veſpertinum: dicit autem Apoſtolus ijs, qui 1. Cor. 7.
in coniugio ſunt: Nolite fundare inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus, vt vacetis orationi, certum eſt quia impeditur indeſinens ijs, qui coniugalibus neceßitatibus ſeruiunt. Vnde videtur mihi, quod illius eſt ſolius offerre ſacrificium indeſinens, qui indeſinenti & perpetuæ ſe deuouerit caſtitati. Perſequitur Hieron. *Si Laïcis*, Hier. in c. 5.
inquit, *imperatur, vt propter orationem abſtineant ſe ab vxorum coïtu: quid de Epi-* ep. ad Tit.
ſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis populique peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas? Relegamus Regum libros, & inueniemus Sacerdotem Abimelech de panibus propoſitionis noluiſſe prius dare Dauid, & pueris eius, niſi interrogaret vtrum mundi eſſent pueri à muliere, non vtique aliena, ſed coniuge. Et niſi eos audiſſet ab heri, & nudiustertius vacaſſe ab opere coniugali, nequaquam panes, quos prius negauerat, conceßiſſet. Tantùm intereſt inter propoſitionis panes & corpus Chriſti, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa quæ per exemplaria præfigurabantur. Quomodo itaque manſuetudo, patientia, ſobrietas, &c. præcipuè debent eſſe in Epiſcopo, & inter cunctos Laïcos eminentia: ſic & caſtitas propria, & (vt ita dixerim) pudicitia Sacerdotalis, vt non ſolùm ab opere ſe immundo abſtineat, ſed etiam à iactu oculi, & cogitationis errore mens Chriſti corpus confectura ſit libera. Tertium officium eſt *aßidua meditatio legis diuinæ*, quam res coniugalis mirum in modum impedit & interturbat, vt proinde tam hîc quàm in cæteris officiis ſedulò ſpectandum ſit illud Apoſtoli; *Qui cum vxore eſt ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quo-* 1. Cor. 7.
modo placeat vxori, & diuiſus eſt: contra verò *qui ſine vxore eſt, ſollicitus eſt quæ Domini ſunt quomodo placeat Deo*, hoc eſt interprete Cypriano; Cœlebs *ea co-* Cyp. de habitu virg. & l. 3. teſt. c. 2.
gitat quæ ſunt Dei, quomodo placeat Deo, id vnum quærit ac ſatagit, vt ſe Deo probet, eiuſque gratiam ineat. Intueamur, inquit Hieronymus contra Iouinianum, Hieron. l. 1. cont. Iouin.
curarum virginis, maritique diſtantias, Virgo Domino, maritus vxori placere deſiderat: & vt vxori placeat, ſollicitus eſt de ijs quæ ſunt mundi, quæ cum mundo vtique tranſitura ſunt: & diuiſus eſt, in multas ſcilicet ſollicitudinum partes, miſeriarumque diſtractus. Quartum eſt, quamquam non omnibus ordinatis commune, *prædicandi verbi Dei officium*, cuius & dignitatem minuit, & efficacitatem impedire videtur coniugij ſtatus, cùm vix fieri poſſit, vt cohortans fideles ad perpetuam continentiam audiatur, qui ipſe non continet, neque verò is cum Apoſtolo dicere poterit, *Volo autem vos omnes eſſe ſicut meipſum.* Propterea idem Apo- 1. Cor. 7.
ſtolus Timotheum monet; *Exemplum*, inquit, *eſto fidelium in caſtitate.* Caulam hanc agit Ambroſius in officiorum libris. *Inoffenſum*, inquit, *exhibendum & im-* Ambr. lib. 1. offic. c. vlt.
maculatum miniſterium, nec vllo coniugali coïtu violandum cognoſcitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipſo conſortio coniugali, ſacri miniſterij gratiam recepiſtis. Quod eò non præterij, quia in pleriſque abditoribus locis cùm miniſterium gererent, vel etiam Sacerdotium, filios ſuſceperunt, & id tanquam vſu

veteri defendunt, quando per interualla dierum ſacrificium deferebatur, & tamen caſtificabatur etiam populus per biduum aut per triduum, vt ad ſacrificium purus accederet, vt in veteri teſtamento legimus: & lauabat veſtimenta ſua. Si in figura tanta obſeruantia, quanta in veritate? Diſce Sacerdos atque Leuita, quid ſit lauare veſtimenta ſua, vt mundum corpus celebrandis exhibeas Sacramentis. Si populus ſine ablutione veſtimentorum ſuorum prohibebatur accedere ad hoſtiam ſuam, tu illotus mente pariter & corpore audes pro aliis ſupplicare, audes pro aliis miniſtrare? Exod.19. Accedunt Paſtorales ſollicitudines, pauperum curæ, & alia innumera, quibus totum ſe dare non poteſt, quin eum vxoris & liberorum cura diſtrahat; Certè valet hîc quoque, locus Apoſtoli, *Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſecularibus*, vt planè ſacro miniſtro illud ſit vſurpandum,

Caſtra peto, valeat Venus, valeantque puellæ.

Poſt iſta Patrum iudicia, poſt tanti ponderis rationes ab eis prolatas & probatas, miror Spalatenſi eam excidiſſe vocem etiam laruato Epiſcopo indignam. *Neque pauciores, neque debiliores poſſe contrà alias rationes proponi & agitari, quæ nuptias perſuadeant Clericis, vt fortaſſe pluribus nominibus, non modò vtiles, ſed planè etiam ad vitanda multa ſcandala, mala, & peccata neceſſarias. Quæ ſimiliter rationes poſita humana fragilitate, effecerunt, & efficiunt, vt multæ Eccleſiæ ſuos miniſtros habuerint, & habeant coniugatos.* SPALAT. Num. 4. Hæc vt oſtendam ad Iouiniani, voluptuarij hæretici, erroré accedunt. Sed iam vt plenis velis in nos inuehatur, ordines Eccleſiaſticos in duas partitur claſſes, maiorum ceu ſacrorum, & minorum ſeu eorum qui ſacri non ſunt, ac primùm de minoribus, ac non ſacris agit duabus integris ſectionibus ſexta & ſeptima, in quarum priore nihil eſt quod nos lædat: Vtcumque enim Eccleſia miniſtris etiam huius ordinis, qui non ſint matrimonij nexibus implîciti delectetur, non tamen reiicit Lectores, Cantores, Oſtiarios, Acolythos, &c. qui vxoribus addicti caſtitatem coniugalem ſeruant: & quamquam hic omnis generis merces nobis obtrudit probamus, tamen quod ſacris Canonibus proditur conſtitutum. Non igitur reiicimus, quod Conſtitutionibus Apoſtolorum dicitur præſcriptum; *Cantores, Lectores*, inquiunt Patres harum Conſtitutionum authores, *Oſtiarios vnius vxoris viros eſſe iubemus. Si ante nuptias ad Clerum venerunt, concedimus eis, vt vxores ducere poſſint, ſiquidem hoc expetent:* Hoc enim decreto Oecumenicæ Synodi Calchedonenſis firmatur; *Quoniam*, inquiunt Patres, *in quibuſdam Prouinciis conceſſum eſt Lectoribus, & Pſalmiſtis vxores ducere, ſtatuit ſancta Synodus, non licere cuiquam ex his accipere ſectæ alterius vxorem. Innuptis autem qui ad Clerum profecti ſunt, præcipimus, vt ſi voluerint vxores accipiant, ſed Lectores Cantoreſque tantùmodo.* Bene etiam volumus, intelligi quoq; reliquos minores, atque omnium parē eſſe rationē concedimus. *Vnde & Syricius; Lector, inquit, qui ab acceſſu adoleſcentiæ, vſque ad triceſimum ætatis annum probabiliter vixerit, vna tantùm, & ea quam virginem accepit vxore contentus, Acolythus & Subdiaconus eſſe debebit. Et Gregorius; Si qui ſunt, inquit, Clerici extra ſacros ordines conſtituti, qui ſe non poſſunt continere, ſortiri vxores debent. Et ſpecialem Romanæ Eccleſiæ, vſum exponit Leo IX. ita ſcribens, Clericos tantùm, Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, Acolythos, ſi extra votum & habitum monachi inueniantur, & continentiam profiteri noluerunt, vxorem ducere virginem, cum benedictione Sacerdotali permittit. Et Concilium Carthaginenſe 3. c. 19. Lectores, inquit, cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur aut vxores*

SPALAT. Num. 5. 6. & 7.

Conſtit. Apoſt. l. 6. c. 17.

Cōc. Chalcedon. Can. 14. habetur act. 15.

Βιβλίον τῶν ὑποτεχόντων συλλειτουργεῖν τοῖς ἱερωμένοις, ἢ ψάλταις γαμεῖν ἔξεστιν ἢ ἄλλα ταῦτα, ἐὰν βούλωνται τὰ ἑαυτῶν ἐπιτρέπομεν γυναῖκα λαμβάνειν. Can. 27.

SPALAT. Num. 6.

Syric. ep. 1. cap. 9.

Diſt. 32. ca. Si qui verò

Cap. Seriatim ea.

Cap. Lectores ea.

ducere,

Digitized by Google

ducere, aut continentiam profiteri. Et Trullani Patres; Si quis (inquiunt) eorum qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinem Subdiaconatus faciat. Et Vrbanus secundus Clericos qui infra Subdiaconatum, vxores virgines duxerint, ad sacros admittit ordines. Sed quod Alexandrum tertium qui inferiorum ordinum ministros Cœlibatui adigendos in Anglia duxerit, vellicat, audaciam eius prodit, ac ingenij procacitatem. Namque Pius Pontifex resciuerat Britannos Clericos contemptis legibus Ecclesiasticis, vitæ voluptuariæ laxasse habenas, quare vt in ordinem cogeret, primum aduersus eos qui scorta alerent edixit, ac demum tanquam rem honestissimam præcipit, *Vt qui Cælibatui non essent addicti, & vxores haberent, diuinis ministeriis, à quibus illæ matrimonij curæ eos auocarent, nuncium remitterent, ac beneficiis cederent, vt familiæ suæ administrandæ operam suam impenderent.* An non igitur ex vna quidem parte honestissimum, ex altera verò iustissimum fuit hoc almi Pontificis decretum? Quod enim addit Spalatensis, *Auaritiam & ambitionem, non deuotionem, aut puritatis amorem, Clericos minores facere quidem Cælibes, sed adulteros & fornicarios,* non est legi Ecclesiasticæ, sed hominum improbitati ascribendum; si enim sanctionibus Ecclesiæ morem gererent, vtique & Cælibes & casti in Clericatu versarentur. Et hæc quidem de inferioribus ac minoribus ministrorum ordinibus, à quibus, ad Subdiaconorum ordinem, gradum facit. Principio igitur omnino probè de Subdiaconis loquitur; *Subdiaconos,* inquit, *& consequenter Diaconos, ac Presbyteros, & Episcopos, qui in horum ordinum susceptione vxores non haberent, post ordinem susceptum, ad ducendam vxorem facultatem non habuisse satis constat, etiam in Ecclesia Orientali ex Canonibus paulò antè recitatis, in quibus solis minoribus infra Subdiaconatum permittitur, vt si velint vxores ducant. Igitur id Subdiaconis, & superioribus ordinibus Ecclesiasticis statutis inhibitum intelligitur.* Sed quod addit est examini subiiciendum. *Si tamen Clericus coniugatus,* inquit, *ad Subdiaconatum promotus fuisset, Ecclesia Romana, & quædam aliæ ante tempora Gregorij magni, vxoris vsum ei negabant: Reliquæ verò passim Ecclesiæ, etiam in nostro Occidente vsum vxorum Subdiaconis istis non negarunt; vt patet ex epistolis Gregorij; qui fatetur in Sicilia consuetudinem fuisse, vt Subdiaconi suis licitè miscerentur coniugibus.* Namque Ecclesiis orbis terrarum imponit, & falsò de Cælibatu Subdiaconorum, contraria illis Romanam sensisse pronunciat. Verum quidem est Pelagij primi, ac Gregorij seculo Siculos à Patrum regulis deflexisse, ac propterea à Pelagio paulò seueriùs tractatos, cuius tamen rigorem Gregorius temperarit, sed in sola Romana, ac ad eam Metropolim pertinentibus Ecclesiis viguisse, & à Gregorio post Pelagium primum prodiisse legem, quæ iuberet Subdiaconos, ab vxorum suarum amplexibus abstinere, tam est falsum, quàm verum est, quicquid blatteret Spalatensis, hac de re rectè sensisse Bellarminum, ac omnino bene Romanæ Ecclesiæ morem, totius Ecclesiæ morem interpretatum fuisse. Namque, præterquam quod reliquæ Ecclesiæ vnius Romanæ, quod de se suaque Mediolanensi Ambrosius professus est, typum & formam semper sunt secutæ, constat ante Gregorij ac Pelagij tempora legem Ecclesiasticam extitisse, qua ad continentiam Subdiaconi obligarentur, ac astringerentur, neque in Occidente modò, sed & in Oriente quoque eâ legem obtinuisse. Testis nobis ex Oriente Epiphan. *Ita enim profectò,* inquit, *se res habet, vt post Christi in orbem terrarum aduentũ, eos omnes qui secundum priores nuptias mor-*

Cap. Si quis ea.

Cap. Nemo ea.

Alexand. 3. defenditur.

Ep. ad Cant. Archiep. In Conc. Later. p. 18. c. 2. 3. 6.

SPALAT. Num. 8.

Dist. 28. c. 2.

Dist. 32. c. 1.

Conc. Aurel. 3. c. 2.

Gregor. l. 3. ep. 34. habetur 27. q. 2. c. multorũ.

Bellar. de Cler. li. 1. c. 21.

SPALAT. Num. 9.

Epiphan. hæres. 59. καὶ γὰρ τῷ ὄντι, ὡς ἔχει τὸ ἀληθὲς ἀπὸ τῆς ἀναστάσεως, &c.

ἀλλὰ πάντως ἐρῶ μοι, ἵνα πᾶσι τὰ πρέποντα Πρεσβυτέροις, καὶ Διακόνοις, καὶ Ὑποδιακόνοις. τοῦτο οὐ περὶ τῶν Κανόνων, ἀλλὰ περὶ τῶν ἀνθρώπων ἡ ἀμαθία ἐστὶν αἰτία· καὶ τῶν κλήρων ἐνίοις, μὴ εὐσταθούσης τῆς ἐκκλησίας. τὸ πρεπωδέστερον δὲ, ἀπὸ τῆς ὅλης ἐκκλησίας ὁρῶσα ἀκριβῶς πνεύματι διατυχθῆναι, ἵνα ἀπέχωσι τῶν γαμετῶν ὑφ' ὧν τὰς παιδίας ἐπιτελεῖσθαι εὐσπουδάζουσι, καὶ τὰ πνεύματα ἐξ ἀρχῆς μὴ πάντες εὐσταθοῦντα παντάπασιν πλημμελοῦσι.

tuâ vxore alteris ſeſe nuptiis illigarint, ſanctiſſima Dei diſciplina reijciat; propterea quod incredibilis eſt Sacerdotij honor & dignitas. Atque iſtud ipſum ſacroſancta Dei Eccleſia, cum omni prouiſione diligentiaque ſeruat. Quin eum inſuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi ſit vnius vxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit. Sed eum duntaxat qui ab vnius vxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus: quod in illis locis præcipuè ſit vbi Eccleſiaſtici Canones accuratè ſeruantur. At enim nonnullis adhuc in locis Presbyteri, Diaconi, ac Hypodiaconi liberos ſuſcipiunt: Reſpondeo non illud ex Canonis authoritate fieri; ſed propter hominum ignauiam, quæ certis tẽporibus negligenter agere, aut conniuere ſolet; ob nimiam populi multitudinem: cùm ſcilicet qui ad eas ſe functiones applicent, non facile reperiuntur. Quod ad ipſam quidem Eccleſiam attinet, ea, vt pote à Spiritu ſancto bene ordinata atque conſtituta, quod decentius eſt omnibus in rebus conſiderans, ei rei ſtudere potiſſimùm inſtituit, vt quæ diuino numini miniſteria præſtantur, nulla re quoad fieri poteſt diſtrahantur, vtique ſpiritualia omnia officia quam optima lætiſſimaque conſcientia gerantur. Teſtes nobis ex Occidente Patres Concilij Elibertini. *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & non generare filios. Quod quicunque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* Itaque horum Patrum teſtimonio, vel luce meridiana clarius fit longè ante Gregorij, aut Pelagij tempora viguiſſe legem, qua ad cœlibatum etiam Subdiaconi obligarentur, & proinde conſtat Siculos à priſcis inſtitutis receſſiſſe, ac à lege orbis terrarum exorbitaſſe, quod ab aliis quoque factum conqueritur Epiphanius. Nec dubito Siciliam vicinam ac finitimam Græciæ eius venena hauſiſſe, quare cùm primi, quod ſciam, cœlibatus leges infregerint ac violarint Græci, fieri potuit vt mala eorum contagia Siculos læderent, & ab eo quod rectum eſſet, aberrare facerent; Reduxit eos in viam Gregorius bonus vtique medicus, qui tali tempore tantam licentiam leniendam magis, quàm acerbius exagitandam duxerit. Tentarat acriora remedia Pelagius, ſed parum fœlici ſucceſſu, quare leuioribus ſibi vtendum exiſtimauit Gregorius. Rem ſic ille narrat. *Multorum (inquit) relatione comperimus, hanc apud vos olim conſuetudinem tenuiſſe, vt Subdiaconi ſuis licitè miſcerentur coniugibus. Quod ne denuo quiſquam præſumeret à ſeruo Dei ſedis noſtræ Diacone, ex authoritate noſtri deceſſoris eſt iſto modo prohibitum: vt eodem tempore hi, qui iam vxoribus fuerant copulati, vnum ex duobus eligerent, id eſt aut à ſuis vxoribus ſe abſtinerent, aut certè nulla ratione miniſtrare præſumerent. Et quantum dicitur; Specioſus tunc Diaconus pro hac re ab adminiſtrationis ſe ſuſpendit officio, & vſque in obitus ſui tempus notarij quidem geſſit officium, & à miniſterio, quod Subdiaconum oportuerat exhibere, ceſſauit. Poſt cuius obitum, quia relicta eius Honorato marito eſt ſociata à tua eam fraternitate in monaſterio cognouimus eſſe deputatam. Ideoque ſi, vt fertur, eius ſe maritus ab adminiſtratione ſuſpendit, antedictæ mulieri non debet officere, quod ad ſecundam coniugij copulationem migrauit: præſertim ſi non tali mente Subdiacono iuncta eſt, vt à carnis voluptatibus abſtineret.* Non ſolùm verò Concilij Elibertini, aut Epiphanij teſtimonio conſtat lege quadam Eccleſiaſtica, nã abuſus nihil moramur, ante Gregorij aut Pelagij tẽpora indictum etiam Subdiaconis cœlibatũ; Sed idipſum quoque magni Leonis teſtimonio firmatur epiſtola ad Anaſtaſium Epiſcopum Theſſal. *Nam*, inquit, *cùm extra Clericorũ ordinem conſtitutis, nuptiarũ ſocietati,*

Can. 33.

Ep. 34. lib. 3.

Leo ep. 84. c. 4.

&

& procreationi filiorũ ſtudere ſit liberum: ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconus quidem connubium carnale conceditur: vt & qui habent, ſint tanquam non habentes; & qui non habent permaneant ſingulares. Quod ſi in hoc 1. Cor. 7. *ordine, qui quartus à capite eſt, dignũ eſt cuſtodiri: quantò magis in primo aut ſecundo vel tertio ſeruandum eſt, ne aut Leuitico miniſterio, aut presbyterali honore, aut Epiſcopali excellentia quiſquam idoneus exiſtimetur, qui ſe à voluptate vxoria nec dum frænaſſe detegitur?* Scripſit porrò iſta ad Theſſalonicenſem Epiſcopum ac Legatum, qui ea executioni in Orientis partibus demandare teneretur. An non igitur ſubleſta fide, Bellarmini fidem accuſat ac traducit Spalatenſis, quaſi priuatæ Eccleſiæ Romanæ morem, vniuerſæ Eccleſiæ conſuetudinem fecerit? At inquit Spalatenſis Gratiani iudicium eſt, *nondum fuiſſe inſtitutum vt Sacerdotes in Subdiaconis, vt interpretatur Gregoriana annotatio, continentiam ſeruarent*, ſed patiatur nos tantiſper à Gratiani quem ſexcentis locis inſcitiæ ac etiam audaciæ poſtulat, placitis recedere, quippe qui contrariæ ſententiæ aſſertores habeamus meliores, & ſapientiores authores. Molliuerunt eius dictum doctiſſimi decreti Correctores, ac oſtenderunt plerumque, nomine eorum qui ſacra contrectent, haud ſolos Sacerdotes, verumetiam Subdiaconos, ſignificari; Sed ne ſic quidem rectum ſapit, quamquam de Subdiaconis dumtaxat ſcripſiſſe Gratianum propius à vero abeſt. Sed fortiora ſunt quibus nos iam impetit aduerſarius. *In Concilio ſanè Carthaginenſi 2.* inquit, *ſecundus Canon eſt huiuſmodi, Aurelius Epiſcopus dixit: Cùm in præterito Concilio de continentiæ & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres, qui conſtructione quadam caſtitatis per conſecrationes adnexi ſunt, Epiſcopos inquam Presbyteros & Diaconos. Idem de his tribus tantùm gradibus præcipitur etiam in Concilio quinto Carthaginenſi c. 3. & repetitur in Africano c. 37. Videlicet; Præterea cùm de quorundam clericorum, quamuis erga vxores proprias incontinentia referretur, placuit Epiſcopos, & Presbyteros & Diaconos ſecundum propria ſtatuta etiam ab vxoribus continere. Quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico remoueantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi; ſed ſecundum vniuſcuiuſque Eccleſiæ conſuetudinem obſeruari debere. Hunc Canonem Gratianus, ſiue quis alius,* inquit, *corruperat, additione Subdiaconorum: ſed Correctores meritò Subdiaconos expunxerunt. Non igitur eo tempore Subdiaconi hac lege erant incluſi. Zacharias Papa inter multa capita reſponſionum ad Pipinum, ita ponit vndecimum. Qui clerici etiam ab vxoribus abſtinere debeant, ex Concilio Africano c. 37. ita continetur: Præterea cùm de quorumdam, &c. ad verbum vt non hic poſuimus. Et ad Bonifacium idem Zacharias ſic ſcribit, Sacerdotes à die ſuſcepti Sacerdotij, ab ipſo proprio coniugio prohibendi ſunt. Variæ igitur erant Eccleſiarum conſuetudines circa Subdiaconorum continentiam; quæ non erat ſub præcepto vniuerſali, niſi Epiſcopis Presbyteris, & Diaconis; vt Syricius etiam conſtituit. Concilium Toletanum primum, Lectores vxoratos, imò & bigamos, qui viduas duxiſſent, ad Subdiaconatum permittit aſſumendos.* Ad primum reſpondeo Concilio Carthaginenſi ſecundo, ac aliis proculdubio intellectos Subdiaconos Diaconorum & Leuitarum nomine, quod ipſi vna cum Diaconis altari aſſiſtant, ac Sacerdoti miniſtrent, Propterea namque poſtquam in Concilio Carthaginenſi Aurelius dixiſſet; *Cùm in præterito Concilio, de continentiæ & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres qui conſtrictione quadam caſtitatis, per conſecrationes adnexi ſunt. Epiſcopos, inquam, Presbyteros & Diaconos,* Fauſtinus ſubjecit: *Placet vt Epiſcopus, & Presbyter, & Diaconus, & omnes qui ſacra contre-*

Eod. nu. 9. Diſt. 31. c. Epiſcopus. Et diſt. 84. c. cùm in præterito.

Diſt. 84. c. Cùm de quorundã.

Diſt. 32. Placuit.

Zach. ep. 1.

ctant (vides hic & ipſos deſignari Subdiaconos) *pudicitiæ cuſtodes ab vxoribus abſtineant*. Demum ab omnibus Epiſcopis acclamatum eſt, *Placet vt omnes ſeruent continentiam, qui altari aſſident ſeu ſeruiunt*. Altari autem aſſediſſe, ac ſacra contrectaſſe Subdiaconos, vel ex Canone quinto quartæ Synodi Carthaginenſis, quo eius ordinandi ritus præſcribitur, didicerit ; quare non eſt quod verba Concilij ſcilicet, *cæteros clericos, ad hoc non cogi*, ad ipſos quoque Subdiaconos flectat Spalatenſis, cùm de Clericis in minoribus vt loquuntur, conſtitutis, omnino loquatur Synodus. Immeritò ergo Gratianus ſua adiectione eum Canonem corrupit, & ſummo iudicio eſt Subdiaconorum nomen expunctum, cùm Diaconos tantùm dixerit Concilium, quorum tamen appellatione etiam Subdiaconos intellexiſſe Patres, veriſimile nobis videtur. Rectè ergo non nemo docuit, quod quidam canones antiquiores de Subdiaconis tacent, non ideo factum quaſi non eos communi lege continentiæ cum Preſbyteris & Diaconis aſtrictos velint. Sed quod plerumque Diaconorum etiam nomine comprehendantur. Proculdubio Zachariæ Papæ temporibus vigebat lex cœlibatus in Subdiaconorũ ordine, cùm aliquot retrò ſeculis de ea non ſolùm Gregorius in Italia, ſed in Galliis quoque Concilium Aurelianenſe tertium, Turonenſe ſecundum, ac in Hiſpania Toletanum ſecundum de his cenſuerint, tamen Concilij quinti Carthaginenſis Canoni nihil addendum duxit laudatiſſimus Pontifex, quod Subdiaconos Diaconorũ nomine etiam ſignificari eſſet illi perſpectum. Et quidem ipſe Leo cuius apertiſſimum de Subdiaconis iudicium ſuprà recenſuimus, alio loco de cœlibatu miniſtrorum verba faciens, etiam Subdiaconos præteriit, contentus dixiſſe, *Lex continentiæ eadem eſt miniſtris altaris, quàm Epiſcopis atque Presbyteris*, nulla facta mentione Subdiaconorum, cùm tamen etiam *gradus Diaconij* ſuperiori capite meminiſſet ; Non nego tamen varias fuiſſe per orbem conſuetudines, ac in exigenda lege cœlibatus mitiùs actum cum Subdiaconis quàm cum reliquis ſacris miniſtris, quod ſcilicet in infimo ordine eſſent cõſtituti, ſed *leges de eorum continentia ante Gregorium primum non fuiſſe*, negamus, atque pernegamus, quare inſulsè omnino quod de Romanæ Eccleſiæ conſuetudine dixit Gregorius, ad ſolas Eccleſias Romanæ metropoli ſubiectas refert Spalatenſis, etiam Bellarmino hac parte iniquior. Certè ſi priuatæ Romanæ Eccleſiæ ea fuiſſet conſuetudo, reliquas Eccleſias non obligaſſet, ac impotentius Gregorius de ea à Siculis obſeruanda ediciſſet, cùm tamen factum eius probarint, vt ex inſecutis de ea re canonibus colligere fas eſt. Tamen infractores legum & ſacræ pudicitiæ temeratores profert Spalatenſis, quorũ exemplo probet non obtinuiſſe in reliquis Eccleſiæ Gregorij ſanctionẽ; ex reſcripto ſcilicet Alexandri tertij ad Epiſcopũ Salernitanũ. Ex quo tamen nihil aliud habetur, quàm fuiſſe pleroſque Subdiaconos, addo etiá Diaconos & Presbyteros, qui peſſundato Canone Eccleſiaſtico vxorum amplexibus indulgerent. *Super eo quod aſſeris*, inquit, *quoſdam viros tuæ iuriſdictionis, in ſacris ordinibus conſtitutos, matrimonium contraxiſſe, hoc tuæ prudentiæ reſpondemus, quod ſi qui in Diaconatu, & ſupra matrimonium contraxerint, cogendi ſunt vxores dimittere, & continenter viuere; ita quod poſt actum pœnitentiam, ex diſpenſatione poſſint in ſuis ordinibus miniſtrare. Si verò Subdiaconi contraxerint matrimonium, eos, dummodo ante tales fuerint, quod timendum ſit, ne pro vna pluribus abutantur, diſſimulare poteris, cum ſuis mulieribus remanere : quia tolerandum eſt malum, vt peiora vitentur*. Sed legibus & conſuetudine in Eccleſia recepta non priuatorum à recto tramite aberrantium exemplis

Epiſt. 92. ad Ruſt. Nar. Ep. c. 3.

Num. 10.

Apud Bar. tom. 12. an. 1102. In Conc. Lat. p. 18. c. 4.

exemplis aut viuimus aut nitimur; & ſupra Epiphanij querelam de violato à clericis Eccleſiæ Canone, & temerata ſacra pudicitia recenſuimus; Fateor tamen maiore indulgentia erga Subdiaconos, quàm erga reliquos ſacros miniſtros, ſemper vſam Eccleſiam, vt ſupra quoque monui, & rationem addidi; & tamen hic quoque Planum agit Spalatenſis; vult enim *Gregorium & eum ſequutum Vrbanum ac alios Pontifices, ſuum de cælibatu Subdiaconorum decretum extra Prouinciæ Romanæ fines non extendiſſe.* Quid eſt igitur quod Gregorius tantoperè vrget *Apoſtolicæ ſedis* exemplum, cui illi ſe conformare teneantur? An *Apoſtolicam ſedem* intra Siciliæ fines cohibuit magnus Pontifex? Nugæ. Certè poſtquam benignius cum Siculis agens vſum vxorum illis permiſiſſet, qui legem continentiæ apud ſuos non inuenerant, neque caſtitatem promiſerant, de iiſdem ſtatuit, *vt ſi ſe deinceps continere nollent, ne ad vlteriorem ordinem promouerentur, quia, inquit, nullus debet (hæc ad ſolos Siculos non pertinent) ad miniſterium altaris accedere, niſi cuius caſtitas ad ſuſceptum miniſterium fuerit approbata.* Vrbani verò Sanctio quâ ad omnes ſe fundit? Seueriſſimo decreto vnà cũ Synodo Melphitana ſanxerat; *Porro eos qui in Subdiaconatu vxoribus vacare voluerint, ab omni ſacro ordine remouemus, officio atque beneficio Eccleſiæ carere decernimus. Quod ſi ab Epiſcopo commoniti non ſe correxerint; Principibus licentiam indulgemus, vt eorum fœminas mancipent ſeruituti. Si verò Epiſcopi conſenſerint eorum prauitatibus: ipſi officij interdictione mulctentur.* Et paulò ſuperiùs, *Sacrorum Canonum inſtituta renouantes præcipimus, vt à tempore Subdiaconatus nulli liceat carnale commercium exercere. Quod ſi deprehenſus fuerit, ordinis ſui periculum ſuſtinebit. Nemo præterea ad ſacrum ordinem permittatur accedere, niſi aut virgo, aut probatæ ſit caſtitatis, & qui vſque ad Subdiaconatum vnicam & virginem vxorem habuerit.* Et tamen vult Spalatenſis ad ſolam Prouinciam Romanam hæc pertinuiſſe; quis ferat hanc Pontificiorum decretorum deprauationem? In Calixto verò incuriam Gratiani non immeritò notat, quippe qui Calixtum primum pro ſecundo nobis obſtruſerit. Calixti ergo ſecundi oportet eſſe illam ſanctionem, *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & monachis concubinas habere, ſeu matrimonia contrahere penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab huiuſmodi perſonis diſiungi, & perſonas ad pœnitentiam redigi debere iuxta ſacrorum Canonum diffinitiones iudicamus.* Sed hac de re litigandum non eſt, cùm doctiſſimi decreti Correctores ſuo authori eam aſſeruerint: Quod verò contendit Spalatenſis non potuiſſe *Caliſtum primum de Subdiaconorum cælibatu ſtatuere, cùm nequidem Syricius de illis ſtatuendum duxerit, contentus de Diaconis & Presbyteris ſanxiſſe*, friuolum eſt, & meo iudicio ex ignoratione ſenſus epiſtolæ Syricij profectum; Exiſtimo enim horum verborum ſenſum eſſe, eum Clericum qui vna tantùm contentus vxore pudicè vixerit, & Acolythum & Subdiaconum renuntiari poſſe, ea tamen lege, vt ſe in Subdiaconatu omnino contineat, hoc exiſtimo colligi ex ipſius Syricij verbis; *Lector*, inquit, *ſi probabiliter vixerit, vna tantùm & ea quam virginem communi per Sacerdotem benedictione perceperit, vxore contentus, Acolythus, & Subdiaconus eſſe debebit. Poſt quæ ad Diaconi gradum, ſi ſe ipſe primitus continentia præeunte dignum probarit, accedat.* Concilium Elibertinum negotium faceſſit aduerſario, propterea pro more ſuo ſenſum Canonis deprauat, & aliò quàm volunt Patres curuat & inflectit: ſed de eo infrà. Nunc eſt nobis de Diaconis agendum. Initio Spalatenſis blandè omnino loquitur, ſed

Conc. Melphitanum to. 3. Conc. par. 2. Can. 12.

Can. 2. & 3.

Decret. p. 1. d. 27. c. 8.

Syricius ep. 1. c. 9.

Spalat. Num. 11.

Digitized by Google

Aſtutam vapido ſeruat ſub pectore vulpem.

Continentiam tamen (inquit) in maioribus gradibus, puta Diaconatu, & Presbyteratu, ac Epiſcopatu, vehementer Eccleſiam adamaſſe, & procuraſſe eſt certiſſimum. Sed in hoc Eccleſiam noſtram Occidentalem Latinam, longè Orientali Græca inuenio ſolertiorem, exactioremque vindicem plenæ ac completæ, in ſacris maioribus præſertim Miniſtris, caſtitatis. Ac primùm de Diaconis rem diſquiramus: Græci ſanè Patres vehementer cupierunt vt Diaconi eſſent continentes: & initiò fategerunt vt Diaconi cœlibes tantùm, hoc eſt non vxorati, & ſub promiſſione caſtitatis ac cœlibatus ad Diaconatus gradum proueherentur. Sic enim ſtatuit Ancyrana Synodus, quæ primum Concilium Nicænum præceſſit; Diaconi quicunque ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt velle ſe coniugio copulari, quia ſic manere non poſſunt; hi ſi poſtmodum vxores duxerint, in miniſterio maneant, propterea quod eis Epiſcopus licentiam dederit. Quicunque ſanè tacuerunt, & ſuſceperunt manus impoſitionem, profeſſi continentiam & poſteà nuptiis obligati ſunt, à miniſterio ceſſare debebunt. Hactenus non malè, ſed hic interrogatiunculis ſe torquet, & in iis diſſoluendis aliqua habet animaduerſione digna. *Quid igitur (inquit) ſi Epiſcopus ordinaret Clericum iam coniugatum? Quid ſi cœlibem continentiam proteſtantem? ſanè ex hoc Canone nihil aliud habeo, niſi in caſu factæ proteſtationis poſſe Diaconum tunc cœlibem, poſtea vxorem ducere, & illa vti, & in Diaconatu miniſtrare: Quia Epiſcopus cum tali cenſetur diſpenſaſſe. Si verò tacuit; & nihilominus neque continentiam eſt pollicitus, ex vi huius Canonis eodem modo poterit & vxorem ducere, & ei adhærere, & Diaconatum retinere. Si quidem ſolus ille qui promiſit caſtitatem, ſi poſtea fiat maritus, & tacuerit; ab ordine deponitur.* Quaſi verò non præponderet lex Eccleſiæ, & eius potior ratio non ſit habenda? Dico igitur Diaconum qui profeſſus non fuiſſet ſe continentiæ eximio dono eſſe deſtitutum, eo caſu, ſuſcepto ordine, omnino debuiſſe adigi, vt cœlebs in officio ageret, niſi fortè Epiſcopus penes quem tunc eſſet diſpenſandi poteſtas, cùm eo mitius agendum duxiſſet, ac ei condonaſſet ac indulſiſſet coniugij vſum; Namque qui tacuiſſet conſenſiſſe omnino credebatur, vt ex ipſo canone omnino intelligitur. Hoc ſcilicet intellexiſſe oportebat ordinatos initiationis ratione ſubieciſſe ſe legi continentiæ, ac etiam ſolo ſilentio in eam conſenſiſſe, ſi quidem ſilentium pro conſenſu haberi in hac parte propter publicam & omnibus conſpicuam continentiæ legem ſacris ordinibus annexam eſt planè certum, ac Canon Ancyranus apertiſſimè ſignificat, maximè cùm addicere initiandum eo renitente non poſſet; Inſulsè igitur ac ineptè ex Ancyrano illo Canone colligit Spalatenſis, Epiſcopos circa Diaconorum ordinationem eſſe liberos, & plenam habere authoritatem diſpenſandi cum ipſis, circa matrimonium.* Poterant ſanè antiquo iure matrimonij vſum condonare his qui horum neceſſitatem confeſſi, eum poſtulaſſent, ſed his qui verbo aut ſilentio conſenſiſſent, non poterant. Rectè ergo omnino métem Concilij expreſſit Martinus Bracharénſis, ſic explicato Canone: *Diaconus qui eligitur, ſi conteſtatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit non poſſe in caſtitate permanere, hic non ordinetur. Quod ſi in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & poſteà matrimonium deſideraverit, alienus ſit à miniſterio, & vacet à Clero.* De Stephani Papæ canone non immeritò dubitat, ſi quidem Gratianus quo Stephano authore conditus ſit non dicit, & planè falſum eſt apud Græcos ſacros Miniſtros matrimonio copulari, quamquam verum eſt aſſumi quoque coniugatos, tum ad

Spalat. Num. 13.

Dist. 28. cap. 8.

Spalat. Num. 14.

Dist. 27. ca. 1.

Subdia-

Subdiaconatum, tum ad Diaconatum, tum etiam ad Presbyteratum, qua de re poſtea videro. Falſum imo falſiſſimum eſt quod iactat Spalatenſis; *Syricium in Occidente primùm Diaconos ad omnimodam continentiam adigere reuocare tentaſſe*, & ſtultum hoc dogma ſatis refellit Concilij Carthaginenſis ſecundi ſanctio. *Cùm in præterito Concilio de continentiæ & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres conſcriptione quadam caſtitati, per conſecrationes annexi ſunt. Epiſcopos, inquam, Presbyteros & Diaconos ita placuit, vt concederet ſacroſanctos Antiſtites & Dei Sacerdotes, nec non & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimpliciter, quod à Deo poſtulant impetrare, vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus.* Patres enim Concilij non ad Syricium, ſed ad Apoſtolos ipſos ſuam ſanctionem referunt; ac antea Concilij tempora legem illam qua ad cœlibatum aſtringerentur, extitiſſe declarat Canon Concilij Elibertini in Occidente celebrati: *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & non generare filios. Quod quicunque fecerit, ab honore clericatus exterminetur.* Et certè Ambroſius ac Hieronymus Syricio æquales lege cœlibatus aſtrictos Diaconos, & quidem in Occidente docent D. Amb. *Inoffenſum exhibendum & immaculatum miniſterium, nec vllo coniugali coïtu violandum cognoſcitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipſo conſortio coniugali, ſacri miniſterij gratiam recepiſtis. Quod eò non præterij, quia in pleriſque abditioribus locis, cùm miniſterium gererent, vel etiam Sacerdotium, filios ſuſceperunt, & id tanquam vſu veteri defendunt, quando per interualla dierum ſacrificium deferebatur, & tamen caſtificabatur etiam populus per biduum aut per triduum, vt ad ſacrificium purus accederet, vt in veteri teſtamento legimus, & lauabat veſtimenta ſua. Si in figura tanta obſeruantia, quanta in veritate?* Et D. Hieronymus: *Apoſtoli vel virgines, vel poſt nuptias continentes: Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè poſt Sacerdotium in æternum pudici.* Sed & Canon Nicænus de quo ſupra, Diaconos lege cœlibatus teneri non obſcurè iudicat, vt argumento ſit in toto terrarum orbe eam obtinuiſſe. Itaque Syricius legem illam non tulit, ſed refricauit; Sequutus eſt Innocentius primus, cuius ad Victricium verba refert Spalatenſis, *Vt Sacerdotes & Leuitæ cum vxoribus ſuis non miſceantur.* Sequutus eſt Zacharias Pontifex ad Bonifacium: *Sacerdotes à die ſuſcepti Sacerdotij, ab ipſo proprio coniugio prohibendi ſunt.* In eandem ſententiam Concilium Arelatenſe ſecundum. *Aſſumi aliquis ad Sacerdotium non poteſt in vinculo coniugij conſtitutus, niſi fuerit promiſſa conuerſio. Si quis Clericus à gradu Diaconatus in ſolatio ſuo mulierem, præter auiam, matrem, ſororem, filiam, neptem vel conuerſam ſecum vxorem habere præſumpſerit, à communione alienus habeatur.* Et tertium, *Præterea placuit, vt deinceps non ordinentur Diaconi coniugati, niſi qui prius conuerſionis propoſito profeſſi fuerint caſtitatem.* Rectè enim Spalatenſis conuerſionem interpretatur ab vxoribus ſeparationē, nam (vt ille quoque aduertit) & ſecundum eiuſdem loci Concilium, hoc ſenſu accepit conuerſionem, dum cap. 2. ſtatuit; *Aſſumi aliquem ad Sacerdotium non poſſe in vinculo coniugij conſtitutum, niſi fuerit promiſſa conuerſio.* Itaque tum Apoſtolica authoritate, vt vult ſecundum Concilium Carthaginenſe, tum Synodorum decretis, quæ etiam tempora Syricij anteuerterunt in Occidente, obtinuit lex continentiæ Diaconis impoſita, atque certum poſteriores Synodos priorum veſtigia preſſiſſe. De Presbyteris & Epi-

Spalat. Num. 15.

Conc. Carthag. 2. Can. 2.

Conc. Elib. Can. 33.

D. Amb. l. 1. ofh. c. 50.

D. Hier. ep. 50.

Spalat. Num. 15. Zach. ep. 1.

Conc. Arelat. 2. c. 2. Ca. 3.

Conc. Arelat. 3.

SPALAT. Num.16. ſcopis iam videamus. Vafrè hanc quoque diſputationem attingit Spalatenſis Primùm dicit *Epiſcopos & Presbyteros antiquis Eccleſiæ ſtatutis ad continentiam imprimis adigi ſolitos, ſublata eis facultate ne poſſent, in presbyteratu iam conſtituti, vxores ducere.* Profertverò teſtes Synodi Neocæſarienſis Patres, quorum eſt hoc decretum. *Presbyter ſi vxorem duxerit, ordine ſuo moueatur. Si autem fornicatus fuerit, vel adulteriũ cõmiſerit, penitùs extrudatur, & ad pœnitentiã deducatur.* Sed erat hic monendus Lector præterea etiam coniugatis, ad Presbyteratum vel Epiſcopatum aſſumptis, interdixiſſe Eccleſiam, vſu coniugij, ac cœlibatui aſtrinxiſſe, contra verò non ſolùm dubiam illam legem facere eſt conatus, ſed & contrariam inuectam in Eccleſiam contendit. Quod ſi de poſterioribus Græcis diceretur, non vtique malè diceretur; Trullanorum enim Patrum illud decretum fuit, ſed nec in Concilio legitimo, nec prioribus illis & purioribus Eccleſiæ Orientalis ſeculis. Tota enim antiquitas Presbyterorum, & Epiſcoporum continentiam legibus Eccleſiæ decretam, ſancitam, & illis impoſitam celebrat. Origenes. *Cæterùm homines idiotæ ab eis pro nihilo habiti vt ſtulti & illiberales, ſi modò committant ſe in fide in Deum, & doctrinam Ieſu recipiant; tantùm abſunt ab omni laſciuia, ſpurcitia, turpitudine libidinum, vt in morem perfectorum Sacerdotum ab omni coïtu abhorrentium, multi eorum in totum caſtè pureque viuant, alieni à congreſſu mulierum etiam legitimo.* Baſilius, [a] *Diaconus poſt Diaconatum fornicatus, à Diaconatu quidem eiicietur, in Laïcorum autem locum extruſus, à communione non arcebitur: quoniam antiquus eſt Canon, vt qui à gradu exciderunt, hoc ſolo punitionis modo puniantur, primis, vt exiſtimo legem illam ſequutis: non vindicabis bis in idipſum:* Cyrillus Hieroſolymitanus; [b] *In Euangelicis libris poſthac deſcriberis, ſi tibi continentiam proponas, vide ne viciſſim delearis, ſi ſtupra facias.* Idem Cyrillus, [c] *Decebat ſanè puriſſimum puritatis Doctorem ex puris prodire thalamis. Si enim qui apud Ieſum bene fungitur Sacerdotio, abſtinet à muliere: ipſe Ieſus quomodo ex viro & muliere proditurus eſſet?* Epiphanius, [d] *At enim*, inquit, *inhoneſtæ ſunt nuptiæ? aut prophanus eſt torus, & non potius immaculatus? An denique adulteratæ ſunt nuptiæ? Quanquam Prophetæ ac Pontifices ab illis abſtinent, vt maioribus functionibus occupentur. Etenim Moyſes, poſteaquàm Propheta eſſe cœpit, nullam amplius cum vxore conſuetudinem habuit, neque liberos in eo ſtatu ſuſcepit: quippe qui cum Domino maiori vitæ ſuæ parte verſaretur.* Chryſoſtomus. [e] *Paulus Apoſtolus vbi in orbe adulteriis, fornicationibuſque repleto, voluit orbis paſtores conſtituere, & quoniam virtutes rarò inueniebantur, Epiſcopos ordinans, Tito dixit: Conſtitue Epiſcopos ſicut ego diſpoſui, vnius vxoris virum: non ea ratione quod id nunc in Eccleſia obſeruetur. Oportet enim omni prorſus caſtitate ſacerdotem ornatum eſſe.* Commentarius qui nomine Ambroſij præfertur, [f] *Veteribus idcirco conceſſum eſt Leuitis & Sacerdotibus vxores ad vſum habere, quia multum tempus otio vacabant à miniſterio aut Sacerdotio. Multitudo enim erat Sacerdotum, & magna copia Leuitarum, & vnuſquiſque certo tempore ſeruiebat diuinis cæremoniis, ſecundum inſtitutum Dauid. Hic enim viginti & quatuor claſſes conſtituit Sacerdotum, vt vicibus deſeruirent. Vnde Abia octauam claſſem habuit, cuius vice Zacharias fungebatur Sacerdotio, ita vt tem-*

Conc. Neocæſar. Can. 1. habetur Diſt. 28. c. 9.

Orig. l. 8. cõtra Celſ.

[a] Baſ. ep. prima ad Amphil. Can. 3. Διάκονοι μὲν τῶν διακονίαν πεπιστώκασι, ἀπόλλυται μὲν ἡ διακονία ἔσω· εἰς δὲ τὸν λαϊκὸν ἀποδιδόται τόπον, ἡ κοινωνίας οὐκ ἐκβάλλεται. δίκη ἐμοὶ δοκεῖ τοῖς ἐκπεσοῦσι, τὸν ἀπὸ βαθμοῦ πεπιστώκασι, τὸν μὲν τῷ πρώτῳ τῆς κλίσεως ἀποκάλεσαι· ἀκολουθοῦντα, ὡς ἂν μὴ ἐξ ἐκείνου τοῦ νόμου ἑαυτῷ, ἵνα ἐπὶ τὸ αὐτό.

[b] Cyr. Hier. Catech. 4. Ἐν τοῖς εὐαγγελικοῖς βίβλοις λοιπὸν ἐγγράφου, διὰ τί σοὶ ἐστι τὸ σωφρονεῖν βλέπε μὴ πάλιν ἀλλοφύλοις διὰ τὸν πορνικὸν ἐρασθῇς.

[c] Carec. 12. Ἐπειπὲ δὲ τῷ ἀγαπητῷ καὶ διδασκάλῳ τῆς ἀγνείας ἐξ ἀγνῶν. [d] Epiph. hær. 78. Μὴ δὲ ὁ γάμος ἄσημος; μὴ βέβηλος; μὴ ἀκάθαρτος ἐστιν; μὴ πεπόρνευται γάμος; ἀπὸ δὲ σωφρόνων, καὶ ἁγνῶν ἐπράχθη διὰ τοῦτο τὸ ἐπιζητεῖν ὑπεροχάς. μὴ δὲ τὸ σωφρονεῖν Μωϋσεῖ, ἐπὶ γυναικὶ συνῆλθε, ἐπὶ παιδοποιίᾳ, ἐπὶ ἡρῴᾳ ὁ πάντες. ἀσκήσεως δὲ ἕνεκα βίου λοιποῦ. Chryſ. hom. 2. in Iob. [e] Tit. 1. Διὰ τοῦτο ἔπεμψε γυναικὸς ἀδελφὸν, ἵνα ἐπιδείξῃ τὸ τοῦ φυλάττειν ἐν τῷ πάντελεῖ ἀγνείᾳ ἰσχύειν τιμίαν. [f] Ad c. 3. prior. ad Timoth.

pore,

Digitized by Google

pore, quo non illos contingebat deseruire altari, domorum suarum agerent curam. At vbi tempus imminebat ministerij, purificati aliquantis diebus accedebant ad templum offerre Deo. Nunc autem septem Diaconos esse oportet, & aliquantos Presbyteros, vt bini sint per Ecclesias: & vnus in ciuitate Episcopus, ac per hoc omnes à cõuentu fœminæ abstinere debere, quia necesse est eos quotidie præsto esse in Ecclesia, nec habere dilationem vt post conuentum legitimè purificentur, sicut veteres. Omni enim hebdomada offerendum est, etiam si non quotidie peregrinis, incolis tamen vel bis in hebdomada, etsi non desint qui propè quotidie baptisentur ægri. Nam veteribus ideo concessum est, quia multo tempore in templo non videbantur, sed erant priuati. Si enim plebeis hominibus orationis causa ad tempus abstinere se præcipit, vt vacent orationi: quantò magis Leuitis & Sacerdotibus, quos die noctuque pro plebe sibi commissa oportet orare? mundiores ergò debent esse cæteris, quia Dei actores sunt. D. Hieronymus, *Petrus & cæteri Apostoli, vt ei ex superfluo interim concedam, habuerunt quidem vxores, sed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium nesciebant: qui assumpti postea in Apostolatum relinquunt officium coniugale.* Opponit Spalat. *Coniugatos tamen*, inquit, *seu Clericos, seu viros interdum Laïcos, potuisse ad sacros ordines, etiam ad Sacerdotiũ & Episcopatum, nullo discrimine promoueri, ipsum Christi factum ante omnia docet: qui Apostolos etiam coniugatos, ad suam vocauit sequelam; eisque contulit Presbyteratum, Episcopatum, & Apostolatum; & de hoc nemo dubitat.* Respondeo Christum coniugatos, ad Apostolatus fastigium euexisse quidem, sed eos adlectos, & sacro ministerio addictos, vxoribus primùm, quod attinet ad maritales amplexus, nuncium remisisse, nec suscipiendis liberis vacasse, vt rectè sensit antiquitas. Hoc item fatetur Spalatensis initio huius capitis, quamquam turpi lapsu; postea indulsisse quoque eos matrimonij amplexibus, homo inuerecundus asseuerat. Hanc labem suo abstergemus loco, ac castissimis & continentissimis Christi Apostolis suam pudicitiam integram asseremus. *At*, inquit Spalatensis, *Paulus apertissimè docet Episcopum assumi debere, qui sit vnius vxoris vir*; Respondeo & hic primùm subesse fraudem. Neque enim Paulus docet Episcopum assumi debere qui sit vnius vxoris vir, vt eius sententia, quod maximè velle videtur Spalatensis, omnino Episcopo præcipiatur vxorem habere, aliàs nec ipse Paulus, nec alij Apostoli qui vxores vel non habuerunt, vt de Ioanne inter omnes constat, aut vel eas propter Christum reliquerunt, imò nec ipse Christus virgo, virginis filius, digni fuerunt Episcopali munere, quod citra blasphemiam nullus asseuerabit. Rectè igitur Chrysostomus ad illum locum: *Non hoc*, inquit, *veluti sanciens dicit* (Apostolus) *quasi non liceat absque vxore Episcopum fieri, &c.* Non licere docuerat Vigilantius, quem aculeata oratione perstringit Hieronymus. *Hoc docuit*, inquit, *Dormitantius, libidini fræna permittens, & naturalem carnis ardorem qui in adolescentia plerumque feruescit, suis hortatibus duplicans.* Etsi igitur non negamus interdum, potissimùm verò ipso Ecclesiæ initio cùm cœlibes pauci essent, vt vix inuenirentur qui sacræ militiæ nomen darent, coniugatos sacris initiatos, & ad Episcopatum euectos, constitutum tamen habemus eo loci Apostolum *vnius vxoris virum* eum intelligere, qui siue connubio iunctus fuerit, siue etiamnùm matrimonij legibus teneatur, nullam præterea coniugem in thalami consortium admittat, vt Patres tum Græci tum Latini hunc locum Apostoli versantes vno consensu docent. Chrysostomus; *Paulus Apostolus,*

D. Hier. l. 1. contra Iouin. cap. 14.

Spalat. Num. 17. Ignat. ad Philad. & Clem. l. 3. Strom.

Num. 2.

Spalat. Num. 17. 1. Tim. 3.

Chrys. in ep. ad Tim. 1. c. 3. ho. 10. Οὐ τοιοῦτόν τι τοῦτο σημαίνει, ὡς οὐκ ἔξεστι ἄνευ τούτου γενέσθαι. Hieron. ad Vigilant.

Hom. 2. in Iob.

Digitized by Google

vbi in orbe, adulteriis fornicationibuſque repleto, voluit orbis paſtores conſti-
Tit. 1. *tuere, & quoniam virtutes rarò inueniebantur, Epiſcopos ordinans, Tito dixit:*
Conſtitue Epiſcopos, ſicut ego diſpoſui: vnius vxoris virum: non ea ratione, quod
id nunc in Eccleſia obſeruetur. Oportet enim omni prorſus caſtitate Sacerdotem
ornatum eſſe, ſed quod id quandoque ad eos qui in fornicatione erant, magnum
fuit: ideo dicit, Conſtitue Epiſcopos, ſicut ego diſpoſui tibi: Si quis eſt ſine crimine,
vnius vxoris vir, non quod id legis loco poſuerit, ſed quod errori ignoſcebat.
Ad cap. 3. priorisad Timoth. *Vnius vxoris virum.* Theophylactus, *Nonnulli hic dicunt, quod obſcurè & clanculum cœlibem hic in-*
dicarit, vel petiuerit. Quod ſi fieri non poſſit, habeat coniugem vnam, verum-
tamen ſit, tanquam non habeat. Porrò non vt legem ſanciat, hæc dicit, quod omni-
no oporteat Epiſcopum vxoratum eſſe. Quî enim iſthuc ſtatuerit, cùm aliàs dicat,
Volo vos omnes eſſe ſicut meipſum? Verùm quia tempus ita tum poſtulabat; At ſi
1. Cor. 7. *contingat, inquit, ſit vnius vxoris vir. Id verò Iudæorum cauſa dicebat. Illis*
enim permittebatur polygamia, hoc eſt cum multis connubia iungere. Siricius,
Ep. 4. ad Epiſcopos Africæ c. 9. *Forte* (inquit) *dicitur, quia ſcriptum eſt: Vnius vxoris virum. Non permanenti*
in concupiſcentia generandi dixit: ſed propter continentiam futuram. Neque
enim integros non admiſit, qui ait, Vellem omnes homines ſic eſſe, ſicut & ego. Et
1. Cor. 7. Rom. 8. *apertius declarat dicens, Qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt: Vos autem*
iam non eſtis in carne, ſed in ſpiritu. Hieronymus. *Non dicit* (inquit) *Paulus:*
Li. 1. contra Iouin. c. 19. *Eligatur Epiſcopus qui vnam ducat vxorem, & filios faciat: ſed qui vnam habue-*
In propoſition. de Bigamia. *rit vxorem, & filios in omni ſubditos diſciplina.* Fauet Lutherus ipſe, quippe
cuius ſententia hæc verba *vnius vxoris virum negatiuè* ſint accipienda, non po-
ſitiuè, non ita vt teneatur Epiſcopus habere vxorem, ſed teneatur non habere
plures feminas cum vxore. Addo verò, (quicquid contra de ſuo afferat Spa-
latenſis) ex alio loco Apoſtoli ſatis colligi, ad tempus præteritum referri verba
illa Apoſtoli, vt omnino dicat, *vnius vxoris virum*, qui olim quidem vnam
duxerit: at verò poſt hanc ſecundæ ſe non coniunxerit; Similiter enim de vi-
1. Tim. 5. duis dixit, *Eligantur vnius viri mulieres*, quod de præterito intelligendum vi-
duarum nomen clamat, Proptereaque Syrus interpres eum qui vnam habue-
rit, legit, & conſentiunt ex Græcis Euſebius, & ex Latinis Ambroſius. Euſe-
Euſeb. de demonſtr. Euang. li. 1. ca. 9. bius quidem de demonſtratione Euangelica: *His autem ipſis*, inquit, *maxi-*
mè in præſentia, vt melioribus ſtudiis vacent liberius, ſeiunctus à re vxoria, vi-
ctus adamatur, veluti iis qui diuina & incorporea ſobole propaganda, occupati te-
Η τῶν γάμων ἀπαχόμενος σπουδάζεται, ἀντὶ τῶν ἐνόντων καὶ ἀσαρκων σπουδαιοτέρων ἀγαθῶν. *neantur, & non vnius neque duorum liberorum, ſed aceruatim innumerabilis multi-*
tudinis educationem ſanctamque diſciplinam, ac reliquæ inſtituendæ vitæ curam ſuſ-
D. Amb. ep. 82. *ceperint.* Et Amb. *Vnius vxoris virum præcepit eſſe, non quo coniugij exortem*
excludat; nam hoc ſupra legem præcepti eſt: ſed vt coniugali caſtimonia ſeruet ab-
lutionis ſuæ gratiam. Neque iterum vt filios in Sacerdotio creare Apoſtolica inuite-
tur authoritate. habentem enim dixit filios, non facientem, neque coniugium itera-
re. Sed quoquomodo accipiatur, planũ eſt ſiue ad præſens tempus, ſiue ad præ-
teritum, longè abeſſe à ſenſu Apoſtoli Spalatenſem, quandoquidem Apoſtolus
vnius vxoris virum eſſe vult Epiſcopum, vt caſtitate quidem coniugali effulgeat,
& *vnius vxoris virum* intellexit, qui adeo continens eſſet, vt nec haberet vel
nec habuiſſet plures vxores quàm vnam. Quare proculdubio aptiorem illum
indicat, qui nullam aut haberet, habuiſſetve, quandoquidem Epiſcopum
eligi cupit quam fieri poſſit caſtiſſimum: quare hic omnes interpretes no-
tant eos qui è coniugio ad Sacerdotium aut Epiſcopatum vocarentur, vſu

coniugij,

coniugij, communi Ecclesiæ lege, abstinuisse, tum ob excellentem Sacerdotij & Episcopatus dignitatem, tum vt totos se Christo & Ecclesiæ manciparent ac addicerent. Sed iam nouas machinas admouet Spalatensis, & duobus aliis locis Apostoli nos infestat. *Quod idem Paulus ait*, inquit, *Numquid non habemus potestatẽ mulierem sororem circumducendi, sicut & cæteri Apostoli, & fratres Domini, & Cephas: aut ego solus, & Barnabas non habemus potestatẽ hoc operandi? Sunt qui intelligant, & exponant de vxoribus: nec diffitetur Leo IX. seu Humbertus; verba quoque illa Pauli, Rogo te etiam Germane compar, refert Chrysostomus aliquos ita accipere, vt Paulus vxorem suam obsecret: ex Græco enim commodè verti possunt, Rogo te etiam Germana coniux.* Quod ad primum locum attinet, nodũ soluerunt antiqui Patres tum Græci tum Latini, Tertullianus libro de Monogamia. *Cæteros cùm maritos non inuenio, aut spadones intelligam necesse est, aut continentes. Nec enim si penes Græcos cõmuni vocabulo censentur mulieres & vxores pro consuetudinis facilitate (cæterum est proprium vocabulum vxorum) ideo Paulum sic interpretabimur, quasi demonstret vxores Apostolos habuisse. Si enim de matrimoniis disputaret (quod in sequentibus facit, vbi magis Apostolus aliquod exemplum nominare potuisset) rectè videretur dicere: Non enim habemus potestatem vxores circumducendi, sicut cæteri Apostoli & Cephas? At vbi ea subiungit quæ de victuaria exhibitione, abstinentiam eius ostendunt dicentis: Non enim potestatem habemus manducandi & bibendi? non vxores demonstrat ab Apostolis circumductas, quas & qui non habent, potestatem tamen manducandi & bibendi habent; sed simpliciter mulieres quæ illis eodem instituto, quo & Dominum comitantes, ministrabant.* D. Hieronymus; *Si autem nobis illud opposuerit, ad probandum quod omnes Apostoli vxores habuerint: Numquid non habemus potestatem mulieres vel vxores circumducendi (quia γυνὴ apud Græcos vtrumque significat) sicut cæteri Apostoli, & Cephas & fratres Domini? iungat & illud quod in Græcis codicibus est: Numquid non habemus potestatem sorores, mulieres, vel vxores circumducendi? Ex quo appareret cùm de aliis sanctis dixisse mulieribus quæ iuxta morem Iudaicum Magistris de sua substantia ministrabant, sicut legimus ipsi quoque Domino factitatum. Nam & ordo verborum hoc significat: Numquid non habemus potestatem manducandi, & bibendi, aut sorores mulieres circumducendi? Vbi de comedendo & bibendo ac de administratione sumptuum præmittitur, & de mulieribus sororibus infertur: perspicuum est, non vxores debere intelligi, sed eas, vt diximus, quæ de sua substantia ministrabant, &c. Aut certè si γυναῖκας vxores accipimus, non mulieres: id quod additur, sorores, tollit vxores: & ostendit eas germanas in spiritu fuisse, non coniuges. Quamquam excepto Apostolo Petro, non sit manifestè relatum de aliis Apostolis, quòd vxores habuerint, & cùm de vno scriptum sit, ac de cæteris tacitum, intelligere debemus, sine vxoribus eos fuisse, de quibus nil tale scriptura significat.* Augustinus, *Probat se (D. Paulus) Apostolum esse dicens, Nonne Christum Iesum Dominum nostrum vidi? Nonne opus meum vos estis in Domino? Quo probato ostendit sibi licere quod cæteris Apostolis, id est, vt non operetur manibus suis, sed ex Euangelio viuat, sicut Dominus constituit eis, quod in consequentibus apertissimè declarauit ad hoc enim & fideles mulieres habentes terrenam substantiam ibant cum eis, & ministrabant eis de substantia sua, vt nullius indigerent horum quæ ad necessaria vitæ huius pertinent. Quod B. Paulus licere quidem sibi demonstrat, sicut & cæteri Apostoli faciebant, sed ea potestate se vti noluisse postea commemorat. Hoc quidam, non intelligentes, non sororem mulierem, cùm ille diceret: Numquid non habemus potestatem sororem mulie-*

Spalat. Num. 17. 1. Cor. 9.

Dist. 31. c. omnino. Phil. 4.

Lib. de Monogamia cap. 8.

1. Cor. 9.

Lib. 1. cõtra Iouin. c. 14. 1. Cor. 9.

Tom. 3. de opere Monach. ca. 4. & 5. 1. Cor. 9.

rem circumducendi ſed vxorẽ interpretati ſunt. Fefellit eos verbi Græci ambiguitas, quod & vxor & mulier eodem verbo γυνὴ Græcè dicitur: quanquã hoc ita poſuerit Apoſtolus, vt falli non debuerint, quia neque mulierem tantummodo ait, ſed ſororem mulierem, neque ducendi, ſed circumducendi: Verumtamen alios interpretes non fefellit hæc ambiguitas, & mulierem non vxorem interpretati ſunt. Quod quiſquis putat non potuiſſe ab Apoſtolis fieri, vt cum eis ſanctæ conuerſationis mulieres circuirent, quacunque Euangelium prædicabant, vt eis de ſua ſubſtantia miniſtrarent neceſſaria, Euangelium audiant, & cognoſcant, quemadmodum hoc ipſius Domini exemplo faciebant. Dominus enim noſter more miſericordiæ ſuæ, infirmioribus compatiens, cùm ei poſſent Angeli miniſtrare, & loculos habebat, quò mitteretur pecunia quæ conferebatur, vtique à bonis fidelibus, eorum victui neceſſaria: quos loculos Iudæ commendauit, vt etiam fures ſi euitare non poſſemus, tolerare in Eccleſia diſceremus: ille enim ea quæ mittebantur, ſicut de illo ſcriptum eſt, auferebat. Et mulieres voluit, vt ſe ad præparanda & miniſtranda neceſſaria ſequerentur, oſtendens quid Euangeliſtis & miniſtris Dei, tanquam militibus, à plebibus Dei tanquam prouincialibus deberetur. Et paulò infrà. *In Euangelio enim ſcriptum eſt: deinceps & ipſe iter faciebat per ciuitates & caſtella, prædicans & euangelizans regnum Dei, & duodecim cum illo, & mulieres aliquæ erant curatæ à ſpiritibus malignis & infirmitatibus: Maria quæ vocabatur Magdalena, de qua Dæmonia ſeptem eiecerat: & Ioanna vxor Chuzæ procuratoris Herodis, & Suſanna, & aliæ multæ, quæ miniſtrabant eis de facultatibus ſuis. Hoc exemplum Domini imitabantur Apoſtoli, ad accipiendum ſibi debitum cibum.* Iſidor. Peluſiota. *Apoſtolorum,* inquit, *vnuſquiſque, vt ita dicam regionem vnam nactus, eam moribus optimis informauit. At Paulus, tanquam pennatus agricola, vniuerſum penè orbem peragrauit, adque extremos vſque terræ angulos graſſatus eſt, tum auditores ſuos optimis legibus inſtituens, tum iis etiam, quibus eum audire minimè contigit, diuinam doctrinam inſerens. Quocirca illos quidem mulieres etiam comitabantur, non vt liberos procrearent, aut vnà cum ipſis vitæ conſuetudinem haberent, verùm vt ex ſuis facultatibus ſubminiſtrarent, ac paupertatis præcones alerent: hunc autem, qui ad ipſos vſque terræ fines currebat, ſequi nec permiſſæ ſunt nec potuerunt. Quid verò mirum fœminas relictas fuiſſe, cùm etiam Barnabas, indiuiduus alioqui comes, ad infinitum illum curſum ac laborem claudicans, primas ipſi conceſſerit? ſi quidem quo tempore cum eo verſabatur, hæc verba habebat Paulus, Nunquid non habemus poteſtatem ſororem mulierem circunducendi, ſicut & reliqui Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas? An ſolus ego & Barnabas non habemus poteſtatem hoc faciendi? Non quod ij, qui virginitatem ſuadebant, & caſtitatem prædicabant, ac virginum choros moderabantur, cum mulieribus conſuetudinem haberent. Quis enim eos virginitatem ſuadentes tuliſſet, ſi quidem ipſimet in voluptatum cœno ſeſe volutantes deprehenſi fuiſſent? Non igitur hoc ait. Nam alioqui mulierem vxorem dixiſſet: (quemadmodum notarij in iis contractibus, qui ad dotes pertinent, ſcribere conſueuerunt; Alere ac veſtire, quemadmodum muliere vxore dignum eſt, pro facultatum captu: mulierem videlicet ob naturam collocantes, vxorem autem ob vitæ conſuetudinem) ſed quia ipſos ſequebantur, ex bonis ſuis paupertatis magiſtros alentes; idcirco ſororem quidem dixit, vt caſtitatem indicaret: mulierem autem, vt naturam declararet. Mulier quippe virgo quoque appellatur, etiamſi intacta ſit: mulier ob formam, etiamſi integra ſit: mulier ob naturam, etiamſi maſculi congreſſus expers ſit. Quòd autem hoc à ſcopo minimè aberret, hinc liquet quod idem hic Paulus, cuius di-*

Iſidor. Peluſ. li. 3. ep. 176.

Ἦκμαζε μὲ τῶν ἀποστόλων, ὡς ἔπος εἰπεῖν, μίαν ἀπολαβὼν χώραν, ταύτην ἐρύθμιζεν. ὁ δὲ Παῦλος ὥσπερ γεωργὸς πτερωτὸς ἐκ θείας μοίρας τὴν οἰκουμένην, καὶ εἰς ἄκρας ἐφοίτησε τῆς γῆς πλατείας, καὶ τοὺς ἀκηκοότας ῥυθμίζων, καὶ τοῖς ἀπόροις ἐν ἀνέσει τὸ θεῖον κήρυγμα. διὸ ἐκείνους μὲ καὶ γυναῖκες ἠκολούθουν, ὑπὸ παιδοτρίβας, οὐδὲ συμβιούσας ἔχειν, ἀλλ' ἐκ ἧς οἰκείων χορηγοῦσαι καὶ τρέφουσαι τοὺς ἐκ παιδὸς πόνους χεύσας, &c.

ctum nonnulli ſubdola interpretatione deprauare minimè dubitant, de eo loquens, quòd Saluator ſecundum carnem ex ſancta Virgine Maria natus ſit, his verbis vſus eſt, factum ex muliere. Quid ais Paule? Virginem mulierem appellas? Ita, inquit: mulierem ob naturam appello, virginem autem mente teneo. Mulier enim eſt virgo, etiamſi alioqui à virili contactu aliena ſit; Mulier ob ſpeciem & effictionem: virgo propter integritatem & puritatem. Apparet igitur tantorum Patrum iudicio, non de vxoribus, ſed de piis mulieribus quæ Apoſtolis miniſtrarent loquutum Paulum, propterea que aduertunt addidiſſe γυναῖκα ἀδελφὴν, mulierem ſororem, vt aliam eſſe doceret à muliere coniugata. Itaque quod dixit *mulierem ſororem*, eadem phraſi dixit, qua Petrus *viri fratres*, neque de vxore quicquam attigit, vt ſtatim explicabitur. Quod attinet igitur ad poſteriorem locum, Græcè habetur σύζυγα γυναῖκα, quod Stapulenſis, Zuinglius & Eraſmus vertunt *Germana coniux*, cùm tamen vulgatus interpres verterit, Germane compar. Atticiſantem igitur illi inducunt Paulum, voluntque vocem Græcam fœminino hic genere ſeruire, repugnante Theophylacto, qui maſculinum vxori poſſe conuenire negat. Noſtra ſententia eſt vt poſſit conuenire, quod viderunt Chryſoſtomus & Oecumenius, tamen Apoſtolum qui imperitum ſe ſermone dixerit, ea elegantia non eſſe vſum, adeoque hic ne per ſomnium quidem de muliere aut vxore cogitaſſe, ſed intellexiſſe, collegam, ac ſocium, eximium ſcilicet aliqué virum Apoſtolicum, qui ſecum idem traxiſſet iugum Euangelicæ prædicationis, ac ei collaboraſſet in diſſeminando Euangelio. Beza poſt Caluinum hunc germanum eſſe intellectum verborum Pauli agnoſcit, ac eos refellit, qui Paulum in coniugatorum albo recenſent. *Alioquin*, inquit, *proculdubio compellat, quem ſibi in opere Domini coniunctiſſimum erat expertus. Sed quod nonnulli colligunt ex hoc loco, Paulum hoc tempore vxorem ad quam hoc pertineat, nimium eſt infirmum; cùm iis manifeſtè ſe adiungat qui vxores non haberent, nec vt rectè obſeruauit doctiſſimus interpres* (Caluinum intelligit) *vlla ſit vel leuiſſima coniectura, ab eo tempore, de vxore ducenda cogitaſſe, quam Philippis reliquerit.* Itaque Sectariorum etiam iudicio nihil iuuat hic locus Spalatenſem. Certè Paulum cœlibem vixiſſe nec vnquam nuptias iniuiſſe, non modò ex ſcriptura colligitur, ſed id quoque vno conſenſu tradunt Tertullianus, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Chryſoſtomus, Epiphanius, Theodoretus, Beda, Oecumenius, & Theophylactus, quibus hæ rationes fauent; Non enim fuiſſe connubio iunctum antequam Chriſto nomen daret, ex eo ſuaderi poteſt, quod vt Ambroſius, aut potius nomine Ambroſij vetuſtus author, & Theodoretus argumentantur, adoleſcens Chriſto nomen dederit, cùm veriſſimile non ſit hominem Phariſæorum ſectæ caſtitatis mirum in modum ſtudioſæ addictum, in ipſo propemodum ætatis flexu connubio fuiſſe implicatum. Cæterùm à ſuſceptis ſacris Chriſtianorum non iniiſſe illum nuptias argumento eſt, quod ad Corinthios ſcribens apertè docuerit ſe carere vxore; *Dico autem*, ait, *non nuptis & viduis, bonum eſt illis ſi ſic permanſerint ſicuti & ego.* Valdè enim inſulſum fuerit, putare in ipſo prædicationis curſu, ac inter tot largiſſimas peregrinationum moleſtias & labores de matrimonio cogitaſſe; Quare audiendus hic non eſt Clemens Alexandrinus, quem ſequuti ſunt Euſebius, & Nicephorus, qui Paulum connubio aſtrictum fuiſſe docet. Quamquam nec ipſe Clemens, Spalatenſem iuuat, ſcribit enim tum Paulum, tum reliquos

Act. 1.

Philip. 4.

Beza ad illum locũ.

1. Cor. 7.

Lib. 3. Strom. ante med.

Ita etiam amicus ipſius intimus Seuerus Sulpitius. Quis neſcit Tertullianum Presbyterum vxorem habuiſſe? Diaconum ſpecioſam vxorem domi habentem inuenies Lib.1.c.9.
apud Irenæum; & à Pelagio fuiſſe virum vxoratum in Epiſcopum electum, confirmatum? Gregorius Sacerdotes in Corſica, cum vxoribus commorari permittit, quæ Dist 27. ca. de Syracuſarx. Gregor. l.1. ep.50.
caſtè regendæ ſint: Mitto exempla plurima, in tota Eccleſia Græca & Latina, Presbyterorum & Epiſcoporum coniugatorum. Quod attinet ad Numidicum, vel eius epiſtolæ conſpectus fallit, vel à Cypriano Preſbyter ordinatus eſt, ſcilicet poſtquam vxorem adhærentem lateri ſuo concrematam ſimul cum copioſo Martyrum numero aſpexiſſet; ac propterea nil ad rem facit huius exemplum, vel ſi Preſbyter vxorem habuit, quod minus eſt probabile, eam quidem ſociam ha- Ep.35.
buit tormẽtorum, è quibus ſemiuſta & ſemianimis emerſit; ſed thori ſociam habuiſſe, non dicit Cyprianus, apud quem Caldonius quidã fœlicem Preſbyterum coniugatum, eũdemque cum Victoria coniuge in exilium pulſum, ac vtriuſque poſſeſſiones fiſco addictas notat, ſed vacaſſe liberis ſuſcipiendis non dicit; fatetur enim ad eam epiſtolam Pamelius illa ætate ob penuriam fuiſſe coniugatos in Preſbyterorum ordinem adlectos, ſed Preſbyteros coniuges duxiſſe nuſ- Ep.19.
quam legi apud veteres contendit; Potuit & addidiſſe nuſquam apparere Sacerdotes, coniugatos vxoribus ſuis poſt Sacerdotium ad filiorum procreationem vſos, Cecilius Martyris Cypriani in pietate Chriſtiana inſtitutor Preſbyter coniugatus quidem fuit, ſed coniugio vſum poſt initum Sacerdotium nemo dicit: Fuit quoque Cyprianus Preſbyter coniugatus, ſed Pontius inter prima fidei ſuæ rudimenta nil aliud credidiſſe Deo dignum, quàm ſi continentiam tueretur; Ac eum, non vxoris ſuadelam deflexiſſe, ſcribit. Paulinus quoque Nolanus vxorem habuit aſſeclam, & in vita religioſa ſociam: Sed Hieronymus dicit ſeorſim Paulinum, ſeorſim verò Tharaſiam vitam monaſticam fuiſſe profeſſos; *Tu*, inquit, *audita ſententia Saluatoris: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia* Ep.13. ad Paulinum.
quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me: verba vertis in opera, & nudam crucem nudus ſequens expeditior, & leuior ſcandis ſcalam Iacob. Tunicam mutas cum animo; nec pleno marſupio glorioſas ſordes appetis; ſed puris manibus & candido pectore, pauperem te & ſpiritu, & operibus gloriaris. Idem ibidem. *Humilitatem veſtium tumenti animo non appetas. Secularium & maximè potentium conſortium deuita. Quid tibi neceſſe eſt ea videre crebrius, quorum contemptu monachus eſſe cœpiſti? Soror præcipuè tua matronarum declinet conſortia; nec inter ſericas veſtes, & gemmas circumſedentium fœminarum ſe ſordidatam aut doleat, aut miretur: quia alterum propoſiti pœnitentiæ, alterum iactantiæ ſeminarium eſt.* Idem præſtiterunt Seuerus Sulpitius Paulini amantiſſimus, & prædilecta coniux. Vxorem habuiſſe Tertullianum, vel duo ſcripti ad eam libri probant, ſed veriſſimile omnino eſt caſtitatis acerrimum propugnatorem de conſenſu vxoris ab ea ſe ſeparaſſe, & cœlibem vitam egiſſe exemplo eorum, qui Tertulliano teſte *conſen-* Tertull. l.1. ad Vxorem.
ſu pari inter ſe matrimonij debitum, tollerent; quod imprimis vſitatum fuiſſe iis qui ad ſacros adlegerentur ordines, noſtri paſſim oſtendunt. Diaconi ſpecioſam vxorem domi habentis meminit Irenæus, ac eam refert à Marco quodam præſtigiatore, ac impoſtore animo & corpore corruptam, quamquam poſtea ad ſaniorem mentem reuerſam: ſed prius quidem in domo coniugis, ſororis inſtar egiſſe fieri potuit, ac propterea etiam aliquanto minore negotio, in magi amplexus conſenſiſſe. Pelagius referente Gratiano, cuius hic quoque labaſcit fides, coniugatum renunciauit Syracuſarum Epiſcopum; ſed quam id eſſet à mo-

ribus Eccleſiæ alienum locus indicat, vt præterea certum ſit Pontificem continentiæ legem ei impoſuiſſe, *non ſecus*, ac ne quid detrimenti caperet in rebus ſuis
Lib.1.ep.50. Eccleſia cauendum duxit. Gregorius etiam Sacerdotem in Corſica cum matre, ſorore, atque etiam vxore commorari ſinit, ſed vxorem *caſtè regendam addit*, vt argumento ſit liberis vacare noluiſſe: quorſum enim pudicitiam coniugalem Preſbyteris nominatim indixiſſet, cuius legibus omnes in vniuerſum coniugati tenerentur? Vno verbo dicimus quotquot à temporibus Apoſtolorum, & ipſis incunabulis Eccleſiæ probatæ vitæ, aut ſpectatæ virtutis Epiſcopi, & Preſbyteri extiterunt, à coniugio abſtinuiſſe, adeo vt ne vnum quidem exemplum proferri poſſit, quo contrarium apertè monſtretur. Nam quæ non ſolùm à Spalatenſi, ſed etiam à reliquis ſectariis commemorantur, aut de vxoribus ante ordinationem ductis, ac præterea à thoro ſeparatis, intelligi debent, aut exempla ſunt eorum, qui notantur ac redarguuntur, aut certè conficta ſunt hæreticorum mendacia.

Spalat. Num.18. Non acquieſcit tamen Spalatenſis, ſed vt Anglis gratificetur contendit, *primis illis ſeculis nullam etiam in Occidente legem viguiſſe, qua ad cœlibatum omnino ſacri miniſtri adigerentur.* Cumque contrà, clariſſimum ſit Elibertini Concilij decretum, exceptionem tamen quærit, quam poſtea profligabimus, nec aduer-
Conc.Elib. ca.33. tit planum eſſe eius ſenſum; *Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & non generare filios. Quod quicunque fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.*
Can.18. Et ſuperius; *Epiſcopi, Presbyteri, Diacones, ſi in miniſterio poſiti detecti fuerint, quod ſint mœchati, placuit & propter ſcandalum, & propter nefandum crimen, nec in fine eos communionem accipere debere.* Ab hac luce Hiſpaniarum, quæ ad Occidentem pertinent rem ad Concilium Arelatenſe ſecundum reuocat, vultque huius Synodi Patres apertam de cœlibatu legem poſuiſſe, quod ſtatuerit, *Aſſumi aliquem ad Sacerdotium, non poſſe in vinculo coniugij conſtitutum, niſi fuerit promiſſa conuerſio*, hoc eſt, vt ſuprà eſt explicatum, niſi pollicitus fuerit vxorem ſe abdicaturum, ac à thoro ſuo eliminaturum; atque vt pondus detrahat, quicquid alij ſcribant, non Silueſtri, ſed Syricij tempore celebratam hanc Synodum diſputat: ac demum Caliſtum, ac Lucium Pontifices negat hac de re cenſuiſſe: Fatemur verò Concilium Arelatenſe ſecundum haud Silueſtri tempora attigiſſe, neque Lucij, aut Calliſti primi decreta, quamquam à Gratiano ſuæ farragini inſerta vrgemus. Negamus verò ante Concilium illud Arelatenſe, nulla extitiſſe de ſacrorum miniſtrorum cœlibatu decreta, adeòque ad ſuperiora tempora referri legem, quæ illum aut Diaconis, aut Preſbyteris, aut Epiſcopis indixerit, & impoſuerit, aſſeueramus. Certè haud vnum Concilium Elibertinum noſtræ fauet ſententiæ, ſed Ambroſius, Hieronymus, & Epiphanius, Euſebius ac alij eam firmant, vt eſt ſuprà à nobis oſtenſum; Et quidé Syricius Hieronymi, Ambroſij, ac Epiphanij æqualis apertiſſimè eam propugnat, vt ſubeat mirari Spalatenſem ad hanc lucem caligaſſe. Vt eius teſtimonium eleuet, *Syri-*
Spalat. Num.19. *cium illum eſſe ſcribit, cuius ſimplicitati illuſerit Ruffinus Origenis aſſectator; Ita vt, inquit, fœmina Marcella tunc melius Romanam Eccleſiam propugnarit, quàm Papa: Origeniſtis reſiſtendo, quibus Syricius ſua ſimplicitate non reſiſtebat.* Sed iniquiorem ſe tanto viro præbet audaciſſimus deſertor, Ruffinus homo vafer & callidus, veluti Catholicus, ac ab Origenis hæreſibus alienus, apud Syricium, qui de ſuo ingenio cæteris æſtimarát ei impoſuerat, ac eius ſimplicitati illuſerat,

quod

quod nimirum homo purus, apertus, nihil tectum, nihil ſimulatum habens, ſubeſſe fraudem, non putaret, nec animum inducere poſſet, vt crederet iactatorem pietatis vafrè, & malitiosè ſecum agere velle. Quid ergo in ea re peccauit vir innocentiſſimus? An, authore Ruffino, Origeni aliquando fauit, aut eius in Eccleſiam errores inuexit? Certè in candido pectore ſummam fuiſſe doctrinam, adeoque eximias boni Paſtoris dotes teſtatu cum collegis Ambroſius: *Recognouimus,* inquiunt, *litteris ſanctitatis tuæ, boni Paſtoris excubias, qui diligenter commiſſam tibi ianuam ſeruas, & pia ſollicitudine Chriſti ouile cuſtodias, dignus quem oues Domini audiant, & ſequantur.* Et tamen poſt tantorum virorum iudicium, audet homo inſolentiſſimus eius ſimplicitatem infamare. Cæterùm, & hoc quoque aduertendum eſt, hoc authore, Romæ Iouiniani hæreſim, quæ Preſbyterorum & Epiſcoporum continentiam, teſte Hieronymo, euerteret, damnatam & repreſſam, vt mirum non ſit aduerſus gliſcentem voluptuariam doctrinam, continentiæ ſacerdotalis leges, refricaſſe eximium Pontificem. At quàm eſt hîc inconſtans Spalatenſis; *Syricium,* inquit, *ego obſeruo valdè cupidum, vt ſacri Miniſtri cum omni continentia viuerent: quis enim hoc non cupiat, ſi Paulus Laïcis etiam ſuadebat, vt ipſum imitarentur, & eſſent ſine vxore? Sed tamen Syricium, continentiam præcepiſſe non inuenio: quem nihilominus paſſim faciunt ſcriptores primum continentiæ Clericalis aſſertorem, ac legiſlatorem. Continentiam hanc ille plurimùm commendauit, & ad eam Clericos eſt cohortatus; cogendos tamen eſſe Syricius nunquam aut ſenſit, aut dixit. Ad Himerium enim Tarraconẽſem ſcribens, poſtquam in continentiæ laudibus, & neceſſitate eſt diutius verſatus; hæc addit; Quicunque itaque ſe Eccleſiæ vouit obſequiis à ſua infantia; ante pubertatis annos baptizari, & Lectorum debet miniſterio ſociari. Qui ab acceſſu adoleſcentiæ vſque ad trigeſimum ætatis annum, ſi probabiliter vixerit, vna tantùm, & ea quam virginem communi per Sacerdotem benedictione perceperit, vxore contentus, Acolythus & Subdiaconus eſſe debebit: Poſt quæ ad Diaconij gradum, ſi ſe ipſe primitus continentia præeunte, dignum probarit, accedat. Vbi ſi vltra quinque annos laudabiliter miniſtrarit, congruè Presbyterium conſequatur. Exinde poſt decennium Epiſcopalem Cathedram poterit adipiſci; ſi tamen per hæc tempora integritas vitæ, ac fidei eius fuerit approbata.* Immeritò igitur eum in illorum numero ponit, qui decretis & edictis, continentiam à ſuis coniugibus, ſacris miniſtris præceperint? An non hæc tua ipſiſſima ſunt verba Antoni? *Quid obſecro mouit Syricium; quid Innocentium; quid poſtea tot Conciliorum Patres, & Romanos Pontifices; vt toties, & tam frequentibus decretis, & edictis à coniugibus continentiam præciperent, & renouatis toties per ſingulas ætates decretis, ad eam ſeruandam ſacros Miniſtros compellere ſategerint; niſi quia maximam inueniebant repugnantiam; imò apertam interdum reſiſtentiam, & frequentiſſimam tranſgreſſionem?* Ex eodem igitur ore calidum, & frigidum efflas; ſed te in Syricio valde hallucinatum verba Syricij oſtendunt. Proculdubio enim ex præſcripto legis contra ſacros Miniſtros incontinentiæ ſordibus inquinatos agit, & crimen, clamat eſſe ſolutiorem illam vitam Preſbyterorum, & Leuitarum etiam cum propriis vxoribus, cum quibus nullo Canonum reſpectu miſcerentur. *Plurimos Sacerdotes, atque Leuitas,* inquit, *poſt longa conſecrationis ſuæ tempora, tam de coniugibus propriis, quàm etiam de turpi coïtu ſobolem didicimus procreaſſe, & crimen ſuum hac præſcriptione defendere, quia in veteri teſtamento Sacerdotibus ac miniſtris, generandi facultas legitur attributa. Dicat mihi nunc quiſquis ille eſt ſectator*

Ad Syriciũ Papam.

Spalat. Num. 19.

1. Cor. 7.

Syric. ep. 1. c. 9. habetur d. 32. c. Plurimos.

Spalat. Num. 41.

Syric. ep. ad Hime. Tar. Epiſco. c. 7.

libidinum, præceptorque vitiorum, ſi æſtimat, quod in lege Moyſis paſſim ſacris ordinibus à Domino laxata ſunt fræna luxuriæ, cur eos quibus committebantur ſancta
Leuit.20. *ſanctorum, præmonet dicens: Sancti eſtote, quia ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter. Cur etiam procul à ſuis domibus anno vicis ſuæ, in templo habitare iuſſi ſunt Sacerdotes? hac ſcilicet ratione, ne vel cum vxoribus carnale poſſent exercere commercium, vt conſcientiæ integritate fulgentes acceptabile Deo munus offerrent. Quibus etiã expleto deſeruitionis ſuæ tẽpore, vxorius vſus ſolius ſucceßionis cauſa fuerat relaxatus, quia non ex alia, niſi ex tribu Leui, quiſquã ad Dei miniſterium fuerat*
Matth.5. *præceptus admitti. Vnde Dominus Ieſus cũ nos ſuo illuſtraſſet aduentu, in Euangelio proteſtatur, quia legem venerit implere, non ſoluere: & ideo Eccleſiam cuius ſponſus*
Cant.4. *eſt ſpecioſus forma caſtitatis voluit ſplendore radiare, vt in die iudicij, cùm rurſus aduenerit, ſine macula & ruga eam poßit, ſicut per Apoſtolum ſuum inſtituit, reperire.* Ecce primum crimen vocat liberorũ procreationem, cui Sacerdotes & Leuitæ, contemptis ſacris Eccleſiæ legibus indulgerent, eorúque defenſionem refellit, ac demum addit; *Quarum ſanctionum Sacerdotes omnes, atque Leuitæ inſolubili lege conſtringimur; vt à die ordinationis noſtræ ſobrietati, ac pudicitiæ, & corda noſtra mancipemus & corpora, dummodo per omnia Deo noſtro in his, quæ*
Rom.8. *quotidie offerimus, ſacrificiis placeamus. Qui autem in carne ſunt dicente electionis*
1.Cor.3. *vaſe, Deo placere non poſſunt. Vos autem iam non eſtis in carne, ſed in Spiritu, ſi*
2.Cor.6. *tamen Spiritus Dei habitat in vobis. Et vbi poterit niſi in corporibus ſanctis Dei Spiritus habitare? Et quia aliquanti de quibus loquimur, vt tua ſanctitas retulit, ignoratione lapſos ſe eſſe deflent, his hac conditione miſericordiam dicimus eſſe non negandam, vt ſine vllo honoris augmento, in hoc quo detecti ſunt, quandiu vixerint officio perſeuerent, ſi tamen poſt hæc continentes ſtatuerint ſe exhibere. Hi verò qui illiciti priuilegij excuſatione nituntur, vt ſibi aſſerant veteri hoc lege conceſſum, nouerint ſe ab omni Eccleſiaſtico honore, quo indignè vſi ſunt, Apoſtolicæ ſedis authoritate deiectos, nec vnquam poſſe veneranda attrectare myſteria, quibus ſeipſi, dum obſcœnis cupiditatibus inhiant, priuauerunt. Et quia exempla præſentia cauere nos præmonent in futurum, ſi quilibet Epiſcopus, Presbyter, aut Diaconus (quod non optamus) deinceps fuerit talis inuẽtus, iam nunc per nos ſibi omnem indulgentiæ aditũ intelligat obſeratum: quia ferro neceſſe eſt, excindantur vulnera, quæ fomentorum non ſentiunt medicinam.* Nec contentus legibus egiſſe, harum violatores plectit, & Apoſtolicæ ſedis authoritate omni dignitate ſpoliat. *Hi verò*, inquit, vt retulimus ſuperius. An non igitur verè palpat in meridie, qui hic cœlibatus Sacerdotalis legem non inuenit? Alia etiam epiſtola ad Africanos; Et ſi hortari ſe, monere, rogare, ſuadere, non præcipere dicit, quis tamen ſubeſſe quoque præceptum, piis iſtis & charitatem Apoſtolicam ſpiritantibus adhortationi-
Syric.ep.ad Afr. bus, non intelligat, non aduertat, non iudicet? Verba eius ſunt; *Præterea*, inquit, *quod dignum, & pudicum, & honeſtum eſt, ſuademus vt Sacerdotes & Leuitæ eum vxoribus ſuis non coëant; quia in miniſterio diuino à quotidianis neceßi-*
1.Cor.7. *tatibus occupantur. Ad Corinthios namque ſic Paulus ſcribit dicens; Abſtinete vos, vt vacetis orationi. Si ergo Laïcis abſtinentia imperatur, vt poßint deprecantes audiri, quantò magis Sacerdos vtique omni momento paratus eſſe debet, munditiæ puritate ſecurus, ne aut ſacrificium offerat, aut baptiſare cogatur? qui ſi contaminatus eſt carnali concupiſcentia quid faciet? excuſabit? quo pudore, qua mente vſurpabit? qua conſcientia, quo merito hic exaudiri ſe credit, cùm dictum ſit: Omnia munda mundis, coinquinatis autem & infidelibus, nihil mundum.* Ecce ducto à

Laïcis

Laïcis argumento, iſtiuſmodi continentiam ſacris miniſtris imperari, ac contrarium vſum, *opprobrium Chriſtianæ religionis*, vocat, hunc congreſſum illicitum clamat, & tamen vix, ac ne vix quidem præceptum inuenire poteſt homo planè cœcus. Superat verò omnem impudentiam, quod addit *parum Chriſtianè Siricium de his ſenſiſſe. Illud tamen*, inquit, *mihi diſplicet, ac fermè intolerabile eſſe cẽſeo, quod in ſuis amplificationibus Siricius terminos pietatis, ac fermè fidei exceſſerit, dum Chriſtianum legitimè coniugatum, inter coinquinatos, ac infideles immundos reponit.* Itaque primum per ſummam ſuperbiam, & audaciam magni Pontificis cenſorem agit, eumque immanis erati poſtulat, ſcilicet vt Caluino, ac reliquis Eccleſiæ hoſtibus, propinet, qui intolerabili quoque calumnia cum, *coniugium, pollutionem*, vocaſſe inflatis buccis proclamare non verentur. Quaſi verò pro legitimis coniugiis, non verò pro meris ſcortationibus habuerit ea coniugia, à quibus pœnitentes deterret, ne ſe pollutionibus deuinciant, & inquinent? An non obſcœnas cupiditates, & inhibitos concubitus notat? *De his verò*, inquit, *non incongruè dilectio tua Apoſtolicam ſedem credidit conſulendam, qui, acta pœnitentia, tanquam canes ac ſues ad vomitus priſtinos, & ad volutabra redeuntes, & militiæ cingulum, & ludicras voluptates, & noua coniugia, ſi inhibitos denuò appetiuere concubitus. Quorum profeſſam incontinentiam, generati poſt abſolutionem filij prodiderunt.* Quis igitur vel fando audiuit, vel legendo didicit fuiſſe vnquam in Eccleſia, pro legitimo inito matrimonio, impoſitam coniugatis pœnitentiam? An non proinde hæc mera eſt è Caluini ſchola, calumnia? At etiam arceſſit capitis Siricium, quod illa verba Pauli, *qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt*, applicare thoro coniugali, qui *thorus ſit immaculatus*, veritus non ſit; ſcilicet calumniam ex calumnia nectit, quaſi verò quoque Siricius infames Preſbyterorum & Leuitarum concubitus coniugio deputarit, aut tribuerit, non verò magis pro meris ſcortationibus, pro adulteriis, adeoque pro inceſtis habuerit? Errantem Spalatenſem in viam reuocare potuiſſet Hieronymus, quippe qui non dubitarit pronunciare immane flagitium eſſe, ſi Epiſcopus etiam coniugis congreſſu, ſe polluerit: *Si*, inquit, *deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter condemnabitur. Aut permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem ſint virgines quod mariti, aut ſi Sacerdotibus non licet vxores tangere in eo ſancti ſunt, quia imitantur pudicitiam virginalem.* Quis igitur non videat rectè omnino in huiuſmodi impuriores miniſtros illud Apoſtoli vſurpari, *qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt?* Nec propterea coniugia legitima Laïcorum proſcindit Siricius, quandoquidem etſi liberis vacant, ac iſta ratione in carne ſunt, nullo tamen ſe deteſtabili carnis affectu, aut execranda labe, quod ſolutiores illi Clerici faciunt, inquinant aut conſpurcant. Vacant illi rei licitæ, hi nefandis voluptatibus indulgent; Neque rurſus Siricium illa Pauli verba, *honorabile connubium, & thorus immaculatus*, lædunt; Hæc enim encomia in legitima coniugia Laïcorum, non in ſcortationes Clericorum' conueniunt. At Siricius ſolum ſcelerata matrimonia iſtorum contra ius faſque inita, carnis deteſtandos affectus, qui à Deo abducant, nec de eo cogitare, aut ei placere ſinant, damnat; Sed de loco Pauli videro alibi; Quid de Siricij ſanctionibus cenſuerit inſequuta ætas, aperit Spalatenſis; *Non multò poſt Siricium Innocentius conſiderans quotidianas fermè eſſe debere Sacerdotum noſtrorum ſacras occupationes, præcipit, ac ſtatuit, vt Presbyteri & Leuitæ cum vxoribus ſuis non coëant: quia miniſterij quotidiani neceſſitatibus occupantur. Et Siricij adhortationes præcepta fuiſſe ſupponit, & con-*

Eod. nu. 19.

Siric. ad Hime. Tar. Epiſcop.

D. Hier. l. 2. adu. Iouin.

Rom. 8.

Heb. 13.

Spalat. Num. 19. in fin.

Diſt. 32. c. tenere.

Diſt. 82. c. propoſuiſti.

tendit. Itaque Innocentij laudatiſſimi Pontificis iudicio legem aduerſus voluptuarios Preſbyteros, ac Leuitas fixit, aut potius renouauit. Neque enim Innocentius huius decreti, tam authorem facit Siricium, quàm inſtauratorem, quippe qui vt loquitur *ad diuinarum legum diſciplinam prouocet*, ex qua colligit omnino debere cœlibes viuere ſacros miniſtros, quod certè ad ſola tempora quæ Siricij decretum ſunt inſequuta, referri non poteſt; Et omnino verum eſt labante diſciplina, veluti refixam ante Siricij tempora iacuiſſe legem de ſacrorum miniſtrorum cœlibatu; propterea eam denuò fixiſſe, aut potius ad priſtinum ſtatum rem omnem reuocaſſe. Hac ratione adducti Patres Concilij Carthaginenſis ſecundi, quamquam ad eos Siricij decretum peruenerat, haud tamen, ſacræ iſtius pudicitiæ, illum ſuaſorem primum, ſed Apoſtolos faciunt. Torquet hic Canon Spalatenſem, & viciſſim ab eo torquetur; *Poſt Siricium*, inquit, *proximè imò eo fortaſsis adhuc ſuperſtite, celebratum Concilium 2. Carthaginenſe, ſic habet, Aurelius Epiſcopus dixit; Cùm in præterito Concilio de continentiæ & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres, conſtrictione quadam caſtitatis, per conſecrationes annexi ſunt; Epiſcopos, inquam, Presbyteros, & Diaconos ita placuit, vt condecet ſacroſanctos Antiſtites, & Dei Sacerdotes, nec non & Leuitas, vel qui Sacramentis diuinis inſeruiunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſsint ſimpliciter, quod à Deo poſtulant impetrare, vt quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſeruauit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Hic profectò Canon nil plus quàm Siricius ſanxit, aut præcepit: vt illi tres gradus continentes ſint in omnibus. Hæc verò continentia poteſt primùm intelligi, vt non ducant vxores, poſt ordinem maiorem ſuſceptum; ſecundò vt continentiam ſeruent coniugalem, ſuo ſolo thoro contenti: tertiò vt ab vxoribus abſtineant, dum in diuinis* (*vt innuit Canon ipſe*) *Sacramentis inſeruiunt.* Hæc deprauatoris, ac ſeductoris ſunt commenta, à mente Concilij prorſus aliena. Audiamus Patres ſuum ſenſum aperientes: *Aurelius Epiſcopus:* (*alij Codices Epigonium habent:*) *Cùm in præterito Concilio de continentiæ & caſtitatis moderamine tractaretur, gradus iſti tres, conſtrictione quadam caſtitatis per conſecrationes annexi ſunt, &c.* Quid adhæc Spalatenſis: *Hic profectò Canon*, inquit, *nil plus quàm Siricius ſanxit, aut præcepit: vt illi tres gradus continentes ſint in omnibus. Hæc verò continentia poteſt primùm intelligi, vt non ducant vxores poſt ordinem maiorem ſuſceptum: ſecundò, vt continentiam ſeruent coniugalem, ſuo ſolo thoro contenti: tertiò, vt ab vxoribus abſtineant, dum in diuinis* (*vt innuit Canon ipſe*) *Sacramentis inſeruiunt.* At, vt dixi, hæ meræ ſunt deprauationes Canonis, & corruptelæ, *in omnibus*, enim continentes eſſe vult ſacros miniſtros, quod ad illas vices, quas nouo commento inducit Spalatenſis, referri non poteſt; Neque dicunt Patres continentes eſſe debere, *dum Sacramentis inſeruiunt*, quod impoſtor obtrudit, ſed *Sacerdotes & Leuitas, & omnino qui Sacramentis diuinis ſeruiunt*, continentiæ legibus ſubiiciunt. Non intelligere verò continentiam coniugalem vni thoro addictam planum eſt, quod hæc etiam ad Laïcos coniugatos pertineat, cùm tamen ſpeciatim de ſacris miniſtris ſtatuant; Neque etiam eò lex tendit, vt poſt maiorem ordinem ſuſceptum non nubant, quandoquidem continere etiam à propriis vxoribus iubent. Sed vanas illas commentationes facilè diſſiparint, ac diſpunxerint Epiſcoporum ſuffragia. *Ab vniuerſis Epiſcopis dictum eſt: Omnibus placet vt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiam ab vxoribus ſe abſtineant. Ab omnibus dictum eſt: Placet vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altari*

SPALAT. Num. 20. Conc. Carthag. 2. c. 2. habetur diſt. 84. c. cũ in præterito.

Conc. Carthag. 2. c. 2. habetur diſt. 84.

Conc. Carthag. 2. c. 2.

altari deſeruiunt. Hic antiquitatis Cenſorem non bonus Criticus agit, atque veteri editioni recentem præfert Colonienſem: *Melior igitur*, inquit, *eſt alia lectio quàm Colonienſis editio, Petri Crab, alio charactere expreſsit, nimirum; Fauſtinus Epiſcopus Eccleſiæ Potentinæ, Prouinciæ Piceni, Legatus Eccleſiæ Romanæ, dixit: Placet vt Epiſcopi Presbyteri, &c. vt ſuprà. Sed non fuit in Concilio admiſſum hoc continentiæ decretum, eo modo quo à Romano Legato proponebatur: ſed admiſſum eſt in genere duntaxat, videlicet; vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altario deſeruiunt.* Sed illotis quod aiunt manibus hæc attrectat, non enim Fauſtinus Potentinæ Epiſcopus, Bonifacij in ſexto Concilio Carthaginenſi Legatus ſecundo huic interfuit, & mendum eſt, & interpolatio à falſaria manu, quod hic recenſeatur, ſcilicet cùm rapſodiæ Conciliorum Carthaginenſium conditor, hunc Canonem inſcitè admodum exiſtimarit eſſe Concilij ſexti, Fauſtinum inuexit quem loquentem induceret, atque per ſummam oſcitantiam Canonem interpolauit, addito Fauſtini nomine & ſententia, cùm tamen nec Synodo interfuerit, nec in eo ſententiam dixerit. Vera igitur lectio eſt, quam habent vetuſtiores editiones, atque Fauſtini nomen omnino eſt ex hoc Concilio expungendum. Spalat. Num. 21.

At, inquit deſertor, *vbi Apoſtoli docuerunt* CLERICOS A PROPRIIS *debere perpetuò abſtinere vxoribus? aut ex qua id conſtat antiquitate? conſtat tamen continentiam in genere, ab illicito coïtu, præcipi & doceri: & ex antiquitate vxores, non eſſe in ſacris ordinibus ducendas: & orationis tempore ab vxoribus abſtinendum.* Spalat. Num. 20.

Reſpondeo & facto, & verbo id docuerunt Apoſtoli; De facto liquet, cùm à propriis coniugibus ipſi primùm abſtinuerint, ac quod attinet ad maritales amplexus eis nuncium remiſerint, vt Chriſto ſe totos manciparent. Audi Tertullianum: *Diſciplina igitur Apoſtolorum propriè quidem inſtruit, ac determinat principaliter ſanctitatis omnis erga templum Dei antiſtitem, & vbique de Eccleſia eradicantem omne ſacrilegium pudicitiæ ſine vlla reſtitutionis mentione.* Tertul. l. de Pud. c. 20.

Audi Hieronymum Iouiniani impurum dogma refellentem, quod etiam Apoſtolorum exemplo fulciret; *Venit*, inquit, *ad Euangelium, & proponit nobis Zachariam, & Elizabeth, Petrum, & ſocrum eius: & conſueta vecordia non intelligit iſtos quoque inter eos, qui legi ſeruierint debuiſſe numerari. Neque enim Euangelium ante crucem Chriſti eſt, quod paſſione & ſanguine ipſius dedicatur. Iuxta quam regulam Petrus, & cæteri Apoſtoli, vt ei ex ſuperfluo interim concedam, habuerunt quidem vxores, ſed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium neſciebant. Qui aſſumpti poſtea in Apoſtolatum, relinquunt officium coniugale. Nam cùm Petrus ex perſona Apoſtolorum dicit ad Dominum: Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: Reſpondit ei Dominus: Amen dico vobis, quoniam nemo eſt qui dimiſerit domum aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat multa plura in ſeculo iſto, & in ſeculo futuro vitam æternam.* D. Hier. l. 1. adu. Iouin. Matth. 19.

Docuiſſe autem hanc continentiam, ac verbo tradidiſſe, quod omnino aſſeuerant Patres ſecundæ Synodi Carthaginenſis, ex duplici capite colligitur, primùm ex Scriptura, demùm ex traditione Eccleſiæ, & quidem primò non deſunt ſcripturæ, quibus hanc continentiæ legem ab ipſis Apoſtolis manaſſe, vt proinde Apoſtolicam eſſe valde probabiliter doceatur; Vult enim Paulus *Epiſcopum ſobrium & continentem eſſe*, quem locum verſans Hieronymus, noſtram ſententiam planè probat; *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum deſiderat gradum: Sed bonum opus deſiderat*, inquit Hieronymus, *quod in maiori ordine conſtitutus, poſsit ſi velit occaſionem exercendarum habere virtutum. Oportet ergo Epiſcopum irrepre-* Tit. 1.

hensibilem esse, vt nulli vitio mancipatus sit: vnius vxoris virum, qui vnam vxorem habuerit, non habeat: Sobrium, siue vt melius in Græco dicitur, vigilantem, id est, νηφάλιον: *pudicum, hoc enim significat* σώφρονα, *ornatum & castitate, & moribus.* Hieronymus igitur non solùm ex hoc loco Pauli ad Titum, verùm etiam ex alio ad Corinthios colligit continentiam etiam à propriis vxoribus, Presbyteris, &
1. Tim. 4. Episcopis imperari. Idem Apostolus Timotheum cohortatur, *vt exemplum se præbeat fidelibus in castitate*, hoc est, vt in puritate cæteris omnibus exemplo præluceat; Id autem quomodo præstabit Episcopus, si hoc vno nomine commendetur, quod præter vxorem aliam non ineat, sed vnius mulieris cõplexibus contentus vitam traducat, cùm id etiam ab infimo quoque fidelium omnino requiratur? Exigitur ergo ab eo præcipua quædam ac eximia castitas, qua vt inquit Hieronymus, *instar sit archetypi, ac primariæ formæ, ex qua viua continentiæ si-*
Hier. ad illum locum. *mulachra exprimantur*, vt planè necessarium habeat absolutè continere, quo etiam, aliis continentibus, ac Deo dicatis virginibus, exemplo esse possit. Eodem spectat, quod proximo capite ad Timotheum dicit; *Teipsum castum custodi*, neque enim de coniugali castitate loquitur, quasi hoc vnum metuens ne adulterio inquinaret se Timotheus, quem tantæ ciuitati, ac Prouinciæ Episcopum præfecerat, & tam multorum testimonio approbatum ordinauerat, sed quia cœlibem vitam agebat, & iuuenis erat, ab Apostolo fuit ad castitatem cohortandus: Alia Pauli loca afferunt nostri, de quibus erit nobis infra disserendum, sed his putamus satis probari, de nihilo non esse quod nostri ad Apostolos cœlibatus legem referant; Id verò, secundò, docet ipsa traditio Ecclesiæ, quæ castissimi decreti eos authores profert, vt ex illo Canone secundæ Synodi Car-
Spalat. Num. 22. thaginensis, quem expendimus, omnino apparet. Sed properemus; *Paulò pòst*, inquit Spalatensis, *sub Anastasio Siricij proximo successore, celebratum est Concilium V. Carthaginense, in quo etiam de hac continentia Clericorum ab vxoribus ita sta-*
Dist. 84. c. cũ de quorundam, & dist. 32. c. placuit. Conc. Afri. c. 37. *tutum est cap. 3. Præterea cùm de quorumdam Clericorum, quamuis erga vxores proprias (in Concilio Carthaginensi, quod in lib. Canonum ex multis collectum ponitur, sic legitur ca. 25. Quamuis Lectorum erga vxores proprias) incontinentia referretur, placuit Episcopos, Presbyteros & Diaconos secundum propria (aliàs priora) statuta, etiam ab vxoribus continere. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico remoueantur officio. Cæteros autem Clericos ad hoc non cogi; sed secundum vniuscuiusque Ecclesiæ consuetudinem obseruari debere.* Sed hic quoque immaniter errat, ac primùm quidem insciter admodum aliam lectionem ex farragine Conciliorum Africanorum obtrudit, cùm vera germanaque sit ea quam textus Canonum V. Synodi præfert. *Placuit Episcopos, Presbyteros & Diaconos secundum propria statuta, etiam ab vxoribus continere, &c.* Perperam quoque *iuxta priora statuta*, refert ad tempus, & dies quibus per vices altari ministrarent Episcopi, Presbyteri & Diaconi. Nouitiorum Græcorum scilicet suorum Trullanorum est hoc commentum; qui vt vim Canonis eluderent, ac ad suorum Presbyterorum coniugia traherent & accommodarent, huiusmodi Sacerdotum vices priscæ Ecclesiæ, nunquam agnitas aut probatas cogitarunt, atque suæ linguæ ambiguitate freti κατ' ἰδίους ὅρους, *propria statuta* in *proprios terminos*, verterunt. Cæterùm ὅρος propriæ Canonem, sanctionem, statutum & decretum significare ipsi Græci agnoscunt in huius ipsius Concilij versione: sic enim recensentes statuta Nicæna ὅρους vocant, ὅρους τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου, sic ad Canonem vigesimum, οἱ ὅροι τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου ἐν ἅπασι κεφαλαίοις διεγράφησαν. Quare hic

non

Digitized by Google

non erat, quod ἴδιους ὅρους proprios terminos, ſed propria quoque ſtatuta dicerent. Facile autem probari poteſt alternantem illum cœlibatum, & illas miniſterij vices, quas ad nauſeam vſque repetit, & inculcat aduerſarius, nunquam agnouiſſe priſcos Patres, ſed nuperum eſſe Trullanorum inuentum; conſtat id primùm ex decretis antiquiorum Synodorum, quæ haud illam alternantem & temporariam, ſed perpetuam ac conſtantem continentiam à Clericis requirunt. Concilium Elibertinum; *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconibus, vel omnibus Clericis poſitis in monaſterio, abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & non generare filios; quicunque verò fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* Et hæc quidem in Hiſpania Africæ contermina ſancita ſunt. Arelatenſe 2. *Aſſumi aliquem ad Sacerdotium non poſſe in vinculo coniugij conſtitutum, niſi fuerit promiſſa conuerſio.* Carthaginenſe 2. id quoque clariſſimè oſtendit; Fauent Patres omnes tum Latini, tum Græci. Ambroſius: *Inoffenſum, exhibendum, & immaculatum miniſterium, nec vllo coniugali coïtu violandum cognoſcitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipſo conſortio coniugali, ſacri miniſterij gratiam recepiſtis.* Hieronymus: *Ecce perſpicuè nuptias diximus concedi in Euangelio: ſed tamen eaſdem in officio ſuo permanentes, præmia caſtitatis capere non poſſe. Quod ſi indignè accipiunt mariti, non mihi iraſcantur, ſed ſcripturis ſanctis, imò Epiſcopis, & Presbyteris, & Diaconis, & vniuerſo choro Sacerdotali, & Leuitico: qui ſe nouerunt hoſtias offerre non poſſe, ſi operi ſeruiant coniugali.* Auguſtinus: *Vnde iſtos,* inquit, *qui virilem excellentiam non putant, niſi peccandi licentiam, quando terremus ne adulterinis coniugiis hærendo pereant in æternum, ſolemus eis proponere etiam continentiam Clericorum: qui plerunque ad eandem ſarcinam ſubeundam rapiuntur inuiti, eamque ſuſceptam vſque ad debitum finem, Domino adiuuante perducunt.* Euſebius Cæſarienſis: *Meritò aliquis quæſierit, &c. quænam cauſa ſit, vt illi quidem in nuptiis, & procreatione liberorum plurimum ſtudij poſuerint, nos verò hanc partem negligamus, &c. Aduerſus hæc talem licet ex ipſis Hebræorum oraculis, rationem colligere. Quicunque ante Moſem in laude pietatis nomen adepti ſunt, hi tunc initium habente, tuncque primùm exiſtente vita, fuiſſe memorantur: quæ verò ad nos pertinent, tendere ad finem. Quare illos magna cum cura ſobolis incrementum quæſiuiſſe, cùm per illud tempus, & numerus hominum augeſceret, & multiplicaretur: atque in dies robur acciperet genus humanum: nobis verò non admodum curæ eſſet hoc, vt pote cùm res iam interire ac deſinere, atque ad extremum finem tendere credantur, quando planè dicitur ante vitæ conſummationem, Euangelicam in foribus eſſe doctrinam, & renouatio ac generatio alterius ſeculi, quod breui inſtet, futurum denuntiatur.* Epiphanius: *Ita enim profectò ſeſe res habet, vt poſt Chriſti in orbem terrarum aduentum, eos omnes, qui ſecundum priores nuptias mortuâ vxore alterâ ſeſe nuptiis illigarint, ſanctiſſima Dei diſciplina reijciat: propterea quod incredibilis eſt Sacerdotij honor & dignitas. Atque iſtud ipſum ſacroſancta Dei Eccleſia, cum omni prouiſione diligentiaque ſeruat. Quin eum inſuper qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi vnius ſit vxorus vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit. Sed eum duntaxat, qui ab vnius vxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus: quod in illis locis præcipuè fit, vbi Eccleſiaſtici Canones accuratè ſeruantur.* Non igitur vllo Canone Preſbyteris præcipitur, vt ad tempus, cùm ſcilicet eſt in ordine vicis ſuæ, quod obtrudit Balſamo ab vxorum complexu abſtineat, ſed perpetuam

Conc. Elib. Can. 33.

Can. 2.

De offic. l. 1. c. vlt.

Apolog. ad Pammach. pro libris adu. Iouin.

De adulterinis coniugiis l. 2. c. 20

De Demonſtratione Euang. l. 5. c. 9.

Epiph. hær. 59.

Καὶ γὰρ τῷ μὲν ὄντι οὐ λήξεται τὸ ἄμοιρον θεῖον κέντρωμα μὴ ἐκ τοῦ χειροῦ ἐκδιώκων τὸν ἀπὸ πρώτου γάμου τελευτησάντος ἀνδρὸς γυναικὸς δευτέρῳ γάμῳ συναπτόμενος, διὰ τὸν ἀφελόμενον τῆς τιμῆς τὸ ἰσοφυὲς. ἐχ τούτου ἀσεβεῖς ἡ ἁγία τοῦ θεοῦ ἐκκλησία μὴ ἀκριβῶς παραφυλάττεται. ἀλλὰ καὶ τὸν ἐν βιοῦντα ἐχ τετραγαμοῦντα, μιᾶς γυναικὸς ὄντα ἀνδρα, οὐ λήξεται, ἀλλὰ ἀπὸ μιᾶς ἐγκρατεύσασθαι, ἢ γαμεῖσθαι, διάκονόν τε ἐχ προσδέξεται, καὶ ἐπίσκοπον, καὶ πρεσβύτερον διάκονον μάλιστα ὅπου ἀκριβὴς χαράττεται ἡ ἐκκλησιαστική.

continentiam imponit. Sed quî poſſit is Canon ad temporarias illas miniſterij vices curuari, cùm Epiſcopos complectatur, quos perpetuæ continentiæ addictos ac omnino aſtrictos, etiam Græci ipſi fatentur ac prædicant: Itaque ſceleratè Spalatenſis, vt Græcis quoque propinaret, Canonis ſenſum corrupit. Quod vero Canon propriæ vxoris complexus interdicit ſacris miniſtris, oſtendit eò referri non poſſe, vt intelligatur de vxore non ducenda ab eo qui ſit maioribus ordinibus initiatus. At verò quod diximus inuectam in Canonis textum aliam, *de lectoribus*, lectionem; ſpuriam eſſe probant vetuſti codices omnes, probat Gratianus, probat quoque emendatior Græca lectio, quæ ſic habet: *Aurelius Epiſcopus dixit: Adijcio his fratres in primis venerabiles, dum refertur de continentia quorundam Clericorum erga ſuas vxores, præterquam Lectorum, id quod in diuerſis Canonibus confirmatum eſt, vt Hypodiaconi qui ſacra myſteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri in propriis terminis (ſecundum propria ſtatuta) à coniugibus abſtineant, vt ſint tanquam non habentes: quod niſi fecerint, ab Eccleſiaſtico officio moueantur. Reliqui autem Clerici ad hoc non cogantur, niſi prouecta ætate.* De Lectoribus verò extat decretum tertiæ Synodi, quo planè oſtenditur Diaconos, Preſbyteros, & Epiſcopos omnimodam continentiam profiteri ſolitos. *Placuit vt Lectores cùm ad annos pubertatis venerint, cogantur aut vxores ducere, aut continentiam profiteri.* Perſequamur: *Agathenſe Concilium*, inquit Spalatenſis, *Innocentij primi, & mentem, & verba ſequutum, viginti circiter poſt ipſum annis, circa tempora Cœleſtini, dato iam publico Canone (qui mihi primus eſſe videtur, quo abſoluta & perpetua continentia, Presbyteris & Diaconis coniugatis indicitur) ita ſtatuit. Placuit etiam vt ſi Presbyteri, vel Diaconi coniugati ad thorum vxorum ſuarum redire voluerint, Papæ Innocentij ordinatio, vel Siricij Epiſcopi authoritas, quæ eſt his Canonibus inſerta, ſeruetur.* Sed primùm fallitur in aſcribendo tempore Concilij: non enim ſeculo Innocentij, aut tempore Cœleſtini, ſed ſeculo poſteriori, ac temporibus Symmachi eſt celebratum, permiſſu ſcilicet Alarici regis, ac authoritate Cæſarij Arelatenſis, qui Innocentij tempora videre minimè potuit; Immaniter verò errat in eo quod publici Canonis, quo cœlibatus Clericorum lex ſtatueretur, authores facit huius Concilij Patres, ac eum ſatis refellunt, quæ ſunt ſuprà à nobis tum de Siricio, tum de vetuſtioribus Conciliis Carthaginenſibus dicta. Et certè ipſi Patres ſatis apertè innuunt, non ſe noua decreta condere, ſed refixa denuò figere. *De diſciplina*, inquiunt in præfatione Concilij, *& ordinationibus Clericorum atque Pontificum, vel de Eccleſiarum vtilitatibus tractaturi, &c.* Itaque conuenerunt illi, vt collapſam Eccleſiaſticam diſciplinam excitarent, ac in priſtinum vigorem & nitorem reſtituerent: quod etiam ex eo colligitur, quod Innocentij primi ordinatione, vt Siricij Papæ authoritate niti ſe indicant; Mirum autem non eſt mitius egiſſe cum his ad quos Siricij, qui ſopitam & in pleriſque aliis terrarum locis extinctam diſciplinam veluti reſſuſcitarit, decretum non peruenisſet. Fuit enim temporum cõditioni, & communi hominum imbecillitati aliquid condonãdum. Cæterùm hoc ſuo Canone, quo in precio eximiis quibuſque Patribus, fuerit continentia Sacerdotalis, produnt, quippe quo eos, qui ſibi agnitum Siricij decretum, violaſſe deprehenderentur, omnino plectendos, ac ordine & loco mouendos duxerint. Certè niſi lex, qua publicata, omnes tenerentur præceſſiſſet, planè iniquum iudicaſſent, in eos animaduertere vtcumque Miniſtros Eccleſiæ continentiæ ſplendor deceret. Miror verò Spalatenſem

triginta

Conc. Carthag. c. 25. Αὐρήλιος ἐπίσκοπος εἶπεν· προσίθημι ἀδελφοὶ τιμιώτατοι, περὶ τῆς τῶν ἀναγνωστῶν ἐγκρατείας ἣν ἔχουσι πρὸς τὰς ἰδίας γυναῖκας τοῦ κλήρου, χωρὶς τῶν ἀναγνωστῶν, τὸ καὶ ὑπὸ διαφόρων συνόδων βεβαιωθῆναι, ὡς τοὺς ὑποδιακόνους τοὺς τὰ ἱερὰ μυστήρια ψηλαφῶντας, καὶ τοὺς διακόνους, καὶ πρεσβυτέρους, μηδὲ καὶ ἐπισκόπους τοῦ ἰδίους θεσμοὺς, ἢ καὶ τὸ συμβιωτικὸν ἐγκρατεύεσθαι, ἵνα ὡς μὴ ἔχοντες ὦσι. διὸ εἰ μὴ ποιήσουσι, τῆς ἐκκλησιαστικῆς ἀποκινδυνεύσουσι. τῶν δὲ λοιπῶν κληρικῶν, περὶ τούτου μὴ ἀναγκάζεσθαι, εἰ μὴ ὑπὸ τῆς συνειδήσεως κρίνεσθαι.

Can. 19. SPALAT. Num. 23. Conc. Agath. c. 9. Anno Chriſti 506.

triginta quinque Episcoporum confessui, Prouinciali scilicet Concilio, publici decreti statuendi authoritatem tribuisse. Synodus Turonensis prima, priorum Ann.486.
seculorum memoria anathemate percussos refert, eos qui legibus cœlibatus non stetissent, nec credo suas illi vmbras consectantur, aut de suo cerebro ista comminiscuntur. *Licet*, inquiunt, *à Patribus nostris è commissa authoritate id fuerit* Conc. Tur.
constitutum, vt quicunque Sacerdos vel Leuita, filiorum procreationi operam dare 1.c.2.
fuisset conuictus, à communione Dominica abstineret, nos tamen huic districtioni moderationem adhibentes, & iusta constitutione mollientes id decreuimus, vt Sacerdos vel Leuita coniugali concupiscentiæ inhærens, vel à filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non conscendat, nec sacrificia Deo offerre, vel plebi ministrare præsumat. Molliunt tamen primum seueriorem & acerbiorem animaduersionem, quod Barbarorum incursionibus vexata Gallia, labefactatam disciplinam viderent, ac mitiora remedia, & clementiores medicos, illa tempora expeterent, & postularent. Contenti igitur dignitate, & loco temeratores pudicitiæ mouisse, excommunicationis pœnam eis condonant ac relaxant. Firmauit Patrum suorum decretum sequens Synodus Turonensis, ac aliquantò etiam seuerius cum voluptuariis Clericis agendum duxit; *Archipresbyteri Vi-* Conc. Tur.
cani, & Diaconi, & Subdiaconi non quidem omnes, sed plures in hac suspicione te- 2.c.20.
nentur à populo, quod cum coniugibus suis maneant. Pro quare hoc placuit obseruare, vt quotiescunque Archipresbyter, seu in vico manserit, seu ad villam suam ambulauerit, vnus Lector Canonicorum suorum, aut certus aliquis de numero Clericorum cum illo ambulet, & in cella vbi ille iacet lectum habeat pro testimonio, &c. Reliqui Presbyteri & Diaconi, ac Subdiaconi Vicani hoc studio se custodiant, vt mancipiola sua ibi maneant, vbi vxores suæ; illi tamen segregatim solitarij in cella iaceant, & orent, & dormiant. Fateor ex his apparet refractarios multos tum in Galliis, tum alibi extitisse, qui ab illicitis illis mulierum complexibus minus abstinerent, sed non est hæc legum solùm Ecclesiasticarum conditio, vt refractarios multos patiantur. Habent id quoque leges diuinæ, quæ vix, ac ne vix quidem homines ad voluptatem per se inclinantes etiam sempiterni ignis minis additis à vitiis absterruerint, ac auocarint. Concilium Toletanum secundum omnino à nobis stat: *Illud*, inquiunt Patres, *præterea speciali ordinatione decreui-* Conc. Tol.
mus, quod nec antiqua Concilia in vniuersis penè Canonibus siluerunt, vt nullus 2.Can.2.
Clericorum à gradu Subdiaconatus, & suprà in consortij familiaritate habeat mulierem, vel ingenuam, vel libertam, vel ancillam: sed si sunt ei huiusmodi seruitia matri, vel sorori, vel alicui propinquæ contradat, & quicquid suis manibus profecerit, proprio Domino deferatur. Aut si propinquitas memorata deest, alterius domus adhærentis habitaculum requiratur, dum modo nulla occasio introëundi domum Clerici fæminæ permittatur, vnde aut laqueum possit incurrere, aut noxialis fama innocentiæ fortasse possit oriri. Aurelianense; *Nullus Clericorum à Subdiacono &* Conc. Aur.
suprà, & quos vxores in proposito suo accipere inhibetur, propriæ (si forte iam non 3.Can.42.
habeat) misceatur vxori. Quod si fecerit, Laïca communione contentus, iuxta priorum Canonum statuta ab officio deponatur. Quem si sciens Episcopus suus in hac vilitate permixtionis viuentem ad officium postea admiserit, & ipse Episcopus, ad agendam pœnitentiam tribus mensibus sit à suo officio sequestratus. Patres iam in aciem educit, sed ab Ecclesia etiam desertoris iudicio omnino stare videntur, propterea proximis paginis eos torquet, vt à sententia, aut potius à ratione deii-

ciat. Itaque vt ſingula Patrum loca diſcutiamus, ac à corruptelis Dalmaticis, Dalmatam in primis Hieronymum vindicemus, ac reliquis ſuum nitorem reddamus, erunt ea à nobis ordine excutienda; ſed prius eſt expendendum, quod ad

SPALAT. Num. 35. calcem ſuarum citationum obſeruandum ſibi ducit Aduerſarius; *Profectò*, inquit, *maximum ego obſeruo diſcrimen inter documenta, quæ in noſtro Occidente continentiam Clericorum etiam coniugatorum: & hæc quæ producuntur ad eandem continentiam in Orientali Eccleſia confirmandam. Æquales ſumus omnes, ac perfectiſſimè Orientales & Occidentales Eccleſiæ inter ſe conueniunt (ſunt enim vna & eadem Chriſti Eccleſia totalis & vniuerſalis) continentiam perfectam ſacro ordini eſſe conuenientiſſimam, plurimumque decere, vt Chriſti Sacerdotes vel virgines ſint, vel vidui cælibes, vel coniugati abſtinentes: & hoc contendunt Patres Latini pariter ac Græci; hoc cupiunt, hoc ſuadent quantum poſſunt omnes: hoc rationes ſuprà allatæ, tanquam optimum & conuenientiſſimum conuincunt. Sed aliud eſt rem eſſe conuenientem, decentem, & opportunam; aliud neceſſariam, &c.* Semper eſt ſui ſimillimus Spalatenſis, primum ſecum pugnat ipſe: hic enim ſcribit in Occidentali Eccleſia multas eſſe expreſſas leges, quæ præcipiant plenam & abſo-

SPALAT. Num. 70. lutam cõtinentiam, infra verò contrarium docet; *Dico*, inquit, 6. *ſacros miniſtros coniugatos, aliquos quidem ſua ſponte, & pietate, ac de conſenſu ſuarum vxorum, ſiue in Oriente, ſiue in Occidente, ad vitam perpetuò continentem ſe reduxiſſe: & ab vxorum complexibus perpetuò ſe remouiſſe. Alios tamen Epiſcopos ſuo vſos fuiſſe matrimonio citra errorem vllum, vllamve reprehenſionem, vt in Concilio Nicæno tractatum vidimus. Et ex Canone Apoſtolorum, Apoſtoliciſque Conſtitutionibus, & ex hiſtoriis iam confirmaui. Et quamuis poſtea Epiſcopi, inducta conſuetudine, vt ſi coniugati eſſent in ſui promotione, ceſſarent in poſterum ab opere nuptiarum, id tamen non faciebant ex religione, aut cautione, quaſi putarent id eis minimè licere, ſed ex deuotione & perfectioris cuiuſdam puritatis amore. Quod ita inualuit, vt nulli coniugati ſe ad Epiſcopatum promoueri paterentur, niſi obtento prius ab vxoribus conſenſu, & promiſſione continentiæ. Hanc tamen deuotionem non omnes Presbyteri, qui ſunt multò plures, ſunt amplexi; ſed ſoli qui liberè voluerunt: Et ita Presbyteris liberum manſit, vt qui poſſent capere caperent, &c.* Itaque dicit tam in Occidente, quàm in Oriente Preſbyteros liberos manſiſſe, vt qui poſſent capere caperent. Demum ſanctioribus illis, ac antiquioribus Eccleſiæ Orientalis luminibus Patribus Græcis magnam iniuriam facit, quos cœlibatus leges omnino ignoraſſe contendit; Neque enim dubium eſt apud illos Canonem extitiſſe, quo etiam eorum Clericis vxorum vſus interdiceretur, quanquam verum eſt inconſtantiſſimè hac in parte Græcos egiſſe, ac prauis inuectis conſuetudinibus, ſanctiſſima decreta infregiſſe, ac violaſſe, atque ab Eccleſiæ inſtitutis deflexiſſe, quare friuolum eſt, quod proximo numero addit, *vſu receptum contrarium morem*, id enim vt de quibuſdam probauerit, de aliis nuſquam probare poterit. Sed vt ait ille, *legibus viuimus, non exemplis.* Canon ille de quo agimus & quem in Oriente quoque viguiſſe aſſeueramus, ab Epiphanio magno Doctore, & Orthodoxo Epiſcopo agnoſcitur, atque contrarius vſus damnatur, de quo videro infrà. Ex-

SPALAT. Num. 26. Hier. adu. Iouin. l. 1. pendamus iam Patrum Latinorum teſtimonia. *Hieronymus*, referente etiam Spalatenſi; *Iouinianum oppugnatorem virginitatis ſic alloquitur. Sed & ipſa Epiſcopalis electio mecum facit. Non enim dicit (Paulus) eligatur Epiſcopus qui vnam ducat vxorem, & filios faciat; ſed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni ſub-*

ditos

ditos disciplina. Certè confiteris non posse esse Episcopum, qui in Episcopatu filios faciat: alioquin si deprehensus fuerit, non quasi vir tenebitur, sed quasi adulter damnabitur. Aut permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem sint virgines quod mariti; aut si Sacerdotibus non licet vxores tangere, in eo sancti sunt, quia imitantur pudicitiam virginalem.

Quid ad hæc Spalat. *Hieronymus*, inquit, *Episcopos quidẽ aut sine vxoribus, aut sine vsu vxorum fuisse innuit, vbi contra Iouinianum disputat supra nu. 26. & nos id interdum in vtraque Ecclesia seruatum olim non negamus. De reliquis autem Presbyteris, & si laudat, si fuerint continentes, & id decentißimum iudicet, eos tamen etiam in Occidente, necessariò debuisse vsu vxorum, quas iam haberent, carere nunquam dixit: imo vsum contrarium fuisse in eodem opere satis clarè affirmat, &c.* Spalat. Num. 37.

Nemo iam à falsaria hac manu tutus esse poterit, quandoquidem nec contribuli suo magno illi Dalmatiæ ornamento, Hieronymo parcit, vult enim *continentiam quidem Presbyterorum celebrasse, ac laudibus in cælum tulisse*, negat verò eum docere *Occidentalis Ecclesiæ legibus fuisse cælibatui colendo, astrictos.* Quid igitur illa sibi volunt, *Episcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè post Sacerdotium pudici?* Et ista. *Quid facient*, inquit, *Orientis Ecclesiæ, quid Ægypti, & Sedis Apostolicæ* (hoc est Romanæ) *quæ aut virgines Clericos accipiunt aut continentes, aut si vxores habuerunt, mariti esse desistunt?* Cur quæso mariti esse desisterent, nisi omnium Ecclesiarum ea lex esset, vt nulli maritalibus complexibus indulgentes, Episcopi, Presbyteri, Diaconi renunciari possent? Quam verò hoc loco in Hieronymo torquendo iniquus est, imò imperitus. *Mirum*, inquit, *quod Orientis, & Ægypti Ecclesias opponit Hieronymus abusui Vigilantianorum, sacros ordines non nisi maritis, & filios procreantibus conferentium: non igitur habebat in Occidente Ecclesias quæ virgines tantùm Clericos acciperent, aut continentes, aut si vxores habuerint, mariti esse desisterent. Si vsus hic quem in Oriente & Ægypto Hieronymus viderat; in Occidente communis fuisset Ecclesiarum; in Orientem & Ægyptum non se tam remotè recepisset, ad illorum Episcoporum vsum confutandum, si domi firmam contrariam consuetudinem talem, qualem in Oriente, & Aegypto obseruarat, & domestica exempla habuisset, aliena non mendicasset.* Spalat. Num. 38. Scilicet ignoratio causarum, vt aliàs diximus, mirationem facit; quam igitur putat illam esse sedem Apostolicam, cuius meminit Hieronymus nisi Romanam κατ' ἐξοχὴν Apostolicam dictam? Itaque omnium per orbem terrarum Ecclesiarum leges in subsidium aduocat, vt immanem aduersarium Vigilantium, Galliarum portentum, ingens, & horrendum, continentiæ Clericalis oppugnatorem debellet, proterat, ac omnino perdat? Igitur à Patriarchalibus sedibus petit præsidium, ab Antiochena scilicet, ab Alexandrina & à Romana, quam honoris causa sedem Apostolicam indigitat, quod teste Augustino in ea semper *viguerit Cathedræ Apostolicæ principatus.*

Sed inquit Spalatensis; *Respondens argumento Iouiniani, quod ab exemplo Samuelis duxerat contra virginitatem, ait; Si autem Samuel nutritus in tabernaculo duxit vxorem, quid hoc ad præiudicium virginitatis? Quasi non hodie quoque plurimi Sacerdotes habeant matrimonia; & Apostolus Episcopum describat vnius vxoris virum, habentem filios cum omni castitate?* Spalat. Num. 37. Hier. adu. Iouin. l. 1. Sed ait idem Hieronymus: *Ecce perspicuè nuptias diximus cõcedi in Euangelio: sed tamen easdem in officio suo permanentes, præmia castitatis capere non posse. Quod si indignè accipiunt mariti, non* Apol. ad Pammach.

Digitized by Google

mihi iraſcantur, ſed ſcripturis ſanctis, imò Epiſcopis, & Presbyteris, & Diaconis & vniuerſo choro Sacerdotali & Leuitico: qui ſi nouerunt hoſtias offerre non poſſe, ſi operi ſeruiant coniugali. Sed hîc minimè ad Orientis Sacerdotes confugiendum exiſtimamus ; vigebat ſcilicet cœlibatus & maximè vigebat in Occidente; En teſtem damus ipſum Spalatenſem; *Eccleſiam*, inquit, *noſtram Occidentalem Latinam, longè Orientali Græca inuenio ſolertiorem, exactioremque vindicem plenæ, ac completæ, in ſacris maioribus præſertim Miniſtris, caſtitatis.* Quod autem Hieronymus, poſt commemoratum Samuëlem, qui tabernaculo addictus, liberis vacarat, addit extitiſſe ſeculo ſuo *Sacerdotes, qui matrimonia haberent*, proculdubio de matrimoniis ante ordinationem initis eſt intelligendum, quibus tamen illi non vterentur, ſed vt ille ſuperiùs dicebat, *mariti eſſe deſiſterent*, quod attinet ſcilicet *ad coniugales amplexus*, licet reuera coniugati eſſent, atque eo nomine, cum Samuele (quod attinet ſcilicet ad matrimonij vinculum) conferri poſſent. Neque verò Hieronymus, quod tamen homo verboſus, & mendaciorũ loquaciſſimus ſibi aſſumit dixit *eſſe Sacerdotes, qui matrimonio vterentur, ſed qui matrimonia haberent*, atque coniugatos illos fuiſſe, etiam ſi coniugio non vterentur, ſatis illi erat ad probandum contra Iouinianum Eccleſiam quæ virginitati primas dederit, à matrimonio tamen, tanquam à re deteſtanda nuſquam abhorrere ; *Et quod addit Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certè, poſt Sacerdotium pudici*, de illis quoque accipiendum, qui cùm renuntiati eſſent, Sacerdotes mariti eſſe deſiſterent, cùm ab vxorum amplexibus abſtinerent. Hos autem *infirmiores* vocat, comparatione eorum, qui perpetuò virginitatem coluiſſent, quod aliquando vxoribus impliciti vitam egiſſent, non per omnia cœlibem, aut continentiæ à Deo ſtudioſam. Apoſtoli verò locum ſupra explicauimus, ac oſtendimus etiam ſententia Lutheri negatiuè eſſe accipiendum, & de eo intelligendum, qui ſiue ante Epiſcopatum ſecundam vxorem non habuiſſet, atque ſiquidem in Epiſcopatu vnã haberet, illa tamen non vteretur. Hieronymus: *Petrus*, inquit, *& cæteri Apoſtoli, vt ei ex ſuperfluo interim concedam, habuerunt quidẽ vxores, ſed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium neſciebant: qui aſſumpti poſtea in Apoſtolatũ relinquunt officium coniugale.* Idem: *Ecce perſpicuè nuptias diximus concedi in Euangelio: ſed tamen eaſdem in ſuo officio permanentes, præmia caſtitatis capere non poſſe. Quod ſi indignè accipiunt mariti, non mihi iraſcantur, ſed ſcripturis ſanctis imò Epiſcopis, & Presbyteris, & Diaconis, & vniuerſo choro Sacerdotali, & Leuitico: qui ſe nouerunt hoſtias offerre non poſſe, ſi operi ſeruiant coniugali.* Idem: *Si Laïcis imperatur, vt propter orationem abſtineant ſe ab vxorum coïtu: quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis populique peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas? &c.* Sequitur Ambroſius. *Qui*, inquit Spalatenſis, *Clericorum continentiam ponit; Inoffenſum, inquit, exhibendum, & immaculatum miniſterium, nec vllo coniugali coïtu violandum cognoſcitis, qui integro corpore, incorrupo pudore, alieni etiam ab ipſo conſortio coniugali ſacri miniſterij gratiam recepiſtis. Item: Apoſtolum explicans ait, Habentem filios dixit Apoſtolus, non facientem. Præterea ſic alibi loquitur. Diaconi ſi filios benè gubernauerint, & domeſticos, poterunt digni fieri Sacerdotio, & fiduciam habere apud Deum, vt ſciant ſe poſſe impetrare quod poſtulant, iam de cætero ſe ab vſu fœminæ continentes. Et poſt pauca. Ac per hoc omnes à conuentu fœminæ abſtinere debent; quia neceſſe eſt eos quotidie præſto eſſe in Eccleſia, &c. Audiuimus, inquam*, inquit Spalatenſis, *cælibatum noſtrorum*

Num. 12.

Lib. 1. cõtra Iouin. c. 14.

Apolog. ad Pammach.

Ad ca. 1. ad Titum.

Spalat. Num. 28.

D. Amb. li. 1. offic. cap. vlt.

Id. ep. 82.

Idem in 1. Tim. 3.

Spalat. Num. 39.

Cle-

Clericorum plurimùm commendantem, suprà num. 28. loquebatur tamen cum Diaconis suæ potißimùm Ecclesiæ, qui gratiam sacri Leuitici Ministerij ita recipiebant, vt tamen continentiam etiam à coniugibus seruarent. Quasi verò legem Ecclesiæ aduersus voluptuarios Clericos pius & doctus Pontifex, qui immaculatum & inoffensum ministerium ab iis exhibendum doceret, ad vnos suos Clericos reuocarit. Quid igitur sibi velint illa ad Ecclesiam Vercellensem verba: *Vnius vxoris virum præcepit esse*, inquit Ambrosius, *non quo coniugij exortem excludat. Nam hoc supra legem præcepti est: sed vt coniugali castimonia seruet ablutionis suæ gratiam. Neque iterum, vt filios in Sacerdotio creare Apostolica inuitetur auctoritate. Habentem enim dixit filios, non facientem, neque coniugium iterare.* Ambr. ep. 82. ad Vercellensem Ecclesiam. Certè quàm seuerè cœlibatum excoluerit ipse, vnius Augustini testimonio liquet, quippe qui hunc in summo Antistite sit inter reliquas dotes, quibus eniteret demiratus sit; *Ipsum diuum Ambrosium*, inquit, *fælicem quendam hominem secundum seculum opinabar, quem sic tantæ potestates honorarent, cælibatus tantùm eius mihi laboriosus videbatur. Quod autem ipse ille gereret, & aduersus ipsius excellentiæ tentamenta, quid luctaminis haberet, quidve solaminis in aduersis, & occultum os eius quod erat in corde eius, quam sapida gaudia de pane tuo ruminaret, nec conijcere noueram, nec expertus eram.* Tom. 1. l. 6. Conf. c. 3. Commentarius verò qui Ambrosij nomine præfertur, lege nititur Ecclesiæ, *A conuentu namque fœminarum abstinere debere*, non solùm decere docet, sed oportere omnino contendit. sic enim ad illa verba, *vnius vxoris virum: Quamuis*, inquit, *secundam numero vxorem non sit habere prohibitum, vt tamen quis dignus ad Episcopatum sit, etiam licitam debet spernere propter sublimitatem ipsius ordinis, quia cæteris melior debet esse, qui cupidus est sedis illius.* Comment. ad 3. cap. 1. ad Tim. Et ad illa alia, Sobrium, pudicũ, &c. *Talem hominem*, inquit, *qui hæc custodiat quæ enumerat bona, creari dicit debere Episcopum. Hæc enim sunt signa dignitatis Episcopalis. Si autem quis potiora sectatus, & corpus & animam suam Deo dicauerit, ne se copulet matrimonio tanto magis dignus fiet.* Imperitè autem admodum ac ineptè lasciuientium ministrorum & aliorum Ecclesiasticorum licentiam nobis opponit, non enim hic quid factum sit à plerisque, sed quid omnino ex præscripto legis Ecclesiasticæ fieri debuerit, vrgemus: Et quidem Ambrosius etsi legem non exprimat, eam tamen omnino supponit, pro qua tam acriter contendat; *Si in figura*; inquit, *tanta obseruantia, quanta in veritate? Discе Sacerdos atque Leuita, quid sit lauare vestimenta tua, vt mundũ corpus celebrandis exhibeas Sacramentis.* Amb. de offic. lib. 1. cap. vlt. Num. 59. Augusti. Ambrosiũ in Christo parentem optimũ sequitur, vt vidimus suprà. Beda Augusti. egregius imitator, ab hac sententia nó recedit, sed eã omnino amplectitur ac firmat; *Sacerdotibus*, inquit, *vt semper altari queant assistere, semper ab vxoribus continendum, semper castitas obseruanda præcipitur.* Et alibi ait, *Non licere Sacerdotem quenquam creari, nisi aut virgo permanserit, aut contracta vxore, coniunctionis fœdera soluerit.* Spalat. Num. 28. Augusti. de adult. coniug. c. 20. Dist. 31. c. 2. Leonem magnum Pontificem iam audiamus; *Leo*, inquit, *ad Anastasium Thessalonicensem, Epist. 88. ita scribit, Sacerdotum tam excellens est electio, vt hæc, quæ in aliis membris Ecclesiæ vacant à culpa, in illis tamen habeantur illicita; Nam cùm extra Clericorum ordinem constitutis, nuptiarum societati, & procreationi filiorum studere sit liberum, ad exhibendum tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur; vt & qui habent, sint tanquam non habentes, & qui non habent, permaneant singulares. Quid si in hoc ordine qui quartus est à capite, dignum est custodiri, quantò ma-* Lib. 3. de tabernaculo. Spalat. Num. 27. Dist. 32. c. 1.

Digitized by Google

gis in primo, vel in ſecundo, tertiove ſeruandum eſt? ne aut Leuitico miniſterio, aut Presbyterali honore, aut Epiſcopali excellentia quiſquam idoneus æſtimetur, qui ſe
Diſt. 31. ca. 10. *à voluptate vxoria, nec dum frænaſſe detegitur. Et ad Ruſticum Narbonenſem Ep. 95. Lex continentia, inquit, eadem eſt altaris miniſtris, quæ Epiſcopis, atque Presbyteris: Qui cùm eſſent Laïci, ſiue Lectores, licitè & vxores ducere & filios procreare potuerunt: ſed cùm ad prædictos peruenerunt gradus, cœpit eis non licere, quod licuit. Vnde vt de carnali fiat ſpirituale coniugium, oportet eos nec dimittere vxores, & quaſi non habeant ſic habere, quo & ſalua ſit charitas, & ceſſent opera nuptiarum.*

Spalat. Num. 40. Leo ep. 88. Diſt. 22. c. 1. Quid igitur ad hæc Spalatenſis? *Suadebat ille quidem*, inquit, *maximè Orientales, & plurimùm hortabatur, vt qui coniugati ſacris miniſteriis applicarentur, ab vxoribus abſtinerent, & habentes vxores, iuxta Pauli documentum, eſſent tanquam non habentes: & ſe à voluptate vxoria frænarent: id tamen tanquam præceptum & neceſſarium, vbi Eccleſiaſticam explicat diſciplinam, non appoſuit: Quamuis vt præceptum & omninò ſeruandum, poſteriori loco poſuerit: Ne in ſacris iam conſtituti, ducere debeant vxores.* Falleris mi homo, vtrumque docuit Leo, ſcilicet & ſacris iam initiatos nullatenus poſſe citra flagitium vxores ducere, & debere initiatos, ab vxoribus quas ante ſuſceptum ordinem habuiſſent abſtinere. Hæc adeo in Leone clara ſunt, vt probatione non indigeant. Quis verò non videat, epiſtola ad Anaſtaſium, preſſiſſe illum Siricij ac Innocentij anteceſſorum ſuorum, veſtigia? Propterea verò, inquit Spalatenſis, *Leo ad Epiſcopos Africanos*
Leo ep. 91. tom. 1. dec. Rom. Pōt. Num. 40. *hæc ſcribit; Dicente Apoſtolo, vt inter alias electionis regulas, is Epiſcopus ordinetur, quem vnius vxoris virum fuiſſe, aut eſſe conſtiterit: tam ſacra ſemper habita eſt iſta præceptio, vt etiam de muliere Sacerdotis eligendi, eadem intelligatur ſeruanda conditio, ne fortè illa priuſquam in matrimonium eius veniret, qui aliam non habuiſſet vxorem, alterius viri eſſet experta coniugium.* Quid potuit clarius dici?

Spalat. Num. 41. Sed exemplis iam nos totos obruit Spalatenſis. *Quid verò*, inquit, *mouit Siricium; quid Innocentium; quid poſtea tot Conciliorum Patres; & Romanos Pontifices; vt toties & tam frequentibus decretis, & edictis à coniugibus continentiam præciperent, & renouatis toties per ſingulas ætates decretis, ad eam ſeruandam ſacros miniſtros compellere ſategerint, niſi quia maximam inueniebant repugnantiam, imò apertam interdum reſiſtentiam, & frequentiſſimam tranſgreſſionem?* Igitur eius ſententia Siricius & Innocentius de cœlibatu Clericorum legem tulerunt, ſufficit iſtud nobis, nec enim refractarios quos profert moramur. Fornicatores, & adulteri legem; *Non mœchaberis*: non tollunt, nec latrones illam,
Spalat. Num. 42. Apud Bar. tom. 11. an. 1055. n. 40. & an. 1065. init. 1. ad Cor. 7. *Non furaberis*: nec homicidæ illam; *Non Occides*. *At*, inquit, *Petrus Damiani, Cardinalis & Legatus Apoſtolicus in Galliis; quantum negotium habuerit cum Clericis Laudenſis Eccleſiæ, coniugia ſua defendentibus, narrat ipſe in quadam ſua Epiſtola, qui ſe & decreto cuiuſdam Triburienſis Concilij tuebantur, & dicto illo Pauli valdè vniuerſali; Propter fornicationem vnuſquiſque ſuam vxorem habeat: Cui dicto neque ſciuit, neque potuit Petrus reſpondere; niſi per deductionem abſurdi; fore vt & Epiſcopis, & Monachis, & Abbatibus, & Monialibus, licita ſint coniugia.* Non negamus tempore Damiani in Galliis copioſum numerum extitiſſe voluptuariorum Clericorum, qui peſſundatis ſacris legibus mulieribus per ſacrilegium commiſcerentur, vt etiam in eos illud vſurpari potuerit,

Infœlix lolium, & ſteriles dominantur auenæ.

Ad

Ad agrum tamen Domini excolendum atque purgandum accessit gnauus operarius, olim eremi cultor, tum verò Cardinalis & Episcopus Ostiensis, Pontificis in Galliis Legatus, remque felicissimè perfecit, quanquam graues aduersarios passus est, inter reliquos Ecclesiæ Laudensis voluptuarios ac refractarios Clericos, qui se cuiusdam Concilij Triburiensis, ac etiam Apostoli authoritate tuerentur, *Propter fornicationem vnusquisque vxorem habeat*, & quidem quod attinet ad Concilium, rem sic refert Damianus, ac quid responderit docet: *Sed cur ego*, inquit, *ad coaceruandos Canones vltra progredior, quandoquidem hos ignorare ipsi etiam nequeunt, qui tumida aduersus eos ceruice confligunt? Aliquando cùm me Laudensis Ecclesiæ tauri pingues armata conspiratione vallarent, ac furioso strepitu vituli multi tumultuantes infrenderent, tanquam ructum fellis in os meum euomere dicentes: Habemus auctoritatem Triburiensis, si tamen ego nomen teneo, Concilij, quæ promotis ad Ecclesiasticum ordinem ineundi coniugij tribuat facultatem. Quibus ego respondi: Concilium, inquam, vestrum, quodcunque vultis, nomen obtineat: sed à me non recipitur, si decretis Romanorum Pontificum non concordat. Aucupantur enim quædam, quasi Canonum adulterina sarmenta, eisque præbent auctoritatem, vt authenticam Canonum valeant vacuare virtutem. Sed Salomon dicit: Quia spuria vitulamina non dabunt radices altas. Distant enim adinuentiones hominum à sententiis, quæ prolatæ sunt per Spiritum sanctum; & qui sacris Canonibus repugnare non'metuunt, ipsum proculdubio Spiritum, à quo promulgantur, offendunt.* Vnde apparet nullius ponderis fuisse Concilia, quæ illi venditarent. Quod attinet verò ad locum Apostoli, proculdubio de eo loquitur Apostolus, qui non est alligatus voto, aut lege Ecclesiæ obstrictus, nam de iis qui vouerunt æquè, ac de viduis accipiendum omninò est, quod habetur ad Timoth. Eos si nubere volunt post susceptum sponte iugum continentiæ *damnationem habere, quia primam fidem irritam fecerunt. Non præcipit autem*, inquit Estius, *vt vnusquisque vir Christianus vxorem ducat, & vnaquæque mulier virum capiat; vti peruersè quidam hæreticorum hanc Apostoli sententiam acceperunt, ex ea docentes coniugium omnibus, Christianis esse in præcepto. Quæ doctrina non modò refellitur ex consensu totius Ecclesiæ, & tot Sanctorum exemplis; verùm etiam palam repugnat iis quæ Paulus ipse docet hoc capite. Mox enim profitetur se hæc dicere, secundum indulgentiam, non secundum imperium. Vult autem omnes homines esse sicut seipsum. Non nuptis etiam & viduis, bonum esse dicit, si sic permaneant. Denique eum qui virginem suam non iungit matrimonio, melius facere dicit, eo qui iungit. Sensus igitur est: Quamuis dixi bonum esse homini mulierem, etiam vxorem, non tangere: tamen propter fornicationem & omne genus immunditiæ vitandum, permittitur atque indulgetur, vt vnusquisque maritus sua vtatur vxore, eique commisceatur, & vnaquæque vxor suo marito.* Neque verò ad eos nunc qui professi fuerint castitatem, referri debent verba Apostoli, sed ad illos quoque qui legi se Ecclesiasticæ de colendo cœlibatu, sacrorum ordinum susceptione subiecerunt, ac astrinxerunt. Audiamus verò sanctissimum virum aduersus voluptuarios Clericos tonantem; *Inter nonnullos*, inquit, *virtutum flores, quibus tuæ sanctitatis vernat ingenium, vnum mihi fateor, valdè displicuit; quod nimirum & tunc me in te vehementer inuexit, & nunc styli huius articulum exarare compellit: permittis enim, vt Ecclesiæ tuæ Clerici cuiuscunque sint ordinis velut iure confœderentur vxoribus. Quod sanè quàm Ecclesiasticæ munditiæ videatur obscœnum, quàm Canonicæ sit auctoritati contrarium, quàm certè cunctis Sanctorum Pa-*

Damianus lib. 4. ep. 3.

1. Tim. 5.

Estius comment. in ep. 1. c. 7. ad Corinth.

Lib. 4. ep. 3.

trum ſanctionibus odioſum, abſit vt tanta, quæ in te eſt, poſsit ignorare, prudentia. Præſertim cùm & ipſi Clerici tui, aliàs quidem ſatis honeſti, & litterarum ſtudiis ſint decenter inſtructi. Qui dum ad me confluerent tanquam chorus Angelicus, & velut conſpicuus Eccleſiæ videbatur enitere ſenatus. At poſtquam latentem peſtis huius eluuiem didici, protinus lux in caliginem, & lætitia mihi vertitur in mærorem, Matth. 23. 27. *atque illud Euangelicum illicò mens recurrit: Væ vobis, Scribæ & Phariſæi, qui ſimiles eſtis ſepulchris dealbatis, quæ foris apparent hominibus ſpecioſa, intus autem plena ſunt oſsibus mortuorum, & omni ſpurcitia.* Pergamus ad Gregorium ſeptimum Damiani æqualem, *Gregorius ſeptimus*, inquit Spalatenſis, *qui videbat paſsim Presbyteros vxoratos, zelo, neſcio an diſcreto, ſuccenſus, vt narrat Lambertus, cum Epiſcopis Italiæ conueniens, iam frequentibus Synodis decreuerat, vt ſecundum inſtituta antiquorum Canonum, Presbyteri vxores non habeant, habentes aut dimittant, aut deponantur. Nec quiſquam omnino ad Sacerdotium admittatur, qui non in perpetuum continentiam, vitamque cœlibem profiteatur. Hoc decreto per totam Italiam promulgato crebras literas ad Epiſcopos Galliarum tranſmittebat; præcipiens, vt ipſi quoque, in ſuis Eccleſiis ſimiliter facerent, atque à contubernio Sacerdotum omnes omnino fœminas perpetuo anathemate reſecarent. Aduerſus hoc decretum protinus vehementer infremuit tota factio Clericorum; hominem planè hæreticum, & veſani dogmatis eſſe clamitans qui oblitus ſermonis Domini, quo ait, Non omnes capiunt hoc verbum; qui poteſt capere capiat: & Apoſtoli; Qui ſe non continet, nubat: melius eſt enim nubere quàm vri; violenta exactione homines viuere cogeret ritu Angelorum: & dum conſuetum curſum naturæ negaret, fornicationi & immunditiei fræna laxaret. Quod ſi pergeret ſententiam confirmare, malle ſe Sacerdotium, quàm coniugium deſerere; & tunc viſurum eum cui homines ſorderent, vnde gubernandis per Eccleſiam Dei plebibus Angelus compariturus eſſet.* Epiſt. 12. in Bibl. Patr. tom. 3. SPALAT. Num. 43. Apud Bar. ibid. an. 1074. n. 19.

Erat quod hæc lachrymas cierent, non hoſtilem inſultationem elicerent à Spalatenſi, quippe quæ diſciplinam Eccleſiaſticam planè peſſundatam in Germania oſtendant: quare Pium Annalium parentem permouerunt, vt de his in hunc mundum ſcriberet: *Vide & deplora*, inquit Baronius, *mecum miſerandum ſtatum Germaniæ Eccleſiarum, ſi vera ſunt, quæ auctor narrat, omnes Clericos his vocibus reclamaſſe, & non magis quod aliquot ex eis incontinentes fecerint, omnes feciſſe dicat, per ignominioſam hyperbolem: non enim puto illorum Eccleſiam in profundum ita demerſam, vt Iouiniana hæreſis ante tot ſæcula condemnata, pro ſacro dogmate ſit recepta, atque eo modo improba defenſione munita, ac roborata mendacio. Nullatenus autem coëgit Gregorius, vel Eccleſiaſtica lex aliquem vnquam inuitum continentiam profiteri, ſed tantùm cùm quis eam ſponte profeſſus eſt Clericatus ſuſceptione, ad quem inuitus nemo compellitur obſeruare præcepit; quo nihil iuſtius, ſanctius nihil dici poteſt, & æſtimari debet.* Bar. tom. 11. an. 1074.

Cæterùm ſi de lege certatur, nonne vel ipſo eodem teſte, vt antiquiora omittamus, Conciliis Arelatenſi, Toletano, Agatenſi, Turonenſi, erat pridem lata. *At*, inquit Spalatenſis, *Lambertus Scafnaburgenſis ſcribit aduerſus hoc decretum protinus vehementer infremuiſſe in Germania totam factionem Clericorum, adeò vt & ipſum Gregorium eo nomine hæreticum inclamarent, ac dicerent, malle ſe Sacerdotio nuntium remittere, quàm coniugium deſerere, atque Moguntinum Archiepiſcopum, qui vt ſanctionem Pontificiam executioni mandaret, congregata Eufordiæ Synodo inſtanter vrgeret, vt aut coniugium eiurarent, aut ſacri altaris miniſterio ſe abdicarent, morti tradere cogitaſſe.* Lambert. Schafnab. ad an. 1074.

Scilicet temulentos, & temerarios nobis profert Clericos

Clericos Germanos, qui impudentiæ ſemel laxatis habenis, nullis legibus, nullo pudoris intuitu à ſententia dimoueri potuerint, aut ab initis matrimoniis deterreri. Iactabant illud Chriſti, *Non omnes capiunt verbum hoc*, & illud Apoſtoli, *Qui ſe non continet nubat, melius eſt enim nubere quàm vri*; Sed perperàm omninò his Scripturæ locis ſuam incontinentiam defendebant & coniugij ſanctitate abutebantur, vt hoc prætexerent nomine culpam. Quod attinet enim ad priorem locum, verum eſt continentiæ donum non habere omnes, nec omnes *capere verbum hoc*, ſed verum quoque eſt eos qui ſe non capere vident, etiam à Sacerdotio capeſſendo abſtinere omnino debere. Cæterùm initiati modis omnibus efficere debent, ac precibus apud Deũ contendere, vt continentiæ donum eis largiatur, ac eum imitari, qui dixerit, *vt ſciui quoniam non poſſem eſſe continens, niſi Deus det, &c. Adij Dominum.* Pio affectu poſtulantibus non negat Deus, ſed vltrò impertitur, propterea ſcilicet Patres docent neminem eſſe qui continere non poſſit, ſi velit. *Et quouſque*, inquit Tertul. *infirmitas iſta impudentiſſima in expugnando meliora perſeuerabit? Tempus eius donec Paracletus operaretur fuit, in quem dilata ſunt à Domino, quæ tunc ſuſtinere non poterant, quæ iam nemini competit portare non poſſe, quia per quem datur portare poſſe non deeſt. Quamdiu cauſabimur carnem? quia dixit Dominus caro infirma. Sed præmiſit & Spiritus promptus, vt vincat Spiritus carnem, vt cedat quod infirmum eſt fortiori.* Sic Tertullianus, quanquam hoc improbè ad ſuum Paracletum torquet. Et rurſus: *Si non potes*, inquit, *quia non vis.* Eodem modo Hieronymus; *Qui voluerit*, inquit, *qui potuerit.* Quò pertinet illud B. Auguſtini; *Leuis erit*, inquit, *continentiæ ſarcina, ſi Chriſti erit*; *Chriſti erit, ſi fides aderit, quæ impetrat à iubente Deo quod iuſſerit.* Sed qui eximij doni deſiderio tenentur præter orationem, etiam ieiunia adhibere debent à temulentia, crapula, & ebrietate temperare, quod quia genus hominum bibaciſſimum Germani facere recuſarent, propterea ſe à mulierum complexibus abſtrahi ægrè patiebantur; Sed erat quod ſibi Hieronymum imitandum proponerent, qui de ſeipſo ſic loquitur: *O quoties ego ipſe in eremo conſtitutus*, inquit, *& in illa vaſta ſolitudine, quæ exuſta ſolis ardoribus horridum Monachis præſtat habitaculum, putabam me Romanis intereſſe deliciis. Sedebam ſolus, quia amaritudine repletus eram. Horrebant ſacco membra deformia, & ſqualida cutis ſitum Æthiopicæ carnis obduxerat. Quotidie lacrymæ, quotidie gemitus, etſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreßiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis verò, & potu taceo, cùm etiam languentes Monachi aqua frigida vtantur, & coctum aliquid accepiſſe, luxuria ſit. Ille igitur ego qui ob gehennæ metum tali me carcere damnaueram, Scorpionum tantùm ſocius & ferarum, ſæpè choris intereram puellarum, pallebant ora ieiuniis, & mens deſideriis æſtuabat in frigido corpore, & ante hominem ſua iam carne præmortuum ſola libidinum incendia bulliebant. Itaque omni auxilio deſtitutus ad Ieſu iacebam pedes, rigabam lacrymis, crine tergebam, & repugnantem carnem hebdomadarum inedia ſubiugabam.* Quod attinet ad locum Apoſtoli, Patres omnes illum ſunt interpretati, de his qui legibus continentiæ aut cœlibatus non eſſent aſtricti. D. Ambroſius: *Dicet aliquis*, ait: *Melius eſt nubere quàm vri: Hoc dictum ad non pollicitam pertinet, ad nondum velatam. Cæterùm quæ ſeſe ſpopondit Chriſto, & ſanctum velamen accepit, iam nupſit, iam immortali iuncta eſt viro. Etiam ſi*

Matth. 19. 1. Cor. 7.

Sap. 8.

Tertul. de Monog. cap. 14.

Hier. lib. 1. adu. Iouin.

Aug. lib. de adulr. coniug. 2. c. 29.

D. Hier. ad Euſto. ep. 22.

D. Amb. ad Virg. lapſ. cap. 5. 1. Cor. 7.

voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si hoc ita eſt, quid de illa dicendum eſt, quæ occulta & furtiua turpitudine conſtupratur, & fingit ſe eſſe quod non eſt? Habitu virgo, facto non virgo: Bis adultera, & in actu, & in aſpectu. D. Hieronymus: *Virgines tuæ*, inquit, *quasprudentiſſimo conſilio quod nemo vnquam legerat, nec audierat, de Apoſtolo docuiſti; Melius eſt nubere quàm vri, occultos adulteros in apertos verterunt maritos. Non ſuaſit hoc Apoſtolus, non electionis vas. Virgilianum conſilium eſt: Coniugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.* Auguſtinus: *Vnuſquiſque autem*, ait, *fratres chariſſimi, de loco itineris ſui ad quem proficiendo peruenit, & quem vouit Deo, inde reſpicit retrò cùm ipſum dimiſerit: Verbi gratia, ſtatuit caſtitatem coniugalem ſeruare: inde enim incipit iuſtitia, receſſit à fornicationibus, & ab illa illicita immunditia, quando ſe ad fornicationes conuerterit, retrò reſpexit. Alius ex munere Dei maius aliquid vouit, ſtatuit nec nuptias pati, qui non damnaretur ſi duxiſſet vxorem, poſt votum quod Deo promiſit, ſi duxerit, damnabitur, cùm hoc faciat quod ille qui non promiſerat, tamen ille non damnatur, iſte damnatur. Quare? niſi quia iſte reſpexit retrò? Iam enim ille ante erat, iſte autem illuc nondum peruenerat. Sic virgo quæ ſi nuberet, non peccaret: Sanctimonialis ſi nupſerit, Chriſti adultera reputabitur. Reſpexit enim retrò de loco quò acceſſerat. Cùm virginitatem Domino*, inquit Baſil. *profeſſæ ſint, carnali poſt modum voluptate malè blanda delinitæ, ac deuictæ ſtupri ſcelus honeſto coniugij nomine obtegere cupiunt. Legitima*, inquit Chryſoſtomus, *& iuſta res eſt coniugium & ipſe confiteor. Honorabile, inquit, connubium, & cubile immaculatum. Fornicatores autem & adulteros iudicabit Deus. Sed tibi iam non eſt integrum iura connubij ſeruare, cœleſti enim ſponſo ſemel iunctum, illum relinquere, & vxoris laqueis implicari, adulterij crimen incurrere eſt, quamuis millies hoc ipſum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tanto peius affirmo, quanto maior ac melior mortalibus Deus.* Similia habent Epiphanius & Gregorius. Quare quod Clerici lege continentiæ ſint aſtricti, non fauet illis locus Apoſtoli, ac propterea perperam eum ad impudicitias ſuas, traxerunt Clerici Germani, ac multò ſceleratius Gregorium hæreſis poſtularunt, quaſi continentiæ leges Apoſtoli dicto repugnantes inuexiſſet: Sed hunc locum ſequenti capite verſabimus. Cæterùm monendus erat Lector, infœliciſſimum exitum habuiſſe Clericorum Germanorum matrimonia, ac ſacrum ordinem planè dehoneſtaſſe. Refert enim Nauclerus, ac alij tantum contemptum Sacramentorum ſequutum, vt paſſim Laici ſacra adminiſtrarent. *Hanc*, inquit, *diſceptationem horrenda Eccleſiæ Occidentalis peſtis ſecuta eſt, adeò vt Laïci in hoc Sacerdotum diſſidio ſacra tractarent, baptizarent, inungerent ſordibus pro vero pietatis oleo tantiſper, donec diuina prouidentia rebus illis conſultum eſt.*

D. Hier. aduerſ. Iouin. l. 2. prope fin. 1. Cor. 7.

Aug. in Pſ. 83.

Baſil. de vera Virginit. Παρθενίαν δὲ τῷ κυρίῳ ἐπαγγειλάμενοι, εἶτα ὑπὸ τῆς σαρκὸς ἡδονῇ καταδουλωθεῖσαι, καὶ τὴν πορνείας ἁμαρτίαν γάμου ὀνόματι σκεπάσαι βουλόμεναι. Chryſ. ad Theod. lapſ. orat. 2. Καὶ μυριάκις αὐτὸ γάμον καλῶ, μᾶλλον δὲ μοιχείαν, τοσούτῳ δυνάστην.

Epiph. hær. 61.

Nauclerus Volumine 2. Chronographiæ generat. 36.

Spalat. Num. 44.

At verò non contentus temulentos nobis obtruſiſſe Germanos pudicitiæ hoſtes, Angliam quoque ſuæ perfidiæ aſylum infamat, atque eodem cœno ac ſcelere implicat. *Idem negotium vrſerunt*, inquit, *plurimum poſt Gregorium ipſius proximi ſucceſſores Vrbanus & Paſchalis. Sanè in Eccleſia Anglicana Paſchalis, per Anſelmum ipſius executorem illud poſt multos labores obtinuit, vt in Concilio Londonienſi publicus fuerit Canon editus,*

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotum & Cleri connubia tollens. Sed ante hanc prohibitionem Anſelmi in Eccleſia Anglicana nuptiæ Sacerdotum erant ordinariæ, & communiſſimæ: nam & ipſemet Anſelmus ad Ernulfum Priorem Cantuarienſem ita ſcribit, De Presbyteris, & quibus Rex præcepit vt & Eccleſias, & fœminas habeant, ſicut tempore Patris ſui, & Lanfranci Archiepiſcopi habuerunt, &c. At credo duorum ſummorum Pontificum continentiam Clericalem propugnantium, ac vnius ſanctiſſimi Anſelmi in idem opus incumbentis authoritas & grauitas peruicaciæ ac leuitati impudentiſſimorum ſcortatorum præponderare debet. Non negamus enim omnibus ſæculis fuiſſe refractarios & voluptuarios Clericos, qui ſanctiſſimas, leges inſolenti temeritate proculcarint. Sed rurſus exemplis nos premit aduerſarius, primùm ex Matthæo Paris. *Ioannes Cremenſis*, inquit, *Apoſtolicæ Sedis Cardinalis, de licentia Regis Anglorum veniens in Angliam, perendinauit per Epiſcopatus, & Abbatias, non ſine magnis donariis: ad Natiuitatem B. Mariæ apud Londonias ſolenne Concilium celebrauit. Vbi igitur de Concubinis Sacerdotum ſeueriſſimè tractaſſet, dicens ſummum eſſe ſcelus de latere ſurgere meretricis ad corpus Chriſti conficiendum; ipſe cùm die illa corpus Chriſti conſecraſſet, poſt veſperam fuit in meretricio interceptus. Res notiſſima negari non potuit, dum magnum decus in ſummum dedecus commutauit. Romani profectò poſt ſuas Clericalium matrimoniorum ſeueriſſimas prohibitiones, legitimas vxores cœperunt concubinarum nomine vocare, & id tandem tot prohibitiones in multis locis obtinuerunt, vt iam ipſi Sacerdotes à contrahendis legitimis nuptiis etiam libenter abſtinuerint, ſcortiſque adhæſerint, &c.* Vt humanum quid paſſus eſſet Pontificius Legatus, & crimine cuius ipſe vituperator extitiſſet, ſe implicuiſſet, in admirandis naturæ non ponemus; ſed virulentiſſimus & maledicentiſſimus ſcriptor eſt Matthæus Paris, qui odio pluſquam Vatiniano in omnes Pontificios miniſtros exarſerit, quos propterea perpetuò mordacibus conuiciis inſectetur, & quantum in ſe eſt dehoneſtet ac traducat. Cæterùm legibus nitimur, non exemplis. Iam Orientalem Eccleſiam Occidentali longe puriorem oſtendere nititur, quod hæ ob impudicitiam Clericalem in Occidenti excitatæ turbæ illam non turbarint, & tamen ſuprà ſeculo etiam Chryſoſtomi poſterioribus longè innocentiori, ex Palladio hominem Epiſcopalibus infulis clarum coram Chryſoſtomo violati cœlibatus, cui repudiata vxore ſe addixiſſet poſtulatum, ac Synodali iudicio ſubiectum retulit, ac commemorauit. Sed ſi more Spalatenſis argumentari nobis quoque licet; ſi tumultus, ſcandala, turbationes in Eccleſius Orientalibus non leguntur, quid eſt quod tam multas leges, aduerſus libidines Clericorum tulerunt? Extant enim non paucæ, tum in Nomo-Canone Photij, tum in iure Canonico Græcorum. Cæterùm immeritò continentiæ legibus illas turbas aſcribit: non enim legum hæc labes eſt, ſed incontinentiæ hominum. Iam Spalatenſis impudicorum Clericorum, vt ſuprà vidimus, querelas retexens, Clericorum matrimonia duobus ſcripturæ locis, perperàm, vt docuimus, ad nefanda ſacrilegia detortis, fulcire nititur. Repetat igitur quæ à nobis ad querimonias Germanorum ſunt repoſita. Pergit verò eſſe contumelioſus: *Laqueum*, inquit, *ponunt leges omnes Eccleſiaſticæ, omnes conatus, ac violentiæ, quibus Clerus adigitur ad cœlibatum.* Ita ille, qui potius laqueum ponit Sacerdotibus Dei, quibus perſuadere conatus nimium

Anſel lib. 3 ep. 110. edit Col. 1612.

Spalat. Num. 45.

Matth. Paris hiſtor. Angl. an. 1125.

Spalat. Num. 48.

dura lege ſe apud nos agere, nec cœlibatus caſtiſſimis decretis teneri, contrà potius ad vxores ducendas obligari, Impurum ſcilicet Baalam imitatur, *qui miſit ſcandalum in Iſraël*, cùm illum ſatius fuiſſet Phineem fuiſſe imitatum acerrimum caſtimoniæ vindicem, & impudicorum trucidatorem. Reſpondeo igitur non iniicere Eccleſiam animabus laqueum, ſed promiſſorum fidem ab Eccleſiaſticis repoſcere, quod ſcilicet naſo non ſuſpendatur Deus, cui ſanctè iurarint ſe in cœlibatu acquieturos, ſuſceptis ſacris ordinibus, quibus eſt huiuſmodi Sacramentum connexum. Dixit verò Apoſtolus *his qui eſſent coniugati*, nolle ſe eis diuturniorem continentiam præcipere, *ne eis laqueum iniiceret*, quod ſcilicet planè liberos eos auocaret, & id ſuaderet, à quo vix abduci ſe paterentur, matrimoniorum blanditiis irretiti, non autem de Clericis loquitur, quos illæ voluptates titillare non debent, aut à propoſito dimouere. Improbè igitur Spalatenſis Germanorum deliria ſequutus, ad Sacerdotum

SPALAT. Num. 50. turpitudines, fouendas, ac fulciendas, his locis vſus eſt. Ad Orientem oculos reflectit, & Sanctiones Græcorum iam expendit; *Sanctiones*, inquit, *Eccleſiaſticæ nullæ in Oriente datæ, coniugij opus vetant Clericis coniugatis: nonnullæ*

Diſt. 28. c. ſi quis docuerit. *protegunt & defendunt.* Profert primùm Canonem Apoſtolorum, *Canon*, inquit, *Apoſtolorum 6. talis eſt; Epiſcopus aut Presbyter vxorem propriam nequaquam, ſub obtentu religionis abiiciat, ſi verò reiecerit, excommunicetur; ſed ſi perſeuerauerit, deiiciatur.* Diximus ſuprà, hoc velle Canonem, non debere Epiſcopum curam alendæ vxoris deſerere prætextu ſacri miniſterij, etiam ſi ſeſe ab

Bellar. de Cler. l. 1. c. 21. ad 1. & Sot. l. 7. q. 6. art. 2. & Bar. tom. 1. an. 58. n. 23. eius thoro ſeparauerit. Excipit Spalatenſis. *Neque hîc curam* (inquit) *habendam vxorum præcipi dicas: quam fugam ineunt noſtri: non enim tanti momenti res erat cura hæc, vt Apoſtoli* (*vel quicunque horum Canonum authores, viri certe conſultiſſimi*) *inter paucos & eos ſanè perquam commodos, ac toti Eccleſiæ regendæ opportunos Canones, eam inſeruiſſe ſint dicendi; quam natura ipſa dictat, & humanitas ſuggerit; ſed connubij omnibus honorabilis, thorique immaculati legem*

Hebr. 13. Matth. 19. 1. Cor. 7. *ſtabilire certè voluerunt, vt, quod Deus coniunxit, homo non ſeparet: Et, vt vxori vir debitum reddat, neque fraudent inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus; vt vacetur orationi, ac iterum reuertantur in idipſum, ne tentet eos Sathanas propter incontinentiam. Quia verò poterat nimia religio, ſeu cautio ad vitandam neſcio quam impuritatis ſpeciem, quæ actum coniugalem videtur comitari; Sacerdotes coniugatos ab eodem abſterrere, Canone proſpicitur, ne ab ipſis ſub talis Religionis, vel cautionis obtentu vxori debitum negetur. Abiicere igitur vxorem eſt ei libellum repudij dare, & à coniugali thoro penitus, & in perpetuum eiicere: quod eſt maximum matrimonij præiudicium, & grauiſſima innocentis vxoris iniuria, cui Canon occurrit: non enim eſt probabile omnium Clericorum coniugatorum vxores, ſtatim, promoto viro ad ſacros ordines in continentiam perpetuam conſenſuras.* Igitur Spalatenſis iudicio cura domeſticorum tanti non eſt, vt in ea præcipienda operam ponere debuerit Paulus, cuius ta-

1. Tim. 5. men hoc grauiſſimum monitum extat; *Si quis ſuorum, & maximè domeſticorum curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior.* Scilicet eam curam ſat ſuperque natura & humanitas ſuggerebat, nec opus erat Apoſtoli exhortatione. Sed ſi hæc vera ſunt, valdè igitur, Marce Antoni, ſunt otio ſuo abuſi tui Trullani, qui etiam de huiuſmodi rebus ſanxerunt Canone 48.

Vxor

Vxor eius qui ad Episcopalem dignitatem promotus est, communi sui viri consensu, prius separata postquam in Episcopum ordinatus est, ac consecratus monasterium ingrediatur, procul ab Episcopi habitatione extructum, & Episcopi prouidentia fruatur. Sin autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem prouehatur. Quod si abiicere vxorem est ei libellum repudij dare, & à coniugali thoro penitus & in perpetuum eiicere, *quod est maximum matrimonij praiudicium*, vt ille quidem sentit, igitur Græci quoque contra Apostolicum Canonem peccant, quippe qui suos Episcopos à complexibus vxorum abstrahant. Vt tamen mulieres quoque demereatur, addit eas *de cura, & victu, non esse adeo sollicitas, sicut de thoro & cubili, cuius gratia nupserunt.* Scilicet procliui in libidines ingenio, mulieres à maritalibus amplexibus sibi temperare non posse retur magnus pudicitiæ assertor, sed falli eum omnium temporum historiæ ostendunt. Expendimus verò supra locum illum, quem ex confictis Apostolorum Constitutionibus rursus nobis obtrudit. *Sed*, inquit, *Dionysius Corinthiorum Episcopus antiquissimus, proximo post Apostolos seculo tempore Soteris Romani Pontificis, scripsit ad Gnosios Epistolam, in qua vt refert Eusebius, Pynithum Ecclesiæ illius Episcopum admonet, ne graue onus castitatis fratribus ex necessitate imponat, sed multitudinis accuratè consideret imbecillitatem. Origenes etiam in ea verba Christi; Dicunt & non faciunt; sic habet; Reprehendit ergo huiusmodi præceptores qui non solùm quæ docent non faciunt, sed etiam crudeliter, & sine misericordia non secundum existimationem virium vniuscuiusque audientis, sed maiora virtute ipsorum iniungunt, vt puta qui prohibent nubere, & ab eo quod expedit ad immoderatam munditiam cõpellunt. Nos verò quid facimus nisi sine misericordia, & crudeliter graue onus castitatis toti Clero, non ab expedientia, sed ex necessitate imponimus, idque parum pensatis vniuscuiusque viribus? Neque sufficit quod liberi sint qui volunt ordinationes eas accipere, vel non accipere: perinde enim etiam tunc liberi erant: & tamen vir sanctissimus in Pynito (quem noster sequitur occidens) non laudabat, quod necessitatem suis Clericis imponeret castitatis.* Quod attinet ad Dionysium Corinthiorum Episcopum; Respondeo eò loci non agere eum de castitate aut continentia Clericorum, sed de castitate promiscuæ plebis, ad quam Pynitus Gnosiorum Episcopus, eius acerrimus vindex, eam hortaretur. *Pynithum*, inquit Eusebius, *illius Ecclesiæ Episcopum admonet, ne graue onus castitatis, fratribus ex necessitate imponat, sed multitudinis* (vides hic de Clericis non agere eum) *accuratè consideret imbecillitatem:* Scilicet volebat solis prouectioribus in fide illam imponi, cùm contra Pynitus homo seuerus ad perfectiorem quendam statum omnes hortaretur: *Ad Epistolam Dionysij Pynitus rescribens*, inquit Eusebius, *quanquam Dionysium propter epistolam veneratur, ac laudat, illum tamen è contrario obsecrat, vt iam aliquando cibum illis impertiat solidiorem, & perfectiore doctrina populum*, (vides rursus de populo agere eum) *eius procurationi commissum educet.* Ad Originem dico eum similiter de castitate, non quæ Clericis, sed quæ auditoribus, ab Episcopis, ac Verbi Dei concionatoribus, imperetur. *Reprehendit ergo*, inquit Origenes, *huiusmodi præceptores, qui non solùm quæ docent non faciunt, sed etiam crudeliter & sine misericordia, non secundum existimationem virium vniuscuiusque audientis, sed maiora virtute ipsorum iniungunt, vt puta qui prohibent nubere, & ab eo quod expedit, ad immoderatam munditiam compellunt.* Ecclesiæ igitur mores hic non attingit Ori-

Κατὰ μὲν. Η τε περὶ ἐπισκοπῆς περιδείαν ἀναχωρήσουσαν κτλ. συναφεῖαν τῆ ἀνδρὶ αὐξεῖν περιδιαζυχθῆναι, μὴ ἐν ἐαυτῆ τῆς ἐπισκοπῆς χειροτονίαν, ἐν μοναστηρίῳ ἐστὼ πόρρω τῆ ἐπισκόπου καταγωγῆς φαλδμενόν, καὶ τῆς ἐν τῆ ἐπισκόπου περιστάσεως ἀπολαύειν. εἰ δὲ καὶ ἀξία φανεῖη, καὶ περὶ τὸ τῆ διακονίας ἀναδέχεσθαι ἀξίωμα.

SPALAT. Num. 51. Euseb. l. 4. hist. ca. 22. Matth. 5. Orig. tract. 24. in Mat.

Euseb. li. 4. cap. 22. Ἐν ᾗ πυνὺς τῆ πυρρίας ἐπίσκοπον παρεκελεύσατο μὴ βαρὺ φορτίον ἐπιτιθέναι τὸ περὶ ἁγνείας πᾶσι τοῖς ἀδελφοῖς ἐπισκόπου. τῆ δὲ πολλῶν κατασκευάζειν ἀκοὴν.

Orig. tract. 24. in Mat.

genes, ſed eos concionatores inſectatur, qui crudeliter & ſine miſericordia non ſecundum exiſtimationem virium vniuſcuiuſque, auditoribus ſuis maiora virtute ipſorum iniungant, quales fuiſſe prioribus ſæculis innumeros hæreticos, in his Euſthatianos de quibus infra, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ teſtantur. Quare improbè omnino Eccleſiam hic traducit Spalatenſis, quaſi crudeliter & ſine miſericordia Clericis ſuis graue onus caſtitatis imponat? An enim aliquem Clericum fieri cogit? An non quemque ſinit id eligere, cui ferendo, parem ſe agnoſcat? Sed nondum argumentorum finis. *Athanaſius eos reprehendens*, inquit Spalatenſis, *qui Epiſcopatum fugerent, aſſerentes ipſum peccandi ac delinquendi, præbere commoditatem; Licebit tibi (inquit Dracontio) in Epiſcopatu eſurire, ſitire ſicut Paulo licebit etiam vinum non bibere, ſicut Timotheus fecit; & ieiunare frequenter, vt Paulus ſolet: vt ita ſecundum illum ieiunans, alios ſermonibus nutrias; & ſitiens abſtinendo à potu, aliis docendo potum præbeas. Ne igitur talia obiiciant tui Conſiliarij. Nouimus enim & Epiſcopos ieiunantes, & Monachos comedentes; nouimus & Epiſcopos non bibentes vinum, & Monachos bibentes: nouimus quoque Epiſcopos ſigna facientes, & Monachos non facientes. Multi quoque ex Epiſcopis matrimonia non inierunt: Monachi contra parentes liberorum facti ſunt: quemadmodum viciſſim Epiſcopos filiorum Patres, & Monachos generis poteſtatem non quæſiuiſſe animaduertas: & Clericos bibiſſe, & Monachos ieiunaſſe: ſic enim licet: & ad eum modum non prohibebatur: ſed quiſque vbi volet decertet: non enim corona pro locis, ſed pro factis redditur.* Vir Clariſſimus Hieremias Ferrerius amicus noſter erudito illo ſuo libro de Antichriſto ad præteritum refert, vultque ſenſum eſſe verborum Athanaſij, multos ſe vidiſſe qui poſt ſuſceptos liberos in ſæculo ad Monachatum conuolaſſent, & multos qui nullis ſuſceptis liberis in Epiſcopos euaſiſſent, quod vim argumenti omnino infringit, cùm de ea re non dubitetur, & certè fauent Græca: ſic enim habent πολλοὶ δὲ τῶν ἐπισκόπων οὐ δὲ γεγαμήκασι, μοναχοὶ δὲ πατέρες τέκνων γεγόνασιν. *Multi quoque ex Epiſcopis matrimonia non inierunt, Monachi contra parentes liberorum facti ſunt.* Cardinalis Bellarminus alium callem inſiſtit, ſed eum vexat Spalatenſis; *Neſcio verò*, inquit, *qua fronte Bellarminus ſcripſerit Athanaſium hoc loco reprehendere Epiſcopos & Monachos perditè viuentes, & quæ illicita ſunt facientes; Et tamen Athanaſius, quia perſuadebat Dracontio Monacho, vt Epiſcopatum acciperet commemorat Epiſcopatum non impedire ei vitam Monachalem, quo ad vitæ & victus aſperitatem; quia & inter Epiſcopos multi erant vitæ ſeuerioris ſectatores: & inter Monachos multi laxè viuentes. Multi, inquit, Epiſcopi matrimonia non inierunt.* At qua fronte doctiſſimum Cardinalem inceſſat ac laceret probè ſcimus, ea nimirum quæ erubeſcere neſciat. Certè Dracontius hoc vno nomine ab Epiſcopatu refugiebat, quod vereretur ne ſummi gradus in quo ei plura licerent, abductus libertate, fræna impudicitiæ laxaret, ac ſtatu ſanctiſſimo excideret caſtitatis peſſundatis legibus, quas Monachus ſinceriſſimè coluiſſet. Igitur totus in eo eſt Athanaſius, vt non minus vitiis feneſtram aperire Monachatum, quàm Epiſcopatum oſtendat. *Ne talia*, inquit, *obiiciant tui Conſiliarij. Nouimus enim & Epiſcopos ieiunantes, & Monachos comedentes; nouimus & Epiſcopos non bibentes vinum, & Monachos bibentes, &c.* Igitur non de probis Monachis, vt nec de incorruptis Epiſcopis loquitur, ſed de his qui ſanctiſſimæ profeſſioni, à qua

per

Spalat. Num. 52. Athan. ep. ad Dracon.

Pag. 302. ca. 11.

Athan. ad Dracont.

Spalat. Num. 53. Bellar. de Monarch. l. 2. c. 34.

per ſummum ſcelus deficerent, labem aſpergerent, ac eam infamarent. Tuam verò hic fidem mi homo? An non Orientalis Eccleſiæ legibus abſtractos ab vxorum complexibus cenſes Epiſcopos? *Citra controuerſiam eſt*, inquit, *quod Eccleſia Græca, neque diffitetur, neque ſeruare reſpicit, videlicet; Nemini in ſacris ordinibus iam conſtituto licere vxorem ducere, ſi quis cœlebs tales ſuſceperit ordines, etiam incluſo Subdiaconatu.* Et infrà: *Si leges Eccleſiaſticas*, inquit, *totius Eccleſiæ vniuerſalis antiquas, nec non antiquum vſum earum, tam Occidentis quàm Orientis ſpectes: nemini in ſacris ordinibus, à Subdiaconatu & ſuprà conſtituto, licere vxorem ducere, ſi ſit in gradu Eccleſiaſtico retinendus: id enim conſtanter, ſeruauit & ſeruat Eccleſia vniuerſalis, Græca pariter ac Latina, vt iam demonſtraui.* Quî ergo Dracontius Epiſcopus licitè nuptias inire potuerit? An non ipſo ſæculo Athanaſij clamat Euſebius; *Meritò aliquis quæſierit, &c. quænam cauſa ſit, vt illi quidem in nuptiis, & procreatione liberorum plurimùm ſtudij poſuerint: nos verò hanc partem negligamus, &c. Aduerſus hæc, talem licet ex ipſis Hebræorum oraculis rationem colligere. Quicunque ante Moyſem in laude pietatis nomen adepti ſunt, hi tunc initium habente, tuncque primùm exiſtente vita, fuiſſe memorantur: quæ verò ad nos pertinent, tendere ad finem. Quare illos magna cum cura ſobolis incrementum quæſiuiſſe, cùm per illud tempus, & numerus hominum augeſceret, & multiplicaretur, atque in dies robur acciperet genus humanum: nobis verò non admodum curæ eſſet hoc, vt pote cùm res iam interire, ac deſinere, atque ad extremum finem tendere credantur, quando planè dicitur ante vitæ conſummationem, Euangelicam in foribus eſſe doctrinam, & renouatio ac generatio alterius ſæculi, quod breui inſtet futurum, denuntiatur. Vna igitur defenſio hæc, altera autem erit huiuſmodi. Priſcis illis qui remiſſiorem ac liberiorem vitam agebant, nihil erat impedimento, ne domui liberiſque præeſſent, ac pariter diuinæ quoque rei vacarent, quando vnà cum vxoribus, & liberis, & domo, religioni aſſiduam dare operam poterant, & nuſquam ab vllis res externas à meliore propoſito auellebantur. Res verò noſtræ innumerabilia habent, quæ extrinſecus premant, & quæ in alienas curas vndique trahant, & ab earum rerum ſtudio, quæ Deo placent abducant. Hanc igitur cauſam eſſe cur nubendi ratio contrahatur, Euangelicæ doctrinæ verbum demonſtrat, vbi ait: Hoc autem dico, fratres, tempus breue eſt. Reliquum eſt, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes ſint, &c. Cauſa igitur ob quam viri ſancti priſcis illis temporibus magno cum ſtudio liberos ſuſciperent, reddita eſt: quæ non amplius in nobis locum habere, dicendâ eſt, quippe cum Deo fauente per Euangelicam Saluatoris noſtri doctrinam innumerabiles gentes, & populos in vrbibus, & regionibus, & agris liceat nobis oculis intueri, eodem animo feſtinantes, & ad ſancta Euangelicæ doctrinæ præcepta concurrentes. Quibuſquidem ſatis ſuperque ſit, ſi Doctores ac Prædicatores diuini verbi omnibus, & vitæ vinculis, & ſollicitudinibus liberati, poſſint ſufficere. His autem ipſis maximè in præſentia, vt melioribus ſtudiis vacent liberius, ſeiunctus à re vxoria victus adamatur, veluti ijs qui diuina, & incorporea ſobole propaganda occupati teneantur, & non vnius neque duorum liberorum, ſed aceruatim innumerabilis multitudinis educationem, ſanctamque diſciplinam, ac reliquæ vitæ curam ſuſceperint, &c. Oportere enim dicit ſermo diuinus Epiſcopum vnius vxoris virum eſſe. Verumtamen eos qui ſacrati ſint, atque in Dei miniſtorio cultuque occupati, continere deinceps ſeipſos à commercio vxoris decet: qui autem non ad tantum aſſumpti ſint Sacerdotij munus, ijs idem ſermo diuinus indulget.* An non haud ita multò pòſt Athanaſij fata clamat Epi-

SPALAT. Num. 29.

SPALAT. Num. 73.

De Demonſtratione Euang. l. 1. c. 9.

1. Cor. 7.

Η τῶν γάμων διαχώρησις ἀπουδάζεται, ἔτι περὶ τὰ ἱερεῖα καὶ ἀκήρατα παιδοποιΐαν ἀγελας μόνοις.

Digitized by Google

Hæreſ. 59. Ἀλλὰ καὶ τὸν ἔτι βιοῦντα ἐγ τυπογραφοῦντα, μιᾶς γυναικὸς ὄντα οὐδ ἐφ᾽ ᾧ δίχεται, ἀγλὰ ἀπὸ μιᾶς ἐγκρατευόμενον, &c.

phanius: *Quin eum inſuper, qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi vnius ſit vxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi aut Hypodiaconi ordinem admittit, ſed eum duntaxat qui ab vnius vxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus: quod in illis locis præcipuè fit, vbi Eccleſiaſtici Canones accuratè ſeruantur.* An non Hieronymus Epiphanio æqualis, nec longe ab eiuſdem Athanaſij temporibus remotus, clamat etiam de Ægyptiis Epiſcopis, ac aliis Alexandrinæ ſedi ſubiectis? *Quid facient Orientis Eccleſiæ*, inquit, *quid Ægypti, & ſedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt?* An non eodem ſeculo clamat Chryſoſtomus? *Paulus Apoſtolus*, inquit, *vbi in orbe, adulteriis fornicationibuſque repleto voluit orbis Paſtores conſtituere, & quoniam virtutes rarò inueniebantur, Epiſcopos ordinans, Tito dixit: Conſtitue Epiſcopos ſicut ego diſpoſui: vnius vxoris virum: non ea ratione, quod id nunc in Eccleſia obſeruetur. Oportet enim omni prorſus caſtitate Sacerdotem ornatum eſſe. Sed quod id quandoque ad eos qui in fornicatione erant, magnum fuit; ideo dicit: Conſtitue Epiſcopos, ſicut & ego diſpoſui tibi: Si quis eſt ſine crimine vnius vxoris vir, non quod id legis loco poſuerit, ſed quod errori ignoſceret.* Sed iam maiores copias explicat aduerſarius, & Nicænos Patres impudicitiæ quoque facit patronos; *In Concilio Nicæno*, inquit, *piiſſimi illi, & ſanctiſſimi Patres, indecens eſſe rati vt Epiſcopi, alijque ſacri miniſtri vxoribus vterentur, de lege ferenda deliberabant, qua vſus hic tunc communis tolleretur. Paphnutio tamen reclamante, & traditionem antiquam ne ducerent vxores approbante, nouam tamen quam moliebantur, aduerſus iura matrimonij legem deteſtante, communiſſimus & vſitatiſſimus mos, vt coniugati, quicunque ſuo fruerentur coniugio, integer qualis erat, relictus eſt.* Bilem illi, caſtitatis Clericalis propugnatores, cient, nec ferre poteſt recta monentes; Primùm autem non videt contra ſe facere amores ſuos Paphnutium: Ipſe enim cenſuit veterem traditionem, quæ Epiſcopos & Clericos in ſacro miniſterio poſitos nuptias inire prohiberet, omnino ſeruandam eſſe; *Secundum veterem Eccleſiæ traditionem, deinceps à nuptiis ſe abſtinent, non tamen quemquam ab illa quam iam pridem cùm Laïcus erat vxorem duxiſſet ſeiungi debere.* At Spalatenſis ſuprà, Athanaſij ſeculo, quod ipſum eſt ſeculum Nicænorum Patrum, quorum cœtui Diaconus interfuit Athanaſius, volebat *Epiſcopis licuiſſe vxores ducere*, hancque feneſtram, vt putat, Athanaſius, Dracontio Monacho aperiebat. Ille ne igitur mentis compos, qui adeo inconſtanter de his rebus ſtatuat? Dico verò etiam ſi diſtringatur, falſam falſiſſimam eſſe hanc Nouatiani Socratis de Paphnutio narrationem, nec immeritò illam expunxiſſe cœlibatus optimos defenſores. Neque verò, vt ille putat, ſoli Eccleſiæ Romanæ aſſeclæ eum falſitatis coarguunt, Georgius Cedrenus Græcus ſchiſmaticus, eam hiſtoriam retexens, ab illis ſtat, contraque Socratem, docet Paphnutium, *Epiſcopos omnino cœlibatui addixiſſe*, quod ille Nouatianus non agnoſcit. Conſentiunt Græci reliqui, qui vt Spalatenſis quoque ſuprà fusè docuit, Epiſcopos à maritalibus amplexibus etiam legibus latis abſtraxerunt. Sed & Canon tertius Concilij Nicæni hoc Socratis ſomnium diſpellit, ac prorſus enecat: *Interdixit per omnia magna Synodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in Clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem; niſi fortè aut matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantùm perſonas, quæ omnem ſuſpicionem effugiunt.* De hoc Canone Baſilius ad Paregorium; *Nec primi, nec ſoli, Paregori, ſanciui-*

Adu. Vigil. c.3.

Serm.2.de patien.Iob.

Tit.1.

Spalat. Num.34. Diſt.31.c. Nicæna.

Socr.hiſt. Eccleſ. c.8. κῷ τῶν ἐκκλησίας ἀρχαίας παρόδοσιν, ὧν μὲν ἀποζώσαντας τούτους, ὧν ἀπ᾽ ἐξ ἀρχῆς σεμνοτέρους λαϊκοὺς ὄντα γάμου.

Conc. Nic. Can.3. Ἀπορρίπτει καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος ἀπὸ ἐπισκόπου, ἀπὸ πρεσβυτέρου, ἀπὸ διακόνου, ἀπὸ ὅλως τινὸς ἐν τῷ κλήρῳ, ἐξὸν εἶναι συνοίκητον ἔχειν γαμετὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα, ἢ ἀδελφὴν, ἢ θυγατέρα, ἢ ἀπὸ τούτων σεσωματωμένην μόνην ὑπονοίας διαφυγεῖν.

Baſil.ep.17. ad Pareg. Presbyt.

mus, non debere mulierculas cohabitare viris. Lege Canonem à ſanctis Patribus noſtris in Nicæna Synodo conſtitutum, qui manifeſtè interdixit; Ne quis mulierculam ſubintroductam habeat. Cœlibatus autem honeſtatem ſuam in eo habet, ſi quis à nexu mulieris ſeceſſerit. Itaque ſi quis cœlibatum nomine tenus profeſſus, reipſa faciat ea, quæ à coniugatis fiunt, manifeſtum eſt, quod virginitatis honeſtatem nuncupatione quidem illius præſtet, verùm interea ab inconuenienti voluptate non deſiſtat. Sed hac de hiſtoria rurſus agemus infra, ac oſtendemus quæ Nouatianis cauſa fuerit cœlibatum Clericorum impugnandi? Quàm verò id placuerit Orthodoxis, ipſe iam Spalatenſis probat; *Placuit*, inquit, *proculdubio, etiam Orientalibus, ſumma pudicitia, cur non placeat id, quod tantoperè, & Chriſtus & Paulus laudauit, & Apoſtoli etiam confirmarunt? An non eadem Eccleſia Orientis & Occidentis, eodem Chriſti Spiritu recta, informata, gubernata? Ideoque etiam in Oriente, qui poterat capere capiebat: ſponte nimirum & liberè, non coactè. Nam in Theſſalia perinde, ac in multis Eccleſiis Occidentalibus, conſuetudo incaluerat, ait Socrates, vt ibi qui Clericus ſit, ſi cum vxore, quam cùm eſſet Laïcus ducebat, poſtquam Clericus factus ſit dormierit, Clericatu abdicatus ſit.* At in rectæ ſententiæ propugnatione homo inconſtantiſſimè non perſtat, ſed rurſus deliramenta Nouatianorum nobis obtrudit; *Nam*, inquit, *non pauci illorum, dum Epiſcopatum gerunt, etiam liberos ex vxore legitima procreant. Nulla ergo lex, nulla obligatio: deuotio tamen, religio, & pietas illuſtres non modò Epiſcopos, ſed etiam Presbyteros ad continentiam Occidentalium inducebat, & liberum erat adhuc Epiſcopis, ſi vellent & eſſent coniugati, vxoribus adhærere; quod & multi tempore Socratis faciebant.* Sed & hic Planum agit Socrates, eiuſque ſtrophas aperiunt, ac diſſipant Epiphanius & Hieronymus. *Ita enim*, inquit Epiphanius, *profectò ſeſe res habet, vt poſt Chriſti in orbem terrarum aduentum, eos omnes, qui ſecundum priores nuptias mortuâ vxore alteris ſeſe nuptiis illigarint, ſanctiſſima Dei diſciplina reiiciat: propterea quod incredibilis eſt Sacerdotij honor & dignitas. Atque iſtud ipſum ſacroſancta Dei Eccleſia, cum omni prouiſione diligentiaque ſeruat. Quin eum inſuper qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi vnius ſit vxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit. Sed eum duntaxat, qui ab vnius vxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus: quod in illis locis præcipuè fit, vbi Eccleſiaſtici Canones accuratè ſeruantur.* Hieronymus: *Quid facient*, inquit, *Orientis Eccleſiæ? quod Ægypti, & ſedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes; aut ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt?* Vides igitur falſum in ſola Macedonia, Theſſalia, ac Græcia obtinuiſſe conſuetudinem, eos loco & gradu mouendi, qui ſe ab vxoribus quas etiam ante ordinationem duxiſſent, non ſegregaſſent. Sed excipit Spalat. hæc non pugnare cum Socrate; *Nam*, inquit, *Hieron. non dicit ita paſſim ab omnibus Clericis, & ex neceſſitate fieri; nec ad hoc vnumquemque ordinandum, aut ordinatum cogi. Aderant igitur continentes huiuſmodi, ſed cum libertate, & voluntaria electione: quod non negat Socrates, qui & ipſe in nonnullis Eccleſiis ab omnibus Clericis, id ſemper factitatum obſeruauit.* Quid ergo illa Hieronymi ſibi volunt; *Petrus & cæteri Apoſtoli*, inquit, *vt ei ex ſuperfluo interim concedam, habuerunt quidem vxores, ſed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium neſciebant: qui aſſumpti poſtea in Apoſtolatum, relinquunt officium coniugale.* Et rurſus contra Iouinianum. *Non dicit Paulus: Eligatur Epiſcopus, qui vnam ducat vxorem, &*

SPALAT. Num. 55.

Socrat. l. 5. c. 21.

Epiph. hær. 59.

Καὶ ὃ τῷ μὲ ὄντι οὐ λέγεται ὁ ἄγαμος ἢ διὰ χείρωσιν ἢ τῆ χρείαν ἐπιμίαν τὸν ἀπὸ παντὸς τοῦ γάμου τιλειωτάτης ἢ ἑαυτῶν γυναικὸς διωτέρω γάμῳ συναφθέντας, διὰ τὸ ἀφελέσθαι τῆς τιμῆς ἢ ἰσοτιμίας. ἢ ταῦτα ἀσφαλῶς ἢ ἀγία τοῦ θεοῦ ἐκκλησία μὴ ἀκριβῶς παρεφυλάξατο. ἀλλὰ καὶ τὸν ἐν βιγαμίᾳ ἢ πλειονογαμίᾳ τυγχάνοντα μιᾶς γυναικὸς ὄντα καὶ δέρρεν, οὐ λέγεται, ἀλλὰ δεῖ μιᾶς ἐγκρατεύσασθαι, ἢ χηρεύσαντα, Διάκονόν τε ἢ Πρεσβύτερον, καὶ Ἐπίσκοπον, καὶ Ὑποδιάκονον μᾶλλον ὅπου ἀκριβῶς κανόνες οἱ Ἐκκλησιαστικοί.

Hier. adu. Vigilant.

SPALAT. Num. 56.

Hieron. l. 1. cont. Iouin. c. 14.

Cap. 19.

Digitized by Google

filios faciat: ſed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni ſubditos diſciplina. Certè confiteris non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat; alioquin ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter condemnabitur. An non hæc docent ex vi legis Eccleſiaſticæ, adeoque ex neceſſitate, à ſuſceptis ſacris ordinibus, vxoribus, quod attinet ad maritales amplexus, nuncium Clericos remiſiſſe? Quid verò Epiphanio faciet, qui Eccleſiæ Canonem aduerſum immorigeros profert? Se in omne latus verterit, tantum Patrem nobis nuſquam eripuerit. At pro Socrate contra Baronium pugnat telis aduerſariorum;

SPALAT. Num. 56. Baro. to. 4. ann. 391. nu. 19.

Baronius, inquit, *cui hæc circa Orientalium Sacerdotum & Epiſcoporum continentiam libertas non placebat, Nouatianum clamat eſſe Socratem; qui Nouatianis ſuis Epiſcopis faueat: & ideo in recenſendis diuerſarum Eccleſiarum ritibus magnopere eum errore labi aſſerit. Eſto. Quid tum verò? Num Clericalis coniugij nomine malè audebant Nouatiani? Num Nouatianiſmi pars erit hîc, vt ita loquar, Paphnutianiſmus?* Erat proculdubio & immaniter hac parte errabant Nouatiani. Quod enim attinet ad matrimonij vſum, nullum diſcrimen admittebant inter Laïcos & Clericos, ſed omnia miſcentes nihil Laïcis licere, quod etiam Clericis non liceret, nihil Clericis prohiberi, quod non etiam Laïcis prohiberetur,

Epiph. hær. 59. Τὰ δὲ εἰς ἱερατεῖον πεσόντα διὰ τὸ ἀκόλουτον τῆς ἱερουργίας, εἰς πάντας ἐκείνους ἴσως φέρεσθαι. ἀκολούτως ἐν δὲ τῷ Ἐπίσκοπον ἀνεπίληπτον εἶναι. μιᾷ γυναικὸς ἄνδρα, ἴδιον τέκνων, ἐν ὑποταγῇ πάντων, ἐν παιδείᾳ. Πρεσβύτερον.

docebant; proptereaque alteras nuptias ex æquo dánabant, ac ex æquo vtriſque vnas concedebant. Teſtis nobis omni exceptione maior Epiphanius: *Siquidem quæ Sacerdotio*, inquit, *propter ſingularem functionis illius dignitatẽ præcipuè tributa ſunt, ea ad omnes cõmuniter pertinere iudicant. Illud quidem audierunt; Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe oportere, vnius vxoris virum, continentem: ſimiliter & Diaconum, & Presbyterum. Ita enim profectò ſese res habet, vt poſt Chriſti in orbem terrarum aduentum, eos omnes, qui ſecundum priores nuptias mortuâ vxore alteris ſeſe nuptiis illigarint, ſanctiſſima Dei diſciplina reijciat: propterea quod incredibilis eſt Sacerdotij honor & dignitas. Atque iſtud ipſum ſacroſancta Dei Eccleſia, cum omni prouiſione diligentiaque ſeruat.* Propterea ea ipſa hæreſi Nouatianorum de cœlibatu agit Clericorum magnus Pater: Cùm igitur, quod etiã aduertit Nicephorus Nouatianorum cauſæ faueret Socrates, haud ſincerum ſe hiſtoricum in cœlibatus legibus recenſendis præbuit. Videamus iam de Concilio Gangrenſi; *Concilium Gangrenſe*, inquit, *cap. 4. Anathema dicit ijs, qui aſſerunt non eſſe percipiendum de oblatione (hoc eſt de Euchariſtia) quam Presbyter coniugatus conſecraſſet: Erat enim Euſtathius, & cum eo alij, qui nouas multas hæreſes, & nouos ritus in Eccleſiam inducebant, & inter alia nuptias vt malas, & abominabiles damnabant; & conſequenter ab omni benedictione Sacerdotis coniugati abhorrebant.* Cœcus es, qui haud valde abſtruſam Gangrenſis Concilij mentem non videris; proculdubio enim, quod rectè docet Cardinalis Bellarminus, Synodus contra Euſtathij hæretici aſſeclas agit, qui quod per ſummum ſcelus nuptias execrarentur, Laïcos quidem actu coniugatos à communione repellerent, Preſbyteros verò etiam ſibi temperantes, quod tamen olim nuptias iniiſſent, à ſacrorum congreſſu arcerent, indignoſque iudicarent, qui Euchariſtiam offerrent quaſi crimine pollutos. Namque cùm Apoſtolus Preſbyterum velit irreprehenſibilem eſſe, non ſolùm pro tempore quo ordinatur, ſed etiam pro tota ætate quæ ordinationis præceſſit tempora, cum qui fuiſſet aliquando coniugatus Preſbyteratu, & ſacris interdicebant, quod eorum iudicio matrimonij ſordibus ſe contaminaſſet, & hanc ſibi labem aſperſiſſet. Itaque putabant præſens matrimonium Laïcis impedimento eſſe, ne dignè communicarent, cenſe-

SPALAT. Num. 57. Diſt. 28. c. 5. quis diſcernit. Cõc. Gang. in proœm.

bant

bant quoque olim ſuſceptum, Preſbytero, obſtaculo eſſe, ne dignè offerre poſſet, quod ſcilicet ſcelere ante ordinationem ſe polluiſſet, quod eum aditu ſacrorum prohiberet, cùm ſcilicet integra fama ante initiationem oporteret eſſe Preſbyterum. Sed orthodoxum Concilium nuptiis ſuum honorem aſſerens impium dogma execratur, & anathemate eos ferit, qui inter oblationem Sacerdotis olim coniugati, & planè cœlibis diſtinguerent, quaſi ille pridem connubium iniens aliquo ſe ſcelere implicaſſet, cùm *tamen honorabile connubium, & thorus immaculatus*, eam illi notam inurere nulla ratione debuiſſet, atque ſatis eſſet iuxta priorum Cõciliorum Canones complexibus vxoris cum ex quo eſſet initiatus, vale dixiſſe. Hanc eſſe optimorum Patrum mentem, & inſcriptio ac conſpectus, & verba Canonis oſtendunt. Conſpectus ita habet; *De Presbyteris qui habuerint coniugia.* Ita ſcilicet habent Dionyſius Exiguus, & Creſconius, nec aliter Lutheranus interpres. Verba verò Canonis ſunt hæc; *Si quis diſcernit Presbyterum coniugatum*, olim ſcilicet, *tanquam occaſione nuptiarum, quod offerre non debeat, & ab eius oblatione ideo ſe abſtinet, anathema ſit.* Scio aliter habere Socratem nimirum γυναῖκα ἔχοντες. Sed id ſtudio partium, ac in Nouatianorum gratiam feciſſe nulli iam erudito dubium eſt. Non me fugit quoque alias verſiones habere, *Si quis diſcernit Presbyterum coniugatum*, quod aduerſarij arripiunt, ac vltrò implectuntur, ſed Græca quæ omnino ſequenda ſunt eos refellunt, atque illud γεγαμηκότος eum proculdubio ſignificat, qui habuerit vxorem, qui duxerit vxorem. Quare etiam Geſnerus homo Luthero addictus expunxit illud, *Presbyterum coniugatum*, ac vertit, *qui vxorem habuerit*; *A Presbytero*, inquit, *qui vxorem habuit.* Quare inſulsè admodum, & ineptè Spalatenſis, ex hoc loco anſam arripit noſtrum cœlibatum carpendi, & Eccleſiæ legibus detrahendi. Neque verò eum iuuat, quod vulgatus interpres idem verbum γεγαμηκόσι, apud Paulum his verbis explicat: *hi autem qui matrimonio iuncti ſunt*; Nam præterquam, quod vel pueris notum eſt verbum γεγαμηκόσι, *eos qui iuncti ſunt, vel fuerunt* ſignificare, Paulus certè de Laïcis coniugatis, qui etiam tum matrimonio vterentur, loquitur, vt propterea vulgato interpreti ſuæ verſionis ratio conſtet; At in Concilio Gangrenſi de Preſbyteris omnino ſermo eſt, quos Spalatenſis quoque iudicio conſtat ſuſceptis ſacris ordinibus etiam illo ſeculo, vt ex Epiphanio & Hieronymo oſtendimus, ab vxoribus ſe ſegregaſſe, ac illas quod ad thorum attinet deſeruiſſe, ac propterea de viduis Preſbyteris intelligendus fuit Canon, quod non ſecus eos à ſacrorum celebratione, quam etiam tum coniugatos arcerent. Quam verò abſumus à deliramentis Euſthatianorum nuptias damnantium, vel hoc vnum oſtendit, quod matrimonium inter nouæ legis Sacramenta reponamus, in contrariam ſententiam abeuntibus ſectariis. Propterea ſcilicet iam non orthodoxorum Synodorum, ſed ſchiſmaticæ Trullanæ decretis nos premendos cenſet. *Huius Gangrenſis Canonis acri admonitione inſtructi*, inquit, *& matrimonij diuino iure naturæ, & tot ſacræ Scripturæ authoritatibus muniti, ac commoti, vſuque perpetuo totius vniuerſalis Eccleſiæ edocti Patres præcipui, quique totius Orientis, aut illi ipſi omnes qui ſextam Synodum Oecumenicam celebrarant; aut partim illi, & partim alij, aut omnino alij (nihil enim refert) Synodaliter Conſtantinopoli in Trullo congregati; cùm ferre non poſſent Occidentales, ac præſertim Romanas prohibitiones, quibus coniugati Presbyteri, & Diaconi, ab vxorum ſuarum vſu remouentur, Canonem huiuſmodi edere ſunt coacti. Quoniam Romanæ Eccleſiæ pro Canone traditum eſſe cognouimus, vt Diaconi vel Presbyteri, qui digni qui*

Cõc. Gang. Can. 4.

Εἴ τις διακείνοιτο πρὸς Πρεσβύτερον γεγαμηκότος, ὡς μὴ χρῶτο λειτουργοῦντος αὐτῷ σεσωφρονεσμένως μεταλαμβάνειν, ἀνάθεμα ἔστω.

Spalat. Num. 58.

Synod. 6.

Synod. Quinisex. c. 13.

ordinentur existimandi, sunt profiteantur se non amplius suis vxoribus coniungendos; nos antiquum Canonem Apostolicæ perfectionis ordinisque seruantes, hominum qui sunt in sacris coniugia deinceps, ex hoc temporis momento, firma & stabilia esse volumus, nequaquam eorum cum vxoribus coniunctionem dissoluentes, vel eos mutua tempore conuenienti consuetudine priuantes. Quamobrem si quis dignus inuentus fuerit, qui Hypodiaconus vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum assumi nequaquam prohibeatur, si cum legitima vxore cohabitet: sed neque ordinationis tempore ab eo postuletur, vt profiteatur se à legitima cum vxore consuetudine, abstenturum: ne ex eo à Deo constitutas, & sua præsentia benedictas nuptias, iniuria afficere cogamur. Euangelica voce exclamante; Quæ Deus coniunxit homo non separet: & Apostolo docente; Honorabiles nuptias, & thorum immaculatum. Et, Alligatus es vxori, ne quære solutionem. Scimus autem, sicut & qui Carthagine conuenerunt, & Ministrorum grauitatis, honestatisque curam gerentes, dixerunt, vt Subdiaconi qui sacra mysteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri propriis terminis, à consortibus abstineant: vt & quod per Apostolos traditum est, & ab ipsa vsque antiquitate seruatum, nos quoque similiter seruemus: tempus in omni re scientes, & maximè in ieiunio, & oratione. Oportet enim eos qui altari diuino assident, in sanctorum tractandorum tempore esse omnino continentes, vt possint id quod à Deo simpliciter petunt obtinere. Si quis ergo præter Apostolicos Canones incitatus sit, aliquem eorum qui sunt in sacris, Presbyterorum, inquimus, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum coniunctione cum legitima vxore, & consuetudine priuare, deponatur. Similiter, & si quis Presbyter, vel Diaconus, suam vxorem, pietatis prætextu, eiecerit, segregetur: & si perseueret deponatur. At hic Hercule opus sit ad hoc Augiæ stabulum maiorem in modum inquinatum repurgandum. Primùm non solùm verum est hos Canones, neque sextæ, neque quintæ Synodi esse, quod aduersarius vltrò admittit, sed planè quoque constat Synodum omnino non fuisse, in qua sunt ista decreta fabricata: Beda quidem Synodum, sed *erraticam* vocat, & reprobatam fuisse à Sergio omnibus est exploratum. *Iustinianus iunior*, inquit Paulus Diaconus, *Sergium Pontificem, quia erraticæ suæ Synodo* (Trullanam intelligit) *quam Constantinopoli fecerat, fauere & subscribere noluisset* (vides, vt sit à Pontifice reprobata) *misso & Zacharia Protospaterio suo iussit Constantinopolim deportari.* Ne quidem igitur nauci facimus Canones illos Trullanos, quamquam quod primùm obiicit aduersarius, eos per summam oscitantiam in suum decretum retulerit Gratianus. Quod enim eam Synodum refellendam, non duxerit Adrianus epistola ad Tharasium, idcirco factum est, quod illi cum Græcis res esset, quibus illa probaretur; Innocentium verò tertium Canonem decimum tertium, de quo agitur probasse tam falsum est, quàm verum est Spalatensem hic Planum agere; siquidem quod sanctissimi Pontifices certos Canones, qui huic Synodo tribuuntur, nec à fide, aut disciplina Catholicorum exorbitant, aliquando aut allegari sibi patiantur, aut etiam ipsi citent, omnes omnino approbasse nulla fronte contendit. Scilicet in Ecclesiæ, cui præerant damnationem doctissimi & eruditissimi Pontificis, quales suo seculo fuerunt, in primis Adrianus primus, & Innocentius tertius per summam socordiam consensissent? Quod autem conqueritur Spalatensis; *Ei Synodo plures eximios viros immeritò affingere voluisse Vigilantij, aut Iouiniani errores, cùm tamen Clericis continentiam prohibuisse non inueniatur, sed duntaxat matrimoniorum ante suas ordinationes ineundorum facultatem*

Matth. 19.
Heb. 13.
1. Cor. 7.
Beda de sex. ætat. in Iustin. iuniore.
Spalat. Num. 59. Dist. 31. Quoniam, & dist. 32. Si quis.
De ætat. qual. & ord. præfic. c. à multis.
Spalat. Num. 60.

cultatem feciſſe, mirabile hominis ingenium oſtẽdit. Vult liberum reliquiſſe matrimoniũ, nec ad illud ineundũ ſuos Clericos addixiſſe, non repugnamus; Ergo Vigilantij aut Iouiniani errores, non propugnarunt; negamus. Siquidem ex alio capite idhabetur, quod nimirũ inſolenti temeritate totius Eccleſiæ Occidẽtalis, adeoq; prioris ac purioris Orientalis inſtituta cõuellentes, ac etiam damnãtes ſuã illã ſanctionẽ de recipiẽdis ad ſacros ordines, qui coniugiis vterẽtur inuexerunt. *Quoniã Romanæ Eccleſiæ pro Canone traditũ eſſe cognouimus, vt Diaconi vel Presbyteri, qui digni vt ordinentur exiſtimãdi ſunt, profiteantur, ſe non amplius ſuis vxoribus coniungendos: nos antiquũ Canonẽ Apoſtolicæ perfectionis ordiniſque ſeruãtes, hominũ qui ſunt in ſacris cõiugia, deinceps ex hoc tẽporis momẽto firma & ſtabilia eſſe volumus, nequaquã eorũ cũ vxoribus coniunctionẽ diſſoluentes, vel eos mutua tẽpore conuenienti conſuetudine priuantes. Quamobrem ſi quis dignus inuentus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradũ aſſumi nequaquã prohibeatur, ſi cum legitima vxore cohabitet. Sed neque ordinationis tẽpore ab eo poſtuletur, vt profiteatur, ſe à legitima cũ vxore cõſuetudine abſtenturũ: ne ex eo à Deo cõſtitutas, & ſua præſentia benedictas nuptias iniuria afficere cogamur, Euãgelica voce exclamãte: Quæ Deus cõiunxit, homo ne ſeparet: Et Apoſtolo docẽte. Honorabiles nuptias, & thorũ immaculatum: Et alligatus es vxori, ne quære ſolutionẽ. Scimus autẽ ſicut & qui Carthagine conuenerũt, & miniſtrorũ grauitatis honeſtatiſque curã gerẽtes, dixerũt: vt Subdiaconi, qui ſacra myſteria contrectãt, & Diaconi & Presbyteri, propriis terminis à cõſortibus abſtineant, &c.* Omnino certè profanus Canon, cũ contrarium totam Eccleſiam, etiam Oriẽtis perpetua traditione retinuiſſe, ſuprà ex Hieron. & Epiph. probauerimus. Hoc nomine igitur Iouiniano & Vigilantio fauet, quod cœlibatum de quo Hieron. cum ſceleratis illis capitibus lis fuerit, damnet, & in nuptiarũ contumeliam inuectum clamet. Audaciſſimè itaque, & imperitiſſimè Spalat. Cardinalem Bellarminum, & alios orthodoxos oſcitantiæ & audaciæ eo nomine poſtulat; quod Trullanos *Vigilantij & Iouiniani* germina vocarint. Nam cùm præter viduos, aut virgines etiam matrimonio addictos, eoque implicitos non ſolùm admittant, ſed illiciant proculdubio impiorum hæreticorum veſtigia premunt, nec id eis per calumniam eſt à noſtris obiectum, & tamen hic Græcam fidem prædicat, Romanam arceſſit, ac *piam & deuotam*, vt vocat, Romanæ Eccleſiæ religionem ſuperſtitionis, ac imprudentiæ damnare homo vecors non veretur. At tanti non eſt, vt eius cenſuram vitioſa nuce æſtimemus.

Conc. in Trull. Can. 13. Ωριστ τὸν ὁσιωτάτον διακόνους, τὸν τὰ ἱερὰ μυστήρια ψηλαφῶντας, καὶ τὸν διακόνους, καὶ πρεσβυτέρους ἐν τοῖς ἱδίοις ὁρίοις, καὶ ἀπὸ τῶν συμβίων ἐγκρατεύεσθαι.

Sed ad Trullanos reuertamur; *Oppugnant*, inquit, *hunc Canonem Trullanum Sotus & Bellarminus, in ea parte quoque in qua agit de Canone Carthaginenſi; quem Patres hi interpretantur, de continentia ad tempus; quamdiu ſunt certis diebus ad ſacra miniſteria peragenda deſtinati. Damnarant enim Romanas prohibitiones, quibus, aut diſſoluunt coniugia Sacerdotum, aut eos priuant tempore conuenienti, mutua conſuetudine. Explicant itaque quid ſibi velint, dum tempore conuenienti, contendunt copulam coniugalem non eſſe Sacerdotibus prohibendam, hoc eſt, quamdiu non ſunt applicati orationi, vel ieiunio. Oportet, inquiunt, eos qui diuino altari aſſident, in ſanctorum tractandorum tempore, eſſe omnino continentes.* Vt eos omni errore liberet, addit authores non fuiſſe eius conſuetudinis, quæ apud Græcos poſtmodum inualuerit, vt Clericis inire connubia liceret, ſed id liberum fuiſſe, in tota Eccleſia, ante illa tempora homo proteruus contendit. Fatemur ante illorum tempora fuiſſe Clericos, qui connubio vteren- SPALAT. Num. 62. Sot. vbi ſupra & Bella. c. 1.

tur, ſed hoc, vt ſuprà ex Epiphanio oſtendebamus, contra Eccleſiæ Canonem admiſſum fuit, atque lata lege primi Trullani, damnato etiam inſtituto Romano, eum abuſum probarunt. Vide verò qua authoritate hanc eorum interpretationem fulciat. *Hoc*, inquit, *Carthaginenſes etiam intellexiſſe aſſerunt. Ac meritò; ita enim ego* (ô frontem!) *etiam ſuprà expoſui Canones Carthaginenſes.* Itaque Apoſtatæ ac deſertoris iudicium, praui & recti regula erit. *Ita enim*, inquit, *ego etiam ſuprà expoſui Canones Carthaginenſes.* Immaniter verò errat, ſi quidem tertij Carthaginenſis Concilij Patres qui de Clericis ſtatuerunt, nequidem per ſomnium concedendo, ac permittendo priorum vxorum vſum cogitarunt, & Canon tertius tertij Carthaginenſis, aliàs tertij Concilij Africani, ne verbum quidem, aut ſyllabam habet de huiuſmodi facta Clericis conceſſione; Et ſiquidem eos purgare volumus, fatendum eſt eos ambiguitate verborum interpretis deceptos, in errorem incurriſſe. Verba Canonis ſunt; *Placuit Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis, ſecundum priora, aliàs propria ſtatuta, etiam ab vxoribus continere.* Hic priora ſtatuta ſeu propria, vocant decreti authores Canonem ſecundæ Synodi Carthaginenſis, qua eſſet conſtitutum vt morem Apoſtolicæ traditioni gerentes Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi, etiam à propriis vxoribus ſe ſegregarent. Verba Canonis ſunt; *Omnibus placet, vt Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi, qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes, etiam ab vxoribus ſe abſtineant. Ab omnibus dictum eſt; Placet vt in omnibus, & ab omnibus pudicitia cuſtodiatur, qui altari deſeruiunt.* Interpres Græcus illud (*iuxta priora, ac propria ſtatuta*) ambiguè vertit, κατὰ τοὺς ἰδίους ὅρους, quod corripientes, ac verbi ambiguitate abutentes poſteriores Græci, ita peruerterunt, vt ad vices & conſtituta tempora miniſtrorum contra Carthaginenſium mentem referendum eſſe duxerint. Firmare verò eum ſenſum Spalatenſis, nititur duorum Conciliorum authoritate, Elibertini ſcilicet ac Taurinatenſis; *Confirmari poteſt*, inquit, *ex Concilio Elibertino, tempore Nicænæ primi Synodi celebrato, quod ſic ſtatuit; Placuit in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, ac Subdiaconibus, poſitis in miniſterio abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & non generare filios: quod quicunque fecerit, ab honore Clericali exterminetur. Poſitis, inquit, in miniſterio, id eſt dum actu ſuis diebus altari inſeruirent: tranſactis verò hiſce diebus, ſeu hebdomadis ſuæ vicis, ſeu ſui miniſterij, ad hanc continentiam non tenentur. Ita in Taurinatenſi tempore Siricij; Qui in miniſterio genuerunt filios, ne ad maiores gradus ordinari permittantur, decretum eſt capite vlt.* At hæ meræ ſunt corruptelæ, vtrumque enim Concilium perpetuam continentiam Clericis indicit; *Placuit*, inquit Elibert. *in totum prohibere Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, ac Subdiaconibus, poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à coniugibus ſuis, & non generare filios: quod quicunque fecerit, ab honore clericali exterminetur.* Illud enim *in totum*, & omnes omnino complectitur Clericos, & perpetuam eis imperat caſtitatem; quod tamen aut non aduertit, aut diſſimulauit Spalatenſis; *Poſitos autem in miniſterio* dicit, non eos tantùm qui actu altari miniſtrarent, ſed qui ipſa ſacri ordinis ſuſceptione altaris miniſterio eſſent mancipati, nec illo ſtatu excidiſſent, aut propter aliquod flagitium exauctorati fuiſſent; ſed quî eos violatæ in miniſterio continentiæ reos vnquam feciſſet Eccleſia, ſi à ſuſceptis ordinibus eis licuiſſet maritalibus amplexibus indulſiſſe? An non euadendi eis locus patuiſſet, ac dicere potuiſſent ſuſcepiſſe ſe eos liberos, extra vices ſuas, & miniſterij conſtituta tempora? Taurinatenſis Concilij Patres in eundem ſenſum illos, qui *in miniſterio*, hoc

Conc. Carthagin. 2. Can. 2.

Vide Balſ. & Zon. ad dict. Can.

Spalat. Num. 62. Conc. Elib. c. 33.

Conc. Elib. c. 33.

eſt

eſt in ſacris ordinibus filios genuiſſent, à maioribus gradibus arcendos duxerunt. Vt autem hebdomadarios ſuos Preſbyteros nobis obtrudat, Concilium Aurelianenſe profert, cuius extat Canon his verbis; *Clerici qui officium ſuum implere deſpiciunt, aut vice ſua venire ad Eccleſiam detrectant, loci ſui dignitate priuentur.* Atqui video vices & officia Clericorum vocari, quibus peculiari quadam ratione ſuis Eccleſiis eſſent obſtricti; quippe à quibus vitæ ſubſidia acciperent, non verò commune ſacrificandi officium, quod certè in vices diſtribuiſſe, nunquam deprehendetur Eccleſia; Et quidem videmus *in Cathedralibus, ac collegiatis*, quas vocant, Eccleſiis, ſingulos miniſtros adigi, vt per vices, & hebdomadas miniſterium impleant, ac horis conſtitutis tum iugis ſacrificij, tum reliquii cultus diuini celebrandi, ac perficiendi curam in primis habeant, neque propterea à ſacro celebrando reliquo tempore abſtinere. Vocantur itaque vices illæ, & officia Clericorum priuata ſuarum Eccleſiarum miniſteria, quibus muneri ſuo ſatisfaciant, ac pro temporalibus ſpiritualia rependant, non verò publicum miniſterium, quo eis quocumque tempore incruentam hoſtiam Deo Patri litare ex officio incumbat. Miror verò Spalatenſem eos Diaconos, quos veluti temeratores pudicitiæ Clericalis, magnus Ambroſius traduxerit, auſum teſtes proferre intercallati miniſterij; Tuebantur ſe fateor more antiquo veteris legis, quando per interualla ſeruata caſtimonia, ſacra percipiebantur. At numquid hanc eorum ſatisfactionem probauit Ambroſius? Numquid veteris legis inſtitutum in ſua quoque tempora conuenire aut ſcripſit, aut cogitauit vnquam? Verba eius ſunt; *Inoffenſum exhibendum, & immaculatum miniſterium, nec vllo coniugali coïtu violandum cognoſcitis, qui integro corpore, incorrupto pudore, alieni etiam ab ipſo conſortio coniugali ſacri miniſterij gratiam recepiſtis. Quod eò non præterij, quia in pleriſque abditioribus locis cùm miniſterium gererent, vel etiam Sacerdotium, filios ſuſceperunt, & id tanquam vſu veteri defendunt, quando per interualla dierum ſacrificium deferebatur, & tamen caſtificabatur etiam populus per biduum, aut per triduum, vt ad ſacrificium purus accederet, vt in veteri teſtamento legimus: Et lauabat veſtimenta ſua. Si in figura tanta obſeruantia, quanta in veritate? Diſce Sacerdos atque Leuita, quid ſit lauare veſtimenta ſua, vt mundum corpus celebrandis exhibeas Sacramentis. Si populus ſine ablutione veſtimentorum ſuorum prohibebatur, accedere ad hoſtiam ſuam, tu illotus mente pariter, & corpore audes pro aliis ſupplicare, audes pro aliis miniſtrare?* Vides *inoffenſum, & immaculatum miniſterium, & ab vxorum etiam conſortio, purum*, celebraſſe illum in Clericis, non qui pro tempore vicis ſuæ miniſtrarent, ſed qui miniſterij gratiam recepiſſent, hoc eſt qui ſacris ordinibus initiati eſſent. Tantùm autem abeſt, vt hæc temporum interualla, & vices cogitarint ſancti Patres, vt contrà aſſeruerint nullas, tempore legis Euangelicæ, temporum interiectiones, aut interpoſitiones ſomniandas eſſe, quibus de perpetua continentia, cui ſe obſtrinxiſſent ſacri miniſtri aliquid remittere fas eſſe poſſit. Audi Hieronymum; *Si Laicus, & quicunque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio coniugali: Sacerdoti cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum eſt, ergo ſemper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolùm in domibus ſuis non erant,*

Conc. Aur. 2. c. 14.

Cap. 14.

Amb. l. 7. offic. c. 50.

Exod. 19.

Hieron. l. 1. cont. Iouin. c. 19.

ſed purificabantur ad tempus ab vxoribus ſeparati, & vinum, & ſiceram non bibebant, quæ ſolent libidinem prouocare. Eligũtur mariti in Sacerdotium, non nego : quia non ſunt tanti virgines, quanti neceſſarij ſunt Sacerdotes. Innocentius ; *Præterea quod dignum, & pudicum, & honeſtum eſt,* inquit, *tenere omnino Eccleſia debet, vt Sacerdotes & Leuitæ, cum vxoribus ſuis non coëant: quia miniſterij quotidiani neceſsitatibus occupantur : Scriptum eſt enim, Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum Dominus Deus veſter. Nam ſi priſcis temporibus de templo Dei Sacerdotes anno vicis ſuæ non diſcedebant, ſicut de Zacharia legimus, nec domum ſuam omnino tangebant, quibus vtique propter ſobolis ſucceſsionem vxoribus vſus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu, præterquam ex ſemine Aaron, ad Sacerdotium nullus fuerat præceptus accedere : quantò magis hi Sacerdotes vel Leuitæ, pudicitiam ex die ordinationis ſuæ ſeruare debent, quibus vel Sacerdotium, vel miniſterium ſine ſucceſsione eſt, nec præterit dies, qua vel à ſacrificiis diuinis, vel à baptiſmatis officio vacent ?* Epiphanius ; *Ita enim profectò,* ait, *ſeſe res habet, vt poſt Chriſti in orbem terrarum aduentum, eos omnes, qui ſecundum priores nuptias mortuâ vxore alteris ſeſe nuptiis illigarint, ſanctiſſima Dei diſciplina reiiciat : propterea quod incredibilis eſt Sacerdotij honor & dignitas. Atque iſtud ipſum ſacroſancta Dei Eccleſia, cum omni prouiſione diligentiaque ſeruat. Quin eum inſuper qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi vnius ſit vxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit. Sed eum duntaxat, qui ab vnius vxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus : quod in illis locis præcipuè fit, vbi Eccleſiaſtici Canones accuratè ſeruantur. At enim nonnullis adhuc in locis Presbyteri, Diaconi, ac Hypodiaconi liberos ſuſcipiunt : Reſpondeo ; non illud ex Canonis authoritate fieri : ſed propter hominum ignauiam, quæ cæteris temporibus negligenter agere, ac conniuere ſolet, ob nimiam populi multitudinem : cùm ſcilicet qui ad eas ſe functiones applicent, non facilè reperiuntur. Quod ad ipſam quidem Eccleſiam attinet, ea, vt pote à Spiritu ſancto bene ordinata, atque conſtituta, quod decentius eſt omnibus in rebus conſiderans, ei rei ſtudere potiſsimum inſtituit ; vt quæ diuino numini miniſteria præſtantur, nulla re, quod fieri poteſt, diſtrahantur, vtique ſpiritalia omnia officia, quam optima lætiſsimaque conſcientia gerantur. Hoc igitur dico propter ſubitas functiones, atque officia conuenire, vt Presbyter, ac Diaconus, & Epiſcopus, Deo penitus vacet. Nam ſi illis etiam, qui è populo ſunt, idipſum Apoſtolus præcipit ; Vt, inquit, ad tempus vacent orationi, quantò id magis Sacerdoti præſcribit ? Nimirum nullis vt impedimentis auocetur ; quò in ſpiritualibus ſecundum Deum negotiis ; in ipſo vſu Sacerdotij adminiſtrationeque ferietur.* Expendamus iam loca Scripturæ, quibus belli illi Patres ſuorum Clericorum connubia tueri conantur ; Proferunt primùm illud Chriſti apud Matthæum ; *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* At proprio ſeſe iugulant gladio ; ſi enim fas non eſt eos ſeparare, quos Deus coniunxit ; An non impiè omnino duodecimo Canone Epiſcopos, à propriis etiam vxoribus ſegregarunt ? Verba Canonis ſunt hæc ; *Vxor eius, qui ad Epiſcopalem dignitatem promotus eſt, communi ſui viri conſenſu prius ſeparata, poſtquam in Epiſcopum ordinatus eſt, ac conſecratus, Monaſterium ingrediatur, procul*

Innocent. Ep.1.c.9.

Leuit.1.

Epiph. hær. 59.

Καὶ ὃ τῷ μὲ ὅτι οὐ δίχα τοῦ τὸ ἅγιον τοῦ πνεύματος καὶ τῆς Χριστοῦ οἰκονομίας τοὺς ἀπὸ σαρκὸς τε γάμου πλειστοκισπις ἢ ἀπὸ γυναικὸς δευτέρᾳ γάμῳ συναφθέντας, διὰ τοῦτο ἀφαίλλει τῆς τιμῆς ἢ ἱερωσύνης. &c. Ἀλλὰ πάντως ἐρεῖς μοι, ἵν ποτε τάχεις ἐπὶ τελειοποιῆσι Πρεσβυτέρους, καὶ Διακόνους, καὶ Ὑποδιακόνους. τοῦτο οὐ περὶ τῶν Κλήρων, ἀλλὰ περὶ τοῦ ἀνθρώπου καὶ χαιρὸν ἐπιτιμήσαντος, ἢ τῶν πλήθους ἕνεκεν, μὴ ὠφελουμένης ἱερατείας.

1.Cor.7.5.

SPALAT. Num.66. Matth.19. Syn.Trull. ſex.c.48.

Ἡ περὶ ἐπισκοπῆς περιστέλλεσθαι ἀναγορεύου γυνὴ καὶ

cul ab Episcopi habitatione extructum, & Episcopi prouidentia fruatur : si autem digna visa fuerit, etiam ad Diaconatus dignitatem prouehetur. Igitur Spalatensis non vidit hic suas messes vri, quippe qui dixerit ; *In eo nos cum Orientalibus conuenire quo ad Episcopos, vt si coniugatus ad Episcopatum ascendat, omnino ab vsu vxoris cesset, & se penitus contineat.* Balsamon verò sic ad Canonem illum commentatur ; *Præsentis*, inquit, *Synodi sancti Patres in XII. quidem Canone definierunt quæcunque illic definita sunt. Nunc autem iubet eum qui electus est Episcopus, ab ea quam habet vxore, communi consensu separari, & post consecrationem mulierem monasterium ingredi, quod sit longe ab Episcopatu. Se enim inuicem frequenter intueri priorem eorum vitæ rationem, ac consuetudinem est omnino in memoriam eis reuocaturum, & amorem accensurum. Cùm hoc autem sic fiat, mulierem quidem ab Episcopo dignam existimari prouidentia corporali, si sit pauper : sin autem sit locuples, nihil ei ab Episcopo dabitur ; quoniam nec si ipse quidem sit locuples, ex Episcopatus reditibus quidquam potest in seipsum expendere. Si autem eius vxoris vita sit proba, grauis & honesta, & gradu Diaconatus digna, ad eum quoque prouehetur.* Locus ergo Matthæi de vinculo non de thoro venit intelligendus, ac à diuortiis coniugatos absterret, vt rectè interpretes docent; sed de consensu coniugij emissum continentiæ votum non tollit. Addunt locum Apostoli ad Hebræos, *Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus* ; sed Hæreticorum dogma est his verbis innuere Apostolum nullum esse genus hominum, nullumque ordinem qui à coniugio prohibeatur, & proinde omnibus licitum esse, & honorabile etiam ei qui sponte continentiam vouerit, aut legi cœlibatus se submiserit ; Atque si sic exponas, & hîc personas intelligas, ac dicas in omnibus esse *honorabile connubium*, sequetur etiam inter fratres & sorores, matres & filios, vt, ante susceptam Christi fidem Persæ existimarũt honorabile esse coniugium, quod quã dictu nefandum sit, ac etiam horrendum ipsi hæretici cẽsent. Orthodoxi verò *honorabile connubium* interpretantur, in omnibus quæ ad coniugium pertinent, siue prolem, siue fidem, siue Sacramentum consideres, vel, *in omnibus*, perinde ac *apud omnes* esse volunt. Quasi dicat Apostolus, interprete Fulgentio, *neminem debere coniugium infamare, etiamsi virginitatem sanctè colat* ; vel denique *in omnibus* de legitimè cõiunctis intelligat, vt sensus sit. *In omnibus* legitimè coniunctis, quicunque illi sint siue senes, siue iuuenes, siue pauperes, siue diuites, siue Græci, siue Iudæi, *honorabile est connubium.* Ita quidem illi qui hunc locum Apostoli *enunciatiuè*, vt loquuntur, interpretantur ; Sed omnino existimo *præceptiuè* esse intelligendum, vt hoc modo ad coniugatos referatur ; *Coniugium sit in omnibus nobis honorabile, & thorus immaculatus*, hoc est ; *Præcipio vt omnes qui in coniugio estis, quem par est honorem ei habeatis, nec coniugij fidem per adulteria violetis, nec quicquam admittatis, quo thori iugalis puritas conspurcari, aut inquinari possit.* Præceptum igitur est commendans coniugij fidem, & legitimum vsum. Certum est enim hîc Paulum morum præcepta tradere, & præterea verba sequentia id, vt aduertit non nemo, penè euidenter ostendunt, *Fornicatores*, ait Apostolus, *& adulteros iudicabit Deus*, quibus rationem reddit, cur honestum coniugij vsum præceperit. Sed quoquomodo accipiatur de Sacerdotibus, aut etiam his qui virginitatis emiserunt votum, intelligi non posse veteres docent. Eusebius ; *Priscis illis*, inquit, *qui remissiorem ac liberiorem vitam agebant, nihil erat impedimento, ne domui liberisque præessent, ac pariter diuinæ*

κωλὼ συμφωνεῖν τῷ ἀνεῖλον αὐθεντῶν διαζευχθῆναι, μὴ ἀπὸ τοῦ αὐτοῦ τῆς ἐπισκοπῆς χειροτονίαν, &c. SPALAT. Num. 70.

Balsam. in Syn. Trul. Can. 48.

Οἱ δὲ παρόντες συνόδου ἅγιοι πατέρες, τὸ μὲν ἐν τῷ κανόνι διωρισμένον ὅσα δέον καὶ ἀεί. αὖθις δὲ παρακελεύονται ἀπὸ γαμετῆς ἀδιάλυτα εἰς ἐπισκοπὴν, ἀποδιίσασθαι τὸν προεστῶτα αὐτῶ γυναικὸς, μὴ κοινὸν αὐλίσασθαι.

Heb. 13.

Ful. de fide ad Petr.

De Demonstratione Euang. l. 1. c. 9.

quoque rei vacarent, quando vnà cum vxoribus, & liberis, & domo, religioni aſſiduam dare operam poterant, & nuſquam ab vllis res externas à meliore propoſito auellebantur. Res verò noſtræ innumerabilia habent, quæ extrinſecus premant, & quæ in alienas curas vndique trahant, & ab earum rerum ſtudio, quæ Deo placent, abducant. Hanc igitur cauſam eſſe, cur nubendi ratio contrahatur, Euangelicæ doctrinæ verbum demonſtrat, vbi ait: Hoc autem dico fratres, tempus breue eſt. Reliquum eſt, vt qui habent vxores, tanquam non habentes ſint, &c. Cauſa igitur ob quam viri ſancti priſcis temporibus magno cum ſtudio liberos ſuſciperent, reddita eſt: quæ non amplius in nobis locum habere dicenda eſt; quippe cùm Deo fauente, per Euangelicam Saluatoris noſtri doctrinam innumerabiles gentes & populos, in vrbibus & regionibus, & agris liceat nobis oculis intueri, eodem animo feſtinantes, & ad ſancta Euangelicæ doctrinæ præcepta concurrentes, &c. Chryſoſtomus: *Legitima & iuſta res eſt coniugium: & ipſe confiteor. Honorabile, inquit, connubium, & cubile immaculatum. Fornicatores autem, & adulteros iudicabit Deus. Sed tibi iam non eſt integrum iura connubij ſeruare, cæleſti enim ſponſo ſemel iunctum, illum relinquere, & vxoris laqueis implicari, adulterij crimen incurrere eſt: quamuis millies hoc ipſum nuptias voces, ego tamen, & adulterio illud tanto peius affirmo, quanto maior ac melior mortalibus Deus. Neque vllus te fortè decipiat, dicens: Nihil de non accipienda vxore Dominus præcepit. Nec me ignorare confiteor, quod adulterium interdixit, non nuptias vetuit, verùm tu adulterij crimen incurres, ſi volueris vnquam, quod abſit, nuptias cogitare. Et quid mirum, ſi nuptiæ tales, quibus offenditur Deus, adulterio comparantur? Maius longè audies: Homicidia iuſtorum laude donatur, & miſericors pluſquam homicida punitur: quoniam hoc vetante fit Domino, illud volente. Et Phinees quidem ad iuſtitiam reputatum eſt, quod impudicum cum turpi fœmina virum vno mucrone confodiſſet. Saülem autem Samuel ſanctus Dei in luctibus, lacrymis, precibuſque pernoctans, damnatione, cui illum addixerat Deus, liberare non potuit: quoniam alienigenarum duci, quem debuerat trucidare, inuito parcendum credidit Deo. Cùm igitur miſericors plus quàm homicida puniatur, ſtupere deſiſte, ſi nuptiæ peiores adulterio iudicantur, quoties Chriſtus offenditur, &c.* Namque vt Beza harum rerum haud ignarus vltrò fatetur, & ſi ipſum coniugium per ſe ſit purum ac honeſtum, tamen ipſius vſus, vix ac ne vix quidem carere aliqua ἀπαξία, atque adeo rationem voluptatum illecebris ferè abſorberi. Tertius locus quo ſe tuentur Trullani, eſt ille ad Corinthios; *Alligatus es vxori, ne quære ſolutionem*; ſed rurſum ſe ſuo gladio iugulant. Cur enim ſi hæc quoque ad Clericos pertinent, Epiſcopum propriam vxorem deſerere, ac ab eius complexibus abſtinere iubent? Cæterùm Paulus eò loci à diuortiis faciendis Chriſtianos auocat, ſignificatque coniugio ſociatis permanendum eſſe in connubio, neque diuortium vllo modo quærendum; & hoc nos quoque dicimus, ac nefas ducimus citra vxoris conſenſum, vllum coniugatum, thori ſocia deſerta, ad Sacerdotium conuolare, quod ſi eius acceſſerit conſenſus, ſic quoque à thoro ſeparari cenſemus, ſed abrumpi coniugij vinculum non exiſtimamus. Itaque locis ſcripturæ, perperam intellectis, ſuos illos Canones contra Eccleſiæ Romanæ diſciplinam Trullani tuentur; Et tamen Spalatenſis laudibus in cœlum tollit hoc eorum impurum decretum, pudicitiæque*

1. Cor. 7.

Chryſo. ad Theod. Lapſ. Paræneſ. 2.

Beza ad 7. c. 1. ad Cor.

1. Cor. 7.

que vindices ac aſſertores facit; contra verò infami turpitudinis labe aſpergit Eccleſiæ Romanæ ſacras præceptiones ac ſanctiones, Cœlibatumque quem initiandis indicit; *nonnihil eis qui nuptias damnant, fauere perſuadere, conatur:* Sed verè cauillatur, ac ſycophantam agit, ſic enim noſtram doctrinam traducit, vt palam inſinuet, nos initiandis hanc conditionem ponere; *Si vis,* inquit, *ſacros ordines, cùm ſis coniugatus, renuncia vxori, & ordinaberis, ſi continentiam ab vxore profeſſus non fueris, non ordinaberis. In quo nos ponimus libertatem, dicentes coniugato, in tua libertate eſt vt ordineris, vel non ordineris; ſi tamen ſis ordinandus, iam dicta conditione ordinaberis; Hanc inquam conditionem abſolutè turpem eſſe meritò non dubitant; quia coniux obligatus coniugi ex iuſtitia tenetur reddere debitum petenti; & hæc conditio iis plurimũ fauet, qui nuptias vt malas condemnabant, quibus Canon Gangrenſis dicit anathema, & conſequenter ad rem de ſe malam iſte per hanc conditionem obligatur. Propterea conditionem hanc Canon hic meritò conatur abolere: ſicut meritò Auguſtinus ſtultum votum continentiæ eſſe, & non ſeruandum, (ſcribit Armentario) ſi abſque conſenſu coniugis fiat.* O frontem, frontem! Sed hunc cauillum abſtergunt Theologorum noſtrorum omnes commentarij, ex quibus diſcere potuit orthodoxam eſſe ſententiam, nemini coniugato licere, abſque vxoris conſenſu, aut voto continentiæ, aut lege cœlibatus ſe aſtringere. Itaque Auguſtino auſcultamus dicenti, *ſtultum votum continentiæ eſſe, & non ſeruandum, ſi abſque conſenſu coniugis fiat.* Pugnat verò etiam acrius pro Trullanis decretis; *Hanc verò,* inquit, *huius conditionis, ſeu voti continentiæ, in coniugatu ordinandis, per hunc Canonem Trullanum abolitionem, non ſunt auſi condemnare noſtri Catholici, ſicut eam prophanam & hæreticam noſtri ſcioli moderni fecerunt: Stephanus enim Papa in Synodo ſua, quicunque ille fuerit, à quo Gratianus dictum ſequens accepit, illius tanquam legitimæ, neque reprobandæ mentionem fecit; ait enim, aliter ſe Orientalium traditio habet Eccleſiarum, aliter huius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Nam earum Sacerdotes, Diaconi, atque Subdiaconi matrimonio copulantur, iſtius autem Eccleſiæ, vel Occidentalium, nullus Sacerdotum à Subdiacono vſque ad Epiſcopum licentiam habet coniugium ſortiendi. Et quid aliud Trullanus Canon habet, quàm hoc, vt coniugati Sacerdotes & ſacri Miniſtri ad continentiam à coniugibus non adigantur, ſed ſuo matrimonio liberè vtantur? &c.* Itaque Gratiani, quem ineptum conſarcinatorem, & nullius iudicij hominem, non vno loco vocat ac traducit, nos authoritate obruere, ac conficere ſe poſſe putat. Dicimus verò hîc quoque falſum iudicij in prodendo Stephani decreto, cuius veſtigium nullum in vitis aut epiſtolis huius nominis Pontificum extet. Dicat verò Spalatenſis magnus ſincerioris antiquitatis veſtigator, quo Stephano authore hic Canon prodierit in lucem, aut ſaltem in iuris Canonici interpretum, explicatione, acquieſcat; Vel certè fateatur excidiſſe, (quod etiam innuit,) Trullanas leges, nec alicuius momenti apud ſuos Græcos fuiſſe; Vt enim permiſerint ante ſacrorum ordinum ſuſceptionem, nuptias inire, poſt ſuſceptos ſacros ordines, non permiſerunt. *Copulari,* itaque, *matrimonio,* ſi de Græcis, quod vult Canon, accipiatur, proculdubiò nil aliud ſignificat quàm matrimonio vti, quandoquidem etſi vtuntur in ſacris ordinibus, haudquaquam tamen noua matrimonia inire illis conceditur; ſed Trullani Canonis decreto id illis interdicitur. Vel certè ſenſus eſt, *matrimonio copulantur,* id eſt, copulati ſeu coniuncti ſunt, vel matrimonij copulam exercent, quomodo contra

Spalat. Num. 63.

Aug. ep. 45. 70.

Aug. ep. 45.

Spalat. Num. 64.

Diſt. 31. ca. aliter.

dicimus aliquos miſceri ſtupro, copulari fornicatione vel adulterio; Sic enim & Hieronymus contra Iouinianum de primo parente loquitur, cui conſtat ante peccatum datam fuiſſe à Deo Euam coniugem; *Eiectus è Paradiſo*, inquit, *ſtatim duxit vxorem, qui ieiunus in Paradiſo virgo fuerat, ſatur in terra matrimonio copulatur*; Id eſt copulam matrimonialem exercet, & vt ſcriptura loquitur, *vxorem ſuam cognoſcit*. Itaque vt in decreto Stephani ſcriptum ſit, *matrimonio copulantur*, propoſito nec obſtat, nec quicquam Spalatenſis cauſam iuuat. Innocentius verò tertius hoc ipſum firmat, namque verba eius ſunt poſt imperatam occidentalibus Clericis continentiam, additis etiam ſeuerioribus pœnis; *Qui autem*, inquit, *ſecundùm regionis ſuæ morem non abdicarunt copulam coniugalem, ſi lapſi fuerunt, grauius puniantur, cùm legitimo matrimonio poſſint vti*. Addo verò adeo pacis ſtudioſam ſemper fuiſſe Eccleſiam Romanam, vt Græcis permiſerit coniugibus ante ordinationem ductis, vti, vt ex hoc Innocentij decreto omnino apparet; ſed rectè noſtri aduertunt eam permiſſionem ſimilem eſſe illi quæ habetur ex decreto eiuſdem Innocentij, extra de diuortiis, cap. Finali. qua quibuſdam *recens ad fidem conuerſis indulgetur matrimonium in gradu affinitatis, aliàs prohibito*. Non igitur Trullanorum Canones probat, ſed pia quadam indulgentia, concordiæ amore, ad eorum ſe mores accommodat. Sed iam corollaria quædam auctarij vice obtrudit non bonus pudicitiæ propugnator; Primum eſt, *Dico primò*, inquit, *de iure diuino liberum eſſe quencumque hominem, cuiuſcunque ſtatus & conditionis ſit, ſiue Laïcus, ſiue Clericus, in quocunque Clericatus gradu conſtitutus, ad cœlibatum amplectendum, vel ad matrimonium contrahendum: iuxta illud Chriſti, qui poteſt capere capiat, & tot Pauli admonitiones & explicationes, vt habes ſuper. nu. 17. Ac propterea neque Eccleſiam, neque legem vllam humanam, poſſe vlli certo ſtatui hominum toti in genere hanc auferre libertatem. Suadere & hortari ad continentiam ſuos Miniſtros poteſt Eccleſia, nolentes tamen, cogere non poteſt*. Sed eſt improbum hoc dogma à nobis ſuprà refutatum, oſtendimuſque loca ſcripturæ quibus abutitur, nil voluptuarios Clericos iuuare, cùm omnino intelligantur de his qui legitima inierint matrimonia, quibus omnis generis diuortia, & Chriſtus & Apoſtolus diſſuadere conentur. Poſſe quoque Eccleſiam in refractarios aduertere, eſt à nobis probatum. *Dico ſecundò*, inquit, *contracto ſemel legitimo matrimonio inter virum & vxorem, matrimonium hoc ſicut ſimpliciter non poteſt ab vllo homine puro, aut à tota etiam Eccleſia diſſolui, & ſeparari, quia, Quod Deus coniunxit homo non ſeparet; ita neque poteſt vlla creata poteſtate, abſque coniugatorum culpa, aut ſine libero eorum & voluntario vtriuſque conſenſu, tolli obligatio mutua, quam habent inter ſe coniuges, reddendi debitum coniugale, id enim & ius diuinum naturale poſuit, & Apoſtolus optimè explicauit. Mulier enim non habet poteſtatem ſui corporis, ſed vir, ſimiliter & vir non habet poteſtatem ſui corporis, ſed mulier*. Atqui nos quoque ſuprà oſtendimus non eſſe noſtrum dogma, quo citra alterius partis conſenſum abrumpi ſocietatem iugalem docetur, vt proinde calumnia non careat, impudens hoc corollarium. *Dico tertiò*, inquit, *cœlibatum, continentiam, & plenam pudicitiam plurimùm decere ſacros Eccleſiæ Miniſtros, vt ſuprà eſt probatum & explicatum, ad init. Ac propterea in Eccleſia vniuerſali tam Orientis, quàm Occidentis viros ſanctos Eccleſiaſticos plurimos, propria voluntate continentia fuiſſe amplexos cum cœlibatu; eamque plurimùm aliis etiam viris Eccleſiaſticis commendaſſe: vt conſtat ex hactenus*

Hier. lib. 2. cont. Iou.

Gen. 4.

Innoc. 3. in Conc. Later. c. 14.

Spalat. Num. 65.

Matth. 19. 1. Cor. 7.

Spalat. Num. 66.

Matth. 19.

1. Cor. 7.

Spalat. Num. 67.

nus à me productis. Hoc corollario, doctrina noſtra omnino firmatur, ac præterea mirificè probat à veterum Patrum ſententia longè abeſſe Spalatenſem, qui tantopere Clericorum coniugia celebret, & vrgeat. Erat certè quod animum & mentem ipſa hominum excellentium cogitatione confirmaret, ac ad eorum ſenſum ſe adaptaret. *Dico quartò*, inquit, *ſanctos viros ſemper plurimùm inclinaſſe, & etiam conatos fuiſſe, vt continentiam hanc cœlibatus vniuerſalem facerent per totam Eccleſiam in omnibus prorſus ſacris Miniſtris, vbi coniugati non aſſumerentur. Eoque tandem paulatim deueniſſe, vt cœlibatum legibus ſanxerint vniuerſalibus, præcipientes, Nemini in ſacris conſtituto, licere amplius vxorem ducere. Et hoc eſt à me ſuprà oſtenſum; quod iam antiqua Eccleſiæ traditione ſeruabatur; vt fatetur Paphnutius in Concilio Nicæno, ſuprà num.* 54. Hoc verò eſt nobis victoriam concedere, ac ipſum Paphnutium damnare, quem contra laudatiſſimorum Epiſcoporum magnum agmen quaſi in acie ſtetiſſe, vt optimum morem euerteret, non obſcurè ſignificat. *Dico quintò*, inquit, *Eccleſiam vniuerſalem, vniuerſali lege nunquam coniugatos feciſſe ſacrorum ordinum incapaces; neque vetuiſſe quo minus coniugati ad ſacros ordines non aſſumerentur. In noſtro quidem Occidente aliquæ particulares Eccleſiæ Romanæ potiſſimùm, vt iam oſtendi, interdum & id ſtatuerunt, & reſeruarunt: In Oriente verò nunquam id aut lege eſt inhibitum, aut vſu & conſuetudine receptum; ſed ne in Occidente quidem eſt hoc firma obſeruatione cuſtoditum. Sæpiſſimè enim etiam neceſſitas ſuaſit, vt coniugati promouerentur, & præcipuos Apoſtolos Chriſtus aſſumpſit coniugatos.* Sed hoc pronunciatum Canon tertius Nicænæ Synodi, adeoque Hieronymi, ac Epiphanij teſtimonium omni exceptione maius refellit, vide ſuprà. Præterea immaniter errat, ac totius antiquitatis ſenſum euertit, cùm *Romanam Eccleſiam omnium Eccleſiarum caput*, in priuatarum ordinem cogit; Ad *neceſſitatem* verò reſpondemus, *nec legem habere, nec pro lege haberi poſſe.* Certum eſt quidem cùm cœlibatus, mero iure poſitiuo nitatur poſſe Eccleſiam de legis vigore, maximè verò *vrgente neceſſitate*, aliquid remittere, ſed nullius iudicij, imò peruerſi ac perditi fuerit, quæ neceſſitas extorſerit, ea nobis pro Eccleſiæ decretis obtruſiſſe. *Dico ſextò*, inquit, *ſacros Miniſtros coniugatos aliquos quidem ſua ſponte & pietate, ac de conſenſu ſuarum vxorum, ſiue in Oriente ſiue in Occidente, ad vitam perpetuò continentem ſe reduxiſſe; & ab vxorum complexibus ſe perpetuò remouiſſe. Alios tamen, etiam Epiſcopos, ſuo vſos fuiſſe matrimonio, citra errorem vllum vllamve reprehenſionem, vt in Concilio Nicæno tractatum vidimus. Et ex Canone Apoſtolorum, Apoſtolicisque Conſtitutionibus, & ex hiſtoriis iam confirmaui. Et quamuis poſtea Epiſcopi, inducta conſuetudine, vt ſi coniugati eſſent in ſui promotione, ceſſarent in poſterum ab opere nuptiarum, id tamen non faciebant ex religione, aut cautione; quaſi putarent id eis iam minimè licere; ſed ex deuotione, & perfectioris cuiuſdam puritatis amore. Quod ita inualuit, vt nulli coniugati ſe ad Epiſcopatum promoueri paterentur, niſi obtento prius ab vxoribus conſenſu, & promiſſione continentiæ. Hanc tamen deuotionem non omnes Presbyteri qui ſunt multò plures, ſunt amplexi; ſed ſoli qui liberè voluerunt. Et ita Presbyteris liberum manſit, vt qui poſſent capere caperent. Epiſcopis tamen, cùm multò pauciores ſint, & iam ætate prouecta vt plurimùm ac frigida, conſuetudo hæc, & traditio Eccleſiæ induxit, iam vt neceſſarium. Quod & tandem lege publica Trullani Patres, de ſolis Epiſcopis ſanxerunt, habita etiam magna ex parte eſt ratio conſeruationis facultatum, & bonorum temporalium, ne ea Epiſcopi in gratiam filiorum diſſiparent; vt Pelagius & Innocentius ter-*

SPALAT. Num. 68.

SPALAT. Num. 69.

SPALAT. Num. 70.

Syn. Quiniſex. c. 48. Diſt. 28. ca. de Syracuſ. c. diuerſis coniug.

Nou.6.c.1. *tius aduerterunt: & ante illos Iuſtinianus qui pro conſeruatione facultatum Eccleſiaſticarum communes Eccleſiæ Canones circa Epiſcopos reſtrinxit; vt nullo pacto coniugati admittantur, quive filios habeant, vel nepotes. In quo poſtea Iuſtinianus reprehenſus fuit & correctus à Leone ſexto Imperatore, qui reſpectum hunc con-*

Leo 6. Nouel. 2. *ſeruandarum opum, non approbauit: Sic namque, inquit, nec fratribus aliiſve cognatis ſuperſtitibus, acceſſum quiſquam ad Epiſcopatum haberet: ſi quidem & ad hos ſanguinis propinquitatiſque affectio reſpicit: quia & hoc præuidentes diuini Canones fecerunt Epiſcopis poteſtatem, vt ſi ipſis pauperes cognati eſſent, illorum inopiam ex ſacris facultatibus ſubleuarent. In diſtributionibus videlicet Eleemoſy-*

Diſt. 18. ca. de Syracuſ. *narum, non in alienatione prædiorum. Et obſerua in Sicilia tempore Pelagij, Clericum coniugatum fuiſſe ab ea ciuitate in Epiſcopum electum, & à Pelagio confirmatum, quia in ea Eccleſia alius aptus non erat: neque ei impoſitum fuit, vt ab vxore abſtineret, ſed tantùm cautum ne bona Eccleſiæ ad filios peruenirent. Et ſic habes in Sicilia Epiſcopum coniugatum, & vxore vtentem.* Hieronymus & Epiphanius huius corollarij partem alteram confodiunt ac iugulant: Oſtendunt enim nuſquam Epiſcopis licuiſſe etiam propriarum vxorum amplexibus indulgere. Epi-

Epiph. hær. 59. phanius; *Ita enim profectò ita ſe ſe res non habet, vt poſt Chriſti in orbem terrarum aduentum, eos omnes qui ſecundum priores nuptias mortua vxore alteris ſe ſe nuptiis illigarint, ſanctiſſima Dei diſciplina reiiciat; propterea quod incredibilis eſt Sacerdotij honor & dignitas. Atque iſtud ipſum ſacroſancta Dei Eccleſia cum omni prouiſione diligentiaque ſeruat. Quin eum inſuper qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametſi vnius ſit vxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Epiſcopi aut Hypodiaconi ordinem admittit. Sed eum dumtaxat qui ab vnius vxoris conſuetudine ſeſe continuerit, aut ea ſit orbatus: quod in illis locis*

Hier. lib. 1. cont. Iou. cap. 19. *præcipuè fit, vbi Eccleſiaſticæ Canones accuratè ſeruantur.* Hieronymus; *Non dicit Paulus,* inquit, *Eligatur Epiſcopus qui vnam ducat vxorem, & filios faciat: ſed qui vnam habuerit vxorem, & filios in omni ſubditos diſciplina. Certè confiteris non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat: alioquin ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter condemnabitur.* Sed & ſuorum Trullanorum Canone reuincitur, ac eorum telis confoditur aduerſarius; quippe qui nefas eſſe ducant Epiſcopos ſociam thori ſecum habere, ac oſtendant non ex deuotione ſola, vt ille loquitur, ſed ex præſcripto legis Eccleſiaſticæ, quæ iuriſiurandi quadam legitima adiectione eos obſtringeret, impulſos fuiſſe, vt cœlibatum iam amplecterentur. Quod addit *etiam cœlibatus legibus, Eccleſiam bonis ſuis conſuluiſſe, ne ſcilicet in coniugium & liberorum vſum ab Epiſcopis coniugatis diſtraherentur,* auctarium eſt ad pondus meliorum rationum additum. Vrgent tamen Pelagius & Innocentius tertius hanc quoque rationem, quod ſcilicet ſingularis quædam pauperum cura Epiſcopis potiſſimùm incumbat, cum qua non facilè conſiſtit ſollicitudo alendæ vxoris & liberorum, quibus ex præſcripto legis naturæ debeat Pater theſauros colligere ac reponere. De

Diſt. 18. c. de Syracuſ. Clerico coniugato in Sicilia tempore Pelagij ad Epiſcopatum promoto, vidimus ſuprà. *Dico ſeptimò,* inquit Spalatenſis, *legibus quidem & ſtatutis multis expreſsis, Occidentales Eccleſias, coniugatorum ſacrorum Miniſtrorum continentiam perpetuam ab vxoribus præcepiſſe, & in hoc plurimùm eas differre ab Orientalibus, quæ id neque vnquam præceperunt, neque præcipi poſſe, aut debere cenſuerunt: ſed præcepta huiuſmodi vt iniqua, & mala damnarunt. In vſu tamen horum*

SPALAT. Num. 71. *præceptorum Occidentem penè cum Oriente ſemper conueniſſe. Oſtendi enim noſtras*

Ecclesias multas, his præceptis, vt re vera iniustis, & malis restitisse: & addo non modò Patres Latinos, sed ipsos etiam Conciliares Canones, si non omnes, magna tamen ex parte adhortationem potius, & suauem persuasionem, quàm ad rigorosa præcepta pertinere: vt qui singulos perpenderit, facilè animaduertat benignam illos commodè pati interpretationem. Si posterioris Ecclesiæ Orientalis decreta in his alicuius sint ponderis, proculdubio semper armatos ac in procinctu stantes habet suos Trullanos, sed si secũ veteribus statutis agere nos patiatur, causa cadit, victoriamque reportamus. Audiat rursus Epiphanium; *Quin eum insuper*, inquit, *qui adhuc in matrimonio degit, ac liberos dat operam, tametsi vnius sit vxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit. Sed eum duntaxat, qui ab vnius vxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus: quod in illis locis præcipuè fit, vbi Ecclesiastici Canones accuratè seruantur.* Vides antiquo Canone ad Cœlibatum, non solùm Occidentis, sed etiam Orientis Clericos, quod Hieronymus quoque indicat, adigi, atque lege eius omnino teneri. Desinat igitur nobis Canonem Apostolicum, ac Gangrensis Synodi decreta obtrudere, his illum armis suprà spoliauimus ac nudauimus, neque hic desertoris consiliis locus est; Nouit Ecclesia à Spiritu sancto edocta, quid sibi in his sit faciendum, nec illo monitore, quamquam valdè consilioso, opus habet. *Dico octauò*, inquit, *votum continentiæ, siue simplex, siue solemne, nullum esse sacris ordinibus annexum, neque posse annecti, præter voluntatem, & consensum liberum, & spontaneum ordinandorum: ratione cuius voti dicantur ad continentiam esse cogendi.* Nec nos dicimus votum continentiæ esse annexum ordini sacro, sed legem continentiæ; Votum tamen vocant quidam Theologi, non quidem, vt loquuntur, *explicitum*, aut *expressum*, sed quasi *implicitum & virtuale*; quandoquidem is quem non fugit huiusmodi obligationem ab eo requiri qui sacris ordinibus initiari cupiat, certè si modò liberè sacros ordines suscipiat, omnino censetur sponte sua in cœlibatus legem consensisse: quippè quæ sacræ ordinationi sit connexa. Sed plura de his ad proximum caput. *Dico nonò*, inquit, *si leges Ecclesiasticas totius Ecclesiæ vniuersalis antiquas, nec non antiquum vsum earum, tam Occidentis, quàm Orientis spectes, nemini in sacris ordinibus, à Subdiaconatu, & supra constituto, licere vxorem ducere, si sit in gradu Ecclesiastico retinendus. Id enim constanter seruauit, & seruat Ecclesia vniuersalis, Græca pariter ac Latina vt iam demonstraui. Cùm tamen & præceptum hoc, & vsus, à solo iure pendeant, humano Ecclesiastico positiuo, vt fatentur omnes, sequitur necessariò id & lege contraria Ecclesiastica, siue totius Ecclesiæ vniuersalis, siue etiam alicuius magnæ Ecclesiæ multarum Prouinciarum, integrive regni, & contraria etiam sola desuetudine posse abrogari. Nam etiam Græca Ecclesia ducentis fermè annis post Trullanos Canones, contraria vsa consuetudine permittebat, vt Sacerdotes & sacri Ministri, post sacros sumptos ordines, possent intra biennium vxores ducere, si sibi continentiam viderent nimis difficilem. Quam consuetudinem Leo sextus Imperator, lege data, abrogauit; & priscum morem, priscamque Ecclesiæ traditionem, innouauit. Audi illum; Cùm decenter, inquit, inde ab initio, de iis qui faciendis Deo sacris, digni essent, Ecclesiasticus ordo constituerit; non rectè, meo quidem iudicio, qui præsentis temporis consuetudinem sequuntur, interdum Ecclesiasticam traditionem contemnunt. Nam vbi illa mandat, vt qui creandi Sacerdotes sunt, aut per omnem vitam, si promissum non falsum fore fidant, cœlibatum voueant, aut si illum seruare impossibile ipsis videatur, legitimè matrimonium ineant, ac deinde diuinum ministerium suscipiant:*

Epiph. hær. 59. Ἀλλὰ καὶ τὸν ἐν βιοῦντα ἐν γαμοποιΐᾳ, μιᾶς γυναικὸς ὄντα ἀνδρα, οὐ λέγεται, ἀλλὰ ἀπὸ μιᾶς ἐγκρατεύσασθαι, καὶ χηρεύσαντα, διακονεῖν τε τῷ πρεσβυτερίῳ, καὶ ἐπισκοπεῖν, καὶ ὑποδιάκονον μᾶλλον ὅπου ἀκριβεῖς κανόνες οἱ ἐκκλησιαστικοί.

SPALAT. Num. 72.

SPALAT. Num. 73.

Leo 6. Nouel. 3.

conſuetudo, quæ in præſenti obtinet, iis quibus matrimonio coniungi in animo eſt, concedit, vt antequam vxorem duxerint, Sacerdotes fieri poßint, & deinde biennium ad perficiendam voluntatem, iungi matrimonio volenti præſtituit. Id igitur quia indecorum eſſe videmus, iubemus vt ad vetus Eccleſiæ, & antiquitus traditum præſcriptum, dehinc creationes procedant. Neque enim dignum eſt, vt qui ſpiritali aſſenſu ſupra corporis abiectionem, & ſordes euecti ſunt, hi rurſum ad carnis ſordes delabantur: ſed è diuerſo, vt diuinum myſterium ex corporis ſordibus, tanquam in altum aliquem gradum conſcendat, conuenientius fuerit. Quod de praxi vtriuſque Eccleſiæ concedit, noſtram firmat ſententiam, continentiamque clericalem, ſaltem ex parte illuſtrat. Concedimus verò legem continentiæ initiatorum, diſpenſationem quidem admittere poſſe, ſed negamus tolli poſſe citra iniuriam ſacrorum ordinum & Eccleſiaſticæ dignitatis, quare hoc corollarium explodimus,

Syr. ep. 1. c. 7. Innoc. ep. 3. c. 1. quo cenſet *lege contraria Eccleſiæ, etiam priuatæ alicuius magni regni*, quod vt Anglis ſuis paraſitetur, addendum ſuæ farragini duxit, *abrogari poſſe*. Repugnant Siricius & Innocentius magni Pontifices, ac Optimis rationibus iudicium ſuum & ſententiam firmant. Et certè qui abrogari poſſe eam legem, & penes Eccleſiam eſſe, vt eam tollat, ac generali prouiſione poteſtatem faciat ordinatis, præſertim Sacerdotibus vxores ducendi ſenſerint, nullo negotio conficient quoque poſſe Eccleſiam abrogare Canones, quibus vel conſanguineorum, vel affinium matrimonia prohibentur. Sanè ipſi Græci quos vis acrior ſyderis continentiæ aduerſi, afflauit, quique plurimùm licentiæ hac in parte ſibi vſurparunt, eò progreſſi non ſunt, vt vxores ducerent iam ordinati, ſed tantùm vt quas accepiſſent ante ordinationem apud ſe retinerent; Quod enim de violatis Canonibus Trullanis etiam per ducentos annos affert, inconſtantiam gentis quidem prodit, ſed legem nullam inducit. Contrà verò refractarios edixit

Leo 6. Nouel. 3. Leo ſextus; *Cùm decenter*, inquit, *inde ab initio, de iis qui faciendis Deo ſacris, digni eſſent, Eccleſiaſticus ordo conſtituerit; non rectè, meo quidem iudicio, qui præſentis temporis conſuetudinem ſequuntur, interdum Eccleſiaſticam traditionem contemnunt. Nam vbi illa mandat, vt qui creandi Sacerdotes ſunt, aut per omnem vitam, ſi promiſſum non falſum fore fidant, cœlibatum voueant: aut ſi illum ſeruare impoßibile ipſis videatur, legitimè matrimonium ineant, ac deinde diuinum myſterium ſuſcipiant: conſuetudo, quæ in præſenti obtinet, iis quibus matrimonio coniungi in animo eſt, concedit, vt antequam vxorem duxerint, Sacerdotes fieri poßint, &c.* Sed vt pleniori obſequio ſui amantiſſimos Britannos Clericos demereatur, ac factam gratiam gratificetur, iam omnino pro eorum coniugiis pronunciat.

Spalat. Num. 74. *Vbicunque igitur*, inquit, *iam inducta eſt conſuetudo, vt Presbyteri, etiam poſt Presbyteratum; imò & Epiſcopi poſt Epiſcopatum, vxores ducant, matrimonium id ego, etiam in noſtro Occidente legitimum puto, & tolerandum ſaltem, ſi non etiam laudandum. Quis enim ignorat leges omnes humanas contraria conſuetudine abrogari? Vbi præſertim conſuetudo iam contra legem præſcripſit.* Atque vt cùm ratione inſanire videatur, Eccleſiam Romanam, quam rurſus tamen in priuatarum Eccleſiarum ordinem per magnum ſcelus cogere non veretur, compellat ac affatur.

Eod. nu. 74. *Dicat mihi obſecro*, inquit, *Romana noſtra mater Eccleſia celeberrima, ſed tamen Eccleſia tantùm particularis (vt oſtendetur ſuis locis:) An aliquid illa immutauerit in ſacris antiquiſſimis Canonibus, eoſque penitus, etiam ſine cauſa abrogarit; aliudque genus regiminis Eccleſiaſtici induxerit, omnino antiquiſſimo, & probatiſſimo, & acceptiſſimo in tota Eccleſia vniuerſali, & vtiliſſimo contrarium? Poſſem exempla*

innu-

innumerabilia proferre; ſed ne tædio ſim, abſtineo, vno aut altero contentus. Suas verò querelas duobus exemplis fulcire nititur. *Bigamiæ impedimentum ad ſacros ordines ſuſcipiendos*, inquit, *ab ipſo Apoſtolo poſitum, & ab Eccleſia vniuerſaliſſimè obſeruatum, frequentiſſimiſque & vniuerſaliſſimis decretis inculcatum : quodque multò maius eſt, & in tota Eccleſia, ſine comparatione magis vitatum, quàm coniugium ſimplex & præſens, filiorumque legitima procreatio Romani nihilominus Pontifices nihili faciunt hoc impedimentum ; ſed quotcumque bigami volunt fieri Sacerdotes, omnes prorſus, ſoluto debito precio pro taxa Cancellariæ, gratiam omnibus penitus per viam obtinent diſpenſationis ; & ſacro Presbyteratus etiam ordine initiantur, ſine vlla neceſsitate, vel vbi maxima copia ſupperit cælibum, & non bigamorum.* SPALAT. Num. 75.

Similiter, addit, *ab vno Epiſcopo excommunicati, ab omnibus debent abſtineri; vt in Nicæno Concil. eſt decretum : & excommunicati cauſa in Synodo Prouinciæ eſt ventilanda : Nunc verò excommunicati omnes, apertis vlnis Romæ excipiuntur: imò contra omnes Epiſcopos Tribunal eſt erectum, ad hos omnes ſiue meritò, ſiue immeritò fuerint excommunicati, abſoluendos : & iudicia omnia in Prouinciis ſunt compreſſa.* Atqui ſi reſcripta Pontificum conſuluiſſet, vidiſſet nullos acrius pro hoc Eccleſiæ decreto aduerſus Bigamos pugnaſſe. Nam etiam à ſancto Thoma Lucius III. inducitur, qui apertè dicat *in Bigamis, contra Apoſtolum, diſpenſare non licere, vt debeant ad ſacros ordines promoueri, vel in eis ſi promoti fuerint remanere.* Fauet Innocentius tertius, atque Gloſſa in eam partem inclinat, ſuoſque citat authores, Scilicet eorum animis obuerſabatur antiquus Eccleſiæ rigor ac ſeueritas, quæ digamos, hoc eſt eos qui binis aliquando nuptiis impliciti fuiſſent, ſacris ordinibus perpetuò prohibuiſſet, etiam ſi ante baptiſmum bigamiam contraxiſſent, aut vnam ante baptiſmum & alteram poſt ſuſceptum Sacramentum duxiſſent vxorem, quamquam reclamante Hieronymo, quem hîc Theologi deſerunt, & Auguſtinum ſequuntur contrariæ ſententiæ patronum. Cæterùm verum omnino eſt poſſe Eccleſiam cum digamis vt ordinentur diſpenſare, etiam vſque ad Epiſcopatum, cuius ratio eſt, quia conſtitutio hæc, *ne digamus ordinetur*, non diuina eſt, ſed Eccleſiaſtica, licet ab Apoſtolis profecta : Neque enim omne illud quod Apoſtoli aut Apoſtolici viri præceperunt iuris eſſe diuini protinus cenſeri debet ; cùm ſint multa ab iis conſtituta, pro ea poteſtate, quam Paſtores & Rectores Eccleſiarum nacti erant, quibus omnino ſuos ſucceſſores teneri noluerint, ſed diſpenſandi poteſtatem liberam reliquerint. Sic Apoſtoli in vnum congregati decreuerunt *abſtinendum eſſe* fidelibus *à ſuffocato & ſanguine*, quod præceptum nunc omnino ceſſat, nec illud, vt aiunt, tuliſſet Lutherus; Certè eodem loco quo ſcripſit Apoſtolus, debere *Epiſcopum eſſe vnius vxoris virum*, quod contra digamos dictum omnes ferè interpretes ſentiunt, etiam addit, *Non Neophytum*, & tamen Ambroſius & Nectarius, & alij quàm plurimi, diſpenſante aut verius diſſimulante Eccleſia, fuerunt ad Epiſcopatum euecti ; Quare ad id quod ex decretis Lucij & Innocentij affertur, vno verbo dici poteſt Pontifices illos non loqui *de diſpenſatione propriè* dicta, ſed *de cõmuni permiſsione*, quæ ſtare non poſſit ; Namque cùm Apoſtolica ſit prohibitio, ne digamus ordinetur, non debet, niſi ex graui admodum cauſa, vt id fiat permitti ; Cæterùm cùm hoc concedit Pontifex, iure ſuo vtitur, ac ſubeſſe omnino faciendi cauſas iudicat, nec SPALAT. Num. 76. Conc. Nic. cap. 5. In ſuppl. q. 66. a. 5. Act. 15. 1. Tim. 3.

desertoris fuerit eius retractasse sententiam. Quod autem secundo loco in exemplum violatarum antiquarum Ecclesiæ legum, ponit vexationem Episcoporum, quos contra, Tribunal Romæ erectum exclamat;

Et mœstis latè loca, quæstibus implet;

Vereor ne exulcerati olim animi sit hic dolor qui recrudescat. Malè Romæ ob facinora exceptus, sanctissimum tribunal infamare nititur. Certè patuisse semper Episcopis à collegis suis vexatis Sedis Apostolicæ fores, ac eam nulla collegarum iniuria appellare illos potuisse, omnes historiæ loquuntur, & Augustinus in causa Cæciliani defendit: *Posset*, inquit, *non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cùm se videret & Romanæ Ecclesiæ, in qua semper Apostolicæ Cathedræ viguit principatus, & cæteris terris vnde Euangelium ad ipsam Africam venit per communicatorias literas esse coniunctum, vbi paratus esset causam suam dicere, si aduersarij eius ab eo illas Ecclesias alienare conarentur.* Sed de hoc Pontificem appellandi iure videro alibi. Itaque nihil ista ad abrogandam cœlibatus legem faciunt; & quod ex Ænea Syluio, ac etiam Panormitano viro inprimis orthodoxo, & Iurisconsultissimo, sed haud bono Theologiæ Magistro, ac aliis retexit ac repetit, existimasse *rem vtilem facturam Ecclesiam, si abrogata cœlibatus lege Clericis connubia permitteret*, friuolum est, cùm publicum Ecclesiæ iudicium priuatorum quorumque, etiam eximia sanctitate & doctrina præditorum, sententiæ præponderare debeat; quare multominus est, vt his præsidiis destituto auscultemus, aut non rectà monenti, morem geramus.

Aug. ep. 162.

Spalat. Num. 77.

Dico decimò, inquit Spalatensis, *Si verum esset, Græcas aut alias Ecclesias (quod non credo) nunc neminem ad sacros admittere ordines, nisi sit coniugatus; ac si non est nisi prius vxorem ducat, id omnino esse repugnans & rationi, & Christi consiliis, & nullam esse in Ecclesia Catholica constitutionem quæ hoc præcipiat: idque meritò in se Vigilantij, & Iouiniani, & Nicolaïtarum fermè hæresim continere. Dicere fortasse possent, se id obseruare bono fine, bonaque intentione, quia nimirum experientia docet vt plurimum, professos initiò continentiam, à continentia postea deficere, & vxoribus velle carere, vt vagos sectentur concubitus, & sic turpitudinibus immensis maculari Sacerdotium. Hinc sanè Episcopi illi Vigilantij fautores ordinare recusabant Diaconos, nisi prius duxissent vxores: quos inde pupugit Hieronymus, quod impudici ipsi cùm essent, de omnibus malè suspicarentur: neque putarent, cælibes posse esse continentes. Et quamuis nostris temporibus, non suspicio, sed veritas clamet, Clericos nostros cælibes ex maxima parte, & vt plurimùm notoriè ac manifestissimè esse impudicissimos: & rara auis in terris sit Clericus verè continens, & pudicus; Hæc tamen excusatio non tanti est, vt nota sit nostro ordini tanquam continentiæ & pudicitiæ hosti, non sine graui hæresis suspicione, inurenda, &c.* Itaque iam in Bellarmini ac Soti sententiam à se suprà impugnatam inclinat, ac vix est, vt suos Trullanos ab errore Iouiniani & Vigilantij defendat, aut purget; Namque ferè ad sacros ordines nullos admittunt, nisi matrimonio prius addictos, neque verò quod bono fine id eos facere excipit, ab errore eos liberat. Potuerunt enim, & Vigilantius & Iouinianus cœlibatum damnantes etiam hoc nomine suam *prætexere culpam*, quod periculum sit, ne continentiæ quam vouissent nuncium remitterent, ac libidinibus se traderent Clerici, qui vxores ducere detrectassent. Mirum verò est Spalatensem, post afflictas & perditas pudicitiæ leges, castitatis hîc præconem agere;

Hier. adu. Vigil. init.

Pessun-

Peſſundatis etenim totius Eccleſiæ ſanctiſſimis Sacerdotibus, & Epiſcopis, quos de ſuo ingenio æſtimat, impudiciſſimos dicit. Eſt iſta eius calumniandi libido, perdito nebulone, non verò Antiſtite digna. Et tamen rurſus ſua conſilia aperit, ac quæ ratio Clericorum turpiter in ordine agentium habenda ſit, non bonus caſtitatis author docet. Apage hæc conſilia, non ſolet Eccleſia à deſertoribus diſciplinæ ſuæ regulas petere, aut eos in conſilium adhibere, vt de rebus ad pietatem & religionis decorem pertinentibus ex eorum ſententia ſtatuat.

Sed iam videndum eſt quid ad noſtrorum rationes & Patrum authoritates, quibus orthodoxa ſententia fulcitur, reſpondeat. Rationes hoc ordine profert. SPALAT. Num. 31.

Primum, inquit noſtra retexens, *ſuaderi poteſt lex cœlibatus, ex ſacra ſcriptura, quæ vbique eſt eadem, adeſt ante omnia exemplum Apoſtolorum, qui ſi coniugati fuerunt, vt multi tenent, & nos ſuprà attigimus, (nam de Petro non eſt dubium qui ſocrum habebat, quamus incertum ſit viueretne vxor ipſius quo tempore ad Apoſtolatum venit) ſtatim tamen atque Chriſti ſequelæ ſe tradiderunt, etiam vxoribus valedixerunt. Ecce nos reliquimus omnia. Qui reliquerit Patrem, matrem, & vxorem, &c. centuplum accipiet. Quod videlicet fecerant Apoſtoli. De quibus ſic Hieronymus, Petrus & cæteri Apoſtoli (vt ei ex ſuperfluo interim concedam) habuerunt quidem vxores, ſed quas eo tempore acceperant, quo Euangelium neſciebant, qui aſſumpti poſteà in Apoſtolatum, relinquunt officium coniugale.* Euſeb. l. 3. hiſt. c. 24. Luc. 4. Luc. 4. Matth. 19. Hier. adu. Iouin. lib. 1.

Quid igitur ad iſta ille? Pudet certè referre quod de Apoſtolis blaterat; *Ad primam argumentorum ſeriem*, inquit, *Reſpondeo non deeſſe quidem probabilitatem Apoſtolos ſaltem aliquos ſecum circumduxiſſe vxores, & iis vſos ad omne opus coniugale, propterea quod Paulus aſſerit, ſibi & Barnabæ non deeſſe poteſtatem mulierem ſeu vxorem circumducendi, ſicut eas ducebant Apoſtoli, & fratres Domini, & Cephas.* SPALAT. Num. 78. 1. Cor. 9.

Quod os oporteat eſſe homini iſta effutienti? Quid igitur? Caſtitatis illa lumina deſertas à ſe vxores vt Chriſtum ſequerentur rurſus thori ſocias ſibi aſciuerunt, & inter tot ærumnas, ac Euangelicæ prædicationis moleſtias, homines mundo mortui, quique *ſpectaculo eſſent Deo, hominibus & Angelis*, maritalibus complexibus indulſerunt, ac ſe implicuerunt? Quis credat, aut etiam dicentem ferat? Propterea ſcilicet ſententiam mutat.

Ego tamen, inquit, *libenter amplector communem Sanctorum expoſitionem, Paulum loqui de piis fœminis, quales etiam Chriſtus habuit in comitatu, quæ illum & diſcipulos à Galilæa ſequebantur, miniſtrantes ei de facultatibus ſuis. Et non ſolùm Hieronymus, ſed etiam Clemens Alexandrinus, qui tamen has mulieres ſorores, de quibus Paulus facit mentionem, vxores fuiſſe Apoſtolorum intellexit, à copula coniugali, fecit Apoſtolos, poſt Chriſti ſequelam omnino abſtinentes.* Eo. l. nu. 78. Marc. 15. Clem. li. 3. Strom.

Aliam igitur adhibet ſolutionem; *Melius*, inquit, *reſpondetur Apoſtolos debuiſſe omnino relinquere vxores, quia erant per totum mundum expediti ab omni terreno obſtaculo, & impedimento Euangelium portantes, peragraturi; & non amplius in domos proprias reuerſuri; ſed vitam pro Chriſto in remotiſſimis ſuis laribus locis, & prouinciis poſituri. Nunc verò Epiſcopi, & Eccleſiaſtici Miniſtri, ex locis propriis aſſumuntur, & in illis degunt, ac operantur. Præterea Apoſtoli pauciſſimi, nimirum duodecim, vel tredecim ad Apoſtolatum erant aſſumendi: Epiſcopi verò, Presbyteri, & alij Miniſtri, innumerabiles: & ſic facilè fuit paucos continentes ſeligere: at verò multitudinem innumerabilem continentium inuenire, fuiſſet impoßibile: humano enim more, & citra miraculum, Mini-*

Epiph. hær. 59. Hier. l. 1. in Iouin.

ſtri Eccleſiaſtici erant ex hominibus aſſumendi. Atque ex hoc capite Epiphanius quoque & Hieronymus, neceſſarium fuiſſe fatentur, vt etiam coniugati, & filios generantes in Miniſterium aſſumerentur. Atqui hæc vim argumenti non infringunt. Primùm enim quod de Apoſtolis vrgebamus, omnino verum eſſe concedit, ſegregaſſe ſe ſcilicet eos ab vxoribus, ex quo Chriſto nomen dederunt. Itaque Principes & anteſignanos cœlibatus illos habemus cùm illum ſint amplexati. Quod verò addit *facilè fuiſſe reperire duodecim continentiæ ſtudioſos, impoßibile verò fuiſſe tantam multitudinem continentium inuenire, qui conſtitutos per totum terrarum orbem Epiſcopatus regerent*, friuolum eſt, neque enim ad duodenarium illum numerum coarctatam dixerit ſacrorum miniſtrorum pudicitiam, cùm certò certius ſit ad tam multos quoque qui eos ſequuti ſunt permeaſſe? Scilicet caſtitas Dei donum eſt, qua qui indigeant, ſià Deo poſtularint, facilè conſequentur. Certè communem eamque illibatam fuiſſe ſuo ſeculo Clericorum continentiam docet Auguſtinus: *Vnde iſtos*, inquit, *qui virilem excellentiam non putant, niſi peccandi licentiam, quando terremus ne aduiterinis coniugiis hærendo pereant in æternum, ſolemus eis proponere etiam continentiam Clericorum: qui plerumque ad eandem ſarcinam ſubeundam capiuntur inuiti, eamque ſuſceptam vſque ad debitum finem, Domino adiuuante perducunt. Dicimus ergo eis: Quid ſi & vos ad hoc ſubeundum populorum violentia caperemini, nonne ſuſceptum caſtè cuſtodiretis officium, repente conuerſi ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquam antea cogitaſtis? Sed illos, inquiunt honor plurimùm conſolatur. Reſpondemus: & vos timor amplior moderetur. Si enim hoc multi Dei miniſtri repente atque inopinanter impoſitum ſuſceperunt, ſperantes ſe illuſtrius in Chriſti hæreditate fulgere: quantò magis vos adulteria cauendo viuere continenter debetis, metuentes non in regno Dei minus lucere, ſed in gehennæ ignibus ardere?* Quod autem Hieronymus & Epiphanius fatentur, *neceſſarium fuiſſe vt coniugati & filios generantes in miniſterium aſſumerentur*, de priuatis quibuſdam locis in quibus Eccleſiaſtica diſciplina torperet, ac improborum licentia leges ſilerent eſſe omnino intelligendum ex ipſo Epiphanio à nobis ſuprà citato, facile eſt colligere.

Aug. de adulter. coniugiis lib. 2. c. 20.

Spalat. Num. 78.

Ad Pauli locum; *Oportet Epiſcopum eſſe continentem*, ſic reſpondet, *Paulus continentem requirit Epiſcopum, prout continentia eſt virtus quæ omnibus voluptatibus corporalibus, non ſolùm Venereis frænum ponit, & Venereis etiam, ſed illicitis.* Atqui inter nefandas voluptates interpretes, Epiſcoporum cum vxoribus congreſſus ponunt. Audi Hieronymum: *Sit autem*, inquit, *Epiſcopus & pudicus, quem Græci σώφρονα vocant, & Latinus interpres verbi ambiguitate deceptus, pro pudico prudentem tranſtulit. Si autem Laïcis imperatur, vt propter orationem abſtineant ſe ab vxerum coitu: quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis populique peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas? Relegamus Regũ libros & inueniemus Sacerdotem Abimelech de panibus propoſitionis noluiſſe prius dare Dauid & pueris eius, niſi interrogaret vtrum mundi eſſent pueri à muliere non vtique aliena, ſed coniuge. Et niſi eos audiſſet ab heri & nudius tertius vacaſſe ab opere coniugali, nequaquam panes propoſitionis, quos prius negauerat, conceſſiſſet. Tantùm intereſt inter propoſitionis panes & corpus Chriſti, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa quæ per exemplaria præfigurabantur. Quomodo itaque manſuetudo, patientia, ſobrietas, moderatio, abſtinentia lucri, hoſpitalitas quoque*

Hier. in ep. ad Tit. c. 1.

&

& benignitas, præcipuè debent esse in Episcopo, & inter Laïcos cunctos eminentia: sic & castitas propria, & (vt ita dixerim) pudicitia Sacerdotalis, vt non solùm se ab opere immundo abstineat, sed etiam à iactu oculi, & cogitationis errore mens Corpus Christi confectura sit libera. Ad alia loca Pauli respondet *conuenientiam arguere continentiæ & cœlibatus, non verò necessitatem.* Atqui quod decentissimum fuit, & sacro ordini conuenientissimum Ecclesia omnino præcipere potuit, imò debuit propter incomparabilem Sacerdotij dignitatem, vt loquitur D. Epiphanius. Igitur improbè facit qui cœlibatus leges ab ea constitutas euertere aut infringere conatur. Audi Magnum virum: *Ita enim profectò*, inquit, *sese res habet vt post Christi in orbem terrarum aduentum, eos omnes, qui secundum priores nuptias mortuâ vxore alterus sese nuptiis illigarint, sanctissima Dei disciplina reiiciat: propterea quod incredibilis est Sacerdotij honor & dignitas. Atque istud ipsum sacrosancta Dei Ecclesia, cum omni prouisione diligentiaque seruat. Quin eum insuper qui adhuc in matrimonio degit, ac liberis dat operam, tametsi vnius sit vxoris vir, nequaquam tamen ad Diaconi, Presbyteri, Episcopi, aut Hypodiaconi ordinem admittit. Sed eum duntaxat, qui ab vnius vxoris consuetudine sese continuerit, aut ea sit orbatus: quod in illis locis præcipuè fit, vbi Ecclesiastici Canones accuratè seruantur. At enim nonnullu adhuc in locis Presbyteri, Diaconi, ac Hypodiaconi liberos suscipiunt: Respondeo; non aliud ex Canonis authoritate fieri: sed propter hominum ignauiam, quæ certis temporibus negligenter agere, ac conniuere solet; ob nimiam populi multitudinem: cùm scilicet qui ad eas se functiones applicent, non facilè reperiuntur. Quod ad ipsam quidem Ecclesiam attinet, ea, vt pote à Spiritu sancto bene ordinata, atque constituta, quod decentius est omnibus in rebus considerans, ei rei studere potissimum instituit; vt quæ diuino numini ministeria præstantur, nulla re, quoad fieri potest, distrahantur, vtique spiritalia omnia officia, quam optima lætissimaque conscientia gerantur. Hoc igitur dico propter subitas functiones, atque officia conuenire, vt Presbyter, ac Diaconus, & Episcopus, Deo penitus vacet. Nam si illis etiam, qui è populo sunt, idipsum Apostolus præcipit; Vt, inquit, ad tempus vacent orationi, quantò id magis Sacerdoti præscribit? Nimirum nullis vt impedimentis auocetur; quô in spiritualibus secundum Deum negotiis; in ipso vsu Sacerdotij administrationeque ferietur.* Ad ea quæ de esu agni Paschalis qui magnam munditiem edentium deposceret, respondet *esse mystica, & allegorica*, nec aduertit argumentum esse *à minori ad maius*, tamen addit *sufficere continentiam ab illicitis, seu ad tempus, etiam ab vxoribus*, quasi verò non vsus ipse matrimonij in Clericis inter illicita censeatur? Ad illas laboriosas præparationes quibus legem Dei accepturi Iudæi se obstrinxerunt, respondet *non Sacerdotum modò, sed reliquæ quoque plebis fuisse*, cum laborem, adiicitque exemplum illud, *solùm ad tempus quarundam solemnitatum*, suadere continentiam, quasi verò non plus à legis Euangelicæ ministris, quàm à veteribus illis Iudæis, siue Laïcis, siue Sacerdotibus requiratur. Ad illud de panibus propositionis respondet his verbis. *Panes*, inquit, *propositionis à Laïcis comedendi, requirebant temporaneam, & breuem, à mulieribus continentiam: Sacerdotes tamen, illos absque hac continentia comedebant, simul etiam cum suis vxoribus, & liberis. In quo non est audiendus Sotus, qui Sacerdotes panes illos comesturos, dixit ab vxoribus abstinuisse; quod est falsum. Achimelech enim dixit Dauidi, Non habeo Laïcos panes: & à Laïcis requi-*

Epiph. hær. 59.

1. Cor. 7.

Spalat. Num. 78.

Sot. l. 7. q. 6. art. 2.

ſiuit vt ſint mundi à mulieribus. Et tamen nó dubitauit Hieronymus hæc quoque ad Sacerdotes transferre; *Si*, inquit, *Laïcis imperatur, vt propter orationem abſtineant ſe ab vxorum coïtu: quid de Epiſcopo ſentiendum eſt, qui quotidie pro ſuis populique peccatis illibatas Deo oblaturus eſt victimas? Relegamus Regum libros, & inueniemus Sacerdotem Abimelech de panibus propoſitionis noluiſſe prius dare Dauid, & pueris eius, niſi interrogaret vtrum mundi eſſent pueri à muliere, non vtique aliena, ſed coniuge. Et niſi eos audiſſet ab heri & nudius tertius vacaſſe ab opere coniugali, nequaquam panes, quos prius negauerat conceſsiſſet. Tantùm intereſt inter propoſitionis panes, & corpus Chriſti, quantum inter vmbram & corpora, inter imaginem & veritatem, inter exemplaria futurorum, & ea ipſa quæ per exemplaria præſigurabantur. Quomodo itaque manſuetudo, patientia, ſobrietas, &c. Præcipuè eſſe debent in Epiſcopo, & inter cunctos Laicos eminentia: ſic & caſtitas propria, (& vt ita dixerim) pudicitia Sacerdotalis, vt non ſolùm ab opere ſe immundo abſtineat, ſed etiam à iactu oculi, & cogitationis errore mens Chriſti corpus confectura ſit libera.* Hier. in ep. ad Tit. lib. 1. cap. 1. In Matth. lib. 2. c. 12. li. 1. in Iou.

Ad exemplum Sacerdotum qui tempore vicis ſuæ à maritalibus amplexibus abſtinerent, reſpondet his verbis; *Quod verò dicitur*, ait, *de Sacerdotum continentia, tempore vicis ſuæ, etiamſi topicum, & breuis continentia ad ſummum, eſſet argumentum; tamen ne argumentum quidem eſt; nuſquam enim in tota ſcriptura habes, Sacerdotes tunc lege aſtrictos fuiſſe, vt ab vxoribus ſeparentur. Separabantur quidem ex quodam accidenti, & neceſſaria ſequela; quia cùm plurimi extra Hieruſalem eſſent in propriis domibus, & variis ciuitatibus, etiam interdum valdè remotis, ſoli ad Templum proficiſcebantur, ſuam vicem impleturi ad ſolos ſeptem dies: quo ſecum vxores & liberos non ducebant. Ita Zacharias ex Montanis venerat, vt ſuum officium, ſua hebdomade, adimpleret.* Spalat. Num. 78. 1. Paral. 24. Luc. 1.

Eſt verò præceptum Domini Aaroni datum: Vinum & omne quod inebriare poteſt, non bibetis, tu & filij tui, quando intratis in tabernaculum teſtimonij, ne moriamini; quia præceptum ſempiternum eſt in generationes veſtras: & vt habeatis ſcientiam diſcernendi inter ſanctum & prophanum, inter pollutum, & mundum. Leuit. 10.

Atqui vnius Hieronymi ſententia pluris nobis eſſe debet quàm mille iſtiuſmodi deſertoris ſomnia. Certè *confiteris*, inquit, *non poſſe eſſe Epiſcopum, qui in Epiſcopatu filios faciat: alioquin ſi deprehenſus fuerit, non quaſi vir tenebitur, ſed quaſi adulter damnabitur. Aut permitte Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem ſint virgines, quod mariti: aut ſi Sacerdotibus non licet vxores tangere, in eo ſancti ſunt, quia imitantur pudicitiam virginalem. Sed & hoc inferendum: Si Laïcus, & quicunque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio coniugali: Sacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt ſacrificia, ſemper orandum eſt. Si ſemper orandum eſt, ergo ſemper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege qui pro populo hoſtias offerebant, non ſolùm in domibus ſuis non erant, ſed purificabantur ad tempus ab vxoribus ſeparati, & vinum & ſiceram non bibebant, quæ ſolent libidinem prouocare.* Hier. lib. 1. cont. Iou. cap. 19. Hier. adu. Iouin. l. 1.

Exiſtimo verò collegiſſe illud Hieronymum ex loco Exodi, quo Sacerdotibus præcipitur, vt *Domino appropinquantes ſanctificentur*, non ſecus ac populus. *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum*, inquit, *Domino ſanctificentur, ne fortè percutiat eos.* Vt enim iſta non de *tempore vicis*, *Sacerdotum*, ſed de lege accipienda, intelligantur, tamen veriſimile eſt parem munditiem exegiſſe Deum ab eis, cùm Domino miniſtrarent. Exod. 19. v. 22.

Exegiſſe

Exegiſſe autem tunc ab vxoribus ſeparationem, hæc quanquam ad populum dicta probant; *Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus veſtris;* Exod.19. v.15. ſed vtcumque iſta ſe habeant, ſatis nobis eſt Hieronymum, Siricium, Innocentium, ac Bedam orthodoxos, Patres, & Pontifices ex eo collegiſſe omnino decere, vt Sacerdotes noſtri, qui non per temporum interualla, ſed perpetuò miniſtrant, perpetuò quoque ab vxoribus ſegregentur.

Ad ſecundæ claſſis argumenta diſſoluenda iam aggreditur. *Ad ſecundam ſeriem*, inquit, *de Concilio Ancyrano dixi ſatis ſup. nu.13.14. Eccleſiæ etiam Orientali ſemper placuiſſe, vt miniſtros haberet, quàm maximè fieri poſſet, cælibes & continentes: ſed id vt neceſſarium nunquam ſtatuiſſe. Neocæſarienſe verò de non ducenda vxore poſt ſacros ordines, loquitur: de quo nunc non eſt controuerſia: Id enim toti Eccleſiæ fuit acceptum.* Atqui Concilium Ancyranum ſtatuit Diaconos, qui in ipſa ordinatione non proteſtantur ſe velle vxorem habere, non poſſe poſt ordinationem eam ducere. Itaque exiſtimarunt ſubieciſſe ſe eos legi continentiæ, ac in eam in ipſa ordinatione, etiam ſolo ſilentio conſenſiſſe. Iam verò quod de Diaconis aſſeritur, multò magis ad Preſbyteros referri debet, quod attinet ad legem continentiæ, nam de indulgentia par ratio non ſit. Addit enim Canon; *Si proteſtetur Diaconus, & nihilominus ab Epiſcopo ordinetur, poſſe ducere*, quia nimirum tunc cenſetur Epiſcopus, cum eo diſpenſaſſe; *diſpenſatio* verò *eſt de re aliàs non licita*, vt omnes norunt. Ideirco autem nec Epiſcopi, nec Preſbyteri meminit, quod cum eis nunquam diſpenſaretur. De Concilio Neocæſarienſi non diſputat; *Quod*, inquit, *de non ducenda vxore poſt ſacros ordines, de quo nunc non ſit controuerſia, loquatur.* Interim verò impurum illius de maritandis Sacerdotibus iudicium, de quo ſuprà, damnat, ac funditus tollit, cùm etiam *toti Eccleſiæ acceptum* fuiſſe, quod illo ſancitur agnoſcat. Canonem Nicænum nunc verſat. Verba Canonis quibus ſuam ſententiam firmant noſtri ſunt; *Interdixit per omnia ſancta Synodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino Clericorum licere ſubintroductam habere mulierem; niſi forte aut matrem, aut ſororem, aut amitam, vel eas tantùm perſonas, quæ ſuſpicionem effugiunt.* Excipit Spalatenſis: *Nicænum*, inquit, *Concilium non prohibet vxores, volebat quidem prohibere, at authore Paphnutio abſtinuit.* Atqui hæ meræ ſunt hominibus illudentis, præſtigiæ. Si enim Nicænum Concilium vxores non prohibuit, quorſum igitur vetat, ne quis quouis prætextu apud ſe mulierem ſubinductam retineat, aliam quàm vel matrem, vel ſororem, vel amitam, vel ſuſpicione carentem, nulla vxoris facta mentione, cuius me herclè nomen ante alias fuerat exprimendum, ſi ad rogationem Paphnutij cenſuiſſent Patres eam Epiſcopo, Preſbytero, aut Diacono permittendam. Certè Baſilius vxorem vnà cum aliis mulieribus, quæ ſuſpicionem non effugerent, ædibus & cohabitatione ſacrorum miniſtrorum excluſiſſe Concilium, omnino intellexit. Huius enim Canonis authoritate permotus permittendum non putauit etiam ſeptuagenario ſeni, vt ſecum commorantem mulierem haberet. Quod verò epiſtola illa tota verſetur, in explicando & aſſerendo Canone Nicæno, lubet eam integram recenſere. Sic igitur Baſilius; *Legi literas tuas magna cum animi lenitate: admiratuſque ſum quomodo coneris rebus incurabilibus longis mederi ſermonibus, cùm breuiter nobis, & facilè reipſa ſatisfacere valens, in illis de quibus accuſaris permanere conſtitueris. Nec primi, nec ſoli Paregori, ſanciuimus non debere mulierculas cohabitare viris. Lege Canonem à ſanctis Patribus noſtris, in Nicæna Synodo conſtitutum, qui ma-*

SPALAT. Num.79.

Cone. Nic. 1. Can. 3. Ἀπηγόρευσεν ἁπάντων ἡ μεγάλη σύνοδος· μήτε ἐπισκόπῳ, μήτε πρεσβυτέρῳ, μήτε διακόνῳ, μήτε ὅλως τινὶ τῶν ἐν κλήρῳ, ἐξεῖναι συνείσακτον ἔχειν γυναῖκα· εἰ μὴ ἄρα μήτηρ, ἢ ἀδελφὴ, ἢ θεία, ἢ τοιαῦτα μόνα πρόσωπα παρεισάγεται, ἃ καὶ ὑποψίαν διαφεύγει.

D. Baſil. ep. 198. Pareg. Presbyt. Οὔτε σοῦ τοῦτο, οὔτε μόνου, ὃ Παφνουτίου ἀνομοθέτησε μὴ γυναῖκας αἰδεῖσθαι μὲ συνοικεῖν. ἀλλ' ἀκόλουθα τῷ κανόνι τὰ ἐξητασμένα παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων ἡμῶν τῷ τῆς συνόδου Νικαίας, ἵν' φανερῶς ἀπαγόρευσαν συνάπτειν μὴ αὐτοῖς

nifestè interdixit; Ne quis mulierculam subintroductam habeat. Cœlibatus autem honestatem suam in eo habet, si quis à nexu mulieris secesserit. Itaque si quis cœlibatum nomine tenus professus, reipsa faciat ea quæ à coniugatis fiunt, manifestum est, quod virginitatis honestatem nuncupatione quidem illius præstet, verùm interea ab inconuenienti voluptate non desistat. Tantò facilius admonitioni nostræ acquiescere poteras, quantò magis liberum esse te à corporalibus affectionibus affirmas. Neque enim credo virum 70. annos natum cum eiusmodi affectionibus cohabitare mulierculæ: neque propterea ista determinaui, quod aliquid absurdi designaueris: sed quod ab Apostolo edocti sumus, non esse fratri ponendum offendiculum, vel scandalum. Scimus autem vsuuenire, vt quod à nonnullis rectè geritur, alijs in occasionem peccati cedat. Ob hanc causam, constitutionem sanctorum Patrum sequuti, præcepimus vt à muliercula separeris. Vt quid igitur Chorepiscopum accusas, & veteris inimicitiæ mentionem facis? Imò quid nos quoque, quasi aures habeamus delationibus admittendis procliues? Et non magis teipsum reprehendis, quod à consuetudine mulierculæ abstinere detrectas? Eijce igitur illam ex edibus tuis, & trade in monasterium. Sit illa cum virginibus, & tu inter viros ministra: ne nomen Dei propter vos blasphemetur. Donec ista feceris, etiamsi innumera per epistolas causeris, nihil efficies: sed otiosus morieris, dabisque Domino otij tui rationem. Si verò sine correctione tui ipsius, ausus fueris Sacerdotij retinere functionem, anathema eris omni plebi: & si qui te receperint, per omnem Ecclesiam excommunicabuntur. Vide igitur, mi Spalatensis, tanti Episcopi iudicio in te *deceptoris vel imperiti*, quod nulla fronte orthodoxis tribuis, nomen conuenire, qui in hoc Canone versando adeo à veritate exorbitaris. Vides vt maximè vxores in suspicionem incurrerent, vides vt se ab vxore segregare recusanti anathema minetur clarissimum Orientis sydus Basilius. Sed in primis, Concilij Arelatensis secundi Canon tertius, lucem affert magnæ Synodi decretis; *Si quis Clericus à gradu Diaconatus in solatio suo mulierem, præter auiam, matrem, sororem, filiam, neptem, vel conuersam secum vxorem habere præsumpserit, à communione alienus habeatur.* Itaque aliis opus non habemus, cùm etiam vxorem non conuersam, hoc est cœlibatui non addictam, vt nec alias subintroductas habere mulieres permittant Patres. De Paphnutio diximus suprà. Subdiaconos autem hac lege obstrinxisse Concilium, ac Diaconos, ex Epiphanio omnino colligitur. Veniamus ad Patres, hoc est ad tertiam argumentorum classem; *Impeditur*, inquit Origenes, *indesinens ijs qui coniugalibus necessitatibus seruiunt. Vnde mihi videtur, quod illius solius est offerre sacrificium, qui indesinenti & perpetuæ se deuouerit castitati.* Respondet Spalatensis: *Origenem loqui in sensu morali, non literali, de Sacerdotibus spiritualiter: etiam de Laïcis: & ex Pauli documento, quo fideles coniugatos docet abstinere tempore orationis à carnali opere, concludere, sacrificium indesinens, putà orationis puræ & perpetuæ, aliorumque spiritualium exercitiorum, peragi non posse à quocunque fideli, pio, & deuoto, nisi perpetuam seruet castitatem; & ita exaggerare consilium castitatis.* Itaque Origenem non legit; Equidem locum Exodi ad mores traducit, sed ex eo colligit, quæ reipsa à Sacerdotibus Noui Testamenti, etiam suprà Laïcos præstari debeant. Verba eius sunt: *Vereor aliquid dicere, quod ex sermonibus Apostolicis intelligatur, ne fortè videar aliquos contristare. Nam si oratio iusti sicut incensum in conspectu Domini, & eleuatio manuum eius sacrificium vespertinum: dicit autem Apostolus ijs qui in coniugiis sunt; Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi,*

Conc. Arel. 2. Can. 3.

Spalat. Num. 80. Origen. hom. 23.

Origen. in Num. c. 28. hom. 23.

1. Cor. 7.

tioni, & iterum in idipſum ſitis: certum eſt quia impeditur ſacrificium indeſinens, ijs qui coniugalibus neceſsitatibus ſeruiunt. Vnde videtur mihi, quod illius eſt ſolius offerre ſacrificium indeſinens, qui indeſinenti & perpetuæ ſe deuouerit caſtitati. Itaque Origenes quæ ad veros Sacerdotes pertinerent, nec ab aliis præſtari poſſent, explicat, ac propterea Laïcos ſolatur horum verborum adiectione; *Sed & ſunt alij dies feſti ijs qui forte non poſſunt indeſinenter immolare ſacrificia caſtitatis. Secunda ergo feſtiuitas poſt indeſinentis ſacrificij feſtiuitatem ponitur Sabbati, & oportet ſanctorum quemque, & iuſtum agere etiam Sabbati feſtiuitatem. Quæ eſt autem feſtiuitas ſabbati, niſi illa, de qua Apoſtolus dicit, Relinquetur ergo Sabbatiſmus, hoc eſt Sabbati obſeruatio populo Dei? Relinquentes ergo Iudaicas Sabbati obſeruationes, qualis debeat, eſſe Chriſtiano Sabbati obſeruatio, videamus. Die Sabbati nihil ex omnibus mundi actibus oportet operari. Si ergo deſinas ab omnibus ſæcularibus operibus, & nihil mundanum geras, ſed ſpiritalibus operibus vaces, ad Eccleſiam conuenias, lectionibus diuinis, & tractatibus aurem præbeas, & de cœleſtibus cogites, de futura ſpe ſollicitudinẽ geras, venturum iudicium præ oculis habeas, non reſpicias ad præſentia & viſibilia, ſed ad inuiſibilia & futura, hæc eſt obſeruatio Sabbati Chriſtiani.* Orig. ibid.

Sequitur Epiphanius, cuius tria loca proferunt noſtri pro cœlibatu; Primus eſt, *Sanctum Sacerdotium*, inquit, *ex virginibus quidem vt plurimùm procedens: ſi verò non ex virginibus, at ex ſolitariam vitam degentibus. Si verò non ſufficerint ad miniſterium ad ſolitariam vitam degentibus, de his qui continent à propriis vxoribus, aut ab vnis nuptiis viduitatem ſeruantibus.* Epiph. cõp. de fid. Cath. & Apoſt. Eccleſ.

Excipit Spalatenſis: *Epiphanius priori loco, antequam ritus Eccleſiaſticos ſui temporis numeret, & recenſeat, illa præmittit; Quæcunque ex natura ſeruantur in Eccleſia, & ſeruata ſunt, partim ex præcepto, partim per ſuſceptionem voluntariæ promptitudinis ſeruantur, Deo gaudente, ob virtutem ſuæ doctrinæ, neceſſarium eſt me breuibus apponere. Poſtea enarratis variis gradibus in Eccleſia, virginum, monachorum, cœlibum, ſeu continentium, viduorum, coniugatorum bigamorum; Sacerdotes dicit vel maximè optari, & procurari, vt ex virginibus aſſumantur: tum verò ex Monachis: Quod ſi ex his non poſsit totus miniſtrorum numerus neceſſarius compleri, cœlibes & continentes à propriis vxoribus; id eſt qui abſtinent à ducenda vxore, aſſumuntur; aut vidui etiam non bigami, ſua viduitate contenti. Coniugatos verò prorſus prætermiſit: quia coniugati non aſſumebantur, niſi quando ex iam numeratis gradibus non poſſet ſuppleri. Et certè eos qui ab vxoribus ſe continent, Epiphanium cœlibes intellexiſſe, qui continent ſe ab vxoribus ducendis, virgines tamen non ſint, neque vidui, videtur, eò quòd reſumit gradus iam numeratos, ſolis miſsis coniugatis. In illis verò gradibus, vt ego ſuprà poſui, poſt Monachos ſolitariam vitam agentes, ponit continentiam, ſuper eundem curſum fundatam, nimirum cœlibatus, quia & virgines & Monachi ſunt cœlibes; continentes verò, qui neque virgines ſunt, neque Monachi ſunt cœlibes; ſed iam corrupti; nam poſtea viduos ponit non bigamos; & poſt hos ponit vxoratos ſeorſim, vt gradum diuerſum ab illis continentibus, quos poſtea dicit à propriis vxoribus continere.* Crebris inſomniis vexatur. Ait Epiphanius; *Sanctum Sacerdotium conſtare ſolis virginibus, vel Monachis, vel viduis monogamis, vel denique à propriis vxoribus continentibus*; Atque nomine eorum qui à propriis vxoribus cõtinent, ἐγκρατευομένων τῶν ἰδίων γυναικῶν, proculdubiò coniugatos qui à ſuis ſe ſegregarent, ac eas quod attinet ad thori ſocietatem deſererent intelligit, & tamen per ſummum ſcelus continentes à propriis vxoribus vult Spalatenſis eos intelligi, qui vxorem prorſus non ducerent, Spalat. Num. 81.

Digitized by Google

& ſic de earum caſtitate non conſtaret? Quis iſtam frontem non demiretur? Cui ergo vnquam venit in mentem, *vxorem non ducere* idem eſſe, quod *ſe à propria vxore continere?* Sanè à propria vxore ſe continere non poteſt, qui propriam vxorem non habet, igitur neceſſe eſt duxiſſe, qui ſe ab ea contineat, igitur cœlebs non ſit: Facilè eum errore liberaſſet recentior interpres Epiphanij, qui ſic locum reddidit: *Sanctum Sacerdotium ex virginum ordine conſtat, aut ſi minus certè ex Monachis: aut niſi ex Monachorum ordine ad illam functionem obeundam idonei cooptari poſſint, ex his creari Sacerdotes ſolent, qui à ſuis ſe vxoribus continent, aut ſecundum vnas nuptias in viduitate verſantur.* Hic vides nullam continentium, qui vxores iunxiſſent fieri mentionem. Propterea omnino dicendum eſt nomine eorum, qui ſe continerent à propriis vxoribus, coniugatos intellexiſſe, qui ſe ab eis abſtrahi paſſi eſſent, de vxorum ſcilicet conſenſu; Ac certè admiſiſſe etiam coniugatos continentes, Eccleſiam, quod ipſe vidit, agnoſcit Epiphanius ſecundo loco iam à nobis verſato; *Illud quidem audierunt,* inquit, *Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe oportere, vnius vxoris virum continentem: ſimiliter & Diaconum & Presbyterum. Ita enim profectò ſeſe res habet, vt poſt Chriſti in orbem terrarum aduentum, eos omnes, qui ſecundum priores nuptias mortuâ vxore alteris ſeſe nuptiis illigarint ſanctiſſima Dei diſciplina reijciat: propterea quod incredibilis eſt Sacerdotij honor ac dignitas. Atque iſtud ipſum ſacroſancta Dei Eccleſia cum omni prouiſione diligentiaque ſeruat.* Itaque abeunt in fumos quæcunque toto iſto numero pro peruertenda mente Epiphanij, inducit; & tamen exultat, ac ferè triumphat *commodiſſima*, vt vocat, *interpretatione inuenta. Hæc videtur quidem*, inquit, *commodiſſima interpretatio Epiphanij, qui proculdubio gradus varios ſæculares non Eccleſiaſticos recenſens, ex quibus ad miniſteria Eccleſiaſtica homines aſſumantur, inter illos Laïcos gradus ponit iſtos continentes, qui ſe ab vna continuerunt. At quis vnquam inter Laïcos coniugatos obſeruauit vllos, qui ſe ab vſu propriæ vxoris contineant? Si tales eſſent certè ſecreti eſſent: at Epiphanius hîc loquitur de gradibus iam ordinariis, & publicè patentibus: ſeparauit tamen hos continentes à viduis, quia erant, & fuerunt ſemper cœlibes: à virginibus verò, quia plures poterant eſſe cœlibes quidem, ſed coïtu fornicario corrupti, qui facilè poſſunt in foro externo de lapſu carnis conuinci. Hos verò tales cœlibes, qui virgines non eſſent, ſi alioquin apti eſſent ad miniſterium, ab Eccleſia aſſumi ſolitos aſſerit Epiphanius; & vocat eos continentes, & qui ſe ab vna continent: & hi ſunt cœlibes, nec vidui, nec virgines, &c.* Sunt hæc quoque eius deliramenta. *Continentes ſe ab vxoribus* eos Laïcos intelligit Epiphanius, qui non ſolùm ſpecimen iſtius caſtitatis dediſſent, quorum non exiguum fortaſſe numerum habuere illa puriora ſæcula, ſed eum qui vt initiaretur ſolicitatus, obſequuturum ſe Eccleſiaſticis legibus, de propriæ etiam vxoris conſenſu, eſſet pollicitus; Imò verò contingebat à populis inuitos quoque rapi coniugatos ad Sacerdotium, ad quod euecti ab vxorum amplexibus vſu, & lege Eccleſiæ abſtinerent. Vide Auguſtinum; *Vnde iſtos*, inquit, *qui virilem excellentiam non putant niſi peccandi licentiam, quando terremus ne adulterinis coniugiis hærendo pereant in æternum, ſolemus eis proponere etiam continentiam Clericorum: qui plerumque ad eandem ſarcinam ſubeundam rapiuntur inuiti, eamque ſuſceptam vſque ad debitum finem, Domino adiuuante, perducunt. Dicimus ergo eis: Quid ſi & vos ad hoc ſubeundum populorum violentia caperemini, nonne ſuſceptum caſtè cuſtodiretis officium, repente conuerſi ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquam ante cogitaſtis? Sed illos, inquiunt,*

honor

Epiph. in expoſ. fid. Cath. Eccl. Ἐκ μὲ περιόντων τὸ πλεῖστον ἐγκωμιάζομεν· εἰ δ' ἐκ τῶν μὴ περιόντων, ἐκ μοναζόντων, &c.

Spalat. Num. 82.

Epiphan. hær. 59. Ἀκκεῖται ὅτι λῆ ἡ Ἐπίσκοπον ἀνεπίλημπτον εἶναι, μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα ὑπάρχοντα. ἀσπάζεται δὲ ἡ Διάκονον, καὶ ἡ Πρεσβύτερον· καὶ γὰρ τὸ μὲν ἐπὶ τοῦ Νόμου τὸ ἄχρι τοῦ διοῦ κήρυγμα ἐξ ἡ τοῦ Χριστοῦ ἐλεύσεως ἀπὸ τοῦ γάμου πεπαύσατο τῶν αὐτῶν γυναικὸς λυτέον γάμου παρέντας, &c.

Eod. nu. 82.

Auguſt. de adult. coniugiis l. 2. c. 20.

honor plurimùm consolatur. Respondemus: Et vos timor amplior moderetur, si enim hoc multi Dei ministri repentè, atque inopinanter impositum susceperunt, sperantes se illustrius in Christi hæreditate fulgere: quantò magis vos adulteria cauendo viuere continenter debetis, metuentes non in regno Dei minus lucere, sed in gehennæ ignibus ardere? Vt vel hinc appareat falsum falsissimum esse, quod ad calcem huiusce sectionis addit; *voluisse saltem Epiphanium etiam coniugatos, qui se ab vxoribus propriis non continerent, ad Sacerdotium ab Ecclesia admissos fuisse.* Perspicuè enim docet Clericum coniugatum adhuc, id est post susceptos sacros ordines liberis vacare, *iuxta Canones*, non posse, sed planè continentem esse debere; *At enim*, inquit, *nonnullis adhuc in locis Presbyteri, Diaconi, & Hypodiaconi liberos suscipiunt: Respondeo, non illud ex Canonis authoritate fieri: sed propter hominum ignauiam, quæ certis temporibus negligenter agere, ac conniuere solet; ob nimiam populi multitudinem: cùm scilicet qui ad eas se functiones applicent, non facile reperiuntur.* Potuit ne clarius dici Canone Ecclesiæ ab omni vxorum vsu & commercio, quod attinet ad filiorum procreationem, prohibitos Clericos, ac qui ab eis se non segregassent contra Ecclesiæ Canonem feciſſe? Et tamen solemne illud suum agens, ac mendaciis chartas complens, dicit *Canonem de quo loquitur Epiphanius, non fuisse Canonem, ne Clerici coniugati suis vxoribus vterentur, sed vt nulli coniugati Clerici fierent.* Quorsum igitur eorum, qui vterentur vxoribus hic lapsum notat? An non vt ostendat hoc eos feciſſe, quod Ecclesiæ Canon docebat, cùm nimirum eo caueretur, *vt coniugati, ad sacerdotium euecti, à propriis vxoribus abstinerent?* Sed vires redintegrat; *Duplicem*, inquit, *causam affert, cur suo tempore regula hæc alterata sit, & ex gradu etiam coniugatorum, ad sacra ministeria homines cum suo coniugio assumerentur. Alterã ait esse mentis humanæ languorem: quod nimirum Clerici, qui liberè prius plurimi virginitatem, & continentiam seruarent, iam cœperunt velle plurimi vxores habere. Alteram quia multiplicatis fidelibus necesse fuit multiplicare ministros: & cùm ex gradibus ordinariis sufficiens numerus non posset colligi, ad coniugatos fuit adeundum. Atque ita illa eadem Ecclesia, quæ continentes tantùm semper habere nitebatur, coacta fuit adhibere coniugatos, & consequenter vxoribus vtentes, & filios generantes. Nunquam enim illa, in Oriente præsertim, vxoratos admisit, cum prohibitione vsus matrimonialis, nisi continens voluntarius quis se offerret. Nam vel penitùs respuit coniugatos; vel si eos admisit, cum libero vsu sui matrimonij admisit; Itaque Epiphanius, quem maximè nostri aduersum putant Græcorum Sacerdotum matrimoniis, potius nostro aduersatur Occidentali cælibatui, qui necessitati parendum docet, vt vbi veri cælibes, verique continentes haberi non possunt, ad Ecclesiastica sacra ministeria vxorati, filios adhuc gignentes, assumantur.* Atqui suprà monuimus hanc necessitatem ad quam sit adacta Ecclesia, paucis tantùm locis obuenisse; *At enim nonnullis*, inquit Epiphanius, *adhuc in locis Presbyteri, Diaconi, & Hypodiaconi liberos suscipiunt.* Priuatorum ergo locorum, in quibus aut disciplina elanguisset, aut continentia exaruisset mos improbus, publico Canoni, ac communi Ecclesiæ praxi, præiudicium facere non potuit. Itaque nihil habet Spalatensis, ex Epiphanio quo Trullanos suos iuuet. Sunt enim tertio loco clarissima eius verba; *Quod ad ipsam*, inquit, *Ecclesiam attinet, ea vt pote à Spiritu sancto bene ordinata, atque constituta, quod decentius est omnibus in rebus considerans ei rei studere potissimùm instituit, vt quæ diuino numini ministeria præstantur, nulla re quoad fieri potest distrahantur, vtique spiritalia omnia officia quàm optima lætissimaque conscientia gerantur. Hoc*

Epiphan. hær. 59. Αλλὰ πάντως ὁρῶ μοι, ἴν᾽ που τόποις ἐν πανηγύρει Πρεσβυτέρους, καὶ Διακόνους, καὶ Ὑποδιακόνους. τοῦτο οὖ παρὰ τῆ Καθολικῆ, &c.

Spalat. Num. 84.

Epiphan. hær. 59. Αλλὰ πάντως ὁρῶ μοι, ἴν᾽ που τόποις ἐν πανηγύρει Πρεσβυτέρους, καὶ Διακόνους, καὶ Ὑποδιακόνους.

Epiphan. hær. 59.

Epiph.cõtr. Aër. hær. 75 Τὶς διωύσεται διηνεκὴς μαχὸς κατηλύσῃ, ἢ νόμων παῤῥὲς; εἰ τὸ παρὰ τῷ Σολομῶντι εἰρημένον. ἄκουε υἱὲ λόγους πατρός σου, καὶ μὴ ἀπόστῃ διηνεκὴς μητρός σου. δήλως ὅτι ἐγκράτειαν καὶ ἁγνείαν ἐδίδαξεν ὁ πατὴρ τιμᾶν ὁ θεὸς ὁ μονογενὴς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. ἡ δὲ μήτηρ ἡμῶν ἡ ἐκκλησία εἰκότως διηνεκὴ ὠνόμασε τὰ κεκμηκότα, ἀλύτους, καὶ διηνεκῶς κατηλυθῶν. &c.

igitur dico propter ſubitas functiones, atque officia conuenire, vt Presbyter, ac Diaconus, & Epiſcopus Deo penitùs vacet. Nam ſi illu etiam, qui è populo ſunt idipſum Apoſtolus præcipit, vt inquit ad tempus vacent orationi, quantò id magis Sacerdoti præſcribit? Nimirum nullis, vt impedimentis auocetur, quò in ſpiritualibus ſecundum Deum negotiis, in ipſo vſu Sacerdotij adminiſtrationeque ferietur. Reſpondet verò, *Epiphanium quidem ſummam pudicitiam laudaſſe, & maximè decentem & conuenientem, tamen abſolutè neceſſariam non iudicaſſe. Quod igitur decens ſit,* inquit, *& valde conueniens conſiderat Epiphanius, non quod ſimpliciter neceſſarium;* Sed verba Epiphanij clariora ſunt, quàm vt his ineptis diſtinctiunculis obſcurari poſſint; nec enim decentiorem tantum prædicat continentiam, ſed præterea addit Eccleſiam, quod *decentius eſſet ſtatuiſſe*; at verò quanti magnus Pater decreta Eccleſiæ fecerit, habes ex diſputatione contra Aërianos: *Poteſt,* inquit, *quiſquam maternam ſanctionem, aut legem Patris euertere? quemadmodum à Salomone ſcriptum eſt. Audi fili ſermones Patris tui, & ne repellas leges matris tuæ: Quibus Patrem, hoc eſt, vnigenitum Deum, cum Spiritu ſancto declarat, partim ſcripto, partim ſine ſcripto docuiſſe: matrem verò noſtram Eccleſiam decreta, quædam habere penes ſe, quæ diſſolui euertique nequeunt. Quæ quidem cùm in Eccleſia conſtituta ſint, præclara quidem ac penitus admiranda ex hoc ipſo capite veterator ille conuincitur.* Succedit Chryſoſtomus; *Dixit,* inquit, *vnius vxoris virum: non ea ratione, vt id nunc in Eccleſia obſeruetur; oportet enim omni prorſus caſtitate Sacerdotem ornatum eſſe.* Reſpondet Spalatenſis admodum verbosè; *Chryſoſtomum negare in Eccleſia loco præcepti haberi, vt Epiſcopus non fiat, niſi qui vxoratus ſit, non bigamus. Eccleſia enim, inquit, etiam cœlibes, & libentius ordinat Sacerdotes, vbi tamen cœlibes non poteſt habere, tunc Paulinum dictum ſeruat, vt vxoratum accipiat, ſed non bigamum.* Verba & voces! Planus eſt ſenſus verborum Chryſoſtomi; *Dixit Apoſtolus vnius vxoris virum, non ea ratione, vt id nunc in Eccleſia obſeruetur; oportet enim omni prorſus caſtitate Sacerdotem ornatum eſſe.* Itaque Chryſoſtomus quidem cenſet initio naſcentis Eccleſiæ, cùm ſcilicet pauci admodum cœlibes occurrerent, quibus Sacerdotij, aut Epiſcopatus dignitas tribueretur, pro ratione temporis permiſiſſe Paulum coniugatorum, qui modò bigami non eſſent, ordinationes; at verò noluiſſe huiuſmodi conditionem vim legis in Eccleſia obtinere, contra verò inſequutis temporibus imperatam, his qui ad Sacerdotium promouerentur, omnimodam caſtitatem. Sequitur Gregorius Nyſſenus: *Quomodo,* inquit, *Dei Sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipſum, vt munus offerres vnctus es? &c. Quomodo hæc ipſa Deo offerres, qui legi non obtemperas prohibenti, ne ſacra impurus faciat? Ac ſi Deum tibi apparere expetis, quid cauſæ eſt cur Moſem non audias, qui populo edicit, vt à nuptiis purus ſit, quo Dei aſpectum comprehendat?* Reſpondet Spalatenſis; *Nyſſenum quid deceat potiſſimùm pro tempore miniſtrationis exaggerare optareque, vt Sacerdos cœlebs ſit, & à contrahendis nuptiis alienus.* Fac eſſe optantis verba! Illæ tamen expoſtulationes; *Quomodo Dei Sacerdotio fungeris, qui ad hoc ipſum, vt munus offerres vnctus es? Quomodo hæc ipſa Deo offerres prohibenti, ne ſacra impurus faciat?* Satis oſtendunt, hæc iure Sacerdotij, ab eo quem alloquitur repoſcere Nyſſenum. Dehinc Cyrillus; *Si qui,* inquit, *apud Ieſum bene fungitur Sacerdotio, abſtinet à muliere: ipſe Ieſus quomodo ex viro & muliere proditurus eſſet?* Reſpondet, Cyrillum

Aër. hær. 75 Τὶς διωύσεται διηνεκὴς μαχὸς κατηλύσῃ, ἢ νόμων παῤῥὲς; εἰ τὸ παρὰ τῷ Σολομῶντι εἰρημένον. ἄκουε υἱὲ λόγους πατρός σου, καὶ μὴ ἀπόστῃ διηνεκὴς μητρός σου. δήλως ὅτι ἐγκράτειαν καὶ ἁγνείαν ἐδίδαξεν ὁ πατὴρ τιμᾶν ὁ θεὸς ὁ μονογενὴς, καὶ τὸ ἅγιον πνεῦμα. ἡ δὲ μήτηρ ἡμῶν ἡ ἐκκλησία εἰκότως διηνεκὴ ὠνόμασε τὰ κεκμηκότα, ἀλύτους, καὶ διηνεκῶς κατηλυθῶν. &c.

Chryſ. ho. 2 de pat. Iob. SPALAT. Num. 85.

Chryſ. ho. 2 de pat. Iob. Διὰ οὖν τοῦτο εἶπεν μιᾶς γυναικὸς ἄνδρα, ἐπειδὴ ἦν τὸ φυλάττειν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ δύσκολον καὶ πανταχοῦ ἐγκρατῆ εἶναι ἦν ἱερέα.

Greg. Nyſſ. l. de virg. c. vlt. Πῶς ἱερατεύσεις θεῷ, καὶ τοῖς ἐμοὶ τοῦτο χαίδεις, εἰς τὸ θεσπέσιον δοῦναι τῷ θεῷ, &c. Πῶς ταῦτα θεσπίσεις θεῷ, ὁ μὲ ἀκούειν τὰ κωλύοντα ἱερᾶσθαι τὸν ἀνάγειν; ἢ ἵνα καὶ θεὸν ὀπτασιώσαι σοι πρὸς, τὸ ἐκ ἀκούεις τῆς Μωσέως, καθαρεύειν ἀπογάμου τοῦ λαοῦ παραγγέλλοντος, ἵνα χρήσωσι τῷ θεῷ ἡμέραις;

Cyril. Hieroſ. Cath. 12. Εἰ δέ τις τῷ ὄντι καλῶς ἱερατεύει ἀπέχεται γυναικὸς, ὡσὰν ἐκ μέλλων ἐξ αὐδὲν καὶ γυναικὸς ἔρχεσθαι;

Digitized by Google

rillum bonos & perfectos Sacerdotes illos cenſere, qui cum cœlibatu & continentia ſacris initiantur: tales enim ordinariè Eccleſiam admittere; non excluſis tamen, quando opus eſt, etiam vxoratis vxoribuſque copulatis. Atqui bonos & perfectos Sacerdotes quærit Eccleſia; Igitur eos vult eſſe cœlibatui addictos, & continentiæ laude inſignes: atque ſi coniugatos, aut vxoribus ſociatos tolerauit aliquando, fuit ea temporum conditio, adeoque neceſſitati, quæ legem non habet, morem vel inuita geſſit. Oecumenius: *Non ſtatuit*, inquit, *vt ab vxore pendeat Epiſcopus, aut vxorem neceſſariò habeat; ſed ſi fiat, è mundanis, non ſit ſaltem bigamus, ita tamen vt vocatus ad Epiſcopi munus, illud compleat, quod qui habent vxores, ſint tanquam non habentes.* Oecum.in 1.Tim.13. Reſpondet: *Oecumenium de Apoſtolis loqui, quod ſuo tempore inualuerat conſuetudo, imò & lex, vt Epiſcopi vxorati, de ſuarum conſenſu vxorum, in poſterum eſſent continentes.* Eod.nu.86. Fabulæ! Oecumenius Apoſtolum interpretatur, ac de eius mente quærit, quam his verbis aperit; *Non ſtatuit*, inquit, *vt ab vxore pendeat Epiſcopus, aut vxorem neceſſariò habeat; ſed ſi fiat, è mundanis, non ſit ſaltem bigamus, ita tamen vt vocatus ad Epiſcopi munus, illud compleat, quod qui habent vxores, ſint tanquam non habentes.* Non igitur ad tempora ſua reſpexit, ſed ad antiquam, adeoque perpetuam Eccleſiæ conſuetudinem ac legem. Hieronymus; *Quid faciunt*, inquit, *Orientis Eccleſiæ? quid Ægypti & ſedis Apoſtolicæ, quæ aut virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi vxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt?* Hier.adu. Vig.init. Reſpondet; *Hieronymum viduos continentes intelligere, qui habuerunt*, inquit, *non qui habeant vxores, & mariti eſſe deſiſtunt; quia à ſecundis nuptiis iam ſtatuunt abſtinere: & nolunt amplius fieri mariti. Quod eſt*, addit ille, *directè contra Vigilantium, qui ſolos coniugatos volebat ordinari. Huic contrarium erit, vbi nullus coniugatus ordinetur. Illi ergo qui mariti eſſe deſiſtunt, eùm ſint contrarij Vigilantio, non ſunt coniugati; ſed vt dixi vidui monogami, alioquin quantumcunque ab vxoribus abſtinerent, ſi mariti tamen eſſent, & coniugati, id ſatis eſt Vigilantio ad ſui dogmatis confirmationem: ſiue enim miſceantur cum vxoribus, ſiue non, modò vxores habeant. Vigilantius habet quod cupit. Viderat igitur Hieronymus, in illis Eccleſiis ſeruari exactè id, quod Epiphanius ſecundum Canones ordinariè fieri debere ſuprà docuerat; nec ibi neceſsitas cogebat aſſumere coniugatos; quia alij gradus, putà virginum, cœlibum, continentium, & viduorum monogamorum, neceſſarios Miniſtros ſuppeditabant.* Hic verò tam multa ſunt falſa, abſurda, adeoque impia, vt mirum ſit alicuius nominis famam ſibi comparaſſe, tam ineptum ac inſulſum ſcriptorem. Primùm immaniter errat in explicatione verborum, *qui vxores habuerunt, & mariti eſſe deſiſtunt*, ratus hic *viduos continentes* intellexiſſe Hieronymum, cùm tamen coniugatos proculdubio, qui vxores habuerint, hoc eſt, qui & vxores duxerint, & mariti tamen eſſe deſiſtant, hoc eſt à maritalibus complexibus ceſſent, ſeipſos legibus continentiæ ſubmittentes, ac ſubiicientes. Hieronymo enim, vt ſuprà oſtendi, *deſiſtere eſſe maritum*, perinde eſt, ac non amplius exercere opera nuptiarum; quare etiam maritum virgini opponit, quod ineptè faceret, niſi maritus is eſſet qui liberis vacaret, cùm ab vxore continens, virgo quoque eſſe poſſit: *Aut permitte*, inquit, *Sacerdotibus exercere opera nuptiarum, vt idem ſint virgines quod mariti: aut ſi Sacerdotibus non licet vxores tangere, in eo ſancti ſunt, quia imitantur pudicitiam virginalem.* Hieron.l.1. cont.Iouin. c.19. Hoc ergo ſibi vult priore loco

Hieronymus, coniugatos Clericos à ſuſceptis ordinibus *deſiſtere eſſe maritos*, hoc eſt matrimonio amplius non vti. Demum ſceleratè, ac omnino impiè pronunciat, *Vigilantium cauſam obtinere ſi concedatur, fuiſſe in Eccleſia coniugatos Clericos, quantumuis poſt ſuſceptos ordines à coniugio abſtinuerint.* Namque hoc pacto victorem eum facit cum ipſius ſententia; *Clerici in Eccleſia ſemper habuerint coniugium, nec vllum vt putat nominari ſæculum poſſit, in quo nulli prorſus fuerint Clerici coniugati.* Neque verò in Vigilantij dogma penetrauit, quem ex Hieronymo conſtat voluiſſe, tantummodo matrimonio vtentes coniugatos, non verò ab vxoribus ſe ſegregantes ordinandos eſſe; *Niſi prægnantes*, inquit de ſectatoribus Vigilantij, *vxores viderint Clericorum, infanteſque de vlnis matrum vagientes, Chriſti Sacramenta non tribuunt.* Itaque qui nullos Clericos probabant, aut etiam admittebant, niſi quibus vxorum vteri ex opere nuptiarum intumeſcerent, omnino redarguebantur, & conuincebantur exemplis totius Eccleſiæ, tum Orientis, tum Occidentis, in quibus vel nullus coniugatus deprehendebatur, vel ſi deprehendebatur *maritus eſſe*, hoc eſt liberis operam dare deſiſtebat, adeoque virginalem pudicitiam pro modulo, & viribus imitabatur. Certè Vigilantium, cui tantopere Clericorum nuptiæ placerent, coniugatos continentes, non ſecus ac virgines, ac cœlibes execratum fuiſſe, omnino veriſſimile fit, cùm etiam horum exemplis, non minus quàm virginum, & cœlibum confoderentur ac iugularentur impia eius dogmata. Sed ſi verum eſt, *Nullarum Eccleſiarum exempla, niſi quarum omnes Clerici coniugio carerent, ſufficere potuiſſe ad Vigilantij hæreſim profligandam*; Imò ſi, vt ille blaterat, *coniugatorum Clericorum quantumuis abſtinentium exemplis Vigilantij dogma* confirmabatur; planè cauſam veritatis deſeruit Hieronymus; quippe qui Eccleſiarum vſus ſit exemplis, in quibus ſi modo fides diſputatori adhibenda, non ſolùm fuere Clerici coniugati, ſed etiam qui matrimonio vterentur: Agnoſcit ne ſua verba ad illa Hieronymi; *Eccleſias Orientis & Ægypti, aut virgines Clericos accepiſſe, aut continentes: aut qui, ſi vxores habeant, mariti eſſe deſiſtant*; *Non dicit Hieronymus*, inquit, *ita paſſim ab omnibus Clericis, & ex neceſſitate fieri; nec ad hoc vnumquemque ordinandum, aut ordinatum cogi. Aderant igitur continentes huiuſmodi, ſed cum libertate, & voluntaria electione: quod non negat Socrates, qui & ipſe in nonnullis Eccleſiis ab omnibus Clericis, id ſemper factitatum obſeruauit.* Itaque eius ſententia in Eccleſiis à Hieronymo teſtibus adductis, erant paſſim coniugati Clerici, tum qui vxorum complexibus indulgerent, tum etiam qui abſtinerent, ac proinde ſuo ſe telo iugulauit ſapientiſſimus Pater, ſi modò quod hic ſentit, ſatis erat Vigilantio dari Clericos coniugatos, ſiue ab vxoribus abſtractos, ſiue ab eis continentes, namque vtriuſque claſſis exempla ſæculum Hieronymi, Spalatenſi quoque teſte, ſuppeditat. O nugas! ſed iamà ſeipſo diſſentit; *Viderat*, inquit Spalat. *Hieronymus, illis Eccleſiis ſeruari exactè id, quod Epiphanius ſecundum Canones ordinariè fieri debere ſuprà docuerat; nec ibi neceſſitas cogebat aſſumere coniugatos; quia alij gradus, putà virginum, cœlibum, continentium, & viduorum monogamorum, neceſſarios Miniſtros ſuppeditabant.* Quî viderat? Cùm in his Eccleſiis, vt ſuprà dicebat aduerſarius, eſſent omnis generis coniugati in Sacerdotũ, & Clericorum ordinem adlecti! Fortaſſe vt reliquos præteream Gregorij Nazianzeni præceptoris ſui amantiſſimi, Patrem non nouerat Antiſtitem coniugatum? Obſeruant verò qui hæc occuparunt

Hier.adu. Vig.c.1.

Spalat. Num.56.

Spalat. Num.86.

cuparunt, & alias eius ἀπλογίας. Dicit *Canonem de coniugatis non ordinandis olim ſancitum, tempore Hieronymi in Oriente, exactè ſeruatum fuiſſe*; Atqui ſuprà vrgebat ex Epiphanio *fuiſſe multos, qui contra hunc Canonem nuptiis ſe tradidiſſent, ac etiam filios genuiſſent*; An non æqualis Hieronymo fuit Epiphanius, atque eius quoque amātiſſimus, quî igitur Hieronymus, videre potuit eum Canonem exactè ſeruari in Eccleſiis Orientis, ſi modò Epiphanius eum vidit peſſundari, ac infringi, ac *ſecundum mentem hominum*, vt ille quidem loquitur, *elegansce-re*? Credo enim de Eccleſiis quoque Orientis loquebatur. Iam videamus, quid ad Iuſtinianum Imperatorem reſpondeat; *Iuſtinianus*, inquiunt noſtri, *Clericorum eligendorum ſecundum diuinas regulas, conditiones numerat plures*; *Inter has*; *Neque, inquit, ſecundas habentem, aut eum qui habuerit nuptias, ordinari in Diaconum, aut Presbyterum: neque ſi mulieri coniungatur ſeiunctæ, & proprium virum derelinquenti: ſed neque ſi concubinam habeat, ſed & ipſam vxorem, ſi cum caſtitate, & ex virginitate ſit. Nihil enim hic in ſacris ordinationibus diligimus, quam cum caſtitate viuentes; aut cum vxoribus non cohabitantes, aut vnius vxoris virum, qui vel fuerit, vel ſit, & ipſam caſtitatem eligentem.* Reſpondet: *Iuſtinianum ſi vxores eripit Sacerdotibus, quas ante ſacros ordines habuerint, non ſequi ſtatuta Eccleſiaſtica, quæ nulla in hoc habebat; Imò*, inquit, *contrariam videbat conſuetudinem. Circa ſanè Epiſcopos*, addit, *vſitatis Canonibus, traditionique veteri Eccleſiæ maiorem addidit rigorem, quē nunquam ſequuta eſt Eccleſia, vt qui filios aut nepotes, etiam ex legitimo coniugio haberent, Epiſcopi non fierent. Ita circa Presbyteros, & Diaconos*: Perſequitur Spalat. *Quantū fieri poſſet addere conabatur non vſitatum rigorem, vt coniugibus non vterentur. De conſenſu nimirum, quamdiu illum poſſunt obtinere ſuarum vxorum: & propterea non præcipit, ſed quales Clericos eligi cuperet, exponit.* Hæc ille. Sed in primis Iuſtinianum nixum peruetuſto Canone Eccleſiæ, quæ ſunt ſuprà in Epiphanio, & Hieronymo dicta ſatis oſtendunt, probantque Spalatenſem omnino falſis niti, cùm aſſerit *moris non fuiſſe antiquitus, vt qui ſacris initiarentur ordinibus, vxoribus renunciare iuberentur.* Quod verò paſſa eſt Eccleſia filios habentes, aut nepotes ordinari, abolendum, nec in Eccleſia ſeruandum dixit Chryſoſtomus poſt priora illa tempora, quibus rari admodum cœlibes eſſent, quos in Sacerdotium, aut alia munera ſacra initiarent. Itaque cùm ſæculo Iuſtiniani exoleuiſſet illa conſuetudo, haud mirum eſt eam præteriſſe. Cæterùm ea ſtatuit, quæ firmato vſu iam in Eccleſia obtinerent, vt omnino conſtet à Patrum inſtitutis poſtea deflexiſſe Trullanos. Iam quartam ſeriem expendit noſtrorum argumentorum.

SPALAT. Num. 33. Nouel 6. c. 5. SPALAT. Num. 87.

Vrgent noſtri; *Coniugium*, inquiunt, *impedit Eccleſiaſtica munera, orationem, efficaciam prædicationis, curam paſtoralem, curam pauperum, & hoſpitalitatem, denique Sacramentorum adminiſtrationem. Ad honeſtatem tantùm, & conuenientiam*, inquit, *rationes illæ omnes deducunt; neque abſolutè conuincunt impedimenta adeſſe, quæ penitus ſacra exercere non ſinant; ſed quæ dumtaxat ea tam benè, purè, & perfectè fieri non permittant.* Sed occurrit Epiph. *Quod ad ipſam quidem*, inquit, *Eccleſiam attinet, ea vt pote à Spiritu ſancto bene ordinata, atque conſtituta, quod decentius eſt omnibus in rebus conſiderans ei rei ſtudere potiſſimùm inſtituit, vt quæ diuino numini miniſteria præſtantur, nulla re quoad fieri poteſt diſtrahantur, vtique ſpiritalia omnia officia quàm optima lætiſſimaque conſcientia gerantur. Hoc igitur dico propter ſubitas functiones, atque officia conuenire, vt Presbyter, ac Dia-*

SPALAT. Num. 33. & 88. Epiphan. hær. 59.

conus, & Episcopus Deo penitùs vacet. Nam si illis etiam, qui è populo sunt idipsum Apostolus præcipit, vt inquit, ad tempus vacent orationi, quantò id magis Sacerdoti præscribit? Nimirum nullis vt impedimentis auocetur, quò in spiritualibus secundum Deũ negotiis, in ipso vsu Sacerdotij administrationeque feriatur. Excipit verò;

SPALAT. Num.88. *Si ex alia parte,* inquit, *vellemus rationes cõgerere, ad Clericorũ coniugia confirmanda; & incommoda recensere, atque exaggerare, quæ lex cœlibatus, & continentiæ secum fert, non pauciores, sed multò fortasse plures exurgerent probabilitates, legem hanc non esse proficuam, sed omnino abrogandam. Permißio enim coniugij Clericalis indecentias aliquas, & damna aliqua, ad summum temporalia, & rerum temporalium secum habet; neque semper coniuncta, & quibus facillimè, magna saltem ex parte, occurri potest. At verò necessitas cœlibatus, & vxorum amotio, grauissima secum fert mala, & ordinaria, & quibus remedium nullum adhiberi possit humanum; plurimorum peccatorum, & scandalorum, quæ vel cogitare sit horror. Atque ita passim longè indecentius sacra tractantur à sacrilegis, & in peccato mortali ordinariè existentibus: & bona Ecclesiastica fœdissimè, ac turpissimè consumuntur. Et ita lex cœlibatus, non occurrit incommodis, ad quæ vitanda ponitur: & alia mala innumerabilia gignit, quæ statum Ecclesiasticum miserrimè fœdant, & deturpant.* Itaque vt exemplo Iouiniani & Vigilantij cœlibatui obtrectet, ac virginitatem pessundet, voluptuariorum aliquot scelera satis sibi esse putat, quorum recitatione sacrum institutum violet, ac infamet? Numquid igitur castitatis leges ea mala inducunt, quæ odiosè nimis persequenda, & exaggerenda sumit? Est ista deerrantium labes, qui si cœlibatus legibus starent, ab omni certè fœditate luxuriæ puros se præberent. Ac verò iisdem penè malis abundant coniugia, quæ neutiquam frænos semper libidini iniiciant, vt etiam nefanda adulteria in ministris coniugatis, sit aduertere: Itaque vt coniugij non sunt illa mala, ita neque cœlibatus, sed corruptæ naturæ vitia sunt, quæ rectè institutis legibus præiudicium afferre non debeant.

SPALAT. Num.89. Quod verò contra Sotum subiicit; *Haud ad euitandam copulam carnalem Clericorũ vt simpliciter malam, & ipsis illicitam legem prodiisse, vt post sacros ordines non possint matrimonia contrahere, sed vt vel aliqui sic essent in Clero cõtinentes, & virtus pudicitiæ nõ esset penitus à Clero excluſa, cũ laudabilis illa sit, & in Ecclesia plurimùm fulgeat.* Reuincitur ac refellitur testimonio Patrũ, quos suprà ostendimus, Episcopos opera nuptiarum implentes, *non pro maritis, sed pro adulteris*, vt loquitur Hieronymus, habuisse: Et quòd attinet ad reliquos Clericos, Elibertinum Concilium, Ancyranum, Carthaginense secundum, Toletanum quartum, Arelatense secundum, vt Patres omittam, satis Soti sententiam firmant: quod igitur intercessisset Ecclesiæ decretum, maritales illi amplexus illiciti censebantur & mali, quia prohibiti, firmat verò etiam Soti sententiam, quod addit *pudicitiam semper plurimùm in Ecclesia fulsisse*, namque vt amplius, ac amplius enitesceret, est lex cœlibatus Clericis imposita; Itaque etsi sponte sua cœlibes ad sacros ordines accedant, quippe quibus liberum esset nubere, tamen semel suscepto sacro ordine, eam sibi volentes libertatem ademerunt, ac legi cui se subiecerunt parendi sibi ipsi necessitatem indixerunt. Quo sensu etiam dixit Augustinus, *Vouere libertatis esse; Reddere necessitatis.* Ad continentiam pro tempore à Sacerdotibus antiquæ legis vsurpatam; Respon-

SPALAT. Num.90. det; *Consilia fuisse, non præcepta; & decentia, non necessaria; & sæpe neque*

consilium

consilium, neque præceptum extitisse, sed necessitatem propter coniugum absentiam, vt se ostendisse somniat; *aut si aliqua interdum fuerunt præcepta & obligatiua, rara fuisse, & ad exiguum admodum tempus, & in causis quibusdam publicis & solemnibus, quod etiam nunc seruari possit & debeat; non tamen in ordinariis ministeriis, ne iugum intolerabile ceruicibus Clericorum imponatur.* Sed primùm eius sunt somnia, *præcepta nulla continentiæ antiquæ legis fuisse Sacerdotibus imposita*; atque Hieronymi, Siricij, ac Innocentij I. (quorum verba suprà retulimus) authoritate hæc eius commenta ita profligantur, vt in his pensitandis diutius immorari non oporteat. Quod autem cœlibatum *iugum intolerabile vocat,* detorto ad eam opinionem Actorum Apostolicorum loco, qui nihil ad rem faciat, valde suspectam hominis pudicitiam reddit, quippe qui tot annos sine legitima vxore in Ecclesia, & Clericus, & Antistes fuerit, nisi fortè intolerabili iugo, ferendo humeros pares, ostentet. At audiat Aug. de Clericis, etiam haud sponte sua ordinatis, sed idcirco ampliori laude dignis, quod importabile castitatis iugum, non dixerunt differentem. *Vnde istos,* inquit, *qui virilem excellentiam non putant, nisi peccandi licentiam, quando terremus ne coniugiis adulterinis hærendo pereant in æternum, solemus eis proponere etiam continentiam Clericorum: qui plerumque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inuiti, eamque susceptam vsque ad debitum finem, Domino adiuuante, perducunt. Dicimus ergo eis: Quid si & vos ad hoc subeundum populorum violentia caperemini, nonne susceptum castè custodiretis officium, repente conuersi ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquam antea cogitastis? Sed illos, inquiunt, honor plurimùm consolatur. Respõdemus: & vobis timor amplior moderetur. Si enim hoc multi Dei ministri repentè, atque inopinanter impositum susceperunt, sperantes se illustrius in Christi hæreditate fulgere: quantò magis vos adulteria cauendo viuere continenter debetis, metuentes non in regno Dei minus lucere, sed in gehennæ ignibus ardere.* Ad locum Pauli, *pro tempore orationis abstinendum esse ab opere coniugali,* dicentis; *Respondet hîc se cum Chrysostomo intelligere non esse præceptum, sed optimum consilium, & si sit præceptum intelligendum esse in oratione & ieiunio extraordinariis, & feruore extraordinario, quo interdum sit diuinis rebus vnicuique fideli vacandum; alioquin intermedio illo tempore, quo reuertuntur in idipsum, orationes non possent homines fundere, quod est falsum; quia Christi & Apostoli documentum est, omnibus etiam Laïcis datum; oportet semper orare sine intermissione, & nunquam deficere.* Atqui vt sit tantùm optimum consilium coniugatis ab Apostolo traditum cum venia, ad maritales amplexus ab oratione reuertendi; quis non videat hinc Ecclesiam suæ legis sanciendæ rationem duxisse: Nam vt Hieronymi verbis vtar; *Si Laïcus & quicunque fidelis orare non potest, nisi careat officio coniugali: Sacerdoti, cui semper pro populo offerenda sunt sacrificia, semper orandum est. Si semper orandum est, ergo semper carendum matrimonio. Nam & in veteri lege, qui pro populo hostias offerebant, non solùm in domibus suis non erant, sed purificabantur ad tempus ab vxoribus separati, & vinum & siceram non bibebant, quæ solent libidinem prouocare. Eliguntur mariti in Sacerdotium non nego: quia non sunt tanti virgines, quanti necessarij sunt Sacerdotes.* Fateor verò non de quacumque oratione loqui Apostolum, quamquam verum quoque est, ex concubitu semper ineptiorem reddi animum ad precandum, sed de oratione ad quam fideles publicè conuenirent veluti Dominicis, ac solemnioribus quibusquediebus; scilicet illis diebus solebant fideles participes fieri sacræ communionis, cuius reuerentia adducti ab opere coniugali abstine-

Actor. 15. *Quo loco de iugo veteris legis loquitur Scriptura.*

Augustin. de adult. coniugiis l. 2. c. vlt.

1. Cor. 7.

Luc. 18.

Hieron. l. 1. cont. Iouin. c. 19.

Digitized by Google

rent; quare hæc duo nectit Hieronymus, *orationem & corporis Christi communionem*; *Oro te*, inquit, *quale illud bonum est, quod orare prohibet, quod corpus Christi accipi non permittit.* Vides autem non solùm à corporis Christi perceptione, verùm etiam ab ipso solemni conuentu in quo sacrificium offerretur, abstinendum fuisse, illis qui operi coniugali vacassent, quod nimirum quicumque sacrificio adessent, communicare quoque solerent, vnde est illud Hieronymi de Romanis, qui post actum coniugalem sacris cœtibus se non miscerent; *Quare ad Martyres ire non audent, quare non ingrediuntur Ecclesias?* Cæterùm hæc magis sententiam nostram firmant, si enim cùm est à Laïcis percipienda Eucharistia, ab vxorum complexibus consilio Apostoli abstinere debent; An non meritò sacerdotibus, quibus assiduè sacrificandum sit, & corpus Christi Deo litandum, ac postea percipiendum est lex castitatis imposita? Hæc certè Origenis collectio est; *Vereor*, inquit, *aliquid dicere, quod ex sermonibus Apostolicis intelligatur, ne fortè videar aliquos contristare. Nam si oratio iusti sicut incensum offertur in conspectu Domini, & eleuatio manuum eius sacrificium est vespertinum, dicit autem Apostolus, ijs qui in coniugijs sunt; Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi, & iterum in idipsum sitis: certum est quia impeditur sacrificium indesinens ijs qui coniugalibus necessitatibus seruiunt. Vnde videtur mihi, quod illius est solius offerre sacrificium indesinens, qui indesinenti & perpetuæ se deuouerit castitati.* In eandem rem quoque Hieronymus, qui præceptum vrgeat, non Apostoli consilium. *Iubet*, inquit, *idem Apostolus in alio loco, vt semper oremus* (traxit istud ad Clericos) *si semper orandum est, nunquam ergo coniugio seruiendum, quotiescumque vxori debitum reddo, orare non possum.* Sed instat magnus connubiorum patronus. *Imò ordinarius, moderatus, & commodus matrimonij vsus multò habiliorem facit hominem, etiam ad diuina pacatiùs & tranquillius consideranda, & Deo quietius inseruiendum, imò & ad orationes deuotionesque extraordinarias feruentiores suo tempore fundendas.* O verum *Christianorum*, quod de Iouiniano dixit Hieronymus, *Epicurum*! An non virginitatem ista omnia defloranr, ac infestant? Infœlices scilicet virgines, quæ laboriosæ virtutis studio promptiore illo, ac accommodatiore præsidio se priuent: quæ id minus consequantur, quod optent! quæ non nisi molestias sibi pariant, & negotium facessant, quò sint ad orandum, & ad res diuinas tractandas ineptiores! sed ea etiam est audacia, vt insignem virginitatis præconem Chrysostomum hic testem proferat.

Lib.1. cont. Iouin. c.4.

Ad Pammach.

Origen. in Num. c.28. hom.23.

1. Cor.7.

Spalat. Num.90.

Rationem huius rei, inquit, optimè tractat Chrysostomus; *Nam si nuptiæ*, inquit, *vel puerorũ educatio præpedimentum forent in virtutum itinere, nequaquam in hanc nostram vitam nuptias introduxisset vniuersorum Dominus, vt ne in rebus præcipuis, & maximè necessariis nos læderet. Sed quia non solùm nihil nobis obstat ad philosophandum Deo, si voluerimus esse sobrij, sed & magnam afferunt consolationem, dum comprimunt insanum naturæ impetum, nec turbari quasi mare sinunt, sed efficiunt vt scapha fœliciter in portum appellat: & ideo consolationem hanc humano generi tribuit. In sublimi positus hic Pater doctissimus* (inquit Spalatensis) *mundumque intuens vniuersum videtur in nuptiis portum, in vita cœlibe turbatum mare, fluctusque indomitos, ac despumantes vndique conspicari. Naturam consulamus, profecto fumus, qui non exhalatur, totam domum perpetuò reddit fuliginosam; secus est, si aptato camino erumperet. Et cerebrum obsessum, occupatumque vaporibus cruditatum in stomacho indigestarum, ineptum est ad philosophandum.* Sed sunt

Spalat. Num.90. Chryſ.ho. 21. in Gen.

hæc

hæcà Chryſoſtomi mente alieniſſima, & miror voluptatis laudatorem hic ſe & Monachi & cœlibis Antiſtitis authoritate tueri voluiſſe. Laudat Chryſoſtomus nuptias atque portum eſſe in quem fœliciter ſcapha compreſſo inſano naturæ impetu appellat, vt ſcilicet laſciuientem iuuentutem à promiſcuis & vagis concubitibus auocet, quippe cui liberum ſit ſi velit in hunc portum ſe recipere, cùm nullis legibus cœlibatus aut virginitatis teneretur, at quàm diſſimiliter de Monachis, de Preſbyteris, ac Epiſcopis philoſophetur, ſuprà oſtendimus, vt ipſe Spalatenſis fatetur, qui Epiſcopum de inita vxore accuſatum malè ab eo acceptum, ſuprà refert. Cæterùm eadem portus metaphora vſus quoque eſt magnus Gregorius, & quo ſenſu à Chryſoſtomo illud dictum ſit explicat. *Admonendi*, inquit, *ſunt cœlibes, vt ſi tentationum procellas cum difficultate ſalutis tolerant, coniugij portum petant. Sine culpa quippe ad coniugium veniunt, ſi tamen necdum meliora vouerunt; Nam quiſquis bonum mains ſubire propoſuit bonum minus quod licuit ſibi illicitum fecit.* Hæc intelligendo Chryſoſtomo ſufficiunt, nec pudicitiæ temeratoribus vllo modo patrocinantur. Naturæ conſilium quo ſe tuetur etiam Iouiniano fauet, & video naturæ plerumque addictos gratiæ illuſtriora dona obſcurare ſolitos. Adi Hieronymum.

Ad Theod. lapſum. Greg. p. 3. cu. paſt. adm. 28.

Lib. 9. c. 1.

Nazianzenum addit nuptiarum laudatorem. *Nazianzenus*, inquit, *quoque non exiguum commodum, vel ad vitam ipſam ſpiritualem, in matrimonio conſiderauit, dum ait, Cùm in hæc duo cunctis vita diuiſa ſit, nempè in matrimonium & cœlibatum, atque hic quidem ſublimior, & diuinior ſit, verùm laborioſior, & periculoſior; illud autem humilius, ſed tamen tutius; vitatis vtriuſque moleſtiis quicquid in vtroque pulcherrimum erat elegit (Gorgonia,) atque in vnum copulauit, alterius nimirum ſublimitatem, alterius ſecuritatem, fuitque citra ſupercilium pudica, cœlibatus bonum matrimonio admiſcens, illudque oſtendens, neutrum horum aut Deo nos omnino aſtringere, aut ab eo dirimere, ita vt alterum omni ex parte laudandum, & amplectendum, verùm mentem eſſe, quæ & coniugium, & virginitatem pulchrè regat, & moderetur: atque hæc inſtar materiæ cuiuſdam ab artifice ratione dirigi, & ad virtutem elaborari. Non enim quia carni copulata erat, ideircò à Spiritu diſiuncta eſt, nec quia caput virum habebat, ideo primùm caput ignorauit, ſed cum mundo, & naturæ Paulum miniſtraſſet, & quantum carnis lex volebat, vel is potius qui hanc carni legem indixit, totam ſe Deo conſecrauit.* Certè Nazianzenus pro argumenti ratione nuptias quibus Gorgonia pudica, me hercle, mulier ſe addixerat, celebrat; at quamquam ſplendore orationis rem illuſtrat, ac coniugio implicitos ſe Deo totos conſecrare poſſe contendit, tamen cœlibatū quem ipſe eſſet amplexus, ſublimiorem ac diuiniorem prædicat: quod verò virginitatē periculoſiorem pingit, facit vt ſororis conſilium comprobet, atque de virginitate per ſe ſpectata loquitur, cui ſi accedat promiſſum magno theſauro ſeruando auxilium diuinum facilè pericula ſuperat, ac difficultatibus ſe explicat. Cæterùm nec ſuis malis carent connubia, quæ facilè à nobis enumerarentur, ſi id huius eſſet loci. Tantummodo audiatur Hieronymus. *Fertur Aureolus Theophraſti liber de nuptiis, in quo quærit, an vir ſapiens ducat vxorem. Et cùm definiſſet ſi pulchra eſſet, ſi benè morata, ſi honeſtis parentibus, ſi ipſe ſanus ac diues, ſic ſapientem aliquando inire matrimonium, ſtatim intulit: Hæc autem in nuptiis rarò vniuerſa concordant. Non eſt ergo vxor ducenda ſapienti. Primùm enim impediri ſtudia Philoſophiæ, nec poſſe quemquam libris & vxori pariter inſeruire. Multa eſſe, quæ*

SPALAT. Num. 90. Nazianz. in fun. Gorg.

Hier. l. 1. cont. Iouin.

matronarum vſibus neceſſaria ſint, pretioſæ veſtes, aurum, gemmæ, ſumptus, ancillæ, ſupellex varia, lectica & eſſeda deaurata. Deinde per noctes totas garrulæ conqueſtiones: illa ornatior procedit in publicum, hæc honoratior ab omnibus: ego in conuentu fœminarum miſella deſpicior. Cur aſpiciebas vicinam? quid cum ancillula loquebaris? de foro veniens quid attuliſti? Non amicum habere poſſumus, non ſodalem. Alterius amorem, ſuum odium ſuſpicatur. Si doctiſſimus præceptor in qualibet vrbium fuerit, nec vxorem relinquere, nec cum ſarcina ire poſſumus. Pauperem alere, difficile eſt; diuitem ferre, tormentum. Adde quoniam nulla eſt vxoris electio, ſed qualiſcunque obuenerit, habenda. Si iracunda, ſi fatua, ſi deformis, ſi ſuperba, ſi fœtida: quodcunque vitij eſt, poſt nuptias diſcimus. Equus, aſinus, bos, canis, & viliſſima mancipia, veſtes quoque & lebetes, ſedile ligneum, calix, & vrceolus fictilis probantur prius, & ſic emuntur: ſola vxor non oſtenditur, ne ante diſpliceat, quàm ducatur. Attendenda ſemper eius eſt facies, & pulchritudo laudanda: ne ſi alteram aſpexeris, ſe exiſtimet diſplicere. Vocanda domina, celebrandus natalis eius, iurandum per ſalutem illius: vt ſit ſuperſtes, optandum: honoranda nutrix eius, & gerula, ſeruus, patrimus, & alumnus, & formoſus aſſecla, & procurator calamiſtratus, & in longam ſecuramque libidinem exectus ſpado: ſub quibus nominibus adulteri deliteſcunt. Quoſcunque illa dilexerit, ingratis amandi. Si totam domum regendam ei commiſeris ſeruiendum eſt. Si aliquid tuo arbitrio reſeruaueris, fidem ſibi haberi non putabit, ſed in odium vertetur, ac iurgia, & niſi citò conſulueris, parabit venena. Anus & aruſpices & hariolos, & inſtitores gemmarum, ſericarumque veſtium ſi intromiſeris, periculum pudicitiæ eſt; ſi prohibueris, ſuſpicionis iniuria. Verùm quid prodeſt etiam diligens cuſtodia, cùm vxor ſeruari impudica non poſſit, pudica non debeat? Infida enim cuſtos eſt caſtitatis neceſſitas: & illa verè pudica dicenda eſt, cui licuit peccare, ſi voluit. Pulchra citò adamatur, fœda facilè concupiſcit. Difficile cuſtoditur, quod plures amant, moleſtum eſt poſſidere quod nemo habere dignetur. Minore tamen miſeria deformis habetur, quàm formoſa ſeruatur. Nihil tutum eſt, in quod totius populi vota ſuſpirant. Alius forma, alius ingenio, alius facetiis, alius liberalitate ſollicitat, &c. Reſtat Origenes, ſed nihil habet quod nos lædat: verba eius ſunt, *Quoniam videmus*, inquit, *nonnullos ſanctorum aliquos etiam Apoſtolorum habuiſſe coniugia, non vſquequaque poſſumus de ſola virginitate ſentire.* Lubenter ſubſcribimus, ſed numquid propterea coniugium virginitati, aut etiam cœlibatui prætuliſſe credendus eſt, fortaſſe quoniam exectus eſſet Origenes, integrum eum nobis dare non potuit. Sed conſulamus codicem. *Quamuis*, addit, idem author, *in huiuſmodi hoſtiis habere prius ordinem poſſit: ſicut in lege, alia erat hoſtia Sacerdotis, alia Principis, alia Synagogæ, & alia vnius animæ.* Quibus verbis innuit potiorem eſſe hoſtiam Sacerdotis, qui perpetuam continentiam explicat, de quibus ſuprà.

Orig. l. 9, in ep. ad Rom. c. 12.

Orig. in Num. c. 28. hom. 23.

Digitized by Google

DISCVSSIO
VNDECIMI CAPITIS
LIBRI SECVNDI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Legem continentiæ ſacro ordini annexam: Voti rationem propriè non habere, quanquam & votum dicatur: Canon Ancyranus explicatus, & à fraudibus Spalatenſis vindicatus: Gratianus declaratus: Matrimonia à Clericis in ſacris ordinibus conſtitutis contracta, iam irrita & nulla: Concilia aliquot declarata: Vnde haberi poſſit lex cælibatus miniſtrorum: Sponte ac citra vllam vim initiare debere qui cælibatus aſtringuntur: Bellarminus defenſus: Poſterioribus Canonibus nouum ius inuectum: Defenduntur vota contra Spalatenſem: De viduis quæ primam fidem irritam fecerunt: Fuiſſe earum ſimplex votum continentiæ: Iuniores puellas ad votum Caſtitatis rectè admitti: Sanctio Concilij Tridentini de hac re: Expenduntur loca Patrum quibus oſtendi videtur votum continentiæ, etiam ſolemne, coniugia non abrumpere: Bellarminus iniuſtè vexatus à Spalatenſi: Spalatenſis inconſtantia: Cyprianus explicatus: Item Baſilius à Spalatenſi mirè depranatus: Epiphanius etiam declaratus: Auguſtinus à Spalatenſi immaniter corruptus: Quid de votis cenſuerit Chryſoſtomus: Quid Hieronymus: Bellarminus à calumnia vindicatus: De Virginibus ab Epiſcopo velatis quàm differrent ab aliis: Auguſtinus cum aliis Patribus commiſſus: Numero cedit: Aut potius rationibus ſuperiorum Patrũ: Soluuntur eius obiectiones: Innocentius explicatus de ſimplici, & de ſolemniori voto continentiæ: A cõmuni doctrina receſſit Auguſtinus: Portentoſa Spalatenſis inconſtantia: Diſputatur vtrũ propter præceptum Eccleſiæ vel propter voti ſolemnitatem Religioſorum dirimantur matrimonia: Sancti Thomæ de ea re iudicium: Poſt votum ſolemne nuptias in Eccleſia numquam integras extitiſſe: Decreta Conciliorum aduerſus votifragos librata: Item ſummorum Pontificum: Plures Patres explicati: Et in his fraudes Spalatenſis deteguntur: Malè Spalatenſis Auguſtinum cum antiquioribus Patribus componit: Innocentius rurſus declaratus in re grauiſſima: Obiectiones Spalatenſis depulſæ: Concilia defenſa: Gregorius ſeptimus à Calumnia vindicatus: Vera fornicationis remedia.

ORDINEM ſacrum, nullam prorſus habere repugnantiam, iure diuino, cum nuptiis ſtatuque coniugali, eſt omnibus perfectiſſimum: ſacra enim miniſteria, à coniugatis etiam omnia peragi poſſe, nemo negat. Neque Chriſtus Dominus à ſuo miniſterio coniugatos, aut repulit, aut repellendos eſſe vel cenſuit vel ſtatuit, aut mandauit: & hoc eſt iam omnibus compertiſſimum. Eccleſiarum tamen Rectores pulchritudine, & commodis cælibatus, & continentiæ, deliniti; aliqui laudarunt eam & commendarunt ſummoperè; aliqui verò etiam præceperunt, vt vidimus cap. 10. præcedenti: in Oriente quidem parcius, in Occidente verò noſtro amplius & ſeuerius; excluſa penitus, ex animis noſtrorum clericorum, ſpe omni coniugij vllo tempore ineundi. Atque vt id executionem haberet paratiorem, doctrinam quandam priſcis temporibus inauditam, & eam quidem falſiſſimam, ſimulque valde Eccleſiæ perniciоſam, & animas plurimas in barathrum æternæ damnationis cru- SPALAT. Num. 1.

Extrauag. Antiquæ, de voto votique red.

deliſsimè præcipitantem, prompſerunt, & euulgarunt : nimirum, ſacros ordines, ſaltem in Occidente, adnexum habere votum ſolemne continentiæ. Voti verò ſolemnitatem quandam, ſimiliter nouam, & priſcis incognitam excogitarunt ; eique vim quandam occultam, & ſecretam indiderunt, qua inita etiam matrimonia irritentur; & ne vllum inter nubentes ſequatur coniugale vinculum, aut ſequi poſsit, efficiat. Atque ita, velint nolint, ij qui ſacris initiantur, perpetuò ad contrahenda matrimonia ſint inhabiles ; & ſi illa tentent contrahere, actum agant, & non niſi fornicariam ſibi adiungant. Imò ſi etiam ab omni miniſterio ſacro penitus abiiciantur, ac deponantur; adhuc perpetuò in eadem inhabilitate perſeuerent, matrimonij prorſus incapaces. Hanc nos doctrinam hoc cap. ſuſcipimus confutandam.

HOc caput veluti appendix quædam eſt ad ſuperiora, qua afflictam ac vexatam pudicitiam clericalem iam perdere ac funditùs tollere nititur Chriſtianorum Epicurus Spalatenſis. Principio igitur in cœlibatus legem inuehitur, ac Occidentis regulas totis viribus ac impetu inuadit, & labefactat, ac demum votum continentiæ non eſſe ſacro ordini annexum contendit, probareque conatur verboſa admodum oratione. Sed reuera vox eſt, præterea nihil: ſic igitur argumentatur ; *Indubitatum*, inquit, *mihi videtur, votum eſſe actum proprium illius qui voto aſtringitur, voluntarium & liberum ; cùm ſit promiſsio Deo facta. Promiſsio verò ex ſua natura, eſt actus liber, & voluntarius ac perfectè voluntarius in promittente. Ac propterea votum & promiſsio, ſi quomodocumque ad vim & coactionem reducatur, nulla eſt ; & neque voti neque promiſsionis vim habebit. Cumque ſit potiſsimum actus internus animaſticus, præuia rationis plena aduertentia factus, quomodo poteſt Eccleſia actum ſuapte natura vitalem animaſticum, & internum, annectere ordinationi externæ ; quæ tota, in quantum eſt ab Eccleſia miniſterialiter, externo ſolo corpore perficitur? Poteſt illa quidem ab ordinando requirere, vt ſi velit ſacrum ordinem, votum Deo faciat voluntarium; & vt ſicut voluntariè ac plenè liberè, accedit ad ordinem ; ita conſequenter cum voto dicto accedat, ſimiliter libero & voluntario : Alioquin ſi non vult vouere, ad quod non cogitur, ſed liber relinquitur; neque ad ordinem accedat ſuſcipiendum. Sed hinc non ſequitur vt ordinandus, cui illa conditio innotuit, accipiens ſacrum ordinem, ſtatim vouiſſe ſit intelligendus : Votum enim eſt actus, vt dixi, totus de ſe internus; & ordo vt ordo non eſt actus externus ſuaptè natura voti interni ſignificatiuus ; niſi ergo ille expreſsè dicat, verbis vel ſignis externis id de ſe ſignificantibus ſe vouere, nullo modo vouiſſe erit intelligendus. Sicut reuerà poteſt ſuſcipere ordines, & tamen internè non vouere ; imò conceptum habere internum, non vouendi. Ideoque olim in ordinationibus, vbi Eccleſia vlla cœlibatum omninò volebat, in ordinibus etiam in perpetuum ſeruandum, votum expreſsum ab ordinando requiſiuit. Quod ſi potuiſſet votum hoc annectere ordinibus, ita vt per ſolam ordinationem virtualiter & interpretatiuè, ordinandus etiam voto hoc caſtitatis, aſtringeretur ; non requiſiſſet vt ordinandus votum emitteret, externis verbis expreſsum & prolatum.* Atqui operam ludit, neque enim Theologi docent eſſe vllum expreſsum continentiæ votum ſacris ordinibus connexum, ſed legem dumtaxat Eccleſiaſticam vrgent, qua ordinati omnino continere iubeantur. Verum quidem eſt Sanctum Thomam, ac alios hanc legem voti nomine nuncupare & explicare, ſed votum non intelligunt *eſſentialiter* ordini annexum, verùm ſola authoritate Eccleſiaſtica inuectum, vt nec Oecumenicum Concilium Tridentinum,

Spalat. Num. 3.

D. Tho. 2. 2. q. 38. a. 2.

Conc. Tri. ſeſſ. 24. c. 9.

num,cui cœlibatus Clericalis,lex Eccleſiaſtica dicitur; quare etiam mea quidem ſententia neceſſe non eſt dicere *votum continentiæ* eſſe ordini ſacro annexum, ſed *legem continentiæ*, ſi quidem quod ſciam Canon nullus extat qui votum exigat,cùm tamen multos proferre liceat, qui legem vrgeant; quare etiam in multis Eccleſiis non exigitur votum in ordinatione, quod ſcilicet ad obligationem lex ſufficiat, namque qui lege Eccleſiaſtica hanc à ſe caſtitatis profeſſionem, ſi modò initiari velit, exigi nouit, cùm ſponte ſua ſe initiandum præbet, etiam caſtitatis legi ſe volens ſubiicit, etiamſi ab eo nulla promiſſio exigatur, quare etiam illa omninò tenetur. Exempla rem illuſtrant: Namque ſicut qui liberè hæreditatem adeunt, cui norint eſſe aliqua onera annexa oneribus ſe ſubiiciunt, ſi quidem de mente Iuriſconſultorum *hæreditas acquiritur cum onere*, ita qui liberè clericatui ſe addicunt, cui annexa ſit lex continentiæ eius à ſe exigendæ ius & poteſtatem Eccleſiæ faciunt. Quare etiam qui abſque illo interno vouendi actu ordinibus ſacris ſe initiari paterentur,tametſi *ex vi*,quod aiunt, *voti*, ad continentiam,non obligaretur,ſi quidem votum non obligat, ſi internus vouendi actus deſit,obligaretur tamen *ex vi præcepti Eccleſiaſtici*, quo cœlibem vitam agere iubentur ad ſacros ordines aſſumpti. Propterea hic iam ſtatuimus ad exigendam ab ordinatis continentiam alterum horum ſufficere, nempè vel *receptam conſuetudinem*, vel *factam promiſſionem*; quare etſi Subdiaconus aliquis in ſuſceptione ordinis, nihil expreſſè promiſerit, neque enim, vt ſuprà monui,vbique ea promiſſio flagitatur, omnino tamen tenetur continere, quia vſum conſtitutũ inuenit, cùm mos Eccleſiæ habeat, vt Subdiaconi contineant. Igitur tradere ſe initiandũ in hunc ordinem in Eccleſia Dei eſt,ſi velis, implicitè vouere, aut ſi mauis eſt ſe ſubmittere legi cõtinentiæ ab Eccleſia latæ,& ei ſe ſpõte addicere. Hanc doctrinam poſt Concilium Ancyranum, de quo ſtatim, tradit Gregorius, ſi quidem poſtquam vetuiſſet Subdiaconos illos Siculos,de quibus ſuperiori capite egimus,compelli, vt ſe ab vxoribus ſegregarent, rationem addidit, quod ſcilicet *vſum continentiæ apud ſuos, nec inueniſſent, nec promiſiſſent*, ex quo planè colligitur alterum horum deſiderari, nempè vt dixi *vſum vel promiſſionem*. Cæterùm ſufficere vſum receptum, quod negat Spalatenſis, planè oſtendit Canon Ancyranus,perperam ab eo adductus. Verba Canonis, vt ſuprà retulimus ſunt; *Diaconi quicunque ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt velle ſe coniugio copulari, quia ſic manere non poſſunt; hi ſi poſtmodum vxores duxerint, in miniſterio maneant, propterea quod eis Epiſcopus licentiam dederit. Quicunque ſanè tacuerunt, & ſuſceperunt manus impoſitionem, profeſſi continentiam, & poſtea nuptiis obligati ſunt, à miniſterio ceſſare debebunt.* Ex quibus verbis falſitatis omnino conuincitur aduerſarius,quippe qui inſigni fraude imponit Concilio, vt *impediat Diaconum, ne poſt ſuſceptum Diaconatum vxorem ducat, ab eo expreſſam continentiæ profeſſionem poſcere, & ſi illam non expreſſerit vel tacuerit, vel contrarium fuerit proteſtatus, & nihilominus ordinetur, matrimonium poſtea ſecutum validum agnoſcere.* Cùm tamen Concilium apertiſſimè ſignificet ſolo ſilentio cenſeri Diaconum, qui manus impoſitionem ſuſceperit continentiæ ſe ſubmiſiſſe, eamque profeſſum fuiſſe, ſcilicet propter communem & omnibus notam continentiæ legem ſacro ordini annexam. Itaque Ancyrani Patres ſtatuunt Diaconos, qui in ipſa ordinatione non proteſtantur velle ſe vxorem habere, nulla ratione poſſe eam poſt ordinationem ducere, quod ſcilicet vel ſolo ſilentio in eam conſentire ſe

Greg.lib.1. ep. 42.

Ancyrana Synodus can. 10.

Διάκονοι, ὁπόσοι χειροτονηθησονται, παρ' αὐτῶν τὴν κατάστασιν εἰ μαρτύρωντο καὶ ὅτας χρείαν γαμεῖσθαι, μὴ δυνάμενοι οὕτως μένειν. οὗτοι μὲν τῶν γαμούντων, ἔξουσιαν ἐν τῇ διακονίᾳ, διὰ τὸ ὑπ' αὐτῶν λελῦσθαι αὐτοὺς ἀπὸ τῆς ὑποσχέσεως. τοῦτο δὲ, εἴ τινες παρεσιώπησαν, καὶ κατὰ ξάμενοι τὴν χειροτονίαν μείνωσιν οὕτως, μὴ τῶν ἄλλων ὑπὸ γάμου, κατασχόντες αὐτοὺς ἀπὸ διακονίας.

SPALAT. Num.3.

declararint, ſi autem proteſtentur, ac ſuam mentem clarè aperiant, ac interim ab Epiſcopo ordinentur poſſe ducere, quod nimirum tunc Epiſcopus cenſeatur, hoc eis indulſiſſe ac condonaſſe. Itaque hic ſolemne ſuum agit Spalatenſis, ac ſapientiſſimis Patribus imponit, quos conſtet ſilentium Diaconi pro conſenſu habuiſſe; ſed inſtat procax aduerſarius: *Imò verò etiam poſt expreſſam caſtitatis profeßionem, quæ ſecundum communem doctrinam noſtrorum recentiorum Theologorum, votum ſolenne continet; adhuc tamen ſi vxorem ducat, matrimonium tenet; vt fatetur Gratianus: Si verò*, inquit, *Diaconus à miniſterio ceſſare voluerit, & contracto matrimonio licitè poteſt vti. Nam etſi in ordinatione ſua caſtitatis votum obtulerit, tamen tanta eſt vis Sacramenti coniugij, quod nec ex violatione voti, poteſt diſſolui ipſum coniugium. Et vt planum eſt, vt dixi, ſermonem ibi eſſe de voto ſolenni: tale enim votum in ordine ponitur, & non ſimplex.* Reſpondeo & hîc quoque per vim & fraudem Gratianum ad ſuam ſententiam trahere, conari Spalatenſem; ſi quidem ad calcem diſtinctionis vigeſimæ ſeptimæ quam refert Spalatenſis, hæc Gratiani ſunt verba, poſt adductos in vtramque partem Patres, qui votum obeſſe matrimonio, aut non impedire matrimonium cenſerent. *Hic*, inquit, *diſtinguendum eſt, quod vouentium alij ſunt ſimpliciter vouentes, de quibus Auguſtinus, & Theodorus locuti ſunt: alij ſunt, quibus poſt votum, benedictio accedit conſecrationis, vel propoſitum religionis, de quibus Hieronymus, & Nicolaus, & Calixtus ſcripſerunt.* Quod verò obiicit Spalatenſis, noſtros Theologos votum ſolemne caſtitatis in ordinatione agnoſcere, cauſam eius non iuuat. Neque enim etiam ab his qui votum ſolemne eſſe volunt, votum ſacræ ordinationis, iſta ratio ad ſubſtantiam ordinis pertinere cenſetur, tametſi cum eo valdè congruat; Quare priſcis Eccleſiæ inſtitutis & legibus, & Presbyterorum & Diaconorum coniugia, etſi crimine non careant, rata tamen ac fixa habentur, atque olim ſi quis Presbyter aut Diaconus vxorem duxiſſet, haudquaquam ab ea ſeparabatur tanquam irrito coniugio, ſed dumtaxat à miniſterio repellebatur. At verò neque neceſſe eſt, vt exiſtimat Spalatenſis, in ordinatione agnoſcere votum ſolemne; imò ſi propriè loquendum eſſet, non eſt hoc votum ſolemne, ſed ſimplex annexum, tamen vt aduertunt noſtri ſolemni conſecrationi, id eſt ordinationi ſacræ non ex natura rei, ſed ex lege Eccleſiæ, & ita annexum vt iam eiuſdem Eccleſiæ conſtitutione ſit impedimentum matrimonium dirimens. Namque etſi, vt diximus, Canones antiquiores ita prohibeant initiatis matrimonia ambire aut inire, vt tamen non ſignificent inualida eſſe, ſi quæ ab illis fuerint intentata, ſed tantum honoris priuatione eos plectant; Poſteriores tamen Canones & decreta Pontificum eiuſmodi omnia matrimonia reſcindunt, ac funditùs tollunt, atque ſeparari præcipiunt eos qui ſceleratis ſe polluerint fœderibus, addita etiam anathematis pœna ſic contrahentibus, donec agnito errore ab inuicem ſeparentur. Ita conſtituit Concilium Viennenſe ſub Clemente quinto. Idemque præcepiſſe dicitur Calliſtus ſecundus, quanquam alij ad Vrbanum ſecundum referant, & Alexander tertius, ac nouiſſimè magna Synodus Tridentina cuius decretis damnantur, *qui dicunt Clericos in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemnem profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, nonobſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto.* Hoc decretum quo irrita aut potius nulla declarantur ſacrorum miniſtrorum, ac religioſorum caſtitatem ſolemniter profeſſorum connubia, etſi odioſiſſimè traducit Spalatenſis, manifeſtam tamen & neceſſariam rationem habet. Etenim ſi dum-

Eod. nu. 3.

Diſt. 27. poſt cap. 1.

Diſt. 27.

Conc. Neocel. Can. 1.

Seſſ. 24. c. 9.

ſi dumtaxat prohibitum eſſet, non etiam irritum huius generis matrimonium, nondum ordinatis penitùs ablata eſſet coniugiorum ſpes, atque contingeret vt plurimi initiati ſacris, omni pudore poſtpoſito, contemptis etiam Eccleſiæ fulminibus, ac anathemate, haud ſine ingenti ordinis probro, adeóque fidelium ſcandalo adoptatas nuptias imprudentiſſimè conuolarent, quòd ſcirent eas quamquam illicitas, ratas tamen fore, neque poſtea dirimi poſſe, qui nunc matrimonio per legem Eccleſiaſticam irritato, & proinde deſperato, ad ſanctiora & innocentiora, adeoque tutiora ſuæ incontinentiæ remedia fœlici quadam neceſſitate confugere compelluntur.

Sed iam votum continentiæ non eſſe ſacro ordini connexum, Concilij Toletani ſecundi authoritate probare nititur aduerſarius. *Concilium Toletanum ſecundum*, inquit, *cap.* 1. *Educationem iuuenem ad Eccleſiaſticos ordines deputatorum dum præſcribit: Vbi, inquit, octauum decimum ætatis ſuæ compleuerint annum, coram totius Cleri, plebiſque conſpectu voluntas eorum de expetendo coniugio ab Epiſcopo perſcrutetur: quibus ſi gratia caſtitatis, Deo inſpirante placuerit, & promiſſionem caſtimoniæ ſuæ, abſque coniugali neceſsitate ſpoponderint ſeruaturos; hi tanquam appetitores arctiſsimæ viæ leuiſsimo Domini iugo ſubdantur; ac primò Subdiaconatus miniſterium, habita probatione profeſsionis ſuæ, à vigeſimo anno ſuſcipiant. Non contenti hi Patres expreſſa & publica profeſsione continentiæ, duos adhuc annos probari volunt Subdiaconum futurum, an in promiſſa continentia perſeueret. Quomodo ergo in ſola ordinatione contineri votum caſtitatis ſolenne eſt dicendum, ſi & expreſſum requiritur, & probationi adhuc ſubditur?* Reſpondeo Toletanam Synodum eam probationem exigere, vt nullus improbæ excuſationi locus relinquatur; atque idem dicendũ eſt de altera Toletana Synodo, ac de Alexandri tertij decreto, quo iubetur qui velit ordinari, caſtitatis emittere votum: Immeritò autem Canonem Eccleſiæ vniuerſalis proferri cupit, quo votum illud ſanciatur, ſi quidem ſupra faſſus eſt; *Planum eſſe etiamſi leges nullæ eſſent circa hanc Clericalem continentiam, ſi tamen illa vſu eſſet formata & conſuetudine roborata, immò illam fore ſeruandam.* Cùm igitur vſu ac conſuetudine receptum ſit; vt qui ſacro ſe ordini addicant, continentiæ voto ſe ſubmittant, quid eſt quod hîc legem requirat? Sed neque ſine lege loquimur. Extat illa in Concilio Viennenſi œcumenico, ac in Tridentino, cuius decreta & ſanctiones ſoli hæretici nõ admittunt. *Præſentis Concilij approbatione præcipimus*, inquit Viennenſe, *vt Clerici continenter & caſtè viuere ſtudeant, quatenus puro corde & mundo corpore Deo poſsint in officio Eccleſiaſtico miniſtrare. Si qui verò de cætero deprehenſi fuerint detinere publicè concubinas, niſi infra menſem ſe ab eis, & ab earum conſortio ſeparauerint, ita quod domibus ipſorum aut propriis aut aliis quibuſcunque non cohabitent, nec ad illas accedant: ex tunc enim beneficio Eccleſiaſtico ſint priuati, vt per eos ad quos beneficiorum prædictorum ſpectat collatio, perſonis idoneis conferantur.* Tridentinum; *Si quis dixerit Clericos, in ſacris ordinibus conſtitutos, vel regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe matrimonium contrahere, contractumq; validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto, & oppoſitum nihil aliud eſſe, quàm damnare matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis, etiamſi vouerint, habere donum, anathema ſit: cùm Deus id rectè petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id quod poſſumus tentari.* Ac præterea ſufficiebat orthodoxis magni Gregorij decretum à Gratiano prolatum, *De cætero verò fraternitas tua ſit omnino ſollicita, vt quos ad hoc iam officium contigerit promoueri, hoc quàm maximè diligenter inſpi-*

SPALAT. Num. 4.

Diſt. 28. c. de iis.

c. 10. nu. 36.

Conc. Vien. tom. 3. p. 2. p. 735.

Seſſ. 24. c. 9

Decret. 1. p. d. 32. c. 2.

ciat, ne ſi vxores habent, miſcendi ſe cum eis licentia potiantur; ſed ad ſimilitudinem Apoſtolicæ ſedis, eos cuncta obſeruare ſua nihilominus diſtrictione conſtituat. Si quidem Pontifex nomine Eccleſiæ vniuerſalis, cuius ille velit nolit Spalatenſis, caput eſt, decernit, ac leges figit. Neque refractarij aut immorigeri ſanctionis vim infringere poſſunt, maximè verò tot ac tantis Eccleſiis in eam conſentientibus. Rectè ergo Caietanus, quem immerentem hîc vexat aduerſarius, Epiſcoporũ Occidentalium vſum atque praxim vrget, quippe quorũ conſtans & perpetuũ exemplum omninò intolerantiæ refractariorum præponderet. Quod autem addit *nõ potuiſſe vllam voti additionem ordinatione fieri*, eſt ſuprà à nobis profligatum & exploſum, oſtendimuſque qui vouendi nullo in ordinatione deſiderio teneretur, contra verò alienato eſſet animo, ex vi quidẽ voti non obligari aut aſtringi vt continentiam ſeruet, veruntamen ex vi legis cui ſe ſubmiſerit admiſſa conſecratione omninò addici ac obligari. Fallitur verò Spalatenſis, qui exiſtimat *coram Deo valida eſſe matrimonia, cõtra præceptum Eccleſiæ inita.* Quis enim orthodoxus neſciat in cœlis rata eſſe, quæ ſunt hîc in terris ab Eccleſia à Spiritu ſancto edocta decreta, ac lege conſtituta? Concedimus verò omninò ſponte ſua, ac nulla vi adhibita debere ad ſacram initiationem accedere, quos volumus hac lege teneri, adeovt ſi metu aut vi adacti fuerint, idem planè ac de matrimoniis puellarum ob metum contractis, ac de profeſſione à religioſis timore, qui inconſtantem virum cadere poſſit, extorta, de illorum ordinatione cenſendum ſit. Sed ſi ſponte ſua ordines ſacros ſuſceperint, vtcumque animus fuerit non continere, haud propterea à legis obſeruatione eximuntur. Quis enim vim intulit, vt Clerici fierent? *At*, inquit Spalatenſis, *certiſſimi ſunt ſe à ſacris Ordinibus, quos ſummoperè etiam pia & ſancta intentione Deo ſeruiendi cupiant, repellendos ergo metus hîc præſumptiuum etiam votũ ſi quod eſſet, debet auferre.* Reſpondeo hæc friuola eſſe; Si enim quis cui ſit explorata lex continentiæ ſacris ordinibus addita illos ſponte ſuſceperit, legi Eccleſiaſticæ proculdubio ſe ſubmiſit. Itaque etſi ex vi voti quod nullum admiſit, quippe qui in ipſa ordinatione aliud in animo haberet, continentiæ non ſit aſtrictus, ex vi tamen legis Eccleſiaſticæ quam vltrò ſubiit, eam ſeruare omnino teneretur, vt eſt ſuprà à nobis explicatum. At excipit Spalat. *Præceptum Eccleſiæ etiam iuſtum & validum, vt Clerici ſint cœlibes, non ponit impedimentũ dirimens, ſed tantùm impediens; quod benè vidit Bellarminus, vt propterea ex ſola voti, & ſanè ſolennis ratione in Ordine impedimentum matrimonij dirimens, petiuerit, & poſuerit, ſed gratis: neque id vnquam probare potuit, vt vidimus, & videbimus.* Reſpondeo præceptum Eccleſiæ cenſeri impedimentum dirimens, non ex ſola natura præcepti, ſed quod voti quoque ſiue ſolemnis, vt vult Bellarminus, ſiue ſimplicis cõſecrationi tamen ſolemni connexi, vt alij volunt, rationem ſecum trahat, ac propterea rectè omnino Bellarminus hanc voti rationem ſpectarat, quippe quæ legi Eccleſiaſticæ ſit connexa. Sed adhuc inſtat Spalatenſis, *Quid tamen*, inquit, *dicet de illis qui olim ad Sacerdotium rapiebantur, & vel inuiti ferè ordinabantur?* Et vt Bellarminum, ac nos ipſos totos obruat authoritatibus Patrum, addit; *Fatetur id Auguſtinus*, inquit, *dum Donato Donatiſtæ neganti quemquam ad bonum cogendum eſſe ſic reſpondet; Attende quid Apoſtolus dixerit, Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus concupiſcit, & tamen tam multi, vt Epiſcopatum ſuſcipiant tenentur inuiti, perducuntur, includuntur, cuſtodiuntur, patiuntur tanta quæ nolunt, donec eis adſit voluntas ſuſcipiendi operis boni. Sic Ambroſius cogitur, vt Epiſcopatui vel inuitus humeros ſubiiciat: ſic ipſemet Auguſtinus Tagaſtæ, in propria patria*

Vide Henriq. tom. 1. l. 11. c. 9.

Spalat. Num. 6.

Spalat. Num. 6. Bellar. de matrim. cap. 21.

Spalat. Num. 7.

Aug. epiſt. 204.

Amb. epiſt. 82.

Aug. ep. 225. ſeu 5. tertiæ ſeriei.

patria, verè inuitus à plebe raptus eſt ad Presbyteratum: Sic Pinianus vir clariſſimus Melaniæ maritus, Melania ipſa renitẽte, & reclamante per vim Presbyter eſt ordinatus: Sic prius Paulinianus Hieronymi frater, ſumma ei vi adhibita, & Diaconus, & poſtea Presbyter ab Epiphanio factus eſt. Scribit Epiphanius ad Ioannem Hieroſolymitanum hunc ipſum Ioannem prius quæſiſſe, vt ipſum Paulinianum ſacris initiaret. Cùm enim vidiſſem, inquit, *quia multitudo Sanctorum Fratrum in Monaſterio conſiſteret, inuenire autem & comprehendere ſeruum Dei non poſſes, qui te eo quod graue onus Sacerdotij nollet ſuſcipere, ſæpè fugiebat: ſed nec alius quis Epiſcoporum facilè eum reperiret; Vnde & ſatis miratus ſum quomodo diſpenſatione Dei ad nos venerit cum Diaconis Monaſterij, & cæteris fratribus vt mihi ſatisfacerent, quia neſcio quid aduerſum eum habebam triſtitiæ. Vis nunc vim videre? Audi eundem Epiphanium; Cùm igitur celebraretur collecta in Eccleſia villæ, quæ eſt iuxta monaſterium noſtrum ignorantem eum, & nullam penitus habentem ſuſpicionem, per multos Diaconos apprehendi iuſſimus, & teneri os eius, ne fortè liberari ſe cupiens, adiuraret nos per nomen Chriſti, & primum Diaconum ordinauimus, proponentes ei timorem Dei, & compellentes vt miniſtraret; valdè quippe obnitebatur, indignum ſe eſſe conteſtans. Vix ergo compulimus eum, & perſuadere potuimus teſtimoniis ſcripturarum, & propoſitione mandatorum Dei. Et cùm miniſtraret in ſanctis ſacrificiis, rurſus eum ingenti difficultate, tento ore eius, ordinauimus Presbyterum: & iiſdem verbis quibus antea ſuaſeramus, impulimus, vt ſederet in ordine Presbyterij. Quis igitur ineptiat, & dicat hos qui inuiti & renitentes ad ſacros ordines promouebantur, ſiue cœlibes, ſiue coniugati, in votum vllum caſtitatis aut continentiæ, ſiue expreſsè, ſiue tacitè conſenſiſſe? Et quomodo erga hos ordo habebit annexum votũ voluntarium, ſi ne ad ordinem quidem accedunt voluntariè? Et qua ratione his, ſi coniugati ſunt, eripies vxores; etſi cœlibes ſunt, ab ineundo coniugio abſterrebis? Igitur neque votum hoc continentiæ coniunctum vnquam fuit ſacris ordinibus, neque poteſt aut potuit coniungi: ſuaderi poteſt, præcipi poteſt, ſed ſine voluntario aſſenſu, & vera ac deliberata interna præſertim voluntatis promiſsione, & voti ſpecificata emiſsione, votum non erit; quod potiſsimùm coram Deo obtineat vinculum.* Sed quis ita ineptiat, vt non aduertat duplicem hîc voluntatem ſpectandam, vnam ſuſcipiendi dignitatem à qua vehementer abhorruerint Ambroſius, Auguſtinus, Pinianus, Paulinus, ac Hieronymus; non quod caſtitatem ſeruare detrectarent, ſed quod homines modeſtiſſimi ſe tanto muneri impares crederent. Alteram cõtinentiam cum ſumma dignitate coniunctam ſeruandi ac præſtandi, cui ſemel etiam vi admiſſa, ac ſacro ordine, quamquam inuitis animis, ſuſcepto, ſe vltro ſubmiſerint? Non igitur iſta ſic ſunt connexa vt reuelli nequeant, ſed planè conſtat vnum ſine altero conſiſtere poſſe; & vt exemplo res manifeſta fiat, annon Auguſtinus, Ambroſius ac reliqui ſanctiſſimi Antiſtites per vim ad Epiſcopatum vocati, ſe cœlibatus legibus teneri iudicarunt? Audi Auguſtinum de his differentem: *Vnde iſtos*, inquit, *qui virilem excellentiam, non putant niſi peccandi licentiam, quando terremus ne adulterinis coniugiis hærendo pereant in æternum, ſolemus eis proponere etiam continentiam Clericorum: qui plerunque ad eandem ſarcinam ſubeundam capiuntur inuiti, eamque ſuſceptam vſque ad debitum finem, Domino adiuuante perducunt. Dicimus ergo eis, quid ſi & vos ad hoc ſubeundum populorum violentia caperemini, nonne ſuſceptum caſtè cuſtodiretis officium, repentè conuerſi ad impetrandas vires à Domino, de quibus nunquam anteà cogitaſtis? Sed illos, inquiunt, honor plurimùm conſolatur. Reſpondemus, & vobis timor am-*

Ibidem.

Hier. ep. 60.61.62.

Apud Hier. ep. 60.

Aug. l. 2. de adul. coniu. cap. 20.

plius moderetur. Si enim hoc multi Dei miniſtri repentè atque inopinanter impoſitum ſuſceperunt, ſperantes ſe illuſtrius in Chriſti hæreditate fulgere : quantò magis vos adulteria cauendo viuere continenter debetis metuentes non in regno Dei minus lucere, ſed in gehennæ ignibus ardere! Hæc atque huiuſmodi eis vt poſſumus dicimus, qui quoquo modo à ſe diſcedentibus, vel propter adulterium dimiſſis coniugibus ſuis, alias volunt ducere, & cùm prohibentur, infirmitatem nobis carnis opponunt. Vt ergo in ordinatione violentiam paſſi ſint, tamen in hoc faſtigio conſtituti omninò legibus Eccleſiæ ſibi viuendum duxerunt, ac eis ſe vltrò ſubmiſerunt.

SPALAT. Num. 8. Pergit Spalatenſis, *Inde etiam confirmatur votum non eſſe ordinibus ſacris annexum, & ſanè votum irritans matrimonium, quia pœnæ quas Eccleſia iis ſtatuit, qui in Clero cœlibatum non tenuerint, ſed poſt ordines vxores duxerint, ſunt pœnæ dumtaxat, aut depoſitionis à miniſterio, vt præcedenti capite vidimus, aut ad ſummum excommunicationis : neque in tota antiquitate eſt reperire vllum aut Conciliorum, aut Patrum dictum, quo matrimonia hæc irrita & nulla declarentur. Peccatum quidem agnoſcunt, ſed matrimonium relinquunt.* Reſpondeo nos ſuprà admiſiſſe antiquioribus Eccleſiæ Canonibus, non tolli matrimonia Clericorum, ſed abdicatione & honoris priuatione puniri ad nuptias conuolantes. Verùm poſterioribus Canonibus & Pontificum, adeóque totius Eccleſiæ decretis ſunt hæc connubia irrita ac nulla declarata. Enimuerò quemadmodum penes Principes Laicos poteſtas eſt ferendi leges, quibus certos homines ineundis matrimoniis ineptos eſſe decernant, qui proinde ſi coniugia ineant, irrita, ac nulla illa cenſebuntur: Ita proculdubiò poteſt Eccleſia legem figere quâ certum hominum genus minus idoneum contrahendo matrimonio ſignificetur, vt propterea qui ex horum numero nuptias inierint, tanquam inepti qui contraherent, non contraxiſſe cenſeantur. Non eſt igitur quod vrgeat antiquiores Canones Spalatenſis, ſi quidem damus priora Concilia, Ancyranum, Neocæſarienſe, Aurelianenſe quoque ſecundum, ſolâ honoris priuatione mulctaſſe eos Clericos qui connubia ambiiſſent, atque adeo Gratianum in eam ſententiam propendiſſe: ſed poſterioribus Canonibus quæcumque Clericorum in ſacris ordinibus conſtitutorum, matrimonia niſi fortè accedente conſenſu & condonatione Eccleſiæ, nulla eſſe, ac pro veris matrimoniis haberi non poſſe; quamquam quòd attinet ad Iuonem, colligi non poteſt ex Epiſtola ad Epiſcopum Pariſienſem ſcripta, Canonicum illum de quo agitur, quique vxorem duxerat ſacris ordinibus initiatum fuiſſe: etſi enim non pauca addat, quæ in maiores Clericos omninò conueniant, tamen cùm conſuetudinem Eccleſiæ vrget ad Canonicorum inſtituta, quibus nullus coniugatus ſacræ militiæ nomen dare poſſit, omninò reſpexiſſe videtur. Verba eius ſunt: *Qui honeſtam & vtilem Eccleſiæ conſuetudinem, quam pro lege habendam cenſet auctoritas, pertinaciter & ſuperbè contemnit ; manifeſtè Canonicæ inſtitutionis violator exiſtit, cui contemptui qui parcit, multos in diſcrimen adducit.*

Iuo ep. 118.

SPALAT. Num. 9. Sed iam aliis omiſſis caput diſputationis petit, atque magna ſuperbia ac audacia aggreditur ad probandum vota quæcumque ſolemnia caſtitatis, etiam monaſtica, non abrumpere coniugia, quæ poſt ipſa vota copulentur. Addit verò *non potuiſſe Eccleſiam vinculum matrimonij, quod voto obſtricti iniiſſent, diſſoluere*, quamquam non diffiteatur *grauiter votifragos peccare*. At monendus nobis eſt Eccleſiam non diſſoluere horum coniugiorum vincula, quippe quæ coniugia non putet, ſed irrita ac nulla declarare. Verùm audiamus votorũ afflictorem:

SPALAT. Num. 10.

Huc

Huc mihi, inquit, *dictum Pauli plurimùm facere videtur, dum ſcribit Timotheo, adoleſcentiores viduas deuita. Cùm enim luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt; Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Et poſteà ſubdit: Volo ergo iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, &c. Viduæ profectò quæcumque aſſumebantur ab Eccleſia, vt in ea miniſteria quædam obirent externa, non ſacra, ſed pia, & religioſa, quæ circa curam præſertim fœminarum, Clericos ac præſertim Diaconos obire non decebat, & ab Eccleſia conſequenter vt miniſtræ Eccleſiaſticæ alerentur, debebant votum emittere caſtitatis; & ſuo modo etiam illæ ordinabantur, & Diaconiſſæ etiam vocabantur. Quarum votum caſtitatis eiuſdem prorſus naturæ, & obligationis erat, cum voto caſtitatis Clericorum: & conſequenter ſi Clericorum votum erat ſolenne, etiam harum viduarum ſolenne erat. Ac de viduis voto caſtitatis aſtrictis, Paulum hoc loco agere docent paſſim Patres plurimi, quos adducit & ſequitur Bellarminus. Ita vt fractio fidei ſit intelligenda in Paulo, voti continentiæ fractio, etiam per coniugium. Et quamuis loci huius variæ ſint, nec omninò faciles interpretationes, mihi ſenſus Pauli videtur hic eſſe, videlicet; Ne admittas in Diaconiſſarum officium & munus viduas adoleſcentulas; ſed tantùm ſexagenarias, quia experientia docet illas iuuenculas, poſtquam in Chriſto, id eſt de facultatibus Chriſti, alitæ & nutritæ, luxuriatæ fuerint, id eſt non ſine luxu & deliciis, aliiſque vanitatibus amorum, confabulationum, luſus, facetiarum, & ſimilium iuuenilium leuitatum, aliquandiu vixerint; tandem ad nuptias conuolant, & ſic fidem caſtitatis, in ſui ordinatione promiſſam, faciunt irritam, reatum peccati fractionis voti, & promiſſionis incurrentes. Quid igitur de illis fiet, ſi non admittantur in Eccleſiam in numerum viduarum & Diaconiſſarum? Melius eſt, inquit, vt nubant; & non ſe Eccleſiaſticis muneribus dedicent. Ex quo iam meum*, addit, *ſic deduco argumentũ: Experientia docuerat Paulum, iuniores viduas, poſt votum & profeſſionem, tandem velle nubere; & reipſa ſecundis nuptiis ſe ſubdere; quamuis non ſine damnatione, hoc eſt peccato. Si per votum hoc ſolemne, matrimonium eſſet nullum; hoc non eſſet nubere, ſed ſcortari. Paulus tamen id nubere vocat, & agnoſcit matrimonium, ac nuptias. Ac ne nubendo viduæ, Eccleſiaſticis miniſteriis deuotæ, Eccleſiæ amplius iniuriam facerent, quia nuptias haſce impedire non poterat Eccleſia, ſed tenebatur eis ſtare, ſi quidem matrimonij legitimi vinculum eſt inſolubile, ſuadet vt tales, id eſt, iuuenes, non amplius accipiantur, ſed vt nubant quam primùm perſuadeantur, nullo voto edito; vt ſine peccato faciant, quod ſi vouerent, ſine peccato poſtea non eſſent facturæ. Velle enim nubere his peccatum eſt; quamuis ſuis poſtea vti nuptiis non ſit peccatum, ſed debitum: vt inferius cum Auguſtino, & aliis explicabo.* Sunt hic quædam Orthodoxorum calculo probanda, Catholicum enim dogma eſt Paulum de voto continentiæ, à piis viduis quibus eſſet pauperum cura demandata emiſſo, locutum, à quo cùm quædam iuniores reſiliiſſent, eas in damnationem incurriſſe cenſuerit, ob votum ſcilicet ſcelere violatum. Conſentiens etiam eſt omnium orthodoxorum interpretum tam Græcorum quàm Latinorum, tum veterum tum recentiorum expoſitio per *primam fidem* quam irritam feciſſent ſignificari, *fidem promiſſionis Chriſto factæ, votum Chriſto nuncupatum, ac fœdus ſanctiſſimè cum eo initum ſeruandæ in æuum continentiæ*, intellexiſſe Apoſtolum vt ſenſus verborum eius ſit: *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt*, ſcilicet eo ipſo quo nupturiunt, damnationi æternæ, ſunt obnoxiæ, quia fidem quam Chriſto ſponſo ſuo pactæ fuerant peſſundederunt, alterius mariti thorum ambientes; *Quid eſt*, inquit Auguſtinus, *pri-*

1. Tim. 5.

Epiph. in fin. Panarij.

Bellarm. de Mon. lib. 2. c. 24.

Spalat. Num. 11.

Auguſt. in Pſal. 75.

mam fidem irritam fecerunt? Vouerunt & non reddiderunt? Quare hic ſectarios qui aliò verba Pauli referunt, deſerit Spalatenſis, hacque parte ſententiæ noſtræ patrocinatur. Sed iam ex his putidum contexit argumentum. *Experientia*, inquit, *docuerat Paulum iuniores viduas poſt votum & profeßionem tandem velle nubere: & re ipſa ſecundis nuptiis ſe ſubdere, quamuis non ſine damnatione, hoc eſt peccato. Si poſt votum hoc ſolemne, matrimonium eſſet nullum, hoc non eſt nubere, ſed ſcortari. Paulus tamen id nubere vocat, & agnoſcit matrimonium ac nuptias. Ac ne nubendo viduæ, Eccleſiaſticis miniſteriis deuotæ, Eccleſiæ amplius iniuriam facerent, quia nuptias haſce impedire non poterat Eccleſia, ſed tenebatur eis ſtare, ſi quidem matrimonij legitimi vinculum eſt inſolubile, ſuadet vt tales, id eſt iuuenes non amplius accipiantur, ſed vt nubant quam primùm perſuadeantur, nullo voto edito, vt ſine peccato faciant, quod ſi vouerent, ſine peccato poſtea non eſſent facturæ. Velle enim nubere his peccatum eſt, quamuis ſuis poſtea vti nuptiis, non ſit peccatum, ſed debitum, vt inferius cum Auguſtino, & aliis explicabo.* Primùm falſum eſt quod aſſerit Paulum vocare matrimonium, & nuptias ambitam ab eis copulam, non enim Paulus dixit, nubunt, ſed *nubere volunt*, quibus potiùs verbis ſignificare videtur nullas & inualidas eſſe huiuſmodi nuptias. Sed vt pondus rebus adderet Spalatenſis, argumento probare nobis debuit hoc viduarum votum ſolemne fuiſſe, quale ſit virginum quæ monaſticam vitam profiteantur; Fuiſſe enim ſimplex continentiæ votum, quo ſe Epiſcopo à quo alerentur obſtringerent noſtri paſſim docent, ac propterea etiam concedunt inita ab illis coniugia, vt quidem damnationi obnoxia propter primam fidem violatam, fuerint, valida tamen ac vera fuiſſe matrimonia: Addo verò neque fuiſſe hoc earum votum vlli ſolemni conſecrationi connexum, ac propterea cum voto Clericorum non eſſe conferendum, quorum promiſſio aut conſenſus in continentię leges, ſolemni ſacrorum ordinum ſuſceptione ſanciatur. Cæterùm quod dixit Paulus; *Volo ergo iuniores nubere, &c.* non ad illas quæ voto ſe obſtrinxiſſent referendum eſt, ſed ad iuniores in genere, quæ ſcilicet nulla voti lege tenerentur.

Spalat. Num. 11.

Primaſius ad illum locum.

Quare Primaſius, Apoſtolum hunc in modum loquentem inducit; *Concedo tales nubere, antequam promittant quod non valent implere*, Græca etiam Scholia hoc Apoſtoli conſilium ante continentiæ votum accipiendum eſſe monent; *Chriſto*, inquiunt, *non deſpondeant, & ita nubant: hoc enim peccato vacat, illud autem impium eſt & ſceleſtum.* Ac in eundem ſenſum Auguſtinus, *Proinde quæ ſeſe non continent, nubant antequam continentiam profiteantur, antequam Deo voueant, quod niſi reddant iure damnantur.* Itaque iuuenes quidem viduas intelligit Apoſtolus, ſed liberas & nulla voti lege implicitas, has igitur iuniores repelli voluit à beneficio ſuſtentationis, & non admitti in numerum viduarum Eccleſiæ, ne ſaginatæ ferocirent ac laſciuirent, & luxuriarentur aduerſus Chriſtum, & nubere volentes fidem ei ſanctè datam irritam facerent, atque hoc ſcelere in damnationem incurrerent. *Quod ſi quis hic inferat*, inquit Spalatenſis, *Ergo iuniores viduæ ad votum caſtitatis non ſunt, ex Pauli documento, admittendæ. Reſpondeo*, inquit, *illationem eſſe optimam; quia, vt dixi, viduæ illæ ad votum & profeßionem caſtitatis, ſub officio Diaconiſſarum admittebantur: ordinariè enim iuuenculæ non ſunt ad profeßionem caſtitatis admittendæ. Et experientia quæ Paulum docuit, docet quotidie totum mundum: Vt meritò Concilium Chalcedonenſe c. 15. Diaconiſſam ante annos quadraginta*

Auguſt. de bono viduit. c. 8.

Eod. nu. 11.

nolit

nolit ordinari. Et Eccleſiaſtica ſtatuta, velari virgines prohibent in ætate iuuenili. Ac niſi tam arctæ eſſent Monaſteriorum noſtrorum, hoc eſt, vt plurimùm, potius Gynæceorum, ſiue honeſtorum muliebrium carcerum cuſtodiæ, cùm tanta commoditatis, imò & poſsibilitatis amotione, ſæpius adhuc quàm ſolemus, videremus id, quod de ſuis viduis iuuenculis viderat Paulus. Sed in primis hæc inconſtantiſſimè dicuntur, infra enim; *Paulus*, inquit, *ſanè anteuertit, vt non admittantur ad profeſsionem; ne poſtea admiſſæ ſponte nubant, & fidem frangant, vt fieri ſolebat; quod in viduis facilè ſeruari poterat, non enim deerant viduæ prouectæ, quæ ad miniſteria Eccleſiaſtica ſufficerent, & ſuperabundarent; propterea excludendæ erant multæ, & quia excludendæ erant multæ, Paulus excludendas tradit eſſe adoleſcentulas; vt ſic & Eccleſia melius ſibi pro ſuis miniſteriis proſpiciat, & interim occaſio ſcandalorum præcidatur. At verò id in virginibus non eſt faciendum, quia nulla eſt excludenda, ſed omnes quæ bonum habent propoſitum, etiam ad profeſsionem admittendæ.* Quis hîc meram contradictionem non aduertat? Errat verò quòd in hac poſteriori ſententia acquieſcat, neque enim de virginibus, ſed de viduis loquitur Apoſtolus; namque de virginibus apertum habemus eius conſilium, *vt ſic permaneant*, ac definitam ſententiam, quæ dicit eum *qui matrimonio iungit virginem ſuam bene facere, ſed qui non iungit melius facere.* Cæterùm parem non eſſe rationem de virginibus & viduis, vel ex eo oſtenditur, quod vt docet Hieronymus facilius contineant virgines, quàm viduæ voluptatem expertæ. *Certè*, inquit, *multò laborioſius eſt, non frui eo quòd habeas, quàm deſiderare quod amiſeris. Vnde & virginitas in eo facilior eſt, quod carnis incentiua non nouit; & viduitas in eo ſollicitior, quòd præteritas animo recolit voluptates, maximè ſi ſe virum putet perdidiſſe, non præmiſiſſe, quorum alterum doloris, alterum gaudij eſt.* Ac præterea ne quidem omnes iuniores viduas nubere iubet Apoſtolus, ſed eas ſolas, quæ concupiſcentiæ ignibus vrerentur; Namque viduas etiam ad vouendum Apoſtolus (ne hîc mihi ſexagenarias obtrudat Spalatenſis) ad continentiam inuitat, ac hortatur priore epiſtola ad Corinthios. Cùm enim de muliere viro orbata dixiſſet, *Cui vult nubat tantùm in Domino*, ſubiunxit; *Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit ſecundum conſilium meum.* Quod autem virgines adoleſcentulæ, ac tenerioris ætatis rectè ad votum caſtitatis admittantur, præterquam quod perpetua Eccleſiæ praxi eſt firmatum, docet Ambroſius libro tertio de virginibus; *Aiunt*, inquit, *plerique maturioris ætatis virgines eſſe velandas. Neque ego abnuo, Sacerdotalis eſſe cautionis debere, vt non temerè puella veletur. Spectet planè, ſpectet ætatem Sacerdos, ſed fidei, vel pudoris. Spectet maturitatem verecundiæ, examinet grauitatis canitiem, morum ſenectam, pudicitiæ annos, animos caſtitatis. Tum deinde ſi matris tuta cuſtodia, comitum ſobria ſedulitas, ſi hæc præſto ſunt, non deeſt virgini longæua canities: ſi hæc deſunt, differatur puella moribus, quàm annis adoleſcentior. Non ergo ætas reijcitur florentior, ſed animus examinatur. Et certè Theclam non ſenectus, ſed virtus probauit. Et hinc quid plura contextam, cùm omnis ætas habilis Deo, perfecta ſit Chriſto? Denique non virtutem ætatis appendicem dicimus, ſed virtutis ætatem. Nec mirere in adoleſcentulis profeſsionem, cùm legeris in paruulis paſsionem. Scriptum eſt enim: Ex ore infantium, & lactentium perfeciſti laudem. An dubitamus, ſi eum neque ad continentiam ſequatur adoleſcentia, quem vſque ad mortem confitetur infantia? Et quaſi incredibile putamus, ſi puellæ nubiles Chriſtum ſequantur ad regnum, quem etiam pueri ſequebantur in deſertum? Sicut legimus, quia ſaturata ſunt de quinque panibus quatuor millia hominum; exceptis, inquit, pueris & mulieribus. Nolite ergo à*

20. q. 1. c. Sanctimonialis, c. Placuit, & c. Virgines.

SPALAT. Num. 12.

1. Cor. 7.

Hieron. ad Ageruchiã.

1. Cor. 7.

Ambr. l. 3. de virgin. circa med.

Chriſto arcere infantes, quia & ipſi pro Chriſti nomine ſubiere martyrium. Talium eſt enim regnum cœlorum. Vocat eos Dominus, & tu prohibes? De ipſis Dominus ait: Sinite eos venire ad me. Nolite adoleſcentulas arcere, de quibus ſcriptum eſt: Propterea adoleſcentulæ dilexerunt te, & introduxerunt te in domum matris ſuæ, &c. Quod attinet verò ad Eccleſiaſtica ſtatuta, Reſpondeo iuris Canonici interpretes aduertere, multiplex eſſe velum virginum, ſcilicet *profeßionis, conſecrationis, ordinationis,* & *prælationis*, & *velum* quidem *profeßionis* imponi, tum viduæ, tum virgini, dummodo duodecimum annum attigerit, aſſerunt, Canone
Quæſt.2. *Puella. Velum* verò *conſecrationis* virgini ſolùm, atque viginti quinque annos
Quæſt.1. natæ imponi volunt, Canone *Placuit. Velum ordinationis*, quod ad Diaconatum aſſumptis olim imponebatur, ſed non ante quadrageſimum annum, Canone *Sanctimoniales. Velum prælationis*, quod antiquo iure ante ſexageſimum annum, non imponebatur, Canone *Iuuenculas.* Itaque quod attinet ad *velum profeßionis* olim à duodecimo anno omnino imponebatur; ſed extat de ea re ſacri Concilij decretum, quo antiquorum Canonum ſtatuta ad ſextum deci-
Conc. Trid. Sec. c. 15. mum annum reuocantur. *In quacunque Religione, tam virorum quàm mulierum, profeßio non fiat ante decimum ſextum annum expletum: nec qui minore tempore, quàm per annum, poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeßionem admittatur. Profeßio autem antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicuius regulæ, vel religionis, vel ordinis obſeruationem, aut ad alios quoſcumque effectus.* Itaque vt ad inſtitutum reuertamur, conſtat perpetua conſuetudine Eccleſiæ vſurpatum, vt iuuenes virgines vtriuſque ſexus ad caſtitatis profeſſionem admittantur, vt iam magnæ impudentiæ, & temeritatis ſit, id an rectè fiat in dubium vocare. Tantùm curandum eſt, vt ſacri Canones, & monaſticæ conſtitutiones, quibus ingruentibus malis occurritur, exactè obſeruentur: quod verò *honeſtos carceres* Monaſteria indigitat Spalatenſis, diſciplinam Eccleſiaſticam non conuellit, ſunt enim peccati occaſiones omnes amputandæ: & certè olim etiam liberæ virgines omni hominum commercio excludebantur; quod tenellus flos caſtitatis facilè delibari, ac corrumpi adoleſcentiæ coniunctus poſſit. Fatetur verò ipſe Spalatenſis, *acriore iſta cuſtodia eſſe virginitati ſapientiſſimè prouiſum.* Sed expendamus alia argumenta, quibus votum continentiæ coniugia
Spalat. Num. 12. non abrumpere contendit: *Cyprianus*, inquit, *cum aliquot collegis, ad quæſtionem de ſacris virginibus obſcœnis reſpondens, poſt debitam facinoris increpationem, hæc ſubdit: Quod ſi ſe ex fide Chriſto dicauerunt, pudicè, & caſtè ſine vlla fabula perſeuerent; ita fortes & ſtabiles præmium virginitatis expectent. Si autem perſeuerare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt vt nubant, quàm vt ignem delictis ſuis cadant. Caſum, lapſumque, quem Paulus in adoleſcentulis viduis, poſt earum votum, & ordinationem obſeruarat; Cyprianus in Deo ſacratis virginibus timens, vt peiorem, ne videlicet ſecretis ſcortationibus, & impudicitiis, damnationem acciperent fidei, votique promiſſi irritatione; tanquam minus malum boni amiſſi permittit, & ſuadet, vt ſi non poſſunt, vel nolunt in propoſito permanere, nubant.* Quamquam autem de hoc Cypriani loco diuerſi diuerſa ſentiunt; Reſpondeo omnino loqui eum de virginibus, quæ voto caſtitatis citra vllam ſolemnitatem emiſſo in ædibus parentum morarentur, non verò de virginibus, quæ de manibus Epiſcopi velum accepiſſent. Diſtinxiſſe autem ſemper Eccleſiam inter eam, quæ
Innoc. ep. 2. ad Victric. c. 12. & 13. ſacrum velum accepiſſet de manu Epiſcopi, & eam quæ non accepiſſet, ex Innocentio I. abundè colligitur: *Quæ Chriſto ſpiritualiter*, inquit, *nupſerunt, & velari*

lari à Sacerdote meruerunt, ſi poſtea vel publicè nupſerint, vel ſe clanculò corruperint, admittendas eſſe ad agendam pœnitentiam, niſi is, cui ſe iunxerant de ſeculo deceſſerit. Si enim de omnibus hæc ratio cuſtoditur, vt quæcũque, viuente viro, alteri nupſerit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, niſi vnus ex eis defunctus fuerit: quantò magis de illa tenenda eſt, quæ antè mortali ſe ſponſo coniunxerat, & poſtea ad humanas nuptias tranſmigrauit? Hæ verò quæ necdum ſacro velamine tectæ, tamen in propoſito virginali ſemper ſe permanere promiſerant, licet velatæ non ſint, ſi fortè nupſerint his agenda aliquanto tempore pœnitentia eſt, quia ſponſio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines ſolet bonæ fidei contractus nulla ratione diſſolui, quantò magis iſta pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, ſolui ſine vindicta non debet? Nam ſi Apoſtolus Paulus, quæ à propoſito viduitatis diſceſſerant, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: quantò magis virgines, quæ pactionis ſuæ fidem minimè ſeruauerunt? Hæc itaque regula, frater chariſſime, ſi plena vigilantia fuerit ab omnibus Dei ſacerdotibus obſeruata, ceſſabit ambitio, diſſentio cõquieſcet, hæreſes & ſchiſmata non emergent. Omninò autem loqui Cyprianum de virginibus priuatim caſtitatem profeſſis, oſtẽdit optimis rationibus Pamelius, qui nos hic aſſenſores habet. Primùm enim vrget Cyprianum de his virginibus ſcribere, quæ ſe Chriſto dicauerint; cùm tamen velatæ ab Epiſcopis conſecrari ſolerent, non à ſeipſis Deo dicari. Et vt hoc minus firmitatis aut roboris habeat, refelli non poteſt quod addit, nempè virgines de quibus loquitur Cyprianus, viris conuixiſſe; *cum maſculis manſiſſe, etiam promiſcuè dormiuiſſe, balneas communes ingredi ſolitas eſſe, nuptiis quoque interfuiſſe, diuitiis abundaſſe, nulloque certo habitu vſas fuiſſe*, quæ omnia in virgines velatas minimè cõueniunt. De habitu virginum.

Cæterùm inceſtas earum coniunctiones, ac eas Chriſti adulteras facit Cyprianus, quòd ſpreto Chriſto cui ſe dicaſſent, cum altero iacerent, ac proculdubio de fœdis earum dormitionibus, concubitibus, confabulationibus, complexibus, & oſculis loquitur, quibus ſe cum maſculis inquinarent ac polluerent. Vt igitur ab huiuſmodi fœditatibus abſterreat, matrimonium indulget; Nullus verò dubito huius generis virginibus, matrimonium concedere, ac condonare potuiſſe Epiſcopum, maioris perniciei auertendæ anxium. Miror verò Spalatenſem adeò votifragis fauiſſe, vt illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum, à quo tantiſper diſcedimus, impugnans veritus non ſit ſcribere; *Etiam ſolemni voto caſtitatis obſtrictas virgines, poſſe nuptias inire, vel hoc ſolo nomine, quòd amplius in religione viuere nolint, ſed cupiant ſua in ſeculo frui libertate, domos proprias habere, ornatu fulgere, familia & ancillis ſtipari.* Verba illius ſunt; *Poſt votum igitur, etiam illæ quæ ex parte libidinis nullas vehementer patiuntur tentationes, patiuntur tamen vehementiſſimas ex parte libertatis, vt ſint in ſeculo liberæ, domos proprias habeant, ornatæ incedant, famulis & ancillis ſtipentur, & ſimilibus perfruantur; Tamen (inquit Cyprianus) adhuc & propter hæc nubant. Solent enim adhuc vehementius iſta vrgere virgines ad deſerendum propoſitum, quæ in ſola voluntatis ſuæ libertate conſiſtunt; quàm libidinis incentiua. Itaque licet ex parte libidinis poſſint perſeuerare, quia ex ea vix vllas graues ſentiunt moleſtias; adhuc tamen nubere permittuntur, ex aliis iam commemoratis cauſis.* Hæc omninò à mente Cypriani abſunt, qui tam indulgens Præſul non fuit. Sed & hîc à ſeipſo diuerſus eſt Spalatenſis, ſiquidem ſequenti capite contrarium ſenſit. *Et ſanè*, inquit, *nemo poteſt ſine cauſa diſpenſare cum Monacho vero, vt non ſit amplius Monachus; Quia ſine cauſa, hic non poteſt eſſe deſertor ſui propoſiti; neque ei licet, ſine damnatione,* Spalat. Num. 12. Spalat. Num. 14. Cap. 12. num. 44. 1. Tim. 5.

fidem priorem irritam facere: neque poteſt homo vllus concedere ei, vt hoc licitè faciat. Tremenda ſunt verba, quibus Cæſarius Arelatenſis inducit Deum, ſic Monachum alloquentem; Tu Monache antequam mihi promitteres, in tua erat voluntate facere quod velles, vox tua ligauit te mihi. Nunquid te compuli? Nunquid ex neceſſitate feciſti? Nonne liber eras? In tua fuit poteſtate promittere. Promiſiſti, & meus eſſe cœpiſti, meum nolo dimittas, non tibi licet ea licentia dimittere, quia mecum habes cauſam. Promittere tuum fuit, dimittere non eſt tuum: ſi dimiſeris, non te habeo, in illo gradu, in quo te prius habui. Primùm liber eras, eras quidem de familia mea; non eras ante oculos meos, non eras de miniſtris meis, tamen eras de familia mea; non eras mecum, ſed tamen creatura mea eras. Ex quo militare cœpiſti, ſi receſſeris non te habeo de familia, ſed certè fugitiuum, & prævaricatorem, non enim inuenies vbi me poſsis fugere. Ideo hoc totum dico (ſubdit Cæſarius) quia in noſtra eſt poteſtate Deo promittere, non eſt in noſtra poteſtate dimittere. Promiſiſti, præmium habebis; negaſti, pœnam habebis, vtrunque propter confuſionem eſt. Dicimus, iterum atque iterum dicimus; Ecce ante oculos tuos via mortis & via vitæ, elige quod volueris. Hoc totum dico, fratres chariſsimi, nè quis de vobis putet ſe habere liberam poteſtatem diſcedere, & perdeſcendere cum Diabolo in infernum. Ergo ego qui ſum Monachus, qui deſij eſſe ſæcularis, & factus ſum Monachus, aut Monachus ſaluor, aut aliter non ſaluor. Hæc Cæſarius: quæ omnia cum hoc rigore accipienda ſunt, vbi Monachus verè ex diuina vocatione Monachiſmum ſuſcepit, neque vlla penitus legitima cauſa illum, ſed ſola mentis leuitas, & mundi illecebræ auocarunt. Quî igitur potuit Cyprianus, cum virgine ſolemniter caſtitatem profeſſa diſpenſare?

Cæſarius hom. 45.

Quod verò vrget, Pontifices etiam cum Monachis caſtitatem profeſſis, ac eam ſeruare volentibus, diſpenſaſſe, friuolum eſt. Namque Pontifices haudquaquam ob leues illas cauſas quas admittit, ſed ob grauiſſimas diſpenſarunt. Imò verò qui D. Thomam ſequuntur, nec in votum ſolemne cadere diſpenſationem admittunt, exiſtimant nunquam Pontifices eius fractionem indulſiſſe, aut cum quopiam mortalium ea in re diſpenſaſſe: & quamquam exemplis ex hiſtoriarum monumentis, de quarum fide dubitari non poſſit, petitis aſſentiantur, aliò confugiunt, dicuntque Pontificem non diſpenſaſſe in voto ſolemni, ſed per interpretationem æqui, & boni declaraſſe eum, qui votum feciſſet eo caſu obligatione voti ſcilicet, propter maius bonum ſolutum remanere. Cypriani itaque ſententia plana eſt, nec hoc modo explicata vllos habet anfractus. Veniamus ad Baſilium: *Eadem penitus Cypriano,* inquit Spalatenſis, *in omnibus conſentiens, & ſenſit, & ſcripſit Baſilius; Niſi quod pro lenioribus adhuc cauſis, & defectibus, ſaeras, ac Deo dicatas virgines, malit nubere, quàm vt diſſoluta quadam libertate viuant; tametſi nihil impudici, nihil obſcœni, nihil libidinoſi eas commiſiſſe animaduertat. Sed & Baſilium de virginibus ante votum emiſſum loqui contendit Bellarminus, vt conſultiùs ſint facturæ ſi nubant, priuſquam ſe Deo dedicent, quàm ſi poſt ſuam dedicationem, flagitiosè viuant.* At excipit Spalatenſis; *Baſilium tamen de virginibus iam Deo dicatis loqui,* inquit, *eſt manifeſtum, ijs enim ſalutaria præſcribens monita, hæc habet. Non enim ſimpliciter gregariam oportet eſſe, & vbique diuerſantem virginem illam, quæ iam à nuptiis animum auertit: quaſi propterea fugiat nuptias, non vt meliori ſponſo Chriſto ſemper adhæreat, ſed vt liberam habeat vagandi facultatem, vitamque hanc religioſam elegerit, & virum habere noluerit, ne illum teſtem, & iudicem ſuæ vitæ haberet; ſed potius libera à viri ſubiectione, quæcunque libuerint, ageret; neque virum ſuarum actionum haberet*

Spalat. Num. 17.

Basil. lib. de virg.

Bellarm. de Monach. l. 2. c. 34.

beret exploratorem. Non inquam propterea bona virgo nuptias abnuit, ſed vt voluptatibus carnis, & partuum doloribus, & matrum ſollicitudinibus ac curis enitatis, ſub teſte ac æmulo virtutis Deo, ſuam vitam ad integritatem gubernaret. Deus enim æmulator eſt aduerſus eas, quæ diuinam pulchritudinem quam in ipſis ille deſiderat, adulterant, &c. Pergit Spalatenſis; *Has igitur*, inquit, *ipſas virgines, quæ iam profeſſæ virginitatem Deo dedicatæ, cum dicta libertate viuunt, præſtantius facturas aſſerit, ſi expeditè nubant; quàm ſi ita liberè, & otiosè, & curiosè viuant. Et locutiones Baſilij ſunt de præſenti, non de præterito.* At hîc inſcitiam ſuam prodit, nam ſi de virginibus quæ caſtitatem eſſent profeſſæ loquatur Baſilius, ſpectat tantùm eas ante emiſſum votum, atque omnino contendit illis ſatiùs fuiſſe non vouiſſe, quàm ſe poſt emiſſum votum polluiſſe. Græca ſumma fide & elegantia expreſſit Ambroſius Camaldulenſis Baſilij interpres; *Nam ſi abiecto viri iugo & ei vitæ, ad quam condita eſt, curæ ſcilicet domus, & generationi filiorum inutilis, & virginitati quã profitetur, probro futura erat, atque ex eo prorſus ſummam paſſura iacturam, quod & animam improbis cogitationibus, & corpus laſciuis motibus inquinet: præſtabat illi profectò coniungi viro, qui ſe moderaretur ad vitam, eique commodum adiutorium ad curam domeſticæ rei in recompenſationem regiminis ſui viciſſim perſoluere: educare liberos, & ad ſucceſſionem generis, & ad ſolatium ſenectutis, atque vna ſaltem ex parte propter zelotypiam viri, quantum fas eſt, Deo ſeruare ſe virginem. Eas quippe, quæ per vicos ac domos liberè volitant, indiſciplinatas eſſe, non virgines, veritatis ſermo denuntiat. Otioſæ enim addiſcunt circumeuntes domos. Non ſolùm autem otioſæ, ſed & nugaces, & curioſæ loquentes ea, quæ non decet, &c.* Itaque præſtantius facturas eas, ſi à voto emiſſo nuberent, non dixit Baſilius, ſed præſtaſſe coniungi viro antequam Deo ſe conſecraſſent omninò ſignificat, & ſententiam noſtram firmat: quod obſeruat Bellarminus, Baſilium ſcilicet hoc eodem libro harum virginum nuptias *ſcortationem, & adulterium* vocaſſe, addidiſſeque non poſſe alicuius viri vxores eſſe, quocumque tandem prætextu connubia inirent. *Cùm virginitatem Domino profeſſæ ſint*, inquit Baſilius, *carnali poſtmodum voluptate malè blanda delinitæ, ac deuictæ, ſtupri ſcelus honeſto coniugij nomine obtegere cupiunt.* Excipit Spalatenſis; *Baſilium exaggerare peccatum & virginis, quæ per ſacrilegium irritam faciat fidem priorem, qua ſe Chriſto Domino obſtrinxit ſeruandæ pro eius amore virginitatis, & mariti talis virginis, qui illius deſertionis cauſa fuerit, & cooperator; legeſque ciuiles commemorare, quæ prohibent ſub pœna capitis, ne quis Deo ſacratam virginem à Dei ſeruitute, ad matrimonium auocet. Nam & graue peccatum eſt vouere, & non reddere; & pro viro corruptibili Chriſtum ſponſum deſerere, & Chriſto Domino ſponſam eripere, & fœdare. Sed ſicut verum adulterium non eſt, niſi myſticè, & ſpiritualiter; vt optimè Auguſtinus contra Baſilium infrà, quia neque verum ſponſalitium, aut matrimonium inter Chriſtum & virginem eſt, niſi ſpiritualiter; quod matrimonium ſpirituale per fidem, & charitatem adhuc integrum ſeruari poteſt, poſt nuptias corporales contractas, ita neque ſequitur coniugium poſt votum nullum eſſe; ſicut nullum eſſet, ſi votum ſignificaret verum corporale matrimonium. Viuente enim viro carnali adultera eſt, quæ alteri adhæſerit viro. Non ita vbi prior vir intelligitur Chriſtus ſpiritualiter, & poſterior homo carnaliter. Et tamen hoc adulterium, viuente adhuc Chriſto viro, Deo dicatæ virginis, exaggerat plurimùm idem Baſilius; vt deterreat viros omnes à ſacris virginibus ad ſua vota, ſuaſque nuptias alliciendis. Facto tamen peccato, & commiſſo ſpirituali ſemel adulterio, matrimonium*

Baſ. de vera virg. p. 728. tom. 1. Ἐπὶ δὲ μᾶλλον τὸν θεὸς αὐξεῖ ζυγὸν ἀποῤῥίψασα, ἄλογος καὶ τῷ βίῳ, θεὸς ὃν εἰς οἰκονείαν καὶ παιδοποιΐαν ἁπλάσθη, καὶ τῇ ἐπαγγελλομένῃ παρθενίᾳ ἐπίφοβος γένεσθαι, τὸ ὅλον ζημίαν καὶ τῷ ψυχῷ ἀπωλείας ἐσομένης, καὶ τὸ σῶμα ἀνίτοις στιγμάτων φθείρουσα, πολλῷ αἰσχίονα ἑαυτὸν ἀφεὶς σωματεῖον, πῶς θεὸς τὸν βίον ἰωιοχοῦσθαι, πότε χριστὸς εἰς βοήθειαν ἥξει ἕλκον ἀμυελῶν τῆς θεοτασίας αὐτῷ αὐτικτυνοῦσα, καὶ γενικάμενος παῖδας εἰς διαδοχὴν τῆς γήινης ἀγαθοὺς παιεσῶσαν. &c. Idem ibid. Παρθενίαν δὲ τῷ κυρίῳ ἐπαγγελόμενα, εἰθ' ὥσπερ ὁ σωτὴρ ἑδόντων κινδυνεύσαι, τὴν τῆς πορνείας ἀμαρτίαν γάμου ὀνόματι μετεκαλεῖτο. SPALAT. Num. 18. Baſil. ibid. & reg. fuſ. diſp. c. 14. Iouin. c. de Epiſcop. & Cler. l. ſi quis. Rom. 7.

validum esse non dubitat Basilius; imò suadet vt vidimus, vt tanquam minus malum desertionem professionis per nuptias illæ eligant, si vitam verè virginibus sacris dignam nolint agere. In voto itaque solemni harum virginum, impedimentum agnouit impediens, non dirimens; & quicquid potuit afferre, quod aptum esset ad virgines in officio, & pudicitia retinendas, viroſque ab ijs deterrendos, id protulit. At non potuit Basilius fœdius à sceleſta manu deformari: ac præterea hæc quoque inconstantissimè dicuntur; siquidem vult Augustinum Basilij sententiam impugnasse, ac contra eum contendisse non esse irrita, aut nulla virginum, post emissum solemne castitatis votum, connubia. Igitur oportet Basilium omninò existimasse ea nulla esse; & id quidem Basilij verba manifestè indicant, postquam enim significasset virginem, quæ à virginitatis curriculo ad carnis vitia deflexisset liberum connubij arbitrium non habuisse, rationem addit, ὅτι οὐκ ἔσται ἐλευθέρα, protinus addidit, *quod solemne legitimumque connubium cœlestis occupasset sponsus*, Græca ita habent; ὅτι μὲν προέλαβε τὰ τῦ γάμου νόμιμα ὁ νυμφίος, τὸ χῆμα τῆς παρθενίας, αἱ δοχαὶ, ἃ ἐπ' ἐκείνῳ προέδος ὅτι πάντων μαρτυρεῖ, ὅτι αὐτῷ τῷ ἀνδρὶ συμπεσούμην τὰς ὅτι τῷ προλαβόντι ἀνδρὶ προέδους ἐπόμπιμον. *Nam quod solemne, legitimumque connubium sponsus ille occuparit, & virginitatis habitus, & fœdera & conuēta cum illo, & præterea processus ipse testatur.* Neque verò sententiam Basilij, vt infrà ostendam, conuellit ratio Augustini: siquidem Basilius haud dumtaxat sponsalia vrget spiritualia, quod existimauit Augustinus, sed ipsam *solemnem*, quam vocant, *traditionem corporu, & consecrationem virginitatis*, qua cum Deo se obstrinxerit virgo, citra perpetuum adulterij crimen viro mortali coniungi non possit. Verba eius sunt; *Si connubium istud & processu, & testibus, cunctis denique indicijs illustre, & apertum est, nec est vir eius mortuus: mœchatur quæ huiusmodi admittit scelus, viuente viro semper adultera. Imò quia fruendæ voluptatis causa impudicè lasciuit, meretrix: quia verò viuit vir eius nefario scelere probatur adultera. Nec sanè video qua ratione, imò quo sacrilegio ipsa pro immortali viro Dei filio mortalem hominem in malum suum ambire præsumat, ante viri oculos in ipsum impuris, ac nequissimis semper amplexibus impia: quo item furore homo ille cubile Domini conscendere, & violare non metuat: nempè ex rebus humanis eiusmodi flagitiosorum supplicia conijcere, & æstimare facilè possumus.* Et vt plenius Basilij mentem capias, exempla quibus rem illustrat penitius inspice. *Quæso*, inquit, *quo cruciatu digna censeretur mulier, quæ nobili coniuncta viro, seruo suo seipsam violandam impudicè substerneret: ac seruum insidiosè nequiterque Domini toris inueberet? Quo item seruus ille damnandus examine, qui Dominæ suæ Dominique cubili se concitatus libidine adeò petulanter immiscuit? Sed enim vafræ istæ quid faciunt: quæ tantùm impietatis contra seipsas per carnis flagitia admittere non timuerunt? Non modò non lacrymantur, aut ingemiscunt, vt vel lacrymis remittant peccatum suum, mitioresque suscipiant pœnas: verùm virginitatem quoque, quam antea professæ fuerant, abnegant. Quippe virginitatis limites transgredi, vt voluptatibus inseruiatur, turpissimum esse plenumque dedecoris non ignorantes, huiusmodi negatione, maiore scilicet scelere, virginitatem solari seſe arbitrantur*

Bas. de vera virgin.

Bas. de vera virg. tom. 1. p. 753. Εἰ ὁ γάμος οὗτος τῆς μοιχείας καὶ τῆς πορνείας καὶ τῶν πονηρῶν, ἐκ ἀπίστου μὲν, φησὶ, ἑνὸς ἀνθρώπου μιαιφονεῖ οὕτω πιεσθεὶς ὑπὸ τοιούτων ζώντος τοῦ ἀνδρὸς διὰ βίου μοιχευόμενος. μὴ λοιπὸν ἡ δοῦλος ἐπὶ τὴν δέσποιναν ἀκολάστως παρεισδύσας. διὰ τὸ ζῆλῶ ἀνδρὸς πορνείας μοιχεύουσα. καὶ οὐχ ὁρῶ πῶς ὑπὸ αὐτῆ αἰτία ἀναίτιος θεοῦ ἐπιτιμίου ἐπὶ κακῷ ἑαυτῆς ἀνθρώπου πορεύεται, ἐφ' ὀφθαλμοῖς ἀεὶ ἡ ἀνδρὸς εἰς ἑαυτὴν ἡ παρεύμενος μίξεσι ἀσελγοῦσα. πῶς ἡ ἐκείνος ὁ ἄνθρωπος τῇ ἡ κυρίᾳ καὶ τῇ τόλμαι μανιώδης ἐπελθὼν· ἐν γὰρ ἀνθρώπινον δεῖ ἡ δίκαιον οὐ τοῦ ἁμαρτάνοντος τοιαζέσθαι.

* Idem ibidem. Τίνος μὲν ἄξια ἀνὴ ἐυγνώμης ἀνδρὸς πρὸς δοῦλον ἑαυτῆς ἐπιτρόφιμον, ἢ τῇ Λατομικῇ καὶτα ἡ ἐκείνῳ εἰς ἐπελθὼ ἐπιτιμῶσα; τίνος ἡ ἄξιος ὁ δοῦλος λυμαίνεται ἑαυτῆ ἢ καὶτα κυρίᾳ ἑαυτὸν ἀσελγῶς ἐπιρρίψας; ἀλλ' αἱ σοφαὶ τοιαῦτα ἀσκῆσαι καθ' ἑαυτῶν διὰ σπρὸς πᾶν τολμᾶσαι, πρὸς οἷς οὐ δικαίοις τίσιν ἑαυτὰς κατάστεσιν τοῖς δίκαιοις ἐπιτιμῶσαι, ὅτι καὶ ἰῶ ἐπέρχεται πρόσωπον παρθενίας ἀρνοῦνται. τὴν γὰρ παρθενίαν ἐπέρχεται καὶ ἐπιτίθεσιν διὰ τὴν δυλείαν ἡ ἡδονῆς πρὸ πάσι γοιείζουσα, τῇ αἰτίᾳ τῷ μείζονι κακῷ οἴονται τὸν ἁμαρτίαν περιμυθῆσθαι.

amissam,

Digitized by Google

amiſſã, homines miſerè & infœliciter eligunt, ſub quibus ad excuſationem præuaricationis abnegẽt, quod fuerant ante pollicitæ: nec Dominũ metuunt cum quo fœdera caſtitatis inierãt, cuique dederant dextras, eo quod in malorũ profunda deciderint. Ignorãt miſeræ, quia apud Deum, & apud homines contra ſe crimen exaggerant, cũ hi quidem ex præcedente, cũctis cognito virginitatis inſtituto, quod ſe illæ profeſſas eſſe negãt, væ ſaniam ſummãque impudentiam auerſentur, atque oderint: Chriſtus verò præter violata virginitatis fœdera, huiuſmodi negationem, quã vice pœnitentiæ patrociniũ criminis ſumunt, acrius ac ſeuerius ſuo illo iudicio vindicet. Itaque ne ſpecioſo charitatis nomine, virgo in hoc peccati barathrum corruat, charitatem purã, omnique mortali affectione liberã ſumat: neque enim prolapſæ ad voluptatem quicquã ad excuſationẽ proderit vmbra ſolatiũ que connubij: neque viuentẽ virum ſub prætextu coniugij, nõ ſoluta circũuenire, aut fallere poterit, qui mortalẽ hominem poſt eximios illos, quos ab eo perceperat, honores, impiè per adulterij nefas in honorẽ prætulerit. Sed & rẽ Pauli teſtimonio firmat, adeoque magis exaggerat. *Nec ſanè incõgruè his quæ ſunt huiuſmodi, illud Apoſtolicũ aptari poteſt: Quoniam cũ fornicatæ à Chriſto fuerint, nubere volunt, habentes dãnationem, quoniam primam fidem irritã fecerunt, non cõiugium, ſed adulterium malè conſummantes.* Non potuit apertius loqui Baſilius, ſed & eodẽ libro pluribus oſtẽdit locũ Pauli honorabiles nuptias, *in omnibus*, ad virgines caſtitatẽ profeſſas nulla ratione pertinere, vt iã ſe pudicitię virginalis impium ſollicitatorẽ, ac proſtitutorẽ agnoſcat, qui ea connubiorũ dulcedine allectas à propoſito virginitatis auocet, ac abſtrahat. Falſum igitur falſiſſimũ Baſilium *ſolùm virgines rei indignitate propoſita à coniugiorũ cõplexibus abſterruiſſe, facta tamen eis poteſtate nubendi, ſi interdum non conſequerẽtur, & illæ flagitioſè velle viuere perſeuerarent;* Vtrũque ſcilicet auerſatus eſt, & fractionẽ voti, & connubij ſociationem, ac illud ſacrilegij, hoc verò adulterij meritò damnauit virginem lapſam, quã adulterij impudicitiæ ac meretricij poſtulat. Exiſtimat Spalat. non marito vxorẽ, ſed ſcortum fornicario adhæſiſſe, id verò qui probet? Certũ eſt maritum habere non potuiſſe, duxiſſe tamen ac coniugium prætexuiſſe, non obſcurè ex epiſt. Baſilij colligitur. *Quia impius*, inquit, *in profundũ collapſus, mala de cætero cõtẽnit, etiã ipſa abnegas ad verũ ſponſum pacta, neque eſſe virgo, neque vnquã promiſiſſe clamãs, quæ & ſuſcepiſti multa, & oſtẽdiſti multa virginitatis ſigna. Reuoca in memoriam honeſtam profeßionem, quã profeſſa es coram Deo & Angelis, ac hominibus. Reuoca in memoriam venerandã congregationem, & ſacrum virginum chorũ, & Concilium Domini, & Eccleſiæ Sanctorũ, ac aniculæ in Chriſto auiæ, iuuenęſcentu recẽs aut tunc, & virtute vigẽtis, & matris in Domino ad illam decertantis, ac nouis quibuſdã ac veris laboribus, conſuetudinis robur diſſoluere cõtendentis; & ſimiliter ſororis, partim illas imitantis, partim etiam ſuperare enitentis, & virginalibus prærogatiuis progenitorũ rectè facta ſuperantis, & te adeò ſororẽ, velut putabat; ad ſimilium certamen, & ſermone, & vita induſtriè prouocantis. Reuoca hæc in memoriam, & Angelicũ circa Dominum cũ illis tripudium, & ſpiritualem in carne vitã, & cæleſtem in terra conuerſationem, &c.* At quæ fuiſſet iſta admiſſæ ſcortationis ſatisfactio? An quod nunquã promiſiſſet, illi fortè licitũ ſcortum eſſe fornicarij? Sed apertè cõnubij nomine crimen ſuum velaſſe, quæ ſequũtur indicant. *Quot literas*, inquit, *ad ſanctos ſæpe exaraſti, per quas pro te orare petiiſti: οὐχ ἵνα γάμου ἀνθρωπίνου μᾶλλον δὲ τῆς ἀτίμου ταύτης φθορᾶς ἐπιτύχῃς, non vt nuptias humanas, imò ignominioſiſſimã hanc corruptionem aſſeuerares, ſed vt à Domino Ieſu non excideres.* Hæc ſatis oſtendunt virginem illã lapſus ſui ignominiam nuptiarũ nomine velaſſe. Similiter de Monachis lapſis cenſuiſſe Baſiliũ, alia

1. Tim. 5.

Prou. 18. 3. Baſ. ad virg. lapſam.

Καὶ ἐπειδὴ ἐφ' ἑκάστοις ἁμαρτιῶν εἰς βάθος κακῶν, λοιπὸν καταφέρῃ, ἀσπαζομένη τὴν ἀρχὴν ἢ ἀπολαῦσαι τῆς ἀφθαρσίας, οὔτε ἀναβάσεως, οὔτε ὑποχωρήσεως ἐπιτυχοῦσα, ἀλλὰ μᾶλλον εἰς βάθος, πολλὰ ἢ ἐπὶ βάθει περιστοιχίας συνθήματα.

Baſ. ad virg. lapſam.

Resp. ad interrog. 14. Παρεμπλέκεται τῷ λόγῳ εἰς τὸ ἀλλοπότητα τό τινων ἔχειν, εἶτα τῷ ὁμολογίαν ἀθετήσαντα, οὕτω χρὴ ἐρεῖν, ὡς εἰς θεὸν ἡμαρτήκατε, ἐφ' οὗ καὶ εἰς ὃν ἡ ὁμολογίας τῶν σωζομένων κεῖται. ἐπὶ δὲ εἰς θεὸν τις, φησὶν, ἁμάρτῃ, τίς παρεκτήσεται περὶ αὐτοῦ; ὁ δὲ αἱμαρτὼν ἑαυτὸν τῷ θεῷ, εἶτα παρὰ ἄλλου βίον ἀποπλήσας, ἱερόσυλος γέγονεν, ἑαυτὸν διακλέψας, ἢ ἐφῳδίσας τὸ θεοῦ τὸ αἰώνιον. εἰς οὐλογοῦσι, μιᾶκτα δύεσθαι τῶν ἀδήλων αἰσχρῶν, μᾶλλον εἰ καὶ ψύχους πρόφασιν σκέπης ἔνεκεν ἐπιδημοῦσιν. ὁ γὰρ ἀποστολικὸς κανὼν φανερὸς, κἀκεῖνον, ἡμᾶς τέλεος ἀπὸ πορνείας ἀπέχεσθαι, καὶ μὴ συναναμίγνυσθαι αὐτῇ, ἵνα εἰ ἡμαρτ. 2. Thess. 3. *Bas. ad Amphil. Canonica ep. 3. Can. 60.

Η παρθενία ὁμολογία καὶ ἐπαγγελία, ἡ χρόνου ἕνεκα ἡ μισθοῦ ἐφεκτὸν ἁμαρτήματος, ἐν τῇ οἰκονομίᾳ τῆς καθ' ἑαυτὸν ζωῆς πληρώσει. τὸ αὐτὸ καὶ ἐπὶ τῶν ἡ βίου

ad Monachum lapsum epistola probat; adulterij enim, eũ quoque postulat, quem periurij pernicioſi sponsorẽ dicit, fuisse, fractis scilicet pudicitiæ repagulis, & decore affecta, prætextu nuptiarũ castitate. Certè in regulis fusius disputatis omnium clarissimè ostendit, quo loco Monachũ apostatam, ac votifragum haberet. *Cæterùm*, inquit, *horum vnusquisque, si posteaquam intra reliquorũ fratrum societatem adscriptus fuerit, factã iam abse professionem rescinderit, is perinde aspici debet, vt qui in Deum peccauerit, quẽ videlicet professionis suæ testem adhibuerit, cuique solẽni se voto obligarit. Si verò in Deum quis peccauerit, inquit, & quis orabit pro eo? Etenim qui seipsum semel Deo deuouit, hic si ad aliud deinde vitæ genus trãsiuerit, sacrilegij se scelere obstrinxit, quippe qui seipsum Deo, cui se cõsecrauerat, veluti subter furatus sit. Porrò huiusce modi hominibus rationi quidẽ consentaneum fuerit, vt nullo modo aperiantur fratrũ ianuæ, ne si prætereuntes quidẽ ea re modò, vt tecto recipiantur, ad ipsos diuerterint. Perspicua est enim regula Apostoli, qua iubemur subtrahere nos ab omni inordinato, neque vllo modo cũ illo cõmisceri, vt confundatur.* Et alibi; [a] *Quæ virginitatem professa*, inquit, *à voto suo ac professione lapsa est, peccati adulterij tẽpus in suæ vitæ dispensatione complebit. Idem & in ijs qui vitã monasticam profitentur, & labuntur.* Quod autẽ etiam leges ciuiles refert, quibus interdicitur ne quis sacras virgines à Dei seruitute sub pœna capitis arceat, non efficiunt eũ censuisse, iure tantũ humano sacrarũ virginum matrimonia prohibita fuisse, contrà verò pœnæ atrocitas violatum ius diuinum clamat. Neque verò insolẽs est etiam de his quæ sunt legibus diuinis constituta sancire Imperatores; Enimuerò in mœchos, raptores, periuros quoque animaduertunt, de quibus tamen Decalogi extant sanctiones.

Sequitur Epiphanius; [b] *Epiphanius*, inquit, *nihil ab his discrepãs, cùm videret aliquos virginitatis professione obstrictos, qui ad vitandam confusionem apud homines, si propositi desertores agnoscerentur occultè, scortabantur; & sub solitudinis aut continentiæ specie, libidinem exercebant, de hu ita enunciauit: Melius est vnum peccatũ habere, & non plura: melius est lapsum à cursu palam sibi vxorem sumere secundum legem, & à virginitate multo tempore pœnitentiam agere; & sic rursum ad Ecclesiam induci, velut qui mala operatus est, velut lapsum & fractum, & obligatione opus habentem; & non quotidie occultis iaculis sauciari, ab improbitate, quæ à Diabolo ipsi infertur.* Respondeo hunc Epiphanij locum multas pati interpretationes; Cardinalis Bellarm. existimat Epiphanium non de iis loqui, qui, vel quæ vouerant, sed de quibusdam qui quod prouecti essent ætate, non interposito voto solemniori, cœlibes permanere decreuerãt, interim occultè fornicantes, quos hortatur vt pœnitentiam agant, & ad matrimonium confugiant. Atque ita iuxta eius sententiam, hic sensus est Epiphanij: Melius est illis post vnam fornicationem transire ad nuptias, quàm in cœlibatu manendo exponere se periculo assiduè scortandi: Alij de velatis virginibus intelligunt, & sensum esse volunt: Minus malum esse palam nubere, atque aliquam continentiæ coniugalis speciem seruare, quàm occultè in perpetua fornicatione, aliisque libidinum sordibus volutari. Meo iudicio probabilior est expositio Bellarmini. De virginibus enim Deo dicatis sic habet: [c] *Iam verò*, inquit, *illud ab Apostolis sancta Dei Ecclesia traditum accepit: post decretam virginitatem ad nuptias sese conferre, scelere implicatum videri. Atenim Apostolus scripsit: Si nupserit virgo non peccauit. Quînam igitur ambo hæc inter se consentiunt? Sed nimirum de ea virgine loquitur, quæ Deo virginitatem suam non addixit;*

μαζόντων ἐπαγγειλαμένων, ἢ ἐκπιπόντων. [b] Spalat. Num. 19. Epiphan. hær. 61. Παριδὼν ἴσως ὁ ἀγιώτατος ἀπόστολος τῇ ἁγίᾳ θεοῦ ἐκκλησίᾳ, ἡρέμαρτον εἶναι τὸ, μὴ τὸ ὑπὲρ σωφροσύνης,

adeoque

[c] Epiphan.

adeoque propter Christianorum temporibus illis paucitatem, atque inopiam necessariò hæc ad eum modum administrabantur. Quod autem ita sese res habeat, eiusdem Apostoli testimonio constat, cùm ait: Adolescentiores viduas deuita. Postquam enim in Christum lasciuierint, nubere volunt, habentes iudicium quoniam priorem fidem irritam fecerunt. Quod si vel ea mulier, quæ mundum periclitata vidua facta est, pro eo, quod Deo consecrata fuerit, si postea nupserit iudicium habet, quod primam fidem irritam fecit, quæ, antequam mundum experiretur, semetipsam Deo dicauerit virgo, nonne multò magis lasciuit in Christum, maioremque fidem irritam reddidit, ac iudicium ideo sustinebit, eò quod suum illud secundum Deum propositum relaxauit. Ecce lasciuire in Christum, quæ promissæ Dei virginitati non starent, pudicitiã matrimonij obtentu temerarẽt, ac propterea iudiçium, hoc est damnationẽ habere quod primã fidem adulterarũ instar irritãfacerẽt, asseuerat. Igitur putat eas nullo iure maritis copulari posse, nisi fortè velit Spalat. Epiphaniũ hoc illas Cõcilio impertiisse, vt scilicet fornicationẽ adulterio, & incæstu eluerent. Existimarem tamen, id quoq; doctissimi Cardinalis sententiæ addendũ, Epiphaniũ in illis, quos vt à fornicatione auocet, ad matrimonia hortatur, spectasse simplex aliquod votũ, quo se Deo obstrinxissent: id enim omninò verba Epiphanij innuere vidẽtur, & fortasse etiam solemniorem castitatis professionem prehensabant; *Satius est,* inquit, *vbi à curriculo exciderit, palàm sibi vxorem legitimis nuptiis adiungere, ac post virginitatem longo interuallo susceptæ pœnitentiæ iterum Ecclesiæ reconciliari: vt pote qui & peccatum admiserit, & prolapsus fuerit, & infractus, & obligatione vulneris opus habeat, vt non occultis in dies immissæ à Diabolo nequitiæ iaculis saucietur.* Cœlibatum enim voto aliquo firmatum hæc meo quidem iudicio indicant, sed necesse non est fuisse votum solemne, quicquid in contrarium afferat Spalatẽsis. *At,* inquit, *illud vnum peccatũ, quod cõtra ponitur pluribus non potest aliter intelligi, aut explicari, nisi post votum, vt ego explicaui. Melius, inquit, est lapsum à cursu vxorem publicè ducere, quàm sæpius cum voto occultè scortari: & melius est vnũ peccatum committere, quàm plura. Illud ergo vnum peccatum quod est melius quàm plura, tenet se ex ea parte quæ dicitur melior, vxorem ducere, & illa plura, constant in scortationibus occultis.* Demus votũ intercessisse; nihilominus inficiamur fuisse solemne, neque enim matrimonio soluendum dixisset Epiphan. sed solũ simplex agnoscimus, cuius vinculo vtcunq; obligati essent ij de quibus loquitur, tamen ad vitanda flagitia ad nuptiarũ remedium confugere possent? quod præstaret multò meliùs vnum peccatum habere, hoc est vnum tantùm habere quàm plura, & minus culpæ obnoxium esset continentiã semel abrumpere, quàm in perpetua scortatione versari. Licet verò etiam cum Bellarmino nullum præcessisse votũ admiserimus, non est difficilis argumenti solutio; vnum peccatũ dixit præterita peccata intelligens, quæ ad vnã fornicationis speciem reuocarentur, plura verò quæ continuata libidine vnà cum tempore repetitis vicibus augerentur, ac multiplicarentur, si retento scorto diutius à matrimonio abstinerent. Ad Athanasium suprà respondimus. Est igitur quod Augustinum audiamus. *Augustinus,* inquit, *aduersus hæreticos dictos Apostolicos, non recipientes in suam cõmunionem vtentes coniugibus, & res proprias possidẽtes, illud obijcit: Quales habet Catholica Ecclesiastica, & Monachos, & Clericos plurimos: nimirum & vxoribus vtentes, & propria possidentes. Non deerãt igitur Monachi, etiam vxorati in Catholica Ecclesia, & non Apostatæ; sed veri Monachi. Quandoquidem ab Augustino, ad confutãdam illam hæresim producuntur: & ab Athanasio ad ostendendum statum Monachalem, non cogere quen-*

εἰς γάμον τελειοῦσθαι. καὶ διὰ τοῦτο ὁ ἀπόστολος ἀπαιτεῖ γάμον ἢ παρθενίαν, ἀλλ' οὐ μοιχείαν. 1. Tim. 5 11.

Idem ibid. Κρεῖττον παντὸς ἀπὸ νεότητος ἑαυτὸν ἐκκόπτειν γυναικὸς καὶ τέκνων, καὶ ἀπὸ παρθενίας πολλῷ χρόνῳ μετανοοῦντα εἰσδέχεσθαι πάλιν εἰς τὴν ἐκκλησίαν. SPALAT. Num. 20.

SPALAT. Num. 22. August de hæres. ad Quod vult Deum hæres. 40.

quam ad continētiam; ſed eam à libera voluntate tam Epiſcopi, quàm Monachi pendere. Erat fortaſſe genus Monachorum Laïcorum, & coniugatorum, & cũ proprietate rerum, ſed vitæ aſperioris, & religioſæ, in pœnitentia; ſed hi non erant cœnobitæ. Quis hominis frontem non miretur? qui Auguſtino tam improbam, tãque ſtultam ſententiam affinxerit, conſtituiſſe ſcilicet eum aliquod genus Monachorum vitam cum vxoribus ac in mediis diuitiis in ſæculo agẽtium. Quis igitur vnquam vel fando audiuit, vel legendo didicit, tales extitiſſe ſæculo Auguſtini Monachos vxoratos & opulentos, vtentes coniugibus, & propria poſſidentes? Monſtra ſunt hæc, & portenta in cerebro Spalatenſis nata: Quamquam non video quî iſta cõhæreant; cum his quæ ſunt infrà ab eo tradita: *Inſtitutum Monachorum*, inquit,

SPALAT. Lib. 2. c. 12. num. 2. *Chriſtianorum (mittamus nunc Eliam & Eliſæum; imò & Ioannem Baptiſtam, qui ad Synagogam pertinuerunt) priuato hominum ſtudio priuataque pietate ac deuotione, non vlla publica inſtitutione emerſit. Chriſtus ad Monachatum neminem vocauit, Apoſtoli Monachum nullum fecerunt; Epiſcopi & Eccleſia vetus Monachalem vitam nemini vnquam præſcripſerunt. Quid igitur? Ex vita Apoſtolica qualem & Apoſtoli, ac præſertim Paulus; & fideles primitiuæ Eccleſiæ Hieroſolymis, magno feruore ſpiritus, duxerunt, priuati homines, priuato ſtudio, exempla ſumpſerunt, &c.*

SPALAT. Cap. 12. Num. 45. Et rurſus: *Ex cauſa itaque*, inquit, *ſi poteſt Papa diſpenſare cum Monacho, vt egrediatur, poteſt etiam quicunque Eccleſiaſticam habens poteſtatem. Quid ſi propria authoritate, ſine cauſa legitima quis Monachus profeſſus, fiat deſertor? Hic ſanè peccat contra Deum, & damnationem habet; ſed Eccleſia nihil habet contra illum, in foro externo: habet tantùm cum illo negocium in foro conſcientiæ, propter peccatum; vt non abſoluatur niſi redeat; aut ſi legitima ſit cauſa abſoluatur, etiam nõ rediturus, per irritationem, vel commutationem voti. Quod ſi vxorem duxerit, pœniteat de peccato deſertionis, ſed permaneat in coniugio, neque enim amplius indiget vlla diſpenſatione, ipſe enim per aſſumptionem ſtatus incompoßibilis cum Monachatu, ſecum ſatis diſpenſauit; quia longè arctius eſt vinculum connubij, quàm Monachalis profeßionis. An verò Monachus egeat diſpenſatione, vt fiat Clericus, & tranſeat ad vitam Clericalem, & ſit ne in hoc Apoſtaſia dicam inferius. Sanè video tempore Auguſtini Monachos ſponte abſque vlla diſpenſatione, de Monaſteriis recedere, & propoſitum deſerere, & eos Auguſtinus, cuius fuerant Monachi, non inſequitur vt Apoſtatas; ſed ne ad Clericatum admittantur tantùm perſuadet; Aurelius enim eos Clericos fa-*

Aug. ep. 76. *cere cupiebat: Spontè (inquit Auguſt.) abierunt, ſpontè deſeruerunt, nobis quantum potuimus pro eorũ ſalute renitentibus.* Conciliet iſta ſi poteſt cum inſtituto ſuorum Monachorum Laïcorum coniugatorum. Igitur vt ad Auguſtinum reuertamur, Aug. Apoſtolicos arrogantiſſimum genus hominum, qui nuptias damnarent, & diuitias malas eſſe dicerent, in numero hæreticorũ repoſiturus, præfatur non hoc nomine eos hęreticos eſſe, quod Apoſtolos imitarẽtur, eorũque exẽplo, & ſe diuitiis abdicarẽt, & à coniugiis abſtinerent, cũ id quoque Monachi, & pleriq; Clerici in Eccleſia facerẽt, ſed quod ab Eccleſia ſe ſeparantes nullã ſpẽ putarent eos habere, qui his rebus vterẽtur, quibus ipſi carerent; Itaque non hic vult eſſe in Eccleſia Monachos & Clericos plurimos, qui vtãtur coniugibus, & propria poſſideãt, ſed eſſe Monachos & Clericos plurimos vitæ Apoſtolicæ ſinceros imitatores, nó qui damnent nuptias, aut malas eſſe diuitias prædicent, quod fucati illi Apoſtolici omnium hominum arrogantiſſimi facerent, ſed qui ſpem ſalutis iis quoque relinquerent, qui his ritè & legitimè vterentur, vt ſcilicet oſtendat in Catholica Eccleſia eſſe eam vitæ perfectionem, quam extra Eccleſiam illi ſibi tribuerent & arrogarent; & tamen deprauator Patrum eò torquet, vt dicat Auguſtinus eſſe in

Eccle-

Ecclesia Monachos & Clericos plurimos coniugatos & diuites. Esse verò mentem Augustini, quam insinuauimus ipse verborum Aug. tenor indicat, *sed ideo isti hæretici*, inquit Apostolici scilicet, *quoniam ab Ecclesia se separãtes* (quod nostri Monachi & Clerici ab vxoribus abstinentes, & diuitias repudiantes non faciunt) *nullam spem putant eos tutam habere, qui vtuntur his rebus quibus ipsi carent.* Explicat igitur quanam ratione impingerent, & qua non impingerent, atque significat eo nomine pro hæreticis non habendos, quod ab vxoribus abstinerent, aut propria non possiderent, cùm tum Monachos, tum Clericos plerosque haberet Ecclesia, qui id quoque præstarent, sed quod coniugatis, ac propria possidentibus omnem salutis spem præcluderent, qua in re ab orthodoxis Monachis dissiderẽt, qui scilicet coniugatos, & diuitiis vtentes salutem consequi posse omnino fatererentur ac docerent. Igitur non Monachos, nec Clericos quàm plurimos profert, vt, quod somniat Spalatensis, probet nuptos saluari posse aut diuites, sed vt ostendat esse in Ecclesia qui sanctitatem Apostolicã, de qua illi hæretici superbirent ac insolescerent, longè seuerius quàm illæ pestes æmularentur. Sed demus Augustinum probare voluisse connubio iunctos salutem consequi posse, nec sic quidem Spalatensi faueret. Dicat enim quæso quî id probarit exemplo Monachorum, qui nuptias inirent? An non Augustinus quamquam rara Monachorum matrimonia, adulteriis peiora facit? Audi magnũ virum; *Alius*, inquit, *ex munere Dei maius aliquid vouit, statuit nec nuptias pati, qui non damnaretur, si duxisset vxorem: post votum quod Deo promisit si duxerit, damnabitur, cùm hoc faciat quod ille qui non promiserat; tamẽ ille non damnatur, iste damnatur. Quare nisi quia iste respexit retrò? Iam enim ille antè erat, iste autem illuc nondum peruenerat. Sic virgo quæ si nuberet, non peccaret: sanctimonialis si nupserit, Christi adulter reputabitur. Respexit enim retrò de loco quo accesserat.* Quid igitur insulsius quàm hos adducere Augustinum, vt probet nuptios saluari? An non purioris connubij cultores in Ecclesia Catholica erant, quos proferret huius suæ assertionis vindices. Valeant igitur hæc Monachorum portenta vni Spalat. agnita, nec vnquã Patribus probata. Veniamus verò ad Chrysostomum. *Chrysostomus*, inquit, *longè plures videns lapsos ex coniugatorum, quàm ex Monachorum ordine. Neque enim tam multi ex Monasteriis ad matrimonia accedũt, quàm ex iugali thoro se ad scorta recipiunt.* Ad nouitios Monasteriorum non confugimus, vt Chrysostomi sermonem ad eos flectamus, qui ex hoc tyrocinio ante votum Deo nuncupatum ad nuptias conuolarint: fatemur enim de Monachis castitatem professis loquutum, sed cùm ad matrimonia accessisse eos dicit; matrimonia specie & nomine dicit, at quæ non solùm pro adulteriis & sacrilegiis haberet, sed etiam irrita ac nulla esse censeret. Audi magnum Patrem aduersum Monachum lapsum fulgurantem: *Honorabile connubium*, inquit, *& cubile immaculatum. Fornicatores autem, & adulteros iudicabit Deus. Sed tibi iam non est integrum iura connubij seruare, cœlesti enim sponso semel iunctum, illum relinquere, & vxoris laqueis implicari adulterij crimen incurrere est: quamuis millies hoc ipsum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tantò peius affirmo, quantò maior ac melior mortalibus Deus. Neque vllus te fortè decipiat, dicens: Nihil de non accipienda vxore Dominus præcepit. Nec me ignorare confiteor, quod adulterium interdixit non nuptias vetuit, verùm tu adulterij crimen incurres, si volueris vnquã quod absit, nuptias cogitare.* De Hieronymo iam videamus; *Hieronymus*, inquit, *virginem quandam, quæ à matre discesserat, & seorsim ab illa proprio vtebatur hospitio, sic alloquitur: Si virgo es, quid times diligen-*

Augustus de hæresibus.

Augustus to. 8. Psal. 83. circa init.

Chrysost. l. 3. ad vitup. vitæ Mon.

SPALAT. Num. 23.

Chrysost. ad Thed. lapsũ l. 2. paræn. 2. p. 60.

Δίκαιος ὁ γάμος, σύμφωνα κἀγὼ τίμιος γὰρ φησιν ὁ γάμος, καὶ ἀκοίτη ἀμίαντος. πίστις ἡ καὶ μισχὸς χρυσῆ ὁ θεός. σὺ δὲ ἀκίνδυνον τὸ δίκαιον τοῦ γάμου φυλάξαι. ἐπὶ δὲ ἐπιτυχίᾳ σωφρόνως γυμφίου, τοῦτο μὲν ἀφίημι, γινώσκω δὲ ἐγὼ τὸν σωφρονοῦντα, μισχὸς δὲ τὸ σεσιγημένον, κἀγὼ μυστικὸς αὐτὸ γάμον καλῶ· μᾶλλον δὲ μισχὸς πανύστατος διὰ τέλους, ὃς ἐπιτηδεύει, ὃν χρεὼν ἦν ἀνθρώπων θεόν. μανὶς τίς ἐστι πατητή, λέγων. γαμεῖν οὐκ ἐκώλυσεν, μίγνυσθαι δὲ ἐκώλυσεν· ἀλλὰ ὁ θεὸς οὐ τοῦτο κἀγὼ γαμεῖν οὐκ ἐκώλυσεν, ἀλλὰ μοιχᾶσθαι ἐκώλυσεν, ὁ σὺ πεῖν οὐ θέλεις, ὃ μὴ ἤθελεν, εἰ ὁμιλοῖμεν γάμῳ ποτέ.

SPALAT. Num. 24.

Hier. ep. 47 *tem cuſtodiam? Si corrupta, cur non palã nubis? Secunda poſt naufragium tabula eſt, quod malè cœperis, ſaltem hoc remedio temperare. Neque verò hoc dico, quod poſt peccatum tollam pœnitentiam; vt quod malè cœpit, malè perſeueret: ſed quod deſperem in iſtiuſmodi copula diuulſionem.* Reſpondeo Hieronymum proculdubio de virgine loqui ſuo & parentis voto conſecrata; *Non tibi diſpliceat eius conuerſatio*, Matrem intelligit, *quæ te ſponſo tuo virginem conſecrauit*; ſed rectè omninò, & menti Hieronymi conſentaneè, aduertit Cardinalis Bellarminus, eam ſolemniter non vouiſſe, hoc eſt virginitatis velum de manu Epiſcopi non accepiſſe, vt propterea piè omnino ad ineundum matrimonium eam ſit adhortatus Hieronymus, quo à ſe incontinentiæ ignominiam propulſaret, nuſquam autem ſolemniter caſtitatem profeſſis hoc Concilij dediſſet, cùm hoc nomine Iouinianum flagellet, quod *virginibus Chriſto deſponſis*, quamquam adulteriis pollutis nubendi author

Lib. 2. adu. Iouin. fuiſſet: *Virgines tuæ*, inquit, *adulteros occultos in apertos verterunt maritos. Virgilianum conſilium eſt*,

Coniugium vocat hoc prætexit nomine culpam.

Quod enim de ſponſis Chriſti loquatur, oſtendit nomen adulteri; Non eſſe autem verum coniugium, probat illud ex Virgilio vſurpatum *coniugium vocat*, eſ-

Ibidem. ſe verò coniugium nomine tantùm & prætextu, *hoc prætexit nomine culpam* Vides vt pro adulteris, & inceſtis eas habuerit virgines, quæ poſt votum ſolemne caſtitatis nupſerint. Interim verò aduertere eſt Spalatẽſem Bellarminum immerentem vexare; quaſi ſtultam, aut etiam impiam Hieronymo affinxerit ſententiam, ad hanc periodum Hieronymi: *Neque verò hoc dico*, inquit, *quod poſt peccatum tollam pœnitentiam; vt quod malè cœpit, malè perſeueret; ſed quod deſperem*

Epiſt 47. *in iſtiuſmodi copula auulſionem*; *Bellarminus*, inquit Spalatenſis, *ſic interpretatur:*

Spalat. Num. 24. Bellarm. de Monach. l. 2. c. 34. *Hoc eſt, inquit, non hortor vt nubas, quia cupiam in eo quod malè cœpiſti fornicando, malè perſeueres nubendo: & non potius cupiam pœnitentiam, & emendationem; ſed quia ſeparationem deſpero, ideo malo, quod minus eſt malum, vt marito adhæreas, quàm fornicario. Quæ interpretatio eſt valdè diſtorta: & Hieronymum facit ſatis imprudentem, ne dicam impium, qui ſuadeat nuptias illi ſemper malas, & cum perſeuerãtia eiuſdem peccati iam cœpti futuras; licet peccatum parum leuius ſint effecturæ. Et ſententiam ſimiliter impiam appingit Hieronymo, vt ſentiat, nuptias huiuſmodi poſt votum (quod tamen Bellarminus facit ſimplex) continuare peccatum fornicationis ante illas cœptum. Et tamen Hieronymus nuptiis hiſce malè cœptam fornicationem, tanquam ſufficienti remedio, ait, temperatum iri. Et quis vnquam, tam impiè de nuptiis legitimis cogitauit; vt ſi eas præceſſit fornicatio, vtcunque etiam ſub caſtitatis voto, præſertim ſimplici, malas adhuc, & cum eodem peccato perſeuerare arbitretur? Stulta ſunt iſta.* Sed impoſtorem agit; non enim exiſtimat Bellarminus Hieronymi ſententia, ab inito matrimonio ſemper peccare virginem matrimonio iam implicitam. Peccatum in eo ponit, quod poſt promiſſam caſtitatem Deo fidem fregerit, ac coniugium ambierit: Innuit verò culpam concupiti connubij potius ei eluendam fuiſſe pœnitentiæ lacrymis, & amaſij depreſſione, ſi dicto eius audiens eſſe voluiſſet, ſed quod in eam ſpem adduci non poſſit, vt nimirum impudicitiæ nuntium remitteret, ſe ei concedere matrimonium, vt rem minus malam, quod ſcilicet eo ſemel ſuſcepto fornicaria audire deſineret, quamquam ſe à peccato purgare non poſſet; hæc mens eſt Illuſtriſſimi Cardinalis, quem immeritò aliò torquet Spalatenſis. Sed aliis iam armis eum oppugnat, & quod dixi, ac nos cum illo reſpondimus fuiſſe huius virginis votum

ſimplex,

Digitized by Google

ſimplex, refellere conatur labefactata ratione qua vtimur. *Ad ſimplex*, inquit, *præterea votum confugit Bellarminus; vt locum eludat; & ſic ait: Loquitur Hieronymus de quadam virgine, quæ non in Monaſterio publicè profeſſa fuerat, (nam in eadem epiſtola hortatur eam, vt ſe conferat ad Monaſterium) ſed priuatim vouerat continentiam. Ego verò inuenio olim virgines Deo ſacratas, & verè ac propriè virginitatem profeſſas, etiam in propriis domibus habitaſſe; & nihilominus habitum monachalem geſtaſſe, & perfectè regulas monaſticas ſeruaſſe. Ita ſuprà vidimus in Cypriano virgines illas impudicas, quas nemo negat fuiſſe verè profeſſas, quæ ſe ex fide, inquit Cyprianus, Chriſto dicauerant, in priuatis domibus habitaſſe: Ait enim Cyprianus: Quod ſi pœnitentiam huius illiciti concubitus ſui egerint, & à ſe inuicem receſſerint, inſpiciantur interim virgines ab obſtetricibus diligenter; etſi virgines inuentæ fuerint, accepta communicatione ad Eccleſiam admittantur; hac interminatione vt ſi ad eoſdem maſculos poſtmodum reuerſæ fuerint, aut cum iiſdem in vna domo & ſub eodem tecto ſimul habitauerint; grauiore cenſura eiiciantur. Si in Monaſteriis incluſæ habitaſſent, non erat hac cautio neceſſaria: idem ſupponit Epiphanius, ſup. num. 17. &c.* Reſpondeo negari non poſſe in Patrum ſcriptis virgines domi in paternis ædibus commorantes paſſim inueniri, quæ caſtitatem vouiſſent, ſed erat ſimplex earum votum, cùm tamen aliæ eſſent quæ in ipſa caſtitatis profeſſione velum de manu Epiſcopi accepiſſent, quibus vix id permitteretur, ſed in monaſteriis locarentur; ac quamquam illæ carnibus non veſcerentur, imò vix vterentur: à balneis abſtinerent, veſte vili & pulla vterentur, erat hæc priuata earum pietas, de qua etſi eſſet Eccleſia valdè ſollicita, tamen in numero earum quibus nulla ratione ad nuptias conuolare liceret, non ponebat. Huius generis erant virgines, de quibus ad Pomponium Cyprianus, vt ſuprà oſtendimus. Erant alterius ordinis virgines, quæ ſuſcepto de manu Epiſcopi velo in monaſteriis vt plurimùm ſe continerent, quamquam etiam in domibus parentum nonnunquam manerent, quod Canones à Spalatenſi citati indicant; Meliorem tamen Monaſteriorũ cuſtodiam prædicabant Eccleſiæ Antiſtites, ac non niſi in domibus parentũ manere patiebantur. De his pronuntiat Ambroſius, de ea quæ ſe ſpopondit Chriſto, & ſanctũ velamen accepit, loquens, *Væ tibi miſera*, inquit, *& iterum væ quæ tanta bona parui temporis luxuria perdidiſti. Quam tibi ſpem apud Chriſtum Dominum reliquiſti, cuius membra tollens feciſti membra meretricis? Quis te Spiritus ſanctus viſitabit, cùm eum repudiaueris, qui ſe à cogitationibus quoque ſordidis longè facit? Sed veniamus ad humana, vt per illa diuina noſcantur. Aſpice quis Sanctorum, aut quæ Sanctarum tibi approximare non horreat; aperi oculos tuos ſi potes, erige frontem ſi audes; aliquem Sanctorum fiducialiter intuere. Nonne tua faciem conſcientiæ commiſſa tanquam plumbum inclinant, & premunt? Nonne tenebræ ante oculos tuos vt dura caligo verſantur? Nonne timor & tremor animam tuam & membra quaſſant? Si ergo homines in carne conſtitutos, & alicuius forſitan delicti obnoxios non potes intueri, tam graui confuſione ſepulta: quid facies coram caſtis Apoſtolis? Quid facies coram Elia, Daniele, & tantorum exercitu Prophetarum? Quid facies coram Ioanne? Quid facies coram Maria, Thecla & Agne, & immaculato thoro puritatis? Quid denique coram Angelis ſanctis? Nonne ſplendore & claritate immaculatorum quaſi fulminibus percuſſa combureris?* Alibi docet non licere huiuſmodi coniugium, quomodo Herodi non licuit habere vxorem fratris ſui, *Si*, inquit, *hoc de vxore fratris, quantò magis de virgine Deo conſecrata?* Irritum ergo cenſet hoc coniugium ſicut & illud. Hæc adeò vera ſunt, vt

SPALAT. Num. 25. Bellar. ibid.

Cypr. lib. 1. ep. 11.

Ambr. ad Virg. lapſ. ca. 3.

Vide eund. l. 3. de Virg.

cauſæ ſuæ diffiſus vnum Auguſtinum magno Patrum agmini opponendum
Spalat. Num. 26. duxerit. *Nemo*, inquit, *melius & explicatius veritatem in propoſito argumento aperuit, & manifeſtam protulit, quàm Auguſtinus: qui ſi ſolus eſſet, nedum tot viris ſanctiſſimis, & doctiſſimis conſentiens, à magno nos errore poſſet & deberet retrahere; quo nos imbuti, ſub prætextu puritatis, impuriſſimas noſtras facimus Eccleſias;*
Gloſſ. in c. Nupt. 27. q. 1. v. Cùm enim. *& oſores atque hoſtes ſanctarum nos declaramus, ſi non in omnibus, in multis tamen, nuptiarum. Auguſtini locum integrum debeo omninò hic deſcribere. Quanquam verè dormiens, nedum dormitans; imò temulentus potius leguleius; Auguſtinum faciat in hu dormitantem.* Quod Auguſtinum laudat, in lucidis eius interuallis ponimus, ſed quod Patribus omnibus præfert, habet aliquid latentis veneni, nec id facit Auguſtini reuerentia adductus, ſed odio orthodoxæ ſententiæ, quam illi reclamante Auguſtino propugnant: Iuris Canonici interpretem vexat, quod hic dormitaſſe Auguſtinum dicat, & tamen citra contumeliam de Poëtarum Principe dictum accepimus;

Quandoque bonus dormitat Homerus.

Sed fortaſſe putat Spalatenſis non poſſe dormitare Scriptores, niſi crapula diſtentos; quare hunc iuris Canonici interpretem tanquam temulentum traducit. Mittamus iſta, & in Auguſtino id obſeruemus quod obſeruari ipſe præcepit:
De baptiſ. li. 2. ca. 5. Aug. li. 3. de Trinit. in procemio. *Plerumque*, inquit, *Doctioribus minus aliquid reuelatur, vt eorum patiens & humilis charitas comprobetur*: Et paulò pòſt: *Homines ſumus, vnde aliquid aliter ſapere quàm ſe ſe res habet humana tentatio eſt.* Et alibi: *In omnibus litteris meis non ſolùm pium lectorem, ſed etiam liberum correctorem deſidero. Verumtamen ſicut lectorem meum nolo mihi eſſe deditum, ita correctorem nolo ſibi. Ille me non amet amplius quàm Catholicam fidem, iſte ſe non amplius amet quàm Catholicam veritatem.* Expendamus igitur momenta ac pondera rationum, quibus Spalatenſi iudice, antiquorum nempè Cypriani, vt putat, Baſilij, Epiphanij, Hieronymi, Chryſoſtomi, Ambroſij ſententiam labefactare ac euertere nititur, ac eius rei gratia ſententiam eius aperiamus; *Ita verò habet Auguſtinus. Ait Apoſtolus; Quod ſi ſe non continent, nubant: malo enim eas nubere quàm vri. Hoc enim dixit, vt effrenatæ libidinis malum, non præcipitaretur in turpitudinem flagitiorum, cùm exciperetur honeſtate nuptiarum. Et quod alibi dicit: Volo igitur iuniores nubere, filios procreare, matres familias eſſe, nuptiarum bonum, Apoſtolica ſobrietate, & authoritate commendat: non procreandi officium etiam iis quæ continentiæ bonum capiunt, tanquam ad obſequelam legis, imponit. Denique cur hoc dixerit pandit, cùm adiungit, & dicit; Nullam occaſionem dare aduerſario maledicti gratia: iam enim quædam conuerſæ ſunt retrò poſt Sathanam: vt his verbis intelligamus, eas, quas nubere voluit, melius poſſe continere, quàm nubere: ſed melius nubere quàm retrò poſt Sathanam ire: id eſt, ab illo excellenti virginalis, vel vidualis caſtitatis propoſito, in poſteriora reſpiciendo, cadere & interire. Proinde quæ ſe non continent, nubant, antequam continentiam profiteantur, antequam Deo voueant, quod niſi reddant, iure damnantur. Alio quippe loco de talibus dicit, cùm enim in deliciis egerint in Chriſto, nubere volunt; habentes damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt: id eſt voluntatem ad nuptias à propoſito continentia deflexerunt. Irritam quippe fecerunt fidem, qua prius*
Aug. de ho. vid. c. 8. 9. 10. 11. 1. Cor. 7. 1. Tim. 5.
Spalat. Num. 27. *vouerant, quod perſeuerantia implere noluerunt. At pergit Auguſtinus. Nuptiarum igitur bonum, ſemper eſt quidem bonum, ſed in populo Dei fuit aliquando legis obſequium, nunc eſt infirmitatis remedium in quibuſdam verò humanitatis ſolatium. Filiorum quippe procreationi operam dare, non canino more, per vſum promiſcuum fœmina-*

minarum, ſed honeſto ordine coniugali, non eſt in homine improbandus affectus, etiam ipſum tamen laudabilius tranſcendit, & vincit cœleſtia cogitans animus Chriſtianus. Sed quoniam, ſicut ait Dominus, non omnes capiunt verbum hoc: quæ poteſt ergo capere, capiat, quæ ſe non continet, nubat: quæ non cœpit deliberet: quæ aggreſſa eſt perſeueret: nulla aduerſario detur occaſio, nulla Chriſto ſubtrahatur oblatio. In coniugali quippe vinculo, ſi pudicitia conſeruatur, damnatio non timetur. Sed in viduali & virginali continentiâ excellentia muneris amplioris expetitur: qua expetita, & electa, & voti debito oblata, iam non ſolùm non capeſcere nuptias, ſed etiamſi non nubatur, nubere velle, dãnabile eſt. Nam vt hoc demonſtraret Apoſtolus, non ait: Cùm in deliciis egerint in Chriſto, nubunt, ſed, nubere volunt: Habentes, inquit, damnationem, quoniam primam fidem irritam fecerunt: etſi non nubendo, ſed tamen volendo: nõ quia ipſæ nuptiæ, vel talium damnandæ indicantur; ſed damnatur propoſiti fraus; damnatur fracta voti fides; damnatur non ſuſceptio à bono inferiore, ſed ruina ex bono ſuperiore. Poſtremò damnantur tales, non quia coniugalem fidem poſterius inierunt; ſed quia continentiæ primam fidem irritam fecerunt. Quod vt breuiter inſinuaret Apoſtolus, noluit eas dicere habere damnationem, quæ poſt amplioris ſanctitatis propoſitum nubunt: non quia non damnentur, ſed ne in eis ipſæ nuptiæ damnari putarentur. Sed cùm dixiſſet, Nubere volunt, continuò addidit, habentes damnationem. Et dixit, quare; Quoniam primam fidem irritam fecerunt; vt voluntatem quæ à propoſito cecidit, appareat eſſe damnatam, ſiue ſubſequantur nuptiæ, ſiue deſint. Proſequitur Auguſtinus, & ait, Proinde qui dicunt talium nuptias non eſſe nuptias, ſed potius adulteria, non mihi videntur ſatis acutè, ac diligenter conſiderare quid dicant. Fallit eos quippe ſimilitudo veritatis: Quia enim coniugium Chriſti dicuntur eligere, quæ Chriſtiana ſanctitate non nubunt; hinc argumentantur quidam dicentes; Si viro ſuo viuo, quæ alteri nubit, adultera eſt; ſicut ipſe Dominus in Euangelio definiuit; Viuo ergo Chriſto, cui mors vltra non dominatur, quæ coniugium eius elegerat, ſi homini nubit adultera eſt. Qui hoc dicunt, acutè quidem monentur, ſed parum attendunt hanc argumentationem, quanta rerum ſequatur abſurditas. Cùm enim laudabiliter, etiam viuente viro, ex eius conſenſu, continentiam fœmina Chriſto voueat, iam ſecundum iſtorum rationem, nulla hoc facere debet, ne ipſum Chriſtum, quod ſentire nefas eſt, adulterum faciat, cui, viuente viro nubit. Deinde cùm primæ nuptiæ melioris ſint meriti, quàm ſecundæ, abſit vt ſanctarum viduarum iſte ſit ſenſus, vt Chriſtus eis videatur quaſi ſecundus maritus, ipſum enim habebant & antea, quando viris ſuis fideliter ſeruiebant ſubditæ; non carnaliter, ſed ſpiritualiter virum, cui Eccleſia ipſa, cuius membra ſunt, coniux eſt: quæ fidei, ſpei, charitatis integritate, non in ſolis virginibus ſanctis, ſed etiam in viduis, & coniugatis fidelibus, tota virgo eſt. Vniuerſæ quippe Eccleſiæ, cuius illæ membra ſunt, Apoſtolus dicit; Aptaui vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto. Nouit autem ille coniugem virginem ſine corruptione fœtare, quem in ipſa etiam carne potuit mater, ſine corruptione procreare. Fit autem per hanc minus conſideratam opinionem, qua putant lapſarum à ſancto propoſito fœminarum, ſi nupſerint, non eſſe coniugia, non paruum malum, vt à maritis ſeparentur vxores, quaſi adulteræ ſint, non vxores: & cùm volunt eas ſeparatas reddere continentiæ, faciunt maritos, earum adulteros veros, cum ſuis vxoribus viuis, alteras duxerint. Subditque vlterius; Qua propter, non poſſum quidem dicere à propoſito meliore lapſas, ſi nupſerint, fœminas adulteria eſſe non coniugia: ſed planè non dubitauerim dicere, lapſus, & ruinas à caſtitate ſanctiore, quæ vouetur Deo, adulteriis eſſe peiores. Si enim, quod nullo modo dubitandum eſt, ad offenſionem Chriſti

Spalat. Num. 28.

1. Cor. 11.

Spalat. Num. 29.

pertinet, cùm membrum eius fidem non seruat marito; quantò grauius offenditur, cùm illi ipsi non seruatur fides, in eo quod exigit oblatum, qui non exegerat offerendum? Cùm enim quisque non reddit, quod non imperio compulsus, sed consilio commonitus vouit, tantò magis fraudati voti auget iniquitatem, quantò minus habuit vouendi necessitatem. Hæc ideo disputo ne arbitreris, vel secundas nuptias crimen esse, vel quascunque nuptias, cùm sint nuptiæ, malum esse. Non itaque illas abs te damnatas velis esse, sed spretas. Bonum ergo continentiæ vidualis, luculentius decet, cùm pro illo vouendo, & profitendo possunt contemnere fœminæ, quod & libet & licet, sed post voti professionem perseueranter frænandũ, & vincendum est quodlibet, quia iam non licet. Nostri duobus modis ad omnia ista loca respondere solent, scilicet vel loqui Augustinum de Virginibus non velatis, id est nondum solemniter professis, quibus melius hoc est minus malum esset nubere quàm vri, id est, quàm occulta flamma concupiscentiæ, vt libro de sancta virginitate loquitur vastari; Vel de matrimonio ante votum concipiendo illi sermonem esse, atque sic postea intelligi illius verba, *melius nuberent*, id est *melius nupsissent*, tum scilicet cùm liberæ essent quàm admisso voto vrerentur; adduntque apud Augustinum non infrequenter præsens Optatiuum pro præsenti poni. Hæc quidem vera sunt, sed nullus dubito Sanctum Augustinum in contraria sententia esse, ac ab antiquioribus Scriptoribus tantisper dissidere. Igitur liceat nobis ab ipso quoque Augustino nunc discedere; atque Basilij, Hieronymi, Ambrosij, Chrysostomi, ac Epiphanij sententiã aduersus sanctissimũ Doctorem propugnare; Non ægrè id feret modestissimus Pater, qui Cyprianum *in vnitate audiendum*, sed Cypriano extra vnitatem non auscultandum dixit; At ipse Spalatensis hanc nobis veniam, si modo legibus suis stat, dare non grauabitur: Non semel enim hoc opere reiecto Augustino in aliorum Patrum se consedere sententiam prædicat. Itaque locus postulat, vt iam Augustini rationes expendamus: Prima est, quia si essent dirimenda matrimonia, contracta ab illis qui solemne castitatis votum emisissent, maximè esset, quod Virgines sacræ quæ illa iniissent, cum Christo prius contraxissent; hoc autem, inquit Augustinus, nullius momenti est, quia sequeretur vxorem viuente viro, non posse vouere castitatem Christo, si vouere castitatem sit matrimonium contrahere cum Christo: Nam consentiente etiam superstite viro non potest mulier contrahere matrimonium cum alio. Secunda est, quod cùm semper primum matrimonium sit maiori laude dignum quàm secundum, si qua mulier post mortem viri voueat castitatem Christo, plus laudis & meriti inerit in priore matrimonio quod contraxerat cum viro, quàm in posteriori quod contraxerit cum Christo. Tertia, quod illi qui hæc matrimonia abrumpunt ac dissoluunt imprudenter sunt in causa, vt maritus qui relictus est, segregata ab eo sacra virgine quæ ei nupserat, contrahat aliud matrimonium, quod superstite illa sua propria vxore legitimum esse non possit, ac proinde tota vita se adulterio incestare cogatur. His rationibus adductus contendit, quia verum adulterium hîc non intercedit, sed mysticum solùm, cùm inter virginem & Christum non sit aliud matrimonium quàm mysticum & spirituale, quo virginem in fide, spe, & charitate sibi desponsat Christus, propterea haud sequi irritum aut nullum esse coniugium post votum susceptum. Sed pace tanti viri, hæc subtiliora sunt quàm solidiora, & apparet eum in intimos recessus animi antiquorum Patrum non penetrasse: non enim illis ea causa est præcisa, vt vocant, cur votum solemne dirimat matrimonium, nimirum quod ipsum votum

Cap. 34.

sit

ſit genus quoddam ſpiritualis matrimonij, quamquam & hoc illuſtrandæ rei gratia vrgeant, & ſi ea eſſet fateremur omninò rectè argumentatum Auguſtinum, ſed eis alia cauſa eſt, nempè quod qui ſolemni ſe voto caſtitatis Deo obſtrinxerit, Deo per legitimum contractum corpus ſuum obligarit, poteſtatem ſui corporis ei tradiderit, & illam à ſe abalienauerit. Nec hoc eſt à nobis confictum, ſed ab ipſis Patribus traditum; vnde eſt illud Chryſoſtomi ad Theodorum lapſum: *Si militiæ*, inquit, *vincula non tenerent, quis tibi deſertoris crimen obiiceret? Nunc autem nihil in te penitus tui iuris eſt, quippe qui tanto Imperatori militare cœpiſti. Nam ſi mulier proprij corporis non habet poteſtatem, ſed vir: multò magis hi qui Chriſto potius quàm ſibi viuunt, ditionem corporis ſui habere non poſſunt.* Igitur traditione ea ſimul facta non eſt amplius ſui iuris, vt ſe alteri cuipiam mancipare, & in poteſtatem tradere poſſit; Etenim donatio prior impedit, atque irritam & inanem reddit donationem poſteriorem, ſicut & promiſſio prior poſteriorem. Hæc quidem Patres Auguſtino antiquiores exemplo coniugiorum, vt ſuprà monui, illuſtrant, in quibus videamus id quod poſterius eſt à priori euacuari, ſed in conditione promiſſorum eſt poſita iſtius rationis firmitas & robur, adeóque non eſt quod præciſa hic coniugiorum, ſed promiſſorum ratio ſpectetur. Itaque concidit illa moles rationum, quibus ſententiam ſuam fulcit magnus Pater. Et ſanè quod aſſumit nuptam Chriſtianam de conſenſu viri caſtitatem rectè omninò profiteri vt Chriſto nubat, planè verum eſt, vt & illud quod addit, nuptam quæ viro ſuo adhuc viuente alteri ſociatur, adulteram eſſe, ſed quod hinc colligit, proinde in illorum quos impugnat ſententia, nuptam Chriſtianam quæ de conſenſu viri Chriſto caſtitatem voueat, viro alteri nubere, ac idcirco adulteram eorum iudicio cenſeri debere, Auguſtinianum non eſt, & vt liberè dicam pace ſummi viri, à vero exorbitat. Namque, quod ſcio vidiſſe ipſum Auguſtinum, Chriſtus coniugatæ Chriſtianæ *vir alter* non eſt, cùm *vir alter* dicatur qui à primo viro ſecundus ſit; Et hoc ſenſu virum ſecundum, ſuperſtite primo, citra adulterij labem habere non poteſt. Chriſtus igitur, vt rectè obſeruant noſtri, cum maritis mortalibus non venit in numerum, vt comparatione & reſpectu ipſorum ſecundus maritus, aut alter vir nuptæ Chriſtianæ reputari poſſit, vir enim nuptæ Chriſtianæ eſt ipſe, non marito mortali oppoſitus, ſed vnà cum ipſo communis, nec matrimonium eius aut diſſoluit aut dirimit, atque propterea omnis nupta Chriſtiana Chriſtum ſponſum, vna cum viro mortali habere omninò tenetur. Non igitur nupta Chriſtiana quæ marito adnitente Chriſto ſe conſecrat, nouo ſe tradit marito, aut viro alteri, cui prius nupta non eſſet, ſed eidem viro immortali ſuo quàm cum viro mortali haberet, nubit. Non celebrat cum Chriſto nuptias, per quas tum primùm Chriſtus eius vir efficiatur, ſed per quas vir illius ſolus conſtituitur, qui antea cum viro mortali, vir etiam illius erat. Hoc quidem Auguſtinus vidit, ſed propoſito ſuo obſtare non aduertit, & propterea obrepſiſſe ſomnum, non immeritò iuris Canonici interpres dixerit: *Cùm primæ nuptiæ*, inquit, *maioris meriti ſint quàm ſecundæ, abſit vt ſanctarum viduarum iſte ſit ſenſus, vt Chriſtus eis videatur quaſi ſecundus maritus. Ipſum enim habebant & antea, quando viris ſuis fideliter ſeruiebant ſubditæ, non carnaliter, ſed ſpiritaliter virum: cui Eccleſia ipſa, cuius membra ſunt, coniunx eſt: quæ fidei, ſpei, charitatis integritate, non in ſolis virginibus ſanctis, ſed etiam in viduis, & coniugatis fidelibus, tota virgo eſt.* Vtamur igitur Auguſtini doctrina probatiſſima, contra Auguſtinum tantiſper ab orbita antiquitatis recedentem. Sancta vidua quæ poſt obitũ mariti

Chryſ. ad Theod. lapſum par. 2. Εἰ μὲν ἰδιώτης ἦν, οὐδὲν ἂν οὗτος ἀσφαλείας ἐκέρδανε· νυνὶ δὲ ἐπεὶ στρατεύεται τῷ βασιλεῖ πάντων δεσπότῃ, εἰ μὲν ἐγγαμὴ τῷ ἰδίου σώματος οὐκ ἐξουσιάζει, ἀλλ' ὁ ἀνὴρ· πολλῷ μᾶλλον οἱ τῷ Χριστῷ ζῶντες οὐκ ἂν εἶεν αὐτοὶ τοῦ σώματος αὐτῶν κύριοι.

De bono Vid. c. 10.

Chriſto caſtitatem vouet ac conſecrat, viro ſecundo, iudice Auguſtino, non nubit, igitur neque viro alteri nubit, namque ſi poſt primum alteri nubit, ſecundò nubit, & nuptiæ illius cum Chriſto alteræ & ſecundæ prorſus erunt. Igitur ſi vidua mortuo marito, iam Chriſto vouens caſtitatem viro alteri non nubat; cur nupta Chriſtiana quæ viro conſentiente caſtitatem vouet, viro alteri nubere cenſeatur? Si vidua ante mariti obitum, cùm eſſet ei fideliter ſubdita, Chriſtum tum quoque maritum habebat, ac propterea cum eo mortuo Chriſtum eligit, eique ſe deſpondet, alterum non eligat, alteri non nubat, cur nupta Chriſtiana viro fideliter ſubdita Chriſtũ tum maritum non habeat, vt cum poſtea annuente viro, totam ſe Chriſto tradit, non virum alterum eligat, ſed immortali viro, quẽ tum quoque haberet arctius ſe iungat ac perfectius nubat. Acutè igitur Apoſtolus ad adulterium, requirit, vt mulier viuente viro, non tantùm nubat, ſed & alteri viro nubat, quod quia non aduertit Auguſtinus, minus roboris putauit eſſe in veterum argumentis. Cæterùm vt ab Auguſtino recederemus, ſatis nobis eſſe debuit, quod in Auguſtino notauit Spalatenſis, *Auguſtinus*, inquit, *eos refellit* (profectò Baſilium, Hieronymum, Ambroſium, Chryſoſtomum,) *qui adulterium ponebant in his nuptiis, in quibus viuente Chriſto earum ſponſo alius ſponſus eligitur*: Atqui illi externum adulterium ponebant, quia votum ſolemne & publicum conſiderabant. Sed inſtat Spalatenſis; *Auguſtinus verò nihil obſtante hoc ſpirituali publico adulterio nuptias horum laudat*, (certè adulteriis peiores dicit) *& defendit* (tanquam ratas quidem, vt ille putat, ſed haud quamquam tanquã laude dignas. Hæc equidem victoriam nobis adiudicant ac aſſerunt. *Auguſtinus*, inquit, *profectò Baſilium, Hieronymum, Ambroſium, Chryſoſtomum refellit*, ergo in noſtra ſententia ſunt Baſilius, Hieronymus, Ambroſius, & Chryſoſtomus, quod tamen ſuprà abnuebat deſertor; ergo liberum nobis eſt Auguſtino, hæc Orientis & Occidentis lumina anteponere. Quid enim? annon in tantorum virorum condenſato agmine plus eſt roboris, quàm in vno etiam Hercule? Credo in illa æterna fœlicitate in illa beatorum luce, qua & ſua & noſtra errata videt & animaduertit, non ægrè fert Auguſtinus, hos ſibi anteferri, quorum nouerit ſententiam, Eccleſiæ, pro qua tot labores exantlarit, communi calculo iam probari. *Non recipio*, inquiebat ille, *quod pro baptiſandis hæreticis B. Cyprianus ſcripſit, quia non recipit illud Eccleſia, pro qua B. Cyprianus ſanguinem ſuum fudit.* Eius igitur modeſtiam, pietatem, ac in aſſerenda veritate libertatem imitantes, Neque nos recipimus quod pro validis Apoſtatarum nuptiis, contra reliquos ſui æui, aut etiam ſuperioris Patres ſenſit B. Auguſtinus, quia non recipit illud Eccleſia, pro qua ſanguinem fundere paratum fuiſſe Auguſtinum non dubitamus. Certè nullus eò aut doctius, aut neruoſius, quantum Eccleſiæ etiam contra priuatorum quorumcumque iudicia tribuendum eſſet, oſtendit vnquam, aut probauit. *Similiter etiam, ſi quid horum*, inquit Auguſtinus, *tota Dei per orbem frequentat Eccleſia. Nam hoc quin ita faciendum ſit diſputare, inſolentiſſimæ inſaniæ eſt, &c.* Obſeruet verò eruditus lector Spalatenſis inconſtantiam, qui cùm ſupra Baſilium, Ambroſium, Hieronymum, Chryſoſtomum pro ſententia quæ votifragis faueret adduxerit, nunc eoſdem Patres ab Auguſtino confutatos dicat, qui ſcilicet contra eos ſentiat, valida eſſe poſt ſolemne votum inita matrimonia.

1. Cor. 7.

Spalat. Num. 30.

Baſil. ſup. num. 18. Hier. infr. num. 42. Ambr. ibid. Chr. ibid.

Aug. epiſt. 118.

Quo te teneam vultus mutantem Protea nodo.

Sed vt quàm à ſui ſæculi communi doctrina receſſerit in hac quæſtione ſummo vir.

vir ingenio omnibus ſit exploratum, lubet Concilij quarti Carthaginienſis, cui Auguſtinus interfuit, de ea re teſtimonium proferre. *Sicut, inquit, bonum eſt caſtitatis præmium, ita & maiori obſeruantia, & præceptione cuſtodiendum eſt, vt ſi quæ viduæ, quantumlibet adhuc in minoribus annis poſitæ, & matura ætate, à viro relictæ, ſe deuouerint Domino, & veſte laïcali abiecta, ſub teſtimonio Epiſcopi & Eccleſiæ religioſo habitu apparuerint, poſtea verò ad nuptias ſæculares tranſierint, ſecundum Apoſtolum, damnationem habebunt, quoniam fidem caſtitatis, quam Domino vouerunt, irritam facere niſæ ſunt. Tales ergo perſonæ ſine Chriſtianorum cõmunione maneant, quæ etiam nec in conuiuio cum Chriſtianis communicent. Nam ſi adulteræ coniuges reatu ſunt viris ſuis obnoxiæ, quantò magis viduæ, quæ religioſitatem mutauerunt, crimine adulterij notabuntur, ſi deuotionem quam Deo ſpontè, non coactæ, obtulerunt, libidinoſa corruperint voluptate, atque ad ſæculares nuptias tranſitum fecerint? Quæ etſi violentia irruente, ab aliquo præreptæ fuerint, ac poſtea delectatione carnis, atque libidinis permanere in coniugio, raptori vel violento viro conſenſerint, damnationi ſuperiùs comprehenſæ tenebuntur obnoxiæ. De talibus* Cõc. Carr. 4. c. 104. 1. Tim. 5. *ait Apoſtolus: Cùm luxuriatæ fuerint, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Certè ſenſiſſe Patres irritas eſſe huiuſmodi nuptias ex eo oſtenditur, quod aſſeuerét viduas quæ aſſumpto religioſo habitu ſe Domino deuouerant, ſi poſtea ad nuptias ſæculares tranſierint, adulterij crimine teneri, & quidem magis quàm mulieres coniugatas, quæ à viris ſuis adulteratæ fuerunt. Quantumuis igitur conſtet ſibi Auguſtinus, & non ſemel hîc ſuum dogma repetat, negare non poteſt Spalatenſis, à recepta doctrina deflexiſſe, vt ſingularem ſententiam aſtrueret. Quamquam nego locum ex libro de ſancta virginitate adductum, de ſolemni voto eſſe intelligendum. Verba Auguſtini ſunt ad locũ Apoſtoli, *Cùm autem luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, Nec tamen ait nubunt, ſed nubere volunt. Multas enim earum reuocat à nubendo, non amor præclari propoſiti, ſed aperti dedecoris timor, veniens & ipſe à ſuperbia, qua formidatur magis hominibus diſplicere, quàm Deo. Hæ igitur quæ nubere volunt, & ideo non nubunt, quia impunè non poſſunt, quæ melius nuberent quàm verentur.* Excipit Spalatenſis. *Ac ne fruſtra ad votum ſimplex ſe etiam hîc recipiat Bellarminus; audiat quid ſtatim ſubdat Auguſtinus: id eſt, inquit, quam occulta flamma concupiſcentiæ in ipſa concupiſcentia vaſtarentur, quas pœnitet profeßionis, & piget confeßionis. In ſimplici & priuato voto ego profeßionem non inuenio, neque Eccleſia punit eas, quæ cum ſimplici & priuato voto nubunt: iſtæ verò non nubebant, quia ab officio Diaconiſſarum amouebantur, vt ſupra vidimus. Patet itaque Auguſtinum, quod ego ſuprà conſiderabam, duas formalitates in vno actu diſtinguere, quando poſt votum initur matrimonium; vnam negatiuam; alteram poſitiuam; negatiuam eſſe, nolle in propoſito & promiſſo perſeuerare, ſed reſpuere continentiam, per voluntatem duntaxat, qua illæ nubere volunt: Poſitiuam verò eſſe matrimonij contractionem: In priorique ſola conſiſtere malum, & peccatum: poſteriorem verò bonam eſſe, & in ſe nec malum nec peccatum continere. Vnde & aliis locis, quoties excipiendum ei fuit, licitas eſſe cuiuſcumque nuptias & bonas, niſi continentiam vouerit, ſemper peccatum poſuit in illa voluntatis mutatione; non in contractu nuptiarum.* Fallitur deſertor, non omnes virgines caſtitatem profeſſæ, voto ſe ſolemni conſtringebant, ſed quædam ita promittebant continentiam, vt tamen ſeipſas non traderent cum effectu ad continentiam, propterea Innocentius ſimiles facit contrahentibus ſponſalia, in quibus promiſſio tantùm fit traditionis corporis; Aliæ verò per veli aut habitus vir-

Num. 31. 1. Tim. 5. Aug. lib. de ſanct. Virg. cap. 34. Ibidem. Bellarm. de Mon. lib. 2. ca. 34.

Digitized by Google

ginalis, vel viduitatis, aut monastici de manu Episcopi susceptionem, non solùm continentiam promittebant, sed concepto voto seipsas abdicabant, & in Dei possessionem ac obsequium tradebant, quas idcirco rectè similes dixerimus matrimonium per verba de præsenti contrahentibus, qui scilicet hinc inde tradunt corpora, eorumque potestatem inuicem faciunt. Igitur quæ priori modo castitatem essent professæ, vtcumque lege voti tenerentur, ac enormiter peccarent, si ad nuptias conuolarent, tamen ratæ censebantur earum nuptiæ, ac de his proculdubiò illo loco loquutus est Augustinus: quæ verò de manu Episcopi velo accepto castitatem professæ essent, illæ non solùm peccare nubendo censebantur, sed & eorum matrimonia irrita ac nulla à sapientissimis Patribus iudicabatur. Ratio autem huius doctrinæ ex natura votorum desumitur, qui enim rem suam promittit, non propterea continuò eius se dominio abdicat; Atqui votum simplex tantùm promissionis seu sponsionis rationem habet, vt supra monui: Itaque etsi qui simplex votum emisit continétię perpetuę, quod prioris generis virgines faciebant, sit obligatus ad reddendum Deo quod est ei pollicitus, si tamen reipsa postmodum, in aliã sui corporis potestatem transferat, rata est donatio, perinde etsi quis post sponsalia cum quadam inita, postea cum alia matrimonium, contrahat. Ratum enim censetur hoc matrimonium, & illa sponsalia omnino soluuntur ac concidunt. At verò qui non solùm promisit, sed rem suam, adeóque seipsum in ius, & mancipatum Dei tradidit, ea traditione facta, deinceps non est sui iuris, vt se alteri cuipiam tradere possit, cùm *donatio prior* (vt suprà quoque monui) impediat *posteriorem*, sicut promissio prior posteriorem: Quare quæ sic vouissent ac castitatem professæ fuissent, ab omni coniugij spe arcebantur, itaut si conculcato ac pessundato vitæ virginalis proposito nuptias inirent, *adulteræ*, *incestæ*, *sacrilegæ*, ac perpetuo peccato obnoxiæ censerentur, nisi fortè resilirent, & repudiato adulterio pœnitérent; At hanc sententiam constantissimè defendunt Patres, quos impugnandos susceperat Augustinus. Quæret autem fortasse aliquis, cur à recepta Patrum sententia recesserit Augustinus, omnium Scriptorum qui vnquam fuerunt modestissimus? Nos igitur hac ratione adductum putamus, quod cùm totus esset in refellendis Manichæis qui nuptias damnarent, vereretur homo acutissimus, ne si votifragorum matrimonia damnaret, ansam arriperent importunissimi aduersarij, nuptias suggillandi, ac eis detrahendi. Pergit verò Spalatensis, ac quæ de voto solemni tradidit Bellarminus, conuellere nititur. Doctrina Bellarmini est; *Conuenit, inquit, inter Theologos, matrimonium post votum simplex continentiæ illicitum quidem esse, tamen ratum nec dirimendum: post votum solemne nullum esse: sic Innocentius, Gelasius, Concilium Toletanum primum. Vtrum autem post solemne votum nullum sit matrimonium iure diuino & naturali, an solùm iure Ecclesiastico, quæstio est. Nam Albertus, B. Thomas, B. Bonauentura, Richardus & Durandus, ac Dominicus à Soto volunt iure diuino ac naturali matrimonium nullum esse, si post votum solemne contrahatur. Atque hi dicerent S. Augustinum de voto simplici tantùm esse loquutum, non de solemni; vt etiam S. Hieronymum in ep. 47. Contrà verò S. Basilium in lib. de virgin. & Chrysost. in ep. 6. ad Theodorum de voto solemni.* Contra eos qui iure diuino votum solemne nullam admittere condonationem, aut dispensationem vt matrimonio soluatur contendunt, hoc modo argumentatur Spalatensis:

SPALAT. Num. 33. Bellar. de Mon. l. 2. c. 34. & de matrim. lib. 1. cap. 21.

Videndum,

Digitized by Google

Vi dendum, inquit, *tamen est, an sit eis integrum ita dicere. Ego enim iam probaui, & Hieronymum & Augustinum, de quocunque voto loqui, etiam solemni : & Basilium nuptias admisisse post votum solemne, ac in ea parte qua videtur eas negare, illum fuisse egregiè ab Augustino confutatum. Chrysostomum quoque ostendi, nuptias post votum etiam solemne approbasse, de quo infrà. Hi igitur qui votum solemne faciunt, iure diuino naturali matrimonium excludere, doctrinam nouam & inauditam, & Apostolo, atque SS. Patribus contrariam inuehunt, atque propterea non sunt audiendi, sed penitùs explodendi : à nobis præsertim qui ex meliorum sententia hoc impedimentum voti solennis facimus per Papam dispensabile.* Spalat. Num. 33. Ego verò existimo nihil posse dici inconstantius. Supra enim vidimus contraria Basilio, Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, iudicio Spalatensis sensisse Augustinum, adeóque eos refellendos suscepisse, & tamen hîc dicit se probasse Hieronymum, Chrysostomum, adeóque Basilium consentanea Augustino docuisse? Quis dubitet esse has malè affecti cerebri vertigines? Quod autem addit eos *qui votum solemne faciunt, iure diuino naturali matrimonium excludere, doctrinam nouam & inauditam, & Apostolo atque SS. Patribus contrariam inuehere*, Ibidem. est rursus vanissimũ hominis commentum non *tepidè aut trepidè*, sed vehementissimè & audacissimè mentientis. Cæterùm quàm *tepidè & trepidè*, adeóque rursus inconstanter de Basilio, Ambrosio, Hieronymo, ac Chrysostomo loquatur, iudicet lector. *Cæterùm simul cum Basilio, & Ambrosium, & Hieronymũ, & Chrysostomum, si quis eos velit matrimonia hæc irrita censuisse, quod non credo, Augustinus satis superque confutauit; quorum illas exaggerationes in quantum matrimonio post votum inito præiudicium generant, non suggillauit modò, sed abundè etiam neque audiendos in hoc, neque sequendos esse conuicit.* Spalat. Num. 42. Chrys. ep. 6. ad Theo. Monach. Potuitne igitur aliquid trepidantius, aut etiam inconstantius à tepido Oratore dici? Iam aduersum eos qui solo iure Ecclesiastico matrimonium irritum esse, quod post votum solemne contrahunt, sic colligit. *Non ergo votum vt votum*, inquit, *sed præceptum Ecclesiæ ne vouentes contrahant, facit irrita matrimonia. Quorsum igitur nos torquent, vt voto solenni dirimi matrimonia credamus, si id se probaturos iam diffidunt, imò si & Patrum authoritate, & ipso iure diuino constet contrarium?* Spalat. Num. 34. Sed sunt hæc stultitiæ plena, namque vt probabilis sit hæc sententia contraria, tamen firmioribus rationibus vtitur, eamque defendit Scholæ Princeps Aquinas, qui etiam addit quosdam iuris interpretes ignoranter contrarium dicere, cùm docent Papam *ex Monacho non Monachum posse facere.* D. Tho. 22. q. 88. art. 11. Adeat eum qui velit. Cæterùm ius diuinum & Patres ostentat quidem aduersarius, sed eum probationes deficiunt. Certè posteriora Ecclesiæ decreta ius diuinum spirant, & ex antiquiorum Canonum, vt ita dicam, visceribus illa eruerunt Pontifices, vt infrà docebo. Vtrum verò Ecclesia *suo solo præcepto positiuo*, vt loquitur Spalatensis, *potuerit personas alioquin ex se habiles, iure diuino naturali, ad contrahendum inhabilitare, ita vt si contrahant matrimonium nullum sit*, alio loco explicandum erit, quia eius rei tractationem in suum quintum librum reiicit aduersarius; sed quia pergit docere in Ecclesia post votum solemne nuptias integras constitisse, eius nobis premenda sunt vestigia. *Theodorus*, inquit, *in pœnitentiali sic docet, Si vir votum virginitatis habens adiungitur vxori; postea non dimittat vxorem, sed tribus annis pœniteat. Neque confugias ad votum simplex (quod verbum ex suo addidit corruptor Gratianus) quia votum simplex ad forum externum non deducitur. Et sanè Theodorus, si de simplici voto hæc protulit, cur non monuit contrarium de solemni?* Spalat. Num. 35. Dist. 27. c. si vir.

Sua hîc ſomnia narrat. Eum ſcilicet monuerunt Correctores decreti, vocem *ſimplex* abeſſe ab omnibus manuſcriptis, is verò exiſtimat de *Pœnitentiali Theodori* loquutos, cùm tamen proculdubio de Decreti manuſcriptis exemplaribus, à quibus vox illa abeſſet, ſint loquuti, vt quod attinet ad hunc locum ſua fides Gratiano conſtet, quem ille tamen *corruptorem* hic quoque indigitat. Certè etiã ſi vox *ſimplex* à Theodori libro abſit, Corruptor non eſt Gratianus ſi veritati ſtetur, cùm nonniſi de ſimplici voto eius verba intelligi debeant, aut poſſint. Sed iam expendenda ſunt Conciliorum verba; *In conciliis*, inquit Spalatenſis, *idem quoque reperies. Ancyranum ſic habet: Quotquot virginitatem pollicitam præuaricati ſunt, profeſſione contempta, inter bigamos habeantur. Bigamos facit, propter duplex coniugium, alterum ſpirituale, voti ſeu dedicationis perſonæ ad cultum diuinum: alterum carnale matrimonij, poſt votum initi. Quod ſi non eſſet verum & legitimum matrimonium, ad bigamiam reduci non poſſet. Nam ſi millies, cum mille ſcortis vel adulteris forniceris, bigamiæ irregularitatem nunquam contrahes. Non ergo ſcortationem, ſed coniugalem copulam conſiderabat hoc Concilium, vbi poſt virginitatis profeſſionem fit præuaricatio, nempè vbi fracto voto, nuptiæ eliguntur: hanc ergo & non aliam præuaricationem bigamiæ pœna ſignificat.* Quàm eſt acutus hic diſputator! Sed illum præterit eum qui non ſit bis verè nuptus, poſſe bigamum eſſe *æſtimatione* ſcilicet *iuris*, cùm tamen cuiuis de triuio ſit exploratũ; adeat iuris Canonici interpretes. Sanè qui prima vxore viuente ſecundam ducit, eſto ſecundum matrimonium nullum ſit, tamen inter digamos cenſetur; Et ſunt ſexcenta huiuſmodi exempla, vt mirum ſit tantum Magiſtrum in Iſraël, hæc fugiſſe, ſcilicet & in digamia etiam ſpectatur affectus intentionis cum opere ſubſequuto, quia ſcilicet quantum, verbi gratia, in præuaricatore virginitatis fuit, mulierem ſibi coniunxit vxorem, vt cumque prohibente voto non potuerit verum matrimonium inire. Aliter hunc locum accepit Balſamon, ac hîc virgines intellexit, non viros aut fœminas qui mundo renunciaſſent, & vitam monaſticã elegiſſent, adeóque voto ſolemni ſe ei mancipaſſent, ſed alios quoſdam cũ laico habitu ad Deum accedentes, & virginitatem profitentes. *Qui enim*, inquit, *vitam monaſticam elegerunt ſuam Deo profeſſionem irritam facientes, & ſe matrimonio coniungentes, digamorum pœnis non ſubiicientur: ſed diuulſo & ſeparato matrimonio, vt quod non poſſit conſiſtere, valdè punientur: & monaſterio in quo tonſi ſunt, tradentur, ſicut in aliis Canonibus diximus.* Sed & bonam eſſe iudico primam ſolutionem, ac omninò cum iure Canonico conſentientem. Sequitur Concilium Valentinum. *Valentinum*, inquit, *ſub Damaſo: De puellis quæ ſe Deo vouerunt, ſi ad terrenas nuptias ſponte tranſierint, id cuſtodiendum eſſe decreuimus, vt pœnitentia his non ſtatim detur; & cùm data tamen fuerit, niſi plenè ſatisfecerint Deo, in quantum ratio popoſcerit, earundem communio differatur. Vel ergo iſtæ ſeparârunt ſe ſtatim à maritis ſuſceptis, quando petunt pœnitentiam; vel non: ſi ſe ſeparârunt, cur non detur eis ſtatim pœnitentia? Si non ſe ſeparârunt; cur ſi non ſtatim, tamen poſtea danda permittitur? Quia videlicet matrimoniũ tenet; & ideo prius pro peccato fracti voti debent remoueri à ſacris; poſtea admiſſæ ad pœnitentiã ita cõiugatæ, ſacris reſtitui. De ſeparatione igitur & caſſatione matrimonij etiã hîc ne verbũ quidem.* Reſpõdeo mentẽ Concilij eſſe ſacratis virginibus, quæ ſe illegitimis nuptiis inceſtarint, haud ſtatim ac ſeparari velle dixerint, fidem habendã, aut pœnitentiam imponendã, ſi tamen ex ſola ſpe, atque promiſſione ſeparationis mitius cum eis actum ſit, & impoſita pœnitentia, differendam tamen communionem donec plenè ſatisfecerint,

Cita. 27. q. 1. Can. Si quis votũ.

Spalat. Num. 36. Conc. Ancyr. c. 18.

Gloſſa ad cap. ſuper eo ad Tit. de Bigam. Item c. 27. q. 1. Can. quotquot.

Balſam. in Conc. Ancyran. Can. 19.

Οἱ γὰρ τὴν μονήρη βίον ὁπλεξάμενοι, εἶτα τῆς τοῦ θεοῦ διὰ ὁμολογίας αὐτῶν, καὶ γάμους ἀσεβοῦντες λοιπὸν, καὶ ὁπηνίκα δηλήμων καθυποκλίνονται, ἀλλὰ διασπῶσθαι τὸ γάμος οὐ δύνανται, μεγάλως κολασθήσονται, καθὼς καὶ ἡ τῶν ἁγίων διαφώνησις κρίσιν ὑπέμεινε.

Conc. Val. c. 2.

fecerint, hoc est reipsa se ab eis quas duxissent segregauerint, fauerentne ista votifragis mi Antoni? *Chalcedonense*: *Virginem*, inquit, *quæ se Domino Deo consecrauit, similiter & Monachum, non licere nuptialia iura contrahere, decernit. Quod si hoc inuenti fuerint perpetrantes, excommunicentur. Confitentibus autem, decreuimus, vt habeat authoritatem eiusdem loci Episcopus, misericordiam humanitatemque largiri. Hoc est*, inquit Spalatensis, *confitentibus se peccasse, tollat ab eis excommunicationem, & patiatur eos sine illa suo frui matrimonio. Non enim ponit conditionem vllam separationis: & apertè vocat nuptias: fornicaria verò coniunctio non potest, in publico generali Concilio nuptiarum nomine honestari.* Atqui falsa est violenta, & à mente Concilij prorsus aliena hæc interpretatio; Etsi enim de separatione nihil sit expressè dictum, à magna Synodo, tamen moderationem pœnæ Episcopo permissam eò non retulit, vt potestatem ei faceret cohabitationem lapsis concedendi ac condonandi, sed tantummodo excommunicationis extensionem vel diminutionem Episcopo attribuit, vt de ea statuere ei liceret. Cæterùm segregandos eos duxisse sanctum Concilium, Balsamon ex iure Græcorum ad eum Canonem omnino contendit, atque omninò vult in permissione examinis Episcopo facta id comprehendi. *Lege*, inquit Balsamon, *& librum xxviij. tit. vj. cap. j. in quo decernitur non solùm separari illicitas nuptias, vt pote cum cognata, eásque quæ præter legum præcepta fiunt, vt cum ea cuius is qui ipsam ducit, tutelam gerit: & nefarias seu damnatas, eius scilicet quæ Deo dedicata est: sed & eos qui contraxerunt, publicari & segregari, & si sint humilis loci, etiam flagellis cædi. Quamobrem non solùm fiet quod iubet nouella, sed etiam pœnæ consequantur.* An igitur censet Spalatensis hoc hominis à fide Romana alieniſſimi iudicium pro sceleſtis votifragorum nuptiis facere? At, inquit, Concilium apertè vocat nuptias. Falsum falsissimum eius verba hoc solùm dicunt non licere Virgini Deo consecratæ, aut Monachos nuptialia iura contrahere, respexitque ad connubiorum morem, quem suo sceleri prætexerent Apostatæ, vt scilicet se longè à pellicatu abesse mentirentur. Certè potuit Concilium dixisse, non licere nuptæ Christianæ repudiatæ superstite viro, cum altero viro, nuptialia iura contrahere, an igitur rectè hinc colligeretur, verum matrimonium fore? Patres verò Triburienses de tollendo anathemate, si illi ad pœnitentiam venerint, & à malè contracto matrimonio discesserint Chalcedonensem Canonem intellexisse, quod existimat Bellarminus, omninò colligitur ex verbis vigesimi tertij decreti: Namque postquam citassent Gelasium, Concilium Chalcedonense, ac Siricium subiunxerunt, *vnde verbo Domini & Canonica authoritate in hac sancta Synodo præcipimus, vt omninò separentur, & iuramento alligentur, vlterius sub vno cohabitare tecto, &c.* Veniamus ad Synodum Aurelianensem primam. *Concilium Aurelianense primum*; inquit Spalatensis, *Monachus, inquit, in Monasterio conuersus, si pellici postea, vel vxori fuerit sociatus tantæ præuaricationis reus, nunquam Ecclesiastici gradus officium sortiatur. Audis Monachum posse & pellici, & vxori sociari: & Concilium distinguit vxorem Monachi ab eiusdem pellice. Si igitur matrimonium post professionem esset nullum; semper pellex esset, & nunquam vxor illa cui Monachus societur: neque agitur de separatione, sed sola pœna inhabilitationis iniungitur.* Potest scilicet Monachus ita se fœminæ sociare, vt nequidem connubij imaginem præ se ferat copula qua se incestat. Potest & connubiũ vocare, vt culpam prætexat; Priore modo si fœminæ societur pellex & scortum, re ac nomine illa censetur,

Cõc. Chalced c.16. Dist.27.c. si qua Virg. Παρθένον ἑαυτὴν ἁγιάσασαν τῷ δεσπότῃ Θεῷ ὡσαύτως δὲ καὶ μοναχὸν μὴ ἐξεῖναι γάμου ἀρχαιρεσιῶν ἐπιτελεῖν· εἰ δέ τις εὑρεθείη τοῦτο ποιῶν, ἐκκόπτεσθαι αὐτοὺς ἐκκλησιῶν. ἐπιτρέπομεν δὲ ἔχειν τὸ ἀφορισθῆναι καὶ ἐπ' αὐτοῖς φιλανθρωπίαν καὶ τοῦτον ἐπιτρέπειν.

Spalat. Num. 37. Balsam in Syn. Chalced. Can.16. Ἀπέχεσθαι καὶ βιβλίων· πίναξ· κεφ. ἁ. διορίζομεν, ἵνα τὴν μὴ συζήσεις καὶ τὴν παρανόμως, ἵνα τὴν ἐπιτροπευομένης, &c.

Conc. Tribur. c. 23. p. 2. 3. tom. conc.

Spalat. Num. 37. Conc. Aurel. 1. c. 23.

Posteriore vtcumque pellex sit, tamen similitudinem vxoris habet, atque vt à scortò distinguatur, vxor vocatur, sed specie & nomine, non reipsa, aut effectu. Itaque Concilium duos illos modos scortationis Monachorũ respexit, & vxoris nomine gaudentem ab ea quæ meretriciũ profitetur nomine distinxit. Cæterũ vtramque scortationẽ & cum professo scorto, & cum putatiua illa vxore grande nefas, reputat, & Monachum siue scortantem, siue nuptias ostentantẽ tantæ prævaricationis reum facit, & ad gradum Ecclesiasticum nunquam admitti debere censet. Succedit Matisconense: *Matisconense primum*, inquit Spalat. *de puellis iam professis & consecratis, si qua ad coniugium transgredi præsumpserit, statuit vt vsque ad exitum cum marito communione priuetur. Quod si pœnitentia ducti se sequestrauerint, mitius Episcopus citra communionem negatam cum eis agat. Relinquuntur in matrimonio vsque ad exitum; nec separántur, nisi de consensu sponte se sequestrauerint. Communione tamen priuantur in pœnam fracti voti; quæ non est excommunicatio propriè.* Integrum Canonem proferre debuit Spalatensis: Sic enim habet. *De puellis verò, quæ se Deo vouerint, & præclaræ decore ætatis, ad terrenas nuptias transierint, id constituendum esse decreuimus, vt si qua puella voluntariè, aut parentibus suis rogantibus religionem professa, vel benedictionem fuerit consequuta, & postea ad coniugium, aut illecebras seculi (quod potiùs stuprum est, quàm coniugium iudicandum) transgredi præsumpserit, vsque ad exitum cum ipso qui se huiusmodi consortio miscuerit, communione priuetur. Quod si pœnitentia ducti se sequestrauerint, quandiu Episcopo loci illius visum fuerit, à communionis gratia suspendantur: ita tamen vt propter infirmitatem, aut subitaneum transitum vitæ communio illis (miserationis intuitu) non negetur.* Quis igitur non videat Spalatensem se suo gladio iugulare, *Potius*, inquit Conc. de Apostatarum connubio, *stuprum est, quàm coniugium iudicandum.* Hoc igitur dit non Apostatarum nuptias defendere, sed damnare. Sequestrationem etiam exigit Concilium, vt ad Ecclesiasticam communionem admittantur, proculdubio igitur impium fœdus pro coniugio non habet. Sed iam se si superis placet Romanorum Pontificum iudicio tuetur.

Conc. Matisconense primum Cap. 12.

Cap. 12.

Romani etiam Pontifices prisci, inquit Spalatensis, *nuptias post votum professionemque castitatis, approbarunt, aut saltem nunquam, tanquam nullas, & irritas reprobarunt.* Primum profert Innocentium, quo scilicet iudice triumphamus, *Innocentius primus*, inquit, *Moniales professas, & velatas si publicè nupserint, vel se clanculò corruperint, statuit non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se iunxerant, de seculo decesserit.* Sed vt de mente Innocentij cõstet, lubet eam integrã proferre. *Quæ Christo*, inquit, *spiritualiter nupserunt, & velari à Sacerdote meruerunt, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculò corruperint, admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se iunxerant, de sæculo decesserit. Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, vt quæcunque viuente viro, alteri nupserit, habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi vnus ex eis defunctus fuerit; quantò magis de illa tenenda est, quæ antè immortali se sponso coniunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigrauit? Hæc verò quæ necdum sacro velamine tecta, tamen in proposito virginali semper se manere promiserant, licet velatæ non sint, si fortè nupserint, his agenda aliquando tempore pœnitentia est, quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui, quantò magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigerunt, solui sine*

Spalat. Num. 38. Innoc. 1. ep. 1. §. 12. 13. habetur 27. q. 1. c. 10. 9.

Inno. ep. 2. ad Victric. c. 12. & 13.

vindicta

vindicta non debet? Nam si Apostolus Paulus, quæ à proposito viduitatis discesserant, dixit eas habere condemnationem, quia primam fidem irritam fecerunt: quantò magis virgines, quæ pactionis suæ fidem minimè seruauerunt? Hæc itaque regula, frater charissime, si plena vigilantia fuerit ab omnibus Dei Sacerdotibus obseruata, cessabit ambitio, dissentio conquiescet, hæreses & schismata nõ emergent, &c. Distinguit apertè Innocentius inter votum simplex & solemne, ac dicit eam quæ sacrum velum acceperit, admitti ad pœnitentiam, donec vixerit is cui se coniunxit, non posse, quomodo non admitteretur, quæ viuente viro se alij viro coniunxisset, secus autem de ea quæ sacrum velum non acceperit; Possuntne apertius Apostatarum quos fouet, & pro quibus dimicat Spalat. scelestæ nuptiæ damnari? *At*, inquit, *Innocentius statuit Moniales professas, quæ post susceptum velum nupsissent, non esse admittendas ad pœnitentiam agendam, nisi is cui se iunxerant de sæculo decesserit. Cur potius non dixit, nisi se ab illo separauerint? Imò cur potius non præcipit, eas omninò vel inuitas debere à talibus viris, tanquam adulteris separari?* Eod. nu. 38. Respondeo satis innuisse Innocentium debere omninò eas separari, ac segregari ab iis quos duxissent, negata illis quacunque ratione communione Ecclesiastica, nisi morte præreptis, quibus nupsissent. Propterea verò est illa clausula addita, *quod superstite ac viuente viro cui se virgo coniunxit, nisi ab eo discedat, perpetuo adulterio implicita remaneat*, valet ad eam rem illustrandam exemplum quo vtitur Innocentius. Sicut, inquit, (is enim eius sensus est, non quem somniat Spalatensis,) vxor quæ relicto primo viro ac coniugij pacto violato, secundò nubit, non est capax pœnitentiæ, nisi altero illorum, viro, vel adultero mortuo: tunc enim legitimè pœnitere potest, adultero quidem defuncto, sublato per mortem eius statu peccandi, viro verò legitimo mortuo, libertate ei oblata cum adultero contrahẽdi si velit, aut etiam si lubeat discedendi ab eo, sic virgo professa, si vir cum quo scortatur, satis concedat, agere pœnitentiam omnino potest, sed eo viuente non potest, nisi separetur. Æquissimum verò esse hoc Pontificis decretum, quod tamen reliqui sectarij suggillant, hinc ostendi potest, quod iusto iustius sit, in Ecclesia, non absolui eos qui in peccato perseuerant. Insulsè verò prorsus hæc ad pœnitentiam publicam refert, quam ob scandalum negauerit Pontifex, concessa priuata quæ eluendæ maculæ fracti voti sufficeret. Omnem enim omnino pœnitẽtiam, quæ communione sanciretur virgini lapsæ donec ab adultero discesserit, negauit magnus Pontifex. Cæterùm quàm trepidanter de his statuat Spalatensis, à conscientia vexatus facilè aduerterit, quisquis in putidos centones oculos conuerterit. Scandalo futuram absolutionem si lapsis concederetur agnoscit, perpetui adulterij veluti reas facit, nefas morte adulteri piandum prædicat, violatam castitatis professionem: tantùmmodo fateri renuit (quod clarissimè significasse Innocentium omnes vident) nuptias Apostatarum irritas ac nullas esse: Igitur ad Augustinum confugit, à quo tamen præsidium, vt suprà ostendimus, ducere non possit. Omnium autem ineptissimè, quod de virginibus sacro velamine, nusquam ab Episcopo tectis dixit Innocentius, ad virgines castitatem solemniter professas traxit; Siquidem seculo Innocentij, non alias pro virginibus professis habitas, quàm quæ velum de manu Episcopi accepissent, vel pueris est exploratum; Et quæ de velo virgini post professionem dato ex decreto Gratiani refert, ad velum professionis non pertinent, vt suprà est quoqueà nobis probatum. De Bachiario eius, vt ferunt, æquali aliquid garrit. *Eodem tempore*, inquit, *Bachiarius suum de recipiendis lapsis ad Ianuarium* Bibl. SS. Pa. tom. 3.

ſcripſit tractatum; in quo licet ſumma contentione hortetur Monachum quendam, qui Monialem corruperat, & abduxerat, ad pœnitentiam: aderant tamen aliqui, qui matrimonio vt copularentur, ſuadebant: neque negat Bachiarius, futurum fuiſſe matrimonium, verumque coniugium; ſed vrget in ſacro propoſito vitæ Monachalis perſeuerantiam, cum vtriuſque pœnitentia. Miror hominis ſtupiditatem, qui non aduerterit Bachiarium, non ſolùm turpes ac infames nuptias damnaſſe, verùm etiam nulla ratione conſtare eas poſſe, pronunciaſſe. Hæc ſcilicet ſunt Bachiarij inclamantis, & ad priorem ſtatum, lapſum Monachum reuocantis. *Tu*

Bachiar. ad Ianua. de recipiendis lapſis epiſt.

tamen, inquit, *frater nequaquam ſcelerato acquieſcas impudicoque coniugio, cuius iram* (audiſne) *ſuſtentare non poteris, quinimo & illa quam tibi fecit ſceleris culpa conſortem, reuertatur ad virum ſuum.* An non hæc, æternum in turpibus nuptiis diuortium ſuadent; Pluribus ſcilicet inuehitur pius Pater in adulterium admiſſum, cuius vlcus nonniſi reuerſa ad priorem virum adultera ſanari poſſit. Sed &

Ibid.

hoc optimo argumento eum premit: *Coniugium*, inquit, *religioſi nominis vocabulum eſt, quoniã Deo authore conceſſum eſt. Ecce honeſtus coniugiis Apoſtolus clamat, habentes tanquam non habentes: & quis dicit; adulter habeat, vtatur, & exerceat?*

1. Cor. 7.

Sed video, ad quid, ſe, pro ſui defenſione conuertat: Scriptum eſt enim, inquit, me-

1. Cor. 7.

lius eſt nubere, quàm vri. Hoc de virgine dictum eſt, vel vidua: iſta iam virgo non eſt: tunc vrebatur & nupſit, nunc iam refrigeratur vt viuat. Virgo non eſt, quia corrupta eſt, vidua non eſt, quia eius vir viuit in æternum. Vt quid ergo ei nuptias ſuadetis? Vis ſcire quæ ſit Apoſtolica ſententia de hoc errore? Ait in epiſtola ſua: Omnino auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes quidem, ita vt vxorem Patris quis habuerit. Ecce quiddam factum ſimile: vxor Patris erat hæc iuuencula quæ deliquit; illius Patris qui nos genuit in verbo veritatis. Tunc, credo, ei in coniugium copulata eſt, quando ſecundum exemplum Rebeccæ, ad Iſaac de Meſopotamia venientis, pallium quo velaretur caput, accepit. De hoc facto Apoſtolus dicit: Dedi huiuſmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus fiat. Nunquid dixit; Iuſſi vt ei quam corruperat nubat? Sed; Dedi eum Sathanæ in interitum carnis: Sathanas enim interpretatur contrarius, per quod, credo, ſignificat, vt quicquid contrarium delitiis, quicquid contrarium voluntati eſt: totum caro ſentiat quæ deliquit, vt ſpiritus ſaluus fiat in diem Domini noſtri Ieſu Chriſti. Non erat certè, quod Bachiariũ pro nuptiis Apoſtatarũ proferret, qui eas ſtupra, adulteria, incæſtus, vocarit; ſed vbique prævaricatorem agit. Veniamus ad Leo-

Spalat. Num. 39. Leo epi. 95.

nem. *Leo*, ait Spal. *Monachum qui relicta ſingularitatis profeßione, ad militiam, vel ad nuptias deuolutus ſit, publicæ pœnitentiæ ſubijcit, ſatisfactione purgandum; Quia, inquit, etſi innocens militia, & honeſtum poteſt eſſe coniugium, electionem tanquam meliorum deſeruiſſe, tranſgreßio eſt. Non imponit*, inquit, *ei reditum ad Monaſterium; neque ab vxore ſeparationem; ſed ſolam pœnitentiam ſalutarem, propter peccatum ſui propoſiti tranſgreßionis: & honeſtum illius vocat matrimonium. Conſentit profectò Leo doctrinæ Auguſtini, ac pergit ſic; Puellæ quæ non coactæ parentum imperio; ſed ſponte ex iudicio virginitatis propoſitum, atque habitum ſuſceperunt, ſi poſtea nuptias eligunt, prævaricantur: etiamſi conſecratio non acceßit; cuius vtique non fraudarentur munere, ſi in propoſito permanerent. Ambigi verò non poteſt crimen magnum admitti, vbi & propoſitum deſeritur, & conſecratio violatur. Nam ſi humana pacta non poſſunt impunè calcari, quid de eis manebit, qui corruperint fœdera diuini Sacramenti?* Scilicet te fugit hanc fuiſſe publicæ Apoſtatarum pœnitentiæ legem ac conditionem, vt, quod ſanxiſſe ex deceſſoribus Leonis

vnum

vnum Siricium diſſimulare non poteſt, in ergaſtulo retruſi, & ab vxoribus quas vocarent ſegregati, vſque ad vitæ exitum pœniterent: Sed habet de quo triumphet, Spalatenſis; *Inſigne*, inquit, *eſt illud & notandum; Moniales quæ profeſſæ ſint parentum imperio coactæ, ſi nubant non præuaricari: quales ſunt hodie omnes ferè noſtræ Moniales, quarum matrimonium tantò fortius eſſet, & validius.* Num. 39. circa fin. Quaſi verò etiamnum vinculo voti non ſoluantur, ſi conſtet à parentibus vim illis illatam eſſe, ac inuitas vouiſſe. Miror deſertorem, tam citò oblitum inſtitutorum veteris militiæ *Gelaſius*, inqui[redacted] *ſancit; virginibus ſacris temerè ſe quoſdam ſociare cognouimus; & poſt dicatum Deo propoſitum incæſta fœdera, ſacrilegaque miſcere, quos protinus æquum eſt à ſacra communione detrudi, & niſi per publicam, probatamque pœnitentiam, omninò non recipi; ſed tamen is viaticum de ſæculo tranſeuntibus, ſi tamen pœnituerint, non negetur.* SPALAT. Num. 40. Gelaſ. ep. 6. Adde igitur ex ſuperioribus hanc publicam pœnitentiæ *ſeparationem* incæſtuoſorum, & ſacrilegorum omninò includere ac complecti. Quod verò de viduis ait; Rectè omnino Gloſſa de *voto ſimplici* interpretatur, cùm ſuprà etiam oſtenderimus locum Apoſtoli, quem verſat Spalatenſis, de huius generis voto accipiendum: Nam quod obiicit Spalatenſis; *Promiſſam Deo pudicitiæ fidem, & ad iudicium Eccleſiæ publicè deductam, non ſignificare votum ſimplex & priuatum, ſed publicum & ſolemne* inſcitiam eius prodit; qui ſcilicet non aduerterit, *votum ſimplex* idem non eſſe cum *priuato*, nec *ſolemne* cum *publico*. *Publicum* enim eſt, quod fit coram teſtibus, per quos probari, ac publicè notum fieri poſſit; *Priuatum* autem quod fit ſine teſtibus, quorum vtrumque & *ſimplex* eſſe, & *ſolemne* contingit. Igitur *votum ſimplex* dicimus, nudam promiſſionem Deo factam abſque ſui traditione, cuius generis viduarum iſta vota fuiſſe exiſtimamus, cùm ſcilicet eis nubendi poteſtas ab Eccleſia concederetur, quo nimirum ſignificabatur promiſiſſe quidem, ſed tamen eius quod promiſerant dominio non ſe abdicaſſe. *Solemne* verò *votum* vocamus promiſſionem coniunctam cum traditione ſui ad ea quæ promittuntur, abdicato ſcilicet à ſe omni vitæ dominio. Hoc igitur quia non aduertit Spalatenſis, turpiter lapſus eſt. Vides igitur vt arenæ ſemina mandarit, & tamen lætatur, ſicut *qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando diuidunt ſpolia, & ſicut in die Madian.* Ibid. Eſa. 9. Pergamus; *Tempore Gregorij*, inquit, *frequenter contingebat, vt Moniales dimiſſo habitu religioſo, nuberent, neque tamen Gregorius vnquam de irritatione talium matrimoniorum cogitauit; ſed ea ſemper proprio nomine coniugij, & matrimonij, & nuptiarum cohoneſtauit. Eiuſque verba ſunt in Synodo tempore Mauritij; Hinc maximè nimium dolens, & ingemiſcens dico, quia aliquot ex Chriſtianis in Occidentis partibus conſtitutos, audio temerè contra Catholicam fidem, & Patrum ſtatuta agere, ita vt conſecratas fœminas ducere præſumant mulieres. Si quis Monacham, quam Dei ancillam appellant, in coniugium duxerit, anathema ſit.* SPALAT. Num. 41. Greg. l. 2. ind. 12. ep. 24. & l. 4. ind. 13. ep. 18. & l. 8. ep. 9. Eſtme hercle hic acutus ſophiſta. Anathemate feriendos Apoſtatas duxit Gregorius, igitur ratas habuit impuras illorum nuptias, quis manus dare renuerit? *At*, inquit, *myſterio non vacat, quod Occidentis partes nominarit; innuens in Oriente hæc eſſe ordinaria, & conſequenter non iure diuino, ſed in Occidente ſolo iure poſitiuo hæc præcipi & regulari.* Celebre tamen eſt, quod ſcribit idem Gregorius de tribus ſuis amitis. *Tres, inquit, Pater meus ſorores habuit, quæ cunctæ tres ſacræ virgines fuerunt, quarum vna Tharſilla, alia Gordiana, alia Æmiliana dicebatur. Vnò omnes ardore conuerſæ, vno eodemque tempore ſacratæ, ſub diſtrictione regulari degentes in domo propria* Gregor. in Euangel. hom. 38.

ſocialem vitam ducebant. Eſt igitur hoc iniquitatis, & ſpurciciei myſterium, ac præterea eſt quoque mendacij plena collectio, ac immeritò his ſordibus mentem inceſtat, oportuitque eſſe mendacem memorem. Namque ſuprà faſſus eſt ſanctionem extitiſſe, qua pœna capitis præſcriberetur, ſi quis ſacratam virginem à Dei ſeruitute ad matrimonium auocaſſet. Viguiſſe verò in Oriente ante tempora Gregorij, teſtis eſt Balſamon ad caput 44. Concilij in Trullo. Verba Canonis ſunt; *Monachus fornicationis conuictus, vel qui ad matrimonij communionem vitæque ſocietatem vxorem d[illegible] fornicatorum pœnis ſecundum Canones ſubijcietur.* Ad quæ ſic commentatur Balſamon; *Quod fornicatorum pœnis ſubijciatur, qui fornicatus eſt Monachus, eſt vt clementiſſimum amplectendum ac recipiendum. Fortè enim dixerit quiſpiam, non æquo debere puniri Laïcos & Monachos fornicantes. Quod autem fornicatorum ſolùm pœnis puniatur, qui venit ad matrimonij ſocietatem Monachus, non eſt, vt exiſtimo, ſine diſtinctione. Vidi enim tempore Patriarchæ Domini Lucæ Monachum quendam Leontium Muzacem nomine, cum veſte militari indutus Synodicè adſtitiſſet, & ab ea muliere, cum qua vixerat, ſeparari non perſuaderetur, ea de cauſa cum ſeueritate Monachalibus fuiſſe veſtimentis indutum, & carceri traditum, & aliàs valdè punitum. Mihi ergo videtur, quod præſens Canon illum Monachum, qui in matrimonio verſatus eſt, fornicatorum pœnis ſubijciendum dicit, qui ſua ſponte ab illicitis nuptiis ſeiunctus eſt, & ad priorem Monachalem ſtatum reuerſus eſt, ac confeſſus. Qui enim non ſua ſponte ab illicito matrimonio recedit, propter apertam impudentiam grauiter punitur.* Sed & Photius in Nomocanonem ſuum retulit legem, qua capite ſancitur huiuſmodi ſacrilegium Titulo nono de peccatis Epiſcoporum; *Si quis virginem ſacram vxorem accipere ſolùm conatus fuerit, capitali ſupplicio punitur.* Et infrà etiam legis ſeueritatem ad Diaconiſſas votifragas extendit: *Quæ ordinantur Diaconiſſæ, admoneantur, quod ſi ordinem dedecore afficere auſæ fuerint, matrimonium contrahentes, vel alioqui in fornicatione viuentes, erunt morti obnoxiæ, & eorum facultates ſuorum Monaſteriorum, vel Eccleſiarum dominio applicabuntur. Qui autem eas vxores ducere, vel eis ſtuprum afferre auſi fuerint, enſe ſunt puniendi: & eorum facultates publicum accipiet ærarium.* Celebre tamen eſt, inſtat Spalatenſis, *quod ſcribit idem Gregorius de tribus ſuis amitis; Tres, inquit, Pater meus ſorores habuit, quæ cunctæ tres ſacræ virgines fuerunt, quarum vna Tharſilla, alia Gordiana, alia Æmiliana dicebatur. Vno omnes ardore conuerſæ, vno eodemque tempore ſacratæ, ſub diſtrictione regulari degentes in domo propria ſocialem vitam ducebant. Narratoque fœlici duarum exitu, Tharſillæ & Æmilianæ: Gordiana autem, inquit, mox vt ſolam remanſiſſe ſe reperit, eius prauitas excreuit, & quod prius latuit in deſiderio cogitationis, hoc poſt effectu prauæ actionis exercuit. Nam oblita Dominici timoris, oblita pudoris & reuerentiæ, oblita conſecrationis, conductorem agrorum ſuorum poſtmodum maritũ duxit. Maritum dicit, non amaſium.* Reſpõdeo maritum dixiſſe Gregorium non amaſium, ſpecie, & oſtentatione, non reipſa, aut effectu: Proculdubiò enim eum duxerat Gordia, cum quo perpetuò viueret animo maritali; Cæterùm perpetuum reputaſſe adulterium nepotem Gregorium, vel ex eo habetur, quod ſub finem homiliæ ſignificat eam eſſe damnatam. Neſcio verò quî ſe poſſit alio loco Gregorij extricare aduerſarius, quo magnus Pontifex Monachos vxoratos, à coniugibus ad Monaſterium tranſmittendos decernit. Nam quod infrà conſenſum vxorum interceſſiſſe comminiſcitur, vaniſſimum eſt eius commentum; Abſolutè enim nulla mentione facta huius

Iouin. C. de Ep. & Cler. l. Si quis. Synod. in Trullo Can. 44.

Μοναχὸς ἐπὶ πορνείᾳ ἁλούς, ἢ πρὸς γάμου κοινωνίαν καὶ συμβίωσιν γυναῖκα ἀγόμενος, τοῖς τῆς πορνείας ὑπευθύνοις κολάσεσι κατακρινέσθω.

Τὸ μὲν ἐπιτιμίοις πορνεύοντας καθυποβάλλειν καὶ πορνεύσαντα μοναχὸν, πρόσχωρον ἔδοξεν εἶναι τοῖς συμπεπτωκόσιν. ἔστω γάρ τις ὢν μὴ ἐφικτὸν ἐπίτασιν κολάζειν τοὺς λαϊκοὺς ἢ τοὺς μοναχοὺς πορνεύσαντας· τὸ δὲ μόνον ἐπιτιμᾶσθαι καὶ πόρνους καὶ πρὸς γάμου κοινωνίαν ἐλθόντα μοναχὸν, ἀπὸ ἔστι, ὡς οἶμαι, ἀδιάστατον.

Si quis non dicã rapere. C. de Ep. & Cler. SPALAT. Num. 41. Gregor. in Euangel. hom. 38.

huius imaginarij consensus, iubet inuentos in Monasteria transferri. Sic enim ad Anthemium: *Et quia aliquos Monachorum vsque ad tantum nefas prosiliisse cognouimus, vt vxores publicè sortiantur, sub omni eos vigilantia requiras, & inuentos eos digna correctione, in Monasteriis quorum Monachi fuerunt transmittas.* Aggreditur iam, sed infœliciſſimè ad rationes Patrum soluendas. 37. qu. 1. C. Et quia.

Obijcies primò, inquit Spalatensis, *ex Patribus Ambrosium dicentem hoc dictum Pauli, melius est nubere quàm vri; ad nondum pollicitam pertinere; ad nondum velatam. Cæterùm quæ spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit: iam immortali iuncta est viro. Etiamsi voluerit nubere communi lege connubij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Respondeo idem etiam Augustinum sæpius pronunciasse* (non igitur votifragorum connubia laudat) *sup. num. 27. 32. & præterea de adult. coni. cap. 15. de conflict. vit. & virt. cap. 24. & aliis locis. Ita & Hieronymus. Si nupserit, inquit, virgo non peccauit: non illa virgo quæ semet Dei cultu dedicauit. Has verò nubentes, non tam adulteras vocat, quàm incæstas: Etiam Chrysostomus eandem facit exceptionem, vt melius sit nubere quàm vri, ijs tantùm quæ se Deo nondum consecrarint. Et tamen hi omnes nuptias post votum approbarunt. Quare vt illi ita & Ambrosius, solum peccatum considerauit, quod in fractione voti, & desertione professionis consistit. Et quotcunque prohibitiones inuenies in Ecclesia, ac viris Ecclesiasticis ne voto obstricti nubant, omnes peccatum respexerunt violationis voti. Verùm matrimonia inde contracta nullus horum irrita censuit; nec in votis, siue his prohibitionibus, ac legibus, aliud matrimonij impedimentum inuenerunt, nisi impediens tantùm, non item dirimens. Et quod de Basilio dixi, qui adulterium exaggerabat; idem dico de Ambrosio, & Hieronymo nunc citatis; in detestationem illius violationis ea amplificari. Adulterium enim hoc non est, nisi spirituale, sicut & coniugium cum Christo, quod coniugium carnale cum alio viro non impedit. Cæterùm simul cum Basilio, & Ambrosium, & Hieronymum, & Chrysostomum, si quis eos velit matrimonia hæc irrita censuisse, quod non credo, Augustinus satis superque confutauit; quorum illas exaggerationes in quantum matrimonio post votum inito præiudicium generant, non suggillauit modò, sed abundè etiam neque audiendos in hoc, neque sequendos esse conuicit, quamuis peccatum illud violationis professæ castitatis, Augustinus meritò, & cum ipso Chrysostomus, grauius esse vero adulterio asserierit; quoad grauitatem & turpitudinem peccati: non tamen quoad effectum irritandi matrimonium carnale, post initum matrimonium spirituale.* Scilicet magis ac magis inconstantiam suam prodit, Contendit Augustinum refellendos suscepisse Ambrosium, Hieronymum, Basilium, Chrysostomum, & tamen paria eis sensisse non veretur asserere. Igitur Augustinus monstra sibi finxit, cum quibus luctaretur, & quæ debellaret. Cæterùm non posse Basilium, Ambrosium, Hieronymum, aut Chrysostomum eo trahi, vt dumtaxat voti violationem damnasse credantur, matrimonium verò ratum esse voluerint, verba eorum satis ostendunt: *Quæ virginitatem*, inquit, *professa à voto suo ac professione lapsa est, peccati adulterij tempus in suæ vitæ dispensatione complebit. Idem & in ijs qui vitam monasticam profitentur, & labuntur. Dicet aliquis*, inquit Ambrosius, *melius est nubere quàm vri. Hoc dictum ad nõ pollicitam pertinet, ad nondũ velatam. Cæterùm quæ se spopondit Christo, & sanctum velamen accepit, iam nupsit, iam immortali iuncta est viro. Etiamsi voluerit nubere communi lege coniugij, adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Si nupserit*, inquit Hieronymus, *virgo non peccauit, non illa virgo, quæ semet Dei cultui dedicauit, harum enim si qua nupse-*

Spalat. Num. 42. Ambr. ad virg. lapſ. c. 5.

Hieron. l. 1. in Iouin.

Chryſ. de virg. c. 39.

Chryſ. ep. 6 ad Theod. Mon.

Ibid. Baſ. ad Amphil. Can. ep. 3. Can. 60.

Η παρθενίαν ὁμολογήσασα καὶ ἀκηράσουσα ἐπαγγελίας, ἐν τῷ οἰκείῳ ἁμαρτήματος, ἐν τῇ οἰκειοτάτῃ καὶ ἐν αὐτῇ ζωῇ πληρώσει τὸ ἀπὸ χρόνου ἁμάρτημα. τὸν βίον μεταζήσουσι ἐπαγγελλόμενοι ἢ ἁμαρτάνουσι.

De Amb. ad virg. lapſam c. 5.

Hieron. l. 1. adu. Iouin.

Digitized by Google

rit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit, virgines enim quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ sunt, quàm incestæ. Honorabile connubium, inquit Chrysostomus, *& cubile immaculatum: Fornicatores autem, & adulteros iudicabit Deus. Sed tibi iam non est integrum iura cohnubij seruare; cœlesti enim sponso semel iunctum, illum relinquere, & vxoris laqueis implicari, adulterij crimen incurrere est: quamuis millies hoc ipsum nuptias voces, ego tamen & adulterio illud tantò peius affirmo, quantò maior ac melior mortalibus Deus. Neque vllus te fortè decipiat, dicens: Nihil de non accipienda vxore Dominus præcepit. Nec me ignorare confiteor, quod adulterium interdixit, non nuptias vetuit: verùm tu adulterij crimen incurres, si volueris vnquam, quod absit, nuptias cogitare.* Quare aliò se recipit aduersarius: *Cæterùm,* inquit, *simul cum Basilio, & Ambrosium, & Hieronymum, & Chrysostomum, si quis eos velit matrimonia hæc irrita censuisse, quod non credo, Augustinus satis superque confutauit; quorum illas exaggerationes in quantum matrimonio post votum inito præiudicium generant, non suggillauit modò, sed abundè etiam neque audiendos in hoc, neque sequendos esse conuicit, quamuis peccatum illud violationis professæ castitatis, Augustinus meritò, & cum ipso Chrysostomus, grauius esse vero adulterio asseruerit; quoad grauitatem, & turpitudinem peccati: non tamen quoad effectum irritandi matrimonium carnale, post initum matrimonium spirituale.* Potuitne, vt suprà monui aliquid, aut trepidantius, aut etiam inconstantius dici? Expendamus reliquas nostrorum argumẽtorum solutiones. *Obijcies secundò,* ait, *Siricium ita sancientem; Præterea Monachorum quosdã atque Monacharum, abiecto proposito sanctitatis, in tantam protestaris demersos esse lasciuiam, vt priùs clanculò velut sub Monasteriorum prætextu, illicita ac sacrilega se contagione miscuerint, postea verò in abruptum, conscientiæ desperatione perducti, de illicitis complexibus liberè filios procrearint, quod & publicæ leges, & Ecclesiastica iura condemnant. Has ergo impudicas detestabilesque personas, à Monasteriorum cœtu, Ecclesiarumque conuentibus eliminandas esse mandamus; quatenus retrusæ in suis ergastulis, tantum facinus continua lamentatione deflentes, purificatorio possint pœnitudinis igne decoquere, vt eis vel ad mortem saltem, solius misericordiæ intuitu, per communionis gratiam possit indulgentia subuenire. Respondeo primùm hac videri ad fornicationem spectare, non ad coniugia: si tamen de coniugijs sint intelligenda, dicam illicitam & sacrilegam contagionem, illicitosque complexus, Siricium vocare coniugia professorum, propter peccatum fracti voti. Matrimonia tamen illa non separat, sed ea vsque ad mortẽ relinquit, sub pœnitentia tamẽ prædicti peccati. Quod si quid amplius voluit, satis est ab Augustino eodem tempore confutatus, supra nu.28.* At primũ non posse de sola fornicatione intelligi Siricium, ex eo conuincitur, quod abiecti *propositi sanctitatis,* hoc est desertæ professionis Monachalis, vt filios liberè procreent, eos postulat; Non damnasse autem solam voti fractionem, sed etiam inita matrimonia irrita, ac nulla censuisse illud ostendit, quod sceleratos illos Monachos in ergastula detrudi præcipit, vt vitam ducant in lacrymis, & squallore pœnitentiæ. Et quidem esse mentem Siricij vidit desertor, propterea que ad illud suum solemne confugiendum sibi esse duxit *Siricium*, & *reliquos Patres* satis esse ab Augustino confutatos. Iam tertium argumentum expendit. *Obijcit,* inquit, *tertiò Bellarminus Innocentium primum apertè distinguere inter votum solemne & simplex, & asserere; Eam quæ velum sacrum acceperat, ac proinde, inquit, solemne votum emiserat continentiæ, si fortè nupserit, non posse admitti ad pœnitentiam, donec vixerit is cui se coniunxit: quemadmodum cum illa*

Chrys. ad Theod. lapsi. l.2. parænes. Δίκαιος ὁ γάμος λύσαι τὸν ἄγαμον. πῶς γὰρ οὐκ ὁ γάμος, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος. πόρνους δὲ καὶ μοιχοὺς κρινεῖ ὁ θεός. σοὶ δὲ ἐπὶ δίκαιον τὸ δίκαιον τῶν γάμου φυλάξαι. ἀλλὰ δὴ ἐνυβρίσῃ σωφρονίσαι τὸν θυμόν, οὐ τὸν μὲ ἀφεῖναι, γυναικὶ δὲ ἐπὶ τὸν πονηρὸν, μοιχείᾳ τὸ σεσῶσθαι, &c.

SPALAT. Num. 42.

SPALAT. Num. 43. Siric. ep. 1. c. 6.

SPALAT. Num. 44. Bell. de matrim. l. 1. c. 21 27. q. 1. cap. Quæ Christo. C. Hæ verò ea.

Digitized by Google

illa agitur, quæ viuente viro, alteri iungitur. Eam verò quæ promiserat continentiam perpetuam, sed velum sacrum nondum acceperat; id est, inquit, quæ votum simplex non solemne emiserat, si postea nupserit, ad pœnitentiam admitti posse. Nos verò suprà ostendimus nihil vidisse illum in Innocentio, ac eius sensum esse, quem indicat & explicat Bellarminus. *At*, inquit, *libenter audiuissem, si mihi Bellarminus explicuisset, quinam esset ille vsus in Ecclesia, vt mulier quæ viuente viro alteri nupserit, non admittatur ad pœnitentiam, nisi vnus ex eis defunctus fuerit. Sic enim loquitur Innocentius, non vt eum refert Bellarminus. Cur negatur pœnitentia, si parata sit à non suo discedere? Cur datur pœnitentia, si alteruter duorum obierit? Mitto ineptias Glossæ, mortuum quoad affectum: & pœnitentiam, Eucharistiæ sumptionem interpretantis. Distinctionem tamen illam inter votum solemne, & simplex, in dicto Innocentij à Bellarmino positam, expendam capite sequenti. Esto tamen nunc, fuerit velamen votum solemne seu professio solemnis, aut signum externum voti solemnis, & ante velationem, votum non sit nisi simplex: nunquid velatam nuptam non admitti ad pœnitentiam, & nondum velatam admitti, facit matrimonium illius nullum & irritum, huius verò ratum & legitimum? Quid pœnitentiæ cum matrimonio? Video differentiam aliquam inter votum solemne, & simplex quo ad pœnitentiam: Quo ad vinculum verò, ipsorum votorum discrimen nullum video in dicto Innocentij, præsertim in ordine ad matrimonium, & cælibatum.* Tu es Magister in Israël, & hæc ignoras? Vsus est iste, & Ecclesiæ praxis, vt quæ viuente viro alteri se coniunxerit, ad pœnitentiam non admittatur, nisi altero mortuo, hoc est priori viro vel adultero, sic enim, verbi gratia, mortuo adultero, quia amplius in statu peccati non est, ad pœnitentiam admittitur, si modò iam vni se tradere marito velit, mortuo vero marito fas illi est legitimum inire matrimonium, cum eo cui non sit antè legitimè copulata, ac hoc modo quoque pœnitentiæ remedium non ei negabitur, si deinceps vno eodemque legitimo sit contenta. Certè nusquam auditum est in Ecclesia negari pœnitentiam adulteræ, quæ repudiato adultero ad priorem virum reuertitur, nisi fortè periculum sit, adeoque vehemens suspicio, sub illo cinere adhuc latere ignem, ac fore vt mœcho rursus societur. Quod autem scribit non videre se in dicto Innocentij *differentiam inter votum solemne & simplex, quod attinet ad vinculum coniugij, sed solùm quod attinet ad pœnitentiam*, magnum est cœcitatis argumentum: Proculdubio enim, vt suprà monui, propterea non admittitur ad pœnitentiam quæ velum sacrum suscepit, ac votum castitatis solemni ritu emisit, quod quamdiu à viro non separatur in perpetuo sit statu peccati, cùm quæ non est illo solemni ritu castitatem professa, etiamsi virum non deserat, possit in ipso matrimonio pœnitere, & errati veniam postulare.

C. Hæ verò ea.

SPALAT. Eod. nu. 44

Obijcies quartò, inquit, *Gregorium in Anthemio præcipientem. Et quia aliquos Monachorum vsque ad tantum nefas prosiliisse cognouimus, vt vxores publicè fortiantur, sub omni eos vigilantia requiras, & inuentos digna coercitione in Monasteriis, quorum Monachi fuerunt, transmittas. Respondeo Gregorium separationem matrimonij non præcipere, quod & Athanasius, & Augustinus, expressè in Ecclesia, permissum & approbatum esse testati sunt suprà num. 22. sed vt de consensu vxoris, coercitio illa fieret, illum præcepisse, meritò supponendum est; Alioqui enim indiscretionis, & iniuriæ culpa non vacaret. Præcipit tamen Gregorius aliam separationem seuerius, cuiusdam Monialis viro coniunctæ. Sequutus tamen est leges, præsertim Iustiniani, sup. num. 41. quarum metu, quia capitales sunt, vir ille cogeretur con-*

SPALAT. Num. 45. Greg. in Anthem. 37. qu. 1. C. Et quia.

Greg. l. 8. ep. 9.

ſentire in reditum, ob malè ſibi, & contra leges copulatam vxorem: proculdubio alio coniugio, illa viuente, cariturus: & in pœnam eductæ è Monaſterio virginis, illa priuatus. Nam & minatur idem Gregorius in fine dictæ epiſtolæ, ſe in vrbem Regiam, ad Imperatorem nempè Conſtantinopolim, ſcripturum; Quatenus, inquit, quod fieri honeſtè negligitur, ea qua dignum eſt vltione plectatur. Atqui ſuprà reſpondimus conſenſum illum vxorum, eſſe Spalatenſis phantaſma inaniſſimum, quod etiam alius locus Greg. ab eo adductus conuincit; Præcipit tamen Greg. aliam ſeparationem ſeueriorem, cuiuſdã Monialis viro coniunctę. Putaſne igitur, mi Antoni, contra fas, contra ius, contra conſcientiam, legum ciuilium auxilium aduocaſſe, vt Monialis matrimonium, quod tua ſententia dirimi non poſſit, Imperatoris authoritate diſſoluerit? Scilicet conſentaneè Eccleſiæ inſtitutis, de Apoſtatis & votifragis ſanxiſſe Imperatores erat ei conſtitutum, propterea que eorum imploraturum ſe auxilium minatur; *Vt*, inquit, *quod fieri honeſtè negligitur, ea qua dignum eſt vltione plectatur.* Nimirum vt qui legibus Eccleſiæ parere recuſauerint, authoritate Imperatorum ſegregarentur, quippe qui ſceleratè coïſſent, & coniugij nomine inceſtum, ac ſacrilegium prætexuiſſent, quod autem ait *imprudentiæ*, aut, vt ille loquitur, *indiſcretionis & incuriæ culpa non vacaſſe* Gregorium, *ſi illi ea mens fuerit*, hominis inuerecundi cenſura eſt.

Greg. l. 8. ep. 9.

Spalat. Num. 46. 27. qu. 1. C. Vt lex. Ex qui Cler. vel vo. c. 3. 4. 5. 6. 7 Cõc. Trid. ſeſſ. 24. Can. 9.

Obijcies quintò, ait, *Recentiores Romanos Pontifices, nimirum Innocentium ſecundum, qui expreſsè ſeparationem horum matrimoniorum præcepit, & ipſa matrimonia nulla eſſe declarauit; Alexandrum ſimiliter, Cœleſtinum, & Innocentium, omnes tertios, qui idem fecerunt. Et vltimo loco Concilium Tridentinum, quod hoc idem ſolemniter declarauit. Reſpondeo contra hos omnes totam hanc noſtram diſputationem eſſe factam. Qui igitur vult hæc noua præcepta, nouaſque has declarationes & definitiones, veteribus prorſus contrarias tueri, ad ea quæ nos protulimus reſpondeat, & ſoluat prius quæ nos ex aduerſo propoſuimus. Si verò agas authoritate, & videas hos paucos Pontifices, cum tot antiquis eorum præceſſoribus, & cum celeberrimis, quibuſque ſanctæ Catholicæ Eccleſiæ Patribus pugnare, Conciliaque hæc poſteriora, prioribus è diametro aduerſari, his poſtpoſitis, qui ſapuerit, illis mecum adhærebit, ſacra præſertim diuina Scriptura, & rationibus ex ſancta fide Catholica depromptis, poſteriores has nouellas definitiones apertè condemnantibus. Spiritus ergo veritatis, non ſpiritus erroris de errore conuictus nobis eſt ſequendus.* Ita ſcilicet qui verecundiæ fines ſemel tranſierit, eum grauiter oportet eſſe impudentem. Quid igitur ad hanc impudentiam addi poſſit non video. Contra omnes poſteriores ſummos Pontifices, adeóque contra ipſum Concilium Tridentinum ſuſceptam dicit hanc diſputationem; Arrio ſcilicet licuit Nicænis Patribus inſultare, Macedonio Conſtantinopolitanis, Neſtorio Epheſinis, Eutycheti Chalcedoniis, ac eorum decreta nouitatis poſtulare. Cur non igitur idem Spalatenſi licuerit, quod reliquis licuit hæreſeon authoribus? Sed fungus ſit qui his moueatur! Pontifices quos lacerat, Tridentini Patres quos proſcindit, antiquiorum Pontificum Siricij & Innocentij, ac veteſtiorũ Patrum Baſilij, Ambroſij, Hieronymi, Chryſoſtomi, velit nolit Spalatenſis, veſtigia preſſerunt, nec niſi quæ ab illis accepiſſent tradiderunt, vt propterea qui ſinceriori illi antiquitati aliquid tribuat eorum decretis ſtare, ac in eis acquieſcere omnino teneatur, ac flagitioſas, ſacrilegas, inceſtas, & infames Apoſtatarum nuptias eorum exemplo deteſtari, ac etiam diris deuouere, quod verò eis *ſpiritum erroris* ſibi *veritatis* affingit ſuperbiam, & audaciam Pſeudo-prophetæ Sedeciæ ſpirat, idem ſibi contra ſanctum Prophetam vendi-

vendicantis, ac tribuentis: *Mene*, inquit, *dimisit Spiritus Domini, & locutus est tibi?* Lib.3.Reg. c.2.

Obijcies septimò, inquit, *cum Bellarmino Concilium Chalcedonense, prohibens nuptias Monachis & Monialibus, vt sup. num. 37. ex quo sic deducit Bellarminus; Nunquam fuit dubium inter Christianos peccatum esse votum continentiæ violare: fuit tamen dubium an matrimonia post tale votum teneant. Hoc igitur declarare voluit Concilium. Respondeo Concilium nihil declarare; sed præceptum proponere contra quotidianas transgressiones diuini præcepti de reddendo voto; ac ei pœnam excommunicationis addere. Sicut furtum leges prohibent, diuino iure etiam prohibitum, adduntque pœnam suspendij, vel aliàs. Quod verò ait Triburiense Concilium ita intellexisse, vt ipse vult Canonem Chalcedonensem, iam dixi falsum esse. Affert etiam ibidem Bellarminus Concilium Toletanum quartum, & octauum; Sed in illis nihil habetur præter prohibitionem, & pœnas, seu pœnitentias.* Sed nos suprà mentem Concilij Chalcedonensis aperuimus, ac Bellarminum defendimus, adeoque ostendimus Concilium Triburiense omninò eiusdem Canonem decimum quartum eo sensu accepisse, quo accepit doctissimus Cardinalis. SPALAT. Num.48. Bellarm. de matr. l. 2. c.21. SPALAT. Num.49.

Obijcies octauò, inquit Spalatensis, *Concilium Turonicum secundum, in quo de Monachis statuitur, Si Monachus vxorem duxerit, excommunicetur; & de vxoris malæ societatis consortio, etiam iudicis auxilio, separetur. Ita in Foroiulien. Monia-les nuptæ, auxilio iudicis Laïci debent separari, & detrudi ad pœnitentiam. Et omnium clarissimè Concilium Triburiense iubet per vim separari talia matrimonia, vt non cohabitent simul, neque colloquantur. Respondeo, si hæc tria priuata Concilia voluerunt dissentire à Christo, à Paulo Apostolo, à tot Sanctis Patribus, & Conciliis celeberrimis, eis dicendum est: Quare transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Quis hîc à risu sibi temperet; Patribus ac Conciliis sapientiorem se putat, ac contra Christum, contra Apostolos, ac contra Scripturas sensisse eos homo vanissimus criminatur. Audi, mi Antoni, *Conuentus Sanctorum istorum*, vt verbis Augustini vtar, *non est multitudo popularis, non solùm filij, sed & patres Ecclesiæ sunt*, quos tu pessundas. *Ex illo numero sunt, de quibus prædictum est, Pro Patribus tuis nati sunt tibi filij, constitues eos principes super omnem terram. Ex qua filij regenerati sunt, vt hæc discerent, eius patres facti sunt, vt docerent.* Quod verò dicis *transgressos esse eos mandatũ Dei propter suam traditionẽ*, ac Paulo, Patribus & Conciliis antiquioribus cõtraria sensisse, tuum est cõmentum à nobis toto hoc capite refutatũ & dispunctũ. Enimuerò te etiam tuæ audaciæ pudet, propterea q; palinodiã canis; *Cumque verò*, inquis, *non sit simile, ne eos quidem Patres qui hæc Concilia celebrarunt, contra tam apertam, & patentem, totiésque in Ecclesia explicatã, & practicatam veritatem matrimonia legitima voluisse dissoluere, & irritare; omninò dicendũ est, in pœnam defectionis à proposito, rigorosius ad separationes etiam violẽtas deuenisse: non quod matrimonia non essent valida; sed in exemplũ aliorum, ne tam facilè religiosi castitati obnoxij, sponteq; & voluntariè illam amplexi, à proposito cum tanto scandalo resilirent. Nunquam enim arbitror illos, vxoribus horum Apostatarum post ereptos eis maritos, permissuros fuisse, vt alteris, his viuentibus nuberent. Ad deterrendas tamen etiam alias fœminas, ne tam facilè Apostatas in viros susciperent, bonum censuerunt (sed nescio quàm bene) eas etiam inuitas euelli à maritis, absque vlla spe alterius coniugij, illis viuentibus. Sic etiam in eundem terrorem leges Principum; etiam capite plectendos statuunt eos, qui virgines sacras ad suum matrimonium pellexerint, rapuerintve, non quod matri-* SPALAT. Num.49. Conc. Tur. 2.c.16.21. Foroiul. c.11. Trib.c.23. Matth.15. Hier.l.1.c.2 Psal.44. Matth.15. Ibid. C.de Episc & Cler. l. Si quis. & nouel. 123.c.43.

27. qu. 1. C. Viduas à propoſito.

monium non ſit validum, ſed vt vel ſic tentationes frangerentur apoſtatandi. Qui etiam fuit ſenſus Gregorij, vbi feruore zeli incaleſcens, actum coniugalem præteritum viduarum, vomitum, neſcio quàm laudabiliter, vocat; & viduas poſt votum ad vomitum, id eſt ſecundas nuptias reſpicientes, non excommunicatione modò, ſed etiam carceribus terret; vt terrore hoc in propoſito retineantur. Eodẽ ſpectat etiam Decretũ

Diſt. 27. C. Presbyteris.

Cæleſtini ſecundi longè poſteà editũ. Non ſolùm, mi Antoni, hoc ſpectarunt Patres, vt horum in quos animaduerterent, pœna reliquorum metus eſſet, ſed ſacri voti temeratores impudentiſſimos meritis quoque pœnis plectere in animo habuerunt; fuiſſet enim iſta paulò iniquior æquitas, vt cæteros in officio continerent, hanc ſummã iſtis iniuriam facere, ac conceſſo ſibi à Chriſto, ab Apoſtolo, & celebertimis Conciliis, & Patribus iure, vt tu quidem iactas ſpoliare. Illud igitur habe, tecumque reporta; Omnes Patres tum Græcos, tum Latinos, omnes Pontifices & Imperatores Chriſtianos, nuptias Monachorum, ac virginum poſt nuncupata Chriſto cœleſti ſponſo vota damnare, irritas nullaſque pronunciare, vno fortaſſe Auguſtino excepto, quem ſolum tibi vendicare ex tot millibus potuiſti. Triumphas tamen de Bellarmino, ac de orthodoxis omnibus, quibus Scripturam, Concilia, Patres, Paulum ac Chriſtum ipſum eripuiſſe te gloriaris. Verbosè ſatis, vt ſunt plerumque vaniloqui quos regiæ opes alunt, id nobis perſuadere conaris. Sed ea eſt tuæ orationis vanitas, vt eam eruditi quique faſtidiant, vixque te legere ſuſtineant, adeo inſipida, inſulſa, & inepta ſunt tua argumenta. Cæterùm de poteſtate Eccleſiæ in irritandis matrimoniis Apoſtatarum ſuo loco

Ad lib. 5.

dicetur; Nunc ad ea quæ in ſolutione nonæ obiectionis effutis, ſolùm reponimus Eccleſiam ab antiquiſſimis temporibus nuptias votifragorum, adulteriorum, & inceſtuum loco habuiſſe, ac proinde iure optimo recentiores Pontifices, & Synodos ſeuerius de his ſtatuiſſe, quòd viderent leges optimas à refractariis abiecto omni pudore paſſim violari. Nam præterquam quod non eſt imminuta poteſtas Eccleſiæ, & citra impietatem & blaſphemiam in Spiritũ dici non poteſt, Concilium Tridentinum minoris eſſe authoritatis, quàm aut Nicænum, aut Conſtantinopolitanum, aut Epheſinum, aut Chalcedonenſe, nihil eſt à Synodo Tridentina, aut poſterioribus Pontificibus de ea re ſtatutum, quod Patrum vetuſtiſſimorum authoritate non fulciatur, vt eſt toto hoc capite à nobis abundè demonſtratum. Romanæ hoc eſt Catholicæ Eccleſiæ iura reuellis, violas, infringis. Viget tamen æternúmque vigebit, effloreſcet, ac ſplendeſcet in ea Cathedræ Apoſtolicæ Principatus, vt propterea pro Ethnicis & Publicanis habendos eſſe ducamus, qui ei audientes non fuerint. Certè qui cũ Pontifice Romano

Hier. ep. 59 ad Damaſ.

non colligit, teſte Hieronymo, *diſpergit*. Addamus coronidis vice, vltimi argumenti ſolutionem, ac eius explicationem.

SPALAT. Num. 53.

Obijcies decimò, inquit, *Sacerdotum fœminas quantumcumque eis coniunctas, tamen paſſim à multis ſæculis, non niſi concubinas vocari; & per multa Eccleſiaſtica ſtatuta, non modò tales concubinas Clericis prohiberi, ſed etiam eas ipſis ſubtrahi omnes indifferenter; & nunquam excuſationem admitti, ſi quis eas vxores eſſe obtenderet. Quinimò etiam fidelibus præcipi, ne Presbyterorum concubinas habentium, miſſas audiant. Igitur ſupponit Eccleſia inter Sacerdotem & fœminam quamcumque*

Diſt. 32. ca. nullus. & c. præter.

non poſſe eſſe matrimonium; & hoc non niſi ratione voti ſolemnis, ordinibus ſacris adnexi. Reſpondeo; Abyſſum abyſſum inuocare. Eccleſia quidem fornicarias concubinas

Pſal. 41.

ſemper Clericis prohibuit, & eripuit: vxores tamen non ita, vt iam oſtendi: nam vel

Conc. Nicæ. 3.

conceduntur, vt in Oriente; vel tolerantur, vt olim in Occidente; vel ad ſummum

Pres-

Digitized by Google

Presbyteri vxorati ab officio deponuntur, & in ſuo matrimonio relinquuntur, vt multi Canones Occidentales exprimunt manifeſtè. Poſtquam verò falſiſſima inoleuit doctrina de nullitate & inualiditate matrimonij Clericorum, omnes etiam ſæpiſſimè legitimæ vxores ſub pellicum, & concubinarum nomine ſunt comprehenſæ. Atque hoc non niſi à Gregorio VII. quem omnino primùm ego obſeruo pacis, & tranquillitatis publicæ Eccleſiaſticæ turbatorem, qui bono fortaſsè zelo, ſed valdè indiſcreto, Laïcos Principes, occaſione inueſtitutarum, compulit vt hoſtes eſſent Sacerdotij, vt lib. 6. tractabo. Quàm ſint iſta falſitatis plena, eſt à nobis ſuperiori capite demonſtratum. Primùm enim oſtendimus legem cœlibatus in Eccleſia, ab ipſiſſimis ferè incunabulis Eccleſiæ obtinuiſſe, Clericos coniugatos in ſuſceptione ſacri ordinis vxoribus ſuis nuncium remiſiſſe, his poſtmodum abutentes loco motos fuiſſe, ac omni honore Sacerdotij nudatos. Demum Eccleſiæ iuſtam cauſam fuiſſe non ſolùm prohibendi, ſed & extirpandi huiuſmodi matrimonia. Eò recurrito. Haud miramur optimum Pontificem à ſchiſmaticis olim acerbè vexatum à Spal. eiuſdem farinæ homine iam lacerari, ſed magno Pontifici in cœlis, vbi æuo ſempiterno fruitur, ſua pro aſſerta, & egregiè vindicata Sacerdotij dignitate, gloria conſtat, nec iſtis mordacibus conuiciis mouetur: Vidit conculcatas pudicitiæ Sacerdotalis leges, doluit, ac iuſto odio in temeratores caſtitatis exarſit, cúque mali finem nullum videret, *extremis* quod dicitur *morbis extrema remedia adhibenda* duxit. Infremuit impudicorũ turba, ac pro vxoribus deiectis, ſibi decertandum exiſtimauit. Spal. labanti agmini ſceleratorũ opem affert. Habent ſuas labra lactucas, nec inuidemus. Cæterùm Gregorium improbè facit ſui tẽporis turbarum authorẽ, Henrici malè feriati Principis hæc labes eſt. Sed fortè illud Chriſti ab eo vſurpatum ſpectauit; *Nõ veni pacem mittere in terram*, quibus verbis ſignificauit omninò futurũ, vt ad Euangelij præconiũ plerique fremerẽt, nimiũ vtique vitiis addicti, à quibus homines abſterreret. Sed mittamus iſta. Ferre non poteſt legem in incontinentes Clericos latam; Dolet illi præter pellices & concubinas, etiam vxores ab altaris miniſtris ſegregari, quod niſi faciant ſacris interdicuntur, ac ab eorum ſacrificiis Laïci arcentur; Et vt Gregorio, Vrbano, Paſchali & Innocentio inuidiam conflet, aſſerit ſe *non poſſe eos ab errore Euſtathianorum in Gangrenſi Synodo anathemate ictorum, defendere*, quòd ſcilicet coniugatorum Clericorũ Miſſas audire, populis non permiſerint, ſed ab eorum ſacrificiis illos abſtraxerint. Verùm errorem hunc ab eo iam erratum ſuprà caſtigauimus, oſtendimuſque anathemate ictos, à Gangrenſibus Patribus, Euſtathianos quod nuptias in vniuerſum damnarent, atque Laïcis ipſis coniugatis ſacra communione negata Sacerdotes, non quidem vtentes coniugio, ſed olim coniugatos hoc nomine ab altaribus arcerent, quòd vxores duxiſſent, quaſi res prophana eſſet matrimonium, & à moribus Chriſtianorum omnino abhorrens. Putat enim *Concilium Gangrenſe anathema dixiſſe auocantibus fideles, ne miſſam audiant Sacerdotis coniugati.* Vxorem igitur duxiſſe, labem Sacerdotij credebant, ac omnino eius oblationem auerſabantur, qui olim vxorem duxiſſet, etiam ſi iam cœlebs viueret. Verba Canonis ſunt: *Quicunque diſcernit à Presbytero coniugato, quod non oporteat eo miniſtrante, de oblatione percipere; anathema ſit.* At tam longè abſunt ab impio dogmate memorati Pontifices, vt etiam Græcis Sacerdotibus ſua coniugia indulgeant ac condonent. Audi Innocentium in magna Synodo dicentem: *Qui ſecundum ſuæ regionis morem* (Græcos intelligit) *non abdicarunt copulam coniugalem ſi lapſi fuerint* (hoc eſt ſi ſe fornicationum ſor-

Matt. 10. 34

SPALAT. Num. 54.

Conc. Gangrenſe c. 4. habetur diſt. 28. Cap. Si quis diſcernit.

Innoc. 3 in Conc. Later. c. 14.

dibus inquinarint) *grauiùs priuantur, cùm legitimo matrimonio possunt vti.* An quæso hoc est matrimonio maledixisse, aut mulieres, quod fecerunt Eustathiani damnasse? Extorsit à summis Pontificibus duriorem illam legem violatæ passim castitatis ac pudicitiæ Sacerdotalis dolor, eamque tulerunt, vt latè serpenti malo occurrerent ac mederẽtur. Audi iam sapientissimos Decreti Correctores pro iustissimo decreto differentes, rationemq; facti reddẽtes: *Prohibentur de manibus talium Sacerdotũ Sacramenta susc ipi (non quia sint vera quantum ad formã & effectũ* (aliò hæc spectant) *sed quia* (sunt ista huius instituti) *dum huiusmodi Sacerdotes se à populo contemptos viderint, rubore verecundiæ facilius ad pœnitentiam prouocentur.* Non probat Spalat. indulgentissimus Præsul, nec solùm non probat, sed etiam vanitatem orationis adhibet, vt cœlibatu sacros altaris ministros auocet.

Lib. 2. c. 10. Num. 90. Audiamus orationem Epicuri Christianorum. *Naturam*, inquit, *consulamus. Profecto fumus, qui non exhalatur, totam domum perpetuò reddit fuliginosam; secùs est si aptato camino erumperet. Et cerebrum obsessum, occupatumque vaporibus cruditatum in stomacho indigestarum, ineptum est ad philosophandum. Quod si subinde à cruditatibus euacuetur in debita conseruetur temperie, ac perspicuitate.* Scilicet quod ait ille, sapientiam inscribit vitiis, & nomen prætexit. Sed iam pro solemni illa sua inconstãtia patronũ se pudicitiæ simulat. *Placeat*, inquit, *continentia Sacerdotum, suadeatur illa, procuretur, præcipiatur.* Diceres in castra Pontificũ Gregorij VII. Paschalis, Vrbani, & Innocentij transisse; sed vbique desertorem agnoscas. *Matrimonia interim*, inquit, *legitima non damnentur, neq; dissoluantur.* Audi, mi Antôni, *matrimonia legitima*, non solùm non damnant, sed & in Sacramentorum numero ponunt Pontifices. Spuria verò qualia sunt iam Sacerdotum, contra fas inita damnat, ac pro sacrilegis toto Occidente habet. Blanda nos oratione delinire ac capere conaris, sed deauratum Babylonis poculum, ne quid veneni instillet etiam libare detrectamus. Præstantiora incontinentiæ remedia suggerunt sapientissimi Patres, docentque hoc dæmonij genus *oratione tolli & ieiunio*, non verò mulierum amplexibus, quibus contra libido vehementius incenditur ac inflammatur.

Spalat. Num. 55.

Ibid.

DISCVSSIO
DVODECIMI CAPITIS
LIBRI SECVNDI.

CONSPECTVS CAPITIS.

Monachos inſtituti ſui Principes habere Eliam, Elizæum & Ioannem Baptiſtam: Chriſtum & Apoſtolos eius ſuſcipiendi conſilium dediſſe: veteres Patres commendaſſe: Etiam Spalatenſis confeßione: Primorum Monachorum eadem inſtituta quæ noſtrorum: Vt hos ſic iſtos coluiſſe paupertatem, caſtitatem, & obedientiam: Monachi non ſolùm ornamento eſſe, ſed eam quoque iuuare exemplis probatur: Soluuntur obiectiones ex Patribus: Qua ratione prædicandi Prouinciam ſuſcipere poßint: Opinio eorum qui religioſos ad docendum ineptos faciunt, ſtultitiæ plena authore ſancto Thoma: Qua ratione Monachi in ratione pœnitentium: Monachos qua monachos Laicos fuiſſe: Comparatione ſacrorum miniſtrorum: Qua in re poſita ſit ſolemnitas voti: Monachum ſe totum conſecrare Deo: Neceßitas implendi voti: Ethnicorum & Schiſmaticorum calumniæ in Monachos depulſæ: Pij pio inſtituto fauent, nec niſi ab impiis lacerantur: Soluuntur quædam obiectiones Spalatenſis: De voto ſimplici & ſolemni: Eſſentialiter differre hæc duo votorum genera: Voti ſimplicis vinculum ſolui poſſe non item ſolemnis: In quo poſita ſit ſolemnitas voti amplius declaratur: Bonifacius VIII. declaratus: Obiter de Anania propter votifragos: In approbata religione votum faciendum vt ſolemnitate potiatur: Ritum ac cæremoniam inuectam à Pontificibus, ſed voti acceptationem perpetuò in Eccleſia fuiſſe: De materia votorum: Defenduntur vota Paupertatis & Caſtitatis: Iniquiſſima Spalatenſis Religioſorum Cenſura: Vouere libertatis eſſe, reddere neceßitatis: In quo poſitum ſit diſcrimen inter votum ſolemne & ſimplex amplior diſcuſſio: Spalatenſis refutatus: Eius argumenta depulſa: Hominis vanitas: Monachũ ineuntem matrimonium non ſolum peccare, verùm etiam contrahere non poſſe: Votum Religioſorum non impedire modò, ſed dirimere matrimonia: Quod minimè faciunt leuiora alia vota: Monachos fractione voti Apoſtaſiã incurrere: Soluuntur argumenta Spalatenſis: Grauis conteſtatio Dei ad Monachum deſertorem ex Caſario: Auguſtini mitis animus in tolerandis Apoſtatis: Pueros pares eſſe ſuſcipiendo inſtituto Monachorũ: Spalatenſis cauilli & Sarcaſmi in ſocietatem Ieſu: Defenditur ſtatus Monachorum quales ſunt hodie in Eccleſia. Stultum eſſe exiſtimare Monachatum cum clericatu pugnare: Quo ſenſu cenſeatur Monachus plangentis habere officium non docentis: Ioannis Hieroſolymitani in perſequendo Hieronymo immanitas ac peruicacia: Quo ſenſu in numero pœnitentium Monachi: Religioſorum ſtatus inferior ſtatu Epiſcoporum, ſed ſuperior ſtatu reliquorum Clericorum.

CHRISTVS Dominus Apoſtolis ſuam immediatè commiſit Eccleſiam gubernandam; eoſque adhibuit ſuos Miniſtros, quorum opera, & labore & fundaretur illa, & propagaretur ac regetur miniſterialiter. Apoſtoli verò, Chriſti diſpoſitione Epiſcopos & Presbyteros, tum Collegas, tum ſucceſſores, in tota ordinaria Apoſtolica auctoritate habuerunt, & inſtituerunt; vt eſt hactenus tum in primo, tum in hoc ſecundo libro à me demonſtratum. Qui deinde Apoſtoli, ac poſtea eorum ſucceſ- SPALAT. Num. 1.

ſores, varia externa officia aliis inferioribus Miniſtris exercenda in Eccleſia tradiderunt; ipſoſque varios Miniſtros inſtituerunt, vt eſt oſtenſum; Qui omnes Miniſtri Eccleſiarum, ſiue ſacri & maiores, ſiue minores Clericorum nomine comprehenduntur. Inter hos verò Monachorum qui iam inter viros Eccleſiaſticos ſatis amplum & nobiliſſimum locum occupant, inſtitutionem non reperies: Sed oſtendo illos, in nullo gradu ne inſimo quidem, virorum Eccleſiaſticorum hoc eſt Eccleſiæ Miniſtrorum, ſed inter meros laïcos eſſe reponendos.

Pſal. 44. ECCLESIAM reginam *aureo veſtitu, varietate circundatam*, celebrat in Pſalmis Dauid, *ac in fimbriis aureis circumamictam varietatibus*, Salomon verò, *caſtrorum aciem ordinatam*; quibus allegoricis ſermonibus diuerſitatem ordinum ac varietatẽ ſtatuunt, qui in Eccleſia ſpectantur, pingunt ac deſcribunt eximij Prophetæ: Nam præterquam quod omnis generis homines ſinu ſuo complectitur, Pontifices ſuos habet, ſuos Presbyteros ſuos Leuitas, ſuos quoque Monachos ac reliquos Ordines, ex quibus effloreſcit. Rurſus ſic nuptias colit, vt virginitati faueat ac patrocinetur, ſic quoque continentiam laudibus in cœlum tollit, vt nuptias in precio habeat, quod eleganter perſequitur contra Apoſtolicos Epiphanius: *Habet quidem*, inquit, *renunciationem Eccleſia; ſed non ideo deteſtandas nuptias exiſtimat. Habet bonorum omnium inopiam; ſed non aduerſus illos inſolenter effertur, qui ea iuſtè poſſident à parentibus accepta, quibus tam ſibi quàm aliis indigentibus ſubueniant. Adhæc à ciborum vſu temperant multi; ſed non contra eos qui illis vtuntur, ſuperbè ſe gerunt. Qui enim manducat, non manducantem non contemnat: & qui non manducat, manducantem non iudicet. Chriſto enim manducat & bibit. Iamne vides eandem in Eccleſia concordiam, eandemque ſpem & fidem, quæ vnicuique ſecundum propriam vim propriumque laboris certamen gratificari ſtudet? Etenim ſancta Dei Eccleſia naui cuidam ſimilis eſt. Nauis porrò non ex vnica tabula, ſed ex diuerſis coagmentatur. Habet quidem ex vno quidem ligno carinam; ſed non vno ac ſimplici modo: anchoræ deinde alterius generis ſunt: Tum peritonæa, tabulata, ſtatumina, ac puppis, laterum, tranſtrorumque partes, vela, temones, phalangas, manubria, clauos: ac reliqua omnia vario ex materiæ genere coagmentantur. At vnaquæque iſtarum Hæreſeon vnico ligno conſtans, Eccleſiæ notam ac characterem præ ſe non habet. Contrà Dei Eccleſia honeſtas nuptias admittit, ac veneratione proſequitur. Honeſtæ enim nuptiæ ſunt, & torus immaculatus. Habet & continentiam, & quidem ſingularem, eamque commendat; vt potè quæ certamen quoddam ſuſcipit, vitamque ipſam, quaſi potentior, deſpicit. Nec minus virginitatem habet, eamque magnoperè prædicat, quaſi cum virtute coniunctam, læuiſſimaque penna præditam. Nec ei deſunt certi homines, qui mundo renunciarunt: nec aduerſus eos, qui adhuc in mundo verſantur, arroganter inſoleſcunt, ſed iis ipſis delectantur. Quales olim Apoſtoli fuerunt, omnium ſcilicet rerum poſſeſſione vacui. Imò & Saluator ipſe Dominus omnium, cùm in hac carne viueret, nihil ex hiſce terrenis rebus poſſidere voluit.* Cuius tamen inſtituti homines, hoc eſt qui mundo renunciant, & nuptiis, inſectatur hoc capite Spalatenſis, ac veluti propudia & ludibria Eccleſiaſtici ordinis traducit; Et primùm quidem *Monachos in nullo gradu, ne inſimo quidem virorum Eccleſiaſticorum, hoc eſt Eccleſiæ Miniſtrorum, ſed inter meros Laïcos eſſe reponendos cenſet*; Etſi verò Orthodoxi non negant Monachorum ordi-

Epiph. hær. 61. Καὶ ἔχει μέν τι ἀπορρήτου ἐκκλησία, ἀλλ' οὐ βδελύττεται τὸν γάμον. καὶ ἔχει ἀκηλιδωσύνην, ἀλλὰ καὶ ὑπερέπαινον τὴν κτίσιν θεωροῦσιν ὑφαρχόντων, καὶ οὐ τὸ ἴδιον χρῆμα ἔχοντων, ὅπως ἑαυτοῖς τι, καὶ τοῖς ὀπαδοῦσιν ὑπάρχωσι· καὶ ἀπόχρησιν μὲν βεωμάτων πολλῶν, ἀλλ' οὐ φυσιοῦνται χρῆ μὲ ἀπόχρημα. ὁ γὰρ ἴδιον, ἢ μὴ ἴδιόν τι μὴ ἔχειν. οὐδενείσιν. καὶ ὁ μὴ ἰδίων, ἢ ἰδίοντι μὴ κεκτῆσθαι. Χειρὸς γὰρ ἴδιόν καὶ πίστις. &c.

Spalat. in fine. Nu. 1.

nem

nem laïcis quoque ex vetere inſtituto, conſtare, meros tamen eos laïcos non faciunt, ſed tertium quendam ordinem ex Clericis & laïcis conſtitutum, qui certis ſymbolis ac functionibus diſtinguatur; Et quidem infra oſtendam, Monachos etiam in Monaſterio perſeuerantes, ac Monaſticen obnixè colentes, plerumque ſacris initiatos fuiſſe, ac proinde pro meris laicis haberi non poſſe; Et quidem etiam profeſſione arctioris vitæ à laicis diſcriminari, nulli ſanè dubium eſſe poteſt. *Certè*, inquit Hieronymus, *flos quidam & pretioſiſſimus lapis, inter Eccleſiaſtica ornamenta Monachorum & Virginum chorus eſt.* Quanquam etiam diſcrimen ſtatuendum eſt inter prioris illius æui Monachos, & poſterioris ſæculi, quos dicunt Religioſos; Prioris ſi quidem æui Monachi proculdubiò pœnitentes fuere, quibus conſtitutum eſſet vitam in lacrymis ac ſqualore ducere, licet inter facinoroſos pœnitentes qui plenam doloris pœnitentiam agerent, propter admiſſa peccata grauiora, non eſſent reponendi, ſed inter ſpontaneos pœnitentes, qui proprio impulſu ob gehennæ metum, vt de ſe loquitur Hieronymus, & vt liberius Deo vacarent in ſolitudines ſe dabant, vel Monaſterio tanquam carcere claudebant, vt omnes peccandi occaſiones à ſe amouerent. Religioſi verò qui nunc Monaſteria incolunt, inter meros pœnitentes non numerantur, ſed inter perfectioris vitæ canditatos, qui mixtum quoddam genus inter Clericos & laicos faciunt. Cæterùm tam hi quàm illi, & ſi ex inſtituto Clerici non ſunt, Clerici tamen eſſe poſſunt. Sed audiamus Spalat. in eos inuehentem. *Inſtitutum*, inquit, *Monachorum Chriſtianorum (mittamus nunc Eliam & Eliſæum, imò & Ioannem Baptiſtam; qui ad Synagogam pertinuerunt) priuato hominum ſtudio, priuataque pietate ac deuotione, non vlla publica inſtitutione, emerſit. Chriſtus ad Monachatum neminem vocauit, Apoſtoli Monachum nullum fecerunt; Epiſcopi & Eccleſia vetus Monachalem vitam nemini vnquam præſcripſerunt.* Primùm autem hanc quæſtionem de Monachorum inſtituto verſaturus, improbè Eliam, Eliſæum, & Ioannem Baptiſtam amandat: vt enim ad nouum Teſtamentum propriè non pertineant, non dubitant tamen Orthodoxi Patres Principes eos facere Chriſtianorum Monachorum. Audi Hieronymum de Monachis, in quorum numero ſeipſum ponit loquentem; *Noſter*, inquit, *Princeps Elias, noſter Eliſæus, noſtri duces filij Prophetarum qui habitabãt in agris & ſolitudinibus, & faciebant ſibi tabernacula propè fluenta Iordanis.* Alio loco filios Prophetarum, & ipſos Monachos facit. *Filij Prophetarum*, inquit, *quos Monachos in veteri Teſtamento legimus, ædificabant ſibi caſulas, propè fluenta Iordanis.* De Anachoretis ſpeciatim. *Huius*, inquit, *vitæ author Paulus, illuſtrator Antonius, & vt ad ſuperiora conſcendam, Princeps Ioannes Baptiſta.* Audi Chryſoſtomum. *Sicut*, inquit, *Sacerdotum Principes ſunt Apoſtoli, ſic Monachorum Princeps Baptiſta eſt.* Sanctus Bernardus ſermone de priuilegiis Ioannis Baptiſtæ. *Ioannes*, inquit, *ætatis ſupergreſſus infantiam, & nobilioris generis generoſitatem oblitus, ſoli vacat diuinitati, factus forma vitæ, Monachorum propoſitum, Anachoretarum principium, totius religionis aſſertio. Ecce hæc quidem pro conuerſione. Porrò quanta ſublimitas in conuerſatione fuerit, non eſt currentis linguæ volubilitate diſſerendum, ſed Euangelicæ dignitatis comprobandum eloquio. Ioannes, inquit, habebat veſtimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos eius: eſca autem eius erat locuſta & mel ſylueſtre. Ecce qui mollibus veſtiuntur, in domibus regum ſunt. Rigida veſtis, & duriſſimis hiſpiditatibus contexta, rigore ſqualifero corpus afficit Patriarchæ, carnemque tenerrimam immatura diſtrictio diſciplinæ feri-*

Ep. 17. ad Marc. c. 6.

Num. 2.

Ad Paul. ep. 13.

Ad Ruſtic. ep. 4.

Ad Euſt. de cuſt. Virg.

Chryſ. ho. 1. in Marc.

S. Ber. ſer. de priuil. Ioan. Bapt.

Digitized by Google

tate coarctat, teneros artus, & sacratiori spiritu superfusos, continuè quassat longitudo martyrij. Cibus autem eius qualis erat? Non quæruntur perdices, fasiani, seu aliæ aues: non per totam curritur regionem, vt patriarchalis stomachus impleatur: sed

Lib. 1. c. 12. *erat esca eius locusta & mel syluestre, &c.* Sozomenus verò explicata Monachorum viuendi ratione. *Hinc præclaram*, inquit, *viuendi rationem primus, vti quidam memorant, instituit Propheta Elias, & Ioannes Baptista.* Potuit igitur tres Monachatus Principes hoc loco adduxisse Spalatensis. Quod addit,

τῶν ἀπ' ἐκείνου εὐλογουμένων, ὧν πρῶτος μέγιστος, Ἠλίας ὁ προφήτης, καὶ Ἰωάννης ὁ βαπτιστής.

Ibid. Num. 2. *Monachorum institutum priuato hominum studio, priuatáque pietate ac deuotione, non vlla præterita institutione emersisse, Christum neminem ad Monachatum vocasse, Apostolos nullum Monachum fecisse, Episcopos & Ecclesiam veterem monachalem vitam nemini vnquam præscripsisse*, omnino animaduersione indiget. Verum quidem est nulli Monachatum præscripsisse Christum aut Apostolos, aut etiam Ecclesiam, si præceptum suscipiendæ vitæ monasticæ spectetur, si consilium falsissimum. Certum enim est Christum statum Monachorum aliquem immobilem non secus ac Clericorum aut Laicorum in Ecclesia sua esse voluisse, cuius tamen legibus neminem astrinxerit, nisi astringi volentem. *Magister bonus*, inquit Augustinus, *mandata legis ab ista excellentiore*

Aug. ep. 89. ad Hil. *perfectione distinxit. Ibi enim dixit: Si vis venire ad vitam, serua mandata: hic autem: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & cætera. Cur ergo negamus diuites, quamuis ab illa perfectione absint, venire tamen ad vitam, si mandata seruauerint, & dederint vt detur illis, & dimiserint vt dimittatur illis? Credimus enim ministrum noui testamenti fuisse Apostolum, cùm scribens ad Timotheum di-*

Timoth. 6. *ceret: Præcipite diuitibus huius mundi non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum, sed in Deo viuo, qui præstat nobis omnia abundanter ad fruendum. Benè faciãt diuites, sint in operibus bonis, facilè tribuant, cõmunicent, thesaurisent sibi fundamentum bonum in futurũ, vt apprehendant veram vitam, de qua & illi adolescenti dictum est: Si vis venire ad vitam. Puto quod ista præcipiens, diuites instruebat, non fallebat Apostolus, qui non ait, Præcipe diuitibus huius mundi, vt vendant omnia quæ habent, dent pauperibus & sequantur Dominum: Sed non superbè sapere, neque sperare in incerto diuitiarum. Ista superbia diuitem illum, qui iacentem ante ianuam suam contemnebat pauperem iustum, & ista spes in incerto diuitiarum, qua se propter purpuram, byssum, & epulas splendidas beatum putabat, non ipsæ diuitiæ perduxerunt ad inferni tormenta. An fortè quia Dominus adiunxit: Amen dico vobis, difficile diues intrabit in regnum cœlorum: Et iterum dico vobis: Facilius intrabit camelus per foramen acus, quàm diues in regnum cœlorum: ideo putant isti diuitem, etiam si faciat ista quæ diuitibus præcipienda scripsit Apostolus, in regnum cœlorum intrare non posse? Quid ergo est? Verum Apostolus contra Dominum loquitur, an isti nesciunt quid loquuntur? Quid horum credat, eligat Christianus. Puto melius nos credere istos nescire quid loquantur, quàm Paulum contra Domin. ũ loqui. Deinde cur non in consequentibus etiam ipsum Dominum audiunt dicentem discipulis pro miseria diuitum contristatis; Quid hominibus impossibile est, Deo facile est? &c.* Propterea Chrysostomus Monachatum Christi philosophiam vocat, *Monachi homines*, inquit, *pauperes, veste plus nihil habentes vili, viuentes in rusticitate, nulli esse apparentes, in montibus & saltibus versantes, velut quidam Leones magno & alto sensu præditi, omnibus pauefactis & trepidantibus in medio consistentes, malum dissoluêre non multis diebus, sed breui temporis momento. Et sicut generosi bellatores non tantùm aduersarios complexi, sed etiam visi tantùm*

Chr. hom. hom. 17. ad popul. Ant.

Οἱ μοναχοὶ αὐθρωποι μόνοι, ἁπλοῦν μᾶλλον οὐδὲν ἔχοντες ἐνταῦθα ἐν ἕχου-

in acie

in acie & vociferati aduersarios conuertunt: sic & hi die vna & descenderunt, & soluerunt calamitatem, & ad propria sunt reuersi tabernacula. Tanti est Philosophia à Christo in genus humanum introducta, &c. Scilicet eius vox est, *Sunt Eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cælorum, qui potest capere capiat. Proponit ἀγωνοθέτης proœmium,* inquit Hieronymus, *inuitat ad cursum: tenet in manu virginitatis brauium, ostendit purissimum fontem, & clamitat: Qui sitit, veniat, & bibat: qui potest capere capiat. Non dicit, velitis nolitis bibendum vobis est, atque currendum: sed qui voluerit, qui potuerit currere, atque potare, ille vincet, ille satiabitur. Et ideò plus amat Virgines Christus, quia sponte tribuunt, quod sibi non fuerat imperatum. Maiorisque gratiæ est, offerre quod non debeas, quàm reddere, quod exigaris.* Cæterùm pertinere ista ad Monastices cultores nemo non videt, & id infrà demonstrabitur. Spalatensis ipse ferè inclinat in hanc sententiã, ac Monasticen ab Apostolorum, potissimùm Pauli, viuendi forma initium duxisse concedit. *Quid igitur?* inquit, *Ex vita Apostolica qualem & Apostoli, ac præsertim Paulus; & fideles primitiuæ Ecclesiæ Hierosolymis, magno feruore spiritus, duxerunt, priuati homines, priuato studio, exempla sumpserunt. Et quod Paulus, quod fideles non lege vlla, non præcepto; sed liberè, sponte, propria voluntate, obseruarunt; id sibi aliqui legem & præceptum propria voluntate fecerunt; vt nimirum cælibes & continentes viuerent; possessiones certosque redditus nullos haberent: & si quos haberent eos in pauperum vsum distribuerent; ipsi verò relictis omnibus, cum Paulo, ex laboribus suis, propriis manibus sibi victum compararent; & interim pœnitentiæ ac pietatis operibus vacantes priuatam vitam agerent in solitudine. Et quia præcipua huius Monachalis instituti pars est omnia quæ quis possidet relinquere, & cum Paulo ex propriis laboribus necessaria sibi, sed sobriissimè comparare, & proprias possessiones in commune erogare, in communique vitam agere; hinc est quod institutum Monasticũ meritò Hieronymus Apostolos significet Patres ac institutores habuisse; dum Clericos & facit Monachos, & vocat Patres Monachorum: & Chrysostomus verba illa Christi; Melius est tibi sine vno oculo, &c. Monachis qui relinquunt omnia, etiam Patrem & matrem, quæ illos possint scandalizare, applicans, ait; Melius est te regnare sine Matre, quàm perire cum Matre; & hoc, inquit, propriè loquitur ad Monachos; hoc propriè loquitur ad Apostolos: Monachos enim Apostolicam vitam desiderat imitari. Vis ô Monache esse discipulus meus; imò vis Discipulorum meorum esse Discipulus? Fac tu quod fecit Petrus, quod fecit Iacobus & Ioannes: Habebant oculum scandalizantem, Patrem & Matrem, & rete, dicit eis Iesus: Venite sequimini me, &c. Et exemplar vnde sunt desumpti Monachi expressè facit Apostolos. Ait quoque: Sic in Monasteriis nunc viuunt; quemadmodũ olim fideles. Bernardus verò idem expressè confirmat, vbi ait; Heu me miserum qualémque Monachum, cur adhuc viuo, videre ad id deuenisse ordinem nostrũ, ordinem scilicet qui primus fuit in Ecclesia, imò à quo cœpit Ecclesia, quo nullus in terra similior Angelicis ordinibus, nullus vicinior ei qui in cælis est Hierusalem mater nostra, siue ob decorem castitatis, siue propter charitatis ardorẽ; cuius Apostoli institutores; cuius hi, quos Paulus tam sæpè sanctos appellat, inchoatores, extiterunt? Et quidem inter illos, cùm nihil quod suum esset quispiam retinuisset, diuidebatur, vt scriptum est, singulis, prout cuique opus erat. Et ante Bernardum Concilium Meldense idem profitetur, Monasticum verum Ordinem, ab Apostolis originem habuisse.*

ὡς βασιλικὸς τις, οὐδὲν ὕστερα δικαιοῦντες ἐμφανίζει, ὃς ἐπὶ τὸ γάμου ὁμολογεῖ τις, καὶ δόξῃ τις λέγειν μὴ μεγάλου, καὶ ὑψηλοῦ φρονήματος, πάντων δὲ δεικνύτω τὸ κατεπεῖγον· εἰς τὸ μέσον σπεύδει τὸ δεῖν ἔλαιον, ὃ οὐ πολλοῖς ἀμύρεται, ἀλλ' ὀλίγοις κατὰ βραχύ. Matth.19. Hier. lib.1. cont.Iouin. SPALAT. Num.2.

Hier.ep.10.

Matth.18.

Chryſ. in var. Matth. loc.ho. 18.

Id.in Matt. hom. 56. Id. in Act. Apo.ho.11. Bern.in Ap. ad Guliel. Abbat.

Act.4.

Cõc.Meld. cap. 9.

Pergit verò Monachorum institutum ex Patribus illustrare. *Cassianus,* inquit, *optimè omnium ex professo rem ita declarat: Tria sunt, inquit, in Ægypto ge-* SPALAT. Num.3.

Digitized by Google

Cassian. collat. 18. cap. 4.

nera Monachorum ; quorum duo sunt optima ; tertium tepidum, atque omnibus euitandum. Primum est Cœnobitarum ; qui scilicet in congregatione pariter consistentes, vnius senioris iudicio gubernãtur; cuius generis maximus numerus Monachorũ per vniuersam commoratur Aegyptum, &c. Secundum Anachoretarũ, qui prius in cœnobiis instituti, tãque in actuali conuersatione perfecti, solitudinis elegere secreta; cuius perfectionis nos quoque optamus esse participes. Tertium reprehensibile Sarabaïtarum est, de quibus singillatim per ordinem plenius differimus. Harum igitur trium professionum fundatores primum, vt diximus, debetis agnoscere. Nam profectò ex hoc ipso vel odium professionis illius nasci poterit, quæ vitanda est ; vel eius desiderium, quæ sequenda: quia necesse est, vnamquamque viam, ad illum finem suum

Spalat. Num. 4. Ibid. c. 5.

pertrahere sectatorem, ad quem author ipsius, inuentorque peruenit. Cœnobitarum itaque disciplina, à tempore Apostolicæ prædicationis sumpsit exordium. Nam talis extitit in Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in Actibus Apostolo-

Act. 4.

rum ita describitur, Multitudinis credentium, erat cor vnum, & anima vna, &c. Talis, inquam, erat tunc omnis Ecclesia, quales nunc per paucos in cœnobiis inuenire difficile est. Sed cùm post Apostolorum excessum, tepescere cœpissent credentium multitudo, ea vel maximè quæ ad fidem Christi de alienigenis ac diuersis gentibus confluebat, à quibus Apostoli, pro ipsis fidei rudimentis, ac inueterata Gentilitatis consue-

Actor. 15.

tudine, nihil amplius expetebant, nisi vt ab immolatitiis idolorum, & fornicatione & suffocatis, & sanguine temperarent; atque ista libertas, quæ gentibus propter infirmitatem primæ credulitatis, indulta est, etiam illius Ecclesiæ perfectionem, quæ Hierosolymis consistebat, paulatim contaminare cœpisset, & crescente quotidie vel indigenarum numero, vel aduenarum, primæ illius fidei refrigesceret feruor ; non solùm hi qui ad fidem Christi confluxerant, verumetiam illi qui erant Ecclesiæ Principes, ab illa districtione laxati sunt. Nonnulli enim existimantes id quod videbant gentibus pro infirmitate concessum, sibi etiam licitum, nihil se detrimenti perpeti crediderunt, si cum substantiis ac facultatibus suis, fidem Christi, confessionémque sequerentur. Hi autem quibus adhuc Apostolicus inerat feruor, memores illius pristinæ perfectionis, discedentes à ciuitatibus suis, illorumque consortio qui sibi vel Ecclesiæ Dei, remissioris vitæ negligentiam licitam esse credebant, in locis suburbanis, ac secretioribus commanere, & ea quæ ab Apostolis per vniuersum corpus Ecclesiæ generaliter meminerant instituta priuatim, ac peculiariter exercere cœperunt : atque ita coaluit ista quam diximus discipulorum, qui se ab illorum contagio sequestrauerant, disciplina. Qui paulatim, procedente tempore, segregati à credentium turbis, ab eo quod à coniugiis abstinerent, & à parentum se consortio, mundique istius conuersatione secernerent, Monachi siue Monazontes, singularis, ac solitariæ vitæ districtione, nominati sunt : Vnde consequens fuit, vt ex communione consortij, Cœnobitæ: cellæque ac diuersoria eorum, Cœnobia vocarentur. Istud ergo solùm fuit, antiquissimum Monachorum genus, quod non modò tempore, sed etiam gratia, primum est; quodque per annos plurimos inuiolabile, vsque ad Abbatis Pauli, vel Antonij durauit ætatem: Cuius etiam nunc in districtis cœnobiis cernimus residere vestigia. De

Spalat. Num. 5. Ibid. c. 6.

hoc perfectorum numero & vt ita dixerim, fœcundissima radice, sanctorum etiam Anachoretarum post hæc flores, fructusque prolati sunt: cuius professionis Principes hos quos paulò antè memorauimus, sanctum videlicet Paulum, vel Antonium nouimus extitisse; qui non vt quidam pusillanimitatis causa, vel impatientiæ morbo, sed desiderio sublimioris profectus, contemplationisque diuinæ, solitudinis secreta sectati sunt: licet eorum prior, necessitatis obtentu, dum tempore persecutionis affinium suo-

rum

rum deuitat insidias, eremum penetrasse dicatur. Ita ergo processit ex illa quam diximus disciplina, aliud perfectionis genus: cuius sectatores Anachoretæ, id est, secessores, meritò nuncupantur: eo quod nequaquam contenti hac victoria, qua inter homines occultas insidias Diaboli calcauerunt; aperto certamine ac manifesto conflictu, Dæmonibus congredi cupientes, vastos eremi recessus penetrare non timeant; ad imitationem scilicet Ioannis Baptistæ, qui in eremo tota permansit ætate; Eliæ quoque & Elisæi, atque illorum de quibus Apostolus ita memorat, Circuierunt in Melotis, Heb.11. *&c. De quibus etiam figuraliter Dominus ad Iob; Quis autem est qui dimisit onagrum liberum, &c. In Psalmis quoque, Dicant nunc qui redempti sunt, &c. errauerunt in solitudine, &c. quos etiam Hieremias ita describit, Beatus qui tulit iugum ab adolescentia, quique illud Psalmistæ affectu, & opere concinunt; Similis factus sum pellicano solitudinis, vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto. Huc vsque Cassianus. De tertio pessimo genere Monachorum, ex eodem Cassiano dicam inferius. Ex his tamen satis apparet, quo pacto homines priuati, ex prima Apostolorum vitæ communis fidelium institutione, priuata sua electione, & voluntate propria secesserint, & Monachale institutũ à multitudine separatum erexerint; id quod semper maximè viguit, nempè cœnobitarum. Quamuisne Anachoretæ quidem à Monachorum cœnobitarum statu essentialiter differrent: sed solitudine tantùm: De quibus similia iis quæ à Cassiano scribuntur. Theodoretus,* ait Spalatensis, *literis commendauit: Ait enim, Erant in Aegypto homines, qui Angelicam planè viuendi rationem summo studio excolentes, à tumultu ac strepitu ciuili se remouerent, vitamque in solitudine degere instituerent, & loca arenosa, planéque sterilia redderent frugifera; & ex virtute, quam velut legem viuendi, sibi proposuissent, fructum Deo gratissimum, pulcherrimúmque efferrent. Quod vitæ genus, tametsi alij complures colere incœperant, tamen Antonius ille multorum ore, ac sermone celebratus, se ordinum illorum, qui seueram hanc, & Monasticam viuendi disciplinam sectati sunt, Magistrum longè præstantissimum præbuit; itaque sollicitudinem palæstram virtutis Monachis effecit. Et Hieronymus: Huius vitæ author,* Hie. ep.22. *inquit, Paulus (nimirum primus heremita) illustrator Antonius; & vt ad superiora contendam, Princeps Ioannes Baptista. Ad quem Ioannem, propter solitudinem, Anachoretarum initia reduxit etiam Chrysostomus. Sed cœnobitæ Monachi, vt vidimus; sunt veri Monachi, ante Paulum, & Antonium iam instituti, ex quibus Anachoretæ prodierunt; non diuersi Monachi, sed ijdem; redacti tamen ad remotas solitudines: ex Monasteriis enim in eremi solitudines deceptos multos auocatos deflet Bernardus. Interim tamen nullam cernimus Monachorum publicam, siue à Christo, siue ab Apostolis, aut ab Ecclesia institutionem, sed priuatam ac liberam priuatorum, priuata voluntate secessionem. Et sanè non ad vllum publicum officium, aut Ecclesiasticum exercitium, circa regimen Ecclesiæ & fidelium, aut Ecclesiarum publicarum curam, sed ad priuatum duntaxat bonum, ipsorummet secedentium; vt paulò pòst explicabo. Philo Iudæus,* Perſequitur Spalatensis, *contemporaneus nostris sanctis Apostolis, in libro de vita contemplatiua, institutũ hoc idem nostrorum, vt videtur sub Marco, Monachorum, pluribus est persequutus. Insigniora verò quæ de ipsis asserit, sunt hæc: Huic vitæ instituto, inquit, qui se addicunt, non ex more aut rogati, id faciunt, sed amore correpti rerum cœlestium: Facultates suas relinquunt liberis aut cognatis, vltro eis possessione cedendo. Relictis facultatibus & auocamentis omnibus, fugiunt sine respectu fratrum, liberorum, parentum, vxorumque & deserunt numerosas agnationes, societates, amicitias, ipsas denique pa-*

Cassian. Num.6 Theo. hist. l.4. c.19.

Chrys in Marc.ho.1. & hom. de Ioan. Bapt.

Bern.in Cant.serm. 64.

Spalat. Num.7.

Apud Eus. hist.l.2.c. 16.17.&c.

trias in quibus geniti, educatique ſunt. Demigrant alio & extra mœnia degunt in hortis, aut villis ſolitariis, amantes ſolitudinem; non hominum odio, ſed ad cauendos congreſſus cum diſſimilibus, quos ſciunt bonis moribus officere, ſinguli habent ſacras ædiculas, quæ ſemina vocant ſiue Monaſteria, vbi ſolitarij ſanctæ vitæ myſteriis dant operam; nec cibi potuſve quicquam eo inferunt; aliudve in vſum corporis. Ac pergit eorum deſcribere ſummam abſtinentiam, vitæque miram auſteritatem. De Monachis præterea Aegyptiis (nam in Aegypto maximè floruerunt) agunt pluribus etiam Athanaſius in vita Antonij, Nazianzenus or. 18. in B. Athanaſium, Baſilius de inſt. Monach. Hieronymus ep. 4. ad Ruſticum & in vita Pauli Heremitæ: Auguſtinus de opere Monachorum. Et in Pſal. 99. & c. Ephrem de vita & exercitat. monaſtica. Climachus in ſua ſcala; Emiſſenus 10. homiliis ad Monachos, Chryſoſt. hom. 59. & 69. in Matth. & ad populum Antioch. homil. 56. 57. 58. ac ſæpè alibi: & multi alij. Qui omnes monachalem vitam & profeſsionem egregiè deſcribunt à vita & profeſsione noſtrorum Monachorum toto cælo differentem. Omnes tamen ſolam liberam hominũ ſeceſsionem, vitamque ab ipſis, priuata eorum voluntate ſic inſtitutam, ad exemplum tamen Apoſtolorum, & primitiuæ Eccleſiæ Hieroſolymitanæ agnoſcunt. De Monachis porrò Aegyptiis, concludit Spalatenſis, (*nam in Aegypto maximè floruerunt*) *pluribus etiam agunt Athanaſius, Nazianzenus, Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, Ephrem, Climachus, Emiſſenus, Chryſoſtomus.* In his quamquam quædam ſunt animaduerſione digna, tamen quia ſæpè eodem reuoluitur aduerſarius, erunt à nobis inferius pertractanda. Hic ſiſtendus nobis eſt, ne magnam iniuriam toti Monachorum ordini factam diſ-

Eod. nu. 7. ſimulaſſe videamur. *Hi omnes Patres*, inquit, *monachalem vitam egregiè deſcribunt, à vita & profeſsione noſtrorum Monachorum toto cælo differentem.* Igitur ſummam eſſe hanc calumniam ex eo oſtendi poteſt, quod veteres illi Patres Monaſtices laudatores, eadem velint fuiſſe priorum Monachorum inſtituta, quæ iam à noſtris obſeruantur. Certè in caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ profeſſione noſtri ſui inſtituti rationem ponunt; at verò iſta omninò excoluiſſe veteres Monachos, & horum potiſſimùm rationem habuiſſe, tota illa ſanctior antiquitas clamat. Illius optimũ interpretem Auguſtinum audiamus. *Quis, inquit*

Aug. to. 1. de moribus Eccleſiæ, cap. 31. *non illos miretur, & prædicet, qui contemptis, atque deſertis mundi huius illecebris, in communem vitã caſtiſsimã ſanctiſsimamque congregati, ſimul ætatem agunt, viuentes in orationibus, in lectionibus, in diſputationibus: nulla ſuperbia tumidi, nulla peruicacia turbulenti, nulla inuidentia liuidi: ſed modeſti, verecundi, pacati concordiſsimã vitam, & intentiſsimam in Deum, gratiſsimum munus ipſi offerunt, à quo iſta poſſe meruerunt. Nemo quicquam poſsidet proprium, nemo cuiquam oneroſus eſt. Operantur manibus ea, quibus & corpus paſci poſsit, & à Deo mens impediri non poſsit. Opus autem ſimul tradunt eũ quos Decanos vocant, eo quod ſint denis præpoſiti, vt neminem illorum cura ſui corporis tangat, neque in cibo, neque in veſtimento, neque ſi quid aliud opus eſt, vel quotidianæ neceſsitati, vel mutatæ, vt aſſolet valetudini. Illi autem decani cum magna ſollicitudine omnia diſponentes, & præſto facientes quicquid illa vita propter imbecillitatem corporis poſtulat, traditionem tamen ipſi reddunt vni, quem Patrem vocant. Hi verò Patres non ſolùm ſanctiſsimi moribus, ſed etiam diuina doctrina excellentiſsimi, omnibus rebus excelſi, nulla ſuperbia conſulunt iis quos filios vocant, magna ſua in iubendo authoritate, magna illorum in obtemperãdo voluntate. Conueniunt autem diei tempore extremo de ſuis quiſque habitaculis, dum adhuc ieiuni ſunt ad audiendum illum Patrem, & conueniunt ad ſingulos pa-*

tres

tres terna, vt minimum, hominum milia: nam etiam multò numerosiores sub vno agunt. Audiunt autem incredibili studio, summo silentio affectiones animorum suorum, prout eos pepulerit differentis oratio, vel gemitu, vel fletu, sed modesto, & clamore vacuo gaudium significantes; corpus deinde reficitur, quantum saluti & salubritati sat est, coercente vnoquoque concupiscentiam, ne se profundat, vel in ea ipsa quæ præsto sunt parca & vilissima. Ita non solùm à carnibus & vino abstinent pro sufficientia domandarum libidinum, sed ab iis etiam quæ tantò concitatius ventris & gutturis prouocant appetitum, quantò quasi mundiora nonnullis videntur: quo nomine solet turpe desiderium exquisitorum ciborum, quod à carnibus alienum est ridiculè turpitérque defendi. Sanè quicquid necessario victui redundat: nam redundat plurimùm ex operibus manuum, & epularum restrictione: tanta cura egentibus distribuitur, quanta non ab ipsis, qui distribuunt comparatum est: Nullo modo namque satagunt, vt hæc tibi abundent, sed omni modo agunt, vt non apud se remaneat quod abundauerit, vsque adeò vt oneratas etiam naues in ea loca mittant, quæ inopes incolunt. Non opus est plura de re notissima dicere. Hæc est etiam vita fœminarum Deo solicitè castéque seruientium, quæ habitaculis segregatæ ac remotæ à viris, quàm longissimè decet, pia tantùm illis charitate iunguntur, & imitatione virtutis: ad quas iuuenum nullus accessus est, neque ipsorum quamuis grauissimorum & probatissimorum senum, nisi vsque ad vestibulum necessaria præbendi quibus indigent gratia. Lanificio namque corpus exercent atque sustentant, vestésque ipsas fratribus tradunt, ab iis inuicem quod victui opus est resumentes. Hos mores, hanc vitam, hunc ordinem, hoc institutum si laudare velim, neque dignè valeo, & vereor ne iudicare videar per seipsum tantummodo expositum placere non posse, si super narratoris simplicitatem cothurnum etiam laudatoris addendum putauero. Hæc Manichæi reprehendite si potestis. Nolite cæcis hominibus, & discernere inualidis ostentare nostra zizania. Vides vt magnus Pater scribat Cœnobitas primùm spretis, ac valere iussis mundi oblectamentis, innocentissimam, ac castissimam vitam professos, demum vt addat, *à nullo quidquam possideri proprium*, ac vltimo doceat Patres, hoc est, monasteriorum præfectos nulla superbia consulere iis, quos filios vocant, magna sua in præcipiendo authoritate, magna illorum in obtemperando voluntate; Fuisse verò perpetui voti legibus astrictos, qui huius se disciplinæ traderent, sexcentis locis indicat. *Nemo positus in monasterio frater*, inquit, *dicat, Recedo de monasterio, neque enim soli qui sunt in monasterio peruenturi sunt ad regnum cœlorum, & illi qui ibi non sunt ad Deum non pertinent. Respondetur ei, Sed illi non vouerunt, tu vouisti, tu retrò respexisti. De die iudicij cùm Dominus minaretur, quid ait? Mementote vxoris Loth. Omnibus dixit. Quid enim fecit vxor Loth? Liberata est à Sodomis, & in via posita retrorsum respexit. Vbi respexit, ibi remansit. Facta est autem statua salis, vt illius contemplatione condiantur homines, cor habeant, non sint fatui, non retrò respiciant: ne malum exemplum dantes, ipsi remaneant, & alios condiant. Nam & modò dicimus illud quibusdam fratribus nostris, quos fortè viderimus velut infirmari in proposito bono, Et talis vis esse, quales illi? Obiicimus illis quosdam, qui retrò respexerunt. Illi fatui sunt in se, sed alios condiunt, quando commemorantur: vt illorum exemplum timentes, isti retrò ne respiciant.* Quod attinet verò ad monasticum habitum, ac pia Monachorum exercitia abundè de his egerunt antiqui Patres, nec est præsentis loci curiosius inuestigare.

August. to. 8. in Ps. 75. circa fin.

Floruisse autem maximè hanc Monachorum disciplinam, aç ex Ægypto

Spalat. Num. 8.

Hier.ep.16. ad Marc. Romam inuectam vltrò concedimus. Extat enim de ea re luculentum Hieronymi teſtimonium; *Nulla, inquit, eo tempore, (quo ſcilicet Marcella hoc inſtitutum illuſtrabat) nobilium fœminarum nouerat Romæ propoſitum Monachorum, nec audebat propter rei nouitatem, ignominioſum, vt nunc putabatur, & vile in populis nomen aſſumere. Hæc ab Alexandrinis prius Sacerdotibus, Papaque Athanaſio; & poſtea Petro, qui perſequutionem Arianæ hæreſeos declinantes, quaſi ad tutiſſimum communionis ſuæ portum Romam confugerant: vitam B. Antonij adhuc tunc viuentis, Monaſteriorumque, in Thebaïde, Pachumij; & Virginum ac viduarum didicit diſciplinam: nec erubuit profiteri, quod Chriſto placere cognouerat.* Seceſſionem verò Monachorum, ſic priuatis ſtudiis priuatorum factam, concedimus; Vt tamen publico Apoſtolorũ exemplo, & perfectiori ac ſublimiori illa Chriſti Philoſophia, vt loquitur Chryſoſtomus, motos ac incitatos eos conſtet, vt vitã eligerent ſibi in primis proficuam, Eccleſiæ verò non inutilem. Neque enim tantùm hoc nomine Monachi ornamento ſunt Eccleſiæ, quod priuatis virtutibus corpus hoc myſticum, cuius ſe partes & membra agnoſcant, illuſtrent, ſed quod etiam precibus, vigiliis, laboribus, adeóque vbi neceſſitas tulerit adhortationibus, rem Chriſtianam iuuent, & promoueant. Cuius rei ſpecimen eximium dedit Aphraates ille nobilis eremi incola Imperio Valentiniani & Valentis. Si quidem cùm Eccleſiam Arriana peſte correptus impius Valens vexaret, non dubitauit ſummus vir gurguſtio, in quo vitam monaſticam excoluerat, relicto; ſe Orthodoxis in prælio ſocium præbere, petitáque Antiochia, in qua regia erat facti ſui rationem pulcherrimã reddit, ac quid præſidij in Monachos Eccleſiæ eſſet, oſtẽdit. Hiſtoriam ſic narrat Theodoretus: *Orontes fluuius*, inquit, *palatium à Septentrionibus præterfluit. A meridie autem, ampliſſima duarum contignationum porticus, turres vtrimque habens excelſas, in ipſo vrbis muro ædificata eſt. Inter palatium & fluuium eſt via publica, quæ eos qui per portas ſuas ex vrbe egrediuntur, excipit, rectáque ad agros ſuburbanos ducit. Hac fortè tranſiens diuinus ille Aphraates ſe ad bellicum gymnaſium, quo ſanctis omnibus conuenientem curationem adhiberet, contulit. Hunc Imperator, oculis de ſublimi ex porticu regia deiectis, vidit, pallio vili ac ſordido indutum: & cito gradu licet confectum penè ætate, incedentem. Ac cùm dixiſſet; Hic eſt ille Aphraates, ex cuius nutu pendet ciuitas vniuerſa: ibi tum Imperator, Cedo, inquit, quo te conferas? Ille tum ſapienter ſanè & appoſitè: Pro tuo, inquit, regno precaturus. Tum Imperator: At domi, inquit, tibi manendum eſt, & intra cellam, vti lex monaſtica poſtulat, orandum. Cui diuinus ille vir præclarè admodum, inquit, dicis ô Imperator: iſtud ſanè mihi faciendum eſt, & hactenus feci dum oues ſeruatoris pace fruerentur. Verùm quoniam iam magnoperè conturbantur, & multùm illis impendit periculi, neceſſe eſt omnes vias perſequi, non modò ne à feris capiantur, ſed etiam vt conſeruentur incolume. Nam dicito mihi, quæſo, ô Imperator: ſi filia alicuius eſſem, & ſederem in conclaui, vti ædes curarem, atque deinde cernerem flammam in eas incidiſſe, adéſque paternas iam conflagrare, dicito mihi, inquam, quid me facere oporteret: intuſne manere, & ædes incenſas negligere, expectaréque donec flammæ impetus longius peruaderet: an relicto conclaui, ſurſum deorſumque curſitare, & aquam efferre, qua flammam extinguerem? Hoc certè te reſponſurũ conſtat. Nam hæ ſunt partes filiæ prudentis & prouidæ. At hoc ipſum nos agimus ô Imperator. Etenim cùm tu iam in Patris noſtri ædes flammam inieceris, nos circumſitamus, quò eam maturè poſſimus extinguere.* Quid referã Baſilij, Chry-

Theo. hiſt. Eccl. l. 4. c. 24. Καὶ πως εἰρηκώτος, ὡς Ἀφραάτης τις, οὗ τὸ τῶν πάλαι ἐξήκοντα πλέθρα, ἔξω περὶ αὐτὸν. πῆ τὸ βασίλειον εἶπε. ὁ δὲ ἐπῶν ἄνω ἐκ τοῦ πρόσω, ὑφ' ἑκάτερα, ἔφη, περιπόλιον βασιλικὸν ἀλλ' οἰκοῦντα μόνον χρὴ ὁ βασιλεὺς ἔφη ἔνδον ἐν τῷ παλατίῳ περὶ εὐχῆς ὑπὲρ τῶν ὅλων ἐμοὶ δὲ ἔνδον ἐν τῷ ἰδίῳ περὶ τῶν ἐμῶν. ὁ δὲ ἐπῶν, ὦ μάκαρ, ἔφη, καλῶς λέγεις. ἀλλὰ ἐμοὶ μὲν ἔνδον ἐν τῷ ἰδίῳ περὶ τῶν ἐμῶν ἐκτελεῖν ἔστιν, ἕως ἂν ἐν τῷ παλατίῳ σου ἐκκαιομένου ἐπὶ πολὺ ὑπερίδω, καὶ πολλὰ ἐπιφλεγόντων κινδύνων, καὶ διεξόδους ἐν τούτοις ἐκζητῶ καὶ διασώζω τὰ θρέμματα.

Chryſoſtomi, Auguſtini, Hieronymi labores pro Eccleſia ſuſceptos; & ij enim vel ex Monaſteriis prodierunt, vel Monaſticè coluerũt. Neque verò toto oriente vllus in Epiſcopum initiatur, qui antè Monachum profeſſus non fuerit. Non deſunt igitur Eccleſiæ Monachi, cùm pia mater eorum opem depoſcit. Itaque quæ de Monachis ex Baſilio, Hieronymo, Chryſoſtomo & Caſſiano profert Spalatenſis, primum eorum inſtitutum arguunt, ſed non ſignificant eſſe eos ad Eccleſiam iuuandam ineptos, maximè verò poteſtate eis ab Eccleſiæ præfectis facta. Quàm verò rectè ſenſit Auguſtinus de Monachis, quorum ſe parentem gloriatur. *Quis neſcit*, inquit ille, *ſumma continentiæ hominum Chriſtianorum multitudinem per totum orbem in dies magis magiſque diffundi, & in Oriente maximè in Aegypto, quod vos nullo modo poteſt latere. Nihil de iis dicam, quos paulò ante commemoraui, qui ſecretiſſimi penitùs ab omni hominum conſpectu, pane ſolo, qui eis per certa interualla temporum affertur, & aquâ cõtenti, deſertiſſimas terras incolũt, perfruentes colloquio Dei, cui puris mentibus inhæſerunt, & eius pulchritudinis contemplatione beatiſſimi, quæ niſi Sanctorũ intellectu percipi non poteſt. Nihil, inquam, de his loquar, videntur enim nonnullis res humanas pluſquam oporteret deſeruiſſe, non intelligentibus quantum nobis eorum animus in orationibus proſit, & vita ad exemplum, quorum corpora videre non ſinimur. Sed hinc diſputare longum & ſuperuacaneum puto: Nam hoc tam excellens faſtigium ſanctitatis, cui non ſua ſponte mirandum & honorandum videtur, oratione noſtra videri quî poteſt? Tantùm iſti admonendi ſunt, qui ſeſe inaniter iactant, in tantum proceſſiſſe temperantiam & continentiam ſanctiſſimorũ Catholicæ fidei Chriſtianorum, vt reſtringenda nonnullis, & quaſi ad humanos fines reuocanda videatur. Vſque adeò ſupra homines illorum animos euaſiſſe, ab iis etiam quibus id diſplicet, iudicatur. Sed ſi hoc excedit noſtram tolerantiam, quis non illos miretur, & prædicet, qui cõtemptis atque deſertis huius mundi illecebris, in communem vitam caſtiſſimam ſanctiſſimámque congegati ſimul ætatem agunt? &c.* Auguſt. de morib. Eccl. cap. 31. Sed audiamus Patres, teſtes à Spalatenſi aduocatos, vt probet Eccleſiæ inutiles eſſe Monachos. Baſilius: *Monachorum*, inquit, *vitæ ratio vnum ſibi tantummodo propoſitum habet, animæ ſalutem; & quicquid prodeſſe ad eum finem poteſt.* Num. 9. Baſil. de inſtit. Mon. Sed Baſilium ipſum quis neſciat Monachum fuiſſe, ac in Epiſcopatu ſeueriore illa viuendi forma retenta, ſedulam regendæ Eccleſiæ operam nauaſſe? Certè propriæ ſalutis procurationem non tollit impenſus proximorum ſaluti labor. Gregorius. *Ad pœnitentiam enim, ait, potiſſimùm peragendam, ſiue pro delictis iam perpetratis; ſiue ad fugienda perpetranda tam propria quàm aliena, Monachi auſterum vitæ genus ſunt amplexi, & ad monaſteria ſeſe conferunt.* Greg. lib. 2. Ind. 11. ep. 62. Hæc expreſsè in Gregorio non habentur, ſed tamen illa epiſtola meminit legis contra Monaſteriorum priuilegia à Mauritio latæ, quàm aboleri poſtulat; Sed & Gratianus teſtimonio Gregorij probat non eſſe Monachos ad ſacerdotalia munera obeunda ineptos. *Ex authoritate* (loquentem Gregoriũ inducit Gratianus) *huius decreti (quod Apoſtolico moderamine & pietatis officio, à nobis eſt conſtitutum) ſacerdotibus Monachis Apoſtolorum figuram tenentibus liceat prædicare, baptiſare, communionem dare, pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata ſoluere.* Cauſa 16. q. 1. c. ex author. 24. Hieronymus ſequitur. *Pudet dicere*, inquit, *de cauernis cellularũ damnamus orbem, in ſacco & cinere volutati de Epiſcopis ſententiam ferimus; Quid facit ſub tunica pœnitentis regius animus? Catenæ, ſordes, & comæ, non ſunt diadematis ſigna, ſed fletus.* Hier. ep. 57. Scilicet Hie-

ronymus Monachũ iuxta ſui primigenij inſtituti rationem ſpectat, ac hîc ſolùm oſtendit Monachum quâ *Monachus non docendi, ſed lugendi officium* nactum;

Chr. l. 50. hom. 60. verè enim lugendi domus eſt monaſterium authore Chryſoſtomo; nec malè Eutyches *Monaſterium ſepulchrum* dixit *Monachorum*; Sed non poſſe ei docendi Prouinciam demandari, aut minus eſſe idoneum cui illa credatur, non dicit Hieronymus. Certè ei committi poſſe munus docendi ex delegatione ſcilicet Superioris agnoſcit Bernardus, qui ipſe ſæpius non ſolùm ad Monachos, ſed etiam ad populum concionatus eſt, propterea non miſſos addidit prædicare non poſſe, vt miſſos poſſe ſignificaret. Hoc nomine ſceleratum, & ſanguinis potius quàm conuerſionis Iudæorum ſitientem quendam Monachum inſectatur, qui neglectis ac contemptis Epiſcopis, Officium prædicationis ſibi arrogarat; *Ho-*

Ber. ep. 323. *mo ille de quo agitur*, inquit Bernardus, *in literis veſtris, neque ab homine, neque per hominem, ſed neque à Deo miſſus venit. Quod ſi ſe Monachum, aut eremitam iactat, & ex eo ſibi adſumit libertatem, vel officium prædicationis: poteſt ſcire & debet quod Monachus non habet docentis, ſed plangentis officium, quippe cui oppidum carcer eſſe debet, & ſolitudo paradiſus. Hic verò à contrariis & ſolitudinem pro carcere, & oppidum habet pro Paradiſo. O hominem ſine pectore, ô hominem ſine fronte, cuius ſtultitia eleuata eſt ſuper candelabrum, vt appareat omnibus qui ſunt in domo. Tria ſanè ſunt in eo reprehenſione digniſſima, vſurpatio prædicationis, contemptus Epiſcoporum, homicidij approbati libertas.* Igitur audaciam hominis notat, qui peſſundatis Epiſcopis munus prædicandi attentaſſet, ſed nunquam eum damnaſſet qui ex delegatione Pontificis aut Epiſcoporum huic oneri humeros ſuppoſuiſſet.

Meritò autem magnus Aquinas opinionem eorum qui religioſos ad docendum ineptos faciunt, ſtultitiæ plenam dicit. Lubet doctiſſimi viri de ea re iudi-

D. Th. 2. 2. q. 187. a. 1. cium aſcribere; *Aliquid dicitur alicui non licere dupliciter. Vno modo quia habet in ſe quod contrariatur ei, quod dicitur non licere: ſicut nulli homini licet peccare, quia habet in ſe quilibet homo rationem & obligationem ad legem Dei, quibus contrariatur peccatum. Et hoc modo dicitur alicui non licere prædicare, vel docere, vel aliquid huiuſmodi facere: quia habet in ſe aliquid quod his repugnat, vel ratione præcepti, ſicut his qui ſunt irregulares ex ſtatuto Eccleſiæ, non licet aſcendere ad ſacros ordines. Vel propter peccatum, ſecundũ illud Pſal. 49. Peccatori autem dixit Deus; Quare tu enarras iuſtitias meas? Hoc autem modo nõ eſt illicitum religioſis prædicare, docere, & alia huiuſmodi facere; tum quia ex voto & præcepto regulæ non obligantur ad hoc, quod ab his abſtineant; tum etiam quia non reddũtur ad hoc minus idonei ex aliquo peccato cõmiſſo, ſed magis idonei ex exercitio ſanctitatis, quod aſſumpſerunt. Stultum autẽ eſt dicere, vt per hoc, quod aliquis in ſanctitate promouetur, efficiatur minus idoneus ad ſpiritualia officia exercenda. Et idèò ſtulta eſt quorundam opinio dicentiũ, quod ipſe ſtatus religionis impedimentum affert talia exequendi. Quorum errorẽ Bonifacius Papa rationibus ſupradictis excludit, dicens, vt habetur 16. quæſt. 1. Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audaciſſimo quidem zelo magis amaritudinis quàm dilectionis inflammati, aſſerentes Monachos, qui mundo mortui ſunt, & Deo viuunt, Sacerdotalis officij potentia indignos. Sed omninò labuntur. Quod oſtendit: Primò quidem, quia non contrariatur regulæ. Subdit enim; Neque enim B. Benedictus Monachorum Præceptor almificus huiuſcemodi rei aliquo modo fuit interdictor. Et ſimiliter nec in aliis regulis prohibetur. Secundò improbat prædictum errorem ex idoneitate Monachorum, cùm in fine capituli ſubdit: Quantò quiſque*

eſt

eſt excellentior, tantò & in illis, ſcilicet ſpiritualibus operibus potentior. Alio modo dicitur, aliquid non licere alicui, non propter contrarium quod habeat, ſed propter hoc quod deficit ei vnde illud poſſit: ſicut Diacono non licet Miſſam celebrare, quia non habet ordinem Sacerdotalem: & Presbytero non licet ſententiam ferre, quia non habet Epiſcopalem authoritatem. In quibus tamen eſt diſtinguendum: quia ea quæ ſunt ordinis, committi non poſſunt, niſi ei qui ordinem habet: ſicut Diacono non poteſt committi, vt celebret miſſam niſi fiat Sacerdos. Ea verò quæ ſunt iuriſdictionis, committi poſſunt eis qui non habent ordinariam iuriſdictionem, ſicut prolatio ſententiæ committitur ab Epiſcopo ſimplici Sacerdoti. Et hoc modo dicitur non licere Monachis, & aliis religioſis prædicare, docere, & alia huiuſmodi facere, quia ſtatus religionis non dat eis poteſtatem huiuſmodi faciendi. Poſſunt tamen iſta facere, ſi ordinem accipiant, vel ordinariam iuriſdictionem, aut etiam ſi eis committantur ea quæ ſunt iuriſdictionis. Hæc ſcilicet ad profligandam ſententiam Spalatenſis, ſatis eſſe poſſunt. De nomine autem Monachi, non eſt quod plura addamus, nam actum agere nolumus. Agit de ea re abundè Bellarminus, quem adi. Quod verò in pœnitentium ordine illos ponit Spalat. inſtitutum eorum non infamat; fuit huius Monaſticæ pœnitentiæ ſpeculum Ioannes Baptiſta, qui eremum coluit, & robore animi carnem rationi ſubegit, qui amictu humillimo vſus eſt, quemque propter aſperrimam vitam omnes mirati ſunt; *Hic enim*, vt loquitur Beda, *pertulit longam ſolitudinis ſitim, & eſuriem continuit hoſtiarum ſolemniis. Pilis camelorum, & cinctui zonæ pelliceæ auro textas & Pontificum poſtpoſuit ſtolas, vt meritò in pœnitentium numero ſit ponendus.* Neque enim *pœnitentiam ſolam* dicimus *quæ ad præterita peccata lugenda, ſed etiam quæ ad futura cauenda, & innocentiam ſeruandam ſuſcipiatur.* Quæ autem affert Spalatenſis ex Gratiano de prohibito Canonicis, *niſi forte lapſi eſſent, Monaſteriorum aditu*, idem Gratianus ſic explicat, vt inconſulto Patre congregationis Canonicorum, Canonico Monaſterium petere non liceret, ne ſanctioris cuiuſdam vitæ prætextu, turbæ in Eccleſiæ ordines inducerentur. Neque mirum eſſe debet ſceleratiſſimos quoſque in Monaſteria, tanquam in ergaſtula olim detrudi ſolitos, vt pœnitentiæ vacarent, ac lacrymis ſua ſcelera abluerent; nam præterquam quod Monaſterium locus ſit aſperioris vitæ, ferax quoque eſt virorum qui & verbo, & exemplo pœnitentibus præluceant, ac veluti iter commonſtrent. Falſum verò eſſe, quod aſſumit Spalatenſis Monachos Laïcos eſſe, ſuprà oſtendimus. Proculdubio enim illa quã agnoſcit, arctioris vitæ profeſſione, ac religioſorum votorum nuncupatione à Laïcis diſcriminãtur. Neque videt Spalatenſis, quo ſenſu à Dionyſio, Epiphanio, & aliis in numero Laïcorum reponantur: Igitur Monachos quà Monachos ſpectant, atque ſacrorum Miniſtrorum ſeriem ducentes, ab hoc ordine Monachos repellunt, in ſuperiorique agmine initiandorum, non verò initiatorum ponunt, quaſi de numero eſſent Laïcorum, quia ſcilicet, vt loquuntur in ſcholis, *medium comparatum extremis naturam induit extremorum.* Eſt igitur id non *ſimpliciter*, ſed *comparatè* accipiendum, quatenus ſcilicet cum Clericis meri Monachi conferuntur.

SPALAT. Num. 12.

Neſcio verò quî intelligat ex Chryſoſtomo Monachos eſſe meros Laïcos. Verba Chryſoſtomi ſunt; *Cur hæc nobis dicis, qui non ſumus Monachi? Hæc mihi dicis? Dic Paulo, quando dicit, Vigilantes in omni patientia & oratione. Quando dicit, Carnis curam ne feceritis in concupiſcentiis. Non enim hæc ſolùm ſcripſit Monachis, ſed omnibus qui ſunt in vrbibus. Non debet enim mundanus ſeu ſecula-*

Chryſ. in ep. Pauli ad Hebr. c. 4. hom. 7. Coloſſ. 4. Rom. 13.

ris plus habere quàm Monachus, niſi in hoc ſolùm quod cohabitat cum vxore. Hìc datur ei venia, in aliis autem minimè, ſed omnia eum oportet facere æquè atque Monachus. Clarius *& fuſius,* ait, *alibi, ſic enim loquitur. At inquies eiuſdem criminis non eſt, eum qui ſeculo addictus ſit peccare, & eum qui ſemel ſe, ac penitus Deo deuouerit, religionis propoſito excidere, neque enim ambo eadem ex altitudine decidunt: ita nec eadem quidem vulnera ſuſcipiunt. Fallis teipſum prorſus ac decipis; ſi putas aliud à ſecularibus viris, aliud à Monachis requiri; hæc enim ferè ſola eſt in vtroque genere vitæ differentia; quod illi quidem matrimonij vinculis ſe conſtringunt, hi verò his liberi perdurant. In reliquis verò communis, atque eadem ab vtriſque vitæ totius ratio requiritur. Eiſdem pro culpis pœna vna omnibus debetur. Nam qui fratri ſuo iraſcitur ſine cauſa, ſiue ille ſecularis, ſiue Monachus fuerit, Deum ſimpliciter offendit: atque hic qui mulierem reſpicit, & concupiſcit eam quolibet in vitæ ſtatu fuerit, eadem adulterij plectetur pœna. Imò verò vt aliquid ex nobis addere, quod rationi conſentaneum videatur, audeamus; magis ſine vlla ſpe veniæ peccabit, qui ex ſeculo id ſcelus admiſerit, neque enim par facinus admittere videtur, qui vxòris ſolatio ſubnixus decore mulieris irretitur; atque is qui eiuſmodi auxilio, & infirmitatis remedio deſtitutus, hac interdum peſte corripitur.* Argumentatur Spalatenſis. *An non tibi videntur,* inquit, *ab hoc viro ſanctiſſimo, & doctiſſimo Monachi planè Laïcis æquiparari? Nam, vt dicebam, Monachi ſunt ipſi Laïci continentes, & pœnitentes, ac vitam ſanctiorem ſectantes; quales erant olim Hieroſolymis, Laïci fideles ſub Apoſtolis: ſuperaddito tamen cœlibatu, & communi domicilio; & fortaſſe certo habitu, ſed tritum eſt illud, habitus non facit Monachum.* Vigilare, orare, carnis curas non facere, peccata vitare, eſſe quoque Laïcorum propria dixit Chryſoſtomus: nec Laïco amplius concedi quàm Monacho, niſi tantùm vxorem ducere; Ergo ſaltem hoc nomine Laïcum ſuperat Monachus, & arctiſſimo viuendi genere. Certè qui inter Monachum & Laïcum diſtinguit, quod facit Chryſoſtomus, Monachum Laïcum non eſſe omnino credit. Dicit igitur quæ ad pietatem faciunt pertinere quoque ad Laïcos, quis dubitat? Sed Monachos eſſe Laïcos an verò dicit? Contrà an nó ſeculo eximit, an non ſublimioris Philoſophiæ ſectatores deſcribit; *At,* inquit Spalatenſis, *quoſcumque ſanè fideles etiam vxoratos Monachos eſſe poſſe, docet idem Chryſoſtomus; quia maximè eſſentiale quod faciat Monachum, vult eſſe pietatem, & erga Deum magnam religionem, ac feruorem in Dei ſeruitio, & ſeruitio tali quod à quocumque fideli præſtari poßit; ait enim ad populum; Omnes vos fieri voto Monachos: non vt coniuges non habeatis, ſed vt cæteras virtutes prouideatis, quæ vos Deo cõmendare poſſunt. Monachus enim non ſolùm propterea dicitur, quia vxorem non habet, ſed quia religioni Dei, & ſeruitio ipſius mancipatus eſt, & cura illi eſt quemadmodum Deo, non ſeculo placeat: & qui magis eligit caſtitatem, quæ Deo cara eſt, & Spiritus ſancti habitatio. Volo ergo vos in religione Dei feruere. Itaque da mihi Laïcum in domo ſua, ſed à curis domeſticis liberum habitantem, caſtè & piè viuentem, ieiunantem, pœnitentem, precibus inſtantem, & ſic Deo ſeruientem, hic eſt ipſiſſimus Monachus. Nam & propterea etiam fœminæ ad eandem prorſus profeßionem admittuntur, quæ tamen à Miniſteriis Eccleſiaſticis ſacris ſunt remotiſſimæ, & eorum incapaces.* Reſpondeo vno verbo tales futuros Monachos *imitatione,* non voti *profeßione,* in qua vna poſita ſit veri Monachi ratio. Etiam qui ſpiritales hoſtias Deo litant Sacerdotes dicuntur, non æquatione *magni miniſterij,* ſed imitatione Sacerdotij: *metaphoricè* dicerent vno verbo Scholaſtici.

Chryſ. adu. vitup vitæ Monaſt. l. 3. cap. 12.

Spalat. Num. 12. A&. 4. C. Porrectum de Regular. & Cœleſtin. ep. 1.

Spalat. Num. 13. Chryſ. ho. 2. in Pſ. 50.

Sed

Digitized by Google

Sed Iuonis rerum Ecclesiasticarum peritissimi authoritate nos premit aduersarius; *Abbas quidam ex eo quaesierat*, inquit, *vtrum Monachus, qui tantùm à Monacho, & non à suo Abbate benedictus est, sit iterum à suo Abbate benedicendus? Respondet; Id fieri, & dimitti posse arbitror, absque vllo benedicti, vel benedicentis incommodo. Monachi enim benedictio, non est manus impositio, vel alicuius Sacramenti ex Apostolica traditione celebratio: Nec aliam vim habere mihi videtur, quàm super pœnitentem absolutio, vel super populum Sacerdotis oratio. Dicit enim B. Hieronymus, Monachus non habet officium docentis; sed plangentis, qui se & mundum lugeat. Sicut ergo Monachus in hoc officio sibi soli prodest, ita ex gratia vocantis, solus ad hoc officium accedere potest. Nec praeiudicat ad salutem, vtrum à simpliciter Monacho, vel Abbate suscipiat benedictionem: quia verum Monachum nulla facit exterior adiectio, nisi mundi contemptus, & plena Dei dilectio. Quod in Principibus huius ordinis Paulo videlicet & Antonio, & multis aliis Ægyptijs Monachis facilè apparet: qui nullam à praecedente Abbate, vel Monacho suscipientes benedictionem, perfectam ab eo qui habitare facit Monachos in domo, sui laboris consecuti sunt retributionem.* Respondeo nos solemnitatem voti, non ponere in ea benedictione de qua agit Iuo, sed in traditione sui ipsius qua quis Deo totum se consecrat, ac religiosæ vitæ se in æuum addicit, quod fecisse olim Paulum & Antonium, atque etiam Monachum qui huic dissertationi Iuonis occasionem dederit nulli dubitamus, vt propterea tum hic, tum illi omnino censeri debeant vitam Monasticam professi, cuius legibus tenerentur; adeo vt ab instituto citra grande nefas resilire, aut pedem referre non possent. SPALAT. Num. 14. Iuo ep. 41.

Sed rursus argumentatur Spalat. *Si*, inquit, *Monachi statum aliquem in Ecclesia faciunt à Laïcis diuersum, is profectò erit propter publicam, quam emittunt professionem; & votum solemne, quo se mundo subtrahere, & Deo deuouere dicuntur. Cùm tamen sacer ordo, praesertim Presbyteratus, & Episcopatus, in quo adest specialis externa vocatio Dei, per suos Ministros, authoritate speciali ad hoc per Christum eis data, & missio, & vera ac propria consecratio, vt docui cap. 4. ex qua nouam, & prorsus admirabilem ordinati accipiunt ad regendam Ecclesiam potestatem, de qua lib. 5. non exuit tamen hominem sua libertate, vt si nolit Clericalem ordinem retinere, non fiat plenè (quoad forum externum) sui iuris; & cum communi hominum multitudine humana, & naturali plenè non potiatur libertate. Multo minus Monachalis professio, quæ priuata tantùm est, vt ostendam, & nulla peragitur externa vocatione, aut deputatione, aut consecratione, vt nunc asseruit Iuo, & mox pluribus ego probabo, poterit hominem sua naturali exuere libertate. Non enim priuatæ hominum congregationes priuata eorum voluntate collectæ, & ad pia opera applicatæ, statim à communi Laïcorum statu separantur, & fiunt, quæ dicuntur Religiones. Quia iam tot essent Religiones, & status Ecclesiastici à Laïcis separati, & distincti, quot piorum hominum sunt conuenticula, quæ vocant confraternitates, reuera pijs & spiritualibus, ac Deo acceptissimis operibus exercendis plurimæ institutæ. Neque dicas Monachorum, & Regularium Religiones, ab his priuatis sodalitatibus esse diuersas, publica & solemni, atque Ecclesiastica professione, nec non Ecclesiæ sanctæ acceptatione, publica approbatione, & confirmatione, ac consecratione: iam enim ostendo hæc Monachos in nouo statu Ecclesiastico à Laïcis diuerso non constituere.* Respondeo sacra initiatione se hominem exuere libertate, qua ante susceptum ordinem potiebatur, vt connubium inire posset. Namque cum sacro ordini cœlibatum adiunxerit Ecclesia, quisquis ordinatur, eius seruandi SPALAT. Num. 15.

Digitized by Google

ſibi neceſſitatem imponit: atque ſi infringere eam non dubitet, reum ſe conſtituit tum coram Deo, tum coram hominibus in foro ſcilicet interiori, & exteriori. Itaque argumentum Spalatenſis falsò nititur fundamento; Falſum verò quoque, quod addit *nullam conſecrationem in Monachorum profeßione intercedere.* Seipſos enim ſolemniori illa traditione Deo deuouent, ac conſecrant, vt meliores Theologi docent. Quare Princeps ſcholæ Thomas, hinc quoque probat non cadere in huiuſmodi vitam vllam diſpenſationem; *Dicere,* inquit, *quòd illi qui voto, vel iuramento ſunt obligati ad intrandum religionem, non teneantur intrare, eſt manifeſtè hæreticum, &c. Cùm impletio voti pertineat ad latriam, manifeſtum eſt, quod quicunque dicit votum non eſſe implendum, loquitur contra primum præceptum primæ tabulæ, quod eſt de cultu latriæ ſoli Deo exhibendo. Qui verò dicit iuramentum non eſſe implendum, loquitur contra ſecundum præceptum primæ tabulæ, quod eſt, Non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum. Vnde manifeſtè eſt hæreticus, quicumque hoc dicit, niſi fortè dicat, quod intrare religionem non ſit licitum: Iuramentum enim vel vota facta de rebus illicitis non ſunt obligatoria, ſecundum illud Iſidori. In malis promiſſis reſcinde fidem. Sed hoc iterum eſt hæreticum dicere. Eſt enim expreßè contra Chriſti conſilia, Vnde quicumque dicit, quod ille qui eſt obligatus voto, vel iuramento ad intrandam religionem, poteſt abſque peccato, in ſeculo remanere, eſt manifeſtè hæreticus, ſi tamen in hoc pertinaciter perſeueret.* Diuus Baſilius; *Ante religioſæ,* inquit, *iſtius vitæ profeßionem liberum eſt vnicuique, quatenus per Dei indulgentiam leges permittunt, communem cum cæteris viuendi morem ſequi, ſibique vxorem adiungere: vbi verò iam quis ſponte ſua ipſe profeſſus eſt, hic Deo cuſtodire ſeipſum debet, veluti eorum aliquid, quæ dicata ſunt Deo, ne ſacrilegij crimen incurrat, cùm videlicet corpus, quod ſemel Deo conſecrauit, miniſterio rurſum communis vitæ contaminet.* Ineptè igitur Religioſorum ordines cum illis ſocietatibus confert, quas quidam pij verè nulla voti nuncupatione ineant, vt ſpiritalia quædam onera Deo acceptiſſima exequantur: Quis enim vnquam vel fando audiuit, in huiuſmodi coitione piorum aliquot ad ea ſpiritalia opera præſtanda, intercedere vllum voti vinculum quo aſtricti ac obligati, niſi ex mera charitate cenſeantur? At verò quis adeò in Theologia peregrinus eſt & hoſpes, cui non ſit exploratum votorum hanc eſſe rationem vt ligent homines, ac arctiore vinculo aſtringant? Certè aſinum eſſe oporteat qui eat inficias! Quare etiam Spalatenſis, parum ſibi in his conſtat, ſiquidem ſequenti ſectione ſeruandi voti neceſſitatem ſibi impoſuiſſe cum qui liberè vouerit, admittit; *Votum ergo liberum,* inquit, *hoc eſt voluntariè, & deliberatè, ac prudenter, & cum pleno rectæ rationis vſu de bono opere ſuſceptum laudo, approbo, extollo, arripio, etiam cum diuina gratia; & omnibus arripiendum conſulo, ac præſertim votum perpetuæ continentiæ etiam à licitis: puta à gulæ, à libidinis, & à vanitatum mundi delectamentis: vt promptiùs ſublatis peccandi occaſionibus, & commoditatibus, Deo, & purius in ieiunio, in Pſalmis, in caſtitate, in fletu & planctu, & pijs alijs exercitationibus ſeruiatur. Et qui ritè vouit, illum ego cum Sanctis Patribus præcedenti capite recitatis, obnoxium eſſe ſuo voto non dubito, cùm dicat Scriptura; Vouete & reddite. Et qui voti ſui fractor inuenitur, is peccat grauiſſimè: & habet damnationem, quia fidem Deo datam facit irritam: Alienum verò à Chriſtiana veritate, & ſacræ Scripturæ inſtitutioni, Apoſtolicæ inſtitutioni, Sanctorum Patrum adhortationibus, & Eccleſiæ ſanctæ perpetuæ conſuetudini aduerſum eſſe arbitror, voti religionem, & vtilitatem deprimere, & Monaſticæ vitæ excellentiam eleuare. Indignumque Chriſtiana mente eſt, velle ornamen-*

D. Tho. in Quodlibeticis, quodlib. 3. q. 5. art. 12.

Serm. 1. de Inſtitution. Monach. Περὶ ἀποταγῆς τὸ σεμνοβίου ἔξεστι τῷ βουλομένῳ καὶ τὸ συγκεχωρημένον καὶ ἔτι μεῖον, εἰς ἀκτημοσύνας βίου ἔλθειν, ἢ ἑαυτὸν ὑποδοῦναι τῷ ζυγῷ τῷ γάμου· θεσμὸς φύσεως ἡ διὰ φύσεως ὁμολογία, φυλάσσειν ἀναγκαῖον ἑαυτὸν τῷ θεῷ, &c.

Spalat. Num. 16.

Pſal. 75. 1. Cor. 7.

namen-

namentum hoc insigne sanctæ Ecclesiæ, quo illa fortasse vt præcipuo, in oculis Ethnicorum enituit, denigrare, obscurare, deijcere & exterminare. Si hæc vera sunt, igitur stultum est existimare hominem voti susceptione, & nuncupatione, se libertate sua non exuisse, quod tamen suprà assumebat Spalat. quî enim sit obnoxius seruando voto qui perinde liber sit, ac si minus vouisset? Certè Monachos Augustinus non sui iuris, sed planè voto astrictos, ac priori libertate exutos agnoscit; *Vnusquisque*, inquit, *Deo quod vouet, si respicit retrorsum, malum est. Nescio quæ castimonialis nubere voluit. Quid voluit? Quod & virgo quælibet. Quid voluit? Quod & mater ipsius. Aliquid mali voluit? Mali planè. Quare? Quia iam vouerat Domino Deo suo. Quid enim dicit de talibus Apostolus Paulus, cùm dicat viduas adolescentulas nubere si velint? Sed tamen ait quodam loco: Beatior autem erit, si sic permanserit, secundum meum consilium. Ostendit beatiorem, si sic permanserit, non tamen damnãdam si nubere voluerit. Quid autem ait de quibusdam, quæ vouerunt, & non reddiderunt? Habentes, inquit, damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. Quid est, primam fidem irritam fecerunt? Vouerunt, & non reddiderunt. Nemo ergo positus in Monasterio frater, dicat: Recedo de Monasterio. Neque enim soli, qui sunt in ministerio, peruẽturi sunt ad regnum cœlorum: & illi qui ibi non sunt, ad Deum non pertinent. Respondetur ei: sed illi non vouerunt, tu vouisti, tu retrò respexisti, &c. Quæ respexit ad nuptias, non quia voluit nubere damnatur: sed quia iam antè recesserat, & fit vxor Loth respiciendo retrorsum: Non sitis pigri, qui potestis, quibus aspirat Deus, apprehendere gradus meliores: quia non ista ideò loquimur, vt non voueatis: sed vt voueatis & reddatis, votete & reddite Domino Deo nostro. Iã quia ista tractauimus, fortè volebas vouere, & modò non vis vouere. Sed quid tibi dixerit Psalm. attende. Non dixit, Nolite vouere, sed, vouete & reddite. Quia audisti, reddite, non vis vouere? Ergo vouere volebas, & non reddere? Imò vtrumque fac: Vnũ sit ex professione tua, aliud ex adiutorio Dei perficietur.* Rursus si hæc vera sunt, igitur contra Christianam veritatem, contra sacrã Scripturam, contra Apostolicam institutionem, contra veterum Patrum adhortationes, contra Ecclesiæ sanctæ perpetuam consuetudinem, Lutherani, Caluiniani nedum nostri seculi, verùm etiam superioris illius æui Monachatum damnant, calumnijs onerant, ac ipsos Monachos & Clericos pro monstris habent, ac traducunt? Neque vel pilo illis melior est iste Præsul, qui veluti rabie accensus, nostri æui Monachos ac Religiosos, lacerat ac proscindit; *Monachismum quidem præsentem*, ait, *qualem in magna, imò fortasse in maxima parte cernimus; non nisi vmbram, & reuera ne vmbram quidem veri antiqui Monachismi; sed nomen solùm habentem deridendum, contemnendum, imò & abolendum, ac prorsus ab Ecclesia Catholica exterminandum Catholicus quisque, & zelum pietatis, veræque Religionis habens, cupiat, & exoptet. Antiquus tamen verus Monachismus, siue virorum, siue fœminarum vt redeat, innouetur, ac restituatur, optandum vehementer est, & totis viribus conandum. Veri itaque Monachismi status quinam sit, vt clarius pateat, de ipsius professione, & voto solemni differamus.* Scilicet

Chrysost. quod regul. fœm. viris cohab.

August. in Psal. 75.

1. Tim. 5.
1. Cor. 7.

1. Tim. 5.

Spalat. Num. 16.

Oderunt hilarem tristes, tristemque iocosi.

Neque fieri potest in hoc studiorum dissidio, vt Spalatensi cum piis, sobriis, castis, ac vnitatis Ecclesiasticæ cultoribus Monachis bene conueniat. Sanè præter morem hæreticorum faceret, si Monachis faueret. *Meritò*, inquit Augustinus, *insultant nomini vnitatis, qui se ab vnitate præciderunt; Meritò illis displicet nomen Monachorum, quia illi nolunt habitare in vnum cum fratribus, sed sequentes Donatum* (dicamus nos, authorem Caluinum) *Christum dimiserunt.* Sicut

August. in Psal. 132.

Digitized by Google

enim quotquot pij ſcriptores fuerunt hoc hominũ genus adamarunt, tũ ſermonibus, tum ſcriptis libris, laudibus in cœlũ tollere, conati ſunt: ſic nulli ferè vnquam hæretici extiterunt, qui vel nomen Monachorum patienter audire potuerint; *Quando vos* (inquit ad Catholicos Auguſtinus) *rectè hæreticis de circumcellionibus inſultare cœperitis, vt erubeſcendo ſaluentur, illi vobis inſultant de Monachis. Primò ſi comparandi ſunt vos videte, ſi verbis noſtris opus eſt, iam laboratis, non opus eſt, niſi vt admoneam vnumquemque vt attendat, ſolùm attendat & comparet. Quid opus eſt vt verbis noſtris comparentur ebrioſi cum ſobrijs, præcipites cum conſideratis, furentes cum ſimplicibus, vagantes cum congregatis? Sed tamen dicere conſueuerunt: quid ſibi vult nomen Monachorum? Quantò melius dicimus nos: quid ſibi vult nomen Circumcellionum? &c.* Credo tam perfrictæ frontis, aut proiectæ audaciæ non eſt Spalatenſis, vt inficiari velit eſſe pleroſque ſobrios, conſideratos, ſimplices, congregatos, qui etiamnum in Monaſteriis vota ſua, altiſſimo cui ſe manciparunt, pro viribus reddere conentur. Quid eſt igitur quod eos maledictis inceſſat, eorum famam proſcindat, ac veluti cœnum, & peſtem Eccleſiæ infamet? An non recordatur tyrocinij ſui, cùm inter Patres Societatis Ieſu ageret; an non meminit ſe cordatos, pios, eruditos, ac Chriſto totos addictos, Patres vidiſſe, & cùm ſanus eſſet ſuſpexiſſe? Quis igitur hic furor eſt; quæ rabies iſta eſt, & maledicendi impotentiſſima libido? Quod Monaſteriorum probra & fecem nobis obiiciat, ab Auguſt. mali non ignaro ducemus præſidium. *Nolite augere cruciatus meos* (inquit ad ſuos Hipponenſes piiſſimus Pater) *deficiendo vel in ſuſpicionibus falſis, vel in peccatis alienis. Nolitè obſecro vos, ne dicam de vobis: Et ſuper dolores vulnerum meorum addiderunt; nam illi qui gaudent de iſtis doloribus noſtris, de quibus in perſona corporis Chriſti tantò antè prædictum eſt: aduerſus me inſultabant qui ſedebant in porta, & in me pſallebant, qui bibebant vinum: multò tolerabiliùs ſuſtinentur, pro quibus tamen etiam ipſi orare, & bonum eis velle didicimus. Ad quid enim aliud ſedent iſti, & quid aliud captant, niſi vt quiſquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari? Et tamen etiam ipſi, cum aliqua maritata inuenitur adulterata, nec proijciunt vxores ſuas, nec accuſant matres ſuas. Cùm autem de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſi ſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur. Hos ergo de noſtris doloribus ſuauitatem ſuæ malæ linguæ captantes, facile eſt, vt illis canibus comparemus, ſi fortè in malo intelligendi ſunt, qui lingebant vulnera pauperis illius, qui ante ianuam diuitis iacebat, & quouſque veniret ad requiem ſinus Abrahæ, laborioſa & indigna omnia tolerabat.* Vt autem cum ratione inſanire videatur Spalatenſis, multa congerit ac coaceruat, quibus Monachorum inſtitutum labefactet, ac funditùs tollat. *Hominem quemcumque*, inquit, *pluribus titulis eſſe totum, ac perfectiſſimè ſub Dei dominio ſolus Atheus negabit: Domini eſt terra, & plenitudo eius: Ipſe fecit nos, & non ipſi nos. Creator eſt Dominus abſolutus ſuæ creaturæ. Adde in Chriſtiano titulum redemptionis, & donationem plenam quam noſtri facimus in baptiſmo. Neſcio ergo quid amplius donare poſſumus Deo, quod iam ipſius non ſit: & noſtro voto, aut profeßione vitæ arctioris, quid acquirit erga nos Deus dominij, quod non haberet? An non Deus eſt ita Dominus plenus, & abſolutus Monachi, ſicut Clerici, ſicut Laïci? Omnes animæ meæ ſunt, vt anima Patris, ita & anima filij mea eſt. Votum ergo noſtrum nihil dominij addit Deo: ſed nobis tantum prodeſt, dum libertatem noſtram determinamus ad ſpecialia quædam opera bona, & hanc determinationem promittimus Deo nos retenturos, & in ea perpe-*

Auguſt. in Pſal. 132.

Aug. ep. 137 ad plebem Hipponenſem.

Pſal. 68.

Spalat. Num. 17.

Pſal. 23.

Pſal. 99.

Ezech. 18.

perpetuò perſeueraturos: vt hac promiſsione Deo facta, libertas noſtri arbitrij in ea determinatione perſiſtat, nec ab ea recedat, licet alioquin poſsit: cùm ratio humana dictet, vt ſtemus promiſsis. Reſpondeo nec nouum, nec inſolens eſſe, vt ea Deo offeramus quæ illius ſint, ab eo pendeant, ac ex eius beneficentia ad nos deueniant; *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus*, inquiebat magnus Rex, *dedimus tibi.* Itaque etſi iure creationis, aut etiam redemptionis nos totos ſibi vendicat, tamen quod harum rerum quæ penes nos ſunt, poteſtatem nobis fecerit, ac arbitrium permiſerit, cùm vt ei nos totos mancipemus, conceſſa à natura libertate nos abdicamus, eique nos addicimus, eſt illi hæc res & gratiſſima, & acceptiſſima. Solummodo igitur probat argumentum, ſi ſummo iure nobiſcum agere velit Deus, nihil ſupereſſe quo nos ei veluti noua nuncupatione, deuinciamus, ſed non probat Deum ſummo illo iure nobiſcum agere, cùm contra conſtet multa eum arbitrio noſtro permiſiſſe, quibus eum poſſimus demereri, ac illi arctiori vinculo nos obſtringere. 1. Paralip. c. 29. v. 14.

Pergit Spalatenſis. *Qui igitur promiſit Deo ſe ei in tali, vel tali vita ſeruiturum, quàm ſciat Deo gratam & acceptam, ſibi verò ad æternam ſalutem proficuam; Is totam obligationem, quamcumque coram Deo induere poterat, quantum de ſe ratio voti poſtulat, iam induit: Siue eam pollicitationem publicè faciat, ſiue priuatim, ſiue ſolo corde, ſoloque interno mentis aſſenſu, ac ſimplici interno actu voluntatis, qui ſit electio; ſiue etiam verbis, & alijs ſignis externis, obligatio enim eadem eſt coram Deo; qui teſtibus non eget, nec vllis tabulis obſignatis, aut inſtrumentis, quibus homines cum hominibus agentes, voluntarias alter alteri ſubdimus actiones. Quod coram Deo non eſt neceſſarium. Itaque coram Deo votum ſimplex, & votum ſolemne vnicum eſſentialiter, & idem votum eſt, eiuſdem prorſus valoris, eiuſdemque obligationis, vt expreſsè tenent & docent Scotus, & Paludanus, & Durandus, qui non niſi accidentale ponunt diſcrimen: de quo infrà. Iam igitur, vt quis voto obligetur coram Deo eſſe Monachus, cum arreptione præſertim vitæ monaſticæ, nulla alia profeſsio externa eſt neceſſaria, nulla ſolemnitas. Solemnitas enim voti, vt ait quædam Gloſſa, ad ſubſtantiam voti non pertinet: Sed ſicut in alijs contractibus ad voluntatem internam exprimendam, & ad cautelam contrahentium, ne ſit deceptioni locus, & negetur aliquid vel affirmetur, ſecus quàm fuerit in contractu. Hoc verò, vt dixi, coram Deo non eſt neceſſarium; cui apertæ ſunt tabulæ cordis, & cui interna cordis locutio magis & tutius rem exprimit, quàm oris externa; & apud quem cauilli humani nihil poſſunt. Ac bene dicebat Iuo; Quia verum Monachum nulla facit exterior adiectio, niſi mundi contemptus, & plena Dei dilectio.* Spalat. Num. 17. Scot. & Paludan. & Durand. in 4. diſt. 38. Gloſſ. in c. nuptiarum 27. q. 1. v. vxores. Iuo ep. 41.

Hæc quæ ſequentibus quoque ſectionibus repetit aduerſarius, falſitatis ſunt pleniſſima, nec indigent noſtra confutatione, cùm abundè ab ipſo authore refellantur; ſic enim infrà de voto permanente, & perſonali quale eſt religioſorum; *Facile mihi perſuadeo, ex ſola interna deliberatione, & pleniſsima etiam electione, votum quod de ſe iam plenum, & perfectum eſſe deberet, pro pleno, & perfecto à Deo nondum haberi; ſed quamdiu internum eſt, propoſiti potius quàm voti rationem habere; neque tale votum à Deo pro pleno voto acceptari, niſi id actu, & opere externo compleatur, cum arreptione, & aggreſsione vitæ iam electæ, cum animo perſeuerandi, & non tantùm experiendi.* Et rurſus; *Votum monachandi, & alia quæ dixi permanentia, & perſonæ dedicatiua, ſimplicia ſunt quamdiu in interno hominis latent, inter ipſum & Deum ſolum: & hæc dum ita ſimplicia ſunt, adhuc hominem non obligant, etiam coram Deo, ſicut obligant realia, &* Num. 31. 32. & 35. Spalat. Num. 19. Spalat. Num. 31.

tranſeuntia, vt paulò antè oſtendebam. Nam Deus quoque in talibus votis non putatur ea admittere, & acceptare, vt promiſſa obligantia; & ea dum interna dumtaxat ſunt, Deus vult habere rationem potius propoſiti, quàm voti. Et quaſi ratificationem opere fiendam expectare: Ac interim relinquit hominem in libertate, vt poſsit & votum illud quod ſe habeat apud Deum tanquam ſolum propoſitum, exequi ac ratificare; & de ipſo pœnitere. Neque Paulus primam fidem irritam, & conſequenter damnatione dignam pronunciauit, aduerſus viduam quæ vouiſſet coram Deo tantùm ſe velle ſuam viduitatem conſecrare, niſi iam vitam ipſam vidualem
1. Tim. 5. *in Eccleſia, Eccleſiæque miniſterijs cœpiſſet. Fidem enim Deo promiſſam tunc cenſet, vbi vidua ſe iam Eccleſiaſticis miniſterijs applicuiſſet: & de tali vidua ait, Eam damnationem habere, ſi voluit, poſtea nubere, quia priorem fidem irritam fecit. Si verò quis iam externè cœpit propter Deum votum illud in actum reducere, intentione perſeuerandi, non experiendi tantùm, tunc hoc genus voti ego ſolemne voco: & conſequenter coram Deo, & coram hominibus obligatiuum erit, & qui id deſerit, fidem*
Spalat. Num. 32. *irritam facit, cum damnatione.* Ac iterum; *In perſonali tamen & permanenti voto, aggreßio illa & vitæ ſuſceptio, per quàm ego ſolam id ex ſimplici ſolemne facio, eſt eſſentialis huic voto, quia per illam hoc votum votum eſt, & ſine ea coram Deo votum*
Spalat. Num. 17. *non eſt, ſed tanquam merum, vt dixi propoſitum.* Quî verò iſta cohæreant? *Coram Deo,* inquit, *votum ſimplex, & votum ſolemne vnicum eſſentialiter, & idem votum eſt eiuſdem prorſus valoris, eiuſdemque obligationis, & tamen,* ait, *eſſentialiter differunt; Nam,* inquit, *ſolemne à ſimplici differt, per ſuſceptionem vitæ religioſæ, tanquam per differentiam eſſentialem.* Item aſſerit *votum ſimplex & ſolemne eſſe eiuſdem valoris, & obligationis.* Iam verò dicit *ſimplex non obligare coram Deo, nec*
Spalat. Num. 31. *habere rationem voti, ſed tantùm propoſiti.* Sed ſe Scoti, Paludani, & Durandi authoritate tuetur in prioris aſſertionis explicatione; *Scotus,* inquit, *& Paludanus,*
Spalat. Num. 17. *& Durandus non niſi accidentale ponunt diſcrimen inter votum ſolemne & ſimplex.* Igitur diſſentit ab iis, quorum fidem & opem implorat, ſiquidem diſcrimen eſſentiale, vt oſtendi, inter vtrumque agnoſcit. Sed quod attinet ad eos authores; Certum quidem eſt Scotum, Paludanum, & Caietanum opinari non aliud eſſe diſcrimen inter *votum ſimplex* & *ſolemne*, quàm quod *ſolemne votum* fiat cum cæremoniis ab Eccleſia præſcriptis, ſine quibus fiat *votum ſimplex.* Sed refragantur antiquiores Scholaſtici, Alexander, Princeps Scholæ Thomas, Richardus, Bonauentura, & alij, quibus aſtipulantur Silueſter, & Dominicus Sotus, atque *eſſentialiter differre* hæc duo votorum genera, omnino contendunt: quamquam verò priorem ſententiam plerique recentiores, maximè verò iuris Canonici interpretes, quos S. Thomas ſuggillat, amplectantur, quod tamen labefactandi voti ſolemnis anſam nonnullam dare videatur, S. Thomam ſequimur; Iuxta cuius ſententiam, vt ſuprà quoque monui, *qui ſimplex faciunt votum, promittunt quidem, verbi gratia, continentiam, paupertatem, obedientiam, haud tamen ſeipſos cum effectu ad iſta tradunt.* Et illi quidem ſimiles ſunt contrahentibus ſponſalia, hi verò ſimiles contrahentibus matrimonium, quod ipſum etiam vocari ſolet *ſponſalia de præſenti.* In *matrimonio* ſiquidem traditio fit hinc, & inde poteſtatis corporum, in *ſponſali-*
Ext. de ſpõſal. c. de illis. *bus* tantùm fit promiſſio. Quare quemadmodum ſponſalia etiam iuramento firmata diſſolui poſſunt, non item matrimonium, ita quoque voti ſimplicis vinculum ſolui poteſt, ſolemnis verò minimè. Indicat hoc diſcrimen
Innoc. ep. 3. c. 13. Innocentius, dum, vt ſuprà quoque monui, *votum ſimplex* ſponſionis nomine

mine designat. Quod attinet verò *ad voti solemnitatem*, iam authoritate Bonifacij VIII. duos esse modos voti solemnis in genere, videlicet per professionem expressam, vel tacitam alicuius religionis à se de Apostolica approbatæ, & per susceptionem sacri ordinis, suprà ostendimus. Erat quidem olim tertius modus scilicet per voti, vel habitus virginalis, aut vidualis, aut Monastici susceptionem, etiamsi non accederet approbatæ religionis professio, de quibus frequens est apud antiquos, & medios scriptores mentio. Verùm postea ad auertenda animorum pericula consultò placuit Ecclesiæ, vt huiusmodi assumptio veli, vel habitus, *votum solemne* non efficeret, nisi in religione approbata. Quapropter & hodie non velantur virgines, nisi professitentes religionem approbatam. Quid autem censendum sit, *de eo qui citra solemnitatem, ac sola interna deliberatione, quamquam planè sponte se Deo mancipat*, ac ei se ad continentiam, obedientiam, & paupertatem totum tradit, non malè omnino Spalatensis iudicat, quod *onus sit grauissimum, cui humeros supposuerit, mitius esse iudicandum.* Certum est enim quamquam quantum quidem in ipso est, corpus suum tradat Deo, cæterùm eius traditionem à Deo nondum acceptari, siquidem *traditio*, aut *donatio* rei non perficitur, neque rata est, nisi eam is cui donatur, accipiat. Namque & ipsum matrimonium ratum non erit, nisi vtrimque quod traditur acceptetur; At verò donationem quæ fit in voto Deus acceptat per Ecclesiam suam, dum scilicet eo ritu & modo fit, quo Ecclesia Dei nomine se acceptare significat; Declarat verò Ecclesia, quo modo societati fidelium expedire nouit. Non enim expedit, aut insolubili vinculo ligari fideles, aut eorum matrimonia ne rata quoquo pacto fieri possint, impediri per promissiones, aut traditiones sui qualescumque in Dei obsequium, quare meritò religiosæ vitæ susceptionem, ac solemnem voti nuncupationem desiderari iudicat. Sicut enim non fit matrimonium carnale nisi per verba, vel æquiualentia signa, consensum, tam viri quàm mulieris exprimentia; ita nondum fiet matrimonium spirituale, licet verbi gratia virgo dicat Christo, *Me tibi deuoueo, accipio te in meum, meam fidem tibi obligo, meam virginitatem tibi do, dico, addico, consecro*; nisi Christus, vt ita dicam vicissim similiter respondeat: Non respondet autem verbo vel signo, nisi per Ecclesiam suam; ac propterea licet quadantenus vera dici possit traditio corporis qua Christo dicitur à virgine; *Do tibi ex nunc corpus meum* ad perpetuam castitatem, quod nimirum Christus tacitè, & veluti quodam mentis assensu votum acceptet; quia tamen non acceptatur verbo vel signo externo à Christo, vel ab Ecclesia pro Christo respondente; (Est namque Ecclesia *corpus Christi*) nondum est perfecta traditio, neque vim habet mystici illius vinculi coniugalis, quod in virginis solemni consecratione spectatur. Porrò Glossa quam affert Spalatensis tanti ponderis non est, vt in re grauissima eius iudicio nos teneri existimemus. Grauius est quod scribit Bonifacius *voti solemnitatem, ex sola constitutione Ecclesiastica inuentam esse*; Euertere enim videtur sententiam quam propugnamus, ac efficere eam solemnitatem esse planè accidentariam, quare etiam eius rationem non magnam habendam esse dicerent hæretici, sed respondemus hoc sensu accipiendum esse dictum Bonifacij; *Cæremoniam* qua Ecclesia hominem se Deo tradentem, vice Dei acceptat, inuentam & additam fuisse ex *sola Ecclesiæ constitutione*, ac propterea eam cæremoniam quæ circa hanc solemnitatem obseruatur, mutari posse eius-

In sext. c. vni. de vot. & voti redempt.

dem Ecclesiæ authoritate, sic tamen vt per eam quæcumque tandem illa sit Ecclesia declaret se Dei vice ac nomine, oblationem seu traditionem quam homo facit suscipere. Hanc esse Bonifacij mentem ex eo colligitur, quod non dicat solemne votum, sed solemnitatem, id est modum illum tradendi, qui consistit in certa quadam cæremonia esse *ex constitutione Ecclesiæ*. Cæterùm vt esset ipsum solemne votum ex institutione Ecclesiæ, quod Caietanus, Paludanus, & Scotus volunt, infringi tamen propterea non posset, ac nihilominus matrimonium post eius susceptionem initum dirimeret, conuelleret, ac funditùs tolleret. Tanta est enim (quod aliàs probabitur) Ecclesiæ authoritas, vt de his statuere omnino possit, vt potuit clam inita matrimonia irrita, & nulla declarare, sed in altera sententia acquiescimus. Reuertamur verò ad votum conceptum quidem, sed ea solemnitate quæ per religionis ingressum additur destitutum, certum est non obligare instar illius, cui *solemnitatem addidit religionis professio*, cum animo perseuerandi, & non tantùm experimentum ducendi, ac eam probandi; Neque verò erat quod trepidanter exemplo Ananiæ, illius quem Petrus aculeata oratione perstrinxit, quæ & mortem illi attulit, verissimam hanc sententiam firmaret. Cùm quicquid senserit Caietanus Patres ferè omnes Ananiam votifragum vocare non vereantur, eiusque crimen esse putent voti nuncupati, improbam ac sceleratam violationem. Ita enim sentiunt Augustinus, Fulgentius, Gregorius, Athanasius, Basilius, Ruffinus, & Cassianus, ac plerique alij. Audi prosâ & versu clarum Nazianzenum Carm. de virg.

Greg. Naz. in præcep. ad virg.

Τὶς δ' αἶσαν Σάπφειρ' ἀ-πάδηλον, Ἀ-ναίλιο τε, Κερδέων ἀ σφετέρων κα-κὸν μόρον ἀλ-λάξατο, Οὐ πρωΐ ἢ μικρὸν ὑπορ-γίσας τί κολεῦ· Καὶ γλῶσσαν χρυσέλω πίς, ὅ-στις ἐσορίσατο λάθρα Ἀνδρῶν ἐς σφετέρων, παρεκύσας ἁμ-ματιαίς, Εἶμα τ', χρῆ-μά τε βαιὸν, ὃ-λῳ δολίσατο λαῷ.

Quis porro pœnam Ananiæ, Saphiræque tremendam
Cùm legit, occultos nummos qui morte luerunt:
Non, etiam leuiter, meruit perfringere vota?
Isque etiam in linguam efficlum qui sustulit aurum,
Vestesque, & paucos ignaro principe nummos,
Sacrilego totam constrinxit crimine gentem.

Et alibi:

Nil pollicere, sit licet paruum, Deo.
Nam munus antè iam Dei est, quàm sumpserit.
Fur es tuorum (ô debiti genus nouum!)
Nisi dei. Docent hoc Saphira, & vir perfidus.

Id. Tetra. 8.

Μηδέν ποτ' εὔξῃ, μηδὲ τῶν μικρῶν, ἄφῳ. Θεοῦ γὰρ ὄφλ τὸν πρὶν λαβεῖν· τί σοῦ λέγω; Κλέπτῃς τὰ σαυτοῦ μὴ δι-δούς· κακοῦ κακίους!

Audiamus igitur confidenter de ea re loquentem alterum Gregorium: *Ananias*, inquit, *pecunias Deo vouerat, quas post, diabolica victus persuasione, subtraxit. Sed qua morte mulctatus est, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit, considera quanto periculo in diuino iudicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te monachali habitu deuoueras, subtraxisti? Quia igitur*, inquit Spalatensis, *vitam illam Apostolicam, & fidelium Hierosolymitanorum communem iam elegerat Ananias, in eamque planè consenserat, non modò interna voluntatis electione, sed etiam facto, & executione, dum precium sui agri ad pedes proijcit Apostolorum, hinc voti reus à Gregorio conuincitur, qui sibi de precio illo reseruauerat, & ita proprietatem suorum bonorum, quam illa vita totam abdicabat, adhuc retinebat. Nonne manens tibi manebat (inquit Petrus) & venundatum in tua erat potestate? Vendidisti sanè agrum imitatione aliorum, & voluntate id faciendi, quod alij faciebant, qui se ad vitam in communi reducebant, adhuc tamen liber eras, nondum vitam hanc eras pro-*

Greg. l. 1. ep. 33. habetur 17. q. 1. c. 2.

Spalat. Num. 20.

professus, nondum eam actu assumpseras, consensu voluntatis eam elegeras, quia iam & agrum vendideras intentione vitam hanc arripiendi, sed poterat impunè te adhuc tui propositi, tuæque internæ electionis pœnitere, & sic poteras precium totum retinere: vbi verò ad actum deuenisti, & pecuniam ad nostros pedes, vt cæteri faciunt, proiecisti, & consequenter vitam hanc arripuisti, non debuisti Deo mentiri proprietate aliqua retenta, cuius omnimodam abdicationem vita hæc coram Deo, & pro Deo profitetur; neque debebas Ecclesiam fraudare ea parte precij reseruata, quam totam, aggressione huius vitæ, iam ipsi Ecclesiæ tuo voto destinaras. Sic enim vitam communem profitebaris, & tamen proprietarius adhuc eras. Hæc omnem censuram effugiunt, ac orthodoxè omnino dicuntur. Sed contra ipsum Spalatensem hinc colligimus, esse igitur votum solemne, quo quis se sua libertate exuat, ea Deo dicta, dicata, addicta, & consecrata, quod tamen suprà homo inconstantissimus inficiabatur, ac pernegabat. Confirmat quoque nostram sententiam, quod ex Basilio adducit. *Basilius quoque,* inquit, *votum quoddam, quod Deo factam consecrationem vocat, agnoscit in Anania, & Monacho desertori exemplum hoc applicat Ananiæ, vbi ita scribit; Licebat ab initio Ananiæ pecuniam suam Deo non dedicare, sed postquam humanæ gloriæ cupiditate inductus, quicquid in bonis habebat palam Deo consecrauit; quo videlicet egregio istiusmodi facto, hominum de se admirationem excitaret; de precio autem callidè postea nescio quid interuertit, eiusmodi aduersum se iracundiam Dei prouocauit, cuius Petrus minister fuit, vt ne pœnitentiæ quidem locum inuenire potuerit. Aderat ergo consecratio Deo facta, quam ego à voto vix differre puto; licet ex vana gloria eam quoque faceret, eam tamen consecrationem agnoscit Basilius in ipso actu externo proiectionis pecuniæ ad pedes Apostolorum, quæ iam erat aggressio, & professio illius vitæ: ait enim (quicquid in bonis habebat palam Deo consecrauit) quia proiectio illa ex vi professionis erat totalis & omnimoda consecratio, quam tamen ille retentione partis totam fœdauit. Nec dissimilem facit Basilius Monachalem professionem à facto Ananiæ, cæterorumque fidelium Hierosolymitanorum sub Apostolis, in se, suisque rebus omnibus Deo dedicandis. Vt cùm primùm quis actu se applicat vitæ illi, statim plenissimè professus intelligatur, tali voto quod absque vlla alia solemnitate totam inducat obligationem. Quocirca,* inquit, *ante præclaram huius vitæ professionem, liberum est vnicuique quatenus concessum est, & leges permittunt, communem cum cæteris viuendi morem sequi, sibique vxorem adiungere. Vbi verò iam quis sponte sua ipse professus est, hic Deo custodire seipsum debet, veluti eorum aliquid quæ dicata sunt Deo, ne sacrilegij crimen incurrat, cùm videlicet corpus quod semet Deo consecrauit, ministerio rursum communis vitæ contaminet. Illud sponte profiteri, ipsam aggressionem vitæ Monasticæ intelligit, vt antecedentia & consequentia ibidem manifestant, & Ananiæ exemplum conuincit.* Hæc planè ad mentem Basilij: sed eum pudet tamdiu esse orthodoxum; Hîc igitur rursum titubat ac hæret. *In hoc profectò exemplo Ananiæ,* inquit, *forma monasticæ professionis satis clarè elucet, vt primùm præcedat internum animi propositum, & deliberata voluntatis electio, in qua tamen nondum à sacra diuina Scriptura ponitur obligatio, etiamsi hic apparere possit fermè votum, quod nos vocamus simplex. Ait enim Petrus, Nonne manens tibi manebat? Et istæ iam vendiderat agrum, certè cum proposito deliberato se vitæ illi deuouendi, quamuis non sine vana gloria; Poterat tamen adhuc impunè, teste Petro, & sine peccato à voto hoc simplici, quod coram Deo dixi esse potius simplex propositum deflectere, & resilire; alioquin Petrus non reliquisset illum in*

Spalat. Num. 21. Basil. sem. de instit. Monach. init.

Ibid.

Spalat. Num. 22.

ſua libertate; deinde ſubſequitur effectus, vt quam vitam internè quis conceperat, propoſuerat, vouerat, externè etiam actu ipſo arriperet. Et in hoc ego, cum ſacra Scriptura (ſuppoſito tamen Ananiæ voto) libenter pono votum ſolemne, & conſequenter ſub reatu damnationis tunc tantùm, & non prius obligatiuum. Sed facile eſt titubantem in gradum reponere; verborum enim illorum, (*nonne manens tibi manebat, & venundatus in tua erat poteſtate*) ſenſus eſt. Nonne erat tuus antequam venderetur, vel nonne erat tuus, quo vſque non venderes illum: Vt ſignificet Petrus integrum illi fuiſſe, vel agrum antequam diſtraheretur, vel pretium agri ex quo illum diſtraxiſſet, citra vllam flagitij imaginem retinere, propterea que cauſam non habuiſſe ſeponendi, aut pretium anteuertendi, ac idcirco crimen morte piandum admiſiſſe, quod partem eius pretij callidè fuiſſet ſuffuratus, quo reſpexit Hieronymus ad illa verba (*Si vis perfectus eſſe,*) *In poteſtate*, inquit, *noſtra eſt, vtrum velimus eſſe perfecti, tamen quicumque perfectus eſſe voluerit, debet vendere quæ habet, & non ex parte vẽdere, ſicut Ananias fecit & Sapphira, ſed totum vendere, & cùm vendiderit, totum dare pauperibus.* Itaque hîc flagitium ſpectandum eſt, vt quoque concedit Spalatenſis, in voti ſolemniori nuncupatione, in qua hoc nomine peccauit, quod vt hominum de ſe opinionem excitaret, ſocietati ſe fidelium aggregarit, ac ſua omnia ad pedes eorum abiicere ſe ſimularit, cùm tamen portionem quandam diſtracti per nefas agri ſibi reſeruaſſet. *Ideo*, inquit Hieronymus, *Ananias & Sapphira puniti ſunt, quia mentiri voluerunt Spiritui ſancto, & reſeruantes neceſſaria victui ſuo, quaſi perfectè ſeculo renunciantes, vanam gloriam ſectabantur.* Igitur non malè Gratianus, quod rurſus ille admittit, pronunciauit; *Aliud eſt propoſitum*, inquit, *corde concipere, & ore etiam enuntiare; aliud eſt ſubſequenti obligatione ſe reum voti facere. Quia ergo iſte propoſitum ſui cordis ore ſimpliciter enuntiauit, non autem Monaſterio aut Abbati ſe tradidit, nec promiſſionem ſcripſit, nequaquam reus voti habetur.* Quod autem ſequenti ſectione addit; *Hinc eſt quod abſque vlla alia ſolemnitate abſque vllo voto expreſſo*, inquit, *abſque vlla emiſſa profeſſione, diu perfecti Monachi & fuerint & ſint habiti, quicumque ſiue in domo propria, ſiue in Monaſterijs, talem vitam actu ipſo externo voluntariè ſint amplexi; & ſecundum illam viuere cœperint, cum intentione in ea perſeuerandi: quocumque ſigno externo dato de talis vitæ actuali ſuſceptione, ſiue per mutationem habitus, ſiue per ſui oblationem ordini Monachali factam, ſiue per feceſſionem aliquam, ſiue per ingreſſum in Monaſterium, cum vitæ Monaſticæ in eo apprehenſione, ſiue per tonſurationem, ſiue per benedictionem, ſiue alijs modis. Cùm enim ex vera pietate & religione, & non animo fallendi homines, reali conuerſione ſe Deo dicarent, non opus erat aut nouitiorum probationibus, aut ſolemnibus votis, aut alijs publicis profeſſionibus, tabulis vel inſtrumentis: vbi ſe quiſque coram Deo verè profeſſum ſentiebat, & ſuæ profeſſionis erat, ex ſolo Dei timore, & amore, tenaciſsimus*, noſtram ſententiam non euertit, & ſunt iſta ſuprà à nobis occupata, ſiquidem diximus acceptationem Eccleſiæ, quacumque tandem cæremonia perficiat, ſufficere ad ſolemnitatem voti, quo ſe quis totum Deo tradat. Addidimus verò ad vitanda pericula, & ſcandala ſapientiſſimè prouidiſſe Eccleſiam, vt non niſi profeſſione facta conferentur religioſorum vota ſua ſolemnitate ornata & inſtructa, vt obligandi vim haberẽt. De voto Clericorum diximus ſuprà, & quæ de ea re hic habet Spalatenſis, priores eius aſſertiones omnino conuellunt, ſiquidem quod iam antea negarat, fatetur *Clericum ſolâ capitis raſura, alioye quouis externo ſigno abſque vllo voto*

Quem interpres Syrus expreſſit.

Ad c. 19. Matth.

Ep. 150. ad Hed. q. 1.

17. q. 1. c. fin. §. Si ergo.

Spalat. Num. 23.

Spalat. Num. 24.

Clericum

Clericum primùm ad vitam Clericalem admiſſum intelligi, & per talem tonſuram Clericatum profiteri, & votum reipſa & actu, etſi non voce, nec emiſsione, explicat ſuum, quo ſe Deo dedicat in Clericatu aſſumens vitam Clericalem, & reuera eſſe iam Clericum profeſſum, nec poſſe coram Deo ſine ſacrilegio vitam hanc deſerere. Igitur quòd negabat, *legibus Clericatus omnino tenetur*, cumque inter eas potiſſima cenſeatur quæ cœlibatum imperat, proculdubiò eam obſeruare, omnino obſtringitur, & ſimiliter Monachus ſola religionis profeſſione ſeruandorũ votorũ legem ſibi ipſe imponit. Prudentiſſimè verò obſeruant Theologi, noſtræ ſententiæ addicti, vtcumque in approbata religione hanc profeſſionẽ fieri oporteat, eam tamen approbationem de eſſentia eſſe religionis Eccleſiam non cenſuiſſe, ſed vt conditionem ſine qua non haberetur rata profeſſio, illam exegiſſe, quatenus ſcilicet ſummo Pontifici integrum eſt impedire, ne hæc vel illa tanquam vera religio habeatur, vt eſt Vualdenſium, & pauperum de Lugduno exemplo comprobatũ, proptereáque addidiſſe cõditiones in profeſſione præſtandas, ſine quibus vota ſolemnia non habeantur. Approbationem verò huiuſmodi ad eſſentiam religionis non pertinere argumento eſt, quod Antonius, Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, Monachorum Patres nullam ſui inſtituti approbationem à Pontifice poſtularunt, quod illorum ſeculo ius Eccleſiaſticum quo iſtud præciperetur, nullum extaret; Certè non Pontificum reſcriptis, ſed Chriſti doctrina nititur ſanctiſſima profeſſio, qua quis ſe Deo conſecrat. At verò cùm Chriſtus ab Eccleſia voti Deo nuncupandi acceptationem pendere voluerit, propterea Pontifex eas conditiones figere poteſt, quibus peſſundatis, nullius roboris votum ſeu voti acceptatio cenſeatur. Igitur quod Iuonis teſtimonio ad votifragos in officio continendos inuectam ſolemnitatem profeſſionem probat, etiam iudicium Eccleſiæ confirmat, ſcimus enim bonas leges ex malis moribus oriri ſolitas, ſed quod addit huiuſmodi traditiones nihil aliud eſſe *quàm quædam religionis vincula humanæ inſtabilitati prouiſa*, de cæremonia profeſſioni addita omnino intelligendum eſt; Certum eſt enim ipſius Spalatenſis confeſſione, *nunquam habitos Monachos qui auſterioris vitæ genus non eſſent profeſſi*, ſed vel ſola habitus monaſtici, vel etiam veli ſuſceptione, vel etiam ſui ipſius in religionem traditione, religionem profiteri ſolebant. Poſtea verò impendentibus malis, ac ſcandalis enaſcentibus, fuit religionis decori conſulendum, & exlegibus Monachis omnis Apoſtaſiæ fucus detrahendus, & prætextus amputandus. Verba Iuonis ſunt; *Quod verò poſtea*, inquit, *multiplicatis Monachorum congregationibus, profeßiones ab eis exactæ ſunt, & benedictiones ſuper eos datæ, quadam cautela factum eſt; vt Monaſticus ordo, quantò firmius in conſpectu Dei, & hominum, & ſolemnius ligaretur, tãtò robuſtius, & deuotius ab ipſis ſeruaretur. Etſi qui vellent ab hoc propoſito recedere, teſtimoniis pluribus conuincerentur, & tanquam iurati in Chriſti Sacramenta tyrones, ad propoſitum ſuum reuerti cogerentur. Quibus liquet traditiones huiuſmodi nihil aliud eſſe, quàm quædam religionis vincula, humanæ inſtabilitati prouiſa. Quoniam omnis traditio religionis nouitate, & raritate viget, & floret; antiquitate verò, & numeroſitate, niſi diſtrictè ligetur, & ſeruetur, refrigeſcit, & vileſcit.* Solo igitur mundi contemptu, & Dei dilectione Monachum eſſentialiter fieri contendit, ſed non negat eſſe quoque eum mundi contemptum & Dei dilectionem, noui inſtituti ſuſceptione ac profeſſione, firmandum ac ſanciendum. Neque enim Paulus & Antonius quos teſtes profert, ſolummodo mundi oblectamentis valedixerunt, ſed & hoc ſuum vo-

Spal. num. 25. in fin.

SPALAT. Num. 25. Epiſt. 41.

Digitized by Google

tum ſeuerioris cuiuſdam vitæ profeſſione aſtrinxerunt. Porrò fuiſſe quoque in veteri Eccleſia ſolemniorem illum ritum religionem profitendi, illa probant quę

SPALAT. Num. 26. à Spalatenſi ſubiiciuntur; *Sæpè legimus Monachos*, inquit, *cum profeſſione publica factos: Baſilius corripiens Monachum elapſum, & profugum, ait illi; Vide igitur ne fortè dum vis pacta aliquorum ſeruare, tranſgrediaris pacta erga Deum, quæ profeſſus es coram multis teſtibus. Et ad Monialem lapſam; Reuoca in memo-*

Basil. epiſt. 183.

Idem epiſt. 185. *riam honeſtam profeſſionem, quam profeſſa es coram Deo, & Angelis, & hominibus. Concilium Toletanum decimum, circa tempora Martini primi, cùm videret*

Conc. Tol. 10. cap. 5. *Moniales facilè à propoſito reſilire, & variis vti fallaciis, negantes ſe voto Deo obſtrinxiſſe, meritò eas verè profeſſas, veréque voto Deo obſtrictas eſſe decernit, ex eo tantùm quod veſte religioſa ſint diutiùs vſæ: Quia verò profeſſio, vt dicebam, in ſola vitæ talis electione, conſiſtit; quæ electio ſatis probatur, per ſolam habitus talis vitæ proprij geſtationem; Ac vt eis hæ fallaces excuſationes in poſterum præciderentur, ſtatuit, vt poſt hac Omnes Moniales pallio capita contegant, & conſcriptam, ro-*

37. q. 1. cap. omnes. *boratámque profeſſionis faciant ſcripturam; per quam vlterius non ſinantur relabi ad præuaricationis audaciam. Ecce votorum ſeu profeſſionis ſolemnitas, ab hominibus poſita, & pro ſolis humanis cautelis excogitata. Vt videlicet, quos neque propria voluntas, neque deuotio, neque ſpiritualis feruor, neque deſiderium verum contemptus mundi, aut vocat, aut retinet in Monaſteriis, humana vincula promiſſionum, & ſubiectio tabulis firmata, retineat ne elabantur. Atque ita paulatim conuerſa res eſt, vt ibi priùs charitas, & feruor Spiritus veros faciebat Monachos, abſque vllo vinculo externo; nunc vincula externa vt plurimùm falſos faciant Monachos præſumptiuos dumtaxat; abſque vllo voto interno, internaue animi ex amore Dei deliberatione.* Sed à calamo deſertoris eſt quod ſequitur. *Ecce*, inquit, *votorum ſeu profeſsionis ſolemnitas, ab hominibus poſita, & pro ſolis humanis cautelis excogitata; vt videlicet quos neque propria voluntas, neque deuotio, neque ſpiritualis feruor, neque deſiderium verum contemptus mundi, aut vocat, aut retinet in Monaſteriis, humana vincula promiſſionum, & ſubiectio talibus firmata, retineat ne elabantur. Atque ita paulatim conuerſa res eſt, vt vbi prius charitas, & feruor ſpiritus veros faciebat Monachos, abſque vllo vinculo externo nunc vincula externa vt plurimùm falſos faciant Monachos, præſumptiuos dumtaxat; abſque vllo voto interno, internaue animi ex amore Dei deliberatione.* Reſpondeo ritum ac cæremoniam illam ſolemnem inuectam à Pontificibus, at verò voti acceptationē quocumque tandem ritu fieret, ab eis non eſſe inductam, ſed perpetuò in Eccleſia ſeruatam fuiſſe: Neque enim ſi Eccleſia Pauli, Antonij, Hilarionis, aut Baſilij inſtitutum repudiaſſet, in numero Monachorū habiti fuiſſent. Exemplo ſunt tum Sabaraï-

Caſſian co. 18. c. 7. 22. tæ, tum quos Moabitas & Ammonitas appellat, ac deſcribit Hieronymus, quos

Ep. ad Euſtoch. quia Eccleſia tanquam propudioſa Religionis monſtra fugiendos docuit, pro Monachis non habemus. Certè Eccleſiam ad ſanctius Monachorum inſtitutum ſemper homines adhortatam fuiſſe, vel vnius Antonij exemplo conſtat, de

Aug. Conf. lib. 8. c. vlt. quo ita Auguſtinus; *Audieram de Antonio*, inquit, *quod ex Euangelica lectione, cui fortè ſuperuenerat admonitus fuerit tanquam ſibi diceretur quod legebatur: vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælis, & veni ſequere me, & tali oraculo confeſtim ad te eſſe conuerſum.* Quod verò rerum conuerſionem hîc nobis obiectat, Reſpondeo cum Hieronymo non eſſe hanc labem Eccleſiæ; *Nec hæc*, inquit, de peruerſis quibuſdam Monachis loquens, *culpa*

Epiſt. 4. ad Ruſt. *eſt Chriſtiani nominis, ſi ſimulator Religionis in vitio ſit, quinimo confuſio gentium,*

tium. Addo ego hæreticorum, *cum ea vident Ecclesiis displicere, quæ omnibus bonis non placent.*

De materiâ votorum iam agit aduersarius, atque Catholicos fugillat, qui obedientiam, castitatem, ac paupertatem Monachis imperent. *Professio tamen,* inquit, *hæc externa, etiam quando bona fiebat, in signum dumtaxat voti veri interni, nullum aliud certum votum continuit, nisi vnicum generale, amplectendi videlicet vitam illam, iuxta regulam propriam talis Monachismi. Neque reperies vllam professionem olim cum voto solemni particulari, vllius particularis virtutu, aut actionis. Estque res admodum noua in Monachis, etiam optimis, professionem in tribus votis solemnibus Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ collocare: Qui enim se dedicat Monachatui, vouetque vitam, & professionem Monachalem, iste vouet virtualiter, & consequenter omnia quæ sunt substantialia Monachatui: ea verò sunt vera conuersio, cœlibatus & continentia, paupertas cum exclusione cuiuscunque proprietatis, abstinentia, contemptus mundi, & omnium vanitatum, loci stabilitas, frugalitas perfectissima; & iugis, quantum fieri potest, cum Deo coniunctio. Atque in his omnibus includitur obedientia; quia aliam obedientiam in professione non vouet Monachus suo Prælato, nisi eam quæ in obseruatione suæ regulæ continetur.* Respondeo secum pugnare Spalatensem: si enim qui Monachus renuntiatur, paupertatem, castitatem, obedientiam tacitè vouet, quomodo cùm olim admitteretur Monachorum professio, hæc illis non imperabantur? An fortè eorum quæ profiterentur nescios, vnquam admisit Ecclesia? Cæterùm ab ipsis incunabulis Ecclesiæ, censuisse Patres *paupertatem, castitatem, & obedientiam* Monachorum esse propria vota suprà Augustini testimonio probauimus. SPALAT. Num. 27.

Sed iam nos Bernardi testimonio oppugnat aduersarius: *Bernardus,* inquit, *verus Monachus, optimè explicauit nullam esse professionem quàm obedientiæ, Nemo quippe, ait, cùm profitetur, spondet regulam, sed determinatè secundum regulam sui quisque conuersionem, suamque deinceps conuersationem sese pollicetur dirigere. Hæc profectò huius temporis omnibus fermè Monachis communis professio est. Quisquis itaque tenet quod teneri inuenerit bonum vbi profitetur, profectò viuit sicut promittit; quia non aliud proculdubio quisque promittit, quàm quod habere eorum pia videtur vita, cum quibus deinceps viuere disponit, & eligit. Item; Neque Abbas supra regulam est, cui semel & ipse spontanea se professione submisit: & si (quod negandum non est) Dei regula charitas, regulæ S. Benedicti iure præponitur. Item, is qui profitetur spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam; sed determinatè secundum regulam; sic se quippe habet professio: Promitto non quidem regulam, sed obedientiam secundum regulam. Non ergo secundum voluntatem præpositi.* At non aduertit Spalatensis piam vitam cui se Monachi addicunt, tria illa vota de quibus agitur omnino complecti, vt proinde obedientiam, iuxta regulam vouentes, reliquis quoque seruandis se obstringant. Hoc ipsum docet Stephanus Tornacensis; *Voui,* inquit apud eum Monachus, *in loco certo, sub Magistro certo, sub forma viuendi certis institutionibus ordinata, stabilitatem loci, obedientiam Prælati, communionem viuendi, propter salutem animæ meæ.* Itaque Monachorum professio circa generalia ita versatur, vt priuata quoque vota, regula, & institutis regulæ religionis cui se addicunt, cuique se conformare tenentur, comprehensa omnia complectatur. SPALAT. Num. 28. Bern. de præcepto & dispen. ca. 20. Ibid. c. 7. Steph. Tor. ep. 1.

At audiamus iniquissimam votorum religiosorum censuram. *Si quis ex me quærat,* inquit, *plusne profuerit an obfuerit veræ religioni, externa hæc professionis additio; dicam ei: Apud me clarum esse, longè* SPALAT. Num. 29.

Digitized by Google

maius esse detrimentum inde sequutum quàm emolumentum. Sunt ista non modò in Religiosorum ordines, verumetiam in vniuersam Ecclesiam, quæ eorum semper vsa est opera, planè contumeliosa; At verò, vt suprà monui, exarsit omnibus sæculis in Monachos Schismaticorum & hæreticorum odium, quod scilicet homines, à Christo alienissimi ferre non possint piissimorum colonorum laboribus, vigiliis, orationibus, ad populum concionibus doctissimis, agrum dominicum sedulò excoli, loliis purgari, ac amplissimam segetem magno Agricolæ referre. Certè quàm egregiam in asserenda pietate operam nauarint Dominicani, & Franciscani instituti religiosi exploratius est, quàm vt probatione indigeat, neque hanc gloriam desertorum calumniæ vnquam aboleuerint. Dolet igitur Spalatensi excitatos etiam nostro seculo doctrinæ & probitatis laude claros ordines, qui alumnos Lutheri ac Caluini asseclas afflixerint & perdiderint, ac grassantes hæreses repressérint, atque omninò labefactarint. Sed non est quod eius calumnias miremur. Rationes discutiamus; *Iam,* inquit, *solam nudam externam & exanimem professionem plus ligare hominem religioni credimus, & tenemus, ac obseruamus, quam internam deuotionem, qua se Deo quis consecrauit; & modò adsit præsumpta dedicatio per externam professionem facta, etiamsi ille de Dei seruitio, ac de statu Monachi, pro salute animæ suæ, & cultu pleniore diuino arripiendo, ne cogitaret quidem, hunc volumus esse verum & perfectum Monachum: Si verò Deo se quis deuouit, & ex animo deliberato vitam arripuit Monachalem, professionem tamen externam non fecerit, siue veram, siue præsumptam, hunc liberum dimittimus. Et tamen de his solis dicitur; Vouete & reddite; non de illis qui nihil vouerunt coram Deo, sed tantùm coram hominibus; facti hominum, non Dei serui.* Hæc inconstantissimè dicuntur, suprà enim bonum factum edicto inscripsit; *Quoniam tamen,* dicebat suprà, *refrigescente charitate, Monachi postea cœperunt facilè Monasteria fastidire, & ad mundum redire, fierique suæ professionis desertores; ad vinculum internum voti coram Deo, excogitauerunt Monachorum Patres addere vinculum humanum expressè & conceptis verbis, certisque solemnitatibus peragendæ professionis. Vt vel ita sic & discernerent fictos Monachos à veris (non enim deerant qui negarent se Deo vitam illam promisisse: aut cum intentione in ea perpetuò perseuerandi ad eam accessisse) & ad perseuerantiam magis adhuc, publicis his professionibus, astringerentur.* Igitur quod ex malis moribus bonas leges natas negare non posset, iustissimam ista sanciendi causam Ecclesiæ fuisse fatetur: Vt autem sunt quidam qui ficto animo sanctissimum institutum suscipiant, quibus tamen per Ecclesiasticas leges non liceat citra Apostasiæ notam monasteria deserere, contra verò sint alij, qui Deo, *voti interioris* nuncupatione obligati, liberi abire permittuntur, quod nulla religionis professione votũ emiserint Ecclesiæ culpa non est. Siquidem, vt omnes Theologi docent, non iudicat illa de occultis, sed de his solùm, quæ in luce hominum versantur. Monachus itaque qui Deo se deuouerit, & ex animo deliberato vitam arripuerit Monachalem, professionem tamen externam non fecerit, si fidem frangat, Deum experietur huius infidelitatis vindicem, ac vltorem seueriſsimum. Cæterùm Ecclesia illum dumtaxat in ordinem cogere potest, qui solemniori ac sanctiori illo iureiurando religionis legibus se astrinxerit. Sed hoc factum stultitiæ plenum etiam Concilius tribuit; *Eò,* inquit, *progressi sunt homines, humana in hoc sapientes, vt pro Monachis veris & obligatis Monachali vitæ, habendos censuerint, interdum & decreuerint, eos quoque qui nullo propriæ voluntatis arbitrio, propriáue electione,*

Spalat. Num. 29.

Spalat. Num. 25.

Spalat. Num. 29.

electione, sed solo parentum voto, solaque eorum oblatione, pueri in Monasteriis esse, Monachalémque habitum gestare inueniuntur. In vno Concilio sic statutum reperies; Monachum aut paterna deuotio, aut propria professio facit. Quicquid horum fuerit, alligatum tenebit: proinde his ad mundum reuertendi interludimus aditum, & omnes ad seculum interdicimus regressum. Et Isidorus; Quicumque à parentibus propriis in Monasterio fuerit delegatus, nouerit se ita perpetuò permansurum. Affertque exemplum Samuelis; & Gregorius pariter hos à parentibus oblatos, in Monasteriis omninò retinendos decernit; nec eis egredi permittit. Conc. Tol. 4. c. 48. habetur 20. q. 1. ca. 3. Eadem c. 4. Eadem c. 2. Respondeo rectè omnino monere iuris Canonici interpretes, hæc intelligenda esse de iis qui post legitimá ætatem consenserint, vel qui cùm à parentibus deuouerentur *iam essent doli capaces.* Nam quod ad impuberes attinet, censent quidam Canones vsque ad pubertatis annos in Monasteriis retinendos esse; Cæterũ vbi peruenerint ad annos pubertatis, potestatẽ eis faciũt, aut perseuerandi in monasterio, aut ab eo discedendi. Nec iniuria fracti voti reos facit Ecclesia eos, qui vel tacita professione, vel habitus religiosi post annos pubertatis circumgestatione monasterio se addixerint, si quidem cùm hæc quoque acceptationis votorum indicia esse voluerit probatissima, quisquis iis admissis à monasterio discedit, sanctissimi instituti desertor meritò iudicatur. Sed planè sapienter Nicolaus sentit præcedere omninò debere *voti interni significationem*, quam edat is qui se monasterio mancipet & addicat, si enim quod Arthini filio Lamberto de quo Nicolaus, contigit, inuitum in Monasterium detrusum constet, etiamsi amictum religiosum gestarit, nulla voti religione tenetur, nisi postea diuino numine afflatus sponte se sanctissimæ professioni tradat. *Vsquedum*, inquit Nicolaus, *diuina inspiratione compunctus propria voluntate regulæ se subdat.* Spalat. Num. 30. 20. q. 3. cap. præsens. At verò si monasterio quis sponte ac liberè se addixerit, & vitam se religiosam viuere significarit, si diutius in ea perseueret, habitum circumferat, & institutis Religionis vitam accommodet, pro religioso omnino habetur, ac desertor & Apostata euadit, si defectionem ab ordine moliatur, ac institutum deserat. Redit ad voti solemnis & simplicis distinctionem Spalatensis. *Si verò quæras quodnam discrimen ponendum sit inter votum simplex, & votum solemne: Respondeo, si loquamur de quocumque voto in genere, simplex votum esse, quod priuatim Deo fit internè inter hominem & Deum solum; solemne verò erit, si hoc ipsum internum etiam publicè fiat, & actu externo coram aliis declaretur: quæ solemnitas potest cuicumque voto adhiberi, non modò castitatis, paupertatis, & obedientiæ; sed etiam sobrietatis, continentiæ coniugalis, hospitalitatis, & hospitalibus seruiendi clericandi, eleemosynas faciendi, ieiunandi & similibus.* Spalat. Num. 31. Fallitur, aliud est votum publicum, aliud solemne, aliud simplex, & aliud priuatum. Namque & publicum, vt constat, simplex esse potest, & priuatum solemne; Sed vt diximus suprà, solemne hoc differt à simplici, quod solemnis *Traditio sit rei Deo deuotæ translato in Deum plenissimo eius dominio, simplex verò sit nuda promissio rei eius dominio retento:* Itaque Spalatensis aliò confugit, ac omissis votis, quæ realia dicit, ad personalia se conuertit, atque contendit votum religiosum omninò receptum, nec tamen externa professione firmatum hominem non obligare, verùm expectandam professionem, qua veluti ratum ac firmum habeatur: sed mira est adeóque pudenda hominis inconstantia, suprà dicebat votum simplex & solemne esse eiusdem valoris & obligationis: Nunc verò dicit votum *simplex non* obligare coram Deo, nec habere rationem voti, sed propositi: quî ista cohæreant? Expli- Num. 17.

Digitized by Google

cauimus verò ſuprà quanam ratione votum animo quidem conceptum, ſed nullo ſolemni actu firmatum, hominem deuinciat; ſatis eſt inconſtantiſſimè de his ſtatuere Spalatenſem. Nam quod attinet ad Orthodoxorum ſententiam, omnino illis conſtitutum eſt, *tria requiri ad votum, ſcilicet deliberationem, propoſitum voluntatis, ac promiſſionem, qua vna voti ratio perficiatur*; quare in numero votorum non ponunt, quæ ſola deliberatione aut propoſito conſtant, nec promiſſione ſunt firmata; proptetea cùm de voti diſpenſatione agitur, proculdubio de relaxatione promiſſorum diſputatio inſtituitur, non verò de relaxatione eorũ quæ quis animo etiam deliberato, conceperit. Et hoc ſenſu dicimus *ſimplex* quidem *votum* innuda *promiſſione* poſitum relaxari poſſe authoritate Eccleſiæ, ſed votum traditione ſui ipſius quale eſt continentiæ perpetuæ, ſolui poſſe negamus. Cæterùm concedimus, vt votum ſolemne habeatur, planè requiri profeſsionem externam, quæ tamen non vno modo aut ritu fieri poſsit, cùm id ex iudicio Eccleſiæ vota nomine Dei acceptantis omnino pendeat. Neque tamen propterea ſequitur omnem profeſsionem publicam *votum ſolemne* inducere, ſed eam tantùm quà homo totum ſe tradit Deo, ſicut trium votorum, caſtitatis, obedientiæ, & paupertatis nuncupatione fieri ſolet: quare ſapientiſſimè pronunciat Aquinas, *vota ex eo quod fiant in publico poſſe quidem habere quandam ſolemnitatem humanam, non autem ſolemnitatem ſpiritualem & diuinam, ſicut ſunt vota præmiſſa, etiam ſi coram paucis fiant.* Vnde etiam colligit, aliud eſſe votum publicum, & aliud ſolemne, quod nos quippe ſuprà docuimus. Ex quibus omnibus habetur hallucinatum Spalatenſem, qui exiſtimauit *votum internum idem planè eſſe cum ſolemni*; Fecit hæc hallucinatio, vt hæc omnia miſceret, & perturbatiſsimè doctrinam de votis traderet: *Votum* enim *internum* propriè votum non eſt; ſed præterea, vt ex ſcriptura colligit Doctor Sanctus, requiritur promiſsio, qua mentem ſuam aperiat, ſeque vltro voti nuncupatione Deo aſtringat. Habes igitur noſtram de *voto ſolemni*, & *ſimplici* ſententiam duobus verbis comprehenſam. *Votum ſimplex* eſt nuda promiſsio, *ſolemne* eſt ipſius hominis conſecratio, qua Deo ſe totum tradit, ac deuouet. Et hoc quidem diſcrimen, vt à nobis poſtulat, *à priori*, id eſt propria cauſa ducitur; Neque enim propterea votum cenſeri debet ſolemne, quod matrimonium dirimat, ſed propterea matrimonium dirimere, quod ſolemne ſit, hoc eſt quod homo eius ſolemni nuncupatione totũ ſe Deo addixerit, ac propterea coniugiũ inire nõ poſsit, quippe cuius ſuſceptio, cõtinentiæ Deo nuncupatæ planè aduerſetur, ac eam funditùs tollat. Et hæc quidem omni difficultate carent in ſententia quam ſequimur. Sed eam conuellere iam nititur Spalatenſis ſex argumentis; *Hanc tamen traditionem eſſe merum commentum, & nihil efficere, facilè oſtenditur. Primùm quia in profeſsione non fit vlla traditio, ſeu datio, ſed promiſsio dumtaxat, vt vidimus ſuprà in Bernardo: Profitens enim ſolemniter ſemper dicit: Promitto conuerſionem: promitto ſtabilitatem loci: Promitto obedientiam ſecundum regulam: & tota penitus profeſsio conſiſtit in promiſsionibus: atque ita nihil differt à voto, quod iſti ponunt ſimplex, ſed eſt eadem omnino promiſsio; differuntque vt internum & externum, conceptum & prolatum, cogitatum & explicatum, &c. Secundò: Quia profeſsiones iſtæ, & conſequenter traditiones cum ſolemnitatibus, vt optimè Iuo ſuprà obſeruabat num. 25. ob quandam humanam cautelam, & non ad faciendum verum Monachum ſunt introductæ, & primi Monachi perfectiſsimi, abſque his ſolemnibus traditionibus, in Monachatu vixerunt. Tertiò: Quia falſum eſt*

D. Th. 2. 2. q. 88. art. 1.

Art. 7.

Spalat. Num. 32.

Spalat. Num. 35.

Eccleſiam

Eccleſiam quicquam negotij ſui publici habere in receptione Monachalium profeſſionum. Iam enim probaui Monachos à Laicis non differre; & priuatam priuatorum inſtitutionem eſſe Monachiſmum. Propterea non Epiſcopo, aut Sacerdoti, ſed Abbati, ipſi quoque Monacho, offeruntur Monachorum profeſſiones. Abbates verò neque ſunt Eccleſiaſtici Miniſtri, neque Eccleſiæ publico nomine quicquam faciunt; ſed ſunt Patres Monachorum ab ipſiſmet Monachis facti, & electi, & ſibi præfecti. Si quid verò Eccleſia circa Monachos iuris, & authoritatis, ſiue regiminis exercet, id facit tanquam in membra ſua: & vigilat ne occaſione conuentuum, & ſacrarum literarum, quibus illi ex inſtituto vacant, non vt publicè doceant, ſed vt inde paſcantur ipſi; & diuino ſpiritu ſaginentur, hæreſes, & errores irrepant in Eccleſiam: nam ſæpè Monachi hæreſes excitarunt: quantam cladem Eutyches Monachus in Eccleſia exercuerit, norunt Concilia quartum, & quintum generalia. Sed circa Monaſticum priuatum regimen nihil fuit Eccleſia ſollicita, niſi quando poſtea illi à propriis inſtitutis deflexerunt, vt eos erigeret, & reformaret. Quartò: Quia poſſent aliqui homines, etiam coniugati & proprietatem bonorum, ac diuitias retinentes tradere ſe cum externis ſolemnitatibus Deo: ad ſeruiendum in perpetuum pauperibus ægrotis, in publicis noſocomiis: & poſſet, imò & deberet Eccleſia horum profeſſiones approbare: & tamen votum ſolemne extra confirmatas religiones; & vbi non ſunt tria vota paupertatis, caſtitatis, & obedientiæ, noſtri non agnoſcunt. Erunt igitur vota ſolemnia, cum plena datione ac receptione, & tamen matrimonium non diriment: Sicut & contra ſunt vota ſimplicia Ieſuitarum, ſine datione; & tamen dirimunt. Quintò: Fatetur, imò etiam ſolemniter definit Bonifacius octauus, ſolemnitatem votorum, in profeſſione religioſa totam eſſe ex ſola conſtitutione Eccleſiæ inuentam. Imò ex priuata Monachorum inuētione, vt ex hactenus à me hoc cap. diſputatis conſtat. C. vnico de voto in 6.

Sed hæc leuiora ſunt, quàm vt illis moueamur. Ad primum reſpondeo eſſe in *voto ſolemni* promiſſionem, eſſe quoque *traditionem*, atque quidem promiſſione rationem *genericam* voti ſortiri, cùm vt ſuprà eſt à nobis explicatum, *promiſſio* ad votum requiratur: *traditione* verò rationem *ſpecificam*, hoc eſt ipſam ſolemnitatem conſequi. Igitur *promiſſio* penes operationes, caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, aliquando eliciendas, attenditur; eoque ſpectant verba Bernardi à Spalatenſi adducta. *Traditio* verò corpus & animum eo ipſo inſtanti quo abſoluitur, Deo conſecrat, adeóque libertate, quâ etiam tunc cum voueret, potiebatur, ſpoliat. Vt vno verbo dici poſſit promitti operationes, & tradi facultates, ac radices, earundem operationum: Quamquam autem traditio propriè nequeat eſſe, niſi eorum quæ actu extent, tamen quadantenus etiam comparatione operationum exiſtere poteſt, quatenus ſcilicet virtute traduntur, cùm traduntur ac Deo deuouentur eæ facultates ac principia, ex quibus originem ducunt. Ad ſecundum reſpondemus profeſſiones illas de quibus agimus, quod attinet ad cæremoniam, de qua ſuo loco à Spalatenſi adducto, iuris quidem eſſe Eccleſiaſtici, ſed non quod attinet ad conſecrationis vinculum, quod omnino *iuris* eſſe *diuini* contendunt, qui Aquinatem quod nos facimus ſequuntur; Noſtra enim ſententia eſt, vt id Scholaſticorum verbis tradam, eſſentiam voti ſolemnis eſſe, de *iure naturali* & *diuino*, circumſtantias autē quæ accidentariæ ſunt, & cōditiones ſine quibus ab Eccleſia non acceptatur, *votū ſolemne* eſſe de *iure Eccleſiaſtico*, ſicut, inquiunt, eſſentia matrimonij omnino eſt ex *iure naturali* & *diuino*, quamuis conditiones ab Eccleſia poſitæ, ſine quibus conſiſtere nequit, ſunt de iure Eccleſiaſtico. Ad tertiū reſpon-

demus falsum falsissimum esse Ecclesiam nihil negotij publici habere, in acceptatione professionum Monachorũ; Nam ad eam maximè pertinet cognoscere de votorum quæ Deo nuncupantur susceptione; Atque quod Abbates, & religionum præfecti ea acceptant, nomine faciunt, & authoritate Ecclesiæ, quæ illis est eam potestatem largita. Sed & se suo gladio iugulat Spalatensis, si quidem fatetur Ecclesiam semper sollicitam fuisse, *de Monachis in ordinem cogendis, erigendis, & reformandis, postquam à suis institutis deflexissent*. Quis igitur non videat existimasse illam ad se quoque Monachorum curam pertinere? Ostendi verò suprà falsum quoque esse Monachos in numero Laicorum esse reponendos; Sed hîc sibi temperare non potuit, quin sacros illos ordines rursus lacesseret. *Sæpè*, inquit, *Monachi hæreses excitarunt: quantum cladem Eutyches Monachus in Ecclesia exercuerit, norunt Concilia, quartum & quintum generalia.* Hæc nominis religiosi labes non est, sed Apostatarum & desertorum, qui sanctissimo instituto pessundato, vt se ferulæ prælatorum subducerent, hæreses excogitarunt, ac per summum scelus vnitatem Ecclesiasticam conciderunt.

SPALAT. Num. 55.

Epist. 137. in fine. Qua de re appositissimè Augustinus: *Simpliciter fateor*, inquit, *charitati vestræ coram Domino Deo nostro, qui testis est super animam meam, ex quo Deo seruire cœpi, quomodo difficile sum expertus meliores, quàm qui in monasteriis profecerunt, ita non sum expertus peiores quàm qui in monasteriis ceciderunt, itaut hinc arbiter in Apocalypsi scriptum, Iustus iustior fiat, & sordidus sordescat adhuc. Quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, vnde apothecæ dominicæ fructu olei luminosioris implentur.* Planè verum esse quod scribit Augustinus, hoc infœliciissimo seculo sumus experti, nulli enim magis Ecclesiam afflixerunt quàm Monachi & Presbyteri Apostatæ & desertores, quales fuerunt Lutherus, Bucerus, Petrus Martyr, ac si vis etiam Marcus Antonius de Dominis cœnum ac pestis Ecclesiæ. Verùm hoc nos consolatur, quod defectione sua etiam multum Ecclesiæ profuerunt. *Namque cùm foris sunt qui etiam si in Ecclesia essent errarent* (inquit Augustinus) *plurimùm prosunt, non verum docendo quod nesciunt, sed ad verum quærendum carnales, & ad verum aperiendum spiritales Catholicos excitando.* Sed mittamus hæc portenta. Ad quartum respondemus externas solemnitates votum solemne non facere, nisi ea voueantur, quibus se totum Dei obsequio homo mancipet, quare vtcumque coniugati, & proprietatem bonorum ac diuitias retinentes se Deo etiam solemnissimo ritu deuoueant, ad opem ægrotis ferendam, non potest censeri id voti solemnis, cùm absit illa perfecta hominis consecratio, quam ad votum solemne requiri suprà ostendimus. De votis verò simplicibus in Societate Iesu præstari solitis à non professis; quandoquidem castitati, obedientiæ, & paupertati se addicunt, citra solemnitatem pro religiosa consecratione admitti potuerunt, annitente potissimùm Pontifice, cuius de ea re diploma refertur.

De vera Relig. c. 8.

Ad quintum respondimus suprà Bonifacium *de solemnitate accidentaria*, hoc est certo de ritu & cæremonia qua perficiatur loquutum: Neque quicquid contra Sotum dicat Spalatensis, aliud ex verbis eius necessariò colligitur. Propterea enim solemnitatem voti ex solo iure Ecclesiastico esse inuentam dixit, quod de ritu quo illa perficeretur, adeóque votum ipsum ab Ecclesia acceptaretur illi sermo esset, quo sensu valdè benè est argumentatus. Nimirum

rum cùm ſolemnitas voti ſit ex ſolo iure Eccleſiaſtico, id eſt cùm nullum votum poſſit eſſe ſolemne, & vim nanciſci dirimendi matrimonij ſubſequuti facultatem, niſi illud ſolum quod Eccleſia tanquam ſolemne acceptat, & in quo conditiones ab ea impoſitę ſeruentur, & ſola vota in profeſſione religionis & ordine ſacrò emiſſa, eo loco habeat; hinc fit vt nullum aliud voti genus ſufficiat ad dirimendum matrimonium ſubſequutum. Atque idem omnino dici poteſt de matrimonio, nimirum cùm nullum ſit legitimum, niſi id quod conſenſerint, acceptarintque vtrique coniuges, ſeruatis circumſtantiis ab Eccleſia, vt validum euadat præſcriptis, nullum prius initum matrimonium poſterius dirimit, niſi quod eſt illis circumſtantiis inſtructum.

Ad ſextum reſpondemus, & *profeſsione Religionis, & ſacri ordinis ſuſceptione* ſolemne effici votum, ſed non eodem modo, habet enim profeſſio religioſa ex natura ſua ac iure quodammodo diuino, vt ſolemnitatem votis addat, cùm hominem Deo totum tradat, nec amplius ſui iuris eſſe patiatur. Habet verò eam vim ſuſceptio ordinis ſolo iure Eccleſiaſtico, non natura ſua, quippe ordo ſacer ita hominem homini non eripit, vt hoc ipſo quod ei ſe adiunxerit, ſecluſa etiam quacumque Eccleſiæ lege, perpetuæ continentiæ ſeruandæ obſtringatur, ſed tantùm ratione legis ab Eccleſia impoſitæ. Quare ſacri *ordinis ſuſceptione*, matrimoniũ ratum, non verò conſummatum, minimè ſoluitur; quamuis ſolui *Religionis profeßione* iuris Canonici interpretes, ac Theologi doceant. Certè ſuprà monuimus votum caſtitatis ſacro ordini annexũ, non tam de ſe eſſe ſolemne, quàm dici, ratione conſecrationis, quæ ipſius ordinis perpetua comes eſt. Tanti igitur non ſunt rationes, quas eſt ſuffuratus Scholaſticis Spalatenſis, vt his moueamur, aut à ſententia quam ſumus amplexati recedamus. Quod attinet ad Illuſtriſſimum Cardinalem Bellarminum, video quid eum impulerit, vt à ſancto Thoma hoc loco deficeret. Exiſtimauit difficilè poſſe conciliari doctrinam eius de voto ſolemni cum factis Pontificum, qui in eo voti genere diſpenſarunt, ſed ſuprà monuimus, *diſpenſationem non fuiſſe, ſed iuris, ac æqui & boni interpretationem*, addique poteſt ſequutos hac in parte Pontifices probabilem ſententiam, quam tamen de fide non definierint. Perſtamus itaque in ſententia Principis Scholæ, & *traditionem* quam vocant *de præſenti* voti ſolemnitatem iure diuino inducere defendimus: negamuſque non ſolùm cum diſcipulis D. Thomæ, verùm etiam cum doctiſſimis viris Maldonato, Eſtio ac aliis, diſcrimen voti ſolemnis & ſimplicis in eo poſitum, quod ſit hoc priuatum, illud ſolemne. Cæterùm problema eſt Theologorum, cuius vtraque pars probabilibus nitatur argumentis. Quid verò aduerſariis reſpondendum ſit in noſtra ſententia, ex ſuperioribus colligi poteſt, & infrà docebitur. Quod verò dicit Spalatenſis ſe coëgiſſe Sotum, ac reliquos cum eo ſentientes, vt in ſua caſtra tranſirent, hominis eſt vaniſſimi inaniſſima gloriatio, nec facilè hoc ei conceſſerint, qui quid diſtent æra lupinis nouerint.

Maldonatus in controuerſiis. Eſtius in quartum ſententiarum.

Sed pergit deſipere, ac ſua phantaſmata nobis obtrudere. *His poſitis*, inquit, *& probatis, quid ſit dicendum de effectibus voti ſolemnis, paucis perſtringemus. Duo ſanè ſunt præcipui effectus voti ſolemnis, quos noſtri Romanæ doctrinæ Theologi ponunt, & defendunt; & tamen ſicut noui ſunt, & olim in Eccleſia inauditi, ita multas inducunt in Eccleſiam turbationes, & multa incommoda, atque animarum damna non contemnenda. Alter effectus eſt inhabilitatis ad ma-* SPALAT. Num. 37.

trimonium, alter verò Apoſtaſia, ſi Monaſterium deſeratur. Mirum eſt hoc acumen, nec ante Spalatenſem cuiquam in mentem venerat huius poſtremi commenti, Eſſe ſcilicet *Apoſtaſiam effectum voti ſolemnis*, iuxta hanc ſententiam tranſgreſſio legis, effectus eſt legis, & præuaricatio præcepti diuini, effectus ſacri mandati. Quo nihil abſurdius dici poſſit. Igitur ſtatuendum eſt non eſſe Apoſtaſiam effectum voti ſolemnis, ſed eius potius eneruationem & euerſionem. Neque verò propiusà vero abeſt quod addit, *inhabilitatem ad matrimonium Eccleſiam Dei turbare.* Turbæ à refractariis excitantur, neque eas ciére credenda eſt ſolemnitas voti, ſed improbitas ac nequitia Apoſtatarum, qui cùm ſponte ſe caſtitatis legibus obſtrinxerint, eas infringere ac violare non verentur. Hinc mali labes. Sed vt deerrantem in viam reducamus, expendamus eius rationes.

SPALAT. Num.38. Soluuntur argumenta Spalat.

Qui ſe Deo, inquit, *per ſuſceptionem vitæ Monachalis cœnobiticæ dedicauit, is profectò coram Deo, perpetuo ſe vinculo talis vitæ, vſque ad mortem, quantum in ipſo eſt, pêragendæ obſtrinxit. Quæ vita eſſentialiter, & ſubſtantialiter includit cœlibatum, & continentiam; itaut ſi cœlibatum deſtruas, à Monachali penitus recedas inſtituto; & idem eſt Monacho vxorem ducere, quod Monachum deſerere, ſaltem ex conſequenti, vt mox explicabitur. Itaque planum eſt nulla prorſus ratione ſtare poſſe nuptias, cum Monachatu. Qui igitur per ſuam leuitatem, poſt diuini ſpiritus legitimam vocationem ad Monachatum, ad nuptias appellit animum, is voti ſui deſertor, fidem ſuam irritam facit, & damnationem habet, ac peccat coram Deo, cui per pœnitentiam debet ſatisfacere.* Hæc quidem vera ſunt, ſed veram ſingularémque ſententiam aliquot mendaciorum adiectione corrupit.

SPALAT. Ibid.

Non ita eſt in Clerico, inquit, *Clericatus enim non includit in ſe ſubſtantialiter cœlibatum; ſed coniugium admittit; vt probaui in præcedentibus. Et qui ſe Clericatui deuouet, cœlibatum neque Deo, neque hominibus promittit, vt iam probaui; ſecus eſt in Monacho: Ac propterea ſi Clericus vxorem ducat, non ideo à ſuo propoſito, & vitæ inſtituto recedit; neque deſertor eſt voti, neque fidei Deo datæ irritator.* Hæc falſa eſſe ſuprà oſtendimus, ac cœlibatum ſacro ordini, lege Eccleſiaſtica annexum eſſe demonſtrauimus; Igitur quamquam iure diuino, quod tamen quidam licet perperam exiſtimarunt, perpetuæ continentiæ legibus non ſit obſtrictus, qui ſacris initiatus eſt, iure tamen Eccleſiaſtico, ita illis iam aſtringitur vt ſi vxorem ducat, non matrimonium ineat, ſed ſacrilegio ſe inceſtet. Sed iam de Monachorum votis quoque malè ſentit.

Ibid. Sup. c 11. n.26. & ſeq.

At verò inquit Monachus & voti reus eſt, inquit, *& promiſſæ fidei: quod ſi vxorem ducat, malum non facit quod vxorem ducat, ſed quod vxorem ducendo à vita Monaſtica quam profeſſus eſt, recedat: vt ſuprà explicabat Auguſtinus. Idemque prorſus peccatum erit Monacho, ſi à Monachatu, ſine iuſta cauſa recedat, vitamque illam, quam Deo promiſerat, deſerat, etiamſi abſtineat à coniugio, & in cœlibatu perfectiſſimè, cum pleniſſima continentia perſeueret: ac ſi vxorem ducat. Profeſſio enim Monachalis, vt vidimus, non eſt immediatè circa cœlibatum, & caſtitatem, neque votum verum Monachi eſt votum caſtitatis ſpeciale, vt dicebam ſuprà nu. 27. & expreſsè tenet ac docet Caietanus; (quamuis moderni Reformatores formulam profeſsionis in multis religionibus, ad tria vota ſpecialia reduxerint) ſed eſt votum viuendi iuxta Regulam, quam profitetur. Et quia regula illa, illudque vitæ inſtitutum, caſtitatem eſt amplexum, ideo conſequenter vouit etiam caſtitatem.*

Caiet. 22. 88. ar. 3.

Vbi

Vbi verò fit deſertor ſuæ profeſſionis, in eo tantùm deſertor eſt, quod vitam Monachalem deſerit: ſiue poſtea ducat vxorem, ſiue non ducat. Si igitur duxerit vxorem, Auguſtinus, & cum eo ſancti Patres, omnes penè ad vnum, qui aliquid de hac re reſcripſerunt, vt vidimus, nuptias legitimas agnouerunt; cum peccato tamen graui, non in contrahendis nuptiis, ſed in deſertione illius vitæ, quæ per nuptias neceſſariò deſeritur, & abrumpitur. Hæc falſa ſunt, & præterea inconſtantiſſimè dicuntur; falſa ſunt, quia Monachus qui vxorem ducit, copulæ indulgere citra nouum peccatum non poteſt, cùm copula voto caſtitatis aduerſetur; inconſtantiſſimè verò dicuntur; Namque Spalatenſis doctrina eſt, *vitam Monachorum eſſentialiter & ſubſtantialiter includere cælibatum & continentiam.* Itaque qui vitæ Monaſticæ ſe addicit, voto quoque perpetuæ continentiæ ſe obſtrinxit, ac propterea voluntas deficiendi à vita cœlibe *eſſentialiter* & *ſubſtantialiter* inuoluit voluntatem deficiendi à vita monaſtica, cum hæc iudice Spalatenſi auelli aut ſeparari non poſſint. Atqui prior illa voluntas in monaſticam vitam deſerendi, vt ipſe fatetur, ſceleris plena eſt, igitur & poſterior; ac proinde ſcelus eſt nuntiũ remittere cœlibatui, aut continentiam quam voueris non ſeruare. Cùm igitur hæc voluntas deficiendi à cœlibatu & cõtinentia includatur in voluntate ineundi & conſummandi matrimonij, qua quis poſt emiſſum votum ſolemne, ab inſtituto abducitur, planũ eſt hoc deſiderio flagrantem grandi ſe ſcelere obſtringere. Præterea ſupra eodem loco aſſeuerabat Spalatenſis, *idem eſſe Monacho vxorem ducere, quod Monachatum deſerere.* Si igitur quod rurſus fatetur, peccat Monachus inſtitutum deſerendo, peccat ſimiliter ad nuptias conuolando. Poſtremò Spalatenſis quoque doctrina eſt, Monachum qui ad nuptias attollit animum, *eum voti ſui deſertorem fidem ſuam irritam facere.* Atqui certum eſt peccare Monachum inſtitutum ſuum deſerendo, & fidem ſuam frangendo, eadem igitur ratione animum ad nuptias appellendo nefas facit; Sed errorem errore cumulat. *Idemque*, inquit, *prorſus peccatum erit Monacho, ſi à Monachatu, ſine iuſta cauſa recedat; vitámque illam quam Deo promiſerat, deſerat; etiam ſi abſtineat à coniugio, & in cælibatu perfectiſſimè, cum pleniſſima continentia perſeueret; ac ſi vxorem ducat.* Rationem addit non illepidam. *Profeſſio enim Monachalis, vt vidimus, non eſt immediatè circa cælibatum, & caſtitatem, neque votum verum Monachi eſt votũ caſtitatis ſpeciale, vt dicebam ſuprà num. 27. & expreſsè tenet & docet Caietanus, (quamuis moderni Reformatores, formulam profeſſionis, in multis religionibus, ad tria vota ſpecialia reduxerint) ſed eſt votum viuendi iuxta regulam quam profitetur. Et quia Regula illa, illudque vitæ inſtitutum, caſtitatem eſt amplexum; ideò conſequenter vouit etiam caſtitatem.* Sed eum ratio fugit, nam quod ad primum attinet, ſi Monachus deſerto ordine ſtatuat cœlebs viuere, nullum omnino flagitiũ admittit, quod velit continentiam ſeruare, quippe qui rem voto olim emiſſo cõgruentem omnino faciat. In matrimonium verò conſentiendo, ac liberis vacando omnino peccat, cùm hac ratione pollicitis non ſtet, adeóque fidem Deo obſtrictam frangat, non igitur par eſt vtriuſque ratio. Præterea illud quoque aduertendum eſt Monachum deſertorem qui ſe coniugio non implicarit, facilè poſſe in priſtinum ſtatum, ſi modò pœniteat, reuocari, cùm obicem nullũ poſuerit, qui eum à monaſterio repellat, ſed qui ſe vxori addixit, obicem poſuit, omnémque reditum in Monaſterium ſibi præcluſit, qui autem minus idoneum & habilem ſe præbet, proculdubio grauius peccat. Igitur Monachus in matrimonium cõſentiendo peccat, non verò continentiam ſeruando. Cæterùm flaccido quoque

Num. 38. in prin.

SPALAT. Num. 38.

nititur argumento, & labaſcit eius ratio. Namque Monachus omnino caſtitatem vouet, cùm ſolemni voto ſe obſtringit. Si quidem vt conceptis verbis eam non voueat: Monachatum expreſsè vouet; atqui Monachatus ſeu vita monaſtica, fatente Spalatenſi, *eſſentialiter & ſubſtantialiter includit cœlibatum & continentiam.* Siue igitur expreſsè voueat caſtitatem, ſiue expreſsè ſe Monachũ profiteatur, proculdubio caſtitatis & continentiæ legibus ſe obſtringit, vt proinde eam violando, fracti voti omnino reus euadat. Ex his patet quàm ſint abſurda quæ tota ſectione trigeſima nona tradit aduerſarius, quamquam etiam volens nolens admittit, ineſſe aliquid labis in ſuſcepto matrimonio, *quo ſe Monachus inhabilem reddit ad ſuum votum ſeruandum,* Addit tamen *nonniſi remotè & indirectè peccare contra caſtitatem, directè verò, & proximè contra vitam Monachalem.* Sed hæc rurſus inconſtantiſſimè dicuntur, cùm eius ſententia *Monachatus eſſentialiter & ſubſtantialiter includat cœlibatum & continentiam.* Vt autem ſententiam ſuam fulciat, nititur rationes Soti ſoluere. Aſcribamus eius verba,

Spalat. Num. 40.

Matrimonium tamen Monachi profeßi, poſt editam profeßionem ſolemnem initum, noſtri Pontifices, & Doctores faciunt irritum, inane, prorſuſque nullum: & ſanè aliqui effectum hunc, ſolemne votum iure diuino habere contendunt, vt inhabilem reddat perſonam ad contrahendum matrimonium, idque hoc ſyllogiſmo probari, ait Sotus: Quicunque ſe alteri tradit, ſuam illi voluntatem mancipando, iure naturæ & diuino, ſit inhabilis ad alium ſtatum: Qui vouet ſolemniter, tradit ſe, abdicando abſe ius ducendi vxorem, poßidendique propria, &c. ergo ſit ad coniugium inhabilis. Maior tamen huius ſyllogiſmi ad ſummum vera erit de iure tantùm, non de facto: & noſtra diſputatio eſt de facto: concedimus enim de iure non debere profeſſum contrauenire ſuæ profeßioni; neque Deo datam fidem fallere; de facto tamen ſi fallat, malè facit, ſed factum tenet; multa enim malè fiunt, ſed facta tenent: & illa inhabilitas durat tantùm, dum traditio durat: ceſſat verò, vbi qui ſe tradiderat ſe ſubtrahit, & in priſtinam reſtituit libertatem. Hoc pacto inhabilis eſt ad aliud matrimonium qui ſe iam vni vxori tradidit: ſed ſi vxorem interficiat, vt ſe ab ea liberet, malè facit: ſed ab illa inhabilitate ſe liberauit: & iam poteſt aliam vxorem ducere, & matrimonium tenet. Minorem autem falſam eſſe de iure diuino ſuprà probaui: traditio enim illa, ſi qua eſt, in qua ponunt ſolemnitatem, tota ad ius ſolùm ſpectat poſitiuum. Itaque nihil concludit.

Sot. de hiſt. & in. l. 7. q. 2. ar. 5.

Atqui hoc non eſt ſoluere argumentum, ſed principium poſtulare. In quæſtione ſi quidem poſitum eſt, vtrum traditione facta, in poteſtate hominis ſit, pedem referre nec ne. Aſſumit Spalatenſis poſſe, nos negamus. Itaque eodem loco nihil promouit, neque exemplum quo vtitur ad rem eſt: ſi quidem qui vxorem interfecit, vtcumque peccauerit, proculdubio obicem abſtulit, quo nubere alteri prohibebatur; qui verò ſe perpetuæ continentiæ ſoléni voto aſtrinxit, is obicem quo ad nuptias conuolare interdicitur, tollere nulla ratione poteſt, ſi quidem æternum durat voti vinculum quo ſe obligauit, neque à traditione facta reſilire poteſt, vt alteri ſe addicat; Eſt enim illa, vt diximus, *de iure naturali diuino*, nec ab homine laxari poteſt in ſententia quam propugnamus. Quamquam autem quæ proxima ſectione profert, aduerſus eos qui ſolemnitatem voti ad ius Eccleſiaſticũ referunt, facilè ſolui poſſint, quia tamen noſtrã ſententiã non labefactant, non eſt quod in illis refellendis tempus teramus; ſufficiat

Spalat. Num. 41.

monuiſſe falſum eſſe Eccleſiã veterem matrimonia poſt ſolemne votũ inita, *rata habuiſſe ac firma*, ſi quidẽ adulterij, inceſti, ac ſacrilegij loco ſemper illa habuit,

& Ba-

& Basilij, Ambrosij, Hieronymi, ac Chrysostomi testimonio probauimus, qua de re videro rursus infra. Ludit verò mirabiliter, vt eius verbo vtar, in recensendis Ecclesiæ legibus, quibus solemnitati votorum cauet; Enimuero conditiones sine quibus solemnitatem adhibere non posse censet, cum ipsa essentia solemnitatis confundit, ac in hunc errorem abreptus fræna linguæ laxat, & sanctissimos Pontifices contumeliis onerat, homo nullius frontis; Sed non est, quod in his immoremur. Sequenti sectione multa habet animaduersione dignissima; sed quod pleraque ad eam sententiam pertineant, quæ solemnitatem voti iuris facit Ecclesiastici, illa non attingemus. Tantummodo igitur nobis expendendum est, quod ait solemnitatem votorum impedire quidem, ac vetare ne matrimonium contrahatur, contractum tamen post illam, ex ea non dirimi. SPALAT. Num. 43.

Concludimus itaque primò, inquit, *votum solemne Monachorum, si quid efficit vltra votum simplex, eorundem iam vitam Monachalem amplexorum, id totum, sola Ecclesiastica constitutione efficere: quod iam est demonstratum. Secundò solemnitates hasce impedire quidem, ac vetare, ne matrimonium contrahatur, contractum tamen post illas, ex eis non dirimi, sed esse ratum, firmum, & validum, tam in Monacho, quàm in Moniali; sicut post votum simplex.* Hoc falsum esse suprà ostendimus authoritate vetustissimorum Patrum; Nunc satis sit Pontifices & Concilia quæ tempora Bonifacij anteuerterunt, statuisse votum solemne religiosorum, non modò impedire, sed etiam dirimere matrimonium. Sic igitur Innocentius I. de virginibus ab Episcopo velatis: *Item quæ Christo spiritualiter nupserunt, & velari à Sacerdote meruerunt, si postea vel publicè nupserint, vel se clanculò corruperint non admittendas esse ad agendã pœnitentiam, nisi is cui se iunxerant de seculo decesserit: si enim de omnibus hæc ratio custoditur, vt quæcunque viuente viro alteri nupserit habeatur adultera, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia concedatur, nisi vnus ex eis defunctus fuerit; quantò magis ad illa tenenda est, quæ antè immortali se sponso coniunxerat, & postea ad humanas nuptias transmigrauit.* In quam sententiam Concilium Turonense II. *Nos*, inquiunt Patres, *hoc sequentes, quod vel Apostolus Paulus Papa, vel Papa Innocentius statuit, in Canonibus nostris inferentes statuamus obseruandum, vt nullus sacratam Deo virginem, quæ in honorem Christi vestem mutauit, aut rapere, aut competere, aut sibi coniugem sociare præsumat: quia etiam lex Romana constituit, vt quicumque sacratam Deo virginem, vel viduam fortasse rapuerit, si postea eis de coniunctione conuenerit, capitis sententia feriantur. Item si quis, non dicam rapere, sed attentare matrimonij iungendi causa, sacram virginem ausus fuerit, capitis sententia feriatur.* Suprà recensuimus testimonia Basilij, Chrysostomi, Ambrosij, Hieronymi; qui disertis verbis docent huiusmodi virgines matrimonium ineuntes, non tam adulteras quàm incestas esse Christi, sequitur ergo votum, non solùm impedire coniugium contrahendum, verùm etiam dirimere contractum. Ep. 2. ad Vict. c. vlt. Innoc. 1. c. 12. Turo. Syn. 2. Can. 21.

Sed vrget Spalatensis; *Si Ecclesia*, inquit, *per dictas solemnitates religionem professentis, soluere potuit matrimonium prædictum, poterit etiam illud soluere per ordinis sacri susceptionem. Imò poterit absolutè illud, ex quacumque alia causa, quæ illi placuerit soluere, & edicere, verbi gratia, vt qui vouerit Hierosolymitanam peregrinationem; vel qui tantam eleemosynam fecerit, vel qui se ad seruiendum hospitalibus mancipauerit, &c. ratum & non consummatum matrimonium possit soluere.* Fallitur, nec est horum par ratio: namque, vt rectè aduertit S. Doctor, neque in horum votorum nuncupatione homo tradit seipsum totum Deo, neque in SPALAT. Num. 43.

Digitized by Google

S. To. 2. 2. q. 88. art. 7. in corpore articuli.

illis est vlla ratio solemnitatis, quæ aut impediat matrimonium contrahendum, aut dirimat contractum. Verba sancti Doctoris sunt: *Dicendum quod vnicuique rei solemnitas adhibetur secundum illius rei conditionem, sicut alia est solemnitas nouæ militiæ, scilicet in quodam apparatu equorum & armorum, & concursu militum: & alia solemnitas nuptiarum quæ consistit in apparatu sponsi, & sponsæ & conuentu propinquorum: votum autem est promissio Deo facta. Vnde solemnitas voti attenditur secundum aliquid spirituale, quod ad Deum pertineat, id est, secundum aliquam spiritualem benedictionem, vel consecrationem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certæ regulæ, secundo gradu post sacri ordinis susceptionem, vt dicit Dionys. 2. capite Ecclesiasticæ Hier. Et huius ratio est, quia solemnitates non consueuerunt adhiberi, nisi quando aliquis totaliter mancipatur alicui rei. Non enim solemnitas nuptialis adhibetur, nisi in celebratione matrimonij, quando vterque coniugum sui corporis potestatem alteri tradit. Et similiter voti solemnitas adhibetur, quando aliquis per susceptionem sacri ordinis diuino ministerio applicatur. Et in professione certæ regulæ, quando per abrenũtiationem seculi, & propriæ voluntatis aliquis statum perfectionis assumit.* Quod verò addit Spalatensis; dirimere quoque matrimonia, vota simplicia nuncupata in Societate Iesu, aliò spectat, nimirum quod iuxta eam sententiam, quæ solemnitatem voti abesse vult: au-

Greg. 13. in Bulla ascẽdente Domino.

thoritate Pontificis, imò ipsa votorum simplici nuncupatione omninò sint in numero religiosorum, & si simplicibus votis nullo modo astricti. Ex his planum fit Monachum, aut etiam Monialem fractione voti in Apostasiam incurrere.

Spalat. Num. 44.

Sed occurrit Spalatensis, ac obnititur: *Ego tamen dico*, inquit, *coram Deo, non plus esse Apostatam à Monachatu illum, qui post solemnem professionem, quàm qui ante illam, fit iniustus desertor propositi & instituti iam arrepti, si id, non animo tantùm probandi, sed animo amplectendi & perseuerandi arripuerit, quia vterque coram Deo est æquè obligatus, suum votum adimplere, & solemnitas coram Deo nihil auget obligationem.* Insipienter igitur Innocentius, Ambrosius, Hieronymus, Basilius, inter virgines velatas de manu Episcopi distinxere, & delirabat omnino Hieronymus, cùm ad hæc verba Apostoli; *Si nupserit virgo non peccauit*, de

Lib. 1. cont. Iouin. c. 7.

suo adderet: *Non illa virgo quæ se semel Dei cultui dedicauit: Harum enim si quæ nupserit, habebit damnationem, quia primam fidem irritam fecit, &c. Virgines enim quæ post consecrationem nupserint, non tam adulteræ, quàm incestæ sunt.* Sed pluris est nobis Hieronymus, quem reliqui Patres assequuntur, quàm mille Spalatenses. Quod autem non solùm Episcopos, verùm etiam Confessarios in relaxatione votorum potestati Pontificis exæquat, appendix est ad errorem de æqualitate Prælatorum & Presbyterorum. Bene est autem quod vt timorem iniiciat votifragis, Deum eos Cæsarij verbis quæ etiam nostram sententiam firment, eos alloquentem inducit. *Tu Monache antequam mihi promitteres, in tua*

Cæsarius hom. 47.

erat voluntate facere quod velles, vox tua liganit te mihi. Nunquid te compuli? Nunquid ex necessitate feci sti? Nonne liber eras? In tua fuit potestate promittere, promisisti & meus esse cœpisti, mẽum nolo dimittas, non tibi licet ea licentia dimittere, quia mecum habes causam. Promittere tuum fuit, dimittere non est tuum: si dimiseris non te habeo in illo gradu, in quo te prius habui: Primùm liber eras, eras quidem de familia mea; non eras ante oculos meos, non eras de ministriu meu, tamen eras de familia mea; non eras mecum, sed tamen creatura mea eras. Ex quo militare cœpisti, si recesseris, non te habeo de familia, sed certè fugitiuum & prœuaricatorem, non enim inuenies vbi me possis fugere. Ideo hoc totum dico, subdit Cæsarius, quia in

nostra

noſtra eſt poteſtate Deo promittere, non eſt in noſtra poteſtate dimittere. Promiſiſti, præmium habebis, negaſti pœnam habebis, vtrumque propter confuſionem eſt. Dicimus, iterum atque iterum dicimus; Ecce ante oculos tuos via mortis, & via vitæ; elige quod volueris. Hoc totum dico, fratres chariſſimi, ne quis de vobis putet ſe habere liberam poteſtatem diſcedere, & perdeſcendere cum diabolo in infernum. Ergo ego qui ſum Monachus, qui deſij eſſe ſæcularis, & factus ſum Monachus, aut Monachus ſaluor, aut aliter non ſaluor. Iis parum conſentanea ſunt, quæ errorem ex errore nectens addit Spalatenſis: *Quid*, inquit de Monacho, *ſi propria authoritate ſine cauſa legitima quis Monachus profeſſus, fiat deſertor? Hic ſanè peccat contra Deum, & damnationem habet; ſed Eccleſia nihil habet contra illum, in foro externo: habet tantùm cum illo negotium in foro conſcientiæ propter peccatum; vt non abſoluatur niſi redeat, aut ſi legitima ſit cauſa abſoluatur, etiam non rediturus per irritationem vel commutationem voti. Quod ſi vxorem duxerit, pœniteat de peccato deſertionis, ſed permaneat in coniugio; neque enim amplius indiget vlla diſpenſatione, ipſe enim per aſſumptionem ſtatus incompoſsibilis cum Monachatu, ſecum ſatis diſpenſauit; quia longe arctius eſt vinculum connubij, quàm Monachalis profeſsionis.* Spalat. Num. 45.

Sed hic ſophiſtam agit, eſtque iſta mera principij poſtulatio. Probandum, quippe illi fuit votifragum Monachum coniugium iniiſſe, cuius tandem vinculo teneretur, quod nos ſuprà falſum falſiſſimum docuimus. Quod attinet ad Auguſtini tempora, quibus videre ſe ait Spalatenſis, *Monachos ſponte abſque vlla diſpenſatione de Monaſterijs diſcedere, & propoſitum deſerere, nec Auguſtinum cuius fuerant Monachi eos inſequi vt Apoſtatas*, ſententiam noſtram non euertit; Namque præterquam quod mitiſſimo vir ingenio Auguſtinus, ſummo iure cum illis agere noluit, de coniugiis votifragorum aliter ſenſiſſe quàm ſenſerint veteres, ſuprà oſtendimus: Quanquam eſt hoc quoque eius pronunciatum: *Qui non damnaretur*, inquit, *ſi duxiſſet vxorem, poſt votum quod Deo promiſit, ſi duxerit damnabitur, cùm hoc faciat quod ille qui non promiſerat: tamen ille non damnatur, iſte damnatur. Quare niſi quia iſte reſpexit retro? Iam enim ille antè erat, iſte autem illuc nondum peruenerat. Sic virgo, quæ ſi nuberet, non peccaret: ſanctimonialis ſi nupſerit Chriſti, adultera reputabitur. Reſpexit enim retrò de loco quo acceſſerat.* Num. 45. Ep. 76. Aug. enarrat. in Pſ. 83

Afflicti Monachatus iam cauſas rimatur Spalat. ac idcirco periiſſe clamat. *Inde verò*, inquit, *vel maximè Monachatus perijt, quia vi retinentur qui oderunt diſciplinam, quam ne ſponte quidem, & ex animo deliberato, aut deſiderio propriæ ſaluti abſque diuina vocatione initiò ſuſceperunt; ſed vt plurimũ pueri, pueriliter allecti; vel inopes, vel otioſi vileſque perſonæ, pro cõmodis temporalibus facti ſunt Monachi; & dum diſciplinam reſpuunt, nec amant regulam, ſed à vera vita Monachali abhorrent, coguntur tamen manere ad externas ſolas, abiecto ſpiritu & vix illas quoque obſeruantias ſe reducunt: nouique ad Monachiſmum ingredientes, quam vitam aliorum cernunt, à verò ſpiritu remotiſſimam, illi etiam amplectuntur, & ſectantur. Hinc collapſum cernimus Monachiſmum.* Spalat. Num. 46.

Patêre Monaſteria inopibus & pueris tam eſt verum, quàm falſum eſt otioſos ac regulæ immorigeros Eccleſiæ probari: labes hæc eſt rerum humanarum, quod homines ſanctiſſimis inſtitutis addicti ea faſtidiant, tamen cùm in ſpeciem ea ex animo amplecti ſe prodant, Eccleſia quæ in imos receſſus non penetrat, pro Religioſis eos habet qui Religionem profitentur. Quod attinet ad pueros eam ætatem parem eſſe ſuſcipiendo inſtituto Monachorum, pluribus oſtendit Doctor ſanctus aduerſum Religionis calumniatores. Atque omnis generis probationibus oſtendit, rectè

Digitized by Google

Opus.13.c.3 contra tetrahentes homines ab ingreſſu Religionis.

iugo Domini à puero aſſueſcere homines. *Hæc conſuetudo*, inquit, *pueros Religioni tradendi, non ſolùm Eccleſiaſticis ſtatutis quàm pluribus, ſed etiam Sanctorum exemplis comprobatur. Narrat enim Gregor. in 2. dialog. lib. quod cæperunt ad beatum Benedictum Romanæ vrbis nobiles, & Religioſi concurrere, ſuoſque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonæ ſpei ſuas ſoboles, Euticius Maurum, Tertulus verò Patricius Placidum tradidit. Ex quibus Maurus iunior cùm bonis polleret moribus, magiſtri adiutor cæpit exiſtere. Placidus verò puerilis adhuc indolis annos gerebat. Ipſe etiam beatus Benedictus adhuc puer exiſtens, deſpectis litterarum ſtudijs, relicta domo rebuſque Patris, ſoli Deo placere deſiderans, ſanctæ conuerſationis habitum quæſiuit: vt Greg. in eod. lib. narrat. Hic etiam mos ab ipſis Apoſtolis ſumpſiſſe inuenitur exordium. Dicit enim Dionyſ. in fine Eccl. Hier. Surſum acti infantes ad habitum ſanctum habebunt conſuetudinem, ab omni ſemoti errore & immundæ vitæ expertes. Hoc diuinis noſtris ducibus ad mentem venit, & viſum eſt ſuſcipere infantes. Et quamuis ibi loquatur Dionyſ. de ſuſceptione infantium ad Chriſtianam Religionem in baptiſmo aſſumendam, tamen ratio ibi inducta etiam propoſito competit, quia vtrobique pueros expedit nutriri in his quæ poſtmodum ſunt obſeruaturi, vt ad hoc eorum habitus informetur. Et vt vlterius procedatur, hoc etiam ipſius Domini authoritate firmatur. Legitur enim Matth. 19. Quod oblati ſunt Chriſto paruuli, vt manus eis imponeret & oraret, diſcipuli autem increpabant eos, Ieſus autem ait eis: Sinite paruulos, & nolite eos probibere ad me venire. Talium eſt enim regnum cælorum, vbi dicit Chryſoſt. Quis mereatur appropinquare Chriſto, ſi repellitur ab eo ſimplex infantia? Nam ſi ſancti futuri ſunt, quid negatis filios ad Patrem venire. Si autem peccatores futuri, vt quid ſententiam condemnationis profertis antequam culpam videatis? Manifeſtum eſt autem quod maximè appropinquat homo Chriſto per viam conſiliorum, ſecundum illud Matth. 19. Vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & ſequere me. Non ſunt igitur pueri retrahendi, ne per obſeruantiam conſiliorum Chriſto appropinquent. Sed ſicut Origenes ibidem dicit, quidam priuſquam diſcant rationem iuſtitiæ de pueris, reprehendunt eos, qui per ſimplicem doctrinam pueros & infantes, id eſt, minus adhuc eruditos offerunt Chriſto. Dominus autem hortans diſcipulos ſuos, viros iam conſtitutos condeſcendere vtilitatibus puerorum, vt fiant pueris, quaſi pueri, vt pueros lucrentur, dicit, Talium eſt regnum cælorum. Nam & ipſe cùm in forma Dei eſſet, factus eſt puer. Hoc ergo debemus attendere, ne æſtimatione ſapientiæ excellentioris contemnamus, quaſi magni puſillos Eccleſiæ, prohibentes pueros venire ad Ieſum. Et adhuc ad priora nos extendamus de Ioan. Baptiſta legitur Luc. 1. Puer creſcebat & confortabatur ſpiritu, & erat in deſertis vſque ad diem oſtenſionis ſuæ ad Iſraël, vbi dicit Beda. Prædicator pœnitentiæ futurus, vt liberius auditores ſuos à mundi illecebris erudiendo ſubtollat, primæuam in deſertis tranſegit vitam, ne vt Greg. Nicænus dicit huiuſmodi fallacijs, quæ per ſenſus ingeruntur aſſuetus quandam confuſionem, ac errorem incurreret erga veri boni diſcretionem, & ideo ad tantum diuinarum gratiarum eleuatus eſt apicem, vt pluſquam Prophetis ſibi gratia infunderetur, quia mundus expers cuiuſlibet paſſionis deſiderium ſuum à principio, vſque ad finem diuinis aſpectibus obtulit. Non ſolùm igitur licitum eſt, ſed etiam valde expediens ad maiorem gratiam optimè promerendam, vt aliqui à pueritia ſeculum deſerentes in deſerto Religionis viuant. Vnde Thren. 3. dicitur. Bonum eſt viro cùm portauerit iugum ab adoleſcentia ſua. Et cauſa videtur aſſignari, cùm ſubditur: Sedebit ſolitarius & tacebit, quia leuauit ſe ſuper ſe, per quod datur intelligi, qui ab adoleſcentia ſua iugum*

Digitized by Google

gum Religionis portando ſe ſuper ſe leuant ad obſeruantias Religionis; quæ in quiete conſiſtit, à mundanis curis & ſilentio, à turbarum tumultibus magis redduntur idonei, ſecundum illud Prouerb. 22. Adoleſcens iuxta viam ſuam etiam cùm ſenuerit, non recedet ab ea. Et inde eſt quod Anſelmus in lib. de ſimilitudinibus, eos qui ſunt à pueritia in Monaſterijs nutriti, angelis comparat, eos verò qui poſtmodum in perfecta ætate conuertuntur, hominibus. Hoc etiam non ſolùm ſacræ Scripturæ authoritatibus, ſed etiam philoſophorum ſententijs confirmatur. Dicit enim Philoſophus in 2. Ethi. Non parum differt ſic, vel ſic ex iuuene confeſtim aſſueſieri. Sed multò magis, aut omne, id eſt, totum, in hoc conſiſtit, quod aliqui à pueritia erudiantur, in hoc quod per totam vitam debent ſeruare; & in 8. Polit. dicit idem Philoſophus, quod legiſlatori maximè negociandum eſt circa iuuenum diſciplinam, quos oportet erudire, ſecundum quod conuenit ad vnamquamque qualitatem. Hoc etiam ex communi hominum conſuetudine manifeſtè apparet, ſecundum quam homines à pueritia applicantur illis officijs vel artibus, in quibus vitam ſunt acturi. Sicut qui futuri ſunt clerici, mox à pueritia in clericatu eruditntur, qui futuri ſunt milites, oportet quod à pueritia in militaribus exercitijs nutriantur, ſicut Vegetius dicit in lib. de re militari qui futuri ſunt fabri, fabrilem artem à pueritia diſcunt. Cur igitur in hoc ſolo regula fallet, & qui futuri ſunt Religioſi, non à pueritia in Religione exerceantur? Quinimo neceſſe eſt, vt quantò aliquid eſt difficilius, tantò ad illud portandum magis homo à pueritia conſueſcat. Sic igitur manifeſtè apparet, quod à pueris locum non habet, quod dicunt oportere aliquem prius in mandatis exerceri, quàm ad conſilia tranſeat religionem intrando. Renititur tamen Spalatenſis, & inde oblata occaſione laudandi inſtituti Patrum Ieſuitarum: *Qui pauciſſimos,* inquit, *ad profeſſionem, & non niſi poſt multos annos iam bene probatos, & firmatos, ad ſolius tamen Generalis nutum admittant; reliquos ſub votis ſimplicibus retineant.* Spalat. Num. 46.

Contrà anſam arripit maledicendi, ac plenis velis in innocentiſſimam Societatem inuehendi. *Prudentiam carnis* vocat ſanctiſſimam legem, ac præpoſiti Generalis mite imperium, *meram tyrannidem* eſſe cenſet, ſcilicet vt verba Auguſtini vſurpare omnino poſſit religioſiſſima Societas. *Omnia ſchiſmata, omnes hæreſes, omnes intus peſſimè viuentes, & mores ſuos bene viuentibus imponentes, & ad ſua trahentes, & malis colloquijs bonos mores corrumpentes: ipſi prætereuntes legem inſurrexerunt ſuper me. Dicat hoc omnis anima pia,* inquit Auguſtinus, *dicat omnis anima Chriſtiana.* August. in Pſal. 85. Dicat ergo Societas Ieſu quia hoc paſſa eſt, quia quotidie hoc patitur, ſed ei ſumma laus eius eſt ab improbis vituperari. Votifragos rurſus palpat Spalatenſis, ac nihil iuris in eos eſſe Monaſteriorum præfectis à quibus receſſerint contendit, ac tota integra 48. ſectione vrget veteres Patres in Apoſtatas illos, *non vlla actione iuris, perſonali, & reali, aut loris, aut vinculis & cuſtodijs vſos; ſed ſola morali perſuaſione voluntatem illorum flectere, vt ſponte vellent redire eſſe conatos.* Spalat. Num. 48. Scilicet amoris & charitatis plena ſunt Eccleſiæ imperia, ſæpéque ac ſæpè ſæpius ſummo iure non vtitur, ne quam iniuriam in ſpeciem irrogare videatur, fit tamen vt improbitate, & peruicacia ſectariorum acriora nonnunquam adhibeat remedia, quod factitaſſe magnum Pontificem Greg. tandem agnoſcit Spalat. *Non diffiteor tamen,* inquit, *aliàs Gregorium ad reducendos Monachos deſertores, & iam vxoratos coërcitionem etiam præcepiſſe. Hoc tamen mihi, & nouum & inſolitum tunc videtur, quanquam neque nouum, neque inſolitum ſit Gregorium Imperatoris puto confidentia, ſuo pio zelo plusculum quàm eſſet poteſtas Eccleſiæ propria ſibi aſſumere, & vlterius ſe extẽdere.* Greg. lib. 1. ep. 40. Eſt hîc immanis, & intollerabilis audacia tanti Pontificis iudicio ſuũ iudicium præponere ac præferre: quare nihil his per-

mouemur. Sed eſt rurſus hominis de mente deiecti etiam ſanctiſſimarum Sy-
Eod.nu.48. nodorum decretis ſuum iudicium anteponere. *Monachos*, inquit, *deſertores à ſe*
20.q.3.c. Eos qui. *penitùs Monachiſmum abdicantes, cœperunt aliqui Apoſtatas vocare, & in eos ex-*
communicationes fulminare. Quod ego primùm obſeruo in Concilio 4. Toletano,
quod circa tempora Honorij 1. eſt celebratum. Sed & hîc etiam ego multò maiorem
iniuriam agnoſco, neque puto poſſe iuſtè & legitimè Eccleſiam excommunicationibus
contra Monachiſmi deſertores inſurgere. Sed Eccleſia in Apoſtatarum pœnis ſta-
tuendis, nec iudicium, nec approbationem Spalatenſis deſiderat, eique ſemper
facti ſui ratio conſtat, ſiue Monachos votifragos, ſiue parabatas clericos plectat,
in eoſque animaduertat; Et falſum falſiſſimum eſt *ſolemnitatem votorũ, ſeu pro-*
feſſionis nullam internam coram Eccleſia inducere obligationem, *quam ſecum nõ*
ferat votum ſimplex opere adimplere cœptum, Adminiculo enim ſolemnitatis Mo-
nachi totos ſe tradunt, & mancipant præfectis Monaſteriorum, neceſſitatemque
ſibi imponunt perſeuerandi vſque ad mortem in Monaſterio, quod voto ſim-
plici non fit. Iam diſſoluere rationes nititur quibus noſtri probant, non quidem
priores illos Monachos in ſqualore pœnitentiam agentes, ſed poſteriorum ſe-
culorum Religioſos præcipua illorum Monachorum inſtituta ſecutos, *inter Ec-*
Spalat. Num.50. *cleſiaſticos viros eſſe reponendos. Dicent tamen*, inquit, *Monachi ſe eſſe inter Ec-*
cleſiaſticos viros reponendos, tum ex eo quod habeant confirmationes ſuarum Reli-
gionum à ſe Apoſtolica, per quas confirmationes & ſuſcipiantur in Eccleſiam, tan-
quam gradus quidam Eccleſiaſticus, & priuilegijs etiam miniſtrorum Eccleſiaſtico-
rum ornentur, & perfruantur; imò etiam in multis ſuprà Clericos euehantur. Tum
etiam ex eo quod peculiari benedictione inſigniantur, & quaſi conſecrentur. Ex neu-
tro tamen hoc capite inter viros Eccleſiaſticos locum habent, cùm neque vocentur ab
Hebr.5. Rom.10. *Eccleſia, neque mittantur, ſed ipſi per ſe priuatas ſuas faciant ſeceßiones. At nemo*
aſſumit ſibi honorem Eccleſiaſticum, niſi qui vocatur à Deo tanquam Aaron, & Ec-
cleſiaſticum miniſterium nemo ſuſcipit, niſi mittatur. Confirmationes verò illæ ſunt
noua inuenta, de quibus agam lib. 10. ſicut & de priuilegijs. Oſtendant mihi obſecro
quam confirmationem habuerint innumerabilia cœnobia in Ægypto Monachorum,
florentißima, ſub Antonio, Pachomio, Hilarione, Macario, & alijs. Quamdiu in
Occidente Benedicti inſtitutum, per tot ordines; Nigrorum, Cluniacenſium, Ciſter-
cienſium, & aliorum propagatum viguit & floruit, abſque vlla peculiari ſedis Apo-
ſtolicæ confirmatione? Confirmatio ergo, ſiue ſedis Apoſtolicæ, ſiue quorumcumque
Epiſcoporum in ſuis Diœceſibus, nihil aliud operatur, niſi ne conuenticula fiant, quæ
ſub prætextu Religionis hæreſes foueant, & contra fidem Catholicam machinentur:
& confirmare aliquod inſtitutum, non eſt illud admittere inter Eccleſiaſticos mini-
ſtros, ſed eſt tantummodo teſtificari talem vitæ inſtitutionem conformari cum Chri-
ſti conſilijs, & cum Euangelica vita Apoſtolorum, & piorum fidelium, ipſique Euan-
gelio & Chriſti doctrinæ illam non aduerſari; & poſſe quemque à Deo vocatum
illam tuta conſcientia amplecti. Quæ eſt doctrinalis inſtructio & definitio, quàm ſe-
des quæcumque Epiſcopalis, in ſua Diœceſi poteſt dare. Conſecratio verò illa eſt ſim-
plex benedictio, quæ fit ab Abbate, vel quocunque Monacho; qui non ſunt Eccleſiæ
miniſtri, neque Eccleſiæ nomine id præſtant. Sola verò benedictio per collationem or-
dinis, præſertim ſacri, perſonam conſtituit in numero Eccleſiaſticorum hominum, &
Iuo ep.41. *Chriſti miniſtrorum. Et optimè dicebat Iuo, Non maiorem vim habere hanc bene-*
dictionem, ſiue à ſimplici Monacho, ſiue ab Abbate fiat, quam habeat ſuper pœniten-
tem abſolutio, vel ſuper populum Sacerdotis oratio, & tam perfectè eſt Monachum,

ſine

ſine benedictione, quàm cum benedictione. Idem intellige etiam de Moniali quæ ordinariè prius profitetur, deinde benedicitur, & velatur. Reſpondeo quod attinet ad approbationem Pontificis, ſi, quod eſt omnibus orthodoxis exploratiſſimum, Pontificem eſſe ordinis Eccleſiaſtici caput, Spalat. eſſet cõſtitutum, ſatis præſidij Religioſis in eius approbatione eſſe, exiſtimaret, vt in Eccleſiaſticorum numero habeantur. Quamobrem cum de ea re dubitare nefas arbitremur; non eſt quod importuni aduerſarij obiectiones nos remorentur. Et quod vrget Pacomij, Hilarionis & cæterorum Monachorum inſtituta his approbationibus caruiſſe, poſterioris æui approbationes non infringit aut euertit, ſiquidem creſcẽtibus ac penè in infinitum abeuntibus Monachorum ſodalitatibus, ne quid detrimenti caperet Eccleſia Dei, opere pretium fuit Pontificem de his ſtatuere, ne homines vagi, otioſi, inertes, ac errones vno verbo, Fuci Monachorum, quales duodecimum ſeculum protulit Valdenſes & Albigenſes, pios ludificarentur, ac Eccleſiæ ipſi imponerent. Quod attinet ad cõſecrationem, de ea non loquitur Iuo, in qua poſita ſit ſolemnitas voti, ſed de cæremonia quam in albo Eccleſiaſticorum non reponere Monachũ, haud ægrè diffitemur. Sed & aliam rationem nobis eripere tentat aduerſarius: *Sed dices*, inquit, *Monachi quoque ſacris ordinibus initiantur, & per Eccleſiaſticos ordines aſcendunt, tandem etiam ad Presbyteratum. Sunt ergo miniſtri Eccleſiæ, Clerici quidem, ſed à Clericis Monachatu ſeparati; vt ſint Clerici regulares, diuerſi à Clericis ordinarijs, & ſæcularibus; & ſic in diuerſo gradu Eccleſiæ cõſtituti. Reſpondeo, ex hoc ipſo euidenter colligi, Monachos, qui Monachatum cum Clericatu confuderunt, iam neque eſſe veros Monachos, neque veros Clericos. Clericatus enim cum Monachatu pugnant, & ſunt incompatibilia. Nam cùm Clericus ex intrinſeca natura ſui gradus, & vera Chriſti inſtitutione, totus eſt alterius, nihil penè ſuus; eſt enim Chriſti & Eccleſiæ miniſter ad ſeruiendum populo in rebus ſpiritualibus, vocatus & inſtitutus; Monachus verò totus eſt ſui tantùm gratia; totus in propria ſola ſuæ animæ ſalute curanda occupatus; inde propriè Monachus ſeu ſolitarius dictus; non quia ſolus extra homines viuat; viuit enim in ſocietate Monachorũ, ſed quia ſibi ſoli vacat, ab omni alio externo exercitio remotus & elongatus, ac præſertim ab omni officio Clericali. Quamuis à carentia ſociæ coniugis, ita etiam dictum ſup. nu. 4. 9. cenſuerint Caſſianus & Chryſoſtomus: Auguſtinus verò Monachi nomẽ ad vnitatem reducit. Quia multi cùm ſint in vno cœnobio, ita ſpiritu, volũtate atque caritate, & vnitate actionum ſunt cõiuncti, vt ſi omnes eſſent vnicus homo. Monachos verò ſibi ſolis vacare patet ex prima eorum inſtitutione, de qua egimus ad initium huius capitis, & S. Patres, ac Concilia ſæpiſſimè & apertiſſimè teſtãtur Clericatum cum Monachatu directè pugnare: Meritoque Gregorius VII. dixit Monachos ſe ipſos tantùm amãtes propriam quietem quærere.* Stultam hanc opinationem Monachiſmũ pugnare cum Clericatu, ac officia inter ſe contraria eſſe, pridem refutauit S. Doctor de diuini verbi prædicatione potiſſimùm agẽs, & quoniam difficultates planè ſoluit, ac ſcrupulos omnes eximit, lubet hîc eius verba repetere. *Reſpondeo dicendum, quod aliquid dicitur alicui nõ licere dupliciter. Vno modo, quia habet in ſe quod cõtrariatur ei quod dicitur nõ licere, ſicut nulli homini licet peccare: quia habet in ſe quilibet homo rationẽ, & obligationem ad legem Dei, quibus contrariatur peccatũ. Et hoc modo dicitur alicui non licere prædicare, vel docere, vel aliquid huiuſmodi facere: quia habet in ſe aliquid quod his repugnat, vel ratione præcepti, ſicut his qui ſunt irregulares ex ſtatuto Eccleſiæ nõ licet aſcendere ad ſacros ordines: vel propter peccatum, ſecundum illud Pſal. 49. Peccatori autem dixit Deus. Quare tu enarras iuſtitias meas? Hoc autem modo non eſt illi-*

20. q. 1. cap. Puellæ, & c. Sanctimoniales, & c. Placuit.

Olim ſatis erat Epiſcopis probari Monachos, ſed noui inuris diſpoſitione iam requiritur approbatio Põtificis. SPALAT. Num. 51.

Auguſt. in Pſal. 132.

Greg. 7. l. 6. ep. 17.

D. Thom. q. 187. art. 1. in corpore articuli.

Digitized by Google

citum religiosis prædicare, docere, & huiusmodi facere, tum quia ex voto & præcepto regulæ non obligantur ad hoc, quod ab his abstineant: tum etiam quia non reddũtur ad hoc minus idonei ex aliquo peccato commisso, sed magis idonei ex exercitio sanctitatis, quod assumpserunt. Sultum autem est dicere, vt per hoc, quod aliquis in sanctitate promouetur, efficiatur minus idoneus ad spiritualia officia exercenda: & ideo stulta est quorundam opinio dicentium, quod ipse status religionis impedimẽtum affert talia exequendi, quorũ errorem Bonifacius Papa rationibus suprà dictis excludit dicens, vt habetur 16. q. 1. Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audacissimo quidem zelo magis amaritudinis, quàm dilectionis inflãmati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo viuunt, Sacerdotalis officij potestate indignos: sed omnino labuntur, quod ostẽdit, primò quidem, quia non contrariatur regulæ. Subdit enim: Neque enim B. Benedictus Monachorũ præceptor almificus, huiusmodi rei aliquo modo fuit interdictor: & similiter nec in alijs regulis hoc prohibetur. Secundò improbat prædictum errorẽ ex idoneitate Monachorũ, cùm in fine capituli subdit Quanto quisque est excellentior, tanto & in illis spiritualibus scilicet operibus, potẽtior. Alio modo dicitur aliquid non licere alicui, non propter contrarium quod habeat, sed propter hoc quod deficit ei, vnde illud possit: sicut Diacono non licet Missam celebrare, quia non habet ordinem Sacerdotalem: & Presbytero non licet sentẽtiam ferre, quia non habet Episcopalem authoritatem. In quibus tamen est distinguendum, quia ea quæ sunt ordinis, committi non possunt, nisi ei qui ordinem habet: sicut Diacono non potest committi, quod celebret Missam, nisi fiat Sacerdos. Ea verò quæ sunt iurisdictionis, cõmitti possunt eis qui non habent ordinariã iurisdictionem: sicut prolatio sentẽtiæ cõmittitur ab Episcopo simplici Sacerdoti. Et hoc modo dicitur nõ licere Monachis & alijs religiosis prædicare, docere, & alia huiusmodi facere: quia status religionis nõ dat eis potestatem huiusmodi faciendi. Possunt tamẽ ista facere, si ordinem recipiant, vel ordinariam iurisdictionem: aut etiam sibi cõmittãtur ea, quæ sunt iurisdictionis. Pergit Spal. *Basilius optimus,* inquit, *Monachorum Pater, & instructor, ac institutor, diabolicam pestem esse vehemẽter exaggerat, si inter Monachos, Clericatus ambitio inualuerit; ostenditque Clericatum esse à Monachatu alienissimum; sic enim loquitur; Cæterùm Clerum aut inter fratres Principatum, nullo modo appetere Monachus debet: siquidẽ diabolica ista pestis est, & libidinis dominandi labes; quæ res insigne primæ diaboli prauitatis indicium est. In eandem sententiam consentit Moses Abbas; dum enim varias recensẽt diabolicas illusiones, quibus Monachos solet Satan transfiguratus in Angelum lucis decipere, vnam esse ait; Cùm desiderare sanctum Clericatus officium, sub prætextu ædificationis multorũ, & amore lucri spiritalis, instigat, per quod nos, inquit, ab humilitate propositi huius, ac districtione diuellat.* Respondeo Basilium omnino ambitum damnare, ac ab eo omnino alienum esse debere Monachum docere; quod minimè mirum sit, cùm nec in his qui mundo nunquam vale dixerũt minimè probetur: sed pium studium in Ecclesia proficiendi sacro ordine susceptο in Monacho neutiquam improbasset, namque Athanasius eos Monachos meritis laudibus ornat, qui in Episcopatus munus initiari se vltrò permiserint, quo Ecclesiæ rebus consulerent, eorumque exemplum Dracontio profert, quo obstinatum eius animum frangat, & in Episcopatus administrationem consentire faciat. *Neque enim tu solus,* inquit, *ex Monachis es constitutus, neque solus Monasterio præfuisti, neque solus à Monachis dilectus es. Nosti enim Serapionem Monachum esse, & quot Monachorum præfectum? Neque à te ignoratur, quot Monachorum Pater fuerit Apollonius. Nosti Agathonem, neque ignotum habes Aristonem. Memor es Ammonij cum Serapione peregrè profecti: fortassis*

SPALAT. Num. 52. Basil. const. Mona. c. 9.

Cass. coll. 1. c. 20. & Cæsar. Arelat. hom. 15.

Athan. ep. ad Dracont. Οὐ γὰρ σὺ μόνος ἐκ μοναχῶν κατεστάθης, οὐδὲ σὺ μόνος ἐφίεσαι μοναστηρίου, οὐ μόνος ὑπὸ μοναχῶν ἠγαπήθης. ἀλλ' οἶδας ὅτι καὶ Σεραπίων, μοναχός ἐστι, καὶ

taſsis etiam audiſti de Cue in ſuperiore Thebaide, poteris itẽ reſciſcere de Paulo, qui eſt apud Latos, & de aliȳs multis. Et tamen iſti Epiſcopi conſtitui non contradixerunt, ſed habentes pro exẽplari Helizæum, & conſcij quid Helias egerit, & eruditi quid diſcipuli Chriſti Apoſtolique fecerint, ſuſceperunt hanc curã, neque miniſterium hoc aſpernati ſunt, neque propterea ſeipſis deteriores facti ſunt, ſed & laboris mercedem expectant, proficientes ipſi, alioſque proficere adhortantes. Quot ab idolis conuerterunt? Quot à furioſa & dæmoniaca conſuetudine ſuis admonitionibus compeſcuerũt? Quot adduxerunt Chriſti ſeruos? adeò vt qui iſta ſigna conſpiciant, admirẽtur. Et quidem ipſe Hieronymus qui diſcriminis in Clericum & Monachum author inducitur, vt lapſum timeat in aſcenſu ad gradum Clerici; tamen aſcenſum non damnat, modò iis ſit inſtructus Monachus, qui ad Epiſcopatum dignè obeundum planè deſiderentur. *Quod ſi te,* inquit ad Nepotianum, *quoque ad Epiſcopatum pia fratrum blandimenta ſollicitant: gaudebo de aſcenſu, timebo de lapſu, &c.* Et quidem Hieronymus Monachum Ruſticum ſpe cõſequendi Clericatus lactat, & allicit, vt ei ſtimulos addat, & his velut calcaribus concitet ad ſanctè & piè viuendum in Monaſterio. *Ita age,* inquit, *& viue in Monaſterio, vt Clericus eſſe merearis, vt adoleſcentiam tuam nulla ſorde commacules; vt ad altare Chriſti, quaſi de thalamo virgo procedas, & habeas de foris bonum teſtimonium; fœminaque nomen tuum nouerint, & vultum tuum neſciant. Cùm ad perfectam ætatem veneris, ſi tamen vita comes fuerit, & te vel populus, vel Pontifex ciuitatis in Clerum elegerit, agito quæ Clerici ſunt, & inter ipſos ſectare meliores, quia in omni conditione, & gradu optimis mixta ſunt peßima.* Igitur Baſilius honorum immoderatam cupiditatem, & dignitatum contentionem in Monacho vituperat, non his legitimè comparatis, eximit aut ſubducit. Sed inſtat Spalatenſis: *Zozimus,* inquit, *Papa ab Iſychio Salonitano monitus nonnullos ex Monachorum cœtu, quorum ſolitudo quauis frequentia maior erat, ſed & Laïcos ad Sacerdotium feſtinare, ita reſcribit: Hoc autem ſpecialiter, & ſub prædeceſſoribus noſtris, & nuper à nobis interdictum cõſtat literis ad Gallias, Hiſpaniaſque tranſmiſsis, in quibus regionibus familiaris eſt iſta præſumptio. Ne quis penitus contra Patrum præcepta, qui Eccleſiaſticis diſciplinis imbutus, per ordinem non fuiſſet, & temporis approbatione diuinis ſtipendijs eruditus ad ſummum Sacerdotium aſpirare præſumeret. Laudamus igitur conſtantiam propoſiti tui (qua videlicet Monachis, & Laïcis negabat Presbyteratum.) Nec aliud à te expectandum fuit, quàm vt talibus ambitionibus, pro præceptis Patrum, in procinctu fidei conſtitutus occurreres. Vos obſiſtite talibus ordinationibus, obſiſtite ſuperbiæ & arrogantiæ venienti.* Reſpondeo Zozimum tum in Clericis, tum in Monachis præproperam ad ordines ſacros feſtinationem, præceleréque aſcenſum culpare, ac reprehendere, nam ſunt hæ præproperæ, & nimium celeres prenſationes vituperationi obnoxiæ, ac perodioſæ *cito Pater, cito Sacerdos, cito omnia tam præpropera,* cùm probatiſſimos quoſque, & moribus & doctrina deſiderent ſacra miniſteria. Sed vt monebamus, non magis Monachos quàm Laïcos pungit Zozimus. Sed annon lepidus eſt Spalatenſis. *Hic,* inquit, *habemus multam probationem Monachi, ſi in Clerum ſit cooptandus.* Ergo, mi Antoni, cooptari poteſt, & in Clerum legi, proindeque non pugnãt iſta, nec ſunt *incompatibilia,* vt tu ſuprà vaticinabaris. Perſequitur & exemplo Hieronymi, de quo ſuprà nos premit. *Ioannes Hieroſolymitanus,* inquit, *conqueſtus fuerat de quibuſdam quod Presbyteri cùm eſſent, illi qui erat Epiſcopus non ſubijcerentur, & conſequenter alium Principatum Eccleſiaſticum in ipſius diœceſi facerent; & ita ſcinderent Eccleſiam. Atque hac querela acrius ſe punctũ ſenſit*

πίσυν μετὰ χῶν σεσίση. ἐν ἴλαδί σι πίσυν μετὰ χῶν παρ' ὑμῖν ἀπολλως. &c.

Hier. ep. 1. ad Hiliod.

Hieron. ad Ruſtic. ep. 4

Spalat. Num. 53. Zozim. ep. 1

Spalat. Num. 54. & 55.

Spalat. Num. 54.

Hieronymus; vtque eã dilueret, neque interim ſe ei ſubiiceret, licet eſſet Presbyter ſe à Clericatu abdicatũ, vt Monachus *tantùm eſſet, docet; ſic enim differit: Porro quod dicis te petiſſe, vt ſubiicerentur Eccleſiæ Dei; & non ſcinderent eã, neque proprium ſibi facerent Principatũ; de quibus dicas non ſatis intelligo. Si de me, & de Presbytero Vincentio, ſatis multò dormiſti tempore, qui poſt annos 13. nunc excitatus hæc loqueris: ob id enim, & ego Antiochiã, & ille Conſtantinopolim, vrbes celeberrimas deſeruimus, non vt te in populis prædicantem laudaremus, ſed vt in agris, & in ſolitudine adoleſcentiæ peccata deflentes, Chriſti in nos miſericordiam deflecteremus. Sin autem de Pauliniano tibi ſermo eſt, vides cũ Epiſcopo ſuo eſſe ſubiectum, verſari Cypri ad viſitationẽ noſtram interdum venire, non vt tuum ſed alienũ, eius videlicet à quo ordinatus eſt. Quod ſi hic etiã eſſe voluerit, & in exilio noſtro quietus in ſolitudine viuere quid tibi debet, niſi honorem quẽ omnibus debemus Epiſcopis? Fac à te ordinatũ, idem ab eo audies, quod à me miſello homine, ſanctæ memoriæ Epiſcopus Paulinus audiuit. Nũ rogaui te, vt ordinarer? Si ſic Presbyteriũ tribuis, vt Monachũ nobis non auferas, tu videris de iudicio tuo. Sin autẽ ſub nomine Presbyteri, tollis mihi propter quod ſæculum dereliqui, ego habeo quod ſemper habui, nullũ diſpendium in ordinatione paſſus es. Hæc ille. De tribus hic agitur Presbyteris, qui Monachi cũ eſſent, ad Presbyteratũ fuerunt aſſumpti; Hieronymo, Vincentio, & Hieronymi fratre Pauliniano. Hi in Monaſterio Betleemetico, Hieroſolymitanæ diœceſis, degebant; Monaſticãque vitam agebant. Epiſcopo Hieroſolymitano, tanquã Presbyteri, ſubdi nolebãt, hoc eſt non conſentiebant, vt ille de illis, ſicut de ſuis Presbyteris diſponeret, ijſque pro ſuo libito, & pro ſua poteſtate, in regimine ſuæ Eccleſiæ vteretur. Illi enim ſub ſuo Abbate, in ſuo cœnobio, monaſticè viuebant. Atque hinc Ioannes quærebatur Presbyteros, quorum proprium caput in vnaquaque Eccleſia eſt illius Eccleſiæ Epiſcopus, ſub alio capite, & Principe quẽ ipſi ſibi in Monaſterio conſtituunt, viuere. Vbi verò Presbyteri, à proprio capite Eccleſiaſtico ſeparati, aliud ſibi caput cõſtituunt, vbi profectò manifeſtum ſchiſma, & manifeſtam ſciſsionem Ioãnes agnoſcebat. Neque id negare potuiſſet Hieronymus, ſi Presbyteri illi quorum vnus ipſe erat Presbyteralia officia gererent, & exercerent, & non ſub ipſo Epiſcopo. Sed ſe cũ Vincentio Presbyteratui renunciaſſe reſpondet Hieronymus, ad quẽ non rogantes, ſed rogati & inuiti penè fuerant promoti; & ſolo Monachiſmo operam dare. Paulinianũ verò ad obedientiam ſui Epiſcopi, qui illum ordinarat trãſiiſſe. Quod ſi & ipſe vellet renũciare Clericatui, vt* Monachus *purus, inter Monachos ageret, id ei integrũ eſſe cùm fuerit omnino inuitus ordinatus. Vides quãtum repugnet Clericatus* Monachiſmo, *& contra: vt ſi* Monachus *velit vti Clericatu, relinquẽdus ſit ei* Monachatus, *vt ſit ſub ſuo Epiſcopo, à quo fuit ordinatus; ſicut fecit Paulinianus: aut ſi Clericus velit ad vitã tranſire* Monachalẽ, *ab omni Clericali munere debeat abſtinere; ſicut fecerunt Hieronymus, & Vincentius, qui in* Monaſterio *nunquã voluerunt obire munera Sacerdotalia, vt propterea Epiph. Cypri Epiſcopus, non ſine vi, Paulinianũ* Monachũ, *& ad Diaconatum, & ad Presbyteratum euehere fuerit neceſsitate adactus; quia in illo Monaſterio, in quo erat multitudo fratrum, vt loquitur Epiphanius, nullus erat qui ſacrificia perageret, niſi ſoli Hieronymus & Vincentius: & hi abſtinebant. Atque ex eodem Hieronymo refert Gratianus, Monachos Scythiæ conueniſſe in vnum, vt Sacerdotem ſibi inuenirent, qui eis Miſſarum ſolemnia celebraret. Non ergo Monachi ſacris ordinibus initiabantur, ne Patres quidem eorum, & Abbates.* Sed toto cœlo aberrat in ea retexenda Hieronymi hiſtoria, nec videt Hieronymum importunis inimiciſſimi Antiſtitis querelis vexatum ſe Preſbyteratus officio abdicare voluiſſe, quod tyrannica quadam vi Ioannes Hieroſolymitanus hoc nomine quod eſſet ab eo ordinatus, ad ea illum adigere vellet, quæ ſanctiſſima eius

Hier. ep. 61.

Spalat. Num. 55.

Apud Hier. ep. 60.

Ibid.

16. q. 1. cap. Hinc eſt §. ſuperior.

otia

otia interturbarent, & à Monachi piis exercitiis auocarent, quod quia ille facere renuebat excanduit in eum Ioannes, atque etiam munere Sacerdotij interdixit, ac anathemate percussit. Quare festiuè admodum Hieronymus se ab eo *decollatum, & truncatum* dicit: Causamque hanc afferebat, ac prætexebat quod Hieronymus cum sociis Ecclesiam scinderet, & *proprium sibi principatum faceret.* Hieronymus igitur, vt hanc à se inuidiam amoliretur, ac calumniam refelleret, perstare Monachos in obsequio Episcopi clamat, nec vllam defectionem ab eo moliri, sed ea esse in eos duritia, vt nullis officiis flecteretur. Propulsat verò calumniam potentissimè his verbis: *Omnibus Episcopu rectam dumtaxat fidem tenentibus, & communione, & caritate sociamur. An tu solus Ecclesia es, & qui te offenderit, à Christo excluditur? Si proprium defendimus principatum; ostende nos in parochia tua habere Episcopum.* Superius verò etiam retexens illa Ioannis verba; *Vt non scinderent*, inquit, *eam, neque proprium sibi facerent principatum*; hæc fulmina in eum torquet. *Quis scindit Ecclesiam?* inquit, *Nos, quorum omnis domus Bethleem in Ecclesia communicat: an tu, qui aut benè credis, & superbè de fide taces; aut malè & verè scindis Ecclesiam? Nos scindimus Ecclesiam, qui ante paucos menses, circa dies Pentecostes, cùm, obscurato sole, omnis mundus iamiamque venturum iudicem formidaret, quadraginta diuersæ ætatis, & sexus, Presbyteris tuis obtulimus baptizandos? Et certè quinque Presbyteri erant in Monasterio, qui suo iure poterant baptizare, sed noluerunt quidquam contra stomachum tuum facere; ne & hæc tibi de fide reticendi daretur occasio. An tu potius scindis Ecclesiam, qui præcepisti Bethleem Presbyteris tuis, ne competentibus nostris in Pascha baptismum traderent, quos non Diospolim ad confessorem & Episcopum misimus Dionysium baptizandos? Ecclesiam scindere dicimur, qui extra cellulas nostras locum Ecclesiæ non habemus?* Quæ igitur pertæsus criminationis, & accusationis Ioannes Hierosolymitan. ad eum scribit: *Si de me*, inquit, *& de Presbytero Vincentio: satis multo dormisti tempore, qui, post annos tredecim, nunc excitatus hæc loqueris, ob id enim & ego Antiochiam, & ille Constantinopolim, vrbes celeberrimas, deseruimus; non vt te in populis prædicantem laudaremus; sed vt, in agris & in solitudine adolescentiæ peccata deflentes, Christi in nos misericordiã deflecteremus. Sin autem de Paulinano tibi sermo est; vides eum Episcopo esse subiectum, versari Cypri*; tantum abest, vt Clericatum cum Monachatu pugnare ostendant, vt etiam Monachum Clerici munia obeuntem nobis exhibeant, Paulinianum scilicet cum bona magni Epiphanij gratia Salaminij, hoc est Constantiæ Cypri monachum profitentem; nec tamen à Clerici munere abstinentem. Et quod attinet ad ipsum Hieronymum paratum nuntium remittere Sacerdotio, planum est permolesti, ac fastidiosis moribus Antistitis impotentiori ira cui cedere vellet, coactum, hanc ei optionem fecisse, neque verò excidisset illa vox, *si parem Epiphanio Hierosolymis nactus fuisset Episcopum.* Cæterùm & hoc Spalatensi, aduertendum fuit plures in vno Monasterio Presbyteros fuisse, quinque siquidem enumerat Hieronymus, ac demum etiam ipsum Episcopum Hierosolymitanum Monachum fuisse. *Monachus proh dolor*, inquit Hieronymus, *Monachis & minatur, & imperat exilium: & hoc Monachus Apostolicam Cathedram habere se iactans. Non nouit terrori natio ista succumbere, & impendenti gladio magis cernices, quàm manus subijcit.* Itaque tam improbo Monacho tribuendum est, quod Hierosolymis Sacerdotalia officia exercere non possent, cùm alibi id facerẽt de licentia meliorum Episcoporum. Fatemur verò etiam fuisse Monasteria, quæ Presbyteros nullos

Ep. adu. Ioan. Hierosolym.

Hieron. ad Pam. ep. 61. adu. Ioan. Hierosol. in fine.

Idem ibid.

Ep. 62. ad Theoph.

Digitized by Google

haberent, ad quos propterea Epiſcopi ſolemnioribus anni feſtiuitatibus Preſbyteros mittere ſoliti eſſent, qui eis ſacra celebrarent ac conficerent. Nonnunquam etiam Monaſterium egrediebantur, & ad publica ſacra conueniebant, vt ex Iuſtiniani nouella patet: Sed præterea erant celebriora Monaſteriora, in quibus non vnus dumtaxat, ſed plures eſſent Preſbyteri, cùm quinque numerarit in vico Betleemetico Hieronymus. Demus verò vnummodo habuiſſe, aut ſi plures nuſquam tamen *publicum ſacrificium celebraſſe*, ſed *priuatim ſuis fratribus ſynaxes dediſſe* ſemper relinquitur non pugnare Monachatum, cum officiis Clericatus ex natura ſua: aliàs nec publicè ne priuatim ad ea admitti poſſent. Sed rurſus inculcat illud Spalatenſis, *plangentis non docentis habet officium Monachus*, addit *publicos pœnitentes perpetuò irregulares fuiſſe*, quod nos concedimus, *Monachos verò in perpetua pœnitentia fuiſſe*, quod nos diſtinguimus. Longum enim latumque diſcrimen intercedit inter Laïcos pœnitentes, qui ob grauiora facinora in luctu, ac pedore vitam traherent ac ducerent, & huiuſmodi Monachos pœnitentes, præcauendis enim peccatis, quæ non admiſiſſent, aut etiam admiſſis lugendis, ſponte hi pœnitentiæ totos ſe tradebant; illi verò eluendis, ac obliterandis in quæ incurriſſent, pœnitentiam ſibi ab Eccleſia impoſitam amplexabantur. Itaque facinoroſos illos publica pœnitentia infamabat, atque irregulares efficiebat, non verò innocentiſſimos Monachos, ac propterea his non illis ad Clerum patebat aditus; *Plangentis* verò *non docentis* habere officium dicit Hieronymus, iuxta primigenium Monachorum inſtitutum, quos in ſqualore vitam duxiſſe non dubitamus citra vllum cum Clericatu commercium, cùm meri eſſent Laïci; Iam verò loquimur de Monachis, qui authoritate Eccleſiæ & ſacris initiantur, & Eccleſiis præficiuntur. Quare fallitur omnino ac fallit Spalatenſis, qui totis his ſectionibus quæ de prioris generis Monachis dicuntur, ad noſtros religioſos improbè flectit.

Nouel. 137. Spal. 56.

Num. 57. & 58.

Sed & hîc in antilogias incurrit, ſuprà enim volebat fuiſſe *omnino priuatas congregationes Monachorum, nec ad Eccleſiam pertinuiſſe*, hîc verò *in Epiſcoporum tutela fuiſſe* vrget, ac *de ijs valde ſollicitam fuiſſe Eccleſiam* oſtendit. Sed quanam poteſtate in Abbates, Monachos & Monaſteria fuerint ſemper Epiſcopi, tum in Oriente, tum in Occidente, melius lectorem hoc ſcire auentem docebit noſter Fileſacus de tota Eccleſia optimè meritus, quàm deſertor iſte. Adi illum. Sed nobiliſſimum Clericorũ munus, diuini ſcilicet verbi prædicationem, eripere Monachis denuò tentat. *Prædicationem verò*, inquit, *quæ eſt maximè propria Clerici, ad quam potiſſimùm miniſtri Chriſti eliguntur, ſpeciali inhibitione vetitam Monachis reperimus.* *Ita Leo; Hoc ſpecialiter, inquit, ſtatuentes, vt præter Domini Sacerdotes, nullus audeat prædicare: ſiue Monachus, ſiue Laïcus ille ſit, qui cuiuſlibet ſcientiæ nomine glorietur. Item authoritatis eſt Sacerdotalis, Monachis prædicandi aliquam, contra fidem, licentiam non præbere; & omni virtute reſiſtere, ne ea quæ ad Sacerdotes pertinent, ſibi audeant vendicare. Vnde miramur fratrem Theulatium Epiſcopum, quod Georgio neſcio cui, qui, præſumendo illicita, & propoſitum Monachi, & nomen amiſit, ſcribendi vel prædicandi, aliquam permiſerit facultatem. Audis Monachum amittere propoſitum, & nomen Monachi, cùm primùm Clericalia cœperit exercere. Illicitam fuiſſe prædicationem Monachis habemus etiam in hiſtoria Equitij, apud Gregorium. Et Patres quintæ Synodi; Monachorum, inquiunt, vita ſubiectionis habet verbum, & Diſcipulatus; non docendi, vel præſidendi, vel paſcendi alios. Et Alexander 2. Iuſta Calchedonenſis, inquit, te-*

Spalat. Num. 61.

Fileſ. de ſac. Epiſc. poteſt cap. 7.

Spalat. Num. 62.

16. q. 1. ca. Adiicimus. Ex ep. 66. 67. Leonis.

Idem Leo ep. 74.

Greg. dial. l. 1. c. 4.

norem

norem optimi Concilij, Monachis quamuis optimis religiosis ad normam S. Benedicti intra claustrum morari præcipimus: vicos, castella, Ciuitates peragrare prohibemus: & à populorum prædicatione omninò censuimus cessare. Nisi forte quis de suæ animæ salute sollicitus, vt eorum habitum assumat, eos intra claustrum consulere voluerit. A Leone quoque Imperatore lege cautum est; ne Monachi de religione, vbi in vrbem ingressi sint, aut dogmate disceptent; aut Conciliabulis quibusdam præsint, aut turba excitata, simplices & mansuetos animos populi auertant. Nunc verò, (ô nostram ignominiam, ô Ecclesiæ infamem inuersionem) Monachi apud nos soli facti sunt, verbi ne an verborum prædicatores? Nos Clerici silemus, eosque suspicimus, & ab eis auro atque argento non exiguo, lutum vt plurimùm atque vtres inflatos, inutili vilique vento distentos emimus. Sed erunt aliæ rursus occasiones ista & alia in hoc genere, deflendi. Etiam sæculo Ludouici sancti nostri Regis, hos nodos simplicioribus nectebant Monachorum calumniatores; sed omnes dissoluit Magnus Aquinas, qui libratis in vtramque partem rationibus, tandem de ea re sic statuit. *Dicendum,* inquit, *quod aliquid dicitur alicui non licere dupliciter. Vno modo, quia habet in se quod contrariatur ei, quod dicitur non licere, sicut nulli homini licet peccare: quia habet in se quilibet homo rationem & obligationem ad legem Dei quibus contrariatur peccatum. Et hoc modo dicitur alicui non licere prædicare, vel docere, vel aliquid huiusmodi facere: quia habet in se aliquid, quod his repugnat vel ratione præcepti, sicut his qui sunt irregulares ex statuto Ecclesiæ non licet ascendere ad sacros ordines: vel propter peccatum secundum illud Psal. 49. Peccatori autem dixit Deus. Quare tu enarras iustitias meas? Hoc autem modo non est illicitum religiosis prædicare, docere, & huiusmodi facere, tum quia ex voto & præcepto regulæ non obligantur, ad hoc quod ab his abstineant: tum etiam quia non reduntur ad hoc minus idonei ex aliquo peccato commisso, sed magis idonei ex exercitio sanctitatis, quod assumpserunt. Stultum est autem dicere, vt per hoc, quod aliquis in sanctitate promouetur, efficiatur minus idoneus ad spiritualia officia exercenda: & ideo stulta est quorundam opinio dicentium, quod ipse status religionis impedimentum affert talia exequendi, quorum errorem Bonifacius Papa rationibus supra dictis excludit dicens, vt habetur 16. q. 1. Sunt nonnulli nullo dogmate fulti, audaciſsimo quidē zelo magis amaritudinis, quàm dilectionis inflammati, asserentes Monachos, quia mundo mortui sunt, & Deo viuunt, Sacerdotalis officij potestate indignos: sed omninò labuntur, quod ostendit, primò quidem, quia non contrariatur regulæ. Subdit enim. Neque enim beatus Benedictus Monachorum præceptor almificus, huiusmodi rei aliquo modo fuit interdictor; & similiter nec in aliis regulis hoc prohibetur. Secundo improbat prædictum errorem ex idoneitate Monachorum, cùm in fine capitali subdit. Quanto quisque est excellētior, tanto & in illis spiritualibus, scilicet operibus, potentior. Alio modo, dicitur aliquid non licere alicui, nō propter contrariū quod habeat, sed propter hoc quòd deficit ei, vnde illud posit: sicut Diacono nō licet Missam celebrare, quia non habet ordinē Sacerdotalem: & Presbytero non licet sententiā ferre, quia non habet Episcopalem authoritatē. In quibus tamen est distinguendū, quia ea quæ sunt ordinis, committi non possunt, nisi ei qui ordinem habet, sicut Diacono non potest committi, quod celebret Missam, nisi fiat Sacerdos. Ea verò quæ sunt iurisdictionis, committi possunt eis qui non habent ordinariam iurisdictionem: sicut prolatio sententiæ committitur ab Episcopo simplici Sacerdoti. Et hoc modo dicitur non licere Monachis & aliis religiosis prædicare, docere, & alia huiusmodi facere: quia status religionis non dat eis potestatem huiusmodi faciendi. Possunt tamen ista facere, si ordi-*

7.q.1 c.Hoc nequaquā 16.q. 1.c.11.

C. de Epis. & Cler. lib.19.

S.Tho.2.2. qu.187.art. 1 in corpore articuli.

nem recipiant, vel ordinariam iurisdictionem : aut etiam si eis committantur ea, quæ sunt iurisdictionis.

Iam verò multa largitur Monachis Spalatensis, quæ etiam veteres illos non omninò ineptos ad Clericatum fuisse ostendant. *Erant*, inquit, *Monasteria tanquam Scholæ quædam & seminaria, vnde libenter sibi Ecclesiæ de idoneis ministris prouidere olim consueuit*; *Monachus itaque* addit, *tanquam prima Clericatus rudimenta habens ad Clericatum solebat assumi.* Ac postremò. *Solitos verò*, inquit, *fuisse Episcopos, ex Monasteriis accipere monachos, & eos ad Clericatum promouere præter Hieronymum habes, id testantes Epiphanium Siricium, rursus Innocentium, Augustinum, Gelasium, Gregorium & alios.* Tandem tamen longè esse Monachatum infrà Clericatum pluribus ostendere contendit. Et quidem si Episcopos intelligit nullus obluctatur, si de omnibus in vniuersum Clericis obsistit ac renititur Magnus Aquinas, ac aduersariorum vires frangit dispunctis eorum obiectionibus. *Sunt autem quidam*, inquit, *qui non solùm Episcoporum statum præferri religiosorum statui sunt contenti, sed & decanorum & plebanorum, & Archidiaconorum, & quorumcunque curam habentiam animarum. Quod multipliciter asserere conantur. Dicit enim Chrysost. in libr. 6. sui dialogi. Si aliquem mihi talem adducas Monachum, qualis vt secundum exaggerationem dicam, fuit Helias tamen quandiu solus est, si non perturbatur, neque grauiter peccat, quippe non habet quibus stimuletur atque exasperetur, non tamen illi comparandus est, qui traditus populis, & multorum ferre peccata compulsus, immobilis perseuerauit & fortis. Ex quo manifestè videtur, quod Monachus quamtumcunque perfectus adæquari non possit, cuicunque curam animarum habenti, si eam benè exerceat. Adhuc ibidem postmodum subditur. Si quis mihi proponeret optionem, vbi mallem placere, in officio Sacerdotali, an in solitudine Monachorum, sine comparatione eligerem illud quod prius dixi. Incomparabiliter igitur præferendus est status curam animarum habentium, quàm viuere etiam in solitudine Monachorum, quod genus religionis perfectissimum reputatur. Item Augustinus dicit in Epist. ad Valerianum. Cogitet religiosa prudentia tua nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore facilius & leuius, & hominibus acceptabilius Episcopi aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè atque adulatoriè res agatur. Sed nihil apud Deum miserabilius & tristius & damnabilius. Item nihil est in hac vita maximè hoc tempore difficilius, & laboriosius & periculosius Episcopi, aut Presbyteri aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur quo noster imperator iubet. Non ergo religionis status est perfectior statu Presbyterorum aut Diaconorum, qui curas animarum habent, ad quorum officium pertinet conuersari cum hominibus. Præterea August. dicit ad Aurelium. Nimis dolendum est, si ad tam ruinosam superbiam monachos subigimus, & tam graui contumelia Clericos dignos putamus, in quorum numero nos sumus, si scilicet vulgares de nobis iocabuntur dicentes, malus Monachus bonus Clericus est, cùm aliquando bonus etiam Monachus vix bonum Clericum faciat. Maior ergo est perfectio boni Clerici, quàm boni Monachi. Item paulò antè dicit. Non est via danda seruis Dei, id est, Monachis, vt se facilius putent eligi; ad aliquod melius, id est, ad officium Clericatus, si facti fuerint deteriores, monasterium, scilicet deserendo. Melius ergo est officium Clericatus, quàm status Monasticus. Item Hieronymus ad Rusticum Monachum. Sic viue in Monasterio, vt Clericus esse merearis. Maius est ergo Clericatus officium, quàm Monachi conuersatio.*

Num. 63. Num. 64. Num. 65. Num. 66. 67. 68. 69. 70. De perfect. vitæ spirit. cap. 20.

Præterea

Præterea non licet de maiori ad minus transire, sed de statu monastico licet transire ad officium Presbyteri curam habentis, sicut dicit Gelas. Papa, & habetur 16. quæst. 1. Si quis Monachus fuerit qui venerabilis vitæ meritò Sacerdotio dignus præuideatur, & Abbas, sub cuius imperio Regi Christo militat, illum fieri Presbyterum petierit ab Episcopo, debet eligi, & in loco quo iudicauerit, ordinari omnia quæ ad Sacerdotij officium pertinent, vel populi vel Episcopi electione prouidè ac iustè acturus, & plura alia capitula ibidem ponuntur, & distinct. 47. Ex his ergo omnibus videtur quod status quorumcunque Clericorum, & maximè curam animarum habentium, religionis statui præferatur. Horum autem dictorum ratio de facili percipi potest, si ea quæ dicta sunt ad memoriam reuocentur. Iam enim supradictum est aliud esse perfectionis actum, atque aliud perfectionis statum. Nam perfectionis statum non efficit, nisi perpetua obligatio ad ea quæ ad perfectionem spectant, sine qua obligatione plurimi perfectionis opera exequuntur, puta qui nullo voto continentiam seruant, aut in paupertate viuunt. Rursum considerandum est quod in Presbyteris & Diaconibus curam animarum habentibus, duo consideranda sunt, scilicet officium curæ, & dignitas ordinis, manifestum est autem quod officium curæ suscipientes, perpetuam obligationem non habent, cùm multoties curam dimittant susceptam, sicut patet de illis qui dimittunt Parochias vel Archidiaconatus, & religionem intrant, patet etiã ex supradictis quod status perfectionis non habetur, nisi cum perpetua obligatione. Manifestum est autem quod Archi & Parochiales Sacerdotes & etiam electi ad consecrationem statum perfectionis nondum adepti sunt, sicut ne nouicij in religionibus ante professionem. Contingit autem, vt suprà dictum est, aliquem non in perfectionis statu existentem opera perfectionis agere, & perfectum esse secundum habitum charitatis. Si igitur contingit Archidiaconos & Parochianos presbyteros perfectos esse secundum habitum charitatis, & participare in aliquo perfectionis officio, statum tamen perfectionis non assequuntur. Huius autem euidens signum est, quia hus qui perpetuò ad aliquid deputantur vel obligantur, aliqua Ecclesiastica solemnitas in tali obligatione adhibetur, puta qui in Episcopos consecrantur, vel qui in professione religionis benedicuntur etiam secundum antiquum ritum Ecclesiæ, vt patet per Dionys. in lib. de Eccles. hier. cap. 6. Manifestum est autem quod nihil horum fit in commissione Archidiaconatus, vel Parochiæ, vel simpliciter inuestiuntur, vel per annulum, vel per aliquid tale. Vnde manifestum est quod ex hoc quod aliquis archidiaconatum vel parochiæ curam accipit, non sortitur perpetuæ obligationis statum. His autem visis facile est obiecta in contrarium soluere, quod enim Chrysost. dicit, si talem aliquem adducas monachum, qualis fuit Helias, non tamen illi comparandus est, qui multorum peccata ferre compellitur, manifestè apparet per ea quæ dicit quod non intendit statum statui comparare, sed ostendere difficultatem benè persistendi, maiorem esse in eo qui præest populis, quàm in eo qui solitariam vitam ducit, quod patet si integrè verba accipiantur. Non enim simpliciter dicit, quod monachus non sit comparandus illi, qui compellitur peccata populi ferre, sed quod monachus si non perturbatur, nec grauiter peccat, quandiu solus est, non comparatur illi qui perseuerat immobilis, & fortis in multitudine populi, quia maioris virtutis est illæsum se conseruare, vbi plura pericula imminent. Vnde & ante hæc verba dicit. Cùm aliquis fuerit in medijs fluctibus, & de tempestate nauem liberare potuerit, tunc meritò testimonium perfecti gubernatoris ab omnibus promeretur. Sic etiam dici posset, quod ille qui inter malos benè conuersatur, maioris virtutis esse ostenditur,

Digitized by Google

quàm qui benè conuerſatur inter homines bonos. Vnde in laudem Loth dicitur 2. Pet. 2. quod aſpectu & auditu iuſtus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam iuſtam iniquis operibus cruciabant. Nec tamen dici poteſt quod conuerſari inter malos ad ſtatum perfectionis pertineat, cùm hoc ſecundum ſacræ Scripturæ documenta prudentius declinetur. Ex his igitur verbis non oſtenditur, quod ſtatus curam animarum habentium ſit perfectior, quàm ſtatus religioſorum, ſed quod ſit periculoſior. Per hæc etiam patet reſponſio ad verba eiuſdem quæ poſtmodum ſubduntur. Si quis, inquit, mihi proponeret opinionem, vbi mallem placere, in officio Sacerdotali, an in ſolitudine Monachorum, ſine comparatione eligerem illud quod prius dixi, ſcilicet placere Deo in officio Sacerdotali. Vbi conſiderandum eſt quod non dicit, quod mallet eſſe in officio Sacerdotali quàm in ſolitudine monachorum, ſed quod mallet ibi quàm hîc placere Deo, quia in Sacerdotali, officio abſque peccato manere difficilius eſt, quàm manere abſque peccato in ſolitudine monachorum, ſicut iam ſuprà dixerat; vbi autem maius eſt periculum, ibi maior virtus oſtenditur, ſi periculum euitetur, ſicut iam dictum eſt. Et quamuis quilibet ſapiens magis eligeret eſſe tantæ virtutis, vt etiam inter pericula quæcunque illæſus poſſet perſiſtere, nullus tamen niſi inſipiens ſtatum periculoſiorem ex hoc ipſo ſtatui ſecuriori præferret. Ex hoc etiam apparet ſolutio ad verba Auguſtini, quibus aſſeritur nihil eſſe periculoſius & laborioſius officio Epiſcopi & Sacerdotis, & Diaconi, ſi benè exerceatur, & nihil eſſe Deo acceptabilius. Ex hoc enim ipſo quod eſt laborioſum & difficile, immunem ſe à peccato conſeruare in huius officij executione maioris virtutis eſſe oſtenditur, & ſecundum hoc Deo acceptabilius, non tamen ex hoc ſequitur quod ſtatus Sacerdotum Parochialium aut Archidiaconorum ſit maioris perfectionis quàm ſtatus religionis. Ad omnia verò quæ ſubſequuntur, & ſimilia, eſt vna eademque reſponſio. Nam in omnibus illis authoritatibus non comparatur ſtatus religionis ſtatui Curatorum, ſed ſtatus Monachorum in quantum ſunt Monachi ſtatui Clericorũ. Non enim Monachi in eo quod ſunt Monachi ſunt Clerici; cùm multi ſint monachi laici. Et antiquis temporibus ferè omnes Monachi, laici erant, vt habetur 16. quæſt. 1. Manifeſtũ eſt autem clericos in Eccleſia Dei maiorem gradum obtinere quàm laicos. Vnde laici promouentur ad clericatũ tanquã ad aliquid maius, & ſicut eſt maior gradus, ita & amplior virtus relinquitur ad bonũ clericum, quàm ad bonum laicum, quamuis ſit monachus. Sed in monacho Clerico duo concurrunt, & Clericatus & ſtatus religionis, ſimiliter in Clerico habente curã animarum ſcilicet cura animarũ & clericatus. Quod verò clerici præferuntur monachis, nihil pertinet ad hoc quod curati in quantum curati monachis præferuntur, ſed verum eſt, quod ſi benè officium ſuum exequantur, & abſque peccato maioris virtutis eſſe demonſtrantur, quàm ſi monachus immunis à peccato permaneat, vt ſuprà dictũ eſt. Quod autem Monachus aſſumitur ad curam animarum in parochialibus Eccleſiis, non oſtendit ſtatum curati, ex hoc quod eſt curatus eſſe perfectiorem, quia religioſus parochiam adeptus ſtatum priſtinum non omittit. Dicitur enim 19. quæſt. 1. De monachis qui diu morantes in monaſteriis, ſi poſteà ad Clericatus ordinem peruenerint, ſtatuimus non debere eos à priori propoſito diſcedere. Sic ergo non oſtenditur, quod ſtatus Clerici habentis curam animarum ſit perfectior, quàm ſtatus religionis, quamuis religioſi curam animarum accipere poßint in priori ſtatu & propoſito permanentes. Ad Epiſcopatum autem promoti ſtatum altiorem aſſumunt.

SPALAT. Num. 74. Cæterùm ſupra modum cõtumelioſus eſt Spalatenſis in Cœnobitas noſtros, atque in eos hoc virus profundit. *Hi ſunt*, inquit, *veri ſchiſmatici, vt ſuprà innui, & &*

& lib. 9. *&* 10. *demonſtrabo, dum altare erigunt contra altare, & proprias Synaxes faciunt, plebem volunt paſcere, & regere, & Eccleſiaſticum regimen ſibi vſurpare, plebeſque à ſuis* Epiſcopis *diuellunt, &* Eccleſiaſticam *pacem turbant & vnionem.* Et quanquam Dominicanos & Societatis Ieſu Patres palpare videtur, iiſdem planè ludibriis dehoneſtat, atque illud Hieronymi retorquere poſſumus; *Ne tibi ſolus videaris erraſſe, ſimulas nefanda de ſeruis Dei, neſciens quod iniquitatem aduerſus alterum loquaris, & ponas in cœlum os tuum. Nec mirum, ſi qualeſcunque ſerui Domini blaſphementur, cùm Patrem familias Belzebut vocarint* Patres *tui.* Perfricuit verò frontem, ac exuit omnem pudorem, vt eos cum Sabaraïtis peſſimo Monachorum genere ſacrilega temeritate conferret. Immeritò verò eos Cœnobitarum ordine excluſit: neque enim Monachi iuxta proprietatem vocabuli audiunt iam, ſed religioſi communia omnia habentes, ac pro viribus Apoſtolicam vitam imitantes dicuntur. Valeat itaque cum ſuis Sabaraïtis, & Monaſterium ingreſſus in ſqualore ac pedore pœnitentiam agat, numen propitietur, veniam tam proiectæ audaciæ petat, Monachoſque cœli ciues, florem Eccleſiæ, *lapillos pretioſos*, vt vocat Hieronymus, infamare ceſſet, ac ſanæ menti redditus colere incipiat, quos nobilem eſſe portionem gregis Chriſti nullus Orthodoxus dubitat.

Vid. S. Th. contra impug. relig. opuſc. 15.

FINIS LIBRI SECVNDI.

Digitized by Google

INDEX SCRIPTORVM

QVI IN HAC PRIMA HVIVS OPERIS PARTE CITANTVR, VEL REFELLVNTVR.

A

ABÆLARDVS
Abulensis, Tostatus.
Adrianus Papa.
Albertus magnus.
Alcuinus.
Aldus Grammaticus.
Alexander de Ales.
Alexius Comnenus.
Almaynus.
Alphonsus à Castro.
D. Ambrosius.
D. Anselmus.
Archimandrita.
Aristoteles.
Arnaldus Bonæuallensis.
D. Athanasius.
D. Augustin. Hipponens.
Auentinus Annalista.

B

BAchiarius Bibliothecar.
Balsamon.
Cardinalis Baronius.
D. Basilius.
Beatus Rhenanus in Tert.
Martinus Becanus Societatis Iesu.
Venerabilis Beda.
Cardinalis Bellarminus.
D. Bernardus.
Beza.
Blesensis.
Bodinus.
D. Bonauentura.
Brentius.
Brixianus.

C

CÆsarius Arelatensis.
Cælestinus Papa.
Caietanus.
Calixtus Papa.
Caluinus.
Casaubonus.
Cassianus.
D. Chrysostomus.
Cicero.
Claudius Turinensis.
Clemens Romanus.
Clichtoueus.
Cornelius Papa.
D. Cyprianus.
D. Cyrillus Alexandrinus.
D. Cyrillus Hierosolymit.
Cyzicenus.

D

D. DAmascenus.
P. Damianus.
Didymus.
D. Dionysius Areopagita.
Dionysius Corinthiorum Episcopus.
Dionysius Petauius Societatis Iesu.
Dominicus à Soto.
Dorotheus.
Durandus.

E

Ioannes EChius.
Egesippus.
D. Epiphanius.
Erasmus.
Estius.
Euagrius Papa.
Eulogius.
Eusebius Cæsarienſis.
Eutychianus.
Eutychius Constantinopolitanus Episc.

F

FOelix Papa.
Filesacus Doctor Sorbonicus Paris.
L. Florus.
Franciscus Torrensis.
D. Fulgentius.

G

GAudentius Brixianus.
Gelasius Papa.
Gennadius.
Ioannes Gerson.
Gratianus.
D. Gregorius Papa.
D. Gregorius Nazianzen.
D. Gregorius Nicænus.
Gregorius de Valentia.
Gregorius VII. Papa.
Gregorius Turonensis.

H

D. HIeronymus.
D. Hilarius.
D. Hippolytus.
Homerus.
Hugo Ætherianus.
Hugo à sancto Victore.
Humbertus.

I

D. IGnatius Martyr.
Innocentius I. Papa.
Innocentius II. Papa.
Innocentius III. Papa.
Ioannes Hierosolymitan.
Ioannes Hus.
Ioannes Maior.
Ionas Aurelianensis Episc.
D. Irenæus Martyr.
Isidorus.
Isidorus Pelusiota.
Isocrates.
Iuo Carnotensis.
Iustinianus Imperator.
Benedictus Iustinianus.

L

LActantius Firmianus.
Lambertus Scafnaburg.
Lanfrancus.
D. Leo Papa.
Leo VI. Imperator.
Leo Ostiensis.
Lorinus Societ. Iesu.
Lutherus.
Lyranus.

M

MAcharius Ægyptiacus vetustiss. author.
Maldonatus Societ. Iesu.
Marcus Anton. Spal. Epis.
Marianus Victor Episcopus Amerinus.
Martinus Bracharensis.
Martinus I. Papa.
Maximus Taurinensis.
Metaphrastes.
Methodius.
Monachus Sytus.
Moses Barcepha Syrus.
Musculus.

Digitized by Google

INDEX.

N

Nauclerus Chronographus.
Nicætas.
Nicephorus.
Nicolaus I. Papa.
Nicolaus III. Papa.
Nicolaus Cusanus.

O

Oecumenius.
Optatus Mileuitanus.
Origenes.

P

Pacatus Theodosius.
Pacianus.
Paludanus.
Pamelius in Tertullianum.
Panormitanus.
Paulinus Epis. Nolanus.
Cardinalis Perronius.
Philo Carpatius.
Photius.
Pinianus.
Pius Pontifex.
Platina.
Plinius.
Plutarchus.
Pontius.
Primasius.
Prosper Aquitanicus.
Prudentius.
Procopius Historicus.

R

Rabanus Maurus.
Richardus.
Ruffinus.
Rupertus Abbas Tuitiens.

S

Sanderus Anglus.
Scaliger.
Ioannes Scotus.
Seneca.
Seuerus Sulpitius.
Simplicius Papa.
Siricius Papa.
Sixtus Senensis.
Socrates.
Sotus.
Zozomenus.
Stapleton Anglus.
Stapulensis.
Stephanus Tornacensis.
Stobæus.
Suetonius.
Suidas.
Surius.

T

Cornelius Tacitus.
Tertullianus.
Tharasius.
Theodoretus.
Theodorus Studita.
Theodosius Imperator.
Theophylactus.
D. Thomas Aquinas.
Tyrius de bello Sacro.

V

Valentinianus Imper.
Victor Antiochenus.
A Victoria.
Vincentius Lyrinensis.
Virgilius Maro.
Vspergensis Chronista.

Z

Zacharias Papa.
Zeno Veronensis vetustissimus author.
Zonaras.
Zozimus Papa.
Zuinglius.

INDEX CONCILIORVM QVÆ IN HAC PRIMA HVIVS OPERIS PARTE CITANTVR.

Concilium Africanum.
Concilium Agathense.
Concilium Ancyranum.
Synodus Anglicana.
Concilium Antiochenum.
Concilium Aquense.
Concilium Aquisgranense.
Concilium Arelatense.
Concilium Arelatense II.
Concilium Ariminense.
Concilium Aurelianense III.
Concilium Chalcedonense.
Concilium Carthaginense.
Concilium Carthaginense II.
Concilium Carthaginense V.
Concilium Colonienſe.
Concilium Constantiense.
Concilium Constantinopolitanum.
Concilium Elibertinum.
Concilium Ephesinum.
Concilium Florentinum.
Synodus Francofordiensis.
Concilium Gangrense.
Concilium Lateranense.
Concilium Lemonicense.
Concilium Matisconense.
Concilium Meldense.
Concilium Melphiticum.
Concilium Mileuitanum.
Concilium Neocæsariense.
Concilium Nicænum.
Concilium Sardicense.
Concilium Toletanum.
Concilium Toletanum II.
Concilium Tornacense.
Concilia Turonensia I. & II.
Concilium Triburiense.
Concilium Viennense.

Digitized by Google

INDEX
LOCORVM SCRIPTVRAE
SACRÆ QVI IN HAC PRIMA HVIVS OPERIS PARTE CITANTVR.

Ex lib. Geneſ.

CAP. 3. *VIr potestate eris, & ipſe dominabitur tui.* 11.
19. *Adhuc multa dies, potate oues, & euntes pascite.* 238.
27. *Det tibi Deus de rore cœli & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti & vini, & seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Esto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ; qui maledixerit tibi, sit ille maledictus, & qui benedixerit tibi, benedictionibus repletur.* 93.
31. *Diù noctuque, æstu vrebar ac gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis.* 203.
49. *Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manum potentis Iacob, inde pastor egressus est lapis Israel.* 140.

Ex Exodo.

CAP. 15. *DOminus Dux fuit populo Israel, & Moyses induxit populum in terram Chanaan, & fuit cum Ecclesia in solitudine.* 109.
19. *Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum Domino sanctificentur, ne fortè percutiat eos.* 642.
Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris. 643.

Ex Leuitico.

CAP. 10. *VInum & omne quod inebriare potest non bibetis tu & filij tui, quando intrabis in Tabernaculum testimonij, quia præceptum sempiternum est, in generationes vestras, & vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum.* 642.
20. *Sancti estote, quia ego sanctus sum, Dominus Deus vester.* 598
21. *Sacerdot in quo fuerit macula non accedet offerre oblationes Deo.* 393.

Ex Numeris.

CAP. 11. *AVferam de spiritu tuo, tradamque eis vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus grauere is.* 48.

Ex Deuteronomio.

CAP. 17. *NEc eleuetur cor eius in superbiam super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram.* 264.
19. *Non transgrediaris terminos antiquos quos posuerunt Patres tui.* 513.
21. *Accipiendo duas partes & de bonis paternis cuncta duplicia.* 93.

Ex Ioſue.

CAP. 9. *LIgna cædere & aquam comportare in domum Domini.* 127.
22. *Miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari Sacerdotis, & decem Principes cum eo.* 270.
24. *Balac misit & vocauit Balaam filium Beor vt malediceret vobis, & ego nolui audire eum, sed è contrario per illum benedixi vobis.* 327.

Ex libris Regum.

CAP. 30. *DAuid & populus qui cum eo erat.* 123.
22. *Vidi cunctum Israel dispersum in montibus, quasi oues non habentes pastorem.* 168.

Ex 1. Paralipom.

CAP. 29. *TVa sunt omnia & quæ de manu tua accepimus.* 721.

Ex 2. Paralipomen.

CAP. 19. *AMarias autem Sacerdos & Pontifex vester in his quæ ad Deum pertinent præsidebit.* 317. & 318.
26. *Non est tui officij, Ozia, vt adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum, hoc est filiorum Aaron qui consecrati sunt ad huiusmodi ministerium, egredere de sanctuario, ne contempseris, quia non reputabitur tibi in gloriam hoc à Domino Deo tuo.* 324.

Ex lib. Iob.

CAP. 39. *QVis autem est qui dimisit Onagrum liberum?*

Ex lib. Pſalmorum.

Pſal. 2. *POstula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c.* 33.
18. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* 175.
A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius. 284.
39. *Statuit supra Petram pedes meos.* 109.
44. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate.* 704.
Omnis gloria eius ab intùs. 1.
Vnctus est oleo lætitiæ præ consortibus tuis. 10.
50. *Tibi soli peccaui.* 305.
67. *Ascendens in altum captiuam duxit captiuitatem, dedit dona hominibus.* 10.
103. *Petra refugium leporibus & herinaciis.* 109.
106. *Similis factus sum pellicano solitudinis, vigilaui & factus sum sicut passer solitarius in tecto.* 709.
109. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* 21.
De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. 33.

Ex Prouerbiis.

CAP. 25. *HOc faciens carbones ignis congeres super caput eius.* 166.

INDEX LOCORVM

Ex lib. Eccleſiaſtes.

CAP. 10. VÆ terræ, cuius Rex puer eſt. 530

Ex Canticis.

CAP. 6. CAſtrorum acies ordinata.

Ex lib. Eccleſiaſtici.

CAP. 32. REctorem populi te conſtituerunt, noli extolli, eſto in illis quaſi vnus ex illis. 264

Ex Eſaia.

SEmen tuum gentes hereditario poſſidebis, & ciuitates vaſtas inhabitabis. 2

22. Dabo clauem domus Dauid ſuper humerum eius, & aperiet & non erit qui claudat, & claudet & non erit qui aperiet. 152

43. Ego ſum Deus qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor. 508

53. Pro eo quod laborauit anima eius videbit ſemen longæuum. 34.

60. Et aperientur portæ tuæ iugiter die ac nocte non claudentur. 34

Ex Daniele.

CAP. 3. VEnit in montem maximum & impleuit terram. 33.

Ex Ezechiele.

CAP. 18. OMnes animæ meæ ſunt, vt anima Patris, ita & anima filij mea eſt. 720.

34. Væ paſtoribus Iſrael qui paſcebant ſemetipſos, nonne greges à paſtoribus paſcuntur. 173.

Vos autem greges mei; hæc dicit Dominus Deus, ecce ego iudico inter pecus & pecus arietum & hircorum. 174.

Ex Oſea.

CAP. 9. SAcrificia eorum tanquam panis luctus, omnes qui manducant ea contaminabuntur. 387.

Ipſi regnauerunt ſed non ex me principes extiterunt, & non cognoui. 397.

Ex Amos.

CAP. 6. OPtimates Capita populorum. 5.

Ex Malachia.

CAP. 2. LAbia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem de eius ore requirent, quia Angelus Domini exercituum eſt. 316.

Ex 1. Machab.

CAP. 8. IVdas & qui cum eo erant. 193.

Ex Euangelio Matthæi.

CAP. 10. NOn veni pacem mittere in terram, ſed gladium. 701.

11. Duodecim autem Apoſtolorum nomina hæc ſunt, primus Simon. 77.

14. Fidelis ſeruus & prudens quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. 429.

16. Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. 2. 47. 77. 97.

Tibi dabo claues regni Cælorum. 54.

18. Videte ne ſcandalizetis vnum ex his puſillis, qui ſcandalizauerit vnum ex puſillis illis, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris, væ mundo à ſcandalis, neceſſe eſt enim vt veniant ſcandala, verumtamen væ homini per quem ſcandalum venit. 183.

19. Amen dico vobis quoniam nemo eſt, qui dimiſerit domum, aut parentes, aut fratrem, aut vxorem, aut filios propter regnum Dei, qui non recipiat multo plura in ſæculo iſto, & in ſæculo futuro vitam æternam. 601.

20. Dic vt duo hi filij mei ſedeant, vnus quidem ad dexteram tuam, alius ad ſiniſtram in regno tuo. 196.

Quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter Miniſter, & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus. 41.

26. Hoc facite in meam commemorationem. 222.

Quod Deus coniunxit homo non ſeparet. 631.

Egreſſus foras flenit amarè. 185.

28. Euntes docete omnes gentes. 201.

Quæcunque alligaueritis ſuper terram erunt ligata & in cœlis. 61.

Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſæculi. 1.

Ex Euangelio Marci.

CAP. 3. AScendens in montem vocauit ad ſe quos voluit ipſe & venerunt ad eum vt eſſent duodecim cum illo, &c. 39.

Profectus eſt cum Simon & qui cum eo erant. 192.

Fecit duodecim vt eſſent cum illo, & vt mitteret eos prædicare, & dedit illis poteſtatem curandi infirmitates & eiiciendi dæmonia. 344.

9. Quid in via tractabatis. 262.

16. Simon dormis. 203.

Vlt. Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium. 334.

Ex Euangelio Lucæ.

CAP. 4. SPiritus Domini ſuper me eo quod vnxerit me. 10.

5. Noli timere, ex hoc iam eris homines capiens. 197.

9. Intrauit autem cogitatio in eos quis eorum maior eſſet. 262.

11. Væ vobis legiſperitis qui tuliſtis clauem ſcientiæ. 152.

12. Scitis quia Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt poteſtatem exercent in eos, non itaerit inter vos, ſed quicunque voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter. 152.

21. Ego rogani pro te vt non deficiat fides tua. 123. 138.

22. Hoc facite in meam commemorationem. 23. 61.

Sedere autem ad dexteram meam non eſt meum dare vobis. 80.

24. Oportebat impleri quæ ſcripta ſunt in lege. 69.

Petrus autem ſurgens cucurrit ad monumentum. 138.

Nos ſperabamus quod ipſe eſſet redempturus Iſrael. 196.

Ex Euangelio Ioannis.

CAP. 1. ANdreas inuenit primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei, inuenimus Meſſiam. 231.

Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus. 242.

4. Sicut tu me miſiſti in mundum, ita ego miſi eos. 38.

10. Alias oues habeo, quæ non ſunt de hoc ouili. 34.

11. Vos neſcitis quicquam expedit vobis vt vnus homo moriatur, &c. 306.

13. Vos vocatis me Magiſter & Domine, & benedicitis. 42.

14. Spiritus ſanctus quem mittet Pater in nomine meo. 67.

16. Expedit vobis vt ego vadam, ſi enim non abiero paracletus non veniet. 67

Ille me clarificabit quia de meo accipiet. 68.

17. Pater ſancte ſerua eos in nomine tuo. 199.

20. Accipite Spiritum ſanctum, quorum remiſeritis peccata remittuntur eis. 32. 61.

19. Vnus militum lancea latus eius aperuit. 34.

Sicut

Sicut misit me vivens Pater & ego mitto vos. 173.
21. *Pasce oves meas, Pasce agnos meos.* 23. 53. & 72.

Ex Actis Apostolorum.

CAP. 1. *SEdete in civitate quoad usque induamini virtute ex alto, accipietis enim virtutem supervenientis in vos Spiritus sancti.* 385.
Episcopatum eius accipiat alter. 63.
Oportet testem Resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis. 39.
Incipientibus à Hierusalem. 69.
2. *Repleti sunt omnes Spiritu sancto, & caperunt loqui.* 47.
3. *Argentum & aurum non est mihi, quod habeo hoc tibi do.* 256.
Præcepit nobis prædicare populo, & testificari quia ipse est iudex vivorum & mortuorum. ibid.
6. *Non est iustum nos relinquere verbum Dei & ministrare mensis.* 40.
9. *Quid Petro cum gentibus commune?* 184.
Erat quidam ibi Discipulus Damasci nomine Ananias, & dixit ad illum in visu Dominus, vade in vicum qui vocatur rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tharsensem. 292.
Loquebatur cum gentibus, & disputabat cum Græcis. 292.
10. *Quod Deus purificavit, tu ne communne dixeris.* 212.
Pascite eum qui in vobis est gregem. 170.
Nihil vereor; nec facio animam pretiosiorem quàm me, dummodo consumem cursum meum. 39.
11. *Testibus præordinatis à Deo nobis qui bibimus & manducavimus cum illo.* 40.
Vos scitis quoniam abominatum sit viro Iudæo coniungi aut accedere ad alienigenam. 182.
13. *Sunt segregati ad opus ad quod assumpserat eos Deus.* 329.
15. *Statuerunt ut ascenderent Paulus & Barnabas, & quidam alij ex illis ad Apostolos & Presbyteros in Hierusalem super hac quæstione.* 270.
Viri fratres vos scitis quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Evangelij & credere. Et qui novit corda Deus testimonium perhibuit dans illis Spiritum sanctum sicut & nobis, & nihil discernit inter nos & illos, fide purificans corda eorum, nunc ergo quod tentatis Deum, imponere iugum super cervices Discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi. 271.
16. *Timotheum apprehendens circumcidit propter Iudæos qui erant in illis locis.*
18. *Assumptis viris qui votum habebant super se, sanctificavit se cum illis ut raderent capita sua.*
20. *Quos posuerat Spiritus sanctus regere Ecclesiam Dei.* 514.

Ex Epistola ad Romanos.

CAP. 1. *VIrtus enim Dei in salutem omni credenti.* 90.
3. *Non sunt facienda mala ut inde eveniant bona.* 60.
6. *Christus resurgens ex mortuis iam non moritur, mors illi ultrà non dominabitur.* 1.
10. *Quomodo invocabunt in quem non crediderũt, aut quomodo credent quem non audierunt, aut quomodo audient sine prædicante?* 438.
12. *Singuli alter alterius membra.* 8.
13. *Ministri Dei sunt in hoc ipsum servientes, ideo tributa præstatis.* 41.
15. *Dico autem Iesum Christum Ministrum fuisse Circumcisionis.* 41.

Ex 1. ad Corinthios.

CAP. 1. *VUltis in virga veniam ad vos, an in charitate & Spiritu mansuetudinis.* 43.
1. *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephas.* 126.
2. *Bibebant de spirituali consequente eos Petra.* 102.
3. *Neque qui plantat, neque qui rigat aliquid est, sed qui incrementum dat Deus.* 438.
Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare. 40.
Fundamentum aliud nemo ponere potest præter id quod positum est, Iesus-Christus. 105. & 110.
Vos autem iam non estis in carne, sed in Spiritu, si tamen Spiritus Dei habitat in vobis. 598.
4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi.* 38.
5. *Ego quidem absens corpore, præsens autem Spiritu, iam iudicavi, ut præsens eum qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi congregatis vobis, & meo Spiritu cum virtute Domini nostri Iesu Christi tradere huiusmodi Satanæ, in interitum carnis ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* 513.
7. *Qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo.* 579. *Volo autem vos omnes esse sicut meipsum.* ibid.
7. *Qui se non continet nubat, melius est enim nubere quàm uri.* 613.
Alligatus es uxori, ne quære solutionem. 630.
11. *Desponsi vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* 685.
12. *Quæ putamus ignobiliora esse corporis his honorem abundantiorem circumdamus.* 55.
Divisiones verò gratiarum sunt, idem autẽ Spiritus. 9.
15. *Stella differt à stella in claritate.* 55.

Ex 2. ad Corinthios.

CAP. 2. *NAm & ego quod donavi, si quid donavi propter vos in persona Christi.* 5.
5. *Pro Christo legatione fungimur.* 5.
12. *Nihil enim minus fui ab iis qui sunt suprà modũ Apostoli, tametsi nihil sum.* 80.
13. *Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* 1.
Potestas data est nobis, non ad destructionem, sed ad ædificandum. 484.

Ex Epist. ad Ephesios.

CAP. 1. *SVscitans illum à mortuis, & constituens ad dexteram suam in cœlestibus.* 9.
2. *Iam non estis hospites & advenæ, sed cives sanctorum, &c.* 142.
4. *Veritatem autem facientes in charitate crescamus, in illo per omnia, qui est caput Christus, &c.* 17.
Data est gratia secundum mensuram donationis Christi. 47.
Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, &c. 294.
5. *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, quoniam vir caput est mulieris, sicut Christus est Caput Ecclesiæ.* 11.

Ex Epiſtola ad Galatas.

CAP. 1. NOn ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtum & Deum Patrem. 291.
2. Creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Paulo Circumciſionis. 180.
Judæus cùm ſis, gentiliter vivis. 184.

Ex Epiſtola ad Philip.

CAP. 2. VT in nomine Ieſu omne genu flectatur. 10.
3. Reformabit corpus humilitatis noſtræ. 4.

Ex Epiſt. ad Colloc.

CAP. 1. IPſe eſt caput Corporis Eccleſiæ. 9.
2. Qui eſt caput omnis Principatus & poteſtatis. 4.

Ex Epiſt. ad Thimoth. prima.

CAP. 1. HOc præceptum cõmendo tibi Timothee, ſecundũ præcedentes in te Prophetias, vt milites in illis bonam militiam habens fidem & bonam conſcientiam. 432.
3. Oportet Epiſcopum eſſe Doctorem. 392.
4. Attende tibi & doctrinæ, inſta in illis, hoc enim faciens, & teipſum ſalvum facies, & eos qui te audiũt. 438.
Repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ quam reddet mihi Dominus. 287.
Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, non pro noſtris tantùm, ſed etiam pro totius mundi. 4.
5. Cùm luxuriatæ fuerint in Chriſto nubere volunt. 685.
Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra vt Patrem. 272.
Si quis ſuorum & maximè domeſticorum, curam non habet, fidem negauit, & eſt infideli deterior. 616.
Aduerſus Presbyterum accuſationem noli recipere, niſi duobus vel tribus teſtibus. 553.
Eligantur vnius viri mulieres. 590.

Ex 2. ad Timoth.

CAP. 1. ADmoneo te vt reſuſcites gratiam quæ in te eſt per impoſitionem manuum mearum. 384.
Non enim dedit nobis Deus Spiritum timoris, ſed virtutis, dilectionis & ſobrietatis. 385.

Ex Epiſtola ad Hebræos.

CAP. 1. OMnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput, &c. 10.
5. Nullus aſſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. 47.
7. Chriſtus eo quod maneat in æternum ſempiternum habet Sacerdotium. 22.
9. Introiuit enim in ipſum cœlum, vt appareat nunc vultui Dei pro nobis. 3.
13. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis. 9.
Honorabile connubium & thorus immaculatus. 592.

Ex 1. Epiſt. Petri.

CAP. 5. NOn vt dominantes in cleris, ſed forma facti gregis. 553.

Ex 2. Epiſt. Petri.

CAP. 3. FRater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam, ſcripſit vobis. 289.

Ex Apocalypſi.

CAP. 2. ANgelo Epheſi Eccleſiæ ſcribe. 512.
4. Et vidi ſedes, & ſederunt ſuper eas, & iudicium illis datum eſt. 44.
12. Michael & Angeli eius. 193.
17. Rex Regum & Dominus Dominantium. 421.
22. Iuſtus iuſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc. 734.

FINIS INDICIS SCRIPTVRARVM.

RERVM

MEMORABILIVM PRIMAE PARTIS HVIVS OPERIS

INDEX LOCVPLETISSIMVS.

A

AARON & ſummi Pōtifices veteris Teſtamenti fuerunt figura noſtrorum Epiſcoporum ex Bellarmino. 314. & ſummi noſtri Pontificis.
Aaron & fuit Typus Chriſti. 315
Aaronis poteſtas ad omnes omninò Synagogas Iudæorum, etiam toto orbe diſpetſas, ſe ſe fudit. 315
Abraham Pater credentiū vocatur, & quare. 134
Abuſus Spalatenſis ex Scripturarum teſtimonijs ad Primatum Petri euertendum. 262
Academiæ Pariſienſis de Epiſcoporum & Parochorum poteſtate iudicium. 484
Aërij error apud Epiphanium, volentis ordinationem Presbyteris cum Epiſcopis eſſe communem. 368. dicebat item Epiſcopos, nulla differentia debere ſeceruì à Presbyteris, vt colligitur ex Auguſtino, ibid. argumenta pro Aërio à Spalat. adducta, diluuntur ibid. & ſeq.
de Ætate diui Petri opiniones diuerſæ. 82.
Alexandri III. factum à calumnia vindicatū. 581
Ambroſij teſtimonium de occurſu Chriſti ad Petrum, & illius in vrbem Romam ingreſſu. 226
Amor flagrans Petri erga Chriſtum. 24
Amor Alexandri magni in Ephæſtionem, & Craterum duos exercitus ſui duces. 25
de Anachoretis. 705
Anatome doctrinæ Spalatenſis. 103
Andreas prior ſecutus eſt Saluatorem quàm Petrus, & tamen Primatum non accepit Andreas, ſed Petrus. 71
Andreas ætate prior Petro. 231
Angelorum alij aliorum ſunt Principes ex Hieronymo. 30
Antigonus verbis ſapientiſſimis caſtigat Demetrium filium ſuum turgentem ob purpuram regioſque faſces. 38
Antilogiæ Spalatenſis. 510
Antiqui ponebant in litteris formatis, nomē Patris & Filij, & Spiritus Sācti, & Petri. ratio. 226
in Apibus Principes ſunt. 305
Apoſtoli electione ſunt pares. 816
Apoſtoli aliqui maiores natu, & ætate Petrō, vt Andreas & Iacobus Alphæi. 207
Apoſtoli Epiſcopi fuerunt. 342
Apoſtoli in Eccleſiis à ſe fundatis priuatos Epiſcopos creabant. 511
Apoſtoli omnes erant fratres. 217
Apoſtoli omnes Piſcatores, Petrus autem Nauclerus & gubernator nauis. 197
Quo ſenſu ſuccedant Epiſcopi Apoſtolis. 477
Apoſtoli ſunt ſecundaria fundamenta Eccleſiæ vnà cum Petro ratione prædicationis fidei, & miniſterij. 122
Apoſtoli quomodo pares Petro poteſtate ex mēte D. Cypriani. 48
Apoſtoli nonnunquam Diſcipuli dicuntur, & ratio. 370
Apoſtoli reliqui Chriſti Vicarij fuerunt, ſed non pari cum Petro dignitate aut authoritate. 66
Apoſtoli pares Petro in intrinſeca & eſſentiali muneris Apoſtolici functione, non autem in regimine externo & accidentario, veluti in cauendo & extirpando ſchiſmate. 50
Apoſtoli in errorem abrepti pompaticū aliquod regnum Chriſti ſibi confinxerunt, ac proinde de glorioſo illo primatu illos contendiſſe. 262. & 263
Apoſtolorum poteſtas duplex. 334
Apoſtoli Chriſti Miniſtri fuerunt. 38
Apoſtoli vocantur primogenita gregis ab Ambroſio. 55
Apoſtoli reliqui Vicarij fuerunt, ſed Petro non pares in eo munere. 70
Apoſtoli Epiſcopis à ſe inſtitutis plenitudinem poteſtatis, quam à Chriſto etiam quā Apoſtoli eſſent conſecuti, non tradiderunt. 331
quo ſenſu reliquos Apoſtolos, maximè verò Paulum cum Petro contulerint Patres. 281
Apoſtoli habuerunt pleniſſimam poteſtatem ligandi atque ſoluendi, quamuis Petro vni dictum fuerit. *Tibi dabo claues, &c.* & quomodo intelligendum. 145. & 148
Apoſtolorum poteſtas quo ſe fuderit. 511
Apoſtoli ſortitione inter ſe facta certis regionibus ſuam operam addixerunt. 511
potuerunt tamen vbique terrarum Apoſtolica munia obire. 512
cur in actis Apoſtolorum non fit mentio con-

greſſus Petro cum Simone Mago. 225
Apoſtolica poteſtas reuocata ad vnam Petri ſedem. 512
Apoſtoli Neophytis Epiſcopis non defuerunt, nec tamen ſedes eorum occuparunt. 513
Apoſtoli præditi ſunt iuriſdictionis authoritate Chriſti. 38
Apoſtolorum ſumma poteſtas. 329. nullis definita ſedibus. ibid.
Apoſtoli Domini vices gerunt. 42
Apoſtoli ſunt omnes Paſtores ſub Chriſto, ex Auguſt. Petro eorumdem Paſtorũ Principe. 177
Apoſtoli nunquam ariſtocraticè rexere Eccleſiam. 331
Apoſtoli olim habebant poteſtatem vlciſcendi & puniendi ſcelera. 43
Apoſtoli ſunt authores cœlibatus. 599. & 600
de Apoſtolis coniugatis, qui vxores ſuas reliquerunt. 589
Apoſtoli ſunt coadiutores Chriſti, in fundanda Eccleſia. 33
Apoſtolorum nullus nomen Paſtoris accepit. 169
Apoſtoli Baptizabant ante Chriſtum paſſum. 35
Apoſtolos Chriſtus fecit arbitros & iudices peccatorum. 35
Apoſtoli Epiſcopatum ſucceſſoribus ſuis tradiderunt, ſed ad eos Apoſtolatum non tranſmiſerunt. 343
Apoſtolis lumen donauit Chriſtus, vt lumẽ mundi appellarentur, ex Baſilio. 2
in Petro recolliguntur omnia Apoſtolorum ornamenta. 52
Apoſtolorum, Prophetarum, Euangeliſtarum, Paſtorum & Doctorum nomina & officia. 457. & 458.
Apoſtolatus per ſe ſpectatus non complectitur Epiſcopatum. 222
Apellis pictoris induſtria, in exprimenda Antigoni Macedonum Regis imagine. 366
Appetitus naturalis humanus propriæ excellẽtię, & in alios dominatus titillauit Apoſtolorũ animos adhuc imperfectos. 262
Arca Noë typus fuit Eccleſiæ. 309
Argumẽta Epiſtolæ ad Galatas ſoluuntur ex Patribus. 279. de reprehenſione Pauli in Petrum. ibid.
Arius maledictis onerauit Nicęnam Synodum. 101
ex damnatione Ananiæ colligitur Imperium Petri in Eccleſia, ex Concil. Aquiſgranenſe & Caſſiano. 210
quàm abhorruerint veteres ab Ariſtocratia. 565
Audaciæ Simonis Magi meminerunt Suetonius & Dio Chryſoſtomus. 225
Auguſtini locus egregius diſcuſſus, ex quo colligitur inæqualitas inter Epiſcopos, adeoque inter Apoſtolos. 504
Auguſtinus Ordinem Sacramentum vocat. 424. cum Baptiſmo confert. ibid.
quas partes ſibi ſumpſerit Auguſtinus in electione Epiſcopi Mileuitani. 524
Auguſtinus immaniter corruptus à Spalatenſe. 675
Auguſtini mitis animus in tolerandis Apoſtatis. 741
Authoritas Pontificis ſuprà Epiſcopos omninò iure diuino. 501

B

BAlaam verè donum Prophetiæ à Deo conſequutus eſt. 397
Barba in Scriptura quid ſignificet, ex Auguſtino. 18
Baronius ait Petrum ſuis negationibus primatum ſuum non amiſiſſe. 204
Baronius diſtinctionem facit inter fidem, & P. Petrum. 120
Baronij iudicium religioſiſſimum de ſententia Hieronymi. 373 & ſeq.
Baronium Spalatenſis oppugnat. 120
Baronij verba, quod Petrus ea Petra ſit, de qua dictum ſit, *& ſuper hanc Petram*, &c. 149
Baſilius à Spalatenſe deprauatus. 670
Animaduerſiones Martini Becani contra reſponſionem Spalatenſis ad teſtimonia D. Auguſtini, de primatu B. Petri. 250
Bedæ Vener. locus aduerſ. Spalat. pro primatu Petri explicatur. 255
explicatio acutiſſima Bellarmini viſionis Petro factæ, & horum verborum, *Macta, & manduca*, Act. 9. 137
Bellarminus & Caietani quomodo intelligendi dicentes pares eſſe Apoſtolos. 58
Bellarminus non benè relatus à Spalatenſe. 298
Bellarmini argumenta probantia omnem iuriſdictionem ordinariorum Epiſcoporum à Papa immediatè deſcendere. 473
Benedictio Iacob comprehendit præſtantiam domeſticæ cuiuſdam dominationis, & dignitatis ſuper alios fratres, ex Chryſoſtomo. 93
Bernardi melliflua verba pro primatu Petri aduerſ. Spalat. 255. miras laudes tangit Bernardus de B. Petro. 157
Bezæ opinio de vocabulo Πέτρος. 108
de Bigamis 637. poſſunt ordinari annuente Eccleſia. ibid.

C

CAluinus per Petram intelligit Chriſtum. 98. & 103.
de lege Cœlibatus. 596
vnde haberi poſſit lex Cœlibatus miniſtrorum. 661
Cœlibatus nullam maculam inurit nuptiis. 627
qui Cœlibatui aſtringuntur ſpontè ac citrà vllam vim initiari debent. 662
Cæſares Romani Chriſti colla iugo ſubmittunt. 34
Caietanus oſtendit totam vim quæſtionis de primatu Petri, & Pontificis Romani, in duobus ſacri Euangelij locis conſiſtere. 96
Caietanus numquam aſſeruit eſſe dandum flammis Concilium Conſtantienſe quod Eccleſiam in capite reformare voluit, ex Spalatenſ. 101
Canon Ancyranus explicatus. 586
penes Canonicos adminiſtrationem eſſe Eccleſiarum mortuo Epiſcopo. 555
de Capitulo Canonicorum. 554
ex his Parochi olim aſſumpti. ibid.
de Capitulo & Epiſcopo, 557
Capitis verbi, acceptiones variæ. 92.

Capitis quale officium. 20
Caput in membra influit dupliciter, ex D. Thoma. 4
Caput humanum fortunà repertum in fundamẽtis Templi Tarquinij Regis. 1
Caracter Presbyteralis differt ab Episcopali. 413
Carthaginensis Ecclesiæ Romanæ subiecta. 556
Casauboni confessio de veritate Sacramenti ordinis. 404
Cathedræ Antiochenæ laceratio. 188
de Causa Cœlestij. 145
Cælestinus Pontifex vocat D. Augustinum Magistrum Ecclesiarum doctissimum. 104
Censura Academiæ Parisiensis contra asserentes summum Pontificem non esse Christi Vicarium, sed Spiritum sanctum. 67
Censura Parisiensis contra Spalatensis dogma. 181.
Cephas & eius significatio. 6
de Cæremoniis adhibere solitis in Episcoporum consecratione. 361.& seq.
Certamen vndecim vrbium Asiaticarũ pro Templo Augusti, Tyberio iudice & arbitro Senatu Romano. 97
Chrysostomus enumerat labores Petri, amorem erga Christum, reportatas de Philosophis victorias & piscationem orbis. 188
Charitas Ecclesiæ Romanæ in Græcos. 632
Christus doctrinam quam omnibus Apostolis, & Discipulis tradebat, per Petrum voluit in alios deriuari. 201
Christus damnat fastum & arrogantiam in Apostolis. 264.& 265
Christus quomodo sit nobiscum vsque ad consummationem sæculi. 3
Christus numquam explicauit vim nominis Cephas. 98
Christus laudat cõfessionem & fidem Petri. ibid.
Christus faciens Petrum Ducem & Coryphæum Apostolorum non respexit ad ordinem exterioris vocationis, sed ad sinceriores motus cordis. 87
Christus cõstituit vnitatis Ecclesiasticæ centrum, originem & exordium Petrum. 87
Christus est caput Ecclesiæ antequam ascendisset in Cœlum, contra Spalat. 10. est origo omnium cœlestium donorum. ibid. est Caput & Corpus simul Ecclesiæ, ex Augustino. 12
Christus Monarchiã in Ecclesia sua delegit. 299
Christus fundamentum Ecclesiæ posuit in Petro. 47
Christus suis manibus dicitur baptizasse Petrum, vt ait Euodius Antiochenus Apostolorum Discipulus. 220
Christus summæ potestatis author non deest suis Pontificibus. 307
Christus fecit duas promissiones Petro occasione suæ confessionis. 145
Christus & Petrus, sunt Petra & fundamentum Ecclesiæ. 109
Christus fundamentum fundamentorum 4. est Caput Ecclesiæ primum & maximum. ibid. quomodo ex D. Thoma. ibid.
Christus in viuis agens atque in cœlis regnans successorem non admisit Vicarium habere 4. Caput Ecclesiæverè fuit cùm in terris degeret, pluribus ostenditur. 5
Christus in Petri pedibus cunctorum Apostolorum peccata abluit, ait Hieronymus. 201
Christus non eguit consecratione ad Episcopos constituendos Apostolos. 222
Christus haud quaquam Ecclesiam deseruit, sed ministros ei constituit. 329
Christus suum munus & officiũ reliquit Apostolis. 42
Christus quare tres Discipulos dormientes solùm Petrum dormientem suscitauit. 203
Christus suam Resurrection iubet nuntiari Petro nominatim & quare. 204
Christus est primum & maximũ fundamentũ Ecclesiæ eo quod est obiectum fidei Christianæ. 122
Christus & Apostoli eius suscipiendi Consilium dederunt. 706
Christus verè est immobilis Petra. 123
Christus lapis angularis. 124
verba Christi. *Tibi dabo claues regni Cælorum* ad vnum Petrum, Patrum sententiâ pertinent. 145
Christus numquam Apostolis potestatem soluendorum peccatorum promisit aut contulit, numquam eos in legitima missione donauit, nisi præsente ac cum cæteris agente Petro. 433.
Christus egit magnificentius cum Petro quàm cum reliquis Apostolis, qui proinde in administranda Ecclesia & eius gubernaculis tractandis æquales & pares ei non fuerunt. 45
Christus rogauit pro Petro & non pro Iacobo aut pro aliis & quare. 198
Christus resurgens, Petro primo Apostolorum apparuit, quid denotabat. 200
Christus vocauit Discipulos suos, sed ex iis solos duodecim elegit & hos Apostolos vocauit. 343
In Christo erant omnes causæ Magisterij, ex August. 6
Christus præ cæteris ornauit Petrum & amplificauit eum, volens eum præ aliis magnificare. 204
Christus non successorem patitur in Ecclesia, sed Vicarium. 22
Christus est fundamentum fidei, & non homo. 121
Circumstantiæ verborum, *Tibi dabo claues*, *&c.* vrgentur. 152
Circumstantiæ loci illius, *Pasce oues meas*, expenduntur ex Cardinali Turrecremata. 177
Claudij Imperatoris factum notãdum, ex Tacito. 41
Claues duabus de causis à Christo Petro communicatas. 53
Clauium metaphora quid significet. 153
Concilium Nicænum consubstantialitatem filij asseruit. 21
Concilium Constantinopolitanum diuinitatem Spiritus sancti à calumniis Macedonij vindicauit. 71
Conciliorum lex est ordinaria vt à maioribus minora corrigantur. 325
de Concilio Gangrensi. 622
Concilij Sardicensis Patres vocant Papam comministrum suum, & quo sensu. 499
Concilium Chalcedonense agnoscit summum Pontificem. 8
de Concilio Agatensi. 604. & de duobus Turonensibus. 605
Conferentia inter factum Mosis interficientis

Ægyptios,& Petri punientis morte Ananiam & Saphiram,ex Clem. Alex. 210.
trina Confeſſio Petri redditur trinæ eius negationi, & trina confeſſio amoris delet in Petro trinam negationem timoris. 185
Confeſſio & fides Petri eſt fundamentum Eccleſiæ,ex Theophylacto. 115
Confeſſio mirifica Petri,& eius fides remunerata eſt. 87
Coadiutores dati Epiſcopis morbo affectis. 663
de Collegæ & fratris nomine. 275.& 276
de Congreſſu Petri cum Simone. 224
Coniugatis non licet abſque licentia vxorum continentiam amplecti. 628
Coniugium religioſi nominis vocabulum eſt. 692
Coniugium permiſſum in veteri Teſtamento. 579
Conſpectus doctrinæ Patrum pro primatu Petri, qui vocatur ab *Origene* Princeps Apoſtolorum,magnum Eccleſiæ fundamentũ,& Petra ſolidiſſima ſuper quam Chriſtus fundauit Eccleſiam. *Cyrillus Hieroſol.* vocat eum Principem Apoſtolorum , & ſupremum Eccleſiæ præconem, Regni Cœlorum clauigerum. *Baſilius* prædicat Petrum quod fide præſtans, Eccleſiæ ædificationẽ in ſe recepiſſe. *Nazianz.* Eccleſiæ columen. ita *Epiphanius, Chryſoſtomus, Caſſianus, Cyrill. Alex. Iſidorus Peluſiota, Sozomenus , Theodoretus , Synodus Chalced. Theophylactus, Oecumenius, Euthymius,& alij.* 259. & 260.
Conſtantinopolis ſedes Romanæ Eccleſiæ æmula temporibus D. Chryſoſtomi. 205
Conſtantius Anti-Chriſtus pronuntiatus eſt ab Athanaſio Alexandrino Antiſtite. 323
Conſuetudo Eccleſiæ, vt Epiſcopi à tribus aliis Epiſcopis conſecrentur, vnde manauit. 221
grauis Conteſtatio Dei ad Monachum deſertorem ex Cæſario. 740
Continentiæ leges non ponere laqueum animabus. 620
de Corepiſcopis. 568
Corinthij reprehenſi à Paulo,quod ſuper hominem ædificare volebant,contempto Chriſto. ex Auguſt. 219
Cornelius baptizatus à Petro. 211. vocatur Pater Iudæorum & Gentilium. ibid.
Cornelius dicitur primum animal Deo à gentibus immolatum, vt notat Ambroſius. 137
Correctio duplex ſecundum D. Thomam. 272
de Correptione Chriſti in Petrum, & de verbis illius, *Vade retro Satana* ; ſententia Hieronymi. 136
Cyprianus ait Eccleſiam Romanam eſſe omnium Eccleſiarum matricem. 241

D

DAmaſus Papa vocatur ab Ambroſio,domus Dei quæ eſt Eccleſia,rector. 102
Decreta Conciliorum aduerſus Votifragos libraria. 699. Item ſummorum Pontificum. ibid.
Decretum Apoſtolorum ad Antiochenos miſſum per Paulum,Barnabam, Iudam & Silam. 271
quæ ſint Deo litare,propitiari numen,ſacris altaribus aſſiſtere ac miniſtrare. 577
Diaconus non facit menſarum, ſed Epiſcopatus & altaris miniſterium. 442
Diaconorum officia. 441
Diaconi in primitiua Eccleſia non fuerunt conſtituti, iuxta gradum qui nunc eſt in Eccleſia, ſed ad miniſterium duntaxat menſarum. 451
Diaconorum ſeptem renunciatio ab omnibus Apoſtolis facta,expenditur. 268
de Diaconis & impoſita eis lex continentiæ. 581
de Diaconatu, vetè Sacramentum eſſe. 440
Diaconorum prima inſtitutio. 441
Diadema quamuis nobilis ornatus , & veluti inſigne ſeruitutis publicæ. 38
ſolutio Didrachmi erat in vſum Templi. 196. fuit primatus Primatus Petri, ait Hieronymus. ibid.
Dignitas ſummi Capitis Eccleſiæ Chriſto vindicata. 1
Dialogus Chriſti cum Petro , apud D. Leonem Papam. 253
Differentia magna inter Petrum & Paulum , vt notat Becanus. 77
de Diœceſeon diſtinctione. 513
Dioſcorus Chalcedonenſem Synodum maledictis onerauit. 101
Diſcrimen inter Canonicos & Parochos. 554
Diſcrimen inter Apoſtolos & Epiſcopos. 329
Diſceptatio Pauli cum Petro , qualis ſit , ex D. Cypriano. 274
Doctrinæ cura ad ſummum Pontificem pertinebat apud Iudæos. 316
Doctrina eſt ornamentum eximium ſanctiſſimæ poteſtatis. 392
de Donatiſtis. 564.& 565
Dotes Eccleſiæ quinque ex Optato Mileuit. 6
Dionyſius Siciliæ Tyrannus detraxit amiculum aureum Iouis Olympij, & iniecit ei laneum. 73

E

ECcleſia Chriſti grex puſillus erat ab initio. 33
Eccleſia vetus quomodo ſecernitur ab Eccleſia noui Teſtamenti. 313
Eccleſia nulla inſtituta per Italiam, Galliam & Hiſpaniam, niſi per eos quos Petrus aut eius ſucceſſores inſtituerunt Sacerdotes. 118
Eccleſia Chriſti ab eo colligi cœpit ante ſuam paſſionem. 125
Eccleſia diſtincta Sacramentis à Synagoga. 125
Eccleſia quando cœpit ædificari & augeri. 125
Eccleſia eſt hominum congregatio, quaſi lapidum viuorum. 126
Romana Eccleſia eſt Principalis Eccleſia. 50. eſt centrum vnde cæteræ velut lineæ ducuntur. ibid.
de Eccleſia Orientali. 615
Eccleſia fundata antè Chriſti Aſcenſum 34. ſed aucta poſt aſcenſum. ibid.
Eccleſiæ adminiſtratio ſeruitutis nomen retinet ex Scriptura, & D. Bernardo. 38
Eccleſia Romana mater eſt omnium Eccleſiarũ, & ab ea omnes Epiſcopi habent conſecrationem & dignitatem ſuam. 221
Eccleſia ædificata eſt ſuper Apoſtolos tanquam ſuprà montem. 100

Digitized by Google

Eccleſia vniuerſalis feſtum Cathedrę ſolius Petri, & non aliorum celebrat,& quare. 226
Eccleſiæ ſolæ à Petro fundatæ habitæ ſunt ſemper Patriarchales. 226
Eccleſia vetus Monarchiâ delectata. 314
Eccleſia Romana fundata à Petro & Paulo,teſte B. Ignatio. 76
Eccleſia Romana, viuum Dei Templum eſt. 97
Eccleſia præcipua quadam ratione Petro commendata eſt à Chriſto. 45
quo ſenſu magni viri Cyprianus, Athanaſius, Oſius Cordubenſis vniuerſæ Eccleſiæ curam habuiſſe dicti. 518
Eccleſia veteris Teſtamenti conſiderata in duplici ſtatu, ante legem ſcriptam, & poſt legem ſcriptam. 314
Eccleſia vna eſt eſſentiâ cum ipſa Synagoga, vt fatetur Spalatenſis. 315
Eccleſiarum priuilegia à Pontifice. 514
Eccleſiæ Romanæ ſtudium præcipuum Ethnicos conuertendi, & ad familiam Chriſti adducendi. 534
Eccleſia per *Petram* intelligit Petrum 98. rationes.
Eccleſia in terris ſuis paſtoribus perſeuerare poteſt. 329
Eccleſia non eſt quæ non habeat Sacerdotes. ibid.
Eliacim ſummus Pontifex ſummam poteſtatem obtinuit à Deo per clauem ei traditam. 151
D. Epiphanij ſententia de diſcrimine an Linus aut Clemens fuerit Petri ſucceſſor. 378
Eraſmus & Vatablus dixerunt & falsò Paulum inuiſiſſe Petrum, vt ab eo doceretur. 217. ſed vt ei vt Apoſtolorum vertici honorem præberet, ait Chryſoſt. ibid. & Auguſt.
Eraſmus per *Petram* intelligit omnem hominem fidelem. 98. & 102
Error Diſcipulorum Chriſti in deſiderio gloriæ quo contra Petrum exarſerant. 195
Error leuiſſimus D. Auguſtini collectus in commodum Spalatenſis, vt putat. 108
Errorum omnium fons eſt æqualitas quam ponit Spalatenſis, tum inter Apoſtolos, tum inter Epiſcopos omnes. 492
Epiſcoporum electio fieri per plebem prohibetur in Concilio Laodiceno. 320
Epiſcopi longè dignitate & authoritate Preſbyteris ſuperiores ſunt, rationes affirmatiuæ, validiſſimæ ex Patribus. 367. & ſeq.
quatenus Epiſcopi priuati de ſententia Almayni poſſint monere reliquos ad Concilium celebrandum. 528
De aliquot Epiſcopis quos coniugatos vult fuiſſe Spalatenſis. 594
Epiſcopi vocantur à D. Ambroſio Principes Eccleſiarum. 467
Epiſcopi priuati aliquando Euangeliſtę vocantur, nimirum quorũ opera in aliis etiam gentibus conuertendis vterentur Apoſtoli. 512
Epiſcopatuum creandorum poteſtatem ad Pontificem rectè reuocat Baronius. 543
ſummus Principatus Epiſcoporum in ſuas Eccleſias. 497
quorſum Epiſcopi ſe Dei, & ſanctæ ſedis gratia Epiſcopos dicant. 469
non eſſe penes Epiſcopum poteſtatem alium initiandi. 540
Epiſcopi rectè hæredes Apoſtolorum nuncupantur. 493
de Diuiſione Epiſcopatuum, in cauſa Donatiſtarum: ad Pontificem iſtud pertinet. 540
poteſtas Epiſcoporum pendet à Papa tantùm, vt Scholæ loquuntur, in fieri, non autem in conſeruari, vt docet Bellarminus. 482
de coadiutoribus Epiſcopis datis. 567
Epiſcopos ſolùm coadiutores aut Vicarios Papæ eſſe, falſum eſt. 480
Epiſcopi omnes, ſummi ſunt Sacerdotes, ex Auguſtino. 55
Epiſcopi accipiunt poteſtatem à Chriſto interuentu Pontificis, quem ſuæ iuriſdictionis fontem eſſe voluit Deus. 461
Epiſcopatus ſinguli ſunt veluti portio gregis Chriſti ſub priuato paſtori credita. 102
Epiſcoporum poteſtas ſuos terminos habet. 329
de Epiſcopatu Gregorij Nazianzeni. 531
Epiſcoporum poteſtas terminatur intra priuatarum Diœceſeũn fines. 304
de Epiſcopis ſuffraganeis. 531
Epiſcopi certa quadam ratione ac poteſtatis circumſcriptione in locum Apoſtolorum ſucceſſerunt. 332
Epiſcopi Principes Eccleſiæ ſubiecti tamen Pontifici, ſui ordinis Principi, haudquaquam tamen ſunt Pontificis Vicarij aut Miniſtri, ſed Chriſti. 468
Ethnicorum & Schiſmaticorum calumniæ in Monachos depulſæ. 719
Euangelij prædicatio fuit præcipuum munus Apoſtolorum. 70
Euchariſtia nomen accepit à gratiarum actione. 25
Euſebianorum fraudes à Iulio fugillatæ. 498
Explicatio D. Hilarij in hæc verba Chriſti ad Petrum, *Beatus es Simon Bariona, &c.* 134
Explicatio horum verborum, *Reges gentium dominantur, &c.* 263. Item horum *Nolite vocari Magiſtri.* 266
Explicatio Auguſt. in hæc verba Chriſti, *Non ſum miſſus niſi ad oues quæ perierant de domo Iſrael.* 181
Explicatio horum verborum Pauli, *Fundamentum aliud nemo ponere poteſt, præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus.* 141
Explicatio orthodoxa verborum Chriſti ad Petrum, *Beatus es Simon Bariona.* 123
Explicatio notabilis Hieronym. horum verborum Chriſti, *Nolite vocari Magiſtri.* 266. alia ex Maldonato. ibid.
Explicatio Cyrilli horum verborum Eſaiæ, *Semen tuum gentes hæreditario poſſidebit.* 2
Explicatio verborum Chriſti, *Fidelis ſeruus & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, &c.* 299
Explicatio verborum Pauli, *Noli negligere gratiam quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per impoſitionem manuum Presbyterij.* 383 & ſeq.
Explicationes Patrum horum verborum, *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram, &c.* & eorum, *Ecce Satanas expetiuit, vt cribraret vos, &c. Sed ego rogaui pro te, &c.* 116. & 117

F

FAbula Æſopi de ſerpente officinam Fabri ferrarij ingreſſo. 146
Facta Polycarpi, Irenæi, Origenis, Conſtantini magni, Athanaſij, Euſebij Samoſateni, Baſilij, Gregorij Nazianz. Auguſt. & aliorum diſcutiuntur. 535
Factum Epiphanij apud Hieronymum diligenter excuſſum. 515
Fidei noſtræ fundamentum duplex eſt. 141
Fides Petri nunquam defecit. 139
Confeſſio Fidei Petri longè præſtantior confeſſione Nathanaëlis, ex Chryſoſtomo. 194
Fundamentum fidei longè differt à fundamento miniſterij. 123
Fides Petri & eius confeſſio remunerata à Chriſto. 119
Fides & non corpus ambulat ſuper aquas. 120
diſtinctio inter Fidem Chriſti, confeſſionem fidei & prædicationem fidei. 122
Filij Zebedæi ambitione titillati matrem ſuam ſubornati ſunt. 196
Filij Prophetarum erant Monachi. 705
Forma Apoſtolica eſt non dominatio, ſed miniſtratio. 38
vera Fornicationis remedia. 701
Petri Fratres ſunt eius condiſcipuli ex Chryſoſt. 205
Fraudes Spalatenſis in explicando primatu Petri. 72

G

GAllorum Epiſcopi parentes ſuos agnoſcunt Apoſtolos. 495
Generatio eſt origo viuentis ex viuente ſecundum naturæ ſimilitudinem. 123
Gentiles ſunt de Ouili Chriſti, & non ſolũ Iſraelitæ, vt volebat Spalatenſis. 181
Gerſon dicit potuiſſe multos articulos in Concilio Conſtantienſi damnatos ad bonum ſenſum trahi. 101
Gratia data per impoſitionem manuum Epiſcopi, in Sacramento ordinis confertur à Deo tanquam à principali cauſa, & à Miniſtro tanquam à cauſa inſtrumentali ſolùm. 408
D. Gregorius Papa arguit audaciam Ioannis Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui ſe Oecumenicum & Vniuerſalem Epiſcopum iactabat. 16
de Gregorio VII. Germanorum clericorum inſolentia. 612
diſputatio de Gregorio Nazianzeno. 562
Gregorij magni & Adriani ſummorum Pontificum loci pro primatu Petri aduerſ. Spalat. 354
locus Gregorij Nazianzen. à Caſaubono vitiatus. 7

H

HÆreticorum mos eſt omnium Oecumenicas Synodos à quibus ſunt eorum profligata dogmata, erroris, iniuſtitiæ ac tyrannidis inſimulare ac poſtulare. 101
de Hæreticis ordinatis opinio Magiſtri Sentent. 402.
Heluidij error dicentis Mariam matrem Domini ſuſcepiſſe ex Ioſeph liberos poſt editum in lucem Seruatorem. 360
Homines quomodo dicuntur Capita. 5
Hugonis Ætheriani locus de primatu Petri aduerſ. Spalat. explicatur. 258
ſumma Humilitas Petri laudata à B. Gregorio Papa. 89
Hieronymus egregius dignitatis Pontificiæ aſſertor & inæqualitatis inter Apoſtolos. 500
locus eximius Hieronymi explicatur contra intentum Spalatenſis. 83
Hieronymum quàm longè fuerit à ſententia Ærij & aſſeclarum. 368

I

D. IAcobus, Maximus, Apoſtolus, Eccleſiæ vtiliſſimus ac diligentiſſimus Euangelij præco. 213. Summus appellatur à Chryſoſtomo. ibid.
Iacobus frater Domini fuit de numero Apoſtolorum, & Hieroſolymitanum Epiſcopum Chriſti inſtinctu crearunt Petrus & alij collegæ. 351. & ſeq.
Iacobus & Ioannes quare vocantur filij tonitrui. 192
Iacobus quomodo frater Domini, opinio Theodoreti. 360. Erat filius matris, matris Domini Sororis. ibid.
Iacobus Apoſtolus fuit Collega Petri. 355
Iacobus Apoſtolus Hieroſolymitanus Epiſcopus initiatus eſt à Petro, Iacobo altero & Ioanne. affirmat Clem. Alex. vnde manauit mos conſecrandi Epiſcopum in Eccleſia à tribus aliis Epiſcopis. 221
Iacobus Apoſtolus frater Chriſti, & Epiſcopus Hieroſolymitanus. 358
Ieiunium adhibitum in ordinatione Epiſcoporum temporibus Apoſtolorum, ex Chryſoſtomo. 350
Ieſus largitur aliis dignitates ſuas, nec illis ſpoliatur, ex Baſilio. 2
Ignorantia cauſarum mirationem facit. 50
Ignium ſpecies oſtentant piratæ in locis vadoſis nocte, quo nauigantes ſpe confugiendi ad portum allectos, ad naufragia deducunt. 263
Imperatoribus, Regibus & Principibus, ac huius generis Magiſtratibus ſacrorum procuratio, & iudicium interdicitur. 522
Impoſitio manuum eſt ordinatio. 342
de manuum Impoſitione ex veteri inſtitutione. 364
Impoſitio manuum ad Ordinis Sacramentum pertinet. 351
manuum Impoſitio à Chriſto eſt. 412
Innocentius explicatus de ſimplici & ſolemni continentiæ voto. 697
Innocentius & Leo Pontifices à calumniis vindicati & explicati. 476
Innocentij de Siricio iudicium. 596
de tribus Interrogationibus Chriſti ad Petrum, *Simon Ioannis diligis me plus his.* 168

Ioannis Apoſtoli chariſmata non infringunt poteſtatis Petri excellentiam. 135
Ioannes Apoſtolus Chriſto familiarior Petro. 214
Ioannis Hieroſolymitani improbum factum. 517
Ioannes Hus qua de cauſa damnatus & exuſtus in Concilio Conſtantienſi. 300
Aſſertiones Ioannis Hus in Concilio Conſtantienſi contra Spalatenſem. 300
Ioannis Hieroſolymitani in perſequendo Hieronymo immanitas ac peruicacia. 747
Iudæi rabie non iure reum mortis pronuntiarũt, & lapidibus obruerunt Stephanum. 320
de Iuone Carnotenſi fusè. 526
Iuonis Carthaginenſis in Sedem Apoſtolicam affectus & reuerentia. 500
Iudas ſolus paſſus eſt vt ſibi ante Principem Apoſtolorum pedes lauarentur. 200
Iudæis multa fuere conceſſa, quæ nunc prohibentur. 313
Iudicium de authore Conſtitutionum Apoſtolicarum. 493
Iudicia Patrum de Diaconatu librata. 444
Iuriſdictio à maiori doctrina non pendet. 46
an Iuriſdictio Epiſcoporum à Pontifice pendeat, eſt problema Theologorum. 483
Ius ſummum eligendi à Petro tanquam à fonte deriuatur. 208
Iuſti plurimi qui effulſerunt confeſſionis laude. 334

L

LApſus Petri nihil offeciſſe ſummæ ſuæ dignitati. 178
Latus Chriſti quare dicitur apertus, & non percuſſus aut vulneratus in cruce. 34. ex Auguſt.
de Legatione Carthaginenſis Eccleſiæ ad Innocentiũ Pontificem pro ei reconciliando Theophilo. 524
de Legatis Pontificum. 480
Legatus dari ſolet Imperatori in caſtris, aut in Imperio agenti. 22
D. Leonis teſtimonium de primatu Petri, aduerſus Spalat. 252
Lex Eccleſiaſtica de Cœlibatu ſacrorum miniſtrorum: de Cœlibatu Sacerdotum. 573
de Liberio & Felice. 566
de abolendis hæreticorum Libris. 280
Libidinis remedia in vno coniugio minimè poſita. 574
Linceus tanta acie oculorum præditus, vt nouiſſimam lunã primamque eodem die in ſigno arietis conſpiciat. 306
an Linus aut Clemens fuerit proximus ſucceſſor Petri. 378
Linus verus & immediatus ſucceſſor Petri, ex Epiphanio, & Dionyſio Petauio Societatis Ieſu illius interprete. 380
de lotione pedum Petri à Chriſto, & quid in ea denotatur. 200
Locus Arnobij Afri dicentis, *Ecce Apoſtolo pœnitenti ſuccurritur, qui eſt Epiſcoporum Epiſcopus*, aduerſatur Spalat. 245
Locus Eſaię de claue Dauid explicatus. 152
Locus Cantici, *Caput eius aurum, vel Cephas aurum*, quomodo explicatur. 243
Locus Romano. 12. *neceſſitatibus Sanctorum communicantes*, explicatur ab Ambroſio de memoriis Sanctorum contra Bezam. 244
Locus Ioannis, *Sicut miſit me Pater, &c.* explicatur. 461
Locus *Paſce oues meas*, expenditur, & refelluntur commenta Spalatenſis. 170
Locus Optati Mileuit. *quod Cephas interpretatur Caput, & non patitur Ioannes quemquam interpretari*, aduerſ. Spalat. facit. 242
Locus Ioannis, *Sicut miſit me Pater ego mitto vos*, explicatur. 335
Locus Pauli explicatus, *Melius nubere quàm vri.* 682
Loci Pauli ad Epheſ. 4. *Et ipſe quidem poſtquam dedit Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas*, &c. explicatur. 457
Locus Actorum ſoluitur de miſſo Petro cum Ioanne ad Samaritas à reliquis Collegis Apoſtolis. 270. Item alius de ſententia pro abrogandis legibus à Iacobo pronuntiato. 276
Locus Pauli explicatur, *Epiſcopum oportet vnius vxoris eſſe virum*, quaſi nemini liceret duobus Epiſcopatibus præeſſe. 330
Locus Oſeæ citatus à Spalat. contra effectum Sacramenti ordinis, explicatur. 387. & ſeq.
Locus Euſebij, *Petrus Apoſtolus natura Galilæus, Pontifex primus Chriſtianorum*, quomodo explicandus contra Spalatenſem, Caluinum & Bezam. 229
Locus Baſilij de Petro, *Ille beatus qui cæteris prælatus Diſcipulus fuit, cui claues regni commiſſæ*, illuſtratus contra Spalatenſem, qui dicit Petrum prælatum fuiſſe, quod primatum vocationis & primogenituræ habuerit. 230
Locus idem Nazianzeni illuſtratur de Petro, cõtra eundem Spalatenſem. ibid.
Locus item alius Cyrilli enodatur. 231
Locus Hieronymi dicentis, *Petrum electum in Caput*, deſtruit mentem Spalat. 246
Locus iſte illuſtratur ab Aurelio Altiſſiodorenſi. 247
Locus Auguſtini dicentis, *Ecce vbi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in Scripturis ſanctis didicimus Apoſtolum Petrum, in quo Primatus Apoſtolorum tam excellenti gratia præeminet*, aduerſatur Spalat. 248
Locus Chryſoſtomi dicentis, *Petrum Eccleſiæ futuræ Paſtorem conſtitutum fuiſſe præcipuum*, explicatur contra Spalat. qui dicit, *præcipuus, ſed non ſolus.* 232
Loci Euthymij & Oecumenij aduerſus errorem Spalat. qui conſiderabat in Petro ſolam præcedentiam ex ætate & vocatione. 232
Locus Theophylacti, ad illa verba Chriſti, *Confirma fratres tuos, quia*, inquit, *te habeo vt principem Apoſtolorum*, explicatur in Spalatenſem. 233
Locus Damaſceni, ſcribentis *Petrum dignum Eccleſiæ præſidem à Chriſto prædeſtinatum*, in

Spalat. facit. 232. qui dicit hæc encomiasticè ſolummodo dicta. 2
Locus Ambroſij dicentis Petrum, *nobis velut Vicarium à Chriſto ad Cœles aſcendente relictum*, contra Spalat. explicatur. 234
Locus Origenis dicentis *Eccleſiam ſuper terram à Petro fundandam traditam Petro ſuper ipſum, & nullum confeſſio virtutis alterius, ab eo niſi charitatis exigitur*, pugnat aduerſ. Spalat. 235
Locus Cyrilli ſcribentis *Chriſtum acceptum à Patre ſceptrum Eccleſiæ gentium, & commiſiſſe illud Petro & ſucceſſoribus eius*, quomodo intelligendus contra Spalat. 237
Locus Cypriani de *redeundo ad veritatis originem, & de capite quærendo, & Magiſtri Cœleſtis doctrinam ſeruando, appoſitè* contra Spalat. 239
de Lucifero Caralitano, Euſebio Vercellenſi, Hilario & Euſebio Samoſateno. 521
Lutherus per *Petram* intelligit fidem ſeu fidei confeſſionem. 98

M

error Macedonij damnatus in Cõcilio Conſtantinopolitano. 67
Macedonius Conſtantinopolitanam Synodum maledictis onerauit. 101
Macedonius contendebat Spiritum ſanctum nihil ad Patris & filij diuinitatem & gloriam pertinere. 67
Macharius Ægyptius Petrum cum Moyſe confert. 473
Magi Meſſiæ Regis incunabula adorantes primitiæ fuerunt gentilitatis. 181
Magis & minus non variant ſpeciem, aiunt Philoſophi. 137
Maior ille qui mittit quàm qui mittitur. 270
de Maioribus ac Minoribus ordinibus. 580
de Maioribus ordinibus. 581
Maledicta Spalatenſis in B. Petrum. 136
de Mathiæ, Pauli & Barnabæ ordinatione. 346. & 347
Matrimonium non pugnare cum ordine, ſed eius actus à diuinis rebus abducere, at etiam officiis miniſtrorum aduerſari. 577
Matrimonia à Clericis in ſacris ordinibus conſtitutis, contracta, ſunt irrita & nulla. 660
Matrimonia clericorum Eccleſiæ Canonibus antiquis non tolluntur, ſed abdicatione & honoris priuatione puniri, ad nuptias conuolantes. 664. Sed poſterioribus Canonibus Pontificũ & Eccleſiæ decretis ſunt hæc connubia irrita. ibid.
Matrimonium poſt votum ſimplex continentiæ illicitum eſt, ex Bellarm. 686
Maximi Taurinenſis locus percelebris pro primatu B. Petri aduerſ. Spalat. 254
verba aurea Maximi Taurinenſis de beatis Petro & Paulo. 74
Maximus Tautinenſis cenſet maius fuiſſe miraculum Petri ſuprà aquas ambulantis, quàm filiorum Iſraël per mare rubrum ſiccis itineribus incedentium. 193. ratio ſequitur. ibid.
Metaphoræ duæ ſub quibus promiſſus eſt Petro totius Eccleſiæ Principatus. 133
Metaphoræ duæ adumbrant dignitatem Ioſephi in Ægypto. 140
Metropolitæ, Primates ac etiam Patriarchæ ex conſuetudine Eccleſiæ certas habent, & conſtitutas ciuitates, aut Prouincias, aut Diœceſes. 330
Michael Imperator Conſtantinopolitanus fauebat Photio. 75
Michaelis Medinæ audax & improbum de Hieronymo iudicium. 366
Michæas Propheta Iſraelis caſum ac miſerandam ſtragem exercitus Iudaici vaticinatur. 168
de Minoribus ordinibus, & quod in iis ſint cœlibes & non cœlibes. 581
Miraculum Petri ſanando claudum, quid denotabat, ex Ambroſio. 210. Ex eo colligit Petrum fundamentum eſſe Eccleſiæ. ibid.
Myſteria vana Spalatenſis eliminata ac expuncta. 162
Miniſterium Petri eſſe ordinarium & Miniſterium Apoſtolorum extraordinarium, quomodo eſt intelligendum. 144
Myſterium quod Chriſtus ſoluit Didrachma pro ſeipſo & pro Petro, & non pro aliis Apoſtolis. 195
de ratione Monachi in ratione Pœnitentium. 715
Monachi qua Monachi, laici fuere. 715
Monachi quo ſenſu in numero pœnitentium. 750
Monachatum cum Clericatu pugnare ſtultum eſt. 745
Monachus quo ſenſu cenſeatur plangentis habere officium, non docentis. 746
Status Monachorum quales ſunt hodie in Eccleſia, defenditur. 744
Monachorum ratio viuendi præclara, ex Sozomeno. 706
laus Monachorum & Virginum, ex Hieronymo. 705
Monaſtica vita ab Apoſtolis initium duxit. 707
Monachi non ſolùm ornamento ſunt Eccleſiæ, ſed eam quoque iuuare exemplis probatur. 712
primorum Monachorum eadem inſtituta quæ noſtrorum. 707
Monachi priſci ſicut & noſtri coluerunt caſtitatem, paupertatem & obedientiam. 710
Monachi inſtituti ſui habent Eliam, Elizæum, & Ioannem Baptiſtam. 705
Monachum ineuntem matrimonium non ſolùm peccare, verumetiam contrahere non poſſe. 737
Monachi fractione voti Apoſtaſiam incurrunt. 740
Monarchia commendatur ac illuſtratur. 296
Monarchiæ teſtes adducit Bellarminus. 304
Monarchia ſacra plenè colligitur ex Euangelio. 320
Monarchia formarum regiminis ornatiſſima. 305
Monarchia Eccleſiaſtica temperata eſt Ariſtocratia. 306

Monarchiam & Democratiam, & Ariſtocratiam admittit Spalatenſis in Eccleſia. 103
Monaſterium vera domus lugendi. 714
Mos Romanorum in ſacrificiis mactatarum victimarum. 24
Motus Cœli ab Oriente ducit initium ſuum ex Ariſtotele. 144
Moyſes in Republica Hebræorum extra ordinem ſummum Pontificatum geſſit. 336
Munia præcipua Apoſtolorum. 38. & 39
Munus Apoſtolicum requirit duo, authoritatem & vnitatem. 47

N

NÆuus de æqualitate Epiſcopi & Preſbyteri obtectus. 366
dubitatio multorum de Nathanaële, an confeſſus fuerit diuinitatem, atque ſolum Regem Iſraël. 134
Nerui initium capiunt à Capite. 20
Neſtorius Epheſinam Synodum maledictis onerauit. 101
Canon Nicænus de vno Epiſcopo in vna ciuitate. 561
Nominis mutatio in Petro quid ſignificat. 190
Nouatiani & Donatiſtæ planè in numero hæreticorum & ſchiſmaticorum. 566
Nuptiæ laudatæ, ſed prælata virginitas. 619

O

OCulus Petri plus cernit quàm multorum oculi, quia illi ſoli dictum, *Ego rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* 306
Oeconomicorum Conciliorum mos ſolemnis. 214
Oeconomi officium, contra Spalatenſem. 40.
Oeconomus & diſpenſator idem ſunt. ibid.
Officia Sacerdotum. 579
Olinthius Caliſthenes parùm laudatus ab Alexãdro magno, quod ſua orandi grauitate peſſundata odium ſuum prodidiſſet in Macedonas. 460
Opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa & indiſcriminata. 67
Opinio eorũ qui religioſos ad docendum ineptos faciunt. 714
Ordinis Sacramentum tria requirit ad ſui conſtitutionem. 382
Ordinem ſacrum proprij nominis Sacramentum eſſe oſtenditur. 384
de inferioribus Ordinibus Eccleſiæ. 455
Ordinationis vim in Epiſcopis hæreticis perſeuerare, quamnis gradu exciderint. 427
Ordo Epiſcoporum proximè à Deo eſt, ſicque nititur iure diuino, vt à Pontifice tolli non poſſit. 461
Ordinis Sacramentum in aliorum bonum inſtitutum eſt, magis quàm in ordinati priuatam ſanctificationem. 439
Ordinis Sacramenti meminit Tertullianus, vt ait Pamelius. 385. Hieronymus confert illud cum baptiſmo. ibid. Teſtimoniũ Auguſti. eiuſdem 386. Argumenta Spalat. contraria, diluuntur. 387. & ſeq.
Oratio Themiſtoclis ad Xerxem Regem Perſarum, dum exul eſſet patriæ ſuæ. 357
Orieus eſt dextera pars Cœli. 144
Orthodoxorum argumenta probantia Monarchiam eſſe Eccleſiæ gubernationem. 103
Oſij Cordubenſis Epiſcopi digna reſponſio facta Conſtantio Conſtantini magni filio, qui ei præſcripſerat de Athanaſio Antiſtite Alexandrino exauthorando. 323. Item dictum notabile Leontij Tripolitani Epiſcopi ad eum Conſtantium. ibid.
Ozias Rex depulſus ab Azaria Sacerdote, eo quod volebat incenſum adolere. 324

P

verbo PAſcendi, quid ſignificet Scriptura. 173
Paſtorum Caput Petrus eſt. 174
Paſtore carere ſumma eſt ouium infœlicitas. 168
Paſtorum officium præeſſe, moderari, regere, iudicare, prouidere, ac omnibus modis conſulere gregi. 206
magnus Paſtorum chorus eſt in Eccleſia, ſed pari dignitate non cenſetur. 170
Patres quomodo accipiendi quando Petrũ vnitatis fontem, & caput faciunt. 147
Patrum teſtimonia quod per Petram Petrus intelligitur. 133
Patres interpretantur de Petro hęc verba Chriſti, *Et ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* 128
Patres celebrant deuotionem, conſtantiam, & fidei firmitatem Petri. 111
Patres docent Petrum impoſitum Caput Eccleſiæ, vt cæteris non licere ab eius ſe ſocietate & communione quocumque prætextu ſubducere. 178
Patres vnam Romanæ Eccleſiæ ſucceſſionem vrgent ad proterendos hæreticos. 337
Patres affirmant Eccleſiam fundatam eſſe ſuper fidem & confeſſionem Chriſti. 113
Patriarchales ſedes primis temporibus Eccleſiæ nullæ erant, niſi quas Petrus fundaſſet. 102
Patriarchæ admittuntur in officio Ethnicorum conuertendorum. 536
de duobus Patriarchis Antiochenis tempore Gregorij. 567
Pauli ad Petrum profectio, & rationes. 218
Paulus aſcendit Hieroſolymam, vt videret Petrum. 85
Pauli affectus quomodo motus ad inuiſendum Petrum, Hieronymus. 217
Paulum numquam nuptias iniiſſe, ſed cœlibem vixiſſe, tradunt antiquiſſimi Patres. 593
quo iure Paulus Petrum Antiochiæ reprehenderit. 271
Paulus quare dicitur Gentium Apoſtolus. 184
Paulus intuitu reconditioris doctrinæ. 72
Paulus fuit frater & collega Petri. 275
Paulus Apoſtolus confertur cum Petro à D. Ambroſio, duplici reſpectu. 56
Paulus habuit Petrum in magno honore. 216. rediit Hieroſolymam Petri viſendi gratia. ibid.
Pepuzianorum & Collyridianorum dogma impium poſſe mulieres in Sacerdotum Collegium adlegi, ac ſacrificiis offerendis deputari. 421

Petronij Cardinalis acutiſſima interpretatio portionis Spiritus Moyſis communicatæ. 72. ſenioribus. 142
Perſeuerantia inuicta Eccleſię ſupra Petrum fundata, ex Ambroſ. 110
Petri & aliorum Apoſtolorum comparatio, ex D. Bernardo. 356
Petrus primus in Concilio loquitur, & ſententiam eius omnes ſequuntur. 213
Petrus & Andreas primi Apoſtolorum vocati. 91.
Petrus ſolus non fuit fundamentum regiminis Eccleſiæ, ſed primum fundamentum, ex D. Cypriano. 143
Petrus & ſucceſſores ſui habuerunt iura primogenitorum. 93
Petro cur Petri largitur nomen, ex Baſilio. 2
Petra nomen Petro datum à Chriſto, & ratio ex Baſil. 4. & Auguſt. ibid.
in verbis *Tu es Petrus*. non immeritò Catholici maximum ſuæ cauſæ præſidium ponunt. 96
Sententiæ Eraſmi, Caluini & Lutheri, de ſenſu horum verborum, *Tu es Petrus*, expenduntur à Bellarmino. 96
Petrus cæteris ſpectantibus Apoſtolis vnum audiuit à Chriſto, *Tibi dabo claues, &c.* 154
quomodo Petrus ex Auguſtino perſonam geſtarit Eccleſiæ, cùm claues acciperet. 161
Petrus tantum iuris habebat, quantum omnis ſimul Apoſtolorum & Diſcipulorum chorus, ex Chryſoſtomo. 207
Petrus quare lachrymam effudit, & non cruorem propter ſuum peccatum. 5. ex Chryſoſt. vocatur Præfectus & Princeps τὸ ἀρχιποιμενικὸν. vt interpretatur Fronto Duceus Societatis Ieſu. ibid.
quas partes habuerit Petrus in Concilio Apoſtolorum. 271
de Petro reprehenſo à Paulo. 137. defenditur à Tertulliano contra Spalatenſem. ibid.
Petrus quomodo dicitur fundamentum. 138
Petrus peccauit in humanitatem Chriſti, non autem in eius diuinitatem, vt ſcribunt Hilarius & D. Ambroſius. 136
Petrus ſedit in vrbe Roma, vbi collata prima Cathedra, ex Optato Mileuit. 36
Petrus quare dicitur geſtare typum Eccleſiæ Catholicæ, ex Bellarmino. 212
Petrus fuit os Apoſtolorum. 135
Typus Eccleſiæ dicitur Petrus, eo quod claues acceperit. 213
error Petri fuit conuerſationis, & non prædicationis, ex Tertulliano. 273. Quid de hac re cenſerint Auguſtinus & Cyprianus. 274
Petrus fundator Eccleſiæ Romanæ. 50
Petrus vocatur Primogenitus Apoſtolorum. 55
Petrus ſolus à Chriſto Epiſcopus fuit ordinatus, & ipſe poſtmodum alios conſtituit Apoſtolos. 221
Petrus vnà cum Domino ſuper aquas ambulauit. 193
Petrus duplici titulo vocatur Princeps Apoſtolorum. 77
Petrus ſic vocatur à robore confeſſionis, ex Chryſoſt. 114
Petro mors Crucis prædicitur. 201
Petrus de Simone dictus Cephas. 190
Petrus ferè ſemper aut interrogare Chriſtum, aut reſpondere pro omnibus ſit ſolitus, quid denotat. 202
Petrus tanquam Pater familias colligit in vnum cœtum Diſcipulorum, & vnum eligendum eſſe docet in locum Iudę agnoſcens, ex Chryſoſtomo, commiſſum eſſe ſibi gregem, cuius Princeps eſt. 204
Petrus coëgit Eccleſiam ex Parthis, Medis, Phrygibus, Lybicis, Ægyptiis, Arabicis, Aduenis, Romanis, & aliis, quia omnium Paſtor fuit à Domino. 210. Primus eſt qui aperuit ad gentes oſtium Euangelij. 211
Petrus factus eſt generalis procurator Apoſtolorum in ſuperioribus myſteriis. 185
Petrus nomen eſt perſonæ & indiuidui. 121
Petrus damnat hypocriſim & fraudem Ananiæ, & Saphiræ, & eos punit morte tanquam diuinus & ſummus iudex, inquit Bellarminus. 210
Petri poteſtas amplificata, cùm dictum ei, *Paſce agnos meos*. 175
Petrus primus omnium prædicauit Chriſtum. 209. primam omnium concionem habuit ad Iudæos. ibid. Sicut Moyſes Princeps Synagogæ primus omnium promulgauit legem, ita Petrus poſt miſſionem Spiritus ſancti primus Iudæis publicauit Euangelium. 210
Petrus non ſucceſſit Chriſto in Pontificatus dignitate. 26
Petrus quare accuſabatur à Paulo. 183
Petri ſumma humilitas commendata à B. Gregorio magno. 183
Petrus noluit ſolus precibus poſtulare à Chriſto aliquem in locum Iudæ ſtatuendum, ad euitandam arrogantiam. 206
Petri Primatus potentiſſimè ſonat in his verbis Chriſti, *Paſce oues meas*. 167. & 168. & ſeq.
Petrus vnus ſummam rerum tenet in Eccleſia. 170
Petri Priuilegium ex D. Leone Papa. 151
Petrus vocatur os Apoſtolorum à D. Chryſoſtomo. 286
Petrus Simonem Magũ primus detexit, & poſtea damnauit. 222. adſunt & teſtimonia Patrum. ibid. & 223.
Petrus clauiger cœlorum. 224
Petrus vocatur, columna, baſis & fundamentum Eccleſiæ. 100
Petrus & Paulus Principes Apoſtolorum dicti, & quo ſenſu. 72
Petrus Princeps ratione ſummæ poteſtatis. 72
Petrus in reuelatione ſolus non fuit, & pares habuit alios, ait Spalatenſis. 133
Petrus geſſit Eccleſiæ figuram. 54
Petrus duobus modis ſpectatur à D. Auguſtino, 1. vt homo ſummis honoribus à Deo auctus. 2. vt fons Eccleſiaſticæ poteſtatis. 54
Petro & aliis Apoſtolis, & ſucceſſoribus quomodo ſpectant hæc verba Chriſti, *Tibi dabo claues regni Cœlorum, Paſce oues meas*. 54
Petrus eſt ſecundarium fundamentum Eccleſiæ, ratione confeſſionis illius fidei. 122
Petrus eſt fons ordinis Eccleſiaſtici. 221.
Petrus ſuas partes habuit in ordinatione Iacobi Iuſti ad Epiſcopatum Hieroſolymitanum. 355
Petrus primus filij Dei confeſſor, ex Hilario. 134
D. Petri laudes eximiæ ex D. Bernardo. 44

Digitized by Google

Petrus numquam diuinitatem negauit, quamuis negaſſet Chriſtum Dominum ſuum. 136. excidit à conſtantia fidei, ſed non à fide. 137
Petro cura Apoſtolorum demandata eſt. 172. & 176.
Petræ nomen varias habet explicationes. 98. deſumptas ex Bellarmino. ibid.
Petrus eſt in Eccleſia vt fundamentum in ædificio, caput in corpore, rector in ciuitate, Rex in regno, pater familias in domo, nauarcha in naui. 133
vis Petræ eſt formaliter in Petro. 113
verba Philippi Celeſtini Legati in Concil. Epheſino notanda. 5
Photius & reliqui Schiſmatici Epiſcopi inſurrexerunt in Ignatium ſanctiſſimum Patriarcham Conſtantinopolitanum. 75
Pontifici non permittitur reliquos ordines, aut interturbare aut interuertere. 472
Pontifices ſemper coluerunt Epiſcopos, nec in eorum patrimonium inuolarunt. 484
Pontificis monita ad alios Epiſcopos cum Imperio. 525
ſummus Pontifex non eſt ſolus legis interpres, ſed præcipuus & potiſſimus. 317
Pontificis ſummi poteſtatis eſſe condendi articulos fidei falſum eſt. 21
Poteſtas Petri eſt actualis contra Spalat. 176
Poteſtas initiandi, ordinandi & mittendi in Epiſcopos in Eccleſia viget. 331
Poteſtas iudiciorum Capitalium Iudæis ſublata iniquitate Romanorum. 319
de ordinaria & extraordinaria Poteſtate Apoſtolorum. 475
Poteſtas Epiſcopalis à Deo tanquam à Principe cauſa pendet. 460
Poteſtas omnis tum ordinis, tum iuriſdictionis ab vno Chriſto pendet. 343
Poteſtas remittendi peccata eſt Petri hæreditas, inquit Ambroſius. 146
Commentum vanum de poteſtate Epiſcoporum etiam Presbyterorum in vniuerſam Eccleſiam profligatum. 554
Poteſtas triplex tum in Pontifice, tum in aliis Epiſcopis, ex Bellarmino. 461
de Poteſtate Epiſcoporum. 459
de Prærogatiuis Petri. 190
Prærogatiua confirmandorum fratrum data eſt Petro. 138
Preſbyter ab Epiſcopo eſſentiali diſcrimine differt. 507
Preſbyteri in Eccleſia conſecuti ſunt dignitatem Diſcipulorum Chriſti. 367
Prædeſtinatio Sanctos aut mundos nõ facit ante temporalem ad fidem vocationem, Sacramentorum ſuſceptionem, & iuſtificantis gratiæ conſecutionem. 307
Prædeſtinatio nihil ponit in prædeſtinato, ſed in prædeſtinante tota manet. ibid.
de Preſbyteris ab Epiſcopis in conſortium honotis aſſumptis. 557
de Preſbyteris & Epiſcopis. 587
quomodo intelligendum Preſbyterum vxorem relinquere non debere ſuo obtentu religionis. 616
Primatus Petri non antenertit præclaram de Chriſto editam confeſſionem. 79
Primatus Petri vbi poſitus eſt, ex Spalatenſi. 81
de Primatu Petri pulchra Chryſoſtomus. 205
Primatus duo in Petro, ex Ambroſio. 131
Primogeniti in diuiſione hæreditatis paternæ præponebantur cæteris filiis non ſolùm, ſed etiam in honore & dignitate. 93
Porphyrius apud Hieronymum, arguebat procacitatem Pauli quod Principem Apoſtolorum Petrum auſus eſt reprehendere, & arguere in faciem. 272
Popularis potentia omnibus virtutibus inimica eſt, ait Xenophon. 321
Præceptum Eccleſiæ iuſtum, vt Clerici ſint cælibes. 662
Principis & Tyranni differentia. 41
de Principatu Eccleſiæ Romanæ. 546
de Pſeudo-Synodo Trullana & eius Canonibus. 623
Pueros pares eſſe ſuſcipiendo inſtituto Monachorum. 741

Q

Quæſtio an impuber retineri poſſit in Monaſterio. 731
Quæſtio propoſita in Concilio Apoſtolorum, an Circuncifio eſſet ad ſalutem neceſſaria, iis qui ex gentibus ad fidem conuerterentur. 214
Quæſtio vtrum propter præceptum Eccleſiæ, vel propter voti ſolemnitatem Religioſorum dirimantur matrimonia. 697. Sancti Thomæ de ea re iudicium.
Quæſtio an Epiſcopis diutiùs in aulis Principum verſari liceat. 530.
Quęſtio vtrum Apoſtoli alio baptiſmate quàm ignis & Spiritus baptizati fuerint, & vtrũ aqua loti ſint, defendi poteſt problematicè. 220

R

Ratio formalis & preciſa primatus Petri non eſt in charitatis præſtantia, vt vult Spalatenſis. 95
Reges & Optimates Capita populorum vocantur. 21
Reges & Principes ſunt fidei vindices, pietatis aſſertores, Religionis defenſores, ſed ius aut Imperium in ſacra non habentes. 324
de forma Regiminis Eccleſię. 299
Regnũ eſt ſplendida ſeruitus; dixit Antigonus. 38
Religioſorum ſtatus inferior ſtatu Epiſcoporum, ſed ſuperior ſtatu reliquorum Clericorum. 752
Reſidentia Epiſcoporum eſt de iure diuino, ſed malè probatur authoritate Epiſtolę ſuppoſititiæ, ac falsò Damaſo aſcriptæ. 529
Rex qui ſcit à ſe vno pendere omnia, cogitat nihil negligere. 306
Rex appellatur Miniſter Dei ab Apoſtolo. 41
Roma orbis Chriſtiani Caput effecta. 1
Romę faſtigium tribuit Cathedrę Petri, D. Leo Papa. 74

S

de Sacerdotibus Simoniacè ordinatis. 399
de imperitis Sacerdotibus quid cenſendum, & illegitimè ordinatis. 392

Digitized by Google

quo ſenſu Sacerdotes improbi ſacrificium offerre non poſſunt, ex ſent. Patrum, qui adeò conſecrandę Euchariſtię poteſtatem eis adempti ſunt. 388. & ſeq.
Sacerdotium noſtrum per determinatam quandam conſecrationem ſeu ordinationem conficitur. 346
Sacerdotes etiam inferioris ordinis ſunt Chriſti Vicarij. 495
Sacramentorum doctrina paulò obſcurior ac reconditior, non modò ordinationis ſacrę, verumetiã Baptiſmi, Euchariſtię, &c. 403 & ſeq.
in Sacramentorum Oeconomia ait Auguſtinus multa admiſiſſe Chriſtum, quæ non niſi ex ſerie traditionis haberi poſſunt. 222
de Sacramento ordinis ampla diſputatio. 381
Sacramenta vim ſuã hauſerunt è latere Chriſti. 34
Sacrificium Euchariſtiæ eſt exemplar ſacrificij in cruce peracti, ex Chryſoſtomo. 24
in Sacrificio duo ſunt, eſſentia, & finis Sacrificij. 25
Sacrificium laudis & gratiarum actionis, in lege veteri. 24
In Sacrificio Spiritus ſanctus non aduenit, ex merito Sacerdotis, ſed ex virtute Chriſti, cuius verba profert Sacerdos, vt ait Auguſt. 394
Sacrificium Euchariſtiæ repræſentatione, idem eſt cum Sacrificio crucis. 25
Sacrificium ab impio Sacerdote oblatum eſt inuiſum Deo ex parte operantis, ſed acceptabile ex parte ſuſcipientis, opinio Petri Damiani. 398
Sanguis & aqua ex latere Chriſti, in cruce manantes fuere ſigna Euchariſtiæ & Baptiſmi. 35
Saũl dicitur caput in tribubus Iſraël. 20
Schiſmaticus qui contra generalem Cathedram, alteram collocat: ex Optat. Mileuit. 47
de Schiſmate Antiocheno. 563
Schola Pariſienſis laudata. 488. eius cenſura librorum Spalatenſis. ibid.
Scholaſtici Doctores aiunt characterem in Epiſcopo & Preſbytero ordinando eundem eſſe, at Canonici diſtingunt eum. 413. & eſt opinio magis amplexanda. ibid.
Scriptura multa præterit breuitatis cauſa, quæ ex ſerie traditionis ſunt intelligenda, ait Auguſtinus. 298
Scriptura vniuerſa quatuor admittit ſenſus. 188
Sedes Hieroſolymitana vocatur Thronus Domini à D. Epiphanio, eo quod Hieroſolymis prædicauerit. 354
Senſus interni & externi vigent in capite. 20
de Senſu horum verborum, *Tu es Petrus*. 96
Sententia dubia & perplexa Spalatenſis. 298
Septuaginta Seniores afflantur ſpiritu Moſis. 48. nec tamen ei pares. ibid.
Seruus Seruorum Dei magna ſui commendatione ſe nuncupat ſummus Pontifex. 41
Siculorum factum declaratum ſub Pelagio & Gregorio. 581
Sortitio terrarum ab Apoſtolis facta nihil officit amplitudini poteſtatis Petri. 511
Spalatenſis error in explicatione vocis Oeconomi. 38
Spalatenſis nullum deducere poteſt è ſanctorum Patrum ſcriptis, ſui erroris præſidium 228. eius fraudes detectæ. ibid.
Eiuſdem improbum de Orthodoxis iudicium depulſum ac profligatum. 228
commentum Spalatenſis de S. Auguſtino. 105
Spalatenſis argumenta contra Cœlibatum Epiſcoporum & Preſbyterorum, ſoluuntur. 591.
Spalatenſis impij ioci in Petrum. 273
Spalatenſis immanis error aſſerentis Auguſt. duo tantum Sacramenta agnouiſſe. 414
Spalatenſis malè exiſtimat Primatum Petri anteuertiſſe omnem promiſſionem Chriſti. 72. admittit inæqualitatem inter Apoſtolos. ibid. Eius de primatu ætatis, vocationis, & charitatis nugæ ordine expoſitæ, ibid. Imitatur Dionyſium Siciliæ Tyrannum. 75
Spalatenſis Caluini crimine implicatus. 540
Spalatenſis Monarchiam Eccleſiaſticam oppugnat pró Ariſtocratia. 297
Spalatenſis ineptè officia charitatis cum iuriſdidictionis muniis confundit. 514
Spalatenſis coniugatos Antiſtites palpat. 632
Spalatenſ. dicit & falsò Auguſtinum dixiſſe ordinem eſſe tantùm Sacramenti effigiem. 424
Spalatenſis vult Petrum adeóque Pontificem in iura tranſiiſſe primogenitorum legis veteris. 93
Spalatenſis ait verba mulierum Chriſti Reſurrectionem nunciantium viſa eſſe Petro deliramentum, & concludit ideò non retinuiſſe fidem diuinitatis Chriſti. 138
Spalatenſis ſapiens monitum duplici errore ab ipſo fœdatum. 551
Spalatenſis Petro ſumma ornamenta detrahit. 73
Spalatenſis pugnat Andabatarum more. 268
procacitas Spalatenſis in Pontificibus lacerandis notata. 507
Spalatenſis dicit Paulũ inuiſiſſe Petrum propter ipſius exiſtimationem. 218
Spalatenſis cauilli & ſarcaſmi, in Societatem Ieſu. 743
Spalatenſis impudens dictũ de lupanaribus. 574
Spalatenſis ait Baronium plus tribuiſſe Epiſcopis, quàm par erat. 469
Spalatenſis impiè conatur euellere, labefactare, ac funditus tollere Petri prerogatiuas. 227
Spalatenſis inconſtantiſſima doctrina de æqualitate Epiſcopi, & Preſbyteri impugnata. 550
Spalatenſis inconſtantia & variatio. 133. ſibi contradicit multis in locis. ibid.
Spalatenſis phaleras vocat prærogatiuas Petri, in Euangelium incluſas. 191
Spalatenſis vocat Petrum Colonum Eccleſiæ. 155
Spalatenſis profert Baronium per contemptum, & adducit ea quæ ſcripſit de primatu Petri. 61
Spalatenſis immanis calumnia. 502
Spalatenſis inſurgit aduerſus Breuiarij reformatores. 120
Spalatenſis iniquiſſima Religioſorũ Cenſura. 370
Spalatenſis contumeliæ magnæ in B. Petrũ. 212
Spalatenſis in tollendo ordine ſacro de numero Sacramentorum veſtigia preſſit Caluini ac Lutheri. 382
Spiritus ſanctus improbè Vicarius cenſetur Chriſti. 66
Spiritus ſanctus in ſua miſſione, ita confirmauit Apoſtolos in gratia, vt euitarent omnia peccata mortalia, non autẽ ita confirmauit vt omnia venialia effugerent; Doctrina D. Thomas. 137

Spiritus ſanctus non eſt propriè Vicarius Chriſti, quippe eſt ei atque Patri omninò æqualis. 72
Spiritus ſanctus quomodo ſit fundamentum primum religionis noſtræ. 141
de Stephani Papæ Canone apud Gratianum. 586
Stephanus rebaptizabat hæreticos & excommunicabat eos idem facientes. 503
Stultitiæ hæreticorum imago ab Epiphanio ſapientiſſimè expreſſa. 549
de Subdiaconatu, Sacramentum quoque eſſe. 452
de Subdiaconis. 581. quod iis poſita lex eſt continentiæ, non in ſola Romana Eccleſia priuata, ſed vbique terrarum. ibid.
Subditis non licet prælatos accuſare, redarguere aut iudicare. 313
Suidæ teſtimonium librorum D. Ioannis Chryſoſtomi de Sacerdotio. 24
contra Symoniacos pulchra Gregorius. 395
Synagoga à ſcopo aberrante vnus Caiphas collimauit, &c. 306
Synedrium Concilium Iudaicum, vbi ſoli Leuitæ & Sacerdotes intrabant, & aditus prohibebatur reliquis filiis Iſraël. 318
Synodi Elibertina, Turonatenſis & Aurelianenſis explicatæ. 626
quinta Synodus non niſi approbante Vigilio œcumenica habita. 542
Syricius non fuit primus author continentię Diaconorum. 587

T

dictum Taciti de Veſpaſiano. 207
Tertullianus durius loquutus eſt de Trinitate. 68. Villici nomine inſigniuit Spiritum ſanctum. ibid. erat hæreticorum partibus nimium addictus. ibid. Hilarij dictum de Tertulliano. ibid. Abreptus eſt in Montani errorem de Paracleto, ibid. Pacianus vocat eum hæreticum. ibid.
veteris & noui Teſtamenti diſparitas. 578
Teſtimonia Patrum pro cœlibatu. 588
Teſtimonia Chryſoſtomi, Ambroſij & Leonis Papæ pro primatu Petri. 56
Theophili Alexandrini laudes in profligandis Origeniſtis. 522. Egregium de eo Hieronymi teſtimonium. ibid. In alienas tamen Eccleſias poteſtatem non habuit, multò minus Cyrillus eius nepos, qui etiam in debellando Neſtorio authoritate Pontificis opus habuit. 523
Traditio Apocrypha de prima vxore Ioſeph viri Mariæ. 360
Cardinalis Turrecremata addit ſeptem rationes cur Petrus fundamentũ Eccleſiæ dictus eſt. 133

V

VAlentinianus iunior reprehenſus à D. Ambroſio, eo quod ius imperiale putabat habere in ea quæ diuina ſunt. 323
titulus Vicarij Chriſti eminentiori quadam præ reliquis Apoſtolis ratione, in Petrum conuenit. 66
Vicarius & ſucceſſor longè differunt. 22
Vicarij Capitis titulus Petro, & eius ſucceſſoribus Romanis Pontificibus aſſertus. 3
Vicarius vſurpatur pro ſeruo ſerui maioris in familia vices gerente; apud Iutiſconſultos. 67
Viduæ quæ aſſumpto religioſo habitu ſe Domino deuouerant, ſi poſtea ad nuptias ſæculares tranſierint, adulterij crimine tenentur. 685
de Viduis quæ primam fidem irritam fecerunt, fuiſſe earum ſimplex votum continentiæ. 665
de Viduis & Virginibus. 420
Vineæ Canticorum cuſtos Epiſcopus eſt, vt docet Iuſtus Orgellitanus. 494
Viſio Chriſti facta Petro Roma diſcedente, & quid dixit Petro. 101
beatam Virginem aſſerunt quidam baptizatam manibus Chriſti filij ſui. 210
de Virginibus ab Epiſcopo relatis quàm differrent ab aliis. 679. & 686
Virgines & viduæ Deo ſacræ poſſunt in Miniſtrorum numero reponi. 421
Vlyſſes declarauit Monarchię excellentiam, apud Homerum. 104
Vnitas Sacerdotalis pendet ab Eccleſia Romana, ex Cypriano. 221
Vnitatis Eccleſiæ origo à Petro procedit. 50
Vnitas corporis pendet ab vnitate capitis. 127
Vocationis Apoſtolorum ſeries. 85
Vocatione Andreas præceſſit Petrum. 85
Votum ſimplex diſtinctum à ſolemni, ab Innocentio. 691
Vota defenduntur contra Spalatenſem. 664
in quo poſita ſit ſolemnitas Voti. 723
loca Patrum expenduntur quibus oſtendi videtur Votum continentiæ, etiam ſolemne, coniugia non abrumpere. 668
Voti ſimplicis vinculum ſolui poſſe, non item ſolemnis. 722
in quo poſitũ ſit diſcrimen inter Votum ſolemne & ſimplex, amplior diſcuſſio. 732
Votum religioſorum non impedire modò, ſed dirimere matrimonia. 740
quid de Votis cenſuerit Chryſoſtomus. 677. Quid item Hieronymus. 678
in Voto continentiæ voluntas duplex, vna ſuſcipiendi dignitatem; altera continentiam cum ſumma dignitate coniunctam ſeruandi. 663
iuniores puellæ ad Votum caſtitatis rectè admittuntur. 666. Sanctio Concilij Trident. de hac re. 668
in approbata religione Votum faciendum vt ſolemnitate potiatur. 723
ritum ac cæremoniam inuectam à Pontificibus, ſed Voti acceptationem, perpetuò in Eccleſia fuiſſe. 723
De materia Votorum. 729.
defenduntur Vota paupertatis & caſtitatis. 729
qua in re poſita ſit ſolemnitas Voti. 717. & 718
poſt Votum ſolemne nuptias in Eccleſia numquam integras extitiſſe. 695
de Voto ſimplici & ſolemni. 722. Eſſentialiter differunt. ibid.
Vouere libertatis eſſe, reddere neceſſitatis. 732

Digitized by Google

ERRATA SIC CORRIGITO.

PAgina 16. linea 14. lege Epiſcopum. Pag 27. l. 34. leg. vmbra. p.31. l.31. duſtus eſt. p 35. l. 6. ante magnum. p. 36 l. 37. communicandas ibid. l.41 Cathedræ. p.37. l.2 meus eſt. Melet. p.38 l.4 ante finem, haberi. p.43. l.39. Siquidem. p.44. l 35. exquiſitioris. p.47. l.35 miniſtrationum. p.48. l.26. quod. p 56 l. penult. vtrò. p.57. l. penult. hunc. p.59. l.1. Epiſcoporum. p.69. l 1. minor. p 74. l.21. principum. p 89. l.3. ergò. p.101. l.11. &, ibid. l.30. Eccleſiæ. p.107. l.1. es, p.111. l 43. perſonam. p 117. l 42. direxit. p. 120. l. 7. quidem. p.134. l.22. filius Dei. p. 144. l. 15. oriatur motus. p.146. l.45 quædam, vel quidem p. 147 l.21. inferorum. ibid. l.31. regnum p.153. l.44. quodcunque, in margine, num.12. p.154. vlt. Petro. p.155. vlt. at. p.160 l.30. cæterorum. p.161. l 16 promiſiſſe. p.164 l.2. (dele) ſe. p.170. l.8. totæ. ibid. l. 21. cauſa extiterit p.173. l.28. Petrum. p.175. l 1. quæ. p.181. l.11. habeat. p.195 l.28. egregiam. p.198. l.25 tribuuntur. p.201. l 37. coorta. p.205. l.7. gregem. p.219. l 37 principium. p.220. l.21. Ego ſum. ibid. l.20. quod. p.223. l.27. affecit. p.231. l 39. debeant. p.236. l.12. creditum. p 252 l 26. cauſæ. p.253. l.21. locutionem. p 257. l.8. abuſum. p.294. l.11. factus ibid. l.15. enim. p.298. l.40. Dei ſit, Eccleſia tamen. p.300. l.9. contumeliam. p.302. l.39. Eccleſiæ vna Eccleſia p.329. l.41. libros. p.330. l.19. Ceſarea. ibid. l. 28. Niczenæ. p. 339. l.7. apertâ. p. 368. l.14. dogmate. p.380. l.6 redactam. p 382. antepen. quamque. p.392. l.30. manus. p.396. l.3. ordinareris. p.403. l.40. habitæ. p.404 l.15. voto. p.412 l.2. ordinationis. p. 415. l.37. Epiſcopatum. p.444. vlt. Epiſtolam. p.448. l.7. inferiores. p.466. l 36. Caſulan. p.467. l 8. hanc. p.468. vlt. eſſe p 469 l.2 à Pontifice. p.470. l. 28. pares. p. 479. l. 43. Qui. p.481. l 38. relicta. p.502. 40. Spalatenſem. p. 508. l.31. offendunt. p 513. l. 21. probatur. p. 513. l.38. collegas ſuos. p.527. l. 36. ſtudio ac labore. p 534. l. 12. dignatus eſt. p.539 l.41. egredi. p. 562. l 16. pelli. p. 557. l. 39. eos. p. 567. l. 41. præcipimus, ibid. l. 42. Diœceſum. p. 579. l. 19. fraudare. p 579. penult. abditoribus. p. 584. l. 36. Eccleſiis. Ead. l. 43 actam. p. 586. l. 1. rapido p. 587. l. 12. ante p 592. l. 18. mulieres aliquæ quæ erant. p. 608. l. 2. qui ſe. Ead l 24. adeo. p. 631. l. 17. prohibitum. Ead. pen. continentiam. p 634. l. 25. Eccleſiaſtici. p. 641. l. 20. non illud. p 661. l. 22. iuuenum. p. 667. l. 40. contexam. p. 677. l 25. adultera. p. 679. l. 37. tuæ. p. 690. l. 41. Hæ verò. p. 696. l. 1. adulterium. p. 702. l. 7. non quia non ſint vera. p. 712. l. 38. incolumes. p. 713. l. 9. ſummæ. p. 721. l. 34. abiectio. p. 734. l. 12. quantam. Ead. l 20. arbitrer.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google